BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVI
G
10
NAPOLI

Digitized by Google

JAC. AUGUSTI
THUANI
HISTORIARUM
SUI TEMPORIS


TOMUS QUINTUS.

LIB. C. — CXXIII.
CIƆIƆXC. — CIƆIƆC.
HENRICUS IV.



LONDINI
Excudi curavit SAMUEL BUCKLEY
MDCCXXXIII.

Digitized by Google



B. Baron fecit.

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS.

EPITOME.

IN Belgio Carolus Manſfeldius Berkam ad Rhenum capit. Hiſpanorum legio ob non ſolutum ſtipendium rebellat. Omnes Philippi vires omiſſo Belgio in Galliam verſae. Inde Mauritius et Ordines rei gerendae occaſionem a [illegible]*ipiunt. Subſidia ab Ordinibus et Angliae regina regi miſſa.* II. *Breda a Mauritio intercepta. Itali ſocordiae inſimulati Bruxellis juſſu Parmenſis capite luunt.* III. *Mauritius Neomagum in Sicambris arcta obſidione premit, et Manſfeldii adventu a vi facienda revocatur. Knodſenburgi munitio in proximo ab eo ſtructa. Nova navigationi via invenitur. In Friſia res geſtae. Loca ad Rhenum, poſt Parmenſis in Galliam profectionem, et in Brabantia a Mauritio capta. Venloae oppidani Italos aggrediuntur, et oppido pellunt. Lochemum fruſtra ab Hiſpanis tentatum.* IV. *Conventus Coloniae et poſtea Francofurti, in quo de injuriis utrinque ab Hiſpanis in limite acceptis expoſtulatio inſtituitur. Ordinum reſponſum acerbum et contra Hiſpanos invidioſum. Eorum vires hoc anno in majus auctae.* V. *Frid. Perrenoti Campaniaci de bello in Galliam tranſlato judicium. Emmanuelis Lalanii Ranſiaci marchionis Bruxellis obitus. Guilielmi Lalanii Hocſtratani itidem mors.* VI. *In Livonia irritum inter Joannem Suecum et Moſcum colloquium. Jamma arx a Theodoro deditione capta. Carolus Joannis Sueci frater cum Theodoro tranſigit. Niſoviorum infeſtae excurſiones quaſi inſtigantibus Polonis factae, ad Portam Othomanam*

indigniſſime acceptae. Samoſcius cum exercitu in limite comparet, et cum Turcico Moeſiae ſuperioris praetore agit. Eliſabethae Angliae interventu Poloni cum Turço reconciliantur. Graves in Pannonia et inſoliti terrae motus. Templum Bonnae ad Rhenum conflagrat. VII. *Caroli archiducis obitus.* VIII. *Sixti* v *mors. Plebis contra eum odium. Opera publica.* IX. *Jo. Bapt. Caſtanaeus, qui Urbanus* VII *dici voluit, in ejus locum ſuffectus, paucorum dierum pontifex: quo mortuo magnus comitiorum aeſtus fuit in ſucceſſore deligendo. Tandem Sfondratus, qui Gregorius* XIIII *dictus, poſt bimeſtre interregnum eligitur.* X. *Lucemburgici per interregnum datae ad cardinaleis graves literae: pari libertate ad Gregorium, quibus factionis Henoticae pernicioſa conſilia exagitabat.* XI. *Exulum per interregnum graſſationes. Alſonſus Picolomineus his ſe ducem praebet. Octavius Caeſius et Virginius Urſinus contra eos ducunt. Picolomineus captus tanquam latro ſtrangulatur. Fames Romae et in Latio.* XII. *Alſonſus dux Ferrariae ad urbem venit, et re infecta diſcedit.* XIII. *Veneti de Turcorum conſiliis veriti Cretam valido praeſidio firmant. Hier. Lipomani a Porta Othomanica revocati caſus. Bergomi et Brixiae proſpectum. Patavii Jeſuitae patres in ordinem redacti.* XIV. *Bellum inter Turcos et Perſas renovatum. Claſſis Turcica in Ponto Euxino inſtructa. Sinan relegatus, et Ferhates aemulus in primarii Veziris locum ſuffectus. Grandes penſitationes deſpotis vicinis ab Amurathe imperatae.* XV. *Tatari in Polonorum ſenatu admiſſi et auditi, de Coſacorum injuriis ſibi ſatisfieri petentes. Chriſt. Sborovius comitiorum decreto reſtituitur. Diſſidia inter Auſtriacos et Polonos componuntur, contracto inter Sigiſmundum regem et Annam Caroli archiducis filiam matrimonio. Boruſſiae Ordinum eluſa poſtulata. Cracoviae plebs contra Proteſtanteis inſurgit. Suecus parum proſpere res contra Moſcum gerit. Hanſeaticae ſocietatis conventus Lubecae celebratur.* XVI. *Res in Pleumoſiis et Germanica limite geſtae. Odetus Telinius libertati reſtituitur. Turnohuta arx aſtu intercepta: item Weſterloa. Zutfania a Mauritio deditione recipitur. Daventria poſt acrem verberationem dedita. Hulſta per Parmenſis abſentiam a Mauritio in poteſtatem redigitur. Neomagus ad deditionem compellitur. Legati a Caeſare de pace Coloniam conveniunt, et inde Bruxellas et Hagam tendunt.* XVII. *Anglorum ad intercipiendam Indicam claſſem improſperi primo congreſſus; poſtea clades penſata a Cumberlandio.* XVIII. *Joannis Friſiae comitis, et mox ſecuta Chriſtiani Saxonis ſeptemviri mors. Ejus morte res in Germania mutavere. Bernardus e Waldecenſium comitum familia ſub id deceſſit, epiſcopus Oſnabrucenſis, cui ſuffectus Phil. Sigiſmundus Brunſvicus.* XIX. *Literis clarorum virorum obitus; Jacobi Amioti, Ant. Chandei Sadeëlis, Hugonis Donelli J.C. Adolfi Metkerki, Victoris Giſelini, Antonii Carafae cardinalis, Laurentiae Strozziae, Henrici Gravii.*

Ex auctoribus,

Imm. Meterano, Caeſare Campana, Joanne Parvo, Friderici Perrenoti literis, D. Chytraeo, Antonio Cicarella, Mutio Panſa, Dominico Fontana, Franc. Lucemburgici literis, Actis publicatis, Antonio Ricobono.

LIBER

LIBER CENTESIMUS.

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

ANTE Parmenſis in Galliam expeditionem et per ejus abſentiam Philippi res in Belgio valde labefactatae ſunt. Ineunte anno [a] Snaterus, unus ex tribus qui [b] Neomagum praeſidio tenebant, tribunos aliquot Schenkii nuper mortui cum pecunia Arnhemo per Rhenum delabenteis intercepit. Exeunte demum Januario [c] Berka ad Rhenum Colonienſis ditionis oppidum, tandem omni ſpe ſuppetiarum praeciſa, poſtquam de miſerabili [d] Meurſii comitis auxilio venientis caſu, de quo ſupra diximus, cognitum eſt, Carolo Mansfeldio comiti deditum eſt, honorificis admodum conditionibus: nam praeſidiariis permiſſum, ut omnes cum armis et omnibus impedimentis ad pulſum tympanorum, ſignis explicatis, funibus accenſis et pilas in ore habentes exirent; et hactenus res proſpere in Belgio Philippicis ceſſere. Nam mox legio Hiſpanorum, cui Emmanuel Vega praeerat, nuper ex Friſia evocata, ob non ſoluta complurium menſium ſtipendia tumultuari coepit, [e] Curtraco occupato, dum oppidani duobus maleficis, qui Ordinibus militaverant, comburendis otioſi ſpectatores operam darent: poſtea et eadem licentia [f] Herentalium, Dieſtam, et Levam diripuerunt: vixque tandem placari potuerunt, propoſita in Galliam expeditione, cui gens quanquam avara, tamen decoris ad vanitatem cupida, ſtatim nomen dedit; et Meduanium, qui ob id ad Parmenſem venerat, ſe ſecuturam promiſit. Nam poſt Joannis Ricardoti ex Hiſpania reditum cuncta ad eam expeditionem, omiſſa omni Belgii cura, maturabantur: quam occaſionem Ordines et Mauritius Naſſovius, ſummus eorum tum creatus imperator, minime praetermittendam rati, et ipſi ſe ad bellum acrius quam antea gerendum accingunt; et cum regis ſucceſſus ad ſe pertinere arbitrarentur, ingentem bellici apparatus vim et c [g] librarum Francicarum CIↃ ad eum mittunt, cum honorifica legatione; quam Florus [h] Brederodius et Juſtinus [i] Naſſovius Zelandici maris praefectus obierunt. Eodem tempore Eliſabetha regina Angliae IIIICIↃ Anglorum, duce [k] Peregrino Willoughbeio regulo, et cc Francicarum librarum CIↃ opportuno pro tempore ſubſidio regem juvit.

II. ITA animatos Ordines ac foederatos felix ad Bredam in Brabantia conatus maxime confirmavit. Id oppidum Naſſoviorum patrimoniale ad [l] Meream amnem ſitum, III ab [m] Hocſtrata, VI a [n] Silva Ducis, VIII ab Antuerpia leucis, valde opulentum, et arce ſive palatio ab Henrico Naſſovio magnifice exſtructo conſpicuum. Arcem tuebatur Paulus Antonius, cui a [o] vetere lancea nomen, Edvardi veterani ducis, qui [p] Gertrudis-montem praeſidio tenebat, filius, cum c peditibus. In oppido erant v peditum Italorum cohortes, ducibus [q] Franciſco Vintimillio marchione, Caeſare Guerra, Dominico [r] Ripetta, Petro Hieronymo Gratiano, Jacobo Janſiliacio; praeterea LXX equites ex ala [s] Vaſtii marchionis, quibus praeerat [t] Tarlatinus Tifernas. Sic autem dolus inſtruitur, ex conſilio Mauritii. Navis, cui [u] Spei nomen, ceſpitibus paludoſo et ſpongioſo ſolo erutis, turbines vulgo vocant, quorum, propter ligni locis illis penuriam, ad comburendum frequens uſus eſt, in

ſuperficie

INTERP. [a] *de Snater.* [b] *Nimegue.* [c] *Rhinberck.* [d] *Meurs.* [e] *Courtray.* [f] *Herentals, Dieſt & Leewe.* [g] *Livres Tournois.* [h] *Floris de Brederode Sr de Cloetinghe.* [i] *de Naſſau Amiral de Zelande.* [k] *Peregrine Bertie baron Willougbby de Eresby.* [l] *Merck.* [m] *Hooghſtrate.* [n] *Boiſleduc.* [o] *Lancia-vecchia.* [p] *Gertruydenberg.* [q] *Marcheſe Franceſco di Vintimiglia.* [r] *Repetta, P. Girolamo Gratiani, & Giacomo Gianfigliazzi.* [s] *del Guaſto.* [t] *Tarlatino di Citta di Caſtello.* [u] *l'Eſperance.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

ſuperficie oneratur, et ex vicinis praeſidiis LXVIII delecti ſubtus occultantur, ducibus Joanne [a] Logerio, Matthaeo [b] Helto, Jo. [c] Fernelio, Gerardo [d] Prato; quibus omnibus praeerat Carolus [e] Heraugerius e nobilitate Cameracenſi, vir ſtrenuus & Mauritio valde fidus; cui additus Lambertus Carolus, homo manu promptus. A V Kal. Mart. ad V Non. ob varias difficultates, quae inciderunt, res dilata, non paulo infractis militum animis, quorum audacia impetu valida per moram langueſcebat. Sed Heraugerii conſtantia praevaluit, qui periculi comes cunctos ad perſeverantiam confirmabat. Igitur per canalem appulſa ad arcem nave, cum Hier. [f] Roſſius et David [g] Cremelius a Franciſco Maria [h] Craſſo miſſi, ut eam inſpicerent, nihil praeter turbines deprehendiſſent, et accepta a naviculario pecuniola maturius ad aleae ludum, quem aegre intermiſerant, revertiſſent; ſub veſperam rurſus ad turbines exonerandos, quantum ad uſum praeſidiariorum ſatis eſſet, mittuntur alii, qui ubi ad proximum latenti in inſidiis militi tabulatum pervenerunt, navicularius vino per jocum allato ſatis laborarum pronuntiat, et ulterius laborem in lunae diem differt. Navis ſive ob vetuſtatem ſive glacie quaſſata et aliquibus locis ruinoſa multum aquae trahebat, unde incluſus miles magna incommoda patiebatur, et plerique prae frigore tuſſi vexabantur; in iiſque unus repertus eſt tanti animi, qui cum tuſſim comprimere non poſſet, ſociorum periculum veritus, ultro gladium ad ſe interficiendum porrexerit. Itaque ne ſtrepitus murmurantium intus militum, et ſe detectos querentium exaudiretur, antlia crebro quaſi ad ſentinam exhauriendam a naviculariis agitabatur; crebriuſque demum agitari coepit, cum milites ex inſidiis perruperunt: quos ad rem ſtrenue gerendam confirmatos bipartito diſtribuit Heraugerius, et partem ducibus Lamberto et Fernelio praemittit ad ſtationem, quae verſus arcis portam excubabat: ipſe cum reliquis ad armamentarium per poſticum tendit, ſtationem ad portam ex adverſo urbis diſpoſitam petiturus. Heic detectis inſidiis primum certamen fuit, ſpeculatore ab Heraugerio ipſo occiſo; qui et ipſe in brachio a ſignifero egreſſo vulneratus, cum defenſores in ſtationem compuliſſet, ſcloppetis per tabulatorum foramina diſploſis: cum illi dedere ſe paratos oſtenderent, ob certum in colloquii mora periculum ad unum omnes caeduntur. Paulus Antonius ad primum tumultum in interiorem arcem ſe receperat, ex qua cum XXXVI delectis acrem eruptionem in alterum agmen, quod Lambertus et Fernelius ducebant, facit: eoque conflictu ipſe, et Fernelius graviter ſauciati. Sed tandem loco pulſus ad arcem cum paucis ſe rurſus recepit, et ſuperveniente Heraugerio ac tertia ſtatione ad majus propugnaculum caeſa ſe dedidit, vitam ſibi ſuiſque ſalvam pactus. Mauritius ſub id ex compacto cum Philippo Naſſovio, Solmenſibus comitibus, Franciſco [i] Hueſda rei tormentariae praefecto, Juſtino Naſſovio, Franciſco Veero, ac delectis copiis venerat: qui cum per portam arcis, quae campos reſpicit, aquis glacie concretis admitti non poſſet, per palorum ſeptum juxta cataractam, per quod navis appulerat, cum ſuis ingreditur: adventuque ejus territi, qui in oppido erant, praeſidiarii, cum diſcordarent ſententiis, et Tarlatinus equitem in viarum anguſtiis ad pugnam inutilem cauſaretur, fruſtra obteſtante eos [k] Vincentio Capra Vintimillianae cohortis centurione, ne quid nomine Italico et Parmenſis, qui eos tuendo loco tanti momenti impoſuerat, exſpectatione indignum admitterent, fuga trepida huc illuc dilapſi ſunt; parſque Herentalium, pars Antuerpiam petierunt. Jacturam ſocordia et ignavia Italorum acceptam non ſivit inultam Parmenſis; et Caeſarem Guerram, Tarlatinum, Gratianum comprehenſos Bruxellis extremo ſupplicio affecit.

Vintimillio

INTERP. [a] *Legier.* [b] *Helt.* [c] *de Fernel. Meteren le nomme de Fernez.* [d] *des Prez.* [e] *de Heraugieres.* [f] *Roſſo.* [g] *Cremel.* [h] *Graſſo.* [i] *Hueſda. Les autres Hiſtoires l'appellent Verdois.* [k] *Il Conte Vincenzo Capra.*

Vintimillio parcitum in Terranovani ducis, qui tunc Mediolano cum ſummo imperio praeerat, gratiam, quem ille proxima cognatione contingebat: tantum adempta ei cohors, et Caprae comiti attributa. Mauritius diffugientibus Italis urbem deditione in fidem accepit, duorum menſium ſtipendio ab oppidanis exſoluto. Miſſus et [a] Nootus ſtipatorum praefectus, qui aedes publicas, aliaque munita loca occuparet. Poſtea [b] Heraugerius expeditionis dux a Mauritio urbi praeficitur, et Lambertus Carolus primarius praeſidii centurio conſtituitur; cuſi et nummi in rei memoriam. Interea [c] Berka capta Carolus Mansfeldius Antuerpiam reverterat, qui cum delectis copiis, poſt amiſſam Bredam ſtatim a Parmenſi [d] Sevenbergam in [e] Mercae aeſtuario infra Bredam poſitum municipium mittitur, in ſpem recuperandae Bredae, et ad fraenandas Mauritianorum excurſiones. Municipium primo impetu citra certamen capitur, ſumma immanitate trucidatis praeſidiariis. Majus in [f] Nordae munitione paululum infra ſtructa negotium fuit, ad quam VIII Eid. Maias admota tormenta irrito conatu. Poſtea pons ſtratus, et navis inſtructa, cui propius admovenda tormenta impoſita ſunt. Sed aeſtu reciprocantis maris omnia rurſus disjecta, non ſine Mansfeldianorum jactura; et accepti interim intra munitionem CCC auxiliares, quorum praeſentia confirmati defenſores acrem hoſtium oppugnationem ſumma virtute ſuſtinuerunt, nave in aeſtuario ſtrata paene demerſa, et occiſis pleriſque, ac in iis majoris nominis ductoribus, Horatio [g] Fontana Mutinenſi, Jo. Franciſco Pagano Neapolitano. Graviter ſauciati Alexander [h] Caſarellus Romanus, et Horatius Galeotus Neapolitanus. Cum nihil proficeret Mansfeldius, munitionem ex adverſo ſtruxiſſe pro tempore ſatis habuit; qua CCCC praeſidio firmata in Geldriam, ubi Mauritius acriter bellum gerebat, deſcendere propere jubetur. Dum ſe ad iter accingit, Bredae praeſidiarii eruptione temere facta, in [i] Decium Manfredum Regienſem praemonitum inciderunt, a quo magna vi repulſi; et dum ad ſua ſe recipiunt, itinere a tergo interclufo male mulctati ſunt, incumbente in recedenteis Cornelio Gaſparino Lucenſi. Plus CXX in eo conflictu ex iis occubuere, ceteri vix fuga in oppidum ſalvi pervenerunt.

III. JAMQUE [k] Neomagus Sicambrorum ſeu Geldriae metropolis ad [l] Wahalim alterum Rheni brachium ſita arctius a Mauritio premebatur; quae fruſtra crepitaculis ad portam [m] Hezelam admotis tentata, jam aperta vi oppugnabatur. Eo Mansfeldius cum VII CIↃ peditum et II equitum profectus ineunte Junio in conſpectum obſeſſorum venit. Cum jam aliquoties pulſati muri, et S. Stephani turris diſploſis plus III CIↃ ictibus quaſſata eſſet, quod Mauritianos ab arctiore urbis obſidione paulatim revocavit; qui in proximo munitionem [n] Knodſenburgi nomine a contis ſcilicet in ea abſconditis, quibus Neomagenſeis tundendos ſignificabant, ſumma diligentia exſtruunt, eique Gerardum [o] Junium cum CCCC praeſidiariis et tormentis imponunt, Wahali provinciarum unitarum, quas Ordines tenebant, quaſi limite conſtituto, et ab exactionibus Hiſpanorum [p] Betuvienſi tractu liberato, tum à Bommelia inſula uſque ad [q] Teloneum Clivenſis ducis, ſive ad munitionem Schenkianam, de qua ſupra diximus, munita caſtra, ad impediendum navium auxiliarium appulſum: nam Mansfeldium, qui viribus impar in [r] Eburones interim conceſſerat, acceptis novis ſupplementis Wahalim tranſmittere ſtatuiſſe rumor erat. Eodem tempore Ordines novam navigationi viam invenerunt, foſſa per Betuviam infra Noviomagum a Rheno in Wahalim perducta, et

inferius

INTERPR. [a] *Vander Noodt.* [b] *de Heraugieres.* [c] *Rhinberck.* [d] *Zevenberghe.* [e] *Mercke.* [f] *Fort de Noordam.* [g] *Fontana Modeneſe.* [h] *Caffarelli & H. Galeotti.* [i] *Decio Manfredi Regiano.* [k] *Nimegue en Gueldre.* [l] *le Wahal.* [m] *de Hezel.* [n] *Knodſenbourg.* [o] *de Jonghe.* [p] *la Betuwe.* [q] *Tolhuys ou fort de Schenck.* [r] *le pays de Liege.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

inferius vallum firmiſſimum jecerunt, ita ut urbe eminus relicta per flumen hinc inde navigare poſſent, ejuſque foſſae et aggerum beneficio inferior Betuvia [a] Dordracum uſque firmior, et ab aquarum inundationibus illa averſione tutior redderetur. In inſula [b] Worna ſuper Bommeliam prope Herverdam a Solmenſi comite alia item munitio ſtructa eſt. Tot rebus ſumma ſolertiae ac virtutis laude adminiſtratis, meruit Mauritius, ut eum [c] Sicambri praefectum ultro ſibi deligerent, et Marco [d] Riae Varamboni Marchioni, qui Philippi nomine provinciae praeerat, opponerent. In proxima Friſia cum Franciſcus Verdugus a milite et pecunia laboraret, miſſus a Parmenſi Hermanus [e] Bergenſis comes cum XXII peditum tam Hiſpanorum, quam Belgarum ſignis, et V equitum turmis; quibus ſubnixus [f] Immentilium propugnaculum expugnavit; et inde caſtra ad [g] Nieuzielam promovit, non ſine occulto Groeningenſium libertati ſuae ab eo inſidiari querentium murmure. Contra [h] Wilhelmus Naſſovius ordinum nomine copias ſcribit, acceptoque a Mauritio per Eberſtenium comitem IↃ equitum ſubſidio, ad [i] Colum caſtra mutat, nullo alio operae pretio facto: tantum excurſionibus et praedis in proximam [k] Weſtfaliam, Monaſterienſem et Paterbornenſem dioeceſim, Colonienſem et Clivenſem ditionem utrinque ſaevitum; ſed maxime ab Hiſpanis, qui ſolemni a more ſuo tumultuantes, quod ex ſtipendio tot menſium ſibi deerat, ex publica provincialium clade ſarciri aequum ducebant. Id incidit ſub tempus, quo Parmenſis Philippi juſſu in Galliam profectus eſt, revocato ex Sicambris Carolo Mansfeldio, qui per ſuam abſentiam Petro Erneſto parenti praeſto eſſet. Is antequam e Geldria diſcederet, [l] Doddedaelam munitionem firmaverat, impoſito in eam [m] Boelio Amſterdamenſi; quem Mauritius, poſtquam aliquandiu Mansfeldium recedentem conſecutus eſt, ultimum ſemper agmen carpens, aeſtu deſiccata circum palude, qua defendebatur, ad deditionem ſine conditione compulit exeunte Julio. Boelius tanquam perduellis, quippe Batavus, capite luit; ceteri vita ſalva dimiſſi. In Brabantia paulo ante Bergo-ſomenſes et Bredae praeſidiarii excurſione facta [n] Geelam diripuerant, ante Antuerpiae portas ſummo cum oppidanorum pavore ſuperbe praetervecti: vaſtata et ſub id [o] Thiena. Menſe dein Sept. Mauritius cum delecta manu incedens, munitiones in Rheni et Moſae ripa ab hoſte ſtructas aggredi ſtatuit; capta Hemerta arx V Kal. Oct. et VI poſt diebus [p] Haela in Bommelienſi inſula; dein et [q] Burica ex adverſo [r] Weſaliae poſita. Eodem ſucceſſu victor [s] Graviae propugnaculum Weſalienſium Carthuſianorum coenobio in Clivenſi ditione inſigne; et mox [t] Luttekenovam arcem in dioeceſi Colonienſi vi expugnavit; quae poſtea a provincialibus recepta, iterum ab Anglis capta eſt. Inde in [u] Atuaticos deſcendens [w] Terheidam in Bredae aeſtuario nuper a Mansfeldio ſtructam cepit, ac demolitus eſt; nec non et Roſendaliam. Dein caſtra ad [x] Steenbergam poſuit, et oppidum deditione in fidem accepit, miſſiſque ad praedas per [y] Campiniam abigendas Bergae et Bredae praeſidiariis, Tilemonem vaſtum oppidum ſcalis admotis vi cepit; direptumque, quod ſervari non poſſet, deſeruit, militemque ſpoliis onuſtum in hyberna diſtribuit. Venloenſes, qui ad Moſam in Geldria habitant, cognito Ordinum progreſſu, Italorum et Germanorum praeſidium jampridem gravati, et jugum illud a cervicibus excutere cupientes, cum ſe viribus adverſus eos conjunctos viderent impares, hoc aſtu uſi ſunt; occultas ſimultates inter nationes ſtudioſe alunt; Germanos ab Italis ſperni, tanquam

INTERPR. [a] *Dort.* [b] *Iſle de Woorn prez de Herwerden au deſſus de Bommel.* [c] *les Gueldrois.* [d] *de Rie M. de Varambon.* [e] *le Comte Vanden Berghe.* [f] *le Fort d'Immetiel.* [g] *Nieuziel.* [h] *le Comte Guillaume de Naſſau.* [i] *Collum.* [k] *de Weſtphalie, Munſter & Paderborn.* [l] *Dodendael.* [m] *Boeille d'Amſterdam.* [n] *Geele.* [o] *Tillemont.* [p] *Chateau de Heyle.* [q] *Burick.* [r] *Weſel.* [s] *Grave.* [t] *Luttekenhoven.* [u] *Brabant.* [w] *Fort de Terheiden.* [x] *Steenberghe.* [y] *le Campigne al. Kempenlandt.*

tanquam ebrioſos vulgo in ſermonibus traduci; itaque commodiſſima illos hoſpitia ſibi ſumere, viliſſima Germanis ſordidae genti relinquere; eorumque gloriae paſſim obtrectare; ita factum, ut a conſciis perſuaſi Germani, ſi quid oppidani contra Italos molirentur, ſi non vires conjuncturos ſe, at tanquam neutros ad ſpectaculum ſeſſutos promitterent. Igitur condicta die oppidani, de Germanis ſecuri, arma capiunt, et inſeſſis plateis per praeconem, Italis, ut oppido tanquam oppidanis graves quamprimum excedant, poena mortis in non parenteis ſancita, edicunt; qui, ſe a Germanis deſertos videntes, conclamatis vaſis exeunt. Pulſis Italis, Germani ſoli adverſus oppidanos ſucceſſu inſoleſcenteis impares, et ipſi multis acceptis contumeliis exire coguntur. Actum id abſente [a] Butingio tribuno, Marchionis [b] Rentiaci vicario, qui tum ad ſtipendium accipiendum Bruxellas profectus fuerat. Dimiſſis injurioſe praeſidiariis, Venloenſes datis ad P. Erneſtum Mansfeldium literis factum excuſant, inſolentiam militis civitati liberae intolerabilem cauſati; de cetero in regis fide et ſua fore ſe promittunt. Eodem tempore [c] Lochemum Geldriae oppidum ad [d] Bercelam amnem ſitum, II a [e] Zutſania leucis, Hiſpani aſtu tentant, tribus carris foeno onuſtis, quos milites agreſtium veſtitu cum furcis hinc inde ſequebantur, introductis: ſed cum primus in ponte ſublicio tranſmiſſo ſub raſtro ſubſtitiſſet, dum cuſtodes manipulos foeni, ut fit, rapiunt, pede latentis militis tacto ſtatim proditos ſe clamantes arma expediunt. Milites in inſidiis latentes cum ſe ante tempus detectos viderent, viciſſim et ipſi carris exſiliunt, et obviam ſtationem trucidant; ſed ſuperveniente Franciſco [f] Ballochio primario centurione, antequam equitatus auxiliaris adveniſſet, extra pontem pulſi ſunt; Zutſanienſi centurione, qui expeditionis ſuſcipiendae auctor fuerat, in oppido deſiderato et ſepulto. In Eburonibus [g] Hovium eſt oppidum a cognomine amne rapidiſſimo et per imbreis admodum intumeſcente dictum, V a Leodico leucis, Moſa eum excipiente, et duabus partibus locum alluente firmum; in quo, ut Moſam in poteſtate haberent, Hiſpani munitionem exſtruxerant, eique cum C praeſidiariis [h] Grobbendoncum praepoſuerant; qui obſeſſus, cum nullam auxilii ſpem videret, tandem vitam ſalvam pactus deditionem fecit, relictis impedimentis, et ingenti praeda, quam ex vaſtato circum agro collegerat. Diverſa parte Mauritius cum III CIↃ peditum et CIↃ equitibus in Pleumoſios deſcendit, Dunkerkam tentaturus; de qua ſcalis noctu admotis intercipienda Nic. [i] Metkerkius Adolfi praeſidis filius conſilium ceperat: ſed vento adverſo cum nimia mora et varia impedimenta interponerentur, re detecta conatus evanuit. Expoſito tamen milite per terram, ad eum locum, quem deſtinarant, expeditionis duces venerunt, Solmenſis comes, Veerus, et ipſe Metkerkius; ſinguli leviter vulnerati. Sexto poſt die Oſtendae praeſidiarii [k] Oldenburgum, quod a CCCC tenebatur, ex inſidiis capiunt, captumque diripiunt et incendunt. Tum ne Mauritianorum ad litus illud appulſus omnino infructuoſus eſſet, V naveis egregie armatas, quas ſecum duxerant, ulterius progredi jubent, ſi quas forte hoſtileis in noſtro litore deprehenderent. His cum ſummo imperio praeerat [l] Cloierus et Caleſius ejus legatus, Everardus item [m] Bontius, et Petrus [n] Loeſtenius, qui ingentem navem CC amphorarum ab Andrea [o] Braneatio Villario, qui [p] Franciſcopolim foederatorum nomine in tractu [q] Ebroicano tenebat, inſtructam cingunt, et magna vi oppugnatam, poſt obſtinatum certamen, capiunt; accenſoque forte igne, dum victor praedae intentus periculum negligit, tota navis cum captivis conflagravit, vix XII ex iis ſalvis. Id in Eid. Oct. incidit.

IV. Dum

INTERPR. [a] *Meteren l'appelle Benting.* [b] *Renty.* [c] *Lochem.* [d] *Berckel.* [e] *Zutphen.* [f] *Ballochi ſergent major.* [g] *Huy al. Hoey au Liege.* [h] *Grobbendonck.* [i] *Meetkercke.* [k] *Oudenbourg.* [l] *les capitaines Clover & Cales.* [m] *de Bont. Meteren l'appelle de Bout.* [n] *Leynſen.* [o] *de Brancas de Villars.* [p] *Havre de Grace.* [q] *en la coſte de Normandie.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

IV. DUM haec ultro citroque geruntur, crebrae populorum aſſiduis excurſionibus in limite Germanico vexatorum ad principes ſuos querelae pervicerunt, ut conventus Ordinum Rhenani et Saxonici tractus [a] Coloniae Ubiorum indicerentur; ubi Weſtfalici, et Clivenſium ducis delegati auditi, de injuriis Verdugi, et Emmanuelis Vegae in [b] Monaſterienſi ditione, et [c] Bentemenſi comitatu, Caroli Mansfeldii in [d] Juliacenſi principatu et [e] Lippenſi comitatu, Jo. Manrici Larae in Colonienſi dioeceſi acceptis expoſtulationem inſtituerunt; nec non et adverſus Ordines, qui exercitibus ſuis hinc inde reducendis graviſſima damna vicinis inferant; cum nihil impetraretur, praevalente Philippi et ejus partibus addictorum favore, alter conventus Francofurti ad Moenum indicitur. Interea delegati ad Parmenſem, et unitas, quas vocant, Provincias mittuntur, cum mandatis, ut munitiones in Rhenano tractu bello hoc ſtructas et occupatas deſtrui et reſtitui utrinque peterent, ad fluminis depraedationes arcendas; alioqui proximo conventu conſtitutum iri, ut ſi qua pars reſtitutionem facere recuſarit, Imperii ſumptibus ad imperata facienda cogantur. Cum Bruxellas veniſſent, et tantum verba a Philippicis retuliſſent, inde ad Ordines tranſeunt, et Hagae auditi ſunt Eid. Sextil. expoſitiſque mandatis, ab Ordinibus IX Kal. Oct. poſt honorificam praefationem et gratias delegatis actas reſponſum fuit; praecipue ſibi dolere, quod belli in Belgio excitati occaſione vicini vexentur, ſed potius deplorandos, quam accuſandos propterea Ordines: quid enim mirum ſi, Hiſpanorum et iis factione conjunctorum conſiliis, graſſante paſſim per Belgium armorum incendio, ſcintillulae quaedam in proxima tecta evolent? Atqui id contra edicta, placita, et diſciplinam militarem ab iis ſancitam fieri, quae bello civili ardente vix ac ne vix quidem exacte ſervari poteſt. Itaque veniam dandam ſibi juſtam cauſam foventibus, ac non pro ſua tantum, ſed communi vicinorum ſalute laborantibus; alioqui diriſſimum cunctis jugum ſubeundum; nam quid Saracenica ſervitute, atque adeo Maranica inquiſitione, quam Hiſpani religionis obtentu invehere conantur, liberis hominibus intolerabilius? Quid impium magis, quam verbi divini uſum eripere ac legendum prohibere, ejuſque loco mera ſimplicibus anathemata obtrudere? Concilium ſanguinolentum, novas judiciorum formulas, ipſum inquiſitionis tribunal magno Chriſtianae libertatis diſpendio conſtituere? jam cunctos videre, quo iſta pertineant; nimirum, ut omnia jura, privilegia, libertates, immunitates, ſtatuta, leges aboleantur, et tot annorum monarchia illa, de qua tot in Germania olim excitatae querelae, conſtituatur. Eo ſpectare novorum epiſcoporum in Belgio aliquot ante annos creationem, coenobiorum antiquorum ampliſſimis vectigalibus in eorum alimoniam deſtinatis, tot proceres et optimates aut per calumnias aut alia inſtituta tyrannis ratione oppreſſos. [f] Neapolitanum regnum, [g] Mediolanenſe imperium, [h] Granatam, Indias jam cunctis exemplo eſſe, quid alii ſibi polliceri, quid metuere debeant, ſi ſub jugum Hiſpani mittantur: eo conſilio Antonium Portugalliae regem ab iis regno ſpoliatum; Angliam et Scotiam toties per machinationes tentatam; nunc et Hiberniam ab iiſdem vexari. Sed manifeſtiſſime nunc ambitionem ſuam prodere Hiſpanos, cum regnum Franciae invadunt, et Gallis liberum eſſe dicunt legitimo regni heredi palam armis reſiſtere: at enim hoc eſſe laeſae majeſtatis crimen, quod tam invidioſe Belgis improperatur, cum tamen illi, pro conſcientiarum libertate ſupplices, nihil, niſi extrema neceſſitate victi, contra regiam majeſtatem moliti ſint. Quapropter iniquum eſſe, ut pro pacis publicae violatoribus, et alieni appetentibus habeantur. Nam quod de Schenkiana munitione objicitur, jam

INTERPR. [a] *Cologne.* [b] *Munſter.* [c] *Bentheim.* [d] *de Juliers.* [e] *de Lippe,* [f] *de Naples.* [g] *de Milan.* [h] *Royaume de Grenade.*

Jam ſatis oſtenſum, eam in Geldriae ſolo magnis Ordinum ſumpribus a M. Schenkio exſtructam eſſe, eoque defuncto, majoribus quam ſtructa fuerat ſumptibus, ne in hoſtium manus deveniret, ab Ordinibus ſervatam; non ad vicinorum injuriam, ſed ad prohibendas excurſiones. Neque tamen obſtinate pugnaturos Ordines, ſi idoneae rationes ſecuritatis illis locis conſtituendae aliunde ineantur, quin de ea Clivenſium duci ſatisfiat: ſed durum videri ſibi ad ſervanda ſua non licere, quod Hiſpanis ad aliena invadenda per illos, qui de Ordinibus conqueruntur, licet. Nuper [a] Gocham et Reeſam ab iis callide tentatas neminem ignorare, neminem queri. Neque vero ipſos id primum auſos: nam quod Gebbardus [b] Truchefius Colonienſis ſeptemvir fecerit, id jure ſuo feciſſe, neque ejus facti invidiam Ordinibus imputari debere. Ipſi quidem pro communi libertate ſuppetias tuliſſe Ordines, injuriamque, quantum in ipſis fuit, ab ejus capite prohibuiſſe minime inficiari; non propterea depraedationibus et excurſionibus bellum illud conſecutis cauſam dediſſe merito dici poſſe: [c] Lutckenhovam et Buricum arces a ſe nuper in Colonienſi ditione captas, ſed non tam eas a ſe occupatas, quam hoſti, qui eas occupaverat, per vim ereptas eſſe; et Ordines paratos, cautione idonea accepta, illas dominis reſtituere. Interea excuſandos, ſi, neceſſitate urgente, dum libertatem publicam tuentur, interdum vicinis moleſti ſint: quanquam id raro et parce admodum fieri, quippe diligenter numerato per ſingulos menſeis militi ſtipendio; quod minime hoſtes faciunt, qui plerunque totos menſeis in alieno ad ſatiandam eorum ingluviem militem alunt, et immorari magno provincialium detrimento patiuntur. Excuſandas pariter, quas ad belli tam neceſſarii onera ſuſtinenda impoſuerunt, novorum vectigalium exactiones, quibus ſublatis imperii diſſolutionem ſequi neceſſe ſit: ſed habere viciſſim quae ipſi ab imperii principibus ac civitatibus demiſſe petant, nimirum ut [d] Meurſiae comitis nuper defuncti bona [e] Walburgae ejus viduae violenter contra conſtitutiones ac jura ſacri Imperii erepta reſtituantur, et viri de ſe optime meriti uxori in gratiam ſuam ſatisfiat. Cum Nicolaus [f] Linkius urbis Coloniae ab epiſtolis inſtaret, ut ipſa pro neutra ab Ordinibus haberetur, ipſi quidem aſſenſerunt; ſed ea lege, ut Colonienſis ſenatus apud archiepiſcopum et ſacri collegii ſodaleis inſtaret, ut de bonis Walburgae ab iis injuſte occupatis gratificari dignarentur. Non eadem cum Leodicenſibus moderatione actum, quibus ab Ordinibus exprobratum, quod Hiſpanis in ſuo receptum darent, annonam large praeberent, eorum epiſcopus arctam cum Philippo amicitiam coleret, religioni Proteſtantium addictos male mulctarent, eorumque, qui Ordinibus militabant, bona annotarent, ac in fiſcum redigerent; cum contra hoſteis nefanda quaecunque patranteis impunitos dimitterent, et favore inſolito proſequerentur. Itaque quanquam amicitiam antiquam cum iis colere et ſervare minime recuſarent Ordines, tamen ob eas cauſas, antequam quidquam decernant, amplius deliberandi ſpatium popoſcerunt. Tandem cum Leodicenſes ſe neutros in poſterum fore pollicerentur, idoneeque ita facturos caverent, eadem conceſſa gratia, ut cum Batavis per Bredam perſoluto teloneo libere commercium exercerent; niſi quando ab Herentalii et Dieſtae praeſidiariis Italis illac excurrentibus ſpoliarentur. Quanquam de locis nuper occupatis paratos ſe ſatisfacere oſtenderent Ordines, Joannes Philippus comes Eberſtenius, qui Mauritio militabat, Gebbardi Truchefii auſpiciis interea in Weſtfaliam deſcendit, vaſtatoque circum agro, [g] Schonvlietam et Wanbecam in Monaſterienſi dioeceſi cepit ac diripuit, Weſtfalis ac Colonienſibus XVIII CIↃ, epiſcopo Paterbornenſi XI CIↃ talerorum imperavit,

INTERPR. [a] Goch & Rees. [b] Truchſes. [c] Luttekenhoven. [d] Meurs. [e] Walpurg. [f] Linck. [g] Schonvliet & Wambeck.

CIƆ IƆ XC. HENRICUS IV. imperavit, et grandem ſummam ab epiſcopo [a] Monaſterienſi emunxit. Quod in cauſa fuit, ut Rodolfus Caeſar Maximiliani patris veſtigiis inſiſtens in familiae Auſtriacae gratiam, graviora metuens, pacificationem Colonienſem ante XII annos inchoatam urgeret; et quanquam Ordines ſe excuſarent, et ut inutili operae ſuperſederet, orarent, quippe non bona fide, nec ſincere Hiſpanos in hoc negotio verſari, et pacem fucatam ac palliatam ab iis offerri, idque ſibi conſtare ex literis Gulielmi a S. Clemente ad Philippum nuper interceptis, oſtenderent; tamen ab incepto minime deſtitit, et delegatos miſit, qui negotium toties tractatum cum aliis principum delegatis retractarent.

V. ITA hic annus in Belgio exactus, qui ultimus Philippieis, primus Ordinibus ad rempublicam ordinandam fuit. Nam ab eo tempore, verſis Hiſpanorum in Galliam armis, Ordines animis et opibus crevere, porroque majores progreſſus fecere; et cum antea ſatis haberent, ſi ſe ab externa vi defenderent, ultro Hiſpanos deinceps oppugnare coeperunt, ac vicinis tandem provinciis expulere, terra marique in obſidionibus ac pugnis ſtatariis fere ſemper victores, Belgis, qui regium nomen tuebantur, frementibus: qui patrias opes in alieno temere invadendo occupari, interimque propria deſeri ſummae imprudentiae eſſe dicebant; paremque canibus Aeſopicis exitum Hiſpanos, bello hoc ambitioſe ſuſcepto, habituros augurabantur, qui, cum pelleis mari innatanteis cernerent, ut eas devorarent, impetum ceperunt maris ebibendi; ſed prius accidiſſe, ut nimio potu rumperentur, quam ad pelleis perveniſſent. Alteri et cani Aeſopico rurſus eos comparabant, qui, cum carnem inter natandum ferret, ſimulachrum ſuum in aquis veluti in ſpeculo cernens, aliamque praedam ab alio ferri putans, rapere dum cupit, aviditate deceptus, quod tenebat ore dimiſit, nec quod petebat attingere potuit. His certe argumentis, ut ex literis ejus, cum in regiis caſtris eſſem, interceptis animadverti, Fridericus Perrenotus [b] Campaniacus Granvellani cardinalis frater, vir ſumma prudentia, et erga patriam caritate praecipua, cui de republica ſemper cum Joanne Ricardoto controverſia erat, per procuratorem ſuum apud Philippum inſtabat, ut a belli Gallis tam alieno tempore ferendi conſilio, ſibi probroſo et Belgis damnoſo deſiſteret. Quem enim alium finem fore, niſi ut Batavis inde confirmatis, inde Anglis infeſtis Belgium hoſti ad invaſionem et praedam pateat, et Philippi opes ac potentia in cauſae, ſi non iniquae, at ſaltem invidioſae defenſione inutiliter conſumantur? Nam procul dubio Gallis, ubi odiis ac ſimultatibus inter ſe cum mutua pernicie defuncti fuerint, ſubituram poenitentiam, et homines ingenii velocis depoſita ad tempus odia adverſus Hiſpanos mox inſita levitate reſumpturos, priſtina Francici nominis caritate ob oculos obverſante, et pudore paulatim furori ſuccedente. Idem monuerant et antea Philippum, cum poſt Joannis Auſtrii mortem de ſocietate cum Guiſio ineunda in arcano deliberaret, Gaſpar Quiroga cardinalis [c] Toletanus et Petrus [d] Faſciardus Veleſii marchio, et infructuoſum adverſus Galliam conatum, ac cum Belgii periculo conjunctum fore affirmaverant; ſicuti jam ſupra demonſtravimus. Sed odio caecus alioqui prudentiſſimus princeps maluit fortunarum ſuarum in bello incerto periculum facere, quam committere, ut veteres injurias a nobis, ut aiebat, acceptas ulciſcendi occaſionem tam opportunam praetermiſiſſe videretur. Igitur occupatis Hiſpanorum in Gallia armis ac conſiliis, cum omnia in Belgio ſecure, ac perperam magna cum popularium jactura adminiſtrarentur, Ordines fortunae beneficio utendum rati, per otium res ſuas ordinarunt, leges novas condiderunt, aerarium inſtituerunt, et certo numero delectus

INTERPR. [a] *de Munſter.* [b] *de Champigny.* [c] *Archeveque de Tolede.* [d] *de Fajardo marquis de Velez.*

delectus recenſuerunt. Militia autem eorum omnino XX CIↃ peditum et II CIↃ equitum conſtabat, quibus, ex pecunia per collationes provinciis vicinis imperata, et novis vectigalibus, ſtipendia procedebant. Praeterea ab Angliae regina CCC florenorum CIↃ extra ordinem in peditem et equitem, quem in Belgio alebat, juxta pacta cum Ordinibus inita, quotannis erogabantur, et ſingulis bimeſtribus Brielae et Vliſſingae praeſidiariis CXXV CIↃ et CCLXX floreni ab inſtitoribus ex aerario ſuo numerabantur. His opibus ac viribus Batavia & Zelandia duae ex XVII Belgii provinciis ſubnixae, ſe non ſolum tanto bello gerendo, quod jam totos XIV annos, cum haec ſcribo, cum Hiſpanis habent, ſed ad potentiſſimum hoſtem in Belgio debellandum pares praebuerunt. Opulentiam tantam his regionibus conciliat commercium frequens ob portuum opportunitatem, et provincialium toto orbe celebratum [a] lanificium, telarum lini, ſerici textrinam, phrygioniae artis induſtriam, ſoli fertilitatem, ſalis, butyri, caſei, haleci ſaliti ac fumigati copiam immenſam, ex quibus extra provinciam exportatis plus CC florenorum CIↃ ad eam ſingulis annis redeunt. Sed nulla re magis opulentia earum colligi poteſt, quam ex immanibus ſumptibus, qui in [b] aggerum et collium arenoſorum, quibus ſe adverſus maris inundationem tuentur, conſtructionem facti ſunt. Nam Zelandicarum inſularum ambitus cum [1] milliaria quadraginta complectatur, et in ſingula milliaria radii CIↃCCCC, in ſingulos radios pedes XII computentur, pes autem V florenis aeſtimetur, ſequitur ut tota illa ſtructura IↃ LX CIↃ [c] libris Flandricis, hoc eſt, ter decies centies CIↃ CCC LX CIↃ florenorum [1] olim conſtiterit; quod in tranſitu dixiſſe ſufficiat. Paulo poſt Parmenſis in Belgium reditum Emmanuel [d] Lalanius Montinius Rentiaci marchio ex vulnere ad [e] Corbolium accepto ad [f] Montes Hannoniae deceſſit; vir militari laude primatius, et qui olim Ordinibus egregiam operam navaverat. Eodem tempore et fatis conceſſit ex eadem familia Gulielmus Lalanius [g] Hocſtrati comes, Antonii, qui Arauſionenſis partes primis hujus belli initiis ſecutus fuerat, filius. Is Mariam Chriſtianam Amurathis Eemondani Bruxellis capite plexi filiam, prius Odoardo [h] Bornonvillae Capraſio Henini comiti, ex quo filium ſuſtulerat, elocatam, in uxorem duxerat, ex qua filius patri ſuperſtes natus eſt.

VI. NEC aliae ad ſeptentrionem poſitae regiones hoc anno motibus caruerunt. Joannes Suecorum rex cum Moſco tranſacturus legatos Januario ineunte Narvam miſerat, Nicolaum Bielkium & Guſtavum Bannerum Livoniae praefectum. Dum Suecici cum Moſcis colloquuntur, oſculo crucis interpoſito, nihil tempore colloquii hoſtile alterutram partem molituram, allatum eſt de villa Jammenſi, eodem die, quo illi crucem oſculati eſſent, a Ruſſorum praecurſoribus direpta et incenſa. Quod licet ſe conſciis factum negarent, et nihilominus ut in colloquio pergeretur, inſtarent, tamen mox cognito, ipſum Theodorum Moſcorum principem cum exercitu C bellatorum CIↃ adeſſe, utrinque diſceſſum eſt. Suecici Narvam redierunt. Moſcus [i] Jammam arcem IV a Narva milliaribus obſeſſam dedentibus ſe praeſidiariis recepit, et fidem deditis ſincere ſervavit. At legati, Jamogroda capta, cum ſe minime Narvae tutos exiſtimarent, paucis peditibus et equitibus, quibus Carolus Henrici filius praeerat, in ea relictis, Weſenbergam cum

INTERPR. [a] *Manufactures de laine, de toiles, de ſoye & tapiſſerie.* [b] *Digues & dunes.* [c] *Livres de gros de Flandre.* [d] *de Lalain Sr de Montigny marquis de Renty.* [e] *Corbeil.* [f] *Mons en Hainaut.* [g] *Hooghſtrate.* [h] *de Bournonville Sr de Capres Comte d'Henin.* [i] *Jamogrod.*

NOT. [1] Quarante lieues en ſon circuit, chaque lieue contée pour 1400 verges, chaque verge de 12 pieds couſte 10 livres de gros de Flandre ou 60 florins; par ainſi chaque lieue coute bien 14 mil livres de gros ou 84 mil florins, de ſorte que toutes les levées de dehors contre leſquelles la mer bat ont couſté 3360000 florins. *Put.*

CIƆ IƆ XC.
HENRICUS IV.

cum exiguis, quas penes ſe habebant, copiis concedunt, et propter aſperitatem hyemis, nullis auxiliaribus adventantibus, alioqui viribus contra tantum hoſtem impares, diu deſederunt. Miſſi a [a] Boriſſovio Theodori filio, [b] Gudenofio exercitus Ruſſici imperatore, ad Suecos inſequendos Tatari, qui ad [c] Purtium uſque amnem x a Narva milliaribus recedentium veſtigiis inſiſtentes, Jo. [d] Meidelum et Othonem Wrangelium nobileis Livonos, cum rhedis et parte impedimentorum ceperunt; retroque ad ſuos converſi [e] Allentaciam totam direptionibus et incendiis vaſtarunt. Pars eorum et in Finlandiam effuſa, vacuam omni praeſidio regionem nacta, aliquot hominum millia in triſtiſſimam captivitatem abduxit, domibus incenſis et pecoribus paſſim abactis. Moſcus cognito Suecos, per colloquium Joannis cum Sigiſmundo filio ſuperiore anno celebratum, cum Polonis conveniſſe, tot regum conjunctam potentiam veritus cum Tataris [f] Crimeis ſoedus icerat, adjecto donativo L CIƆ Hungaricorum, ut in Ruſſiam Poloniae infeſto agmine deſcenderent, et Polonum in Podolia propria occupatum, ad ſuppetias Sueco Moſcos ex Livonia oppugnanti ferendas averterent. Interea Moſcus ad Narvam caſtra ponit pridie Non. Feb. promotiſque tormentis inuſitatae magnitudinis muros pulſat, edita xxx orguyarum locis duobus ſtrage. Tum obſeſſis edicit per Meidelum nuper captum, ut locum mature et arces Ruſſicas dedant; cum recuſarent, oppugnatio acris facta, in qua plerique ex obſeſſis cecidere; ceteri vero vulnerati ad munia militaria inutiles redditi ſunt. Tamen pulſus vallo occupato hoſtis: ſed circonſtantibus Carolum praefectum praeſidiariis et oppidanis, qui ſuperſtites erant, et nullam in defenſione, exiguam in promiſſis auxiliis ſpem ſubeſſe oſtendentibus, petitur colloquium, datique utrinque obſides; a Moſco [g] Ignatius Tatiſſovius, et [h] Druſina Penſelinus cancellarius venerunt, et cum Carolo in tentoriis juxta Ivanogrodam tranſegerunt, his conditionibus; ut quae in Caroli poteſtate eſſent, [i] Ivanogroda, ſive Narva Ruſſica, et [k] Coporia reſtituerentur, Narva Livonica penes Suecum ſoluta obſidione remaneret. Induciae uſque ad Nonas Jan. inſequentis pangerentur, quo tempore inter reges amplius de pace agi poſſet. Secundum haec claves Ivanogrodae Penſelino cancellario traduntur, cum arce et IV majoribus tormentis, quae [l] Pontius Gardius in ea repererat. Poſtridie, hoc eſt, III Kal. Mart. Theodorus ovans inſolita pompa urbem ingreditur, rheda lignea, in qua caminus erat, et quam non equi ſed homines trahebant, vectus; de cetero veſte candida auro intertexta amictus, nec plus nocte Narvae commoratus, in Ruſſiam deducto ex Livonia exercitu, abiit. Tulit id indigniſſime Joannes Suecus, ubi nuncius ad eum perlatus eſt; continuoque Carolo fratri reconciliatus, cum exercitibus contra Moſcum ad recuperanda nuper amiſſa deſtinatis ſummo cum imperio praeficit: tentata irrito conatu Narva, tum milites in hyberna diſtributi. Ut Sueci et Poloni conjunctio merito Moſcis ſuſpecta fuit, ſic Poloni cum Auſtria familia, cui cum Turcis capitalia odia intercedunt, contracta adfinitas graviſſimas apud Portam Othomanicam offenſiones peperit, ex inſolentia Niſoviorum, qui et Marteloſſi et Uſcoci et Coſaci vocantur, ut alias diximus, ad [m] Boryſthenis et Tyrae oſtia impune diſcurſantium auctas: hi enim in Turcicas naveis onerarias, quae Polonicae amicitiae fiducia ſecurae ad Euxini ponti litus ſtationem habebant, impreſſione facta, merces cunctas, quas vehebant, diripuerunt. Cum tamen id excuſaret Paulus [n] Uchanſeius Palatinus [o] Belſenſis, qui tunc [p] Byzantii oratoris munere fungebatur, quaſi rege inſcio et invito a publicis

graſſatoribus

INTERPR. [a] *Boriſſow Federowitz.* [b] *Gudenoff.* [c] *Purtz al: Pluſa.* [d] *Meidel & Wrangel.* [e] *Alentakia.* [f] *les Tartares de la Crimée.* [g] *Ignace Petrowitz Tatiſſow.* [h] *Druſina Penſelin.* [i] *Iwanogrod.* [k] *Coporie.* [l] *Pontus de la Gardie.* [m] *Nieper & Nieſter r.* [n] *Uchanzki.* [o] *de Belz.* [p] *Conſtantinople.*

graſſatoribus factum, diſſimulata pro tempore injuria eſt, quam regis amicitiae Amurathes remiſiſſe ac condonaſſe videri volebat. Sed paulo poſt Belſenſis Byzantii obiit, et Nicolao [a] Ziſovio collegae de mandatis, quae a Turcis ille habebat, ad comitia referendi cura incubuit. Eo vix dum digreſſo, [b] Niſovii rurſus ad Tauricam uſque [c] Cherſoneſum excurrentes majore quam antea petulantia et immanitate ſaevierunt, praedis abactis et pleriſque interfectis. Qua re ultra modum exacerbatus Amurathes non amplius diſſimulandum ratus, purpuratis mandat, ut copiis quamprimum collectis impetum in Poloniae fineis facerent: eodemque tempore Tataris jam a Moſco ob eandem cauſam ſolicitatis imperat, ut ferro flammaque limitem Polonicum depopulentur. Nec ſegniter homines praedae avidi juſſa faciunt, exercitum Turcicum, ut ſoli rapto potirentur, antevertentes, varioque eventu cum Polonis in limite certarunt. Tandem cum praeda et captivis onuſti ad ſua reverterentur, a Niſoviis iiſdem, qui depraedationi cauſam dederant, ad Boryſthenem omnino ſunt profligati, ipſorum imperatoris fratre in proelio deſiderato. Ad Tyram interim Turcicus [d] praetor in Moeſia ſuperiore eventum opperiens ſedebat; ad quem Jo. Sarius [e] Zamoſcius exercituum Polonicorum imperator ſtatim ſcribit, de foedere violato expoſtulans, et utrum amicus, an hoſtis veniſſet, quaerit. Praetor contra, Amurathem a pace cum Polonis ſervanda non alienum reſpondet, ſed turbandae ejus cauſam Coſacos dediſſe, illatis ultro damnis, quae impunita minime manere et dignitatis ſuae et publicae ſecuritatis interſit. Igitur ante omnia eos ſupplicio affici, et arces nonnullas in limite, ad quas receptum habent, dirui oportere: quae ſi fiant, non videre, cur Turci cum Polonis priſtina amicitiae jura non ſervent. Ad has conditiones aliae duae adjectae, de tributo annuo, et ut in electionibus novi regis Turcicus legatus ſuffragii jus deinceps habeat: quae Ziſovio referente in Warſaviae comitiis pridie Eid Mart. cum recitata eſſent, Zamoſcius occaſione inde arrepta periculum, quod a Turco cum Perſa jam pacem habente immineret, in majus extulit, et Niſoviorum temeritate ac petulantia, quos imprudenter a quibuſdam non ſolum excuſari, ſed foveri; ii autem erant, qui gloriae ipſius obtrectabant, haud occulte innuebat, multis verbis exagitata, per eos fore dixit, ut juxta Stephani ſapientiſſimi regis augurium graviſſimis periculis ac bello tandem Turcico, niſi mature coërcerentur, regnum Poloniae implicaretur. Atqui nihil magis ipſis vitandum: proinde ejuſdem Stephani adeo de ſe bene meriti monitorum recordarentur, qui omnia reipublicae conſilia, cunctas publicas actiones, commentationem quandam belli Turcici eſſe debere aiebat; et dum pax erat, belli neceſſitatibus praevertentes, cuncta ad bellum neceſſaria in tempore ſibi compararent. Tenuit viri praepotentis auctoritas, ut armorum Turcicorum fragore ad aureis cunctorum perſtrepente, graviores quam antea regno exactiones impoſitae ſint, delegatique qui eas exigerent, et fiſco inferrent. Sed poſtea, fama de Turcorum apparatibus ſenſim evaneſcente, complures e proceribus frigidam Zamoſcio ſuffundentes, cum renovatum cum Perſis bellum aut intellexiſſent, aut artificioſe ſpargi curaſſent; [f] Colae in generali conventu ad imminuendam ſeu regis, ſeu Zamoſcii auctoritatem decernunt, ut exactiones imperatae ceſſante belli cauſa revocarentur, et delegatis ad eas cogendas poteſtas abrogaretur. Poſtea cognitum, Anglicum oratorem egregiam ad conciliandos cum Amurathe Polonos operam navaſſe; eamque ob cauſam Sigiſmundus, literis XI Kal. Sept. ſcriptis, prolixe reginae gratias egit. Hos caſus multa prodigii loco praeceſſerunt; in [g] [1] Pannonia quippe ſuperiore, Marcomannis,

INTERPR. [a] *Ziſowski.* [b] *Coſaques.* [c] *Cherſoneſe Pontique.* [d] *Beglerbeg de Walachie.* [e] *Zamoyſki.* [f] *Colo.* [g] *Auſtriche.*

NOT. 1 Chytræus, d'où ce lieu eſt pris, met Auſtriche, Moravie, & Boheme.

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

[a] Marcomannis, [b] Boiis horribili terrae motu ſolum tremuit. Viennae ad Danubium multae aedes labefactatae, turris S. Stephani ita quaſſata, ut ad vitandam ruinam de faſtigio deſtruendo conſilium capi neceſſe fuerit. Templum coenobii Scotorum et diverſorium proximum multis oppreſſis corruit. [c] Canifianum caſtellum in finibus Pannoniae magna ex parte, obrutis pleriſque e praeſidiariis, repente prolapſum eſt. Haud procul a Vienna Auſtriae agri tetrum odorem exhalarunt, et ſolum pleriſque locis conſtratum locuſtis fuit, quae pedibus conculcatae peſtifero foetore cuncta repleverunt. Prodigii et loco habitum incendium, quo [d] Bonnenſe templum ad Rhenum, olim ab Helena in Caſſii, Florentii, aliorumque Thebaeorum martyrum honorem conſtructum, die Jacobi feſto hora pomeridiana conflagravit; nam turris fulmine icta cum ignem concepiſſet, plumbum, quo culmen templi conſtratum erat, igneo calore liquefactum ſtillare paſſim per foramen coepit, et ne ad incendium reſtinguendum oppidani accedere poſſent, prohibuit; interea major pars miſerabili incendio conſumpta eſt.

VII. SUB id Carolus Auſtriae archidux Ferdinandi I filius, Maximiliani II Caeſaris, et Ferdinandi archiducis frater Kal. Quintil. deceſſit, effoeto admodum corpore, quanquam L aetatis annum minime egreſſus, ſuſceptis ex Maria Bajoara, Annae ſororis filia, uxore, nam id in Auſtriaca gente jam familiare eſt, XV liberis; inter quos Ferdinandus, Maximilianus epiſcopus Paſſavienſis, Leopoldus, qui poſtea jure a Carolo cardinali Lotaringo ceſſo de [e] Argentinenſi epiſcopatu cum Jo. Georgio Brandeburgico controverſiam movit, et Carolus; V filiae, Anna quae Sigiſmundo Sueco Poloniae regi, Margarita quae Philippo III Hiſpaniarum regi, Maria-Chriſtiana quae Sigiſmundo Batorio [f] Daciae principi poſtea elocata eſt.

VIII. NEC multo poſt Sixtus V pontifex, qui ſive de belli contra regem exitu in Gallia male ominatus, ſive quod opes tanto ſtudio congeſtas in alias expeditiones deſtinaſſet, nihil toto calamitoſae adeo Pariſienſis obſidionis tempore foederatis commodaverat, cum quatuor ante menſeis febricula per intervalla tentari coepiſſet, neque negotia tamen intermiſiſſet, ac raro decubuiſſet, vino nivem ſemper infundens, demum XIII Kal. Sept. qui in Saturni diem incidebat, gravius habuit; et cum remittente morbo ſurrexiſſet, et inquiſitionis congregationi interfuiſſet, tandem nono poſt die, ingraveſcente malo, extrema unctione procuratus ſub veſperam expiravit, annos natus LXX, cum ſummum magiſtratum annos V, menſeis IV, dies III tenuiſſet; tanto plebis odio, ob intolerabiles exactiones et nôva impoſita tributa, ut vacante ſede concurſus ad evertendam ſtatuam ei vivo a S. P. Q. R. in capitolio erectam factus ſit; quod occaſionem decreto dedit, quo ſancitum eſt ut ſi quis privatus, aut in dignitate conſtitutus de ponenda vivo pontifici ſtatua mentionem deinceps faceret, in perpetuum infamis et publicorum munerum expers eſſet. Corpus defuncti nocte inſequenti ex hortis [g] Quirinalibus, ubi deceſſit, lectica in baſilicam S. Petri devectum eſt, humilique tumulo ad tempus conditum; unde poſtea a cardinali Montalto ex ſorore nepote in S. Mariae majoris templum ſplendidiſſimis exequiis tranſlatum, et in ſacello, quod vivus Sixtus ſibi ſtruxerat poſtremo ſepultum fuit. Plura, majoraque, quam quiſquam deceſſorum ſuorum fecit; quae, famae ad vanitatem uſque cupidus, tam brevi ſpatio, partim laude partim admiratione digna, praeter ea, quae memoravimus, geſſit, breviter heic colligi pretium videtur, ab operibus publicis ducto initio. Obeliſcum ingentem juxta [h] S. Rochi fanum olim poſitum, hoc eſt, in mauſoleo Auguſti, ab ipſo Auguſto Romam advectum et ſoli conſecratum, quod antiqua inſcriptio oſtendit, multis partibus fractum

INTERPR. [a] *Moravie & Boheme.* [b] *Baviere.* [c] *Caniſe en Hongrie.* [d] *Egliſe de Bonne.* [e] *de Strasbourg.* [f] *Tranſilvanie.* [g] *Monte Cavallo.* [h] *S. Roch.*

ſractum refici, et inde magno labore ac ſumptu tranſlatum ante S. Mariae majoris baſilicam erigi juſſit. Alios et duos obeliſcos ruinis obrutos et in circo maximo olim poſitos literis hieroglyphicis inſcriptos, multis partibus itidem fractos, artificioſiſſime refici curavit. Prior a Conſtantino imperatore advectus, quo majorem nullum Romae fuiſſe memorant, in [a] area S. Joannis in Laterano, alter ad S. [b] Mariae in via Flaminia poſitus, et cuncti S. Cruci conſecrati. In S. Mariae majoris templo ſacellum, in quo et conditus eſt, morti proximus inſanis ſumptibus ac feſtinatis operibus aedificavit, et ſummi artificii ornamentis decoravit; [c] quo et S. Dominicum praeſepe, quod ſumma veneratione Romae colitur, tranſtulit. In eodem templo ſepulchrum Pio V, a quo in cardinalium collegium cooptatus fuerat, beneficii memor magnificum ſtruxit, corpuſque ejus ex baſilica S. Petri magna pompa intulit. Duas columnas admirandi operis ingenti artificio elaboratas, quarum altera Trajani res in [d] Dacia geſtas marmore ſculptas habet, altera Antonino Pio dedicata erat, et res ejus auſpiciis a M. Aurelio ejus genero contra [e] Marcomannos geſtas itidem continebat, inſtaurari, et in priore B. Petri, in altera B. Pauli ſtatuas ex aere conflatas et inauratas ſtatuit. Duo item equi inſignes e Pario marmore, ſed injuria temporis ac coeli admodum mutilati, qui falſis inſcriptionibus Phidiae et Praxitelis nomina praeſerunt, in monte Quirinali rara artificum induſtria refici juſſit, et palatium in colle illo, quo pontifices per nimios aeſtus ob aeris ſalubritatem ſecedere conſueverunt, ampliavit, aſſignato CC [f] Helvetiis praetorianis in eo hoſpitio; ampliſſimas item aedes in [g] vinea ad S. Mariae majoris exſtruxit, ad S. Joannem in Laterano [h] Xyſtum picturis egregie ornatum et palatium capaciſſimum, multis excipiendis principibus idoneum, a fundamentis excitavit, longitudine qua obeliſcum ab eodem poſitum reſpicit, CCCXL palmorum, latitudine, qua ad S. Mariae majoris baſilicam vergit, CCCXXXVII palmorum, altitudine CXXXVII, in quo et cunctis cardinalibus cubicula deſtinarat; in quibus cum ad S. Joannem ſacrum fieret, aut conſiſtorium haberetur, commode diverſari poſſent. Ad has fabricas magnam attulerunt commoditatem marmora, quae in [i] ſeptizonio Severi, quod vocant, ejus juſſu ex terrae viſceribus eruta ſunt, inſigni illa mole vetere ad novorum aedificiorum conſtructionem omnino deſtructa. Praeterea ad utilitatem publicam in capite [k] Juliae plateae ex adverſo [l] Sixtini pontis ampliſſimum [m] valetudinarium excipiendis mendicis, invalidis ac mutilatis, in quo bis mille homines commode eodem tempore habitare poſſunt, inſtruxit, et XV CIↃ aureorum proventu dotavit. Ad redimendos captivos inſtitutae ſocietati III CIↃ aureorum annuorum aſſignavit. Ad prohibendas item excurſiones piraticas claſſem X triremium [n] Centumcellis inſtruxit, in ejuſque ſumptus, ut [o] Ancona ac Picenum, [p] Flaminia, [q] Umbria, [r] Bononia, Roma ipſa, [ſ] Latium, patrimonium [t] S. Petri in Etruria, [u] Firmana ditio, Aſculum et Fortunae fanum LXXVIII CIↃ aureorum quotannis conferrent, diplomate ſanxit; in earumque refectionem praeterea XXV CIↃ aureorum addidit, quae ex Beneventano vectigali, Romae monopoliis, et ſacri Ordinis collatione ſupplerentur. Annonae et proſpexit, et publico diplomate CC aureorum CIↃ annua ex ſua parſimonia, ut in eo habetur, ad eam deſtinavit, hortatus ſucceſſores ſuos ne quid ex ea ſumma detraherent, ſed potius augerent. Aquam Martiam ex agro [v] Columnenſi purgato fonte et reſtitutis formis in urbem per XXII milliarium ſpatium via [w] Praeneſtina deduxit, eamque de ſuo nomine, quod ante pontificatum habebat,

INTERPR. [a] *Plate de S. Jean de Latran.* [b] *Piazza della Chieſa de S. Maria del Popolo.* [c] *Capella del Preſepio.* [d] *Tranſilvanie, Walachie & Moldavie.* [e] *Moravie & Boheme.* [f] *Suiſſes de la garde.* [g] *alla ſua vigna che è a canto a S. Maria Maggiore.* [h] *Galerie.* [i] *Settizonio.* [k] *in capo alla Strada Giulia.* [l] *Ponte Siſto.* [m] *Hoſpital.* [n] *Civita Vecchia.* [o] *Marca d'Ancona.* [p] *Romagna.* [q] *Ducato di Spoleto.* [r] *Bologna.* [ſ] *Campagna di Roma.* [t] *Patrimonio di S. Pietro in Toſcana.* [u] *Fermo, Aſcoli & Citta da Fano.* [v] *una terra chiamata Colonna.* [w] *Paleſtrina.*

CIↃ IↃ XC.

Henricus IV.

habebat, [a] Felicem appellavit, expenſis in illud opus CCLXX ducatorum CIↃ, ex quibus XXV CIↃ [b] Martio Columnae loci domino numerata ſunt: ex ea rurſus fontem pulcherrimo opere derivatum in [c] Quirinalem collem, qui antea aquae penuria laborabat ſub [d] area S. Suſannae juxta thermas Diocletianas: in [e] Palatinum item, [f] Coelium, et [g] Viminalem collem deducendum curavit. Vias inſuper complures in urbe munivit, quarum duae extra Laurentii portam incipiunt, prior ad S. Mariam majorem ducit, altera pontificis vineam ab uno latere claudens ad thermas uſque Diocletianas excurrit. Tertiam his addidit, quae ducto a S. Maria majore initio ad S. Marci palatium porrigitur. Quartam omnino novam aperuit, de ſuo nomine [h] Felicem vocatam, quae a [i] baſilica S. Crucis Hieroſolymitanae incipiens ad S. Mariam majorem extenditur, atque inde ad [k] S. Trinitatis templum in monte procurrit, ulterius producenda ad portam uſque [l] Flaminiam bis CIↃ IↃ paſſuum ſpatio, tanta latitudine, ut quinque carpenta juncta ſimul caperet: quintam a S. Joanne Lateranenſi ad [m] Titi amphitheatrum perductam aperuit; ac ſextam a porta [n] Salaria incipientem ad viam [o] Piam perduxit. In Vaticano novum palatium inſtituit. Ambulacrum a Leone X, Pio IV, Gregorio XIII depictum perfecit. Ac poſtremo baſilicam S. Petri operis admirandi aedificium, auxit, ornavit, ac paene conſummavit; nave ejus ad exitum perducta. Tum cochlides ſcalas in palatio pontificio nobiliſſimas ſtruxit, per quas ſecreto in Gregorianum ſacellum deſcenditur. In eodem Vaticano theatrum gradibus marmoreis diſtinctum, olim ad ſpectacula ludicra a Pio IV ſtructum, ſublatis gradibus in uſum bibliothecae tranſtulit, aedificio ad CCCXVIII palmorum longitudinem, in latitudinem ad LXIX porrecto; quod et excellentis artificii picturis ornavit. Quae omnia libro ſingulari deſcripſit et explicavit [p] Mutius Panſa, ex quo curioſis petere licet, quae heic plenius expoſita lectori fortaſſe faſtidium parerent. Eam bibliothecam poſt Hebraicam a Moyſe, Chaldaicam a Daniele, Graecam a Piſiſtrato, Alexandrinam a Ptolemaeo Evergeta, Romanam a Tarquinio Superbo primum, dein ab Auguſto, Hieroſolymitanam a B. Alexandro epiſcopo Decii temporibus, Caeſarienſem a Pamphilo martyre inſtitutam, a B. Petri, qui ſacrorum librorum theſaurum in eccleſia Romana aſſervari juſſit, ſucceſſoribus in ipſis naſcentis eccleſiae primordiis inchoatam, pace eccleſiae reddita Laterani inſtitutam; a poſterioribus pontificibus in Vaticanum tranſlatam; a Nicolao V auctam, a Sixto IV inſigniter excultam, Sixtus veſtibulo ſpatioſo ampliatam, cubiculis circum et infra ad uſus eorum, qui loco ſerviunt, ſcalis, porticibus, ac toto aedificio a fundamentis excitato, ſubſelliis, pluteiſque directis, cum ante loco obſcuro et inſalubri ſita eſſet, in hunc editum ac perlucidum locum extulit, ut in altera tabularum marmorearum, quae in ea cernuntur, inſcriptione notatum eſt, in altera, ſanctione addita, qua libros, codices, volumina, inde auferendi, extrahendi, aliove aſportandi cunctis cujuſcumque ordinis ac dignitatis ſint, bibliothecario, cuſtodibus, ſcribiſque facultas omnis, niſi ſummi pontificis conceſſu adimitur: qui ſecus fecerit, aut libros clepſerit, carpſerit, corruperitve dolo malo, a communione fidelium ejectus, et diris devotus intelligatur, neque ab ullo niſi ab ipſo pontifice abſolvi poſſit. Haud procul hinc in Vaticano et typographiam inſtituit Sixtus, ex qua veterum patrum et aliorum auctorum libri variis linguis ſcripti elegantioribus characteribus expreſſi in publicum prodirent. Cui rei praefecit Dominicum Baſam, eique ad neceſſaria comparanda ex aerario XX CIↃ ducatorum numerari juſſit, quae ille non prius quam poſt decennium camerae pontificiae reſtituere teneretur. Haec

Romae

INTERPR. [a] *Aqua Felice.* [b] *Martio Colonna.* [c] *Monte Cavallo.* [d] *Piazza di S. Suſanna.* [e] *Monte Palatino où eſt le Palazzo Maggiore.* [f] *Celio où eſt S. Jean de Latran.* [g] *Colle Viminale où eſt l'egliſe de San Lorenzo in Paniſperna.* [h] *Strada Felice.* [i] *Chieſa di S. Croſe in Gieruſalemme.* [k] *la Trinité du Mont.* [l] *Porta del Popolo.* [m] *il Coliſeo.* [n] *Porta Salara.* [o] *Strada Pia.* [p] *Mutio Panſa.*

Romae magnis ſumptibus ab eo ſtructa ſive inſtituta; [a] Bononiae vero ſcholam CIↃ IↃ XC.
ſtudioſis ex [b] Piceno, in quo primam lucem hauſerat, oriundis inſtituit; in qua prae- Henricus IV.
ter eos, qui ſcholae ſerviunt, xxx juvenes literis operam dantes ex publico ale-
rentur. Et ut urbem ditionis pontificiae primariam beneficio poſteritati non obli-
viſcendo demeteretur; aquas dulces in veterem urbem, quibus maxime opus ha-
bebat, derivari curavit. [c] Lauretum civitatis jure donavit, locumque moenibus cinx-
it, tranſlato in eam a Recanatenſibus epiſcopatu; ac templum B. Mariae virgini re-
ligione frequens ſplendidiſſimum erexit, multiſque donariis et ornamentis decora-
vit. In Monte-alto, quae illi patria erat, et nomen dedit, civitatem epiſcopi titulo
ornatam exaedificare coepit, ad eam amplificandam monte inſanis ſumptibus et nuſ-
quam intermiſſis operis exciſo. [d] Pomptinas paludes opus a multis fruſtra tentatum
juxta Terracinam deſiccare, nec non et [e] Clanianas in Etruria eodem tempore inſtitit;
et tantos conatus exitu non carituros initio ſpes fuit. Nec inter poſtrema ejus opera
recenſeri debet pons inter [f] Borgetum et Otriculum in [g] Sabinis exſtructus, quo
Tiberim conſtravit. In quibus omnibus opera Dominici [h] Fontanae architecti inſig-
nis, qui et ea libro luculento deſcripſit, uſus eſt. Cetera, quae nunc addam,
magis ad pietatis ſtudia et civilem adminiſtrationem ac mores ſpectant. [i] Didacum
a Compluto dictum, quod in ea urbe maxime claruerit, in arce B. Nicolai dioe-
ceſis [k] Hiſpalenſis in Baetica natum, obſcuris adeo parentibus, ut ii, ſicut dies natalis
ejus, ignorentur, aſtrictiorem B. Franciſci regulam profeſſum, anno CIↃ CCCC LXIII
pridie Eid. Nov. mortuum, referente M. Antonio Columna cardinali, qui teſti-
moniis de vitae ejus ſanctitate colligendis delegatus fuerat, in numerum ſanctorum
retulit. Idem antea Philippus et Carolus ejus filius, dum in vivis eſſet, enixe a
Pio IIII, et Gregorio XIII petierat, nec impetraverat. Tandem res anno hujus
ſaeculi XXCVIII ſolemni ceremonia in B. Petri baſilica peracta. Cumque in ea
actione primum ſibi locum deberi orator Hiſpanus contenderet, quippe cum Dida-
cus natione Hiſpanus potiſſimum ad Hiſpaniae regnum pertineret, Joannes [l] Vivo-
nus Piſanius Gallici nominis ſtudioſiſſimus praefracte reſpondit, peractis quae Hiſpa-
no pro ratione muneris facienda erant, aut ſacello exiret, aut locum inferiorem
occuparet. Cum inſtaret Hiſpanus, ut hac vice loco ſummae gratiae id ſibi conce-
deretur: perhumane Piſanius retulit, id ſe libenter conceſſurum, hac lege, ne ul-
lum propterea praecedendi praerogativae praejudicium fieri intelligeretur; et Hiſpa-
nus orator, qui ne ſe Francico inferiorem cogatur agnoſcere nunquam illuc ſolet
accedere, proximo, quod pontifex habiturus eſſet, ſacello praeſens adeſſet, et infra
ſe ſederet. Cum negaret Hiſpanus, a contentione verborum res, paulum abfuit,
ad arma devenit, vixque interventu moderatiorum tumultus his conditionibus com-
poſitus eſt, ut Hiſpanus orator ſacello exiret, Petrus Deza cardinalis ejus munere
fungeretur, eaque faceret, quae legatus feciſſet, Piſanius priſtinum locum retineret.
Pleraſque etiam novas feſtivitates Sixtus induxit, ut praeſentationis B. Mariae virginis,
Sanctorum [m] Franciſci Paulani, Nicolai [n] Tollentini, Antonii Patavini, Januarii
epiſcopi et ſociorum martyrum, Petri martyris, ac poſtremo Placidi, et Eutychii ac
Victorini cardinalium ejus fratrum, Flaviaeque ſororis, quos in calendarium Roma-
num referri voluit. Anno ſalutis IↃ XLI cum ii Placidum fratrem ſuum S. Bene-
dicti regulam profeſſum, ac Meſſanae degentem, viſuri in Siciliam veniſſent, Ma-
muca Abdalae Saracenorum regis legatus, acerrimus Chriſtiani nominis oppugnator,
eum

INTERPR. [a] *Bologna.* [b] *della Marca.* [c] *Loretto.* [d] *Ciccarelli met le Palude Pontine & quelle delle Chiane.* [e] *Marais que fait la r. Chiana en Toſcane.* [f] *Borghetto & Utricoli.* [g] *la Sabine.* [h] *Fontana.* [i] *San Diego de Alcala de Henares.* [k] *Sevilla en l'Andalouſie.* [l] *de Vivone marquis de Piſany.* [m] *S. François de Paule.* [n] *da Tolentino.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

cum claſſe ex Africa ſuperveniens eos intercepit; et cum fidem veram ejerare recuſarent, exquiſitis cruciatibus tortos crudeli morte affecit, praeclaram martyrii coronam conſtantia ſua promeritos. Fruſtra ante diu veſtigata corpora eorum, cum adhuc ignorarentur, tandem in purgandis ruderibus baſilicae S. Joannis a Caeſare Minutolo et Silveſtro Maurolyco abbatibus ad id delegatis forte reperta ſunt; ob idque ingens laetitia Meſſanae excitata, et ſupplicationes publicae decretae: quas Sixtus auctoritate ſua firmavit, et memoriam ſanctorum illorum intermortuam renovavit, diplomate ea de re confecto Eid. Nov. anno CIↃ IↃ XXCVIII. In quo mirari ſubit, quod de Juſtiniano magno additur, qui epiſtola ad Vigilium pontificem arctą ſe cum Placido cognatione conjunctum profeſſus ſit, et narrationis adeo incertae publico ſcripto fidem fecerit. Auxit admirationem ipſa epiſtola, ſicuti a Philippo [a] Gotho equite Meſſanenſi in libro de inventione ſanctorum corporum, et pompis in translatione eorum factis edita eſt, et [b] Caſſioenſis chronici ſupplemento ſcilicet deprompta; quam ſuppoſititiam eſſe et ſtylus arguit et temporum ratio evincit. Nam quomodo Abdala Saracenorum rex ante aut circa tempora Juſtiniani vixiſſe potuit, cum Mahometes Saracenorum imperii fundator, qui diu ante Abdalam ſectae peſtiferae virus ſparſit, temporibus Heraclii, ad quem a Juſtiniano LX plus minus anni intercedunt, primum apparuerit, hoc eſt, anno IↃC XXII? Thomas autem [c] Fazellus diligentiſſimus rerum Sicularum ſcriptor, non ſolum nullam Placidi et ſociorum mentionem facit, ſed Flaviis Heracliis Conſtante et Conſtantino imperatoribus, et Vitaliano I ſedem Romae tenente, Saracenos claſſe praepotenteis primum Chriſtianae ditionis loca infeſtaſſe ſcribit, facto a Rhodo et Cycladibus in [d] Aegeo mari initio, C amplius a Juſtiniani obitu annis: quod et vidiſſe illuſtrem eccleſiaſticorum annalium ſcriptorem poſtea animadverti, qui Saracenos in Gothos, et Abdalam ſeu Mamoeam in Theudim, ne omnino hiſtoria de Placido pereat, fruſtra transformare conatur. Atqui multa hujuſmodi abſurda, et veritati hiſtoriae repugnantia a devotis et religioſis, excitandae in ſimplicium animis pietati, olim excogitata, ſeu credita, ut in vitis ſanctorum, extare minime inficias ierim, quae ſine offenſione tranſigi poſſint; ita hodie, cum diſcuſſis ignorantiae tenebris per ingeniorum et literarum claritatem lux veritati affulſit, incerta pro veris tradi, et accedente pontificis auctoritate in eccleſiam invehi, ad juvandam religionis cauſam, nunquam conducibile exiſtimavi: praeſertim cum hi novi cultus ex earum rerum numero ſint, qoibus prudenter omiſſis, nihil eccleſiae auctoritati et catholicae unioni detrahatur; temere aſſertis, non ſolum calumniandi occaſio iis, qui a nobis diſceſſerunt, ſed etiam multis, qui adhuc nobiſcum ſunt, juſtiſſimae plerunque offenſionum cauſae praebeantur. Eodem anno Sixtus S. Bonaventuram ex Franciſcano ordine, [e] Balneo-regio in Etruria natum, qui anno Chriſti CIↃ CC LXXIIII [f] Lugduni deceſſit et ſepultus eſt, quo eodem et Thomas Aqoinas ex hac vita migravit, jam pridem inter ſanctos a Sixto IIII itidem Franciſcano olim relatum, ordini ſuo ac profeſſioni majorem ex ea re auctoritatem conciliare cupiens, eccleſiae doctorem pronuntiavit, et beatis Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio papae, quintum adjunxit, ac omnia ejus ſcripta undique conquiſita et adprobata [g] Conſtantii Sarnani ex eodem ordine cardinalis ſtudio ac cura edi, et tanquam canonica ſine cenſura admitti voluit. Orationem in eam rem habuit pridie Eid. Mart. Mauritius [h] Breſſius Seguſianus, qui mathematicas artes apud nos antea magna ſolertiae laude interpretatus; tunc relicta patria linguam Graecam Romae pontificis ſtipendiis profitebatur. Alia praeterea multa novavit ac decrevit

Sixtus;

INTERPR. [a] *Gotho.* [b] *du Mont Caſſin.* [c] *Fazello.* [d] *l'Archipelago.* [e] *Bagnarea.* [f] *Lyon.* [g] *Coſtanzo Sarnano.* [h] *Breſſius du pays de Forez.*

Sixtus; [a] ſacella pontificia, quae in ſolo Vaticano haberi antea mos invaluerat, primis magiſtratus ſui auſpiciis per varias eaſque primarias urbis baſilicas celebravit. Aſtrologiam judiciariam ut deteſtandam omnino prohibuit: inſigne de cardinalibus diploma promulgavit, aequata eorum regibus ac principibus dignitate; ac definito numero, ut non plus LXX eſſent, tantumque in Decembri jejunio juxta Clementis VI conſtitutionem crearentur: quam tamen conſtitutionem aliquoties ipſe violavit, Gulielmo Alano Lancaſtrenſi, et Jo. Franciſco Mauroceno Veneto extra ordinem creatis. Congregationes item eorum XV inſtituit. Cumque antea urbs tota in XIII urbis regiones eſſet, in XIIII eam dividi voluit, ſuburbio, in quo Vaticanum eſt, addito. Charitates proprias ſupra modum dilexit: Camillam ſororem homini vilis ac foedae conditionis primo nuptam, cujus propterea nomen ignorari voluit, cum multi induſiis lavandis olim vitam toleraſſe meminiſſent, poſtea comitatu regali per urbem deduci partim indignati, partim admirati ſunt. Ex ea nepotes II ac totidem nepteis dignitate et opibus invidioſe auxit. Nam Alexandrum puerum mox cardinalem creavit, aſſignato C aureorum CIↃ proventu; Michaelem ampliſſimis poſſeſſionibus ditavit, [b] Montaferia ditione in Subalpina provincia paulo ante mortem empta CC aureorum millibus a Joanna [c] Coema Contii principis uxore, quae illam ex Ludovici prioris mariti bonis ad ſe filiaſque ex eo ſuſceptas devolutam poſſidebat. Sed numeratione non ſecuta res exitum minime ſortita eſt. Nepteis duas Flaviam et Urſinam duobus Romae primariis regulis ac familiarum ſuarum principibus in matrimonium collocavit, ac M. Antonio Columnae, praeter pecuniam in dotem datam, CCCC ducatorum CIↃ mutua ad aes alienum diſſolvendum ex aerario ea lege numerari juſſit, ut intra certum tempus ſine uſuris camerae pontificiae reſtitueret. Inter tantos ſumptus magnitudinis animi ejus teſteis, mira ejuſdem parſimonia ſeu avaritia fuit; qua in iis faciendis et ſimul ingentibus theſauris condendis uſus eſt. Nam inde menſae et alios domeſticos ſumptus intra privati modum coercuit, inde vectigalia publica praeter modum auxit, omnibus officiis, quae vocant, quaeque prius vendi non ſolebant, venalibus propoſitis, et XXXV novis tributis magno ſuorum onere excogitatis. Tamque aſper ac diligens in eorum exactione fuit, ut cum aureis apertas ad omnium querelas haberet, voces de tributis et eorum coactoribus incredibili cum ſaevitia plebem vexantibus querentium non libenter audiret. Ita toto ſuo principatu auri immenſam vim cumulavit: ac primo quidem anno decies centena CIↃ aureorum coegit, in S. Angeli arce aſſervanda; decrevitque, ne minimam ejus ſummae partem expendi aut erogari fas eſſet, niſi ob Terrae Sanctae recuperationem, aut generalem contra Turcas expeditionem; ac ne tunc quidem, niſi poſtquam exercitus mare trajeciſſet, et litus hoſtile tenuiſſet. Item ob peſtem maxime contagioſam, aut graviſſimam famem, atque extremam annonae anguſtiam: aut ſi civitas quaedam ab eccleſia defeciſſet; aut provincia aliqua, ne ſub infidelium vel eccleſiae inimicorum jugum deveniret, periclitaretur; quod ipſe ſe obſervaturum religioſe juravit, et, ut ſucceſſores ſui idem ſe facturos ſacramento interpoſito promitterent, ſanxit. Tertio dein anno parem ſummam in arcem S. Angeli itidem inferendam curavit; poſtea ter decies centena aureorum CIↃ praecedentibus adjecit, in eoſdem uſus, nec aliter expendenda: hoc nihilominus addito, ſi de regni alicujus ab inimicis ſanctae Romanae eccleſiae occupati recuperatione ageretur, ad eum uſum conditiones ſupra memoratas porrigi poſſe. Quod Hiſpanis jam tum erga eum male affectis ſuſpicandi occaſionem praebuit, quaſi de bello pro regni Neapolitani, ſi quidem mors Philippi in ipſius pontificatum incidiſſet, recuperatione ſuſcipiendo cogitaret. Itaque concitati adverſus eum in urbe concionatores,

INTERPR. [a] *Capelle Pontifice.* [b] *Montafier en Piedmont.* [c] *Coeme.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

concionatores, qui muneris obliti et cultus, quem ſupremae poteſtati debent, omiſſa divini verbi promulgatione, ſiniſtra de ſtatu rerum in Gallia et incertos rumores ad populum ex ambone recitabant, et ſuper iis habenas orationis laxabant, oblique perſtricta pontificis ignavia et ſecordi avaritia, eumque ita paulatim in odium adducebant. Cui malo, jam adoleſcente ſactione, ubique ſerpenti ut occurreret Sixtus, per Hieronymum [a] Ruſticucium cardinalem, tanquam vicarium generalem, Romanaeque curiae judicem ordinarium, proponi edictum curavit XVI Kal. Quintil. quo prohibentur concionatores, ſuſpenſionis a munere ſuo adjuncta poena, de rebus ullis, praeterquam ad pietatem et charitatem, ac in religionis verae doctrina inſtructionem pertinentibus in concionibus ſuis agere; inſuperque graviſſimae poenae ſtatuebantur adverſus eos, qui in colloquiis privatis de hujuſmodi rumoribus altercantes, quod jam frequenter in urbe accidebat, rixas [a] excitabant.

IX. MORTUO Sixto et peractis novendialibus precibus itum in conclave eſt more ſolito. Et cum per continuos ſex dies crebra de M. Antonio Columna mentio fuiſſet, ſubortis repente difficultatibus ſumma votorum concordia cuncti in Jo. Baptiſtam [b] Caſtaneum cardinalem conſenſerunt; et dilata nihilominus in diem ſequentem electione eum pontificem renuntiarunt XVII Kal. Oct. decima octava, poſtquam ſedes vacaverat, die. Is nobili familia ortus Romae natus Coſmo patre Genuenſi, matre [c] Riccia Romana, puer juri civili ac pontificio ſedulam operam navaverat, et tractandis negotiis eum parem ſe oſtendiſſet, ad concilium Tridentinum a Pio IV miſſus, deinde in Hiſpaniam orator legatur, ac poſtea Venetias, quo tempore Henricus III ex Polonia rediens regnum patrium repetebat. Extra ordinem quoque orator poſtea miſſus eſt [d] Coloniam Ubiorum, ut negotio de pace, quod a Leodienſi epiſcopo inter Philippum et Ordines Belgii tractabatur, intereſſet, et pontificiam auctoritatem interponeret; inde reverſus in cardinalium collegium a Gregorio XIII cooptatur; quo defuncto, cum Sixto viam, de qua modo diximus, a [e] S. Crucis Hieroſolymitanae baſilica ad S. [f] Mariam in via Flaminia recto tramite perducere deſtinanti aſſiſteret, futuri pontificatus omen accepit: ſiquidem pontifex cum de opere conſummando deliberaret, ſive deſperaret, ad cardinalem S. Marcelli converſus, hanc tu viam aliquando perficies: et cum paulo ante mortem coenanti pyra allata eſſent, uno atque altero ſectis et putrefactis intus repertis, faſtidienti ſimilis dixiſſe fertur, non jam pyris ſed caſtaneis opus eſt, ſe per pyra, quippe [g] Piretium antea vocatum et pyra in inſignibus ob id geſtantem, innuens, et per caſtaneas ſucceſſorem deſignans. Novus autem pontifex Urbanus dici voluit; prima ejus vox plena moderatae prudentiae fuit. Nam cum amiculo byſſino, quod ex ſubtiliſſimo ac proinde leviſſimo lino textum erat, indueretur, mirari

VAR. LECT. [a] excitabant. Nec contenti Hiſpani, Sixtum dum viveret, exagitaſſe, et ad exhauriendos theſauros, a quibus ſibi metuebant, in bellum Gallicum per proteſtationes convitioſas ſollicitaſſe, etiam in mortuum injurioſam ultionem exercuerunt, ſiniſtris de eo toto orbe per libellos, quorum exempla in manus meas inciderunt, ſparſis rumoribus: nimirum eum cum hoſte generis humani, quicum illi, ut aiebant, per vetitas artes arcta intercedebat jam a multo tempore familiaritas, conveniſſe: ut ſi ejus ope pontifex crearetur, et ſex annos ſedem teneret, iis exactis ipſius ſe viciſſim tantum beneficium dantis arbitrio permitteret. Ita Sixtum electum toto quinquennio Romae graſſatum eſſe, tot rebus geſtis quae humanum captum et imbecillitatem ſuperant. Cum vero ante tempus ſuperveniſſet ille, et aegrotanti in occulto apparuiſſet, fidem datam repoſcens: Sixtum improbitatem repoſcentis increpuiſſe, et ſupereſſe adhuc annum reſpondiſſe. Tum illum aurem excipienti vellicaſſe ac monuiſſe; memor eſſet adoleſcentis pontificatus initio ad mortem contra leges, quod anno minor eſſet juſſu ſuo damnati, cui annum de ſuis largitus eſſet; qui ſi id ad quinquennium adderetur, tempus ſex annorum a ſe promiſſum exſpiraſſe, neque proinde ante diem de fide data ipſum interpellare: quibus auditis Sixtum confuſum, cum quid reſponderet non haberet, obmutuiſſe, et averſa in lecti ſpondam facie, ſe ad mortem cum horrifico conſcientiae morſu compoſuiſſe: haec ut ab Hiſpanis jactata ſunt, ita trado, quorum fides penes ipſos ſit. Mortuo Sixto MSS. *Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Ruſticucci.* [b] *Caſtagna.* [c] *di Caſa Ricci.* [d] *Cologne.* [e] *Chieſa di ſanta Croce in Gieruſalemme.* [f] *S. Maria del Popolo.* [g] *le Pere Peretti.*

mirari ſe dixit, qui res tam levis virum tantopere gravaret; onus impoſitum ſentire ſe ac metiri ſignificans. Primo pontificatus die pecuniam amicis largitus eſt; camerae et ſibi privatim a quibuſdam debitam remiſit, liberalis animi ſpecimine edito. Suos, ne aucta ſua fortuna ad majores dignitates aſpirarent, aut ſe propterea magis efferrent, monuit; addiditque ſucceſſoribus exemplum relicturum, quatenus privatis affectibus eſſet indulgendum. Domeſticis uſum ſericarum veſtium prohibuit; deſcriptis pauperum per paroecias nominibus, eleemoſynas large diſtribuit. Annonae praecipuam curam habiturum, nulliſque ſumptibus ad eam rem parſurum ſe dixit; Chriſti mandatum Petro vicario ſuo ad commiſſi gregis paſcendas animas datum, quaſi de populi Romani ſublevanda anguſtia etiam intelligeretur, deflectens. Modeſti poſtremo ac grati ſumme animi indicium dedit, cum fabricas omnes a Sixto inchoatas perfici, et inſignia ac nomen ejus ſingulis inſcribi mandavit. Poſtridie aegrotare coepit, et ominoſum Marcelli, quod cardinalis habuit, nomen in pontificatum intuliſſe pleriſque viſus eſt; quippe cum Deus tantum eum eccleſiae oſtenderit, neque diutius magiſtratu ſupremo defungi permiſerit. Itaque nec inſignia inaugurationis ſumpſit, nullum cardinalem creavit, aut ulli dignitatem conceſſit, et decimo tertio, poſtquam electus eſt, die placide ad Deum migravit: antequam moreretur, eadem, qua vixerat, moderatione haec praefatus, Deum, qui cuncta admirabili gubernat ſapientia, vidiſſe ſe ſummo hoc faſtigio non eſſe dignum, et cum humanae imbecillitatis, quae cunctos peccati vinculis conſtrictos tenet, vitio facile poſſet in pejora prolabi, iſta vincula ſolvere, et animam, quam dederat, a ſe propterea temporius repetere voluiſſe. Mortuum laudavit luculenta oratione Pompeius [a] Hugonius. In ſucceſſore deligendo plus negotii, quam in ejus electione fuit. Cardinales numero LII conclave ingreſſi ſunt VIII Eid. Oct. quibus poſtea duo ſe adjunxerunt, Andreas Auſtrius, et Henricus Cajetanus nuper e legatione Gallica reverſus. Erant in eo plures factiones. Hiſpanorum validior, quae XXIX ſuffragia habere jactabatur, cui praeerat Ludovicus [b] Madrucius; magni Etruriae ducis, cujus princeps erat Franciſcus Maria [c] Montanus; in collegio ipſo Gregorianorum Franciſcus Sfortia princeps erat; Sixtanorum Alexander Montaltus, qui XXVI ſuffragia penes ſe habebat. Nam totidem cardinales ex iis, quos avunculus ejus in ſenatum allegerat, aderant. Prima in eo M. Antonii Columnae mentio facta, ſatagente Aſcanio Columna gentili ſuo, ac deinceps aliquoties repetita. Verum id Columnae ſatum fuit, ut ſemper hoc ſupremo magiſtratu digniſſimus habitus ſit, nunquam tamen illum adipiſci potuerit. Poſtea Sfortia et Alexandro Montalto inſtantibus Jo. Vincentii [d] Laurei cardinalis cauſa agitata fuit; in quo gravitas cum morum ſuavitate conjuncta, rerum uſus ac prudentia cum ſumma eruditione ac politioris inprimis literaturae rara cognitione certabant. Et Montaltus hoc agebat, ut nullus ab Hiſpanis propoſitorum admitteretur. Ii erant Julius Antonius Sanctorius, Gabriel Paleotus, Madrucius, Ptolemaeus Gallius Comenſis, M. Ant. Columna, Jo. Antonius Fachinetus, et Nic. Sfondratus. Ex iis primos treis praecipue urgebat Philippus. Omnino excluſos cupiebat, et ita enixe Madrucio mandaverat, Alexandrum Medicem, Antonium Mariam Salviatum, Auguſtum Valerium, Laureum, Scipionem [e] Lancilotum, et Sixtanos omneis. Igitur Montaltus, qui Hiſpanos avunculi ſui nomini ſupra modum infeſtos ſciebat, id maxime curabat, ut Hiſpanicis excluſis is eligeretur, qui nulli principum, qui in comitiorum aeſtu multum poſſe putabantur, ſed ſibi magnitudinem ſuam deberet.

INTERPR. [a] *Ugonio.* [b] *Madrucci.* [c] *del Monte.* [d] *Lauro cardinal de Mondovi.* [e] *Lancilotto.*

CIƆ IƆ XC.
HENRICUS IV.

deberet. Itaque ſe Etruſco adjungere noluit, et tantum conſilia ſua cum Sfortia ſe inferiore conjunxit: amboque in Laurei gratiam ſumma animorum propenſione ferebantur; qui nec principum favore ſublevabatur, et collegio alioqui gratioſus, etiam multorum, qui Philippi et Etruſci partibus addicti erant, ſi caſus tuliſſet, ſuffragia habiturus ſperabatur. Verum obnitebantur Hiſpani, et viri optimi tot erga rempublicam Chriſtianam et Philippum ipſum merita ſuſpicionibus vanis poſthabebant; objectantes, quod olim Antonio Navarro regis tunc paene infantis parenti operam navaſſet, ac propterea occulta Gallorum factione proponeretur: et quanquam reſponderetur, optima ratione factum ab acerrimis religionis antiquae in eo regno cultoribus, ut is in Antonii tunc temporis familiam introductus eſſet; poſtea vero tot officiis et legationibus illum fidem ſuam Philippo et Sabaudo ejus genero approbaſſe, ut de ea ambigi non poſſet: tamen Hiſpani animum contra obfirmantes pervicerunt, ne ſufficienti ſuffragiorum numero juvaretur. Rurſuſque Columna, et Jo. Hieronymus [a] Albanus in medium propoſiti: verum ille rurſus fato ſuo excluſus; hunc aetas, quippe octoginta IIII annos egreſſum tanquam tanto muneri imparem excuſavit. Poſtea Montaltus, ut potentiae ſuae periculum faceret, in ſua vota pertractis Sfortia et Alexandrino Hippolytum Aldobrandinum propoſuit, parumque abſuit, quin res exitum ſortiretur. Deinde de Julio Ant. Sanctorio agi coepit, et Hiſpani ac magnus Etruriae dux, nec non [b] Siticus Altempſius Pii IIII ex ſorore nepos cum illius paene intermortuae factionis reliquiis, ejus cauſam, in qua minus difficultatis fore rebantur, quatenus in ipſis erat, adjuvabant. Sed plus Alexandrini valida adhuc Pii V factione ſubnixi odium, quod irreconciliabile adverſus Sanctorium exercebat, quam aliorum gratia valuit; iſque Montalto, qui unus per ſe plus aliis ſingulis poterat, perſuaſit, Sanctorium, ſi in pontificem eligeretur, Hiſpanorum ſimultates et odia adverſus Sixtum et ejus nomini addictos concepta, quae cum morte ejus extingui oportuit, reſumpturum, et cum ipſius Montalti pernicie exerciturum. Eo excluſo Montaltus, ne quid intentatum relinqueret, quo pontificem ex ſua clientela nec alii addictum a factionis ſuae collegis eligendum curaret, Hieronymi [c] Roborei viri humaniſſimi, qui juvenis apud nos vixerat, et in aula Henrici II honorificum locum aliquando tenuerat, rationem haberi voluit; ſed deficientibus ſuffragiis et ſubortis novis difficultatibus, Madrucius Montaltum convenit, inſtatque ex ſeptem, quos nomine Philippi proponebat, quem vellet, eligeret: alioqui nullum finem futurum, nec niſi magno cum Chriſtianae religionis detrimento ac piorum offenſione fieri poſſe, ut longius electio protelletur: magna in urbe annonae penuria laborari, et quia non magna in Apulia et Sicilia, quibus ex provinciis frumentum Romam importari conſueverat, ubertas frugum fuerit, metum ſubeſſe, ne rebus per interregnum incertis ac confuſis ad extremam inopiam deveniatur. Ad haec a Montalto, re cum ſuis communicata, praefracte reſponſum, non ferre eccleſiae dignitatem, cui aſſerendae ſicuti ſe natum ſciat, ſic retinendae vitam ſanguinemque libentiſſime impenſurus ſit, ut hanc conditionem accipiat: ſemel excuſſo imperatorum jugo, non paſſurum ſe, ut imperator, rex, aliuſve princeps jus in pontifices ſummos olim uſurpatum, nunc vero extinctum, quorundam avaritia aut alio pravo affectu caecorum, ignavia reviviſcat, & arbitrio Hiſpanorum hunc vel illum eligendi, ſublata ſuffragiorum libertate, neceſſitas imponatur; iidem, qui neceſſitatem eligendi imponunt, quem velint a dignitate ſumma excludant. Inter tot difficultates artificioſe ab aemulis excitatas cum nihil tandiu proficeretur, ut omnis diſſidii occaſio tolleretur, VII ex tertia veluti claſſe propoſiti ſunt, neutri parti ſuſpecti, quippe minime huc-

uſque

INTERPR. [a] *Albano.* [b] *Sitico d'Altemps.* [c] *della Rouere.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

uſque nominati cardinales, Jo. Antonius Serbellonus, Inicus Avalus Arragonius, Nicolaus Pelleveus, Hieronymus Ruſticucius, Julius Cananius, Scipio Lancilotus, Gulielmus Alanus Anglus. Sed multi ex illis cum in has aut illas partes in occulto propendere crederentur, repentina ſuffragiorum converſione in Paleotum paene electio inclinavit, virum et aetate gravem, et moribus pietate, ac eruditione maxime inter collegas ſuos conſpicuum; nihilque magis illi nocuit, quam quod cum Hiſpanis minus ſavere putaretur, tamen ejus cauſam Hiſpani ambitioſe promoverent. Jamque quaſi ejus electione certa in urbe cuncta apparabantur, inſignibus ejus paſſim erectis, et veredarii per provincias mittebantur; cum ſcrutinio facto numerus ſuffragantium uno et altero voto minor eſſe compertus eſt; Montalto annitente, qui maxime ab ejus electione abhorrebat. Inter hos comitiorum aeſtus de Jo. Antonio [a] Fachineto cardinali titulo Sanctorum IIII coronatorum ſaepius actum eſt, juris utriuſque conſultiſſimo, et in negotiis aulae Romanae tractandis per L circiter annos, quibus in ea vixerat exercitatiſſimo. Verum is brevis aevi futurus tempore ſuo pontifex, nondum ad curriculi a Deo praeſcripti metas pervenerat, et odio peculiari eum averſabatur magnus Etruriae dux. Tandem cum bimeſtre amplius patres in conclavi triviſſent, et ſe mutuis impedimentis alter alterum excluderet, Madrucius iterum Montaltum convenit, et periculo, quod non ſolum urbi ob famem, de qua miſerae plebis paſſim lamenta exaudiebantur, ſed toti eccleſiae impendeat, ante oculos propoſito, hortatur, rogatque finem aliquando contentionibus imponat, et unum ex VII a Philippo propoſitis eligat: ſic enim rem gratam primogenito eccleſiae filio, hos tunc titulos Hiſpani regi ſuo tribuebant, et hoc calamitoſo rerum ſtatu conſcientiae propriae ſalutarem facturum: cum ille recuſaſſet, et tamen a ſuis monitus Paleoti cauſam rurſus agitari, quem ſi excluſum omnino vellet, potius conditionem acciperet, quam committeret ut dum animum praepoſtera conſtantiae opinione obfirmat, inimicum ſibi hominem ante oculos creari pontificem et velut cervicibus ſuis imponi pateretur. Itaque tandem de Sfondrato aſſenſum eſt, cujus ne ratio haberetur, Gonzaga ſtudioſe ſemper ab initio laboraverat, quod ei de poſſeſſione quadam cum Mantuae duce controverſia eſſet, quae ſimultatibus magnis inter eos cauſam praebuerat. In hoc comitiorum calore cum animi in partes diſtracti maxime aeſtuarent, fiebat, ut vincendi ardore alteri alteros decipere cupientes temerariis promiſſis inter ſe viciſſim ſibi verba darent, moxque mutarent, et quarundam rerum obtentu ſe a data fide excuſarent, ita ut ex ea occaſione verba conclavis quaſi ſubleſtae fidei plena in proverbium abierint. Igitur Montaltus facta cum ſuis coitione ad Sfondratum cardinalem Cremonenſem prius monitum Non. Dec. in pervigilio S. Nicolai, quod illi nomen erat, ſummo mane accedit, factoque mox concurſu cuncti ad ejus pedes provoluti eum pontificem renuntiant. Huic pater fuit Franciſcus ſenator Mediolanenſis, eruditionis et prudentiae ſpectatae vir, cujus opera magnis in negotiis Carolus V Caeſar olim uſus eſt, et poſtea Paulus III praeſtantium ingeniorum egregius aeſtimator ac fautor, ob idque cum uxorem patria [1] Viſontinam paulo ante amiſiſſet, ab eodem in collegium cardinalium cooptatus, et a Julio III epiſcopatum Cremonenſem poſtea conſecutus. Hujus filius ſeptimeſtris, eoque natura infirmior, Nicolaus dictus. Cum juri civili operam Patavii dediſſet, poſtea aulae Romanae induſtriam ſuam addixit, et poſt patris mortem a Pio IIII, qui Mediolanenſeis omneis impenſe amabat, epiſcopatu Cremonenſi donatus eſt. Inde Tridentum ad concilium miſſus gravis ſententiae inter Italos defenſor fuit, divini juris

decretum

INTERPR. [a] *Fachinetto cardinale di Santi quatro.*

NOT. [1] *Dele* patria Viſontinam, *lege* ex Vicecomitum familia. Cicarelli dit que *la madre di Greg.* XIV *fu de' Viſconti. Put.*

decretum eſſe, ut aſſidui ad gregem ſuum paſtores eſſent. In quo illum, qui ad honores graſſabatur, magna imprudentia lapſum aulici exiſtimabant. Nihilominus cum in vita aequabilem ſemper tenorem ſervaſſet, conſtantia ſua ſive ſimplicitate meruit, ut a Gregorio XIII in celebri illa XIX cardinalium ordinatione ante ſeptennium inter purpuratos patres accenſeretur. Creatus pontifex ſtatim profuſa largitate erga cardinaleis uſus eſt, ſingulisque CIↃ aureos numerari juſſit, ad farciendos diuturnioris conclavis, ut aiebat, ſumptus. Multa inſuper locis piis erogavit, et contraria, quam deceſſor ſuus, ratione domeſticos nobilium more magnifice veſtivit, pecunia in eam rem liberaliter diſtributa. Cumque familiari ſibi morbo tentari ſequenti poſt electionem die coepiſſet, nihilominus inaugurationem non diutius diſtulit, et VI Eid. ejuſdem menſis, qui B. Conceptioni ſacer eſt, coronam more ſolemni ſumpſit, importuno riſu uſquequaque renidens, et abſurdis geſticulationibus laetas acclamantium et pro annona comprecantium voces excipiens. Quod naturali imbecillitati et pravae diducendi rictus conſuetudini potius, quam inſolenti laetitiae tributum, dicteriis in eum contemptus plenis poſtea occaſionem praebuit. Demum quinto ab inauguratione die, qui B. Luciae ſacer eſt, in Lateranum per arcus triumphaleis in viis diſpoſitos conceſſit, ut plenam ſupremae dignitatis poſſeſſionem ritu ſolemni acciperet, gratantium vocibus ubique exceptus, et gravi nequaquam ac compoſito, ut in hujuſmodi ceremoniis fieri amat, vultu, ſed inepto riſu obviis applaudens. Officia, quae vocant, a Sixto ſenatui urbis et aliis avare adempta, ante omnia liberaliter reſtituit, eo facto magnam gratiam promeritus. Paulum Sfondratum Pauli fratris jam defuncti filium, qui aberat, cardinalem dixit, nihilque ante ejus adventum in publica adminiſtratione fieri praecepit. Mox ad civem ſuum ſalutandum Mediolanenſes honorificam legationem decreverunt; cui obeundae deſtinati [a] Cuſani marchio, Carolus Borromaeus, Alexander Serbellonus et [b] Coriolanus Vicecomes.

X. [c] LUCEMBURGUS ſtatim poſt Sixti mortem, dum novus pontifex crearetur, ab Alberto Gondio [d] Radeſiarum duce, qui in [a] Etruria degebat, invitatus, ejus viſendi occaſione Roma diſceſſerat: dein cognito Urbanum creatum, Romam redire decreverat, ut cum eo de Franciae negotiis coram ageret. Jamque ad iter ſe accinxerat, cum rurſus cognito Urbanum deceſſiſſe, tantiſper ſibi conſiſtendum ſtatuit, dum novo pontifice creato Romam ſe conferret, ut cum eo negotium coeptum ſerio retractaret; ſed cum electionem longius, quam putarat, extrahi moleſte ferret, nec diutius Romae, aut in Italia morari ſibi tutum aut honorificum duceret, antequam domum rediret, ex oppido, cui Aquae-pendenti nomen, ad cardinaleis in conclavi haerenteis dat literas VII Kal. Nov. quibus ſenatui confirmabat, principes ac primarios regni magiſtratus ac conſiliarios non alia mente regi adhaerere, quam ut eum ad majorum ſacra reducerent. Et vero de ejus voluntate dubitari non poſſe. Nam hoc ipſum palam profiteri, idque jam a quatuor annis publico ſcripto teſtatum, eoque perlecto Sixtum valde commotum eſſe, et tam laudabile deſiderium auctoritate apoſtolica interpoſita adjuvare voluiſſe: quod cum morte praepeditus exequi non potuerit, orare ipſos, ut operi tantae molis ſedulo manum admoveant, neque regem non ſolum dignitate toto Christiano orbe primarium, ſed fortiſſimum imperatorem et omni virtutum genere cumulatiſſimum principem, qui ſe tam docilem praebeat, intempeſtiva acerbitate a ſe alienent; neque committant, ut quo olim in Germania et Anglia errore pernicioſiſſime peccatum, eodem adverſus ipſum magna religionis et tranquillitatis publicae jactura

peccatum

VAR. LECT. [a] Etruria morbo ſimulato latebat, invitatus MSS. *Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *il Marcheſe Cuſano.* [b] *Coriolano Viſconti.* [c] *le Duc de Piney.* [d] *Retz.*

peccatum eſſe dicatur, potiuſque artificioſis factioſorum vocibus, quam juſtis eorum, qui religionem cum regno ſalvam cupiunt, querelis attendatur. Neque vero illos audiendos, qui gloriantur quaſi urbem totius regni principem ſervaverint: nam valde verendum eſſe, ne ſalus illa, quam tantopere jactant, Lutetiae ab illis procurata, brevi in exitium non ſolum urbi ipſi, ſed toti regno verſat. Ne proinde aureis jurato Gallici nominis hoſti praebeant, qui ambitione caecus religionis obtentu hoc agit, ut aut regnum injuſta poſſeſſione uſurpet, aut ipſum bello civili attritum in partes laceret: cujus voti ſi compos evadat, quo faſtu, quà immanitate et arrogantia ſe erga ſanctam Sedem geſturum? Meminerint, quid nuper Sixto ſedente ab eo dictum factumque fuerit; ex eoque conjecturam faciant, quid a tam ſuperbo dominatore, ſi Francici imperii ſublato aequilibrio ſolus rerum potiatur, ſperandum aut exſpectandum ſit. Potius juſtas nobilitatis Gallicae preces audiant, cujus tot egregia merita erga ſanctam Romanam eccleſiam extant, tot exantlati labores pro religione Chriſtiana magno noſtrorum adverſariorum dedecore ac detrimento, quorum teſtimonia aeternis annalium monumentis conſignata ſunt. Hoc ergo agant, et dum nobilitatis Gallicae vota tam generoſa favore ſuo ſecundant, veros ſe eccleſiae univerſalis Senatores oſtendant, et tanquam communes patres bonum illum familiae patrem imitentur, qui perditae vitae filio ad ſe redeunti obviam in amplexus venit; bonum item illum paſtorem, qui relicto reliquo grege ad ovem, quae aberraverat, indagandam ultro profectus, repertam et in humeros ſublatam ad caulas ſecum reduxit. Ita regni laborantis patrocinium ſuſcipiant, nobilitati benignam ipſorum opem imploranti faveant, regem, qui doceri cupit, inſtruant, et cum rege regnoque religionem ſartam tueantur. Quod ſi contra male perſuaſi, dum ſeveri eccleſiaſticae diſciplinae vindices videri volunt, nobilitatem diris feriant; videant, ne tot virorum optime erga ipſos affectorum voluntates a ſe alienent, et teterrimae in eccleſia ſciſſurae portam aperiant. Nam proculdubio fore, ut eccleſia Gallicana a Romana eccleſia ſeparetur. Id cum animo provideat, et vero graviter prò reverentia, quam ſanctae Sedi debet, apud ſe ingemiſcat, praedicere ac monere, ut prudentia ſua certiſſimo tam dirae defectionis periculo in tempore praevertant. Cardinales igitur, circa quos, tanquam cardines, eccleſiae fores verſantur, omiſſis prenſationibus eum quamprimum pontificem Spiritu Sancto adjuvante eligant, qui non plus Hiſpanis quam Gallicis partibus addictus, non plus Gallus, quam Italus aut Germanus habeatur: qui perſonae praejudicio nihil faciat, ſed ad juſti rectique, ac praecepti divini normam affectus, animi ſenſus ac voluntatem dirigat; qui regem tanquam eccleſiae filium primogenitum, antiquum ſanctae Sedis protectorem, ac certiſſimum duris temporibus praeſidium ſoveat, amplectatur, colat, et ita ſe in ſupremo eccleſiae ſolio collocatum putet, ut Deum, cujus vices in terris agit, actionibus ſuis, quantum in ipſo eſt, exprimat. Non poſſe autem melius exprimere, quam ſi ſalutem omnium expetere oſtendat; cunctos ad ſe venientes admittat, ac complectatur. Deum, antequam in Sodomae et Gomorrhae reos ſententiam ferret, deſcendere et de re omni cognoſcere voluiſſe. Eandem moderationem ipſi ſervent, ac pontifici àb ipſis creando inſinuent; quod ut faciant, ſeque commendatum habeant, valde ipſos per miſericordiae viſcera orare et obteſtari. Pari libertate poſtquam Venetias venit, et Gregorium XIIII in pontificem electum intellexit, ad eum proximo menſe ſcripſit, exemplumque literarum ad cardinales ſcriptarum, ſi forte in conclavi recitatae non eſſent, quod praevalente Hiſpanorum factione accidit, ut eas inſpiceret, una miſit. Iis ad illas addebat, et in memoriam pontifici revocabat, prima foederatorum factionis apud nos initia. Illos ante quinquennium libellum primo emiſiſſe, quo ſumptorum armorum

 rationem

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

rationem reddebant, ad levandam videlicet tributis plebem, quo his ineſcamentis faſcinatam ad ſuas partes pertraherent, et novarum rerum cupidos boni publici praetextu ad rebellionem impellerent. Cum haec non ſucceſſiſſet, alia plebem via aggreſſos, et religionis cauſam in horum animis praevalidam affinxiſſe, et quamvis cum rege maxime pio, et quo nullus a S. Ludovici temporibus majorum religionis obſervantior fuit, illis res eſſet, calumnioſe multa in illum commentos, quaſi communicatis cum ſectaria peſte conſiliis evertendae religioni incumberet: Itaque armis contra ipſum ſumptis, etiam urbes, in quibus nulli Sectariorum veneno imbuti erant, invaſiſſe, ac poſtremo ipſum regni metropoli injurioſe expuliſſe. Haec prima motuum et confuſionum in regno principia, tragicis tot mortibus ad extremum cumulata, quae juſto Dei judicio contigiſſe quis neget? Quippe patientiſſimum ad mortalium delicta Deum ferre non poſſe, ut ſacroſanctum nomen ſuum privatis ambitioſorum et ſceleratorum affectibus ac libidinibus praetexatur, ſeverumque ultorem eſſe tam deteſtandae nequitiae; nihilominus eum ipſum, qui has turbas in regno fovet, non deſinere aperte factioſos pecunia et milite juvare, et quot in regno provinciae ſunt, tot tyrannos ad ejus perniciem alere; ut everſo aemulo regno florentiſſimo, univerſi orbis monarchiam, quam tandiu parturit, in familia ſua conſtituat. At quam haec ſpecioſa adeo quae illi obtendunt, procul a vero abſint, ſatis oſtendere horrendas calamitates, quibus, poſtquam illi arma ſumpſerunt, Gallia vaſtata eſt, majores longe, quam quas XXX annorum ſpatio antea paſſa fuerat. Ad eas ſedandas operam requiri ac benignitatem pontificis, qui non violentis remediis morbum acerbet, ſed leniat. Id cupiviſſe diſertius coram explicare: ſed cum in Galliam ſibi neceſſario revertendum videat; antequam ex Italia diſcederet, officii ſui duxiſſe, ipſum quam demiſſe poteſt, orare, ut regni cauſam commendatam habeat, neque juratis ejus hoſtibus importune ad ejus aureis excubantibus ſe nimis facilem praebeat; judiciumque ſuum ſuſpendat, donec principes et primarii regni magiſtratus ac conſiliarii, qui cum rege ſunt, ad ipſum honorificam legationem, quam jam decretam ſciat, miſerint, et eum de re tota certius ac melius inſtruxerint.

XI. DUM ſurdis caneret Lucemburgus, per interregna inſolentiores quam antea exules, in regni Neapolitani limite et per [a] Picenum, atque adeo in [b] Latio graſſabantur, paulo ante Sixti mortem, Marco [c] Sarra, & [d] Baptiſtella ab Aratro ducibus, tanto comitatu, ut Jo. Zunica Mirandae comes regni [e] Vicarius IIII CIↃ armatorum duce Carolo [f] Spinello mittere coactus ſit. Viciſſim pontifex, qui ſumma ſeveritate initio uſus ipſorum aliquantum audaciam repreſſerat, ad contemptum pertinere exiſtimans Kal. Sextil. edictum contra graſſatores proponit, quo ingens pretium in capita ſingulorum dicitur, poteſtate etiam facta iis, qui aliquem horum interfecerint aut ceperint, unius exulis ab exilio revocandi. Eadem gratia facta ipſis exulibus, qui ſocium interfeciſſent, aut captum magiſtratui tradidiſſent. Datum et negotium Octavio [g] Caeſio, ut cum IↃ armatis [h] Reatinam viam inſideret, quo inde a Philippicis, inde a pontificiis undique cincti praedones interciperentur. Sed accidit, ut Hiſpani, qui cum Spinello erant, tumultuarent, ob eam maxime cauſam, quod ſibi cum deſperatis rem eſſe, et ictus tantum ac patibula operae eo bello navatae praemia propoſita viderent. Itaque cum nihil a Philippicis ob motum illum contra graſſatores proficeretur, Caeſius, ne nihil ageret, ad [i] Antonam Pauli Matthaei municipium quoſdam ex iis incluſos obſidet, ſed irrito conatu. Nam illi per infrequenteis ſtationes poſtremo noctu evaſerunt: id incidit

in

INTERPR. [a] *Marca d'Ancona.* [b] *Campagna di Roma.* [c] *Sciarra.* [d] *Battiſtella del Aratro.* [e] *Vicerey.* [f] *Spinelli barone Napoletano.* [g] *Ceſis.* [h] *Verſo Rieti.* [i] *Villaggio chiamato Antona di Piola Mathei.*

in tempus obitus Sixti v. Poſtea creato Urbano vii Virginius [a] Urſinus Latini Nomentani marchionis filius acceptis c equitibus rem contra eos geſſit: verum impar viribus ac periculum veritus ſe excuſavit. Interea Alfonſus Picolomineus, jampridem tota Europa vagus, et qui initio bellorum noſtrorum operam ſuam Guiſio addixerat, quum ſe ducem graſſatoribus praebere vellet, [b] Montem-marcianum Piceni nobilem arcem venerat, ut copias eo loco cogeret: ſed cum a praeſide provinciae prohiberetur, ita ſibi interregni tempore a gubernatoribus praeceptum cauſante, datis ad collegium cardinalium ea de re literis graviter conqueſtus eſt; et cum nullum ab iis reſponſum ferret, comitiis de die in diem protelatis, tandem in [c] Aprutinam regni Neapolitani proximam provinciam conceſſit, quo [d] Sarra cum ſuis e [e] Latio ſe receperat. Erat Sarrae cum [f] Petro Contio Gabutio arcta neceſſitudo; qui Gabutius cum Picolomineo capitalia odia ob graviſſimas injurias ab eo acceptas exercebat; ſed periculum commune omnem ſimultatum et offenſionum ſenſum ad tempus ſuſtulit, conjunctiſque viribus Sarra, Baptiſtella, [g] Petrus Angelus, [h] Turius Petraltanus, [i] Petrus Contius Montacutus, cum IↃ CC circiter in utrumque paratis hominibus duce Picolomineo in Latium deſcenderunt, et majore quam hactenus intemperie ſub portas uſque urbis excurrentes diu graſſati ſunt. Hoc rerum ſtatu ad praedonum violentiam accedente annonae anguſtia, cum plena tumultus cuncta Romae eſſent, revocato Paulo [k] Vegeliero ab Urbano contra exules miſſo, rurſus Virginius Urſinus propria injuria exaſperatus, nam de contumelioſis Picolominei adverſus ipſum minis inaudiverat, delectos educit; cui ſe Jo. Franciſcus [l] Balnei comes a magno Etruriae duce Romam comitiorum tempore ad procuranda negotia ſua miſſus conjunxit. Datum et ab eodem negotium Camillo [m] Montano marchioni, ſupremo Etruſcae militiae duci, ut cum IↃ CCC peditibus, et CC equitibus Picolomineum, incendio ferroque paſſim ſaevientem, ad internecionem perſequeretur. Urſinus dum ad Montanum properat, quo communem hoſtem conjunctis copiis invaderent, ab indice, a Picolomineo fraudulenter ſummiſſo, deceptus, praemiſſo Trajano [n] Caccia Tiburtino tribuno, paene in inſidias juxta [o] Stortam praecipitavit, ſed exiguo ſuorum damno; tantumque index ille fraudis auctor in conflictu occiſus eſt. Deinde [p] Oligati ab utroque Sarra obſeſſus eſt. Quo loco cum Picolomineus ſuppetias obſeſſis ferens ſuperveniſſet, acriter pugnatum fuit, eoque in certamine Montanus ipſe ictu in manu accepto ſauciatus eſt; Hercules [q] Piſanius major centurio, Alex. [r] Vannius, alii deſiderati. Picolomineus fuga ſe periculo ſubduxit, amiſſis ſeu graviter vulneratis e ſuis circiter c. Virginius, qui vulnerato Montano ad obſidionem haerebat, dum tormenta et pulverem fruſtra Roma exſpectat, eruptione ab obſeſſis facta, fortiter pugnans unum et alterum vulnus accepit. At illi pro vita acriter pugnantes ferro ſibi per medias ſtationes viam aperuerunt, et in tutum evaſerunt; id actum pridie quam Gregorius xiiii pontifex creatus eſt: qui mox propoſito edicto Picolomineum citavit, cum xv aliis ejuſdem factionis ducibus, et cum non compareret, in poenam incidiſſe pronuntiavit, et Montem-marcianum Herculi Sfondrato fratris filio, tanquam ad ſe propter illius contumaciam devolutum, adjudicavit. Cumque ab eo ſe alienaſſent, ut eſt latronum infida ſocietas, Sarra ac reliqui exules, annitente Petro Contio Gabutio, homo miſer undique cinctus, et a cunctis deſertus, ex [s] Latio per [t] Narniam et Fulginium [u] Umbriae urbes in proximum [w] Piceni litus confugit, ſi forte

naviculam

INTERPR. [a] *Orſino figliuolo di Latino marcheſe da Lamentano.* [b] *Monte-marciano nella Marca.* [c] *Abruzzo.* [d] *Sciarra.* [e] *Campagna di Roma.* [f] *Piercoute Gabutio.* [g] *Pietrangelo.* [h] *Tutio da Petralta.* [i] *Piercoute da Montauto.* [k] *Vegelieri.* [l] *Bagno.* [m] *del Monte luogotenente generale del Gran Duca.* [n] *Ciaccia da Tivoli.* [o] *la Storta.* [p] *Olgiato coſale.* [q] *da Piſa ſergente maggiore.* [r] *Vanni.* [s] *Campagna di Roma.* [t] *Narni & Foligno.* [u] *Ducato di Spoleto.* [w] *la Marca.*

CIↃ IↃ XC. HENRICUS IV. naviculam nanciſci poſſet, qua ſe in Hadriaticum daret. Verum cum [a] Aſinuni inſtituto itinere ad ſiniſtram flexiſſet, effugio non reperto, per [b] Caeſennatem agrum aliquandiu vagus, poſtremo in [c] Biſaccionis tribuni, qui magno Etruriae duci militabat, manus incidit, ab eoque per [d] Cornelii forum Florentiam perducitur; ubi
CIↃ IↃ XCI. initio anni ſequentis indignam familiae tam inſignis nomine poenam ſubiit, tanquam latro ſtrangulatus, et unco ad ſpectaculum appenſus. Nec multo poſt Honoratus [e] Cajetanus Sermonetae dux in ditione ſua, quoſdam exules loco debili inopinato aggreditur, et quoſdam ex iis occidit. Majus in Reatino agro negotium Virginio [f] Urſino Nomentano cum iis fuit, qoippe numero majore coeuntibus, et commeatus per Tiberim ex Sabinis ad urbem penuria preſſam ſubvectionem impedientibus, ita ut per Picenum et Umbriam ſcribi militem neceſſe fuerit; quo fretus, ad [g] Bellum-montem die integro cum iiſdem, ſummo vitae diſcrimine, conflixit. Hoc bello defunctus cum videret nullam gratiam ſuis meritis apud pontificem rependi, & multum periculi ſubeſſe, nullum gloriae locum adverſus perditae vitae homines relinqui, muneri ſibi injuncto renuntiavit, non ſine occulta pontificis offenſione; unde occaſione captata, Marcus Sarra ſamoſus latronum dux, majore quam antea impteſſione, in pontificiam ditionem incumbens cuncta agebat ac ferebat, obviis quibuſque ſpoliatis, aut graviſſimo redemptionis pretio captis impoſito. Vixque par ei ad reſiſtendum fuit Vincentius Juſtinianus cardinalis, cui Latii tuendi cura commiſſa fuerat; et cum Carolus Spinellus ſuperiore anno adverſus eos miſſus, difficulrate rei victus Neapolim conceſſiſſet, [h] Gambacurtius in ejus locum ſuffectus, parum aut nihil plus illo, in eo negotio, profecit. Accidit et ut ob privatas injurias a [i] Civitellenſibus acceptas, Jo. Antooius Urſinus eodem tempore cum cc delectis, et tormentis vim ad oppidum fecerit, occiſoque praefecto, cum ultioni factum ſatis putaret, iram pontificis veritus per Latium infeſtis excurſiooibus graſſaretur. Quod rurſus exulibus, quorum ope nitebatur, animos ad majora audenda fecit; nec minor a fame in urbe et pleriſque Italiae partibus metus, annona adeo anguſta, et dum ex Sicilia claſſis ad id miſſa exſpectatur, pretium frumenti in immenſum excreverit. Et XIX unciae panis initio, dein cum naves nondum comparerent, tantum X dietim in ſingula capita admetirentur. Tandem ineunte Maio appulſa claſſe pretium imminutum, et meliore io poſterum ſpe plebs fuit: cujus numerus, multis interim inedia mortuis, imminutus fuerat. In Veneta ditione prudentia ſenatus proſpectum, ut, quanquam in ſumma annonae anguſtia, plebs ſublevata fuerit, exceptis Dalmatia et [k] Illyrico, ubi, propter Turci viciniam cuncta ad ſe trahentis, extrema penuria laborabatur. Sub id cum oratores ex cunctis Italiae partibus ad novum pontificem ſalutandum venirent, propter anni penuriam intermitti officium illud placuit. Miſſi a Veneto ſenatu legati Jacobus Foſcarinus, Marinus Grimanus equites et S. Marci pocuratores, Zacharias Contarenus et Leonardus Donâtus. Ab Alfonſo Ferrarienſi Philippus [l] Eſtenſis Sanmartinus comes nuper ex [m] Allobrogibus revocatus, et [n] Ceſa ac [o] Galeatius Taſſonius comites.

XII. P o s t e a negotium Ferrarienſis agitatum magna contentione fuit. Is cum nullos liberos haberet, principatus heredem Caeſarem Alfonſi [a] gentilis filium adoptare cupiebat. Ferrariae principatum Romanae ſedis beneficiarium diu tenuere Ateſtini, antiquiſſima ac nobiliſſima tota Italia gens, praefectorum et marchionum primo, dein et legitimi dominii titulo; poſtquam cum a pontificibus tanquam beneficiarii

VAR. LECT. [a] Patrui MS. *Samm.*

INTERPR. [a] *alle volte di Jeſi.* [b] *Ceſena.* [c] *Biſaccione colonello.* [d] *Imola.* [e] *Gaetano.* [f] *Orſino da Lamentano.* [g] *Belmonte.* [h] *Gambacorti.* [i] *Civitella.* [k] *Sclavonie.* [l] *da Eſte marcheſe di Sanmartino.* [m] *Savoye.* [n] *il conte Ceſa.* [o] *Galeazzo Taſſoni.*

beneficiarii acceperunt, hoc eſt, circa annum ſalutis CIↃ CCCXX. Pontifices autem cum ſui juris effecerunt a Mathilde ingentis animi foemina antea cum ſupremo dominio poſſeſſum, quae poſt tot res vario eventu in Italiâ geſtas nullis relictis ex pluribus maritis, quos habuit, liberis, Mantuae ſeptuagenaria major deceſſit anno ſalutis CIↃ CXV. Alfonſum, in cujus filium principatum transferre in animo habebat [a] Ferrarienſis, minime legitimo matrimonio procreatum cauſabantur pontificii, ac proinde ſucceſſionis tantae incapacem. Itaque decedente ſine liberis Ferrarienſi beneficium ad ſedem Romanam devolvi, a qua rurſus id peti oporteret. Igitur cum pontificis et cardinalium collegii gratia, ut id obtineret, ſibi opus eſſe intelligeret Ferrarienſis, alterum ſe jam adſecutum putabat, de altero minime deſperabat. Nam antiqua cum pontifice novo amicitia illi intercedebat, et habebat multas in collegio clientelas et amicitias. Itaque magno comitatu ad urbem venire decrevit, rem jam antea fruſtra tentatam, ut rebatur, confecturus; et in itinere [b] Piſaurum divertit, ut Jo. Franciſcum [c] Roboreum Urbini ducem ſororium ſuum inviſeret, et de communi negotio cum eo ageret: ſiquidem ille itidem Romanae ſedis beneficiarius cum nullos liberos haberet, de ſucceſſione ſua poſt mortem angebatur. Nec dubium erat, quin gratia uni facta ab altero in exemplum olim traheretur. Inde Ferrarienſis Romam venit IIII Eid. Sextil. magna pompa exceptus, et in Vaticano hoſpitium habuit. Cauſae cognitio ad XIII cardinaleis delegatos remiſſa, in quorum conſeſſu diſputari mandavit pontifex, an conſtitutio Pii V obſtaret, quominus ſummus pontifex de beneficio nondum devoluto ſtatuere, illudve in quem velit, transferre, cum evidens et certa utilitas ac neceſſitas eccleſiae adeſt, poſſit. Re non ſolum a delegatis, ſed etiam a Rotae auditoribus ob id vocatis, agitata, concordibus ſuffragiis reſponſum eſt, ſtante Pii V conſtitutione, quod petatur, concedi non poſſe, niſi plena poteſtate ei conſtitutioni derogetur. Cum nihilominus pontifex in conſiſtorio ea de re, prout melius rectiuſque videretur, decreturum ſe declaraſſet; intercedentibus pleriſque a collegio, et, ut conſtitutioni derogaretur, nunquam ſe aſſenſuros profitentibus; hae conditiones Ferrarienſi propoſitae, ut pontifex beneficium illud non conſtitutione, quae alteri derogaret, ſed diplomate a motu proprio, ſicuti vulgo loquuntur, profecto, concederet, ſumma grandi, de qua conveniret, in eccleſiae tunc multis ſumptibus gravatae uſus erogata, et penſione, quae annuatim ratione illius beneficii penditur, aucta. Sed cum jure vereretur Ferrarienſis, ne beneficium ita a pontifice, qui tunc ſederet, conceſſum a ſucceſſore ejus revocaretur, alias conditiones proponit, ut pontifex ac collegium alias ditiones compenſationis titulo acciperet, penſione duabus tertiis partibus aucta, et exſolutis decies centies aureorum CIↃ: additum praeterea, ſi contingeret, ut Ferraria rurſus ad ſedem Romanam devolveretur, impenſae, quae repeti poſſunt, quaeque ad immanem ſummam excurrere credebantur, ſedis Romanae beneficio cederent. Pius V ambitionem deceſſorum ſuorum deteſtatus, qui res ac patrimonium eccleſiae, quod vocant, indigna in filios, gentileis, ac cognatos ſuos largitate ſaepius alienaſſent, quod ſibi licere nolebat, ſucceſſoribus ſuis ne liceret, impedire cupiens; et villicationis ſuae rationem, quam ante Domini tribunal in examine diei magni adventus reddituri ſunt pontifices, ad ditionum ſive ampliationem ſive alienationem pertinere exiſtimans; hanc conſtitutionem ſanxit IIII Kal. Apr. anno CIↃ IↃ LXVI, exemplo a Gregorio IX, Joanne XXII, Paulo II, qui hujuſmodi alienationes prohibuerunt, repetito: quam poſtea Gregorius XIII et Sixtus V novis conſtitutionibus et ſolemni a cardinalibus ea de re praeſtito jurejurando firmarunt.

Cum

INTERPR. [a] *le duc de Ferrare.* [b] *Peſaro.* [c] *delle Rouere.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

Cum igitur nec Ferrarienſis a pontifice oblatas, nec collegium ab illo propoſitas conditiones admitteret, re infecta diſceſſum, et ſumptuum inutiliter factorum pertaeſus Ferrarienſis, occaſione rei conficiendae in commodius tempus rejecta, tandem domum reverſus eſt.

XIII. CUM vero armorum a Turcis contra Europam vertendorum ſama percrebuiſſet, Veneti ad primos belli impetus expoſiti [a] Cretae metuentes novum peditem ſcribunt, et Friderico [b] Fulgoſio, [c] Alexandro Pompeio comiti Veronenſi, Ludovico [d] Tondino, Mutio [e] Portio Vicentino comiti, et M. Ant. [f] Sacromoro, nam Malateſta Martinengus comes et Simo Roboreus ſe excuſaverant, ſingulas cohortes CCCC armatis conſtanteis attribuunt: qui XVI Kal. Maias Venetiis ſolventes cum aut naufragio aut morbis magnam partem periiſſent, rurſus delecti quinque alii duces, novumque ſupplementum factum: ii fuere Hercules Montecuculus, Octavius [g] Vimercatus, Fridericus [h] Pepolius comites: Paulus Contius, et [i] Avolius eques Ferrarienſis. Conductus et a ſenatu honorifico ſtipendio [k] Nomentanus; quod excuſandi ſe a bello contra exules gerendo, atque adeo in Franciam, quo pontifex ingentem exercitum deſtinabat, proficiſcendi occaſionem ei praebuiſſe dicitur. Turcici apparatus, quorſum tenderet, ſuſpicionem varii inde exorti rumores augebant; cum alii Amurathem a rege et Eliſabetha Angliae regina, et Antonio Luſitano exule incitari invidioſe jactarent; alii ut injurias a Coſacis acceptas ulciſceretur, quieſcente in Aſia bello, arma in Cretam aut in Dalmatiam verſurum affirmarent. Acciditque ſub id, ut variis indiciis Hieronymi Lipomani equitis ad portam Othomanicam oratoris Veneti fides in dubium revocaretur. Itaque miſſus in ejus locum Laurentius Bernardus, non ignaro Lipomano canitie veneranda ſene; qui quod minus vitae ſupereſſet, eo minus vitae metuens, propterea periculo minime praevertit, ſed ſub cuſtodia triremi ſe imponi paſſus eſt, ut ad cauſam dicendam Venetias duceretur. Verum ubi in civitatis conſpectum venit, ſubito horrore ſtatim totus diriguit, ita ut nemine obſervante in mare deciderit, atque ad remigii celeritatem vento accedente, jam praetervecta trireme, demerſo in tempore ſubveniri non potuerit. Ita vulgo proditum eſt. Sed verius eſt, quod illi nobilitati, decoris et fidei ac caritatis erga rempublicam adeo ſtudioſae, familiare eſſe conſtat, ut credam eum in mare a cuſtodibus praecipitatum, idque gentilibus a ſenatu datum, ut judicii, atque adeo poenae ad univerſam familiam redundantis infamiam evitaret. Cadaver ejus poſtea mari erutum et ſuis ad ſepulturam conceſſum fuit. Nec minor in ditione terreſtri ſuſpicandi occaſio ſenatum inceſſit; in Inſubribus ingenti exercitu Philippi juſſu ſcripto, non ſolum provinciae damnoſo, ſed vicinis formidoloſo; ex eo aucta, quod tunc de finibus controverſia ante VIII annos ab Octavio [l] Valerio [m] Bergomi praefecto, et N. Pontone ſenatore Mediolanenſi compoſita, alieno maxime tempore, ut Venetis videbatur, renovata eſt. Allatum et ad ſenatum ſecreto ab Hiſpanis miſſos clam, qui Bergomi et [n] Brixiae arcium munitiones diligenter inſpicerent. Itaque ex conſilio Julii et Marii [o] Savornianorum, non ſolum nobilitate, ſed fide et rei militaris ſcientia inſignium, feſtinatae utriuſque arcis novis operibus munitiones, ſparſa a prudentiſſimo ſenatu, ne quam Philippo offenſionis cauſam praeberent, fama, quaſi id ad ſublevandam plebem, quae ſame tunc ubique graſſante miſere afflictabatur, non diffidentiae cauſa inſtitueretur. Eodem tempore pons admirandi operis, qui antea ligneus [p] Ripae-altae in majore urbis canali impoſitus erat, ex lapide et exquiſito marmore ſtructus ac conſummatus eſt; pecunia ad id ex legato olim a Bartholomaeo

[a] Coleono

INTERPR. [a] *Candie.* [b] *Fregoſe.* [c] *il conte Aleſſandro Pompei da Verona.* [d] *Tondini.* [e] *il conte Porto di Vicenza.* [f] *Sacromoro.* [g] *Vimercato.* [h] *Pepoli.* [i] *il cavalier Avolio.* [k] *Marcheſe da Lamentano.* [l] *Valiero.* [m] *Bergamo.* [n] *Breſcia.* [o] *Savorgnani.* [p] *Ponte di Rialto.*

[a] Colcono Bergomate famoſiſſimo ſuae aetatis imperatore, reipublicae facto, ſuppeditata. Hoc anno ſive inſtigante ſenatu Veneto, quod pleriſque perſuaſum fuit, ſive ſponte ſua profeſſores Gymnaſii [b] Patavini ac moderatores gravem adverſus Jeſuitas querimoniam inſtituerunt, quod aperto ad literas et artes docendas publice ludo, celebritatem aliarum ſcholarum turbarent, pravo more dictandarum in omni genere explicationum invecto, quem juvenes non ſine temporis jactura nimis avide amplectebantur, et ita pigriores in conficiendo diſciplinarum curriculo reddebantur. Delecti ad id ab academia Franciſcus Picolomineus Genuenſis, Caeſar [c] Cremoninus Cenetenſis, [d] Hercules a Saxonia Patavinus philoſophiae profeſſores, quibus adjuncti Petrus Alzanus Bergomas et Auguſtinus Dominicus [e] Fulginas, et in collegium ad principem admiſſi ſunt, Cremonino pro ſociis verba faciente. Orationis dein ejus vernaculo ſermone conceptae exemplum per manus patriciorum, qui impenſe initio Jeſuitis favebant, volitare coepit; reque a collegio ad ſenatum delata, in eoque recitata ex breviculo Cremonini oratione, in ſuffragia itum eſt, ac tandem ſenatuſconſultum exeunte Dec. factum, quo mandabatur Jo. Bapr. [f] Vitturio et Vincentio Gradenico Patavii praeſidibus, ut Jeſuitis ſenatus nomine denuntiarent, nihil contra ſtatuta et privilegia academiae Patavinae agerent, tantum inter ipſos ad ſuorum ipſorum et non aliorum utilitatem literas docerent; dictandi pernicioſa conſuetudine in publicis cathedris, quae ab ipſorum exemplo manaverant, in poſterum prohibita. Id artificioſe captata occaſione a ſenatu factum plerique credidere, quod eo decreto plura petitis academiae concederentur, et ut vulgari paſſim dicterio jactabatur, cum aqua tantum peteretur, etiam tempeſtas ad novitiae profeſſionis ſacerdotes omnino profligandos immiſſa eſſet. Certe ab eo tempore Jeſuitarum gymnaſium Patavii clauſum fuit. A [g] [*] Corneliis, ex quibus Fridericus in collegium cardinalium poſtea cooptatus fuit, Jeſuitarum cauſa manifeſto favore ſublevabatur, multique ex patriciis filios iis in diſciplinam dabant. Itaque res aliquoties retractata fuit, et ſenſim ſive aſſentientibus, ſive conniventibus publici gymnaſii profeſſoribus, decreti ſeveritas adverſus eos remittebat; cum diſſidio inter pontificem et ſereniſſimam rempublicam exorto, et diplomate Romae tandem publicato, Jeſuitae ne in ditione ſacris interdicta commorari cogerentur, petita a ſenatu venia Romam conferto agmine conceſſerunt. Verum id XV poſt annum accidit.

XIV. TREPIDATUM et hoc anno Conſtantinopoli, a qua Chriſtianus orbis metuebat, ex occaſione belli in Perſia praeter Turcorum ſpem renovati. Ferhatis purpurati poſt Sinanem contra Perſas miſſi interventu, de pace ſive aliquot annorum induciis cum Mehemete Hodabenda convenerat; et nepos ipſius Hodabendae earum firmandarum cauſa, obſidis loco, ad Amurathem miſſus fuerat. Verum paulo poſt cum ſenio confectus Hodabenda [h] Emiri alteri filio, quippe grandioris natu nefaria fraude interfecti proles ad regendum ob infirmam aetatem inhabilis habebatur, imperium ceſſiſſet; juvenis natura ferox, et quo periculorum inexpertior, eo appetentior, poſtquam reſcivit viteis a Turco ex Aſia in Europam revocatas, exercitum e delectis ſcribit, et ut ſpecioſiore principio bellum inchoaret, arma non directo contra Turcos, ſed contra Usbecum vertit. Is ampliſſimas ditiones circa mare [i] Caſpium tenebat, et a Turco incitatus Coraſani regnum, quod ad Perſicum imperium pertinet, ultimo bello nuper invaſerat. Cum a vicinis Turcorum praeſidiis auxilia peteret, ad Portam remiſſus, non aliud reſponſum ab Amurathe de

belli

VAR. LECT. [*] Corneliis urbis epiſcopis, ex quibus MSS. *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Coglione di Bergamo.* [b] *de Padoue.* [c] *Creminino di Ceneda.* [d] *Ercole da Saſſonia.* [e] *da Foligno.* [f] *Vitturi & Gradenigo podeſte de Padoua.* [g] *Cornari.* [h] *Emir Chan.* [i] *Mer Caſpienne ou del Bacchu.*

belli Pannonici apparatibus cogitante tulit, quam ſufficere ſibi, quod communis hoſtis vireis labeſactaſſet; proinde ipſe per ſe bellum perſequeretur, neque alia auxilia contra Perſas ab Othomanico imperio ſemel ſubactos exſpectaret. In has ſe anguſtias Usbeeus redactum moerens, ut eodem tempore cum potenti hoſte bellum haberet, et a Turcis perfidioſe defereretur, conſilium ex neceſſitate capit, et Perſis, accepta in uxorem Emiris ſorore, et ceſſa, quam uſurpaverat, Perſicae ditionis parte, mature reconciliatur; prolatis etiam Amurathis literis, quibus de ſubactis ab imperio Othomanico Perſis mentio fiebat. Quibus verbis ultra modum exacerbatus Emiris animus, cum cauſas belli contra Turcos movendi circumſpiceret, has reperit. [a] Imaculem chanum, qui de conditionibus pacis ſeu induciarum cum Ferhate tranſegerat, ab eo ſeu corruptum, ſeu minis territum, mandata ſua egreſſum eſſe: nam conveniſſe quidem, ut Turci [b] Gengam, Carſam, Tauriſium, et Sirvanum cum quanto vellent praeſidio tenerent, ſed ea lege, ut territorium earum urbium ac juriſdictionis, cum ampliſſimis illarum dominiis, ac Tauriſii et Sirvani praecipue, penes Perſas maneret. Verum exceptio illa addita non erat ſeu fraude, ſeu errore Imaculis, qui ob id increpitus, cum fruſtra Ferhatae minas cauſatus poenam deprecaretur, Emiris juſſu ſecuri percuſſus eſt; fratre etiam ejus, qui ejus mortem ulturus fidem provincialium ſolicitaſſe convictus fuerat, flammis ad majorem terrorem tradito, et aliquot e proceribus extremo ſupplicio affectis. His initiis efferatus Emir, Usbeci viribus ſubnixus, quum in exercitu LXX CIϽ equitum haberet, ad Giaferem Tauriſii purpuratum mittit, et IIII civitates, conditionibus Ferhatae comprehenſas, ſuperbe repoſcit, niſi quam primum reſtituantur, extrema quaeque interminatus. Giafer contra ſe excuſare, nihil tale in mandatis habere, ceterum de his ad Portam diligenter perſcripturum, et acceptis novis mandatis, quod juberetur ſedulo facturum. Hoc nuncio ſub initium Maii accepto, valde turbatus Amurathes, ſtatim ad Giaferem, et [c] Cicadam Babyloniae praefectum ſcribit, et ut, comportata quantam poterunt annona, intra praeſidia militem contineant, mandat, donec auxiliari propediem venturo exercitu ſuccurratur. Tum claſſem ingentem CCC triremium, XVIII myoparonum, et CCC omnis generis biremium, quam contra Europam parabat, in Euxino Ponto [d] Sinopae et Trapezuntii deproperari jubet, in omnem eventum, ut compoſito contra Perſas bello, quod recruduerat, ea per [e] Aegeum ad [f] Melitam occupandam, aut infeſtanda Apuliae et Calabriae litora commode mitteretur: ſin minus, ad portandum in Perſiam militem praeſto eſſet. Ejus rei cura Sinani principi purpuratorum, qui bellum Pannonicum maxime urgebat; Aſſani aſtrologo Graeciae praetori, qui ex ſcientiae illius, cui multum Mahumetani tribuunt, opinione ſummum gratiae locum apud Amurathem meruerat; et Aſſani Veneto rei maritimae praefecto, qui praetorianotum antea praefectus, inveterato adverſus rempublicam in qua natus erat, ut fit inter eos qui a vera religione defecerunt, odio flagrabat; demandata. Verum his omnibus funeſtus hic annus fuit. Aſtrologus Aſſan, deſidioſum natura imperatorem, quo magis in poteſtate haberet, vanis terroribus impleverat, fore dictitans, ut ſi palatio egrederetur, a percuſſore interficeretur. Verum Amurathes melius conſultus, vana aſtrologi monita et dignitati ac ſecuritati ſuae pernicioſa poſtremo comperit, Aſſanemque protinus loco motum in [g] villulam Theſſalonicae proximam relegavit. Ab eo tempore in publicum ultro progreſſus, ut ex pergula adeuntium ipſum querelas audiret, et libellos ſupplices acciperet; quod cum ſumma patientia feciſſet, multa in civili adminiſtratione correxit, et in poſterum ad res ſuas diſcutiendas, et explorandos miniſtros attentior fuit.

INTERPR. [a] *Imaculi Chan.* [b] *Genge, Chars, Tauris & Shirvan.* [c] *Cigala baſſa de Bagdat.* [d] *Sinabe & Trebizonde.* [e] *l'Archipelago.* [f] *Malte.* [g] *Campana l'appelle Chiordurque.*

fuit. Nec multo poſt Aſſan Venetus, qui, Hebraeis vectigalis Turcorum redemptoribus ſubornatis, portoria et mercimonia, ob frequentes Coſacorum incurſiones quotidie imminui apud aureis avari imperatoris querebatur,* cum in ingenti tantae claſſis apparatu totus eſſet, ex foedi morbi reliquiis ineunte Julio ſubito deceſſit. Is Feſſanam reginam in matrimonio habebat, ex eaque, ac ancillis aliis compluris liberos ſuſtulerat, qui mortuo patre, nihil ex ejus hereditate perceperunt; immani pecunia, quam homo rapax per fas et nefas undique corraſerat, ſtatim in aerarium redacta. Quod cum indigne ferret Sinan et natura et tot rerum a ſe geſtarum fiducia elatus, quanquam jam ſemel ob nimiam loquendi libertatem dignitate excidiſſet, dum ſermones cum Ferhate proximae ſecundum ipſum dignitatis purpurato fereret, non potuit ſibi temperare, quin indignam hominum operam ſuam Othomanicis imperatoribus in re bellica navantium conditionem deploraret, qui nullum tot exantlatorum laborum praemium ſperare poſſent, et filios in miſerrima egeſtate poſt mortem relinquerent. Quod ab aemulo, qui nullam Sinani obtrectandi occaſionem praetermittebat, exceptum et cum acerbitate verborum ad Amurathem relatum, Sinanis Marmaram villam ſuam XL a Conſtantinopoli milliaribus relegandi cauſam praebuit; et ipſe ei in principe dignitate pro delationis praemio ſucceſſit. Cicada ex [a] Amida evocatus, Aſſanis Veneti in locum, rei maritimae praepoſitus fuit. Tum ut belli ſive in Perſia renovati, ſive in Europa gerendi, quod purpurati omni ſpe et conſilio urgebant, ſumptus ſupplerentur, et aucto praetorianorum numero, qui cum antea tantum XII CIↃ eſſent, tunc ad XXII CIↃ excreverant, aerarium quoque augeretur, gravia tributa ac collationes pecuniarum inſtitutae, et Amurathes ſe procerum ac eorum qui in magnis opibus decederent deinceps unicum heredem declaravit, eorumque bona, etiamſi filios relinquerent, illis excluſis in aerarium inferri juſſit. Petro [b] Bogdano Walachiae majoris ſive Moldaviae ad ponti Euxini litus porrectae regulo, L CIↃ ſultaninorum annua; alterius [c] Walachiae deſpotae totidem; Tranſilvano duplo majorem penſitationem imperavit; cum magno item carbaſinae telae ad vela facienda numero. Hi motus tam domeſtici, quam externi, inſtructae claſſis in mare deſcenſum hoc anno retardarunt, et initia belli contra Pannoniam, atque adeo Polonum coepti compreſſerunt, cujus metu Bogdanus cum prius ſe medium inter Turcos et Polonos quaſi pacis pararium geſſiſſet, re deſperata, et exemplo [d] Tranſalpini Vaivodae, qui privatae ſaluris tuendae cauſa religionem Chriſtianam ejerare coactus fuerat, territus, cum pretioſa ſupellectile in Germaniam aufugerat. Venetus ſenatus et partes ſuas cum Anglico legato interpoſuerat, et per Bartholomaeum [e] Bruttium Dulcinienſem ſenatus interpretem, propoſitae hae conditiones fuerant, ut pro damnis a Coſacis Niſoviis per excurſiones allatis CLX ſibellinarum pellium maſſae penderentur: quod unica praeſtatione, non annua penſione debere perſolvi cum Poloni intelligerent, aliquanto tempore interturbatum negotium fuit; donec Anglici legati interventu, cum res in Perſia mutaſſe, et rurſus bellum recrudeſcere allatum eſſet, mitigatis Turcorum animis in aequiores conditiones tandem partes conſenſere, armis, quae contra Poloniam deſtinata erant, in Auſtriacae ditionis limitem verſis: nam mox Boſniae purpuratus copiis Savum tranſmiſſis Croatiam, Stiriam, Carniolam excurſionibus infeſtare coepit; cui ad Caniſam venienti Nicolaus Palfius et Franciſcus Naſdaſtius regulus quum ſe oppoſuiſſent, vario eventu aliquoties inter eos pugnatum eſt.

XV. INTEREA

INTERPR. [a] *Cara-Hemid.* [b] *Bogdan vaivode de Moldavie.* [c] *Vaivode de Walachie.* [d] *Vaivode Tranſalpin ou de Walachie.* [e] *Brutti da Dolcigno.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

XV. INTEREA Poloni, jam pace a Turcis conventa, in ſenatum Tatarorum legatos admiſerunt. Ii in dextrum genu et manum dextram primum incumbentes, cum ad regem venerabundi acceſſiſſent, eodemque ritu repetito extremam pallii oram oſculati eſſent, inde regredientes utroque genu nixi mandata ſua exponunt. Gravem de Coſacorum, qui per Tauricam Cherſoneſum nundinarum tempore excurrentes magna damna dediſſent, pleriſque caeſis aut in captivitatem abductis, expoſtulationem inſtituerunt, de iiſque ſibi ſatisfieri, tum ſtipendia ſolita praecedentium annorum exſolvi, et tutum redeuntibus commeatum praeberi petierunt. Quibus reſponſum, iniquum eſſe, ut damna a Coſacis accepta a Polonis ſarciantur, cum toties illi excurſionibus in Poloniam factis ſimilia damna dederint. Stipendia ſuperioris temporis negata; deinceps promiſſa XX CIↃ Hungaricorum annuatim exſolvenda, et ſalvus in patriam revertenribus commeatus. Ita dimiſſi Tatari cum donativo ovillarum pellium, quas illi magno in pretio habent. Tum de republica in comitiis conſultatum, decretaque pleraque facta, de cenſu regio et tributis, militum ſtipendiis, muneribus Turco ejuſque purpuratis, ac Tatarorum genti deſtinatis, ad extremum Judaeis in ſingula capita aureus Polonicus imponitur. Chriſtophorus [a] Sborovius Samuelis ſupplicio affecti frater, nobilitatis Polonicae interventu, a crimine perduellionis infamiaeque ac capitis poena abſolvitur, ea lege, ne intra XX annos in Poloniam redeat, aut quidquam contra rempublicam moliatur; exules ob navatam in electione Maximiliani Auſtrii operam reſtituuntur, fide regi fidos in poſterum fore prius praeſtita. Aderat Andreas epiſcopus [b] Wratiſlavienſis, magno cum procerum et nobilium ſtipatu a Rodolfo Caeſare miſſus, qui magna contentione, Caeſaris et Erneſti Auſtrii nomine egit, ut caput comitiis anni ſuperioris inſertum et typis mandatum, ne quis in electione novi regis aliquem ex Auſtriaca familia nominare, aut ſuffragio ſuo juvare auderet; qui contra faceret, ipſo facto infamis eſſet; tanquam ignominioſum et inſolens induceretur, et omnino aboleretur; quod ſi fieret, Maximilianum ad jurisjurandi promiſſi praeſtationem paratum oſtendebat, Caeſaremque et caeteros archiduces, ſi Polonia a Turcis petatur, permiſſuros, ut ſcribi miles in ditionibus ſuis, ac annona emi poſſit. Ad haec ampliore reſponſo in aliud tempus dilato, e veſtigio Sigiſmundus coram procerum coetu retulit, celare ſe legatum nolle, ex aula Turcica et aliorum principum legatis edoctum eſſe, Turcum commodam belli et armorum occaſionem captantem, nulla re vehementius ad bellum Polonis inferendum incitari, quam quod intellexerit, Polonos proceres inter ſe diſſidere, nec cum vicinis Germaniae principibus, nec cum Moſco pacem certam habere, pecuniave adeo inſtructos eſſe, ut externum militem diu alere queant. Poſtea re deliberata, poſt finem comitiis impoſitum, Wratiſlavienſi epiſcopo reſponſum; caput illud, quod ad familiam Auſtriacam pertineat, coactos Polonos, majoris mali avertendi cauſa, addidiſſe: ſi tamen Philippus Hiſpaniae rex et Maximilianus archidux jusjurandum praeſtent, et pacta ſervent, viciſſim Polonos de capite illo, quod juſtum et e republica ſit, facturos: ceterum ſciret, ſi agnati ab hac cauſa ſe ſeparent, hoc caput ad ſolum Maximilianum pertinere; ſin patrocinium illius ſuſcipiant, ad univerſam domum Auſtriacam extendi. Ita dimiſſus cum duriore, quam ſperaverat, reſponſo, legatus; qui Rodolfo poſtea auctor fuit, ad conciliandos utriuſque nationis tam alieno tempore diſſidenteis animos, ut adfinitatis inter principes contrahendae ratio iniretur. Itaque tandem conventum, ut Sigiſmundus Annam, archiducis Caroli anno ſuperiore defuncti filiam, in uxorem acciperet, dieſque nuptiis dicta ad IV Eid. Nov. quae tamen ob ſubortas novas Turcorum offenſiones in proximum annum

INTERPR. [a] *Zborowſki.* [b] *de Breſlaw.*

CIↃ IↃ XCI.

HENRICUS IV.

annum dilatae ſunt. Magna et gratulatione his in comitiis Anglicus legatus exceptus eſt, ob egregiam in pacis cum Turcis negotio navatam operam, cui et petenti conceſſum, ut Anglis inſtiroribus [a] Elbingae in Boruſſia commorandi gratia jam facta prorogaretur. Auditi et Boruſſorum delegati privilegia ſua et immunitates imminui, contra ea homines exteros praefecturis donari, teloneum novum ad [b] Album-montem, Nogati inſtitutum, ſalis tranſmarini liberam ſubvectionem a Sigiſmundo Auguſto et Stephano regibus permiſſam impediri, Boruſſos inſtitores in Polonia negotiantes exactionibus vexari, monetam e Belgio et ex aliis locis pro cujuſque arbitrio importari, paſſimque in Polonia, aliiſque ei regno ſubditis provinciis, priori et probae pondere et aeſtimatione admodum diſſimilem cudi, qua re majus damnum Boruſſos, quam ſi bello aperto peterentur, accipere. Haec poſtulata ut eluderent Poloni, de die in diem rejecta, Warſaviae, ac ut in caſtrenſi judicio expenderentur, ſciverunt; et tandem [c] Grodnae conventum, ut biennii tributum Boruſſi inter ſe ſciſcerent, viciſſim teloneum ad Album-monrem inſtitutum, accedente regia auctoritate, in perpetuum omnino aboletur, addita a Polonis lege, ut non propterea Boruſſiae ordines ab eo redemiſſe ſe videri poſſint. Major motus, ac pene internecinus, Cracoviae exortus; a juventute, quae literis in academia illa dat operam, a Jeſuitis patribus, ut creditum eſt, incitata, facto initio. Nam ipſo Aſcenſionis die quaſi ſigno dato corona tumultuantium cinctae aedes, in quibus Proteſtantes ad concionem audiendam, et preces concipiendas convenerant; et quanquam ſatellitibus regiis, ut vim prohiberent, accurrentibus, expugnatae ſunt, pleriſque occiſis et graviter vulneratis. Nec contenti factioſi rurſus vireis, aggregante ſe ad eos plebe, colligunt, et aedeis illas incenſas ad extremum demoliuntur. Ea re cum evangelici, ſic Proteſtantes apud eos ſe indigetant, maxime exarcerbati eſſent, haec patientiae ipſorum, quatenus ulteriora ferre poſſent, tentandae cauſa fieri exiſtimantes, Pariſienſis lanienae etiam memoria renovata, [d] Camioliſciae tumultuarium conventum celebrant, et inde ad regem mittunt, qui conventum extrema neceſſitate, quae regiam dignitatem et regni ſecuritatem reſpiceret, excuſarent; et ſimul ſignificarent, ad frequentiorem deliberarionem, cui Lituanica nobilitas eidem doctrinae addicta intereſſet, [e] Radomi ad IX Kal. Oct. convenire decreviſſe: rogare interim, ut evangelicis denuo locus, in quo conveniant, Cracoviae attribuatur, et comitia, in quibus pax religionis conſtituatur, primo quoque tempore indicantur. Delegatos non ſine animi laeſura audivit Sigiſmundus, et amare increpuit, quod privata auctoritate, contra regni jura, proprium conventum inſtituiſſent; praeſertim cum ipſe nunciis ex Sendomirienſi et Cracovienſi provincia miſſis religioſe promiſiſſet, ea remedia, quae ad pacem et concordiam idonea eſſent, initum iri, curaturumque ſe, ut in ſeditionis auctores pro gravitate criminis ſevere anquireretur, et convictis digna poena irrogaretur. Proinde alterum conventum enixe prohibere; licere interim, quando inauguratione ſua liberam cuique religionis profeſſionem reliquerit, ut areas dirutarum aedium aut alias a ſe emptas, ad quas conveniant, inſtaurare poſſint. Polonorum animos pejoris mali inde ſecuturi cogitatione defixos paulum averterunt triſtes ex Livonia nuncii, in qua Suecus injurias ſuperiore anno acceptas ulturus haud ſatis proſpere adverſus Moſcos res gerebat. Is cum conciliatis ſibi donativo ingenti Tataris, gente venali, exercitum quoque ex ſuo milirc et delectibus in Germania habitis conſcripſerat; cura ejus cum ſummo imperio demandata Nicolao [f] Flaminio, qui dum ad [g] Wiburgam haereret, Livoni equites, cognito robur Moſcovici exercitus adverſus Tataros contractum eſſe, in Pleſcovienſem agrum ſextili menſe eruptionem faciunt,

INTERPR. [a] *Elbing en Pruſſe.* [b] *Weiſſenbourg ſur le Nogat.* [c] *Grodno.* [d] *Czermielſko.* [e] *Radom.* [f] *Fleming.* [g] *Wibourg.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV. faciunt, conſertoque certamine, aliquot ex hoſtibus trucidatis et captis, Blaſium [a] Hogrevum virum fortem, cujus parens initio belli Livonici itidem a Moſcis interfectus fuerat, ex ſuis amiſerunt. Parte alia Tatari per meridionalem Ruſſiam excurrentes Moſcam uſque gentis caput penetrarunt, et pugnam acerrimam aliquot diebus reſtituto proelio cum Moſcis pugnarunt; eo tandem exitu, ut duobus Tatarorum ducibus captis reliquus eorum exercitus diſſiparetur. His acceſſit aliud ſive a belli incommoditatibus, ſive coeli inclementia luis peſtiferae malum, quod in una urbe Revalia V CIↃ hominum abſumpſit; et Narvae per totam hyemem et majorem aeſtatis partem cum innumera vicini agri pernicie graſſatum eſt. Lubecae et hoc anno conventus civitatum maritimae ſocietatis celebratus eſt, quo [b] Roſtochii, Gedani, Bremae, Hamburgi delegati convenerunt. Ibi de juribus et immunitatibus ſocietatis actum, quas cum ab Anglorum regina imminui quotidie quererentur, literae ad eam nimio calore ſcriptae: ad quas illa contemptim reſcripſit; et quod parum digne ad ſe ſcripſiſſent, culpam non in eos, ſed in amanuenſeis rejecit, parvi ſe eorum minas facere oſtendens. Miſſi et ad Caeſarem e ſuo numero legati, qui ipſius interventu liberam ſocietati navigationem a Philippo impetrarent. Longe pejore loco res in Belgio et apud nos erant.

XVI. INEUNTE anno Parmenſis Bruxellas reverſus concilium ordinum provinciae et procerum cogit, et de bello Gallico ſimul et Belgico, pecuniaeque in utriuſque ſumptus collatione conſultat. Pleumoſii L CIↃ florenorum obtulere, ſi pace in ſuo frui liceret. Cum vero pleraeque poſſeſſiones a dominis deſertae, jacerent incultae magno provinciae detrimento, edicto ſancitum eſt, licere cunctis inculta praedia poſſidere et privato ſuo emolumento colere, ita ut locationis pretium non teneantur exſolvere, donec domini colonos conſtituerint. Dum conſultatur, Edvardus [c] Norriſius Oſtendae praefectus XV Kal. Mart. [d] Blacemburgum pagum et munitionem in eo excitatam nocturnis inſidiis intercepit. Cum praeſidiarii in [e] colles arenoſos confugiſſent, et juſſi ſe dedere, pro reſponſo ſcloppetos contra tympaniſtam diſploſiſſent, tandem arctius cincti pulvere deficiente expugnati ſunt, plus C interfectis, ac paucis ſervatis. Munitio mox ſolo aequata, cataractis ruptis, et III tormentis inde avectis, quae rurſus ab Hiſpanis poſt Anglorum diſceſſum inſtaurata eſt. Dein et [f] Sluſae militari aſtu a Litteltono ordinum ductore, et mox Hulſta, ſed nullo ſucceſſu tentatae. Prope Coloniam eodem, quo Blacemburgum captum eſt, die [g] Carpena arx ab Ordinibus ex inſidiis incaſſum petita; tantum equi et aliquot ex circumpoſita regione capti, qui ſupervenientibus [h] Noveſii et Meurſiae praeſidiariis ſtatim recepti ſunt. Et ne res tantum ab Ordinibus gereretur, Gebbardi Trucheſii nomine Eberſtenius comes et Franciſcus Verus, cum [i] Stralcum in Sicambris fruſtra tentaſſent, [k] Calleborcum in ditione Colonienſi caſtrum prope [l] Urdingam capiunt; quod ruſticis quaſi ad commune incendium ſtatim accurrentibus cinctum, cum praeſidiarii deditionem facere recuſarent, parum quippe militaribus viris decorum, ſi ab agreſtibus ſe vinci paterentur; poſtea militari ſubſidio adveniente deditum eſt, et [m] Milendonkio reſtitutum, Joanne [n] Gulichio, qui capiendi ejus dux fuerat, ad portam arcis laqueo ſuſpenſo. Sub id Odetus [o] Lanovius Telinius ante ſeptennium, cum Lilloa Antuerpiam pergeret, captus, et ab eo tempore in arce [p] Tornacenſi aſſervatus, vix tandem libertati reſtitutus; aliquot Hiſpanis, qui in ſtrage claſſis Hiſpanae capti Rameкena in arce Zelandiae cuſtodiebantur, pro eo traditis. Quod beneficium reginae Anglorum humanitati, et enixis Horatii Pallavicini precibus, nuptias ſororis

INTERPR. [a] *Hogrew.* [b] *Roſtock, Dantzick, Bremen, & Hamburg.* [c] *Norris.* [d] *Blanckenberg village & fort.* [e] *Dunes.* [f] *l'Eſcluſe.* [g] *Carpen.* [h] *Nuys & Meurs.* [i] *Stralen en Gueldre.* [k] *Kallenberg.* [l] *Ordingen.* [m] *Milendonck.* [n] *Gulick.* [o] *de la Noue Sr de Teligny.* [p] *de Tournay.*

ſororis Telinii ambientis, debuit. Viciſſim cum Parmenſi quidam clam convenerunt, de Breda in Brabantia, et Lochemo in Geldria tradendis, ſed re detecta conſcii capti capite luerunt. IV Non. Apr. [a] Turnohuta arx a Bredae praeſidiariis capta audaci cerviſiarii aſtu; aſtuſque ita proceſſit. Curru in ponte ſublicio haerente ille alterum ſpeculatorem ex ponte praecipitat, alterum interficit, moxque erumpentibus qui in proximae domus incenſae ruderibus latebant, locus occupatur. [b] Weſterloa itidem, per [c] Merodii junioris, qui loco praeerat, venatum profecti abſentiam, ab iiſdem capitur, quamvis neutri parti addicta, quod ad exigenda tributa multum Ordinibus incommodaret; et eam in poteſtate hoſtium non eſſe ad ſecuritatem ipſorum maxime pertineret. Et huc uſque velitationibus, et inſidiis utrinque actum. Poſtea Mauritius inſtructo egregie exercitu Bredam verſus tendit, fama ſparſa, quaſi [d] Silvam-ducis, aut [e] Gertrudis-montem petiturus, eſſet; et per Moſam cum C omnis generis navibus iter ingreſſus, mox Rhenum verſus adverſo flumine [f] Arnhemum tendit, et inde ad laevam deflectens [g] Iſalam intrat, et aquilone ſecundo uſus ad Zutfaniam improviſus pervenit. Tum ex compacto XV delecti ex Doesburgi proximi praeſidiariis ductore Franciſco Veero ruſticorum habitu ad propugnaculum in ripa Iſalae ex adverſo [h] Zutſaniae erectum accedunt, ova, butyrum, caſeum, quaſi ad mercatum publicum ferentes; qui ſcipionibus innixi, dum porta aperiretur, ubi ea patuit, ſtatim ingreſſi, parte praeſidiariorum jam dilapſa, in proximam ſtationem vim faciunt, et citra ſanguinem captis, qui pauci aderant, loco potiuntur. Id actum XI Kal. Jun. Sexto poſt die Mauritius, qui cum exercitu ad ſelicem ſucceſſum accurrerat, poſitis ad Zutfaniam caſtris, et advectis Doesburgo tormentis, ac ponte ex navibus in flumine ſtrato urbem arctius cingit, Eberſtenio comite, dum locum incaute luſtrat, ictu ſcloppeti interfecto, vixque cadavere ejus a praeſidiariis, qui ſub id eruptionem fecerant, recepto. Ducto vallo cum tormenta incredibili celeritate jam admota eſſent, obſeſſi oppugnationi ſuſtinendae impares, cum in auxiliaribus e longinquo venientibus exigua ſpes eſſet, et alioqui ab annona et pulvere multum laborarent, mature colloquium popoſcerunt, ac poſtremo deditionem fecerunt, vitam ſalvam pacti; quibus et permiſſum, ut cum gladio et pugione, et quantum rerum ſuarum humeris efferre poſſent, egrederentur. Mauritius Zutſaniam ingreſſus, inde [i] Daventriam II ab hinc leucis exercitum praemittit; tum ipſe in caſtra venit, eaque citra et trans flumen diſtribuit, duobus pontibus ſtratum, per quos hinc inde tuto commeari poſſet. Tormentis XXVIII majoribus diſpoſitis V Eid. Jun. qui in Dominicam Pentecoſtes incidebat, duobus locis porta intermedia pulſati muri, moxque tubicen miſſus, qui deditionem imperaret; qui nullum aliud ab Hermano Bergenſi urbis praefecto tulit reſponſum, quam ut Mauritium cognatum ſuo nomine ſalutaret, denuntiaretque, urbem regi, quandiu vita ſuppeteret, ſe ſervaturum. Igitur verberatio redintegrata tanta vi ac celeritate, ut uno die plus IV CIↃ ictus diſploſi ſint. Qua durante ad portus ingreſſum naves advectae, et pons iis impoſitus, per quem oppugnatio fieret. Huic deſtinati Angli, qui primam aciem ſibi depopoſcerant. Secunda Scotis obvenerat. Tertio loco Solmenſis comes, et [k] Florus Brederodius Cloetingus cum delectis pugnaturi erant. Sed ponte breviore reperto, quam ut ad alteram caii partem pertingere poſſet, conatus fruſtra fuit. Tantum aliquot Angli progreſſi certandi ardore ponte ſe dimiſere, et natatu ad ruinam tendentes in eam ſumma virtute evaſere, ex iiſque unus ſignum, quod geſtabat, in muro ſtatuit. Stabant ad defenſionem egregie animati praeſidiarii,

INTERPR. [a] *Turnhout.* [b] *Weſterloo.* [c] *de Merode.* [d] *Boiſleduc.* [e] *Gertruydenberg.* [f] *Arnheim.* [g] *Yſſel r.* [h] *Zutphen.* [i] *Deventer.* [k] *Floris de Brederode Sr de Cloetinge.*

arii, a tormentis interim multum infeſtati. Hermanus ipſe ex fragmento ſaxi grave vulnus in brachio accepit. Ex Mauritianis Nic. Metkerkius vir ſtrenuus lethali ictu ſauciatus eſt. Ita die exacta, et nocte reficiendo militi et ſarciendae ruinae impenſa, mane infracti praeſidiarii, et pejora, ſi diutius cunctarentur, veriti, permiſſu Bergenſis colloquium poſcunt, et tradita urbe cum armis et impedimentis incolumes dimittuntur. Inde [a] Stenvicam verſus promota caſtra, et in Groeningenſi agro Delfezielae munitio obſeſſa eſt, ac mox ſine certamine dedita VI Non. Quintil. [b] Opſlagae praeſidiarii cum ſe ad defenſionem initio pararent, et pulſationem paſſi eſſent, edita ruina ſtatim animos deſponderunt, et vitam ſalvam pacti ſine armis et impedimentis dimiſſi ſunt. [c] Immentelii et Dami propugnacula circa [d] Groeningam itidem dedita. Parmenſis interim cum exercitu per Clivenſem ditionem iter acceletabat infra [e] Weſeliam Rheno tranſmiſſo, ut Daventriae ſuccurreret; quam ubi amiſſam cognovit, retro in Brabantiam rediit. Inde a [f] Neomagenſibus revocatus, a [g] Cnotſenburgenſi propugnaculo in [h] Betuvia ex adverſo urbis, Wahali intermedio ab Ordinibus ſtructo, infeſtari ſe querentibus, cum exercitu illuc tendit, obviumque ibi Ranutium filium ex Italia ad ipſum venientem habuit. III Eid. Quintil. obſidio inchoata, diſtributis intet duces regionibus. [1] Carolo Mansfeldio cum ſua legione pars ad occaſum; Barlemontio, quae ortum ſpectat, pars obvenit. [i] Boſſuvius, [k] Belloranius, alii tribuni legionum ſparſim per circumpoſitam regionem; equitatus ad [l] Lentium pagum ſeptentrionem verſus hoſpitium habuit. Valentinus [m] Pardeus Mota rei tormentariae praefectus dum vallo promovendo diligenter incumbit, multi ex Hiſpanis interfecti; in iiſque Fridericus Carafa Neapolitanus, Achilles [n] Triſſinus Vicentinus, et ipſe Octavius Mansfeldius vir ingentis animi incerto ictu occiſus. XI Kal. Sextil. verberatio cum ſex machinis, ac mox III aliis coepta; editaque aliquantula ruina Hiſpani aliquot cum Hibernis in eam enixi tandem a defenſoribus repelluntur. Quo cognito Mauritius ponte ſumma diligentia ſtrato Rhenum trajicit, et [o] Solmenſi comite ac Franciſco Veero Anglorum tribuno praemiſſis, inſidias loco idoneo ſtruit; in quas, rem ex edito loco ſpectante ipſo Parmenſi, cum CCCC equites, duce Petro Franciſco [p] Nicello praecipitaſſent, pauci perniciem evaſere. Captus ipſe Nicellus, Alfonſus [q] Davalus Vaſtii marchionis nothus frater, Antonius [r] Senogallenſis, Decius Manfredus comes Hieronymi Carafae vicarius, Jacobus [ſ] Amatuccius; Ant. item Padilla, qui ex vulneribus paulo poſt Arnhemi deceſſit. Caſum impatienter tulit Parmenſis, cujus ultionem dum quaereret, miſſo a Meduanio in Belgium Carolo Coſſaeo Briſſaco comite, de auxiliis ſolicitatur. Venere et ſub id a Philippo nova mandata, quibus, omni re alia omiſſa, laborantibus in Gallia foederatis cum exercitu praeſto eſſe jubebatur. Itaque coeptam obſidionem ſolvit, et Neomago pro tempore firmato [t] Glimeum praeficit, negotiumque Franciſco Verdugo dat, ut eum delectis copiis Mauritianos obſervaret, et crebris velitationibus, ne quid molirentur, excurrendo infeſtaret. Ipſe jam tum adverſa valetudine tentatus, antequam ſe ad iter accingeret, ex conſilio medicorum ad aquas [u] Tungrenſeis divertit: unde occaſione captata Mauritius, ſimulata Rhenum verſus profectione, ſtatim ad dextram flectit, et in Flandriae partem [w] interamnalem deſcendens ad Hulſtam, IV a Rupelmonda leucis, ex IV oppidis, quae vulgo officia vocant, primariam, cujus tunc praefectus aberat, caſtra ponit. Praeſidiarii numero

CCL,

INTERPR. [a] *Steenwiick.* [b] *le fort d'Opſlag.* [c] *Immentill & Dam.* [d] *Groeningen.* [e] *Weſel.* [f] *ceux de Nimegue.* [g] *de Knotzenburg.* [h] *la Betuwe.* [i] *Comte de Beſſu.* [k] *de Beaurain,* [l] *Lent.* [m] *de Pardieu Sr de la Motte.* [n] *Triſſino.* [o] *de Solms.* [p] *Nicelli.* [q] *Davalos.* [r] *di Sinigaglia.* [ſ] *Amatucci.* [t] *le Sr de Glimes. Meteren l'appelle Heer van Gleyn.* [u] *eaux de Spa.* [w] *Pays de Waes en Flandre.*

NOT. [1] Meteren le nomme Octavio de Mansfeld.

CCL, jam admotis tormentis, cum ſe ſuſtinendae oppugnationi impares ſentirent, CIↃ IↃ XCI.
praemature loco paciſcuntur, XII Kal. Oct. pactis conventum, ut per biennium HENRICUS IV.
majorum religio in oppido retineretur. Georgius Everhardus Solmenſis comes, qui loco impoſitus erat, non plus V ſigna in eo habere poſſet. Inde digreſſus Mauritius adverſo Wahali in Sicambros exercitum ducit. Diverſa parte Chriſtophorus Mondragonius Antuerpia cum V CIↃ peditum egreſſus in regione interamnali circa Hulſtam capta a Mauritio propugnacula recipit, aliaque ab eodem extructa. Tentata et in itinere [a] Gravia; dein ad [b] Neomagum caſtra poſita pridie Eid. Oct. traductis per pontem ſtratum copiis, octiduumque integrum vallo ducendo et dirigendis XLII tormentis conſumptum eſt. Interim per Chriſtianum [c] Hugonem, qui Ordinibus ab epiſtolis erat, et captivus in urbe fuerat, ultro citroque commeantem cum oppidanis agitur. Tandem cum Verdugus in tempore cum auxiliaribus non compareret, diſſidentibus inter ſe praeſidiariis et oppidanis, et deditionem aliis urgentibus, ad defenſionem aliis ſe pararos oſtendentibus, Mauritius per eos, qui ſuis partibus favebant, II cohortes, ſingulas CC armatis conſtanteis, in urbem introducit: quibus firmati illi adverſarios ad conditiones accipiendas compellunt XI Kal. Nov. In oppido cohortes III erant, ſub totidem tribunis, Glimeo, qui urbi praeerat, N. [d] Snatero, et Jo. [e] Weerdenſi, qui dimiſſi cum armis et ſignis explicatis Graviam ſe contulerunt. Eodem Verdugus cum auxiliaribus venit, et amiſſo Neomago paucitate praeſidiariorum, eo validius praeſidium Graviae impoſuit. Neomago cum firmo praeſidio Philippus Naſſovius praeficitur, qui M. Schenkii cadaveris partes a Marco Ria Varamboni marchione, poſtquam oppidanorum furor deſaeviiſſet, patibulo detractas et ſarcophago incluſas, cum huc uſque in turri aſſervatae eſſent, in majore urbis templo in Geldriae principum monumentum honorifice intulit. Coeptam ſuperiore anno rerum ſuarum ordinationem felici hujus anni ſucceſſu Ordines admodum firmarunt: Capta Zutfania, Deventria et Neomago tam brevi tempore, opportunis adeo oppidis, quippe ad [f] Wahalis et Iſalae, quae duo Rheni cornua ſunt, poſitis; et ita Batavia, in qua imperii ſedem fixerunt, undiquaque contra Hiſpanorum impreſſiones vallata. Paulo ante menſe Sept. legati a Caeſare, Philippo inſtigante, [g] Coloniam venerunt, Salentinus Iſemburgi, Simo Lippae comites, Joannes [h] Perneſtinius et Rheidae regulus, de pace acturi; qui inde Bruxellas perrexerunt, cum jam Parmenſis, exercitu [i] Montes Hannoniae praemiſſo, ad iter in Galliam ſe accingeret; cognitoque legatos Caeſareos Bruxellas tendere, per diſpoſitos equos illuc revolat, ut advenienteis honorifice exciperet, et de republica cum iis capita conferret. Illi poſtea, Parmenſi ad exercitum reverſo, in Bataviam Sextil. menſe tranſierunt, et [k] Hagae cum Ordinum delegatis diu egerunt, nullo exitu, quippe partim exacerbatis animis, partim recenti ſucceſſu elatis. Ne tamen negotium neglectum aut omnino omiſſum videretur, dimiſſis legatis, Rheidenſis, hinc inde commeans, uſque ad initium anni ſequentis in Belgio manſit.

XVII. Hoc anno, Eliſabethae Anglorum reginae auſpiciis, duce [l] Cumberlandiae comite claſſis inſtructa eſt, ad intercipiendas naveis conſerto agmine ex India venienteis. Sed re a Jeſuitis, uti creditur, qui in illa inſula latent, aut emiſſarios e ſua factione habent, in Hiſpaniam renunciata, protinus celoce miſſa monentur navium praefecti, ut ſibi a claſſe Anglica caverent. Nec indicium exitu caruit. Nam Hiſpani in anguſtiis Atlantici maris loco commodo eam opperientes, acri certamine conſerto, cum clade repulerunt, ipſo Cumberlandio cum majore ſuorum

parte

INTERPR. [a] *Grave.* [b] *Nimegue.* [c] *le Secretaire Huyghens.* [d] *de Snater.* [e] *de Weerdt.* [f] *Wahal & Yſſel.* [g] *Cologne.* [h] *Barons de Pernſtein & de Rheyde.* [i] *Mons en Hainaut.* [k] *la Haye.* [l] *Cumberland.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

parte in fugam conjecto. Poſtea Thomas Howardus maris praefectus, cum VI navibus armatis eodem miſſus, eandem fortunam expertus eſt, ad [a] Caſſiteridas nec opinato ab Alphonſo [b] Baſſano marchionis Santacrucii fratre cum magna claſſe circunventus; quo ex periculo ſe venti beneficio uſus cum praetoria, qua vehebatur, et IV aliis eripuit. Richardus [c] Grenvillus ejus vicarius, qui nave praemagna, cui [d] Ultioni nomen, portabatur, cum juxta Floridam a LIV navibus undique cinctus ne quicquam per medios hoſteis perrumpere tentaſſet, poſt obſtinatum XV horarum certamen pulvere deficiente, et ſive aegro, ſive vulneribus debilitaro milite, cum nulla ſpes niſi in deditione ſupereſſet, nec de gratia, ab Hiſpanis, Anglorum deſperationem et incendium veritis, a milite deſperaretur, tamen Grenvillus inſito ſive Hiſpanorum odio, ſive gentis pertinacia recuſavit, et dum potuit, ne cum Hiſpanis ageretur, obſtitit, potiorem deditione mortem affirmans. Tandem ita vulneribus confectus, ut inutilis deſenſioni eſſet, cum ſe a pugna in interiorem navem abdidiſſet, celeuſta lembo in praetoriam hoſtium navem tranſiit, et cum Alfonſo tranſegit, his conditionibus, ut nautis liber in Britanniam abitus permitteretur, reliqui captivi remanerent, pretio accepto dimittendi: navis penes Hiſpanos manſit, ex qua Grenvillus eductus ex vulneribus, ſive moerore, ubi in hoſtium conſpectum venit, ſtatim expiravit. Unde ſe naves Indicae, ab Anglis in itinere ſecurae ad Caſſiteridas contulerunt, et in Hiſpaniam incolumes pervenere, magna Philippi gratulatione acceptae, qui tot damnoſis bellis implicatus, exhauſto aerario, nullum niſi in Indicis opibus ſubſidium confuſis rebus ſuis reperiebat. Dum in Hiſpaniam tenderent Indicae naves, quaſdam ex iis tempeſtate jactatas periiſſe rumor fuit, in iiſque Grenvillanam navem cum CC Hiſpanis in eam impoſitis. Anglicae, quae periculum evaſere, cum praetoria in mercatores Hiſpanos invectae magnas praedas fecere, et acceptam in nave, cui Ultioni nomen, cladem magno cum foenore ultae ſunt. Ipſe Cumberlandius ut pariter infelicem ſucceſſum aliquo operae pretio penſaret, poſtea duas naveis longius a reliquis deerrantes juxta [e] Tertiam intercepit, alteramque, cui S. Cruci nomen, incendit, et alteram, quae de matris Dei nomine dicebatur, CIↃ IↃ amphorarum capacem, et mercibus ingentis pretii onuſtam cepit, et in [f] Britanniam ſecum triumphabundus avexit.

XVIII. SUB id Joannes Orientalis Friſiae comes fatis conceſſit III Kal. Oct. Princeps ſumma humanitate praeditus, apud quem plerique e Gallia, qui ob religionis cauſam ſolum vertere coacti fuerant, tutum receptum habuerunt; ob idque receptae Proteſtantium in Gallia doctrinae, quam Auguſtanae confeſſioni favere magis creditus. Poſt eum in flore aetatis, quippe vix XXX annum ſupergreſſus debitum naturae perſolvit III Non. Oct. Chriſtianus Saxo ſeptemvir Auguſti ſeptemviri, penes quem rerum imperii arbitrium, quandiu vixit, fuit, filius; et congeſtarum opum, quibus majores vix ullus retro principum Germanorum reperita priſci aevi memoria reliquiſſe traditur, heres; quarum fiducia ingentes ſpes ab eo conceptas praecipitata mors evertit. Exequiae magna pompa [g] Dreſenae, ubi deceſſit, celebratae menſe Nov. proximo, quibus plerique principes aut ipſi aut per legatos interfuerunt. Corpus in S. Crucis templo depoſitum et Fribergam pari magnificentia deductum, ubi in majorum monumentum illatum eſt. Filios duos in aetate pupillari reliquit ex Sophia Joan. Georgii Brandeburgici ſeptemviri filia ſuſceptos. Adminiſtratio ſeptemviratus ob infirmam Chriſtiani II heredis aetatem in Fridericum Wilhelmum Saxonem agnatum ex Ordinum conſenſu, Caeſaris auctoritate interveniente, collata eſt. Contrariam a parente in religione viam inſtiterat Chriſtianus a Joan. Caſimiro Palatino ſororio, ut creditur, perſuaſus, ſi quidem ille

Auguſtanae

INTERPR. [a] *les Açores.* [b] *de Baçan.* [c] *Grenville.* [d] *la Revenge.* [e] *la Tercera.* [f] *Angleterre.* [g] *Dreſden.*

Auguſtanae confeſſioni addictiſſimus ſuſpectos de Helvetica inter ſuos ſparſa, aut graviter mulctavit, aut finibus ſuis exegit: ob idque Hubertus Languetus ab eo diſceſſit; et Gaſpar Peucerus, Ph. Melanchthonis gener, diuturni carceris moleſtia affectus fuit; alii inſuper haud melius ob eandem cauſam ab eo habiti: quos omnes Chriſtianus bonis et libertati reſtituit, et Calvinianos, quos in Germania vocant, admiſit, et ſicut in Palatinatu, ſic in ditione ſua eorum doctrinam recipi voluit. Itaque Nicol. [a] Crellius ejus cancellarius et Joan. Caſimiri ea in re emiſſarius, ſtatim atque Chriſtianus mortuus eſt, adminiſtratoris juſſu comprehenſus, et in arcem [b] Hohenſtenam conjectus eſt, ſcriptis illius cunctis prius magiſtratus auctoritate diligenter evolutis, et in inventarium redactis ac obſignatis. Moxque Urbanus [c] Pierius Witemberga, ubi profitebatur, a magiſtratu evocatus, cuſtodiae ob eandem cauſam mancipatur. Quo nuncio Chriſtophorus Gundermanus, qui [d] Lipſiae docebat, territus, cum huc illuc diffugiens aliquandiu latuiſſet, tandem et ipſe captus in carcerem truditur: bibliotheca ejus prius a praefecto et conſule urbis perluſtrata et pariter obſignata. Ante eos, quos memoravi, Bernardus e Waldecenſium comitum familia epiſcopus [e] Oſnaburgenſis ultimum vitae diem clauſit v Eid. Mart. Eam dignitatem ambierunt eodem tempore, ex Proteſtantibus Henricus Saxo Franciſci Lauemburgiae ducis filius, Philippus Sigiſmundus Brunſvicus Julii filius epiſcopus [f] Verdenſis; ex majorum religioni addictis Antonius [g] Schouenburgus comes epiſcopus [h] Mindenſis, et Theod. Furſtembergus epiſcopus Paterbornenſis: ſuffragia pro Brunſvico vicerunt, iſque magna omnium laetitia electus eſt, quod de aequitate ejus, aliis rebus perſpecta, etiam Catholici bene ſperarent.

XIX. APUD nos Julio menſe deceſſit ſexagenario major Jacobus Amiotus humili loco [i] Meloduni patre lanio natus, ob magnam eruditionem Caroli IX et Henrici III pueritiae erudiendae appoſitus, et ab iiſdem admodum opimis ſacerdotiis ditatus, ac epiſcopatu [k] Antiſſiodorenſi et magni eleemoſynarii dignitate ornatus; qui ſeu ſenii infirmitate, ſive muneris neceſſitate, cum ad gregem ſuum aſſiduus eſſet, Antiſſiodorenſium furori, ut tunc tempora erant, morigerum ſe nimis geſſiſſe, nec ſatis grato animo memoriam tot beneficiorum ab alumnis acceptorum conſervaſſe, pleriſque viſus eſt. Huic Heliodori Aethiopica, et [l] Longi Poemenica vernacula lingua feliciſſime expreſſa debemus, quanquam ſuppreſſo interpretis nomine edita ſint. His praeludiis periculum ingenii fecit, quod in majorum vigiliarum operibus poſtea exercuit, Diodoro, ac praecipue Plutarcho, licet majore plerunque elegantia quam fide, Gallice redditis. Ante Amiotum Antonius [m] Chandeus, qui primum Zamariel, dein Sadeel nomine ex Hebraico detorto dici voluit, antiqua nobilitate in [n] Seguſianis ortus, Genevae ex febre hectica obiit III Non. Mart. aetatis anno LVII, cum ſcribendo ſeu docendo totos XXXVI annos inſumpſiſſet; inter ſuos magno in pretio habitus, et variis multorum ſcriptis praecipue a Franciſco Turriano e ſodalitio Jeſuitico per Germaniam exagitatus. Poſt eum ex noſtris commemorabitur Hugo [o] Donellus clariſſimus juris interpres, [p] Cabilone ad Ararim natus, qui cum primum [q] Avarici Biturigum diu docuiſſet, poſt tumultum Pariſienſem ſolum patrium vertere coactus [r] Lugduni Batavorum aliquanto tempore haeſit; ac poſtremo ob ſuſpiciones, de quibus diximus, in Altorphiana Norimbergenſis reipublicae celeberrima academia nidum ſenectutis poſuit, et pridie Eid.

INTERPR. [a] *Crell.* [b] *Hohenſtein.* [c] *Pierius.* [d] *Leipſick.* [e] *Eveque d'Oſnabruck ou Oſnabrug.* [f] *de Verden.* [g] *de Schauemburg.* [h] *de Minden.* [i] *Melun.* [k] *d'Auxerre grand Aumoſnier de France.* [l] *Paſtorales de Longu[illegible]* [m] *Chandieu.* [n] *Forez.* [o] *Doneau.* [p] *Chalons ſur Saone.* [q] *Bourges.* [r] *Leyde.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

Eid. Maias fatis conceſſit, eodem quo Cujacius aetatis anno; eo minore fama, quod illius famae voce et ſcriptis obſtrepere tota vita pro ludo habuerit. Noſtris addetur Adolfus [a] Metkerkius patritius Brugenſis, vir literis egregie inſtructus; qui cum per eas inclareſcere coepiſſet, aeſtu motuum, qui Belgium concuſſerunt, abreptus. Totam vitam legationibus obeundis ac negotiis tractandis Ordinum primarius conſiliarius conſumpſit; ac tandem apud Eliſabetham Angliae reginam orator hoc anno XVII Kal. Nov. Londini obiit, cum climactericum ſuum menſibus ſex ſuperaſſet; moerore ex Nicolai filii admodum ſtrenui ducis ad [b] Daventriam interfecti nuncio, ut creditum eſt, contracto. Metkerkio adjungetur, ſi non natalium claritudine par, at literarum commendatione non inferior Victor [c] Giſclinus, a municipio Oſtendae propinquo [d] Santfordano, in quo majores ejus honorificum locum tenuerunt, atque adeo a Cornelio Giſclino genus ducens; qui Lovanii cum Juſto Lipſio et Jano Lernutio prima in literis fecit ſtipendia, et inde ſimul in [e] Sequanos [f] Dolam profecti ſunt. Ipſe in ea urbe doctoris medici cepit inſigne, anguſtia rei domeſticae preſſus, et a Lipſio luculenta oratione laudatus eſt. Otio et Muſis, quam arti ſuae addictior, cujus rei fidem fecerit vel Ovidiana Metamorphoſis tanto ſtudio ac diligentia edita: in Prudentio poeta Chriſtiano, quem et caſtigatiorem edidit, majora commentatus eſt, quae non perfecit: partem enim Jani Lernutii fidei commiſit. Tandem per has turbas [g] Vinocii-fanum, oppidum coenobio nobile, haud longe a Dunkerka venit, a [h] Moſtinio praeſule invitatus honorario, quo ſe ſuſtentavit, donec aegritudine oppreſſus haud ſexagenario major, die ante ex arte praedicta, qua ſibi abeundum eſſet, placide ad Deum hoc anno migravit. Ante eos omneis Antonius Carafa cardinalis LIII annos natus Romae obiit pridie Eid. Jan. Is Reginaldum equitem et Joanellam ex eadem familia in regno Neapolitano perilluſtri parentes habuit, et a teneris annis in ſtudiis literarum educatus: cum Gul. [i] Sirleto praeceptore uſus, linguae Graecae exactam cognitionem ſibi comparaſſet, ſub Paulo IV gentili ſuo primitias honorum in aula illa adhuc adoleſcens deguſtavit, et poſt ejus obitum, eadem, qua tota illa familia paene conflagravit, invidia oppreſſus; etiam opimis ſacerdotiis, quae poſſidebat, a Pio IV injurioſe ſpoliatus eſt: quibus demum a Pio V Carafarum beneficiario reſtitutus eſt, qui et gratiam novo beneficio cumulavit, Carafa in collegium cardinalium cooptato: qua in dignitate conſtitutus, vir pietati et ſtudiis devotus juri canonico emendando, decretalibus epiſtolis colligendis, et Bibliorum Graecorum ac Latinorum, quae Sixti V auſpiciis facta eſt, editioni praefuit, opera et induſtria uſus Petri Morini presbyteri Pariſienſis, Antonii [k] Aquiſi, Flaminii [l] Nobilis Lucenſis, Fulvii [m] Urſini, aliorum; et poſt praeceptorem Sirletum bibliothecarius. Etiam ſcholae Maronitarum a Gregorio inſtitutae patrocinium ſuſcepit; et cum in conciliis Graecis ac Latinis concinnandis laboraret, morte praecipitata gloriam praereptam Friderico Borromaeo cardinali ſuarum virtutum aemulatori tranſcripſit. Mortuum laudaverunt certatim Thomas [n] Bozius Eugubinus, Caeſar Baronius nobilis annalium eccleſiaſticorum ſcriptor, et luculenta oratione Franciſcus [o] Bencius. Corpus ad S. Silveſtri in monte [p] Quirinali cum humili elogio, ſicuti mandaverat, depoſitum fuit. Eadem in urbe IV Non. Apr. debitum naturae perſolvit Henricus Gravius aetatis ſuae LV, qui poſt XX annorum publicam ſacrae Theologiae Lovanii profeſſionem a Sixto V et Gregorio XIIII evocatus, ut patrum edendorum emendationi praeeſſet, in primo urbis ingreſſu cum majores honores in illa aula ſperare poſſet, defecit, ad S. [q] Mariae Teutonicae ſepultus. Meruit et ſive moribus, ſive eruditionis in

hoc

INTERPR. [a] *de Meetkerke de Bruges.* [b] *Deventer.* [c] *Ghiſlin.* [d] *Santverde.* [e] *Franche Comté.* [f] *Dole.* [g] *Winoxberghe.* [h] *Moſtine.* [i] *Sirletto.* [k] *Aquiſi.* [l] *Nobili de Lucques.* [m] *Orſino.* [n] *Bozio da Eugubio.* [o] *Benci.* [p] *Monte-cavallo.* [q] *Sainte Marie des Allemands.*

hoc ſexu rarae praeſtantia, ut quanquam latere voluerit, teſtimonio noſtro innoteſcat, et pleriſque foeminis, quae ſeu jactatione populari, ſive praeſtigiis, hodie tantam famam meruerunt, praeferatur, Laurentia Strozzia Zachariae filii [a] Kyriaci a nobis perhonorifice loco ſuo commemorati ſoror; quae cum vitam religioſam ſeptennis voviſſet, et Sandominicano ſodalitio Prati in Etruria, in coenobio [b] S. Nicolai, nomen dediſſet, Graecam Latinamque linguam in illa ſolitudine apprime didicit, et hymnos Latinos in cunctos feſtos dies juxta eccleſiae Romanae uſum metris, et Horatii imitatione, felicitate mira panxit; in devotae vitae exercitiis ac ſtudiis quandiu licuit aſſidua; ac tandem ex purpurata febre anno aetatis LXXVII in cella ſua ad beatorum ſedeis migravit IIII Eid. Sept.

INTERPR. [a] *Chirico Strozzi.* [b] *Monaſtero di ſan Nicolo da Prato.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

REGINA Angliae cum imperii principibus Proteſtantibus agit, ut regi in communi cauſa ſuccurrant. Turenius facta ſpe auxiliorum a rege cum ampliſſimis mandatis in Angliam et Bataviam mittitur. II. Poſtea Chriſtianum Saxonem adivit. Inde ad alios principes et civitates digreditur. Schombergius ab eo tempore ſuſpectus Heidelbergam conceſſit, et in negotiis tractandis Turenio ſemper praeſto fuit. III. Argentinenſes occaſione ſumpta de Carthuſianorum coenobio deſtruendo conſilium pridem initum ad exitum perduxerunt. IV. Ad Hohemium copiae auxiliares conveniunt, Chriſtiano Anhaltino principe duce. Summum deinde imperium in Turenium tranſlatum. Luſtratur et recenſetur exercitus. V. Irrita Pariſienſium contra Dionyſii fanum expeditio, in qua Cl. Aumalius eques Hieroſolymitanus a Dominico Vico oppreſſus et interfectus eſt. VI. Aſtu tentata Lutetia, et S. Farinatae dies. VII. Gregorii XIIII ad Philippum Segam cardinalem, et unionis conſilium literae. Hercules Sfondratus dux Montis-marciani auxiliaris exercitus imperator ſolemni ceremonia pronunciatur. Meduanius per literas facultatem ſacri patrimonii in belli ſacri uſus alienandi petit. Idem Philippus a pontifice petit, et neuter obtinet. Ad Laudem-Pompeiam exercitus pontificis luſtratur. VIII. Autricum Carnutum a rege inopinato obſidetur. IX. Dubio obſidionis eventu Tertianae factionis fundamenta jacta ſunt. Factionis princeps cardinalis Borbonius junior ab hominibus male animatis deceptus. X. Inter haec obſeſſio Autrici exitu non caruit, urbe a Bordeſerio dedita. Ad levandos agreſteis edicto militares leges publicatae. Decuria Rupellae, quae de praedis judicabat, edicto itidem revocatur. XI. Theodorici caſtrum ad Matronam ſub id deditum res regias conturbavit. Dordinga et Alnetenſis arx a Birono obſeſſa et in fidem accepta. XII. Lotaringici omnes ut et Sabaudus Lutetiae de republica conſultaturi conveniunt. Pontifex Philippo inſtigante regis Catholici electionem urget. Aemulationes inter contendenteis. Legatio ad Philippum decernitur, cui obeundae Petrus Janinus deſignatus. Franc. Lucemburgici literae ad pontificem novum, quibus Marſilii Landriani adventum in Galliam multis de cauſis deprecabatur. XIII. Caſtrum Galliardi ad Sequanam, et Luparia a rege in fidem accepta. Cardinalis Borbonius Caeſaroduno in aulam ſive in caſtra evocatur. Fr. Borbonio Contio exercitus in Pictones ducendus attribuitur. XIV. Contra Landriani mandata in Catalaunenſi curia ſenatuſconſultum horridae libertatis praecipiti affectu factum. XV. Regis edictum, quo Julianum ultimum deceſſoris ſui revocabatur, cum Medontae eſſet, conditum: Cui cardinalis Borbonius intempeſtive intercedere voluit. XVI. Edicto Caeſarodunum allato, quo et Landriani mandata exagitabantur, dictae graves ſententiae. Secundum haec pari gravitate ac libertate ſenatuſconſultum factum.

XVII.

XVII. *Dein contra Catalaunenſe et mox Caeſarodunenſe ſenatuſconſulta contraria Lutetiae facta.* XVIII. *Medonta ab Henoticis per regis abſentiam tentata. Helvetii jam dimiſſi fruſtra a Meduanio ſelicitati, ut per unionis urbes iter haberent. Conſiſtorium regis poſt Medontae detectam conjurationem Autricum transfertur, ubi praeſulum, qui in comitatu regis erant, concilium cogitur, in eoque contra Landriani mandata fit decretum. Legatio ad pontificem permiſſu regis mittenda decernitur. Intercedit ſenatus. Multa hinc inde ſcripta pro interdicti defenſione et adverſus illud promulgata.* XIX. *Rex ad Noviodunum caſtra ponit. Tandem urbs a Villa deditur.* XX. *Guiſius, qui Caeſaroduni in arce cuſtodiebatur, deluſis cuſtodibus elabitur* XVIII *Kal. Sept.* XXI. *Albiniacum in Biturigibus fruſtra obſeſſum. In Lemovicibus infeliciter ad Aredii-fanum a regiis pugnatum. Guerchius Belacum in Marcia obſidet, ſed superveniente Cambarete ab obſidione diſcedit.* XXII. *Calviniacum a Contio captum. Oblinca, Bella-arbos, Arcimboldi-burgus et Savini-fanum in fidem accepta. Mirabellum a Contio itidem cum arce captum. Cellae et receptae in Biturigibus. Ad Morilloni-montem hoſtes* CC *caeſi a Petro Pideo Neda.*

EX AUCTORIBUS,

Literis et adverſariis Henrici Turrii Turenii, Gaſparis Schombergii adverſariis, Regia ephemeride, Actis publicatis, Ant. Cicarella, Archivis curiae Pariſienſis.

LIBER CENTESIMUS PRIMUS.

ANTEQUAM ulterius progrediamur, de Henrici [a] Turrii Turenae vicecomitis legatione ad auxiliarem exercitum conſcribendum in Germaniam miſſi pretium videtur ut dicamus. Eliſabetha Anglorum regina toties inſidiis et apertis armis ab Hiſpanis petita, cum provideret Philippi potentiam in Gallia conſtitutam magnum ad res non ſolum in Belgio, ſed etiam in Germania, inde in Britannia, gerendas momentum habituram, ſedulo apud principes imperii Proteſtantes egerat, monueratque, ut minime periculum, quod in Henrici Francorum regis fortuna vertebatur, negligerent; ſed tanquam ad commune incendium reſtinguendum conjunctis viribus ac conſiliis mature accurrerent. Ea de cauſa Horatium Pallavicinum Genuenſem, qui ob religionem ſolum natale verterat, virum rerum agendarum peritum, ad Chriſtianum Saxonem ſeptemvirum legaverat, qui tunc inter Proteſtanteis principem locum tenebat, et in occulto Calvinianis, per Germaniam alioqui inviſis, minime iniquum eſſe, eoque magis ad fortunam regis ſublevandam propendere credebatur. Is cum ſecunda omnia a Saxone ad Eliſabetham attuliſſet, et ſpem feciſſet, ſi rex reginaque ad ipſum ceteroſque imperii principes legationem adornarent, fore, ut ex utriuſque voto res conficeret; rex ex Eliſabethae conſilio, dum [b] Giſortii eſſet, ſub finem anni praecedentis, huic legationi obeundae Turenae vicecomitem delegaverat; cui in mandatis datum, ut ante omnia in Angliam proficiſceretur, et poſt actas reginae gratias ob tam propenſam in ſe regnumque Franciae voluntatem tot ſuper alia beneficiis cumulatis teſtatam, et tam opportune nuper ſummiſſa c librarum

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [b] *Giſors.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

libtarum CIↃ ad continendas ſub ſignis externas copias alioqui dilapſuras, legationis ſibi commiſſae rationes cotam explicaret, ſeque ad ipſam miſſum profiteretur, ut ex ejus praeſcripto omnia in eo negotio faceret; tum rogaret, ut ſecum Pallavicinum in Germaniam ablegare vellet, qui imperii principibus, ac praeſertim Saxoni ſeptemviro notus, jam induſtriam et fidem ſuam eis adprobaſſet, et ſubſidii ab ipſa promiſſi fidem faceret; quo, exemplo ejus, ceteri principes ad pecuniam et opes in eam expeditionem conferendas magis incitarentur. Poſtea et literas commendatitias ad Belgii Ordines ab ipſa peteret, ut in id bellum XXX CIↃ aureorum regi commodarent. Ipſa vero IIII CIↃ peditum parata haberet, ut, cum regi commodum videbitur, in [a] Armoricam exſcenſionem faciant, bimeſtre tantum in Gallia militaturi; quod ſi a regina bellum Belgicum cauſante impetrare non poſſet, ſaltem apud eam teneret, ut eodem tempore, quo Parmenſis in regnum ingrederetur, eundem ant majorem peditum numerum per Oſtendam in [b] Pleumoſios immitteret, ad impediendos Hiſpanorum conatus, aut per eorum abſentiam ſucceſſus ſuos iis in locis feliciter perſequeretur. Et quia Joannes [c] Laſinius Bellovaſius, qui jam totum biennium in Anglia oratoris vice fungebatur, et ſucceſſorem ſibi dari petebat, miſſus cum Turenio Paulus [d] Schuartius Buzenvallius, qui, poſtquam Turenium in Belgium comitatus eſſet, in Angliam rediret, et legationem loco Bellovaſii obiret. Datae et regis ad cancellarium, Gulielmum [e] Cecilium magnum theſaurarium, et Robertum [f] Ebroicum Eſſexiae comitem literae, cum quibus Turenius agere juſſus; datae et ad Jacobum Scotorum regem fiduciariae literae, quas Joannes Morlatius pertulit, excuſatis temporis anguſtiis, quae Turenio longiorem in Britannia moram facere non ſinebant.

II. INDE cum Pallavicino et Buzenvallio in Bataviam tranſmittit, et poſtquam cum Ordinibus Belgii et Mauritio Naſſovio aliquoties collocutus eſt, et loco pecuniae auxiliareis II CIↃ pedites cum ſtipendio ad bimeſtre impetravit, Buzenvallio in Angliam remiſſo, claſſem conſcendit, et Hamburgum appulit, ac terreſtri itinere [g] Dreſenam ad Saxonem ſeptemvirum contendit: ad eum admiſſus, poſt actas uſitato inter amicos principes more gratias, privata mandata expoſuit, et ante omnia excuſavit, quod copiarum in Germania ſcribendarum nuper negotium datum eſſet Nicolao [h] Harlaeo Sancio, quae ipſius ac ducum incuria miſere periiſſent; et poſtea auxiliaris exercitus cura attributa eſſet Gaſpari Schombergio [i] Nantolii comiti, tanquam ſummo Germanicae militiae tribuno. Nam alterius culpam minime inficiari, de altero ita ſtatuiſſe, quod fidem ejus et propriis confirmatam literis et ipſius Heſſorum principis, cui, ut debet, multum tribuit, teſtimonio approbatam; ad haec ſolertiam et ſingularem prudentiam tot expeditionibus perſpectam haberet, exiſtimaretque eo gratiorem futurum ipſi ſeptemviro Schombergium, quippe cum illius frater praecipuam dignitatem in ipſius aula teneat, et alioqui vereretur, ne propter aemulationes ſecretas citra invidiam, atque adeo ſine cujuſquam injuria exercitui in Galliam ducendo imperator tam facile deligi poſſet. Sed quando intellexit, id ipſum Saxonem in ſe ſuſcipere, libenter aſſentiri, ut quem velit nominet, ſalvo Schombergii jure ac dignitate. Tum regem ſuos in Germania oratores, quibus ad principes internuntiis utatur, delegaſſe dicit, modo grati ſint, Philippum [k] Canaium Fraxineum, et Jacobum [l] Bongarſium. Inde ingreditur ſermonem de primis horum bellorum cauſis, et rerum, poſtquam rex ad

regni

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *Flandre.* [c] *de la Fin Sr de Beauvoir la Nocle.* [d] *Chouart Sr de Buzenval.* [e] *Cecil baron de Burghley grand Treſorier.* [f] *d'Evreux comte d'Eſſex.* [g] *Dreſden.* [h] *de Harlay Sr de Sancy.* [i] *Comte de Nantueil colonel general des Allemands.* [k] *de Canaye Sr de Freſnes.* [l] *Bongars.*

regni ſucceſſionem venit, ſucceſſu. Hiſpanos Lotaringis [α] hominibus ambitioſis ad odia ſua explenda miniſtris huc uſque uſos, et per Jeſuitas [β] factionis Hiſpanae emiſſarios vulgi animos ſolicitaſſe, atque hoc rebellionum incendium in Gallia, quae fide erga legitimos principes ſemper praecipua fuit, praetextu religionis excitaſſe. Hinc deteſtandi exempli parricidium ſecutum eſſe; nullumque modum efferatis cupiditatibus facere aut porro facturos tantorum malorum auctores, donec regni potentiae ac factioni ſuae adverſantis opes everterint, legitimo herede excluſo; nam jamdudum parturire Hiſpanos et pontifices ſecretam foederationem ad opprimendos eos, qui idem cum ipſis minime ſentiant. Cui reges Franciae ut ſubſcriberent, cum nulla ratione adducere potuiſſent, ex eo capitale odium contra ipſos concepiſſe, ac de regno, ſive uſurpando, ſive particulatim diſcerpendo, communicatis conſiliis ſemper cogitaſſe. Id quo pertineat videre Saxonem, ac ceteros imperii principes, ac viciſſim de conatibus tam pernicioſis, quorum periculum ad ipſos quoque ſpectet, diſturbandis mature cogitare, debere. Numerum copiarum idoneum videri, ſi ad VI CIↃ equitum, VIII CIↃ peditum adjungantur, quorum duo millia foſſorum officio fungantur. Quod ad apparatum bellicum ſpectat, ſufficere VI machinas; ſed expeditiorem ſubvectionem futuram, ſi ad menſuram et metalli miſturam in Gallia receptam, cujus ſpecimen Turenius ſecum attulerat, in Germania ipſa conflentur. Quod ſi fiat, duo hinc commoda ſecutura, ut nec ad pilas ferreas vehendas tot equorum paribus opus ſit. Nam affatim pilarum in Gallia eſſe, quae hujuſmodi machinis inſervire poſſint, et ipſas machinas ad frequentiores diſploſiones longe firmiores fore: de cetero placere, ut Chriſtianus [a] Anhaltinus, quem Saxo idoneum tanto muneri deſignaverit, exercitus ducendi curam ſuſcipiat, Tureniusque regis nomine ipſum, ut id faciat cum multa benevolentiae ſignificatione rogare juſſus, ſtipendiumque idem quod Joanni Willelmo Saxoni olim attributum fuerat; et ſi quid amplius a rege cupiat, cum eo paciſci. Ceterum cupere regem, ut copiae omnes Aprili exeunte inſtructae ſint: tunc enim jam altam ſegetem eſſe, et alendis equis idoneam: decreviſſe regem cum valido exercitu ad limitem occurrere, ne quid venientibus impedimenti ab hoſtibus afferatur; et de ſtipendio curaturum, ut ipſis in tempore ſatisfiat. Et quoniam ex Pallavicino intellexerit, nihil aliud hoc bello quaerere Anglorum reginam et imperii principes, quam ut rege in legitima regni ſucceſſione conſervato pax religionis per Galliam conſtituatur, et ſecuritas Proteſtantibus paretur, idem quoque regem declarare ſibi votum eſſe; ſed quo minus id fecerit, belli nuſquam intermiſſi neceſſitatibus impeditum fuiſſe: rem enim hujuſmodi eſſe, ut non niſi vocatis regni proceribus et ordinibus tuto confici poſſit: alioqui fore, ſi id non conſultis illis fiat, ut adverſae partis omnem ad defectiones occaſionem captantis artibus, plerique, qui in regiis caſtris ſunt, majorum religioni addicti, ab ipſo alienentur: ſed quam primum ope tam potentis exercitus res ſuas in tuto collocarit, ſedulo daturum operàm, ut per otium ex procerum et ordinum conſenſu juxta commune votum de tantae molis negotio decernatur: fide interim data, tali in occaſione aut univerſis aut ſingulis laborantibus minime defuturum regem, et II CIↃ equitum et VI CIↃ peditum cum ſtipendio trimeſtri ſuppeditaturum. Promiſſum inſuper, ſic enim et Angla et alii principes flagitabant, ut pactorum et obligationum ob id contractarum acta et inſtrumenta in regni [b] curiis et rationalium cameris

VAR. LECT. [α] hominibus ambitioſis *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed in* Ed. Gen. 1626, *leguntur*, e MSS *Reg.* & *Samm. Put.* & *Rig. deſumpta.* [β] factionis Hiſpanae emiſſarios *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626, *inſeruntur*, e MSS *Reg. Put.* & *Rig.*

INTERPR. [a] *Prince d'Anhalt.* [b] *Parlemens & chambres des comptes.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

cameris confirmarentur. Eadem cum aliis imperii principibus regi foederatis ac civitatibus agere juſſus [a] Turenius. Cum vero apud Brandeburgicum ſeptemvirum [b] Berlini eſſet, acerbe conqueſtus eſt, quod Caeſar ipſo conſulto addubitaſſe videretur, an regi debitos titulos tribuere deberet; addiditque ad contemptum, rem potius in eo publica reprehenſione dignam, quam regis juri ac dignitati praejudicaturam, feciſſe Caeſarem. Neque vero multum de ejus et Auſtriacorum malevolentia ipſum ſolicitum eſſe, qui ſe amicitia reginae, ac ſeptemvirorum, et aliorum imperii principum ac civitatum tutum videat. Inde Heidelbergam ventum, ubi cum Joanne Caſimiro, per Friderici ex fratre nepotis pupillarem aetatem ſeptemviratus adminiſtratore, et Saxonis ſororio, negotium rurſus agitatum et peractum eſt; difficultatibus, quae quotidie ſuboriebantur, Gaſparis Schombergii, qui conſiliis interfuit, viri moderati et prudentia ſumma praediti ſolertia ſuperatis. Is cum primum in Germaniam poſt Henrici III mortem venit, adhuc incertus, qua conditione in novi regis aula futurus eſſet, ut fidei, quam ſemper inviolatam erga Gallicum nomen ſervavit, ceu ſpecimen ederet, ſive periculum faceret, auctor Chriſtiano Saxoni ſeptemviro fuerat, adoleſcenti vaſti animi et opum fiducia ad majora adſpiranti, ut tam neceſſario tempore auxiliaris exercitus in Galliam ducendi curam ſuſciperet. Sic enim fore, ut ſocii principes ipſius contemplatione pecuniam largius in communem cauſam conferrent, et ipſe florentiſſimi exercitus imperator non ſolum gratiam a potentiſſimo rege pro tanto beneficio iniret, ſed in Germania, atque adeo tota Europa ingentem ſui famam excitaret; reque bene confecta in patriam rediens ad imperii, in familia Auſtriaca nutantis, petitionem, ſine ulla prenſatione, quaſi a fortuna vocatus videretur. VI CIↃ equitum, X CIↃ peditum idoneus numerus exercitui conflando viſus. Conſilium initio placuerat Saxoni, qui et eadem via delectus, quos Philippus per Germaniam habebat, ad Parmenſem contra regem mittendos, cum ſe impediturum ſperaret, eo majore ſtudio rem urgebat, ad Joannem Georgium Brandeburgicum ſeptemvirum ſocerum, necnon et Willelmum [c] Heſſum profectus, ut de ea re cum amicis principibus capita conferret. Et illi rem non ſolum probarunt, ſed ad tollendas aemulationes Saxoni perſuaſerunt, ut Jo. Caſimirum ſororium ſuum exercitus ſummum vicarium deſignaret: quam Caſimirus conditionem, ubi de principum conſilio cum eo actum eſt, in ſpeciem libenter accepit; ceterum ab eo tempore nihil non fecit, ut bene procedens negotium diſturbaret. Ad tantam expeditionem militis abunde erat, tribunis certatim ſub tanto imperatore, quanquam ejus nomen clam edebatur, huic militiae nomen dantibus: nec pecunia deerat, Saxone ipſo duorum principum, qui plurimum in eam expeditionem conferrent, vicem ſuſtinente, et pro aliis, qui ſe excuſabant, tanquam pecuniam paratam non haberent, ſe repraeſentaturum ultro offerente. Id initio tecte agebatur, ſed dum cum tribunis, nec enim aliter poterat, agitur, res tandem ad plures emanavit. Itaque Rodolfus Caeſar, qui in Philippi caput, familiae ſuae principis, hanc fabam cudi videret, partes ſuas ſine cunctatione interpoſuit, et ad Saxonem, alioſque principes legatos miſit; qui eos a ſumpto conſilio, ut imperio et ipſorum dignitati detrimentoſo, dehortaretur. Saxo, qui ab amicis monitus id praeſenſerat, eodem tempore ad Caeſarem legationem adornat, et veniſſe tempus dicit, Franciae Hiſpaniaeque regibus inter ſe bellum gerentibus, ut imperii retro ſaeculis per diſſidia collapſa majeſtas inſtauretur, et civitates, quae ab utroque occupatae ſunt, reciperentur. In id ex collata a foederatis principibus et a ſe pecunia exercitum conſcriptum, cui ſe ducem ad tam glorioſam expeditionem ultro obtulerit; nec dubitare, ſi Caeſaris favor adſpiret,

INTERPR. [a] *le Vicomte de Turenne.* [b] *Berlin.* [c] *Landgrave de Heſſe.*

adſpiret, et ipſe ejus curam ſuſcipere dignetur, quin res ex ipſius et omnium, qui CIƆ IƆ XCI.
imperii dignitati bene conſultum cupiunt, voto ſit ſucceſſura. Ad haec Caeſar HENRICUS IV.
veritus, ſi aperte contradiceret, ne principes per ſe conſilium ſumptum vel ipſo invito exſequerentur, initio id minime improbare videri voluit, et conditionem de belli gerendi cura accepit, tempore ad amplius deliberandum et res inſtruendas petito; quo interim occaſio rei gerendae elaberetur, nec delectus, qui a Philippicis habebatur, per Germaniam impediretur. Perſuaſum et Saxoni ab iis, qui moram periculoſae expeditioni quaerebant, ut ad ceteros principes majorum religioni addictos mitteret, et ſuſpiciones apud eos purgaret, quaſi non pro imperii libertate, ſed ut regi opem ferret, copias ſcriberet. Maxime omnium ab hoc conſilio abhorrebat N. [a] Crëllius Saxonis cancellarius, ſive de exitu veritus, ſive ab Hiſpanis corruptus, uti vulgo jactabatur, qui ea de re cum Joanne Caſimiro in arcano egit; hominique ſuſpicaci et ad livorem prono facile perſuaſit, vicariam praefecturam in exercitu ab aemulis ei attributam, qui ſummum imperium meritis ejus debitum ipſi invidebant. Nec enim id Saxonis dignitati datum, qui citra periculum tam procul a finibus ſuis abeſſe nequeat, quique non niſi temerario ac ſuis rebus damnoſo auſu id ſuſcipere poſſit, quod ab Jo. Caſimiri longo uſu experti prudentia omnes exſpectant; itaque daret operam, ut aut ipſi ducendi exercitus cura committeretur, aut expeditionis temere ſuſceptae conſilium diſturbaret. Non id gravate intellexit Jo. Caſimirus, qui rerum arbitrium ex ſe in Germania pendere vellet, idque ut rex, qui plus ab initio ea in re Saxoni Heſſoque quam ſibi tribuiſſet, intelligeret, ſummopere cupiebat. Itaque prenſatis Saxonis primariis conſiliariis aperte expeditionem diſſuadere coepit, his maxime rationibus, quod ab homine Proteſtantibus ſuſpecto, Schombergium nominabat, propoſita eſſet; nam cum licet origine Saxonem, patriae charitatem exuiſſe, in Franciae civitatem nuper a regibus cooptatum, quibus pet bella civilia contra Proteſtanteis in Gallia ſemper antea militavit. Id illum accenſo hoc in Germania bello agere, ut famam ſui apud novum regem excitet, et principes majorum religioni addictos ad arma capienda, quippe cum videant Proteſtantes in armis eſſe, adigat, et eos inter ſe committat, Germaniae exitio, et Galliae, in qua uxorem et liberos habet, levamento. Haec pronis auribus a conſiliariis principum accepta, quos plus pace quam bello apud eos auctoritate valere minime ignorabat. Nec cancellarius apud Saxonem deſtitit, donec et Schombergium ei ſuſpectum reddidit, et ardens illud in juvenili praepotentis principis animo gloriae deſiderium novis ſubinde difficultatibus in medium allatis plane extinxit. Tandemque annitente Jo. Caſimiro pervicit, ut ad regem ſcriberet, et alium qui exercitui auxiliari praeeſſet, propere e Gallia mitteret. Quod ubi Schombergius cognovit, [b] Baradarum juvenem ſtrenuum et impigrum ad regem mittit, qui tunc [c] Medontae poſt [d] Euriacenſem pugnam erat, ut ſuſpiciones purgaret, oſtenderetque id Jo. Caſimiri aſtu fieri, qui cum ſuperiorem in imperio non habeat, neminem parem pati poſſit, aliorumque conſilia aut ſpernat, aut injectis ſuſpicionibus evertat; ambitioſe jampridem adfectaſſe Jo. Caſimirum, ut rerum Galliae ſumma in Germania penes ſe eſſet, et cum auxiliarem exercitum ante quatuordecim annos ad [e] Andinum adduxit, poſt pacem factam inter pacta addi curaſſe, ut praefectura generalis Germanicarum copiarum ipſi deinceps attribueretur. At Schombergium ceteroſque tribunos interceſſiſſe, morem in Germania contrarium cauſanteis, ac palam declaraſſe, ſe ei minime obtemperaturos; inde ortas contra Schombergium ſimultates, qui tamen ne majorem dignitatis

ac

INTERPR. [a] *Crell.* [b] *le Sr de Baradat.* [c] *Mante.* [d] *d'Ivry.* [e] *Duc d'Anjou.*

CIƆ IƆ XCI.
HENRICUS IV.

ac juris ſui, quam neceſſitatis publicae rationem haberi videatur, ultro ſe omni auctoritate abdicare ſit paratus, dummodo regi conſtet, nihil ab illo per Germaniam actum, in quo fides, diligentia, ſtudiumque ſuum merito deſiderari poſſit. Ita autem res Proteſtantium eo tempore in imperio erant, ut opes et auctoritatis oſtentatio penes Saxonem eſſet, conſilia ex Jo. Caſimiro penderent, qui odia ac ſimultates privatas per Saxonem plerunque ignarum exercebat. Id tamen ſumma prudentia Schombergius diſſimulavit, et cum ei duae conditiones a rege, Saxonis et Caſimiri, quorum opera egebat, voluntatibus obſecundante, propoſitae eſſent, ut aut ad ſe quamprimum veniret, honorificum locum in caſtris et in aula habiturus, aut ſeorſim ab auxiliari exercitu delectus in Germania haberet, alteram elegit, et pecunia ab Heſſo amiciſſimo ſibi principe commodata, IƆC equites delectos ſcripſit; et dum ſcriberentur, [a]Turenio ſemper aſtitit, ne ullam induſtria ſua regi inſerviendi occaſionem praetermitteret. Poſtea et cum civitatibus actum.

III. [b]ARGENTINENSES, a quibus ut ab aliis pecuniam mutuam in id bellum petebat Turenius, occaſionem nacti de coenobio Carthuſianorum, cui, quod urbis illorum moenibus veluti imminebat, deſtruendo jampridem inhiabant, et vectigalibus ejus in ſuos uſus convertendis ſerio cogitare coeperunt, benevolumque erga regem animum et acceptorum olim a deceſſoribus ſuis beneficiorum memorem teſtati, non aliter tamen ſe ei ſubvenire poſſe declarant, quam ſi ipſe jus omne, quod in illud coenobium habet, in ipſos transferat. Hoc quidem ipſos jure ſuo facere potuiſſe, cum coenobium in ipſorum ſit territorio ſitum. Nam poſt pacem in imperio ſancitam licuiſſe principibus et civitatibus, quae confeſſioni Auguſtanae ſubſcripſerunt, bona eccleſiaſtica, quae in ſua ditione eſſent, ſuae ditionis facere; nec id in pleriſque principibus reprehenſum. Quia tamen intelligant coenobium hoc ad principale, quod Gallicae juriſdictioni, hoc eſt, regio imperio, ſubeſt, tanquam ordinis univerſi caput pertinere, noluiſſe committere, ut qui regiam majeſtatem ſemper comiter coluerunt, amicitiam publicam in eo violaſſe, aut regis dignitatem ſpreviſſe viderentur. Itaque petere, ut jure ceſſo et cum bona ejus gratia id facere poſſint. Jam a multo tempore bona ac poſſeſſiones coenobii per oeconomos ac procuratores a republica delegatos adminiſtrari, in eamque rem olim Franciſcum I auctoritatem ſuam interpoſuiſſe, quod prolatis ipſius literis anno CIƆ IƆ XLII datis confirmabant. Cum Turenius nulla ſe a rege hac de re mandata habere reſponderet, illi ſe non alia lege de collatione aſſenſuros oſtenderent; tandem inter partes tranſigitur his conditionibus, ut Argentinenſes intra VI Eid. Jul. XII CIƆ florenorum dependant, pro portione ſua ſummae a foederatis imperii principibus et civitatibus regi promiſſae; nec quidquam a rege petere poſſint, ob damna a milite regis nomine ſcripto per ditionem ſuam in itu et reditu data ſuperioribus bellis. Inſuper rex a XLII CIƆ florenorum ab Argentinenſibus ante triennium creditorum liberatus intelligatur, et inſtrumenta ab oratoribus regiis ea de re confecta reſtituantur, ac praeter haec omnia XII CIƆ florenorum praeſenti pecunia numerentur; viciſſim regis nomine Turenius jus omne, quod in coenobii aedificia, poſſeſſiones, ac vectigalia ſupremi dominii ratione habet, cedit, ita ut iis reſpublica libere tanquam re ſua propria deinceps utatur; promittitque fore, ut ordinis principes eam alienationem ratam habeant, de eaque ipſis a rege idonea compenſatione et aliis quibuſcunque, qui ob eam cauſam reipublicae controverſiam movere poſſint, plene ſatisfiat. Eadem tranſactione permiſſum Carthuſianis, qui in coenobio erant, ut cum omni pretioſa ſupellectile ac re ſua ad aedeis, quas in urbe habent, ſe reciperent. Id actum Argentinae V Non.

INTERPR. [a] *le vicomte de Turenne.* [b] *ceux de Strasbourg.*

Non. Jul. moxque caementarii magno numero miſſi, qui locum demolirentur, reſque ſumma celeritate executioni demandata, ne cujuſquam interceſſione remora aut impedimentum ei afferri poſſet; quod praeter rationem a quibuſdam invidioſe ſcriptis exagitatum video, quaſi privata auctoritate et vi publica id feciſſent Argentinenſes, et non auctoritas regis interveniſſet. Atqui jam ante ſexennium eadem de re cum Theodorico [a] Schombergio Bachevillerio Alſatiae regulo, Gaſparis, de quo modo locutus ſum, gentili tranſactum fuerat: cum prius Joannes [b] Boetius et Petrus Metropagita ex eodem ordine, accedente principis ordinis auctoritate, eo miſſi locum inſpexiſſent, et de ſoluta in eo diſciplina ad univerſi ordinis delegatos plene retuliſſent: nam aedificia coenobii et attributa ei vectigalia XXX CIↃ aureorum aeſtimata ſunt, quorum loco Th. Schombergius, quouſque ea exſolverentur, CIↃ IↃ aureos annuae penſionis, quae illi a domo Pariſienſi regis nomine debebantur, principi ordinis obligavir, eaque de re publicum inſtrumentum confectum eſt, ſalva in omnibus auctoritate pontificis. Quod in comitiis ordinis in majore [c] coenobio juxta Gratianopolim anno CIↃ IↃ LXXXVII celebratis recitatum, et ratum habitum eſt pridie Kal. Maias. Huicque ſubſcripſere Matthias [d] Curtinus, principis ordinis tunc ob aegritudinem abſentis vicarius, Hieronymus [e] Longus Mediolani, Bernardinus Albanus Cataloniae, Petrus Metropagita coenobii prope Bremam, Fiacrius Billiardus Allionis, Stephanus Papiae, Hier. Marcantius coenobii Liliorum in civitate Lugdunenſi priores. Cum vero, interea Th. Schombergio in pugna Euriaca occiſo, et bellis exortis, nec penſio exſoluta eſſet, nec aliae conditiones in contractu appoſitae ab ejus heredibus implerentur, res integra manſit uſque ad Turenii adventum; qui cum idem jam ex ordinis univerſi conſenſu confectum videret, cum Argentinenſi ſenatu his conditionibus convenit, quas rex poſtea ratas habuit, et jure a Th. Schombergii heredibus ceſſo poſt quinque annos cum ordinis Carthuſiani moderatoribus de compenſatione tranſegit. Ita coenobium olim, ut aiunt, a tribus opulentiſſimis civibus Joanne [f] Miſenenſi, Gerardo Saxone, et Wernero Heſſo anno CIↃ CCCXL fundatum et aedificatum, hoc anno toto menſe Sextili templo deſtructo et turre everſa Argentinenſes ſui juris effecerunt.

IV. Jamque cuncti belli duces undique ex [g] Quadis, [h] Saxonia, [i] Vandalia, [k] Thuringia, Miſnia conveniebant, in diribitorio ſtipendium accepturi, et cum primi [l] Gelanſenam ad Anhaltinum ſalutandum veniſſent, inde [m] Urſellas et Francofurtum ad Moenum praemittuntur; tum placitum principum de commeatu publicatur. Nam convenerat inter eos de pretio, quod pro frumento, avena, vino, cerviſia ceteriſque ad victum neceſſariis miles numeraret, conditione adjecta, ut ab hortis, pecoribus, ſegete ſe abſtineret. Tandem III Eid. Sextil. tribuni omnes [n] Hohemium loco idoneo et ad luſtrandos exercitus aſſueto convenerunt. Recenſiti primo equites a Thoma [o] Criechingio regulo conducti CIↃ; totidem a Fabiano [p] Donavio regulo, qui auxiliaris exercitus ante quinquennium adducti [q] imperator [α] fuerat, neque infra ſe putabat tribunus per ſe emendate, quod ſummus belli dux aliena culpa peccaverat. Sequebantur machinae bellicae cum CIↃ CC cunicularriis

VAR. LECT. [α] fuerat, et adverſa fama ob minus proſperum ſucceſſum laborabat; quam deleturus, ut aiebat, in Galliam veniebat, neque infra ſe putabat MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Schomberg, baron de Becheviller.* [b] *Don Boette & Don Pierre Charbonier.* [c] *la grande Chartreuſe près de Grenoble.* [d] *Courtin vicaire general.* [e] *le Long prieur de Milan, Bern. d'Alva prieur de Majorica dans la Catalogne, P. Charbonier prieur de Brun près de Breme en la baſſe Allemagne, Fiacre Billiard prieur de la Chartreuſe d'Alyon viſiteur de la province de Genevois, Don Eſtienne Baragis prieur de la Chartreuſe de Pavie, J. Marchant recteur de la nouvelle Chartreuſe de Lyon.* [f] *J. Meiſſen, Ger. de Saxe & Weruer de Heſſe.* [g] *Sileſie.* [h] *Saxe.* [i] *Brandebourg & Pomeranie.* [k] *Thuringe & Miſnie.* [l] *Gelanſen.* [m] *Urſel & Francfort ſur le Mein.* [n] *Hecheim.* [o] *Baron de Kreickinghen près de Mets.* [p] *Baron de Dhona.* [q] *Mareſchal de camp.*

CIƆ IƆ XCI.
HENRICUS IV.

cunicularïis ſeu foſſoribus. Tum incedebat legio Francica CIƆ IƆC equitibus ſeu peditibus delectis conſtans, ductore [a] Turenio. Poſt eum [b] Anhaltinus cum CIƆ CC equitibus, et Georgius Willelmus [c] Berbiſdorſius cum CIƆ. Turenius ſummum univerſarum copiarum, donec eae regi traditae eſſent, ſumpſit imperium, aſſentiente Anhaltino, penes quem [d] teſſerae dandae jus manſit; conveneratque inter eos, ut poſt traditum regi exercitum, in eum ſummum imperium retineret. Luſtratis a Turenio et Anhaltino copiis ſacramentum cuncti ſublatis manibus dixerunt, ſe regi Francorum per trimeſtre fideliter militaturos, continuoque tubis concinentibus univerſae machinae in publicae laetitiae ſignum diſploduntur. Planitiem amplam vallum exiguum interjectum diſcriminabat, in cujus altera parte peditatus luſtratus eſt, in quo numerati ſunt VI CIƆ peditum, ductoribus Hermanno [e] Wedenſi comite et Lentio regulo, qui cum equitatu ad [f] Vallauſum paratis LXX ſcaphis et aliquot majoribus navigïis Rhenum tranſmiſerunt. Aliquanto poſt Arnoldus [g] Frentzius in caſtra venit cum IƆC equitibus, et Olivarius [h] Templius cum II CIƆ peditibus et CC equitibus, Iſelſtenius et [i] Quadius ſinguli cum CC equitibus et IƆC peditibus; [k] Fabiani Reburii vicarius, nam ille aberat ſcribendo militi in Batavia intentus, cum C equitibus, et CCCC peditibus. Cum his copiis Turenius et Anhaltinus cum haud procul a [l] Nuenhovio Palatinatus ditionis oppido veniſſent XII Kal. Sept. ſic exercitum inſtruunt, ut in primo agmine Turenius ſtaret, in ſecundo Anhaltinus, in tertio Berbiſdorſius; quem ſequebantur CCCC Iſelſteiniani pedites, et cum totidem Reburii vicarius; tum Criechingius cum ſuo equitatu, et poſt eum Bernardus [m] Deſſaviae princeps, Anhaltini gentilis, qui praetoriam cohortem equitum Anhaltinorum ducebat. Poſt Bernardum Donavius cum CIƆ equitibus, et poſt Donavium hinc inde Lentiani et Weidenſes pedites incedebant (nam Hermannus comes CCCC equites ducebat) et Templius cum CCCC peditibus et CC equitibus. In altero cornu erat Chriſtophorus [n] Ellerus cum peditum agmine, et in medio eorum [o] Werſterburgus comes cum delecta peditum item manu. III CIƆ curruum tanquam vallo totus exercitus claudebatur. Tormentorum et apparatus bellici ducendi cura ſortibus jacta Donavio obvenit. Cum ita incederent, ad eos ultimi venere caecus Mansfeldius comes et Joannes [p] [1] Berici comes e Thuringia. G. Schombergius diverſo itinere per montana [q] Argentoratum duxit, ubi et Rhenum tranſïit; ad quem paulo poſt Reburius ſuperveniens, cum Turenium inſecuturus Rheni tranſitu prohibitus fuiſſet, pleriſque e ſuis dilabentibus, ſe aggregavit. Joan. Caſimirus in via occurrens venienteis inviſit, feſta tormentorum diſploſione reſalutatus, et per aliquot horas de communibus negotïis cum Turenio et Anhaltino capita contulit. Inde iter perſequuntur, ad Homburgum, [r] Forbachium et Sanſortium arces velitationibus commiſſis; a prima cum damno rejecti, reliquas duas vi expugnarunt et diripuerunt.

V. RES interea apud nos calebant. Prima Pariſienſium expeditio fuit ad Dionyſii fanum intercipiendum, quod cervicibus ſuis quaſi arcem impoſitam impatienter ferebant in urbe factioſi. Oppidum illud paulo plus IIII CIƆ paſſuum Lutetia diſtat, ſitu firmum, quippe in loco plano et undique paludibus interſecto poſitum, ſed muro gypſaceo admodum humili et debili, nullo pomoerio intus firmato, et foſſa anguſta nec multum profunda tunc vallatum. Quaſdam in eo munitiones

INTERPR. [a] *le vicomte de Turenne.* [b] *le prince d'Anhalt.* [c] *Berbiſdorff.* [d] *le mot.* [e] *le comte de Wied, & le baron de Lenty.* [f] *Valhauſen.* [g] *Frentz.* [h] *de Tempel.* [i] *Quad.* [k] *Rebours.* [l] *Newenhoff.* [m] *Prince d'Anhalt qui ſe tient à Deſſau ſur Elbe.* [n] *Eller.* [o] *de Weſterburg.* [p] *Comte de Barby.* [q] *Strasbourg.* [r] *Forbach & St Avol. Les Allemans l'appellent Santafort.*

NOT. [1] *lege* Barbii. Il n'y a point de comte de Berici; il faut que ce ſoit le comte de Barbi qui eſt prés d'Anhalt. *Put.*

CIↃ IↃ XCI.
Henricus IV.

munitiones [a] Bironus olim, cum Franciſcus [b] Alençonius ante XVI annos ex aula impacato animo deceſſiſſet, tumultuaria opera exſtruxerat; quae tantum inchoatae temporis et coeli injuria omnino collapſae erant. Et cum nuper Lavardinus locum tuendum ſuſcepiſſet, magna licentia miles in domos inquilinis vacuas et diverſoria, quae nundinis bis anno in illo oppido frequentibus ſerviunt, graſſatus fuerat, aedificia paſſim ad materiam vendendam deſtruens, aut pro ligno aſpera jam hyeme abutens. Itaque Dominicus [c] Vicus, qui Lavardino ante octo tantum dies ſucceſſerat, locum deſertum ac ruinis deformatum nactus, magna anxietate conflictabatur; nam et multo milite, qui non ſuppetebat ob loci vaſtitatem, opus erat, et foſſorum magno numero, quorum tamen ob intenſum frigus et paſſim gelu concretas paludes opera inutilis erat, eoque facilior acceſſus hoſti ad invaſionem patebat, adeo ut eques per glaciem incedens ad pedem uſque muri poſſet ſubire, et murum ipſum humilem altitudine aequaret. Ducem expeditionis ſe praebuit [d] Claudius Lotaringus eques Hieroſolymitanus, homo ferox et periculorum contemptor, cum IↃ CCC peditibus et CC equitibus noctu profectus pervigilio S. Genovefae, cujus in tutela quod urbs eſſet, magna quoque fiducia de favore ejus in conatu proſperando concepta fuerat. Arriſit fortuna initio: nam per foſſam glacie ſtantem facile murum humilem et pleriſque locis dirutum ſuperavit miles, et raris propter loci amplitudinem excubiis ad portam Pariſienſem ſine certamine venit, clauſtriſque refractis equites introduxit; moxque concurſus quaſi jam oppido potientium ad coenobium factus, ſublatis clamoribus horrendis. Ipſe Claudius nomine ſuo a milite ſaepius inclamato gaudens, enſe ſtricto pedes ante alios incedebat, cum Vicus, vir impiger et ſidei incorruptae, ad ſubitum caſum, neque tamen non ante ſibi proviſum, perculſus, cum ſeptem e nobilitate fidis arma capit, et equis conſcenſis coenobio prodiens ex deſperatione conſilium capit. Nam tanti momenti oppido, in quo obſidendae denuo urbis ſpes repoſita erat, quanquam nulla ſua culpa intercederet, amiſſo ſupereſſe, ſi non ad fidem, ad ſuum certe decus pertinere exiſtimabat. Neque ſe tamen in hoc deplorato rerum ſtatu deſeruit, ſed tubicine ſecum ducto, et quaſi numeroſus equitatus adeſſet, canere juſſo, per tenebras palpanti hoſti terrorem incuſſit, et mori certus in medios ruens, primos ordines diſturbavit, ipſumque Claudium in diverſorium publicum, cui pro inſigni enſis liliatus erat, quod ominis loco acceptum eſt, compulit: in quo ille ab uno e ſeptem equitibus ignaro, quis eſſet, interfectus eſt, non utique ignaris commilitonibus ſuis, ad quos ſtatim ſama amiſſi ducis per ordines tranſvolans pervenit, tanta conſternatione ſecuta, ut non jam de retinendo oppido, quod captum tenebant, cogitarent, ſed de ſalute propria ſoliciti, fugam, alii in alios, perturbatis ordinibus, revoluti arripuerint, tribunis huc illuc vagis, et per noctis opaca ſuos non dignoſcentibus. Deſiderati in ea confuſione, nam praeſidiarii interea ad Vicum convenerant, circiter CC; pauci capti, reliqui trepida fuga ad urbem ſe receperunt, ſe proditos, et deae tutelaris, quam propitiam ſibi fore ſperaverant, quaſi adytis urbis exceſſiſſet et ad regios transfugiſſet, numen incuſantes. Ab eoque tempore obſervatum fuit, cultum ejus antea tantopere frequentem, apud plebem Lutetiae refriguiſſe; inde triſte ſilentium inter factioni addictos, et apertior laetitia in pleriſque civibus viſa, qui [e] Dionyſii-fanum in regis potius, atque adeo Vici viri moderati, quam in novi domini poteſtate eſſe ad ſuam ſecuritatem haud parum conducere judicabant. Siquidem fama erat, Claudium, ſi conatus ſucceſſiſſet, decreviſſe eo loco, tanquam arce, quam utique Lutetiae non

INTERPR. [a] *le mareſchal de Biron.* [b] *Duc d'Alençon.* [c] *de Vic.* [d] *Claude de Lorraine chevalier d'Aumale.* [e] *S. Denis.*

non habebat, uti; in quam ſuſpectos id eſt, civeis opulentos et pacis conſilia ſectanteis per emiſſarios ſuos quotidie comprehenſos includeret. Corpus ejus repertum arca lignea, quando plumbum non ſuppetebat, incluſum, et in imo majoris templi ſacello depoſitum eſt; poſteaque animadverſum mures ſeu ob foetorem, ſive alia cauſa fuerit per commiſſuras irrepſiſſe, et partes omnes carnoſas eroſiſſe. Rex tunc [a] Silvanecti erat, ad quem nuncius de capto oppido venit a Joanne [b] Turino Hieronymi ſamoſi illius ex [c] Fano-Sepulcri in Etruria filio allatus, qui ex febre quartana debilis, ſub veſperam praecedentis diei ex agro in oppidum ad curandam valetudinem venerat, et in diverſorio portae Pariſienſi primo occupatae proximo hoſpitium ſumpſerat. Cum igitur longius jam praetervectum hoſtem videret, ſicque judicaret, locum immunitum et undique apertum eadem facilitate, qua captus fuerat, poſſe recipi, ſi rex hoſte adhuc ad praedas diſcurrente celeriter ſuperveniſſet, officii ſui eſſe duxit, regem quamprimum de caſu certiorem facere. Quod tamen longe aliter acceptum eſt, allaris poſt horam ad regem laureatis Vici literis, quibus Dei gratia et bona ipſius fortuna factum dicebat, ut Fanum-Dionyſii in ſummo periculo verſatum nec captum fuiſſet, et hoſtium dux in ipſo conatu occubuiſſet. Nam ſtatim cuncti in Turinum, qui aderat, oculos conjicere, quidam riſum tollere, alii dicteriis inceſſere, quod nimis diligens fuiſſet, et celeritatem illam fugam interpretabantur. Cur enim non potius cum Vico pugnans in veſtigio manebat? Aut cur dum officioſus vult videri, triſti nuntio de re non bene ſibi comperta regis animum perfundebat? Quae voces ita alte in pectus generoſi hominis deſcenderunt, ut quanquam rex et prudentiores factum excuſarent, ipſe ex eo non ſolum aula, in qua notus erat, et caſtris regiis, ſed Gallia omnino abſtinuerit, et in Etruriam, ubi aliquot poſt annis deceſſit, relicta uxore et liberis, migraverit.

VI. REX laudata Vici fide et animi praeſentia, protinus Deo agendas gratias decernit, vocatoque paſtore in aedibus ſuis preces juſſit concipi, quibus interfuit, et pſalmum decantari mandavit: ceteros ad majus urbis templum pergere juſſit. Vicum autem opimo coenobio, quod [d] Beki nomine in [e] Lexovienſi diocceſi indigetatur, et a Claudio poſſidebatur, pro re bene geſta donavit; paulo poſt, ut quod hoſtes ad Dionyſii-fanum infeliciter tentaverant, in urbe ipſa exſequeretur, aſtum ſtruit, ſparſaque fama, quaſi copias in hiberna miſſurus eſſet, Ludovicum Gonzagam [f] Nivernium a [g] Provinii obſidione revocat, qui ut ab ſuſpicione inſidiarum animos Pariſienſium averteret, [h] Latiniacum venerat, quaſi exercitum regi traditurus, et inde domum reverſurus, quod rex de religione, ſicuti ſuis promiſerat, minime intra tempus conſtitutum ſatisfeciſſet. Eodem tempore [i] Eſpernonius copiis ſuis ad [k] Bellomontium traductis Dionyſii-fanum quoque venerat, et Annas [l] Anglurius Givrius itidem per [m] Matronam juxta Latiniacum ſuas traduxerat. Quod non ita recte agebat, quin rumore increbreſcente Franciſcus [n] Avertonus Belinius, qui urbi praeerat, cuncta ad defenſionem pararet. Erant cum eo [o] Carolus Pellevaeus Salſaeus Nicolai cardinalis frater, Theophilus Rogerius [p] Grammontanus, Ludovicus Bellovallius Tremblacurius, Serilliacus Belinii frater, Tiercellinus Cevallerius, Gauvilla, Bellijocus Jaugius, Marinus, Forceus; cum legionibus Florimondi [q] Halvinii Menelei marchionis, ipſius Tremblacurii, et Germana Jacobi [r] Collalti comitis. Igitur per XVI urbis regiones duces diſtributi, et copiae, quae ſigno dato ad ſubita praeſto eſſent, et XIII Kal. Febr. quae in Dominicam incidebat,

INTERPR. [a] *Senlis.* [b] *de Turin.* [c] *San Sepolcro en Toſcane.* [d] *Abbaye de Bec.* [e] *de Liſieux.* [f] *Duc de Nevers.* [g] *Provins.* [h] *Lagny.* [i] *Duc d'Eſpernon.* [k] *Beaumont.* [l] *d'Anglure Sr de Givry.* [m] *la Marne.* [n] *de Faudoas dit d'Averton Sr de Belin.* [o] *Charles de Pellevé Sr de Sauſſay.* [p] *de Grammont, L. de Beauvau Sr de Tremblecourt, le Sr de Serillac frere du Sr de Belin, Tiercelin de la Chevallerie, de Gauville, de Beaujeu Sr de Jauges, de Marins, & de Forcez.* [q] *d'Hallwin marquis de Meygnelers.* [r] *de Collalte.*

incidebat, quaque ob ſelicem Gregorii XIIII inaugurationem publicae ſupplicationes celebrari debebant, duplicatae excubiae; et cum nocte concubia allatum eſſet, viſas haud procul hoſtiles copias, paſſim pulſata pet urbem tintinnabula, ita ut omnes in armis eſſent, etiam ſuſpecti. Nam pridie edictum fuerat, ut cuncti ſigno dato ad regionem ſuam armati convenirent: niſi facerent, januis domorum effractis in cuſtodiam traderentur. Sic autem otdo inter regios compoſitus erat. Delecti ordinum ductores habitu ruſticorum et aſinos ſaccis farinarum onuſtos impellentes praeibant, qui tertia hora matutina ad portam [a] S. Honotati pridie ob adverſos nuncios terra aggeſta fimo intus occluſam hora tertia poſt mediam noctem comparuerunt, admitti petentes; nam noctu tantum, qui commeatum in urbem inferebant, ob vicina tegiorum praeſidia incedebant; qui a Tremblacurio ad flumen deſcendere, quod porta teſerari non poſſet, et illic lembum ad eos excipiendos paratum exſpectare juſſi ſunt. Jamque in ſuburbium vicinum in Capucinotum coenobio LX alii delecti habitu item ruſticotum conglobati convenerant, carros et equos ſecum ducentes, ut portam ſemel apertam occuparent. Hos ſequebantur loricati IↃ et CC ſcloppetarii duce Lavardino. Secundum agmen ducebat Carolus [b] Bironus cum IↃ CCC peditibus et CCCC loricatis; [c] Lanovius, Givrius, Marivallius, Surdiſius, C. Balſacus Dunenſis cum delectis agminibus, ſinguli locis ſuis diſpoſiti. Tum Helvetii incedebant cum II machinis ad perrumpenda obſtantia, ſcalis, pluteis, vineis, malleis, ſecuribus, ac reliquo apparatu. Rex cum [d] Longavillano et Eſpernonio in ſuburbii ingreſſu pedes ſubſtiterat. Solus Nivernius in equo ob cruris debilitatem ſedens cum teliquo equitatu remanſerat, impedimentis poſt [e] Montem-martytum longius telegatis. Altum ſilentium extra urbem inter regios fuit, cum cuncta in urbe armis ſtreperent. Unde cognito inſidias detectas, inter belli duces a tege in conſilium vocatos conſultatum fuit, coepto abſiſtere an conata exequi expediret, et tutius quam periculoſius conſilium placuit. Itaque reductae copiae, relictis in ſuburbio, qui recedentium ultimum agmen tuerentur. Pariſienſes periculo defuncti uſitata laſcivia gratias Deo agunt, decernuntque, ut quotannis ſicut regifugii, obſidionis ſolutae, et conatus ſcalis admotis irriti, ſic [f] Farinarum dies inter feſtos celebraretur. Ceterum ex periculo urbis ſuum fecere commodum ſeditioſi et Hiſpanae factioni addicti. Nam mox ad tutelam accerſita Hiſpanorum et Neapolitanorum veteranorum auxilia ex conſenſu civium; quod antea recuſaverant. Firmata item [g] Meldorum civitas, ex qua commeatus copioſus in urbem importabatur, externo praeſidio; quaſi jam omnis ſpes in Philippi opibus adverſus victricem tegis fortunam repoſita eſſet.

VII. Hoc ipſo conatus irriti die Gregorius novus pontifex ad Philippum Segam Placentiae epiſcopum literas dat, artificioſe ad erigendos plebis prope conſternatae animos, publicatas; quibus ſignificabat, ex quo ad ſummi magiſtratus faſtigium evectus fuerat, ſibi praecipuam curam fuiſſe, ut ex nobiliſſimo regno impios haereticorum errores profligaret, Catholicae religionis cultu confirmato, ac diſſidentium animorum motus ſtabili pace inita componeret; quod ſolum Catholico ac pacifico rege conſtituto, nec aliter fieri poſſe conſtaret. Ita autem ſentire ad hoc perficiendum nihil magis conducere, quam ſi civitatem Pariſienſem regni matricem et Catholicae fidei propugnaculum, ab ingruentium hoſtium conatibus ſalvam tueretur: quam cum magnis in anguſtiis verſari, et ſumptibus in obſidione nupera factis ſummopere gravatam eſſe intelligat, decreviſſe delectas ad ejus conſervationem copias mittere cum ſtipendio; ad id deſtinata ex apoſtolico aerario XV CIↃ

aureorum

INTERPR. [a] *Porte S. Honoré.* [b] *le baron de Biron.* [c] *de la Nouë, de Givry, de Marivaux, de Sourdis, & Ch. de Balſac Sr de Dunes.* [d] *Ducs de Longueville & d'Eſpernon.* [e] *Mont-martre.* [f] *journée des farines.* [g] *Meaux.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

aureorum ſingulis menſibus, quoad expedire videbitur, exſolvenda; ut eadem civitas intelligat, pontificem, qui nihil hoc bello niſi religionis defenſionem et regni tranquillitatem praetendat, non tam praeclaram ejus in fidei adverſus nefarios Sectariorum auſus propugnatione conſtantiam laudare, quam opibus tam neceſſario tempore ipſam juvare, apud animum ſuum conſtituiſſe. Ea de cauſa cum ad generale unionis conſilium, tum ad ceteros regni proceres ac nobileis ſcripſiſſe, ac literas uni ex praeſulibus domeſticis brevi perferendas dediſſe. Ad has literas Placentinus, cum eas publicaret, ſuas addidit x Kal. Mart. quibus de tam laeto nuncio magnifice gratulabatur; nam ſic futurum, ut ejus lectione, qui probi ſunt, firmentur magis; inflammentur, qui tepidi; confundantur denique, qui obſtinato vel faſcinato potius animo haereticas partes hactenus ſecuti ſunt, cum viderint, quo ſtudio, ac diligentia prudentiſſimus ipſe medicus, quodam divino Numine afflatus, fomenta languenti ſubinde regni hujus cordi propria manu parata adhibuerit. Nam ex eo mox procul dubio ſecuturum, ut ſalva et incolumi civitate illa, quae eſt totius imperii ſedes, regnum uni deferatur, qui et Catholicae religionis tuendae et publicae quietis reducendae, qua ſalus ejus conſtat, dux et auctor eſſe poſſit, et ab optima ipſius cordis conſtitutione reliqua etiam membra vireis ac firmitatem recipiant; alii inde validum petant imbecillitatis ſuae praeſidium; alii denique quam peſſime ſecum agatur reputantes, propriae conſcientiae ſtimulis acti, tandem aliquando retecto, quod intra cutem ſubeſt, eoſque miſere conficit, vulnere, amicas ac ſalutareis manus in poſterum a ſe rejicere deſinant. Secundum haec omnia Romae feſtis belli longinqui apparatibus ſtrepebant: Gregorius Herculem Sfondratum fratris filium, cujus fratrem Paulum ſtatim atque pontifex renunciatus fuerat, cardinalem dixerat, cum in eum omnes opes ac familiae fortunas conferre cuperet, ante omnia honorificentiſſimo matrimonio auxit, deſponſata ei Maſſae principis filia, nuptiae fiduciariae, hoc enim ad demerendam pontificis gratiam ambiverat magnus Etruriae dux, Florentiae celebratae; et poſtea ad [a] Sfortiam arcem, ubi magnificentiſſime a Paulo Sfortia ſponſus et ſponſa excepti ſunt, conſummatae ſunt. Inſuper ſumma ſanctae Romanae eccleſiae et Vaticani praefectura ornatus eſt, baculo ceremonia ſolemni tradito, eique vicarius Hermes [b] Vicecomes datus. Martio proximo ſummus exercitus in Galliam deſtinati imperator pronunciatur, ac poſtremo [c] Montis Marciani ducis titulo inſignitur: quod exiguum caſtellum in [d] Piceno, morte Alex. Picolominei, in fiſcum reciderat. Id rurſus ſumma pompa actum, in S. Mariae majoris templo celebratis ſolemnibus, IV Eid. Maias; ubi et duo inſignia vexilla ex pontificis manu ſuſcepit. Dum adhuc Romae eſſet, Carolus cardinalis Lotaringiae eo venerat, a parente et foederatis miſſus, et cum eo Petrus Balduinus [e] Porta, Meduanio ab epiſtolis, ut et pecuniam, cujus penuria illi praecipue laborabant, aut facultatem alienandi in regno ad belli ſacri, ſic enim illud vocabant, uſus bona eccleſiaſtica a pontifice impetrarent; inſuperque ut exercitus, quem miſſurus eſſet, in Lotaringiam deſcenderet, ad prohibendum auxiliarium Germanorum tranſitum. Venerat et Sueſſae dux, ut in Henrici Guſmani [f] Olivarae comitis in Siciliam cum proregis titulo miſſi locum oratoris munere fungeretur, qui ut partem eccleſiaſticorum Hiſpaniae bonorum hero ſuo ad belli neceſſaria decerpere liceret, enixe petebat. Neuter quod volebat obtinuit a pontifice. Ad Helvetios et miſſi, qui VI CIↃ peditum ſcriberent, et de C ducatorum CIↃ, quae Ludovico [g] Fiſero debebantur, et pro quibus frater ejus Romae Cajetanum cardinalem, qui fidem, dum Lutetiae eſſet, ſuam interpoſuerat, interpellabat, cum V pagicis tranſigerent. In [h] Inſubribus copiae omnes collectae, non ſolum

INTERPR. [a] *alla Sforzeſca luogo di Paolo Sforza.* [b] *Viſconti.* [c] *Monte-marciano.* [d] *Marca d'Ancona.* [e] *des Portes Baudouin.* [f] *Olivarez.* [g] *Phiffer.* [h] *le Milanois.*

ſolum quae a pontifice in Galliam deſtinatae, ſed quae in Belgium M. Pio [a] Saxolio et Guterrae Alexandriae praefecto ducendae erant. Unde magna damna a popularibus accepta, eoque graviora, quod ab amicis darentur. Tandem ineunte Quintili ad [b] Laudem Pompeii recenſitus exercitus pontificius, in quo numerati ſunt CIↃ levis armaturae equites in X turmas diviſi: praetoriae praeerat Petrus Cajetanus nuper e Belgio in Italiam reverſus; ceteris ordine Aſcanius [c] Corneus, Octavius Caeſius, Ant. Maria Pallavicinus, P. Franciſcus Vicecomes, Ludovicus Arcimboldus, Leonardus Avolius, Marius Raſponius, Octavius Pignatellus, et Fabritius Denticius. Praeter eos C [d] equites cataphracti, qui peculiariter Sfondrato imperatori ſuberant, quibus legati titulo praeerat [e] Melzius eques, et XXC ſcloppetarii equites pro Sfondrati ſtipatu, quos ducebat Caeſar [f] Rigoletus. Peditatus omnis in IX ſigna diſtributus erat, ducibus [g] Borſio Acerbo, qui et primarius centurio erat, Rodolſo [h] Balcono Peruſino, qui praefecti caſtrorum inter pedites munere fungebatur, Jo. Bapt. [i] Godoſredo Romano, Beliſario [k] Simoncellio Urbeventano, [l] Simone Capiſucca Romano, [m] Antinoo Cordella Firmano, Raphaele Torello Fanenſi, Vincentio Naldio Faventino, et Friderico Giſlerio Boſcenſi.

CIƆ IƆ XCI. HENRICUS IV.

VIII. INTEREA rex ut urbem annonae inopia ad obſequium reduceret, commeatum, qui copioſus ex [n] Belſia et Carnutibus importabatur, omnino intercludere ſtatuit, [o] Autrico Carnutum metropoli et vicinis caſtellis captis. Et ut imparatos opprimeret, diu, quo duceret, incertum hoſti reliquit. Nam cum [p] Silvanecto in [q] Briam tranſiiſſet, et [r] Provinium obſidere cum [s] Nivernio finxiſſet, ad Bironum equitum tribunum ſcribit, ut cum primum ex [s] Neuſtria, quo cum ad deducenda belli ſubſidia ex Anglia Dieppam advecta miſerat, [t] Medontam rediiſſet, quaſi ad ipſum tendens in Belſiam deſcenderet, et converſo mox itinere Autricum, antequam auxiliis firmari poſſet, obſidione cingeret. Quod ille ſedulo fecit V Eid. Febr. [u] Cruccius [v] Aureliano cum delecta equitum et peditum manu profectus, ut obſeſſis in auxilio eſſet, in itinere caeſus eſt, vixque ipſe cum paucis in urbem admiſſus eſt; eoque biduo poſt rex cum Nivernio, Aumontio equitum tribuno, Carolo [w] Birono, Franciſco Colinio Caſtellionaeo, aliis belli ducibus venit. Urbem tuebatur Georgius [x] Babous Bordeſerius cum Ludovico [y] Valla Piſcario ſtrenuo viro. Et oppidani valde ſe ad defenſionem egregie animatos oſtendebant, ceperantque fiduciam, quod et paſſim jactabant, ex irrita Condaei ante XXIII annos obſidione, quaſi in Sectariorum poteſtate non eſſet, urbem in tutela virginis pariturae poſitam expugnare. Eorum ſpem aliquandiu ſuſtentavit tumultuario coeptae obſidionis ſubinde mutata ratio, diſſidentibus ducum ſententiis: et cum transferri verberationem placuiſſet, multum temporis effluxit, dum pilae, pulvis, et cetera bellici apparatus ex [z] Perticenſi agro adveherentur; parumque abſuit, quin ab obſidione omnino diſcederetur. Sic enim fere rex ab omni re ante proviſa, niſi quam ſucceſſus daret, imparatus bellum adminiſtrabat, ut conatum qui impetu non valebat, protinus omitteret. Sed vicit diligentia et auctoritas Philippi [a] Huralti Cevernii cancellarii Carnutum praeſidis, qui praefecturae, in qua ampliſſimas poſſeſſiones habebat, reſtitui cupiebat; et praecipuus expeditionis ſuaſor fuerat. Is et

ad

INTERPR. [a] *Saſſuolo & Gutierra.* [b] *Lodi.* [c] *della Corgna, Oct. Ceſis, A. M. Pallavicino, P. F. Viſconti, L. Arcimboldo, L. Avolio, M. Raſponi, Oct. Pignatelli, & Fabr. Dentici.* [d] *una compagnia di Lancie.* [e] *il cavalier Melzi.* [f] *Rigoletti.* [g] *Borſo Acerbo.* [h] *Bagliani Perugino.* [i] *Gottifredo Romano.* [k] *Simonelli Orvietano.* [l] *Simone Capizucchi.* [m] *Antinozo detto il Cordella da Fermo, Raph. Torello da Fano, V. Naldi da Faenza, & Fr. Ghiſlieri dal Boſco.* [n] *Beauſſe & pays Chartrain.* [o] *Chartres.* [p] *Senlis.* [q] *Brie.* [r] *Provins.* [s] *Duc de Nevers.* [s] *Normandie.* [t] *Mante.* [u] *le capitaine la Croix.* [v] *Orleans.* [w] *le baron de Biron, & Fr. de Coligny Sr de Chaſtillon.* [x] *de Babou Sr de la Bourdaiſiere.* [y] *du Val Sr de la Peſcheray.* [z] *le Perche.* [a] *Hurault de Chiverny gouverneur du pays Chartrain.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

ad oppugnationem neceſſaria propriis ſumptibus ſuppeditabat, et ſi in obſidione pergeretur, obſeſſos brevi deditionem facturos confirmabat. Nam pleroſque in urbe eſſe, et in iis epiſcopum Nicolaum Thuanum indigne a ſeditioſis ab initio habitum, et inter primarios civeis ſummae auctoritatis viros, qui praeſentem rerum ſtatum mutatum malint. Tum ad exiſtimationem regis pertinere dicebat, ne incepto quaſi temere ſuſcepto abſiſteret; nam id pro infirmitatis confeſſione accepturos non ſolum hoſteis, ſed multos ex regiis, quibus bellum unum, quod ante oculos eſt, non ſatis eſt, et novorum motuum materia quotidie quaeritur. Nec vana erant Cevernii monita.

IX. NAM tum coepit inter regios ſecreta coitio eorum qui ſecto duabus factionibus regno ſubſecivam ex altera facere: quae ob id [a] tertiana dicta eſt. Principium mali a familia regia fuit, publicato ſupplici libello, ſed incerto auctore, quo rex rogabatur, ut ad pacificandum regnum, quod religionis cauſa turbabatur, Sectariorum errorem mature ejeraret, et majorum religioni nomen daret; alioqui fore, ut plerique, qui ejus cauſam ut legitimi heredis ea ſpe huc uſque omni ope et favore complexi ſunt, ab illius partibus proculdubio diſcedant, et nova ex fortuna conſilia capiant. Quod multis rationibus amplificabatur, rei acerbitate, exquiſito verborum ad demiſſionem artificioſe compoſitorum delectu, mitigata, quaſi ſcriptum ab homine bene erga regem affecto profectum eſſet; cum conſtaret, id ex cardinalis Borbonii officina prodiiſſe, et [b] Andegavi urbe minus, niſi arx obſtaret, fida, typis excuſum. Nam metus inſeſſerat auctores, ne [c] Caeſaroduni, ubi ſenatus erat, ſi factum eſſet, ſecretum emanaret. Auctores fuere Joannes [d] Tuchardus, olim cardinalis praeceptor, homo ſtolide ambitioſus, et qui ad paedagogicam, quam exercere non poterat, aulicas fraudes adjecerat: eoque [α] ſolertior Jacobus [e] David [β] Perronus adoleſcens in Peripatetica philoſophia et ſcholaſtica ex ea nata theologia egregie doctus. Ad haec peramoeno et faceto ingenio et verſibus Gallice pangendis felici, qui Philippi Portae viri optimi et opima fortuna, quam adeptus eſt, digniſſimi commendatione in aulam ſe inſinuaverat, ejerata, in qua educatus fuerat, Proteſtantium [γ] doctrina. Is conciliata ſibi Tuchardi amicitia in familiam cardinalis Borbonii receptus fuerat; qui quamvis procul a gravitate et conſtantia tanto faſtigio digna abeſſet, tamen literarum prae ſe amorem ferebat, eaque re utcunque dignitatem tuebatur: eo ingenio cum eſſet, abalienatis ab ſe ceteris amicis, qui illum ad concordiam et erga regem obſequium, ut regno ipſique ſalutare hortabantur, teterrimae factionis fundamenta jaciuntur: et quia cauſa religionis obtendebatur, in qua principem locum pontifex obtinet, idque Romae agi ſciebat, ut excluſo rege in familiam ſanctae ſedi addictam regnum transferretur, ad eum honorificam legationem ante libellum publicatum adornat, quam obivit Scipio [f] Balbanius Lucenſis homo facultatibus lapſus a Tuchardo delectus; et ut omnem ſuſpicionem purgaret, cum ut ſibi officii cauſa ad pontificem cum literis mittere liceret, cardinalis venia petita a rege impetraverat. Ceterum legato mandata ſecreta data, ut certiorem pontificem faceret, de

VAR. LECT. [α] Verſutior, MSS *Reg. Put. & Rig.*

[β] Perronus ignobilis e Proteſtantium ſecta paſtoris filius, adoleſcens MSS *Reg. Put. & Rig.*

[γ] doctrina. Praeſentia ingenii, et dicendi quam ſcribendi facultate melior: cumque poſt regis mortem in ſumma inopia remanſiſſet, miſeriae ſuae ſubſidium quaerens, conciliata ſibi Tuchardi amicitia in familiam cardinalis Borbonii perruperat; aſſentatione, blanditiis, dicacitate, et quod plurimum in aula poteſt, ferreae frontis audacia, vacuum ejus animum facile occupaverat. Erat quippe cardinalis mente ſoluta et oblectamenta tantum praeſentia ſectabatur; de futuro ſecurus, ad omnes rumuſculos credulus; a calumniis, et altera parte praeoccupari facilis; in ceteris levitate, et in rebus ad religionem ſpectantibus ſuperſtitione, vitae interioris ſcurrilitate a patruo cardinali minime degenerans, foeda ad ſordes uſque avaritia longe inferior: ſed literarum prae ſe amorem ferebat, eaque re utcunque dignitatem tuebatur: ad negotia in ſpeciem aſſiduus, quamvis procul a gravitate et conſtantia, tanto faſtigio digna abeſſet. Eo ingenio cum eſſet, facile cum tali homine ei convenit. Itaque, abalienatis ab ſe ceteris amicis MSS *Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le tiers parti.* [b] *Angers.* [c] *Tours.* [d] *Touchard.* [e] *Davy Sr du Perron.* [f] *Balbani Lucquois.*

de praecipua ſua erga ipſum et ſanctam ſedem obedientia; et excuſaret, quod in Navarri comitatu tandiu manſiſſet. Non enim id feciſſe, quod ei Sectariiſque, quos ex animo ſemper deteſtatus ſit, et nunc deteſtetur, faveat: ſed cum nullum ſibi in adverſa factione ſecuritatis locum reliquum videret, coactum poſt mortem ultimi regis, principem familiae ſuae, penes quem arma erant, ſequi, cautione ab eo accepta, de religione Catholica, quae alioqui ſine ſuo interventu periclitabatur, ſarta tecta ſervanda; et ſpe facta, ut melius inſtructus ipſe errore ejerato ad majorum ſacra rediret. Eum poſtea ſaepius a ſe interpellatum, et ſive ſucceſſu rerum inflatum, ſive quod obfirmato ad perſeverandum in errore animo ſit, promiſſi oblitum cum videat, merito vereri, ne ſi diutius rem diſſimulet, nimia patientia ſua malum alere, et religionem ipſam, quam huc uſque tutatus ſit, in diſcrimen adducere videatur, et pontifex praeteritas ſuas actiones ſecus interpretetur. Itaque hoc illum voluiſſe ſcire, ſimulque demiſſe rogare, ut quando is, quem proxime ſequitur, ob Sectarii mali impedimentum ſe indignum regio faſtigio reddat, et patientia ſuorum diutius, quam par ſit, abutatur, neque a vere Catholicis amplius ferri poſſit, eo excluſo ordinem legitimum in ſucceſſione ſervari patiatur: et quando rurſus Franciſcus [a] Contius frater a natura ipſa excludatur; erat is mutus et in infantia, ut aiebat legatus, ob calculum ſectus ad generationem inutilis [α] putabatur, auctoritate ſua interpoſita curet, ut ſui ratio habeatur, idque per legatos ſuos foederatis imperet: hoc ſi faciat, ſpondere, vere Catholicos, qui nunc in caſtris ſunt, protinus Navarrum deſerturos, et cunctas civitates ab eo defecturas. Antequam Balbanius admitteretur, quod in arcano factum eſt, [b] Porta a [c] Meduanio miſſus, ut auxilia promiſſa acceleraret, familiaritate in itinere cum Balbanio contracta, ejus non ſolum ſecretum rimatus fuerat, ſed et mandata dolo ſubſtracta exſcripſerat, et pontificem quid cum eo Balbanius acturus veniſſet, praemonuerat: qui nihil aliud legato reſpondit, quam placere ſibi, quod de cardinalis erga ſe et ſanctam ſedem obedientia confirmet; ceterum prudenter facturum eum, ſi legatum ſuum audiat, ejuſque monitis morigerum ſe praebeat: ſibi praecipuam religionis cauſam eſſe, ut ipſi quoque eſſe debeat; ea in tuto collocata, quod juſtum aequumque erit, facturum: interim hortari, ut Catholicam unionem tueatur, procuretque et auctoritate et exemplo, ut Catholici, qui in caſtris Navarri ſunt, dum regni ſaluti conſulere ſe putant, nihil eximio adeo nomine, quo gloriantur, in perniciem religionis admittant. Cum hoc reſponſo dimiſſus Balbanius, plura dictis a pontifice ad credulum cardinalem retulit. Exemplum mandatorum in Galliam a Porta miſſum, ut ad Meduanium perferretur, in itinere interceptum, in regis manus incidit; eodemque tempore rex ſecretas literas a Philippo [d] Lenoncurio cardinali, ex conſilio [e] Dianae Enguliſmenſis, ut creditum eſt, ſcriptas accepit; quibus de pernicioſis, quae [f] Caeſaroduni contra ipſum a patruelibus agitabantur, conſiliis diligenter monebatur; quae rurſus cum regi, perfidia cujuſdam e primaria nobilitate domeſtici, ſubſtractae ad eos perlatae eſſent, Lenoncurius ob id indignum in modum habitus eſt: et niſi ſacerdotalis dignitas prohibuiſſet, etiam manus violentae in ipſum injectae eſſent. Libellus is, de quo dixi, ſupplex legationem ſecutus eſt; contra quem, a regi fidis, certatim diverſis ſcriptis reſponſum eſt: hiſque fere rationibus nitebantur; eos, qui regi ſupplicabant, non id agere, ut eum ad Catholicam religionem amplexandam hortarentur, ſed tanquam contumacem nec promiſſis ſtantem in ſuſpicionem, quaſi olim Catholicis iniquiorem futurum, et ex ſuſpicione in publicum omnium odium adducerent. Jamque incerto adhuc obſidionis eventu

magis

VAR. LECT. [α] putabatur, et de pueri illius, qui Condaei fratris filius falſo a Proteſtantibus perhibetur, ſtatu, merito dubitetur, auctoritate MSS *Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Prince de Conti.* [b] *des Portes.* [c] *Duc de Mayenne.* [d] *de Lenoncourt.* [e] *Diane ducheſſe d'Engouleſme, veuve de François mareſchal de Montmorency.* [f] *Tours.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

magis animum renudabant tertiani, ſolicitata paſſim per emiſſarios ſuos praefectorum fide. Caeſaroduno Turonum praeerat Aegidius [a] Sovraeus, vir miti ac moderato ingenio, ſed incorruptae probitatis, qui a Meduanio antea tentatus, ah ad ſuas partes tranſire vellet, oblatis c aureorum CIↃ praeſenti pecunia et CIↃ peditum ac cc equitum annuo ſtipendio, reſponderat, ſibi decus et fidem ſemper vita fuiſſe potiora; proinde ea pretio nullo aeſtimari poſſe. Tunc autem periculo proprio per rumuſculos a tertianis diſſeminatos ſtimulabatur; regem, qui ſolis Sectariis fidat, ipſum ut ſibi ſuſpectum a praefectura removere decreviſſe; et, poſt Autricum captum aut omiſſum, ſtatim in Turones venturum, ut omni dignitate et auctoritate ſpoliet: non deeſſe amicos principes viros ac proceres, qui, modo ne ſe ipſe deſerat, ipſi praeſto futuri ſint; uteretur beneficio temporis; et dum rex in ea obſidione diſtineretur, mature ſibi conſuleret, neque ſe neceſſitate imparatum opprimi ſineret. Verum is heic quoque imperterritum ſe et conſtantem praebuit, ſolumque reſpondit, non facile de rege, cui ſemper fidem ſervaverit, inclementius quidquam ſuſpicari; et ut vera ſint, quae referuntur, non commiſſurum, ut qui adverſus pecuniam et ingentia promiſſa invictus antea fuerit, ſe minis et vanis terriculamentis vinci patiatur. Aliud et tunc incidit, quod regis animum non mediocriter perturbavit. [b] Coriſanda Andoina Philiberti [c] Grammontani comitis ad [d] Faram Veromanduorum ante XI annos interfecti vidua, olim regi praedilecta, cum ſe ſpretam indignaretur, ultionem quaerens, inter Carolum [e] Sueſſionem regis patruelem et Catharinam regis ſororem, de quibus matrimonio jungendis mentio olim injecta fuerat, amores paene intermortuos ſecretis literis et plenis blanditiarum nunciis rurſus accendit; ita ut paſſim jactaretur, nec omnino rumor vanus repertus eſt, ipſos ignaro rege vel etiam invito nuptias contracturos. Quod ad contemptum ſuum pertinere cum judicaret rex, et talia auderi quaſi deploratis rebus ſuis cerneret, eo magis ſibi enitendum exiſtimabat, ut aliquo ingenti ſucceſſu fortunae ſuae jacentis famam erigeret.

X. ITAQUE a [f] Cevernio et Birono confirmatus in obſidione manſit, et tranſlata ad portam [g] Drocenſem verberatione, editaque ruina oppugnationem ſumma vi tentat; a qua ſui non omnino repulſi, ſed cum in urbem perrumpere non potuiſſent, in pomoerio ſe muniverunt: cumque adhuc dubium eſſet, quo victoria inclinaret, mors [h] Piſcarii in eo conflictu lethaliter ſauciati, in quo ſummam ſpem oppidani repoſuerant, hinc obſeſſorum animos non mediocriter infregit, hinc machina ſub id ex Caſtellionaei ingenio ſabricata, et in muros cum ponte directa, ad tegendos eos qui in pomoerio pugnabant, regios in ſpem potiundae urbis erexit. Itaque tandem ipſo Dominicae paſſionis die conventum eſt, ut niſi intra octiduum Meduanius, qui tunc [i] Auguſtae Sueſſionum eſſe dicebatur, cum auxiliaribus adeſſet, urbs dederetur. Qui cum non compareret, tantumque paucos miſiſſet, qui obſeſſos ad ſuſtinendam obſidionem obfirmarent, deditio ſecuta eſt XIII Kal. Maias, his conditionibus, ut cum armis, ſignis, belli duces et praeſidiarii exirent, et in tutum deducerentur. [k] Bordeſerius non ſalutato rege cum IↃC armatis et magno nobilium matronarum comitatu poſtridie exivit. Carolus [l] Bironus ſummus caſtrorum praefectus cum CIↃ CC peditibus et CCC equitibus ad praeſidium deſtinatus urbem ingreſſus eſt. Rex privilegia et immunitates oppidanis confirmavit, religionem majorum ſartam tectam ſe ſervaturum promiſit, excluſa Proteſtantium publica profeſſione; tantum pecuniae aliquam ſummam et frumenti magnam copiam, quae per omnem circumpoſitam regionem juriſdictioni urbis ſubjectam imponeretur, exegit. Franciſcus [m] Eſcobleus Surdiſius,

INTERPR. [a] *de Souvré.* [b] *Coriſande d'Andoint.* [c] *de Grammont.* [d] *la Fere en Vermandois.* [e] *Comte de Soiſſons.* [f] *le chancelier de Chiverny & le mareſchal de Biron.* [g] *Porte de Dreux.* [h] *de la Peſcheray.* [i] *Soiſſons.* [k] *Sr de la Bourdaiſiere.* [l] *le baron de Biron mareſchal de camp.* [m] *d'Eſcoubleau Sr de Sourdis.*

Surdiſius, qui regias partes ſemper ſecutus fuerat, et cum nullum praeſidium haberet, ab oppidanis urbe et praefectura expulſus fuerat, urbi legati nomine praeponitur, ſummo imperio penes Cevernium remanente. Dum rex in obſidione haereret, VIII Eid Mart. ad levandos agreſteis, qui non ſolum tributo utrique parti perſolvendo, ſed plus a milite ad illud colligendum diſcurſante vexabantur, propoſito edicto diſciplinam militarem conſtituit; vetuitque, capitis addita poena, ne ſine expreſſo mandato regio quis militem ſcriberet; ſi quis aliquem locum occupet, aut muniat, ut praefectus provinciae contra eum ducat, et in eo captos in furcam agat; nullae collationes pecuniae, annonae pabulive fiant; nec ad munienda loca operas locare cogantur agreſtes, niſi ex mandato regio ab uno e quatuorviris a ſecretis epiſtolis ſubſignato, et ad actarii quaeſtores directo conſtet: ne quis equum equamve, bovem vaccamve aratro ſervientem pro tributo abducat; agreſteſve obtentu, quod hoſti vectigal pendant, dum ne ipſi arma contra regem ferant, aut annona hoſtem juvent, bello capiat, et pretium quaſi a captivo exigat; ne item a ſacerdotibus et monaſticam profeſſis, niſi itidem arma ferant, pretium exigatur: de captivis, antequam ad pretium ſolvendum cogantur, an jure belli capti ſint cenſendi, a praefectis provinciarum, [a] caſtrorum, et equitum tribunis decernatur. Pueri infra XV annos, foeminae virgineſque ob quamcunque cauſam capi non poſſint. Nullus privata auctoritate in hoſtium bona invadat. Poſtea XIII Kal. Apr. [b] Decuria [c] Rupellae, antequam rex regnum iniret, inſtituta, ut de praedis in mari factis judicaret, edicto revocatur; et [d] Caeſarodunum Turonum, ubi praefecturae maris juriſdictio exercebatur, tranſlata eſt; alteroque edicto decimae, quae ex praedis in mari factis itidem exigebantur, remittuntur. Ambo edicta in ſenatu pridie Non. Apr. et triduo poſt in [e] rationalium curia promulgata ſunt.

XI. CAPTO [f] Autrico et intercluſo ab ea parte commeatu cum in ſummas anguſtias Lutetiae urbs conjecta videretur, expugnato a foederatis ſive dedito [g] Theodorici-caſtro, quod eſt ad Matronam ſupra [h] Meldos poſitum oppidum, multum recreata eſt; ac tantiſper retardata, quae brevi dedendi ſe Pariſienſibus neceſſitas impoſita putabatur. Meduanius ex [i] Sueſſionibus illuc profectus, compoſito antea, ut putatur, ordine cum Claudio [k] Pinario olim a ſecretis epiſtolis regis, qui quantumvis a foederatorum partibus alienus eſſet, tamen homo jacturae bonorum impariens, quae ampliſſima in oppidi circuitu habebat, cum vereretur, ne oppido vi capto una et bonis ſpoliaretur, [l] Claudio filio loci praefecto auctor fuit, ut poſtquam alicujus obſidionis ſpecie pudori ejus et famae aliquantulum ſatisfactum eſſet, ipſe animum minime obfirmaret, et ſe cum ſuis facile ad deditionem impelli pateretur. Itaque ducto circa oppidum vallo poſt triduum pulſantur muri, et poſt ſtragem exiguam arduo aſcenſu ſuperandam cum quidam, ignari haec ſimulate agi, ſerio ad oppugnationem hoſtium ſuſtinendam ſe pararent, majore numero vincente, qui arcem petendam contendebant, oppidum deſeritur, ad praedam expoſitum; in quo Hiſpani avaritia an libidine majore incertum graſſati ſunt. Mox ex compacto ad arcem admoventur tormenta loco debili, et cum nihilominus pleriquc e nobilitate, qui cum praefecto erant, ad defenſionem ſe pararent, interceſſit Pinarius, et cum periculo obniti fruſtra eos oſtendit, cum, vita et decore ſalvis, tutiora ſequi conſilia poſſent; et ut dictis fidem faceret, conditiones a Meduanio oblatas ſinu prompſit, admodum honorificas, in quas poſtremo conſenſum eſt: adjectae et aliae ſeorſim erant, quibus libera bonorum poſſeſſio, cum penſione ſtipendium, quod ex ea

praefectura

INTERPR. [a] *Mareſchaux de camp, & mareſchaux de France.* [b] *Chambre de l'Amirauté.* [c] *la Rochelle.* [d] *Tours.* [e] *Chambre des comptes.* [f] *Chartres.* [g] *Chateau-Thierry ſur Marne.* [h] *Meaux.* [i] *Soiſſons.* [k] *Pinart.* [l] *Visomte de Comblisy.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

praefectura capiebat, aequante, Pinariis concedebatur. Ob id in [a] Catalaunenſi curia, quae ex deditione illius loci magna incommoda ſentiebat, uterque poſtulatus, cum trinundino citatus non compareret, tanquam contumaces ad mortem damnantur, et bona eorum, ut proditorum ac perduellium fiſco addicuntur. Ea rex initio Annae [b] Anglurio Givrio donaverat, ad luendum grande aes alienum, quod ille ad ſumptus militareis ſuſtinendos contraxerat. Sed cum ea ita fiſco addicta eſſent, ut a patrimonio regio, cui unita erant, divelli non poſſent, rex, qui liberalitatem ſuam locum habere non poſſe cerneret, XXX CIↃ aureorum a Pinario parente acceptis, quorum pars Givrii commodo ceſſit, pars in belli uſus neceſſarios impenſa eſt, ſententiam revocavit, et criminis gratiam fecit. Rebus [c] Autrici ordinatis Armannus [d] Bironus ad exercitum ire juſſus, qui [e] Alnetenſem arcem, et Dordingam, quam [f] Jacobus Ferrarienſis praeſidio tenebat, poſt aliquot dierum obſidionem, cum muros ſuffodi inciperet, deditione in fidem accepit. Diverſa parte Meduanius [g] Caſtrum-Theodorici valido praeſidio firmat, et ſumma cum auctoritate Robertum [h] Lenoncurium Eſſomae praeſulem cardinalis fratrem, qui relicta regii ſigilli procuratione id elegerat, oppido ac vicinae regioni praefecit, et legati titulo [i] Mercurium Sanchamantium Peſcherium.

XII. Dum haec inde agerentur, [k] Durocortori Remorum conventus celebratur, quo Carolus Lotaringiae dux et ceteri ejus familiae proceres, ac Sabaudi legatus venerunt; ut de republica in commune conſultarent. Aderat et Nicolaus [l] Pellevaeus cardinalis archiepiſcopatu Remenſi nuper auctus; homo vafer natura, ſed ſenio paene delirus, qui Romam, in qua XX annos circiter commoratus fuerat, reliquerat, ut novo regi, quem Unio parturiebat, conſecrando operam daret. Nam pontifex et Hiſpani electionem regis, qui Catholicus eſſet, urgebant; qui ſi crearetur, ſpreto legitimo herede, cum arbitrio ſuo creatum iri minime dubitabant. Id enim Lotaringi petebant: ſed rationem ſui haberi cupiebant; rurſuſque inter eos ſumma aemulatio erat. Nam Lotaringiae dux familiae princeps, et qui ſororem ultimi regis in uxorem duxerat, id filio ex eo matrimonio ſuſcepto deberi contendebat; ſed occulte repugnabant alii ejuſdem familiae proceres, qui apud nos domicilium c ab hinc annis fixerant; quippe qui ſcirent non tam Lotaringicum, quam Guiſianum nomen apud factioni addictos in Gallia ſacroſanctum eſſe, et virtute, quae in primis regnorum conditoribus eximia requiritur, Lotaringi ducis liberis antiſtare conſcii ſibi eſſent; ſed nec ipſi bene inter ſe conveniebant. Meduanius enim fortunae beneficio fratri grandiori natu ſuperſtes, et factionis princeps, dum Guiſius carcere adhuc attinebatur, ea ſpe ſe ſuſtentabat, ut ſi rex crearetur, ipſe ſuique liberi in ea electione ceteris praeferrentur; quod ſi tenere non poſſet, ne rex crearetur, omni ratione impediret, et regnum, praefecturae regni, qua fungebatur, nomine quandiu poſſet, penes ſe retineret. Sed ſpes ſuas et occulta vota, quo quiſque prudentior, ita Philippum, alioſque celabat, ne ob contentionem ſegniores in communi negotio eſſent, et Philippum, ex cujus opibus et nutu veluti pendebant, in eo promovendo magis tepidum experirentur. Itaque tantum in eo conventu decretum eſt, ut legatio ad eum adornaretur, cum mandatis pro ſua pietate et prudentia videret, ne tam juſta cauſa, ſi majore opum vi non juvaretur, inſigne detrimentum acciperet. Nam adverſariorum vireis in dies per novos ſucceſſus creſcere, et reginam Angliae ac Proteſtanteis Germaniae principes, Navarri cauſam, ſuam facere: nobilitatem vero Gallicam, penes quam in Gallia praecipuum belli robur eſt, adduci non poſſe, ut victricem Navarri fortunam deſerat, et alteri parti, quam ſeris nec ſatis validis auxiliis

INTERPR. [a] *de Chaalons.* [b] *d'Anglure de Givry.* [c] *Chartres.* [d] *le mareſchal de Biron.* [e] *Auneau, & Dourdan.* [f] *le capitaine Jacques Ferrarois.* [g] *Chateau-Thierry.* [h] *de Lenoncourt Abbé d'Eſſome.* [i] *Mercure de St Chamant Sr du Peſcher.* [k] *Reims.* [l] *de Pellevé.*

auxiliis e longinquo niti vident, ſe conjungat. Porro intempeſtivum videri, ut antequam res unionis magis confirmatae ſint, comitia regi eligendo indicantur, quod ut idoneum religionis in tuto collocandae remedium agnoſcant, ita exiſtimationis et dignitatis Philippi ipſius intereſſe, ut nihil in iis decernatur, quod executioni demandari nequeat; nam his in rebus juſtum haberi, quod fortuna felici ſucceſſu comprobaverit. ¶Huic legationi obeundae delectus Petrus [a] Janinus Divionenſis ſenatus praeſes, vir ſagax et rerum agendarum peritus, et Meduanii intimus; cui in arcano negotium datum, ut Philippi animum periclitaretur, an in rege eligendo per miniſtros ſuos ipſi Meduanio adſtipulari vellet; ampliſſimaſque ejus nomine conditiones polliceretur, quas ipſe melius, quam ceteri, qui idem ambiebant, implere poſſet. Janinus [b] Maſſiliam venit exeunte Aprili, conſcenſoque navigio ad Joannem Andream [c] Auriam, qui [d] Loani in Liguria erat, divertit; ut inde cum Sabaudi et Lotaringi legatis ei adjunctis in Hiſpaniam tranſportarentur. Jam fama de pontificiis copiis in Galliam deſtinatis percrebuerat, et praeſule cum mandatis acerbitatis plenis praemittendo, quod pontifex literis ad Segam ſignificaverat: ad eas retardandas, et praeſulis legationem impediendam dum validiora parantur, e re viſum eſt regi, ut Franciſcus [e] Lucemburgus Pinaci dux, qui nuper Roma re, ſi non omnino ex voto, certe cum regis Gallicique nominis dignitate egregie confecta redierat, ad pontificem ſcriberet. Is igitur dum rex adhuc in [f] Autrici obſidione haereret, VI Eid. Apr. dat literas, repetitiſque quae ſuperiore anno cum Sixto egiſſet, poſt ejus obitum, et ſuum ex urbe diſceſſum ad cardinalium collegium, dum in conclavi eſſent, diligenter ſe ſcripſiſſe dicit, et cum malignitate quorundam conjectaſſet futurum, ut eae in conclavi non recitarentur, ad futurum pontificem literas dediſſe, ac poſtea reſciviſſe, in manus ſuae ſanctitatis eas conſignatas et ab eo benigne acceptas, facta etiam ſpe, ut ad illas reſponderet. Nunc cum videat pontificem ab adverſariis praeoccupatum minime ſe tanto honore dignatum eſſe, jure vereri, ne qui tantum apud ipſum potuerunt, etiam et illud teneant, ut ſecus quam oporteat, de rebus noſtris ſentiat et pronunciet. Ea propter ipſum nunc rurſus enixe orare et obteſtari, ne facilem nimis ſe iis praebeat, qui rem Gallicam perditam cupiunt, ipſumque injuſtiſſimo bello obligare, quo aerarium ejus exhauriatur, et opes a deceſſore ſuo ad repetendum Neapolitanum regnum, ut ipſi putant, congeſtae ad explendam ipſorum ambitionem inutiliter conſumantur. Enimvero ſe Gallos univerſos armorum metum, ad quorum fragorem aſſueti jam pridem obſurduerint, parum curare. Verum hoc illos male habere, quod a ſancta ſede et pontifice, qui opes ſuas et dignitatis amplificationem Gallicae nobilitati debent, ſe deſertos videant, ipſumque adeo pontificem, qui intercedere debuit, in partes tranſire. Iiſdem artificiis Sixtum initio deceptum, melius perſpecta rei veritate mox mutaſſe, ob id indigne conviciis et calumniis proſciſſum, cujus eo illuſtrior gloria olim futura eſt, cum ex rerum ſucceſſu tandem conſtabit, et ipſum prudentiſſime conſuluiſſe, et alios ſumma temeritate injuſto bello ſe implicuiſſe. Horrere ſe ad malorum impendentium funeſta auguria. Quid enim futurum, ſi Galli bene erga patriam animati, potius quam injuſtae dominationis jugum ſubeant, ad extrema conſilia deſcendant, et viribus propriis impares, eorum, quos alioqui in religionis cauſa pro hoſtibus habituri eſſent, opes et auxilia cogantur implorare? Quantum ex eo detrimentum religionem accepturam? Qui autem ejus tantis periculis expoſitae vere rei coram Deo ſint futuri, pontifici pro prudentia ſua et aequitate dijudicandum relinquere. Rumore publico jactari, ſuam ſanctitatem magna pecunia, inſuper milite, Pariſienſes Gallicae rebellionis anteſignanos juvare, et praeſulem, qui de rebus noſtris et veris motuum cauſis cognoſcat, mittere conſtituiſſe. Alterum adduci non poſſe,

INTERPR. [a] *Jeannin preſident au parlement de Dijon.* [b] *Marſeille.* [c] *Doria.* [d] *Loano au Genoveſat.* [e] *de Luxembourg duc de Piney.* [f] *Chartres.*

CIↃ IↃ XCI. poſſe, ut credat, nam injuſtum eſſe inauditos damnare, et ea re cauſae praejudicari; Henricus IV. alterum ſummopere laudare, modo is, qui rerum noſtrarum inſpector mittendus eſt, non aliorum exemplo, qui jam miſſi ſunt, ſe partibus immiſceat, nec animo anticipata opinione corrupto, aut avaritia et ambitione caecus, et auri Hiſpanici ſpe ineſcatus veniat, ſed rectum teneat, neque in hanc, neque in illam partem propendat. Id pro prudentia ſua et aequitate curaturum ipſum confidere, neque perſuaderi poſſe, ut quod ſeditioſi paſſim blaterant, ipſe a Philippicis miniſtris aut obnoxiis, in alterius partis praejudicium ſe circumſcribi et praeoccupari patiatur; praeſertim ſubeunte memoria ſermonum, quos cum eo, cum ipſi Romam ad comitia, poſt Sixti deceſſum, proficiſcenti in Etruria ad [a] Torniceriam occurriſſet, ſuperiore anno habuit. Nam tunc ex ipſius ore haec verba excepiſſe, ad orbis Chriſtiani pacem opus eſſe, ut Hiſpanus ſua ſibi haberet, Galli quae eſſent Gallus retineret, et alter ad alterius refraenandam ambitionem limes eſſet. Id ſedulo ad eos, a quibus miſſus erat, retuliſſe, et pro omni reſponſo ad ea, quae contra ſpargebantur, dediſſe. Cum igitur illi ad ſuam ſanctitatem nobilem a ſuo numero mittere decreverint, qui de felici inauguratione ſua gratuletur, eique debitum obſequium reddat, noluiſſe committere, ut ſuam fidem et diligentiam deſiderare poſſet; interimque ipſi denuo confirmare, non aliam mentem ipſorum eſſe, quam ut in fide a majoribus accepta perſeverantes, et legitimo regni heredi ſervientes, ipſum ad eam amplectandam inflectant, quod et futurum ſperent, aſpirante Dei gratia, et auctoritate ipſius interveniente, nullumque majus impedimentum tantae molis negotio a fortunâ objici poſſe, quam belli continuationem; quo durante neque rex doceri, neque inſtitui a ſuis poſſit. Haec conſideranda ſuae ſanctitati proponere ſui officii duxiſſe. Porro ad ipſum pertinere, ut de iis pro prudentia, quod ad Dei gloriam, et Chriſtianae rei ac regni Gallici tranquillitatem conducere videbitur, cum collegio cardinalium mature ſtatuat, decernatque. Serae hae literae, atque adeo intempeſtivae fuerunt adverſus adultum in aula Romana regis cauſae infeſta malum, Hiſpanis ut potentia, ſic favore et gratia omnium animos occupantibus. Tunc enim [b] Marſilius Landrianus non ut pacificus legatus, ſed cum mandatis acerbitatis plenis, cauſa regiorum praejudicata, venerat, ut cum eccleſiaſticis, qui a regis partibus ſtabant, niſi cum protinus relinquerent, horrendi carminis lege ageret; nobileis, ut eum quamprimum desererent, et ſe cum Catholicis unioni foederatis conjungerent, moneret; in eos non addita cenſura.

XIII. Rex ſub id [c] Vernonium venerat, et [d] Moium Ricaburgum, qui [e] Galliardi caſtrum ad Sequanam foederatorum nomine tenebat, in fidem acceperat. Ibi cognito [f] Lupariae, quod eſt oppidum II ab hinc leucis ſitu munitiſſimum, commeatu abundans, et ad [g] Rotomagi obſidionem, quam jam tum animo meditabatur, maxime opportunum infrequenteis cuſtodias ab oppidanis agi, et Franciſcum [h] Martellum Fontanum, qui c loricatos equites ſecum habebat, crebro ad excurſiones pauculis ex ſuis relictis exire, per [i] Rolletum pontis Arcuenſis praefectum ſacrifici ipſi noti fidem ſolicitat, qui dum is, cui pulſandi tintinnabuli, ad conſpectum equitum, aut aliorum oppido propinquantium, cura commiſſa erat, ad cibum capiendum abeſſet, turris claveis ſervabat, et ipſe in turri excubabat. Is igitur cum eo convenit VIII Eid. Jun. ut ſub meridiem, qua hora Fontanus cum ſuis foras iturus erat, turrim ingreſſus penes ſe claveis retineret, et regiis accedentibus, donec portam occupaſſent, nullum ſignum daret. Secundum haec ex compacto Carolus Bironus conferto agmine approperat, praemiſſo Rolleto, qui cum delectis ruſticorum habitu portam ſubit,

INTERPR. [a] *Torniceri.* [b] *Marſilio Landriano.* [c] *Vernon.* [d] *de Mouy Sr de Richebourg.* [e] *Chateau Gaillard ſur Seine.* [f] *Louviers.* [g] *Rouen.* [h] *de Fontaine-martel.* [i] *du Roullet gouverneur du Pont de l'Arche.*

ſubit, et ſtrictis gladiis ſtationem nihil tale cogitantem pleriſque occiſis diſturbat, eaque intra oppidum compulſa portam occupat. Tum ſuperveniente Birono, is, qui in turri erat, fidei datae ſatisfactum putans, et adhuc quo res vergeret incertus, tintinnabulum pulſat, continuoque in armis oppidani accurrunt, et Fontanus, qui per alteram portam jam exiverat, ſubito cum ſuis revolat, ingentique in oppido certamine commiſſo, et c amplius ex oppidanis aut praeſidiariis occiſis, tandem Bironus loco potitur. Ad portam Rotomagenſem, quam arcis inſtar praeſidiarii muniverant, Fontanus cum reliquiis ſe recepit, et poſt aliquot horas, cum jam rex cum toto robore exercitus ad urbem veniſſet, arbitrio ejus ſe dedidit. Deſiderati ex regiis circiter xx, inter quos v ordinum ductores fuere. Captus in oppido Claudius [a] Sanctius Ebroicenſium epiſcopus, famoſus theologus regiis partibus infeſtiſſimus, cum libris et chartis, inter quas ſcriptum repertum eſt, quo parricidium regis tanquam juſte factum tuebatur; et idem licere in regem hodiernum defendebat. Itaque non lege belli cum eo actum, ſed [b] Cadomum ſub cuſtodia miſſus, ut in eum ſenatus anquireret, et tanquam de perduelli ſupplicium ſumeretur. Nec enim ſacri ordinis praerogativae in crimine laeſae majeſtatis apud nos ratio habetur; ſed in convictos, ſive ſacerdotes ſive epiſcopi ſint, tanquam ſolutos ac profanos legum ſeveritas exercetur. Parumque res ab executione abfuit; Sanctio jam peracto reo, et ut erat pervicaci ingenio errorem praefracte propugnante: ſed interceſſerunt poſtea cardinalis Borbonius, aliique e ſacro ordine, qui cum rege erant, tenueruntque, ut pro mortis poena, quam legibus noſtris, ut ipſi fatebantur, meruerat, carceri perpetuo manciparetur; in quo paulo poſt deceſſit. Rolleto [c] Lupariae cum valido praeſidio impoſito, exercitus [d] Medontam reductus. Poſt [e] Autricum captum rex cardinalem Borbonium evocaverat, ſpecie, ut divulſum regni conſiſtorium, cujus pars cum ipſo [f] Caeſaroduni poſt ultimi regis mortem manſerat, uniretur; re vera ad diſturbanda recens natae factionis conſilia. Ille vix tandem repetitis juſſionibus paruit; venienti ut omnem alieni animi ſuſpicionem amoliretur, obviam honorifice extra urbem rex profectus; etiam ex equo deſcendit, et ceteros, qui cum eo erant, ſumma benevolentiae ſignificatione complexus eſt. Adduxerat ſecum cardinalis [g] Tuchardum et Perronum; et illum rex quidem neglexit, regnum paedagogicum in heri ſui familia exercere paſſus: hunc familiarius [α] acceptum facile adduxit, ut conjurationis arcana pateſaceret: cum vero in Pictonibus exercitum alere cogeretur, ut fratres [β] divideret, ejus ducendi curam Franciſco [h] Contio fratri attribuit, quanquam ob naturae defectum tanto oneri minus idoneus cenſeretur; quod [i] Sueſſio patienter tulit, ob aetatis praerogativam qua Contius anteibat.

XIV. DUM rex Medontae eſſet, convocato univerſo principum, procerum et epiſcoporum, qui cum eo erant, conſiſtorio, duo in primis ſibi agenda propoſuit, ut dum auxiliaris exercitus adveniret, ſe ſuoſque adverſus pontificis obnunciationes muniret, et juſtis Proteſtantium, quorum doctrinam nunc adhuc profitebatur, petitionibus ſeu querelis ſatisfaceret, ac praeverteret. Jam ante ubi diplomatis a Landriano allati exempla [k] Durocortori Remorum typis excuſa allata ſunt, [l] Camera Catalaunenſis non exſpectata regis juſſione partes ſuas interpoſuerat, IIII Eid. Jun. ſenatuſconſulto facto, quo inter cognitorem regium ab impetratione et executione mandatorum

VAR. LECT. [α] acceptum, ſicuti monitus fuerat, promiſſis facile ſeduxit, et ab eo poſtea conjurationis arcana expiſcatus eſt: cum vero MSS *Reg.* & *Samm. Put.* & *Rig.* [β] divideret, ſpreto Sueſſione, ejus ducendi MSS. *Reg.* & *Samm. Put.* & *Rig.*

INTERPR. [a] *de Sainctes, evêque d'Evreux.* [b] *Caen.* [c] *Louviers.* [d] *Mante.* [e] *Chartres.* [f] *Tours.* [g] *Touchard, & du Perron.* [h] *Prince de Conti.* [i] *Comte de Soiſſons.* [k] *Reims.* [l] *Chambre de Chaalons.*

mandatorum pontificiorum, excommunicationum, fulminationum, contra felicis memoriae regem Henricum III, et regem qui nunc feliciſſime regnat, Romae decretarum, inſuper a mandatis cardinalis Cajetani, et poſtremo a monitorialibus bullis Romae Kal. Mart. obſignatis, ac publicatione earum per Marſilium [a] Landrianum in Gallia facta appellantem, et actorem contra eundem Landrianum referendarium, ſine regis permiſſu in hoc regnum ingreſſum, eumque citatum, cum ſui copiam minime feciſſet, eremodicium contraxiſſe, ſuperiora omnia diplomata, tanquam nulla, et abuſus, offenſionis publicae, impoſturarum plena, atque ad ſeditiones ſpectantia, et contra ſancta decreta, canonicas conſtitutiones, concilia probata, jura et libertates eccleſiae Gallicanae facta, vana et irrita eſſe pronunciavit; decrevitque, ut ſi qui eorum vi cenſuris alligati fuerint, ab iis ſolvantur; ipſa diplomata et acta executionis illorum, publice in platea urbis a carnifice comburantur, Landrianus ſe pro pontificio oratore gerens, et clam ſine regis permiſſu regnum ingreſſus comprehendatur, atque ad interrogata reſponſurus in jure ſiſtatur; ſi capi non poſſit, trinundino citetur, praemio X CIↃ librarum ei, qui ipſum tradiderit, propoſito; contra capitis poena in eos, qui ipſum receptaverint, aut hoſpitium praebuerint, conſtituta. Archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque e ſacro ordine enixe praecepit, alioqui majeſtatis laeſae crimen incurſuris, ne diplomata illa, aliave a Landriano profecta mandata publicent, aut publicari patiantur. Cardinaleis, archiepiſcopos, epiſcopos, alioſque e ſacro ordine, qui Romae ſunt, et aut auctores fuerunt, ac ſubſignaverunt execrationis mandato, aut inhumanum, abominandum ac deteſtandum regis Chriſtianiſſimi ac ſumme Catholici parricidium per proditionem patratum laudarunt, ac probaverunt, poſſeſſorio omni jure, quod ſacerdotiis in hoc regno illis competebat, excidiſſe, declaravit, eaque ut per cognitorem regium ſequeſtrentur, decrevit; prohibuitque deinceps, ne quis aurum argentumve pro ſacerdotiorum diplomatibus e Gallia Romam mittat, aut per menſarios numerari curet; donec rex aliter ſtatuerit. Eodem ſenatuſconſulto cognitori regio inſtrumentum appellationis ab eo de Gregorii XIIII creatione ad futurum concilium legitime congregatum interpoſitae datum. Rex etſi decretum Gallica libertate et ſenatoria gravitate dignum exiſtimabat, tamen auctoritatem ſuam intercedere volebat. Itaque IIII Non. Quintil. luculentum edictum conditur, declarationis titulo, quo priorem a ſe factam, cum primum in regnum ſucceſſit, confirmabat, et ratam habebat, et doceri ac melius in religione inſtitui cupere ſe oſtendebat, ad idque concilii celebrationem generalis, aut hujuſmodi in quo controverſiae de religione componi poſſent, petebat; interimque ſancte promittebat, nihil in Catholica apoſtolica Romana religione ſe novaturum, ſed ſartam tectam eam conſervaturum; id nimirum ſatis eſſe debuiſſe iis, qui religionis cauſam armis ſuis praetexunt, ſi non potius ambitione ad regnum lacerandum et inter ſe, hoc eſt, inter Hiſpanos, Sabaudum et Lotaringiae ducem dividendum, quam pietatis, quam falſo obtendunt, ſtudio ducerentur. Id vidiſſe mature Sixtum, et inſtigatu eorum decretas fulminationes non ſolum revocare, ſed etiam contra ipſos inſtigatores retorquere voluiſſe. Sed mortis ejus interventu ſucceſſiſſe alium, qui ſe impoſturis illorum nimis facilem praebuerit; et jactantibus falſo perduellibus, quaſi ipſe omnem inſtitutionem penitus aſpernetur, et multa in religione novaverit, nimia credulitate fidem adhibens, oratorem eum mandatis ſeveris ad principes, cardinaleis, primarios regni magiſtratus, archiepiſcopos, epiſcopos, qui in fide permanſerunt, a ſe alienandos ablegaverit. Eum vero injuſſu ſuo ingreſſum eſſe, et ad rebellium partes nulla adventus ſui ſignificatione facta tranſiiſſe; quae quia non ſolum ad regni, ipſiuſque injuriam pertineant, ſed etiam jura regni et libertates eccleſiae Gallicanae, ad quarum conſervationem

INTERPR. [a] *Landriano.*

conſervationem ſe obligatum ſentiat, ac ſecuritatem publicam reſpiciant, noluiſſe ea in re quidquam propria auctoritate ſtatuere, ſed totum negotium integrum reliquiſſe, ut de eo ſecundum regni leges a regni curiis, quarum haec propria cognitio et juriſdictio eſt, plena auctoritate decernatur. Inſuper hortari cardinaleis, archiepiſcopos, epiſcopos, alioſque praeſules, ut quamprimum conventum habeant, in eoque de cenſura praeter juris formam decreta et executioni demandata juxta ſancta decreta, et conſtitutiones canonicas ad conſervandam diſciplinam et retinendos in officio paſtores, ne plebs uſu rerum ſacrarum deſtituatur, quod juſtum aequumque videbitur, decernant. Qua in re qui officio ſuo deerunt, non ſolum ipſi libertatum eccleſiae Gallicanae ſe deſertores prodent, verum etiam, iis aliiſque indigni qui utantur fruantur, in poſterum cenſeantur.

XV. EODEM in conſeſſu coram cardinali Borbonio, ceteriſque praeſulibus, et aliis proceribus ac ſacri conſiſtorii conſiliariis actum de edicto in Proteſtantium gratiam faciendo, quod rex longa et accurata oratione ſuaſit. Satis hoc infelici bello probatum eſſe omnibus, quam inauſpicato conſilio edictum a deceſſore ſuo beatae memoriae anno CIↃ IↃ LXXVII factum, inſtigatu eorundem, qui nunc rempublicam turbant, aliis edictis ſuper alia repetitis et ab eo per violentiam extortis, revocatum ſit; quae clades inde ſecutae fuerint, tandemque eo res redierit, ut conjunctione eorum, quos illi divulſos cupiebant, ad tutelam regni periclitantis opus fuerit: ad eam tamen conjunctionem tantopere expetitam et ex eventu tam ſalutarem, inducias tunc tantum pangi placuiſſe, manentibus edictis contra ſe ſuoſque factis. Verum illa publico veluti praejudicio abolita et damnata eſſe, alioqui et ſe regni jure excludi, qui nihilominus tanquam legitimus heres tanta fide et obſequio colatur, et Proteſtanteis omni gratia indignos eſſe; ipſos denique qui adſint, quaſi perduelleis extrema cuncta meruiſſe; quorum armis et virtute ſit, ut conata adverſatiorum, qui edictis illis nituntur, ex voto non procedant. Igitur alia lege opus eſſe, atque adeo antiqua, quae novam revocet, ut regi ſua dignitas ſalva maneat, et Proteſtanteis cum ceteris regni ordinibus aequo jure cenſeantur, et ipſi legitimum ſibi cultum reddere et cum Proteſtantibus concordiam tueri poſſint. Jamque Proteſtanteis, videntibus et conſentientibus, qui aequi ſint, eo jure uti, tamen contra legem, quod minime ferendum putet; ſic enim exiſtimare, nihil in republica pernicioſius eſſe factionibus, quae pacem turbant, cum is, qui aequabile jus inter partes debet dicere, in hanc vel illam partem odio vel gratia propendet. Malle ſe legem iis dare, quam committere, ut ipſi ſibi jus dicant, aliquiſque inter eos factionis princeps exoriatur, ut olim Caſtellionacus maris praefectus, qui quod libellum univerſorum nomine regi porrexiſſet, tota vita tutoris Proteſtantium nomen et meruit et retinuit. Atqui unum ſe regem Gallis lege regni datum, ferre tot reges non poſſe, hoc eſt, factionum duces; et publicae quietis intereſſe, ut omnes ſub principe et magiſtratu legi ab iis conſtitutae pareant. Aliud eſſe, quod nunc ad maturandam eam deliberationem magis urgeat, nec enim ipſis ignotum eſſe, quid Angliae regina, quid imperii principes brevi cum exercitu auxiliari venturi a ſe repoſcant; petere nimirum illos iniqua, ut aequas conditiones Proteſtantibus in Gallia obtineant. Si negotium integrum ſub adventum ſuum reperiant, quid non perituros illos? Se vero quid illis negare honeſte poſſe? Hoc praeſertim rerum ſtatu, quo qui rogant imperant, tam numeroſo exercitu praeſente, quem ſi non prorſus bene affectum, ſaltem placatum habere optandum et omni ope enitendum eſſe: itaque ſic cenſere, praevertendum eſſe illorum petitionibus, et antiquatis ſanguinariis et incendiariis edictis ſalutare illud reſtituendum, quod peculiariter ſuum piae memoriae deceſſor rex vocare conſueverat. Quod ſi cum bona omnium gratia fiat, quod cupiat, ſe facile ab amplioribus illorum petitionibus excuſaturum:

aequum

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

aequum id juſtumque eſſe: cui aliter videbitur, putare illum eadem ratione bellum, quod pro regni ſalute geritur, improbaturum, et bello novo inter nos materiam quaeſiturum. His dictis cum cuncti non ſolum regis aequitatem, ſed prudentiam taciti laudarent, cardinalis Borbonius, ut factionis tertianae veluti ſignum tolleret, intercedere voluit, et balbutiente lingua pauca prolocutus, quaſi abiturus ſurrexit. Sed cum [a] Bituricenſis, Nannetenſis, Malcacenſis, Baiocaſſenſis, aliique e ſacro ordine abeuntem minime ſequerentur, a rege contemptim revocatus in ſuo loco conſedit, pleriſque ejus prudentiam deſiderantibus, qui in actione, quam impedire non poterat, tam debili ſucceſſu ſummam animi impotentiam praemature prodidiſſet. Igitur conditum edictum, quo Julianum revocabatur, et quaecunque in vim ejus poſtea decreta eſſent, irrita pronunciabantur, reſtitutis prioribus edictis in gratiam Proteſtantium factis; ac ne per illud ſciſſura confirmari, ac ſpes ejus ex eccleſia olim tollendae omnino adimi videretur, addita clauſula, ut edictum locum haberet, quouſque pace beneficio Dei in regno conſtituta diſſidium religionis, ſicuti in regni ingreſſu rex promiſerit, ex communi omnium ordinum ad obedientiam reductorum conſenſu componi poſſit.

XVI. UTRIUSQUE edicti, et quod mandata pontificia, et quod Proteſtantium cauſam reſpiciebat, [b] Caeſarodunum perferendi, ut in ſenatu promulgarentur, cura Jacobo Auguſto Thuano, qui deliberationi interfuerat, et clauſulae addendae ad effugiendam calumniam auctor fuerat, committitur; cui et negotium datum, ut mutuam ſive gratuitam pecuniam undecunque ſumeret, ad ſtipendium auxiliaris exercitus propediem venturi perſolvendum. Quod et ille ſedulo fecit, et Caeſaroduni, aliiſque Turonum et [c] Andium urbibus, [d] Cenomanorum civitate, [e] Ratiaſti Lemovicum, ex ſacris collegiis, civitatum univerſitaribus, et privatis ad XXX CIↃ aureorum collegit, et in regia caſtra ſub adventum Germanorum tranſportari curavit. Allato in ſenatu priore edicto et lectis mandatis pontificiis, immane quantum omnium animi commoti ſunt, tum graviſſimae dictae ſententiae, et revocata in memoriam tempora Henrici IIII imperatoris, quibus ille a Paſchali II diris devotus fuerat, etiam poſitis extra eccleſiae communionem cunctis ejus ditionum ordinibus, atque ipſis eccleſiaſticis. Nam cum tunc pontifex Robertum Flandriae comitem ad bellum Caeſari inferendum, ſicuti prius contra Cameracenſeis fecerat, et [f] Leodicenſeis armis perſequendos miſſo diplomate incitaret; illi concilio habito ad pontificem luculentam epiſtolam ſcripſerunt, vim deprecantes et mitiorem mentem ipſi optantes: Ea inter acta conciliorum a Surio Carthuſiano Coloniae typis excuſa habetur, nam in aliis editionibus omiſſa eſt: ejuſque auctor perhibetur [α] Sigebertus, quem Trithemius ſcriptorem Gallicum aſſerit. Placuit exemplum,

atque

VAR. LECT. [a] Sigebertus ſcriptor Gallicus, ut eum vocat Jo. Trithemius, quippe Belga in Atuaticis natus, et Gemblaci II a Namurco milliaribus coenobio celebri monaſticam profeſſus, qui prius contra Gregorium VII, qui eundem imperatorem oppugnaverat, ſcripſit, et chronicon a Valentis imperatoris obitu ad ſua uſque tempora perduxit, hoc eſt ad annum CIↃCX. Hoc ſcripto Leodicenſes qui epiſcopo ſuo a partibus Caeſaris, cujus beneficiarius erat, ſtanti adhaerebant, Babylonem Romam appellabant, juſtiuſque quam B. Petrus feciſſet, eo nomine vocari poſſe contendebant, propter horrendas tunc in eccleſiam invectas confuſiones. Duos tantum gladios in evangelio memoratos pontifici tanquam Angelo Domini competere; ſpiritualem ſcilicet, ad quem Chriſtus reſpiciens dixerit, non pacem ſe miſſurum veniſſe, ſed gladium; alterum, cum quis peccato mortuus coronam martyrii lucratur; tertium ad magiſtratum ſolum pertinere; et rem apoſtolica auctoritate ac dignitate indignum facere eum, qui apoſtoli ſedem tenet, cum ab apoſtolo deficit et gladium principi ad bello vexandos populos tradit. Lachrimas et preces decere ſacerdotes et ſufficere. Siquis ab obedientia eccleſiae deflectat, ut is tanquam ethnicus et publicanus habeatur: nam graviorem eam poenam primos eccleſiae doctores cenſuiſſe, quam ſi defector ferro necaretur, aut flammis uſtulandus traderetur, aut denique feris devorandus exponeretur. Sic Gregorium I, cum Maximus quidam Salonicae epiſcopali ſedi, quam Honorato ipſe deſtinaverat, ſe per vim intruſiſſet, non alia quam miniſterii arma contra illum ſtrinxiſſe, nec

Honoratum

INTERPR. [a] *l'Archevêque de Bourges, & les evêques de Nantes, Maillezais, & Bayeux.* [b] *Tours.* [c] *Angers.* [d] *le Mans.* [e] *Limoges.* [f] *ceux de Liege.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

atque his maxime temporibus convenire viſum eſt; et epiſtola in vernaculam linguam ſeorſim tranſlata eſt, ut per omnium manus volitaret. Tandem ſenatuſconſultum factum, audito et poſtulante cognitore regio, et pro eo perorante Antonio

Honoratum epiſcopum creaſſe, ne ſciſſurae occaſionem praeberet, ſed cenſuris contentum poſtremo rebellem ad poenitentiam adduxiſſe. At non ita feciſſe Paſchalem, qui bello Cameracenſeis per Robertum adortus, duorum epiſcoporum in eadem civitate certamen excitavit. Tum Priſcilliani exemplo, a Damaſo papa damnati et ſupplicio praeter B. Martini et aliorum orthodoxorum praeſulum voluntatem ac ſententiam affecti, id confirmant; et cum idem corpus ſint, in eadem eccleſia abluti fuerint, eandem fidem in Jeſu Chriſto retineant, inique ſecum agi oſtendunt, quod poteſtatibus ſuperioribus a Deo conſtitutis obediant, quod Caeſari, quod epiſcopo ſuo fidem ſervant. Nam id Dei praeceptum eſſe per B. Paulum ſcriptis conſignatum, qui omnem animam poteſtatibus ſubjectam eſſe jubet ſine exceptione, neminemque imperio ſupremi magiſtratus eximit. Novam nunc doctrinam ad pervertendum apoſtoli mandatum induci, nec metuere illius auctores ne illis, quod Deus Phariſaeis apud B. Matthaeum improperat, merito objiciatur, *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Quomodo ergo et per quem et quam ob cauſam ſe communione eccleſiae pulſos? Nam non ab epiſcopo vel archiepiſcopo: a pontifice autem qui pote? cum ille minime Nicodemi dictum apud B. Joannem expreſſum ignoret, *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo et cognoverit quid faciat?* Sic in Sodomitas non prius latam ſententiam quam Deus deſcendiſſet et vidiſſet. Nimirum ſolutis faſcibus, inimicum hominem per terras inambulantem ſuperveniſſe, zizania, hoc eſt inter imperium et eccleſiam, inter regnum et ſacerdotium ſeminaſſe diſcordiam; et expectandum eſſe, donec meſſores angeli veniant et faſciculos zizaniorum rurſus ligatos igni tradant. Quid vero reprehenſione dignum feciſſe epiſcopum, qui regis ſui, cui fidem obligavit, partes ſequitur? Perjurii magnum crimen eſſe; ſolum Deum, in quem poenitentia non cadit, impune jurare; propterea hominibus, qui poenitentia fere ducuntur, interdictum eſſe jusjurandum, et ſiquidem jurent reddere juramentum Deo juberi. Haec cum minime ignorent qui inter utrumque magiſtratum diſſenſiones ſerunt, callidam ſciſſurae per nova commenta fovendae rationem invexiſſe, a fide principi jurata ſubditos populos abſolventes; nec in mentem illis venire, quod Deus per Ezekielis os de Sedechia, qui Nabuchodonoſori fidem datam fefellit, pronunciavit, moriturum eum quoniam foedus non ſervaſſet. Nam B. Hieronymum ex eo fidem etiam hoſti ſervandam admonere, nec reſpiciendum cui, ſed per quem juraveris: nam melius illum facere qui juranti propter divini Nominis religionem credidit et deceptus eſt, quam eum qui praetextu divini Nominis hoſtibus inſidiatus eſt; praeſertim cum in eo amici inter ſe eſſent. Scitum eſſe decalogi de jurisjurandi religione praeceptum, in quod eum graviter peccare proculdubio ſit, atque mortis reum eſſe, quiſquis Caeſari debitum obſequium non praeſtat, nec juxta B. Petri vocem eum honorificat, nomine Dei per quod fidem obſtrinxit, ſumma impietate pejerato. Fruſtra igitur dirarum et execrationum ab Hildebrando, Odone, is Urbanus II dictus eſt, et domino Paſchali devotarum horrorem objici; potius ſe patrum doctrinam amplecti et vereri, qui legitimam in eccleſia poteſtatem non inſtar principalis dominationis, ſed in exemplar gregis eſſe voluerunt; et errata gravia principum ac magiſtratuum partim amice correxerunt, ſed majorem partem diſſimulatione tranſegerunt. Leodicenſem epiſcopum cum rege ſuo communicare, neque eum pro execrando reputare, quippe cum in ſua inauguratione fidem ipſi obligaverit, more per multa jam ſaecula inveterato, et a tot reverendis deceſſoribus ſuis uſurpato, qui Caeſari quae Caeſaris erant, Deo quae Dei reddiderunt. Chriſtum imaginem Caeſaris nummo inſculptam habuiſſe cum tributum pependit; itaque cum tributum penderet, non de ſuo ſolviſſe, ſed Caeſari quae Caeſaris erant reddidiſſe. Regum et principum terram eſſe, et omnia bona ac jura quae poſſidemus per eos et eorum auctoritate a Deo inter mortaleis diſpenſari. Proinde diligenter cavendum epiſcopis regum beneficiariis, ne ſuo ipſorum gladio eos conficiant; hoc eſt, beneficia regum liberalitate profecta in ipſorum perniciem deteſtanda ingratitudine vertant. Et vero ſacris libris ſedulo perlectis proculdubio conſtiturum, aut non omnino poſſe reges aut imperatores diris devoveri, aut ſi poſſunt, non niſi cum difficultate poſſe. Moneri, increpari, cum acerbitate reprimi poſſe, idque per viros probitate et gravitate praeditos. Nec id carere ratione, Deum, quippe qui regum Rex eſt, ſibi ac judicio arcano ſuo reſervaſſe de eorum ſalute aut condemnatione ſtatuere, quos in id conſtituit, ut in terris vicem ſuam fungantur. Immerito igitur execrabdeis et falſos clericos a D. Paſchali dici, qui epiſcopi et archiepiſcopi dicto audientes ſunt, nec ſe cujuſvis doctrinae ad auram circumagi ſinunt, decreta concilii provincialis ſervant, in quibus quod ex ſacrae ſcripturae auctoritate decernitur, de eo ad pontificem non refertur. Se quidem legatos a latere, qui in id mittuntur, non ut diſciplinam et mores emendent, verum ut privatum compendium faciant, caedeis, direptiones ac vaſtationes eccleſiarum ſua auctoritate adprobent, omnino rejicere; ut a conciliis Africae, Zoſimi, Coeleſtini ac Bonifacii paparum temporibus rejecti ſunt. Proinde D. Paſchalis ſpiritum ſuperbiae ac faſtum deponat, et cum ſuis conſiliariis attente perpendat, quibus artibus deceſſores ſui a temporibus Silveſtri uſque ad Hildebrandum in hoc faſtigium excreverint; quanta ſcelera priſcis ſaeculis inaudita ipſorum ambitione patrata ſint, et quomodo tandem ſciſſurae ab iis excitatae regum et imperatorum, quos illi oppugnabant, virtute ac moderatione ſublatae fuerint. Ea comparatione clarum omnibus fieri, plus principum pietatem, quam inaneis Hildebrandi, Odonis et D. Paſchalis diras, eccleſiae profuiſſe. Neque vero caſtigationem averſari ipſum debere: nam et Paulum in faciem Petro reſtitiſſe, et moderatione Chriſtiana id Petrum tuliſſe, ut ſucceſſoribus ſuis in exemplum eſſet; cum qui correctionem non admittat, pſeudo-epiſcopum et pſeudo-clericum eſſe. Se viciſſim paratos, ſiquid ſecus admiſerint, diſciplinam ſubire, et non ſolum in anima ſed in bonis culpam luere; ſed enim illud ad ipſum, qui gladii ſpiritualis ſtringendi poteſtatem habet, pertinere, hoc regum eſſe. Primum omnium Hildebrandum hoc ſibi jus arrogaſſe, et cum non ſolum Henricum, ſed cunctos ejus ſubditos publica denunciatione execratus eſſet, poſtea mutaſſe, et eos qui officii neceſſitate ei adhaerebant,

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

Antonio [a] Seguierio, quo [b] monitorialia Romae Kal. Mart. ſacta declarantur nulla, abuſiva, ſeditioſa, damnanda, impietatum et impoſturarum plena, ſanctis decretis, juribus, immunitatibus, libertatibus eccleſiae Gallicanae contraria; decerniturque ut exempla eorum ſigillo Marſilii Landriani firmata, et a [c] Sextilio Lampineto ſubſignara a carnifice publice lacerentur, et ante palatii, in quo jus dicitur, portam igni conſumantur. Interdicitur ſub perduellionis poena, ne quis epiſcopus, curio, vicarius, aliuſve e ſacro ordine ea publicet; aliis item cujuſcunque conditionis ſint, ne iis pareant, aut habeant ac penes ſe retineant. Prohibetur ſub iiſdem poenis, ne quis deinceps aurum argentumve Romam mittat, aut per menſarios numerari curet ad obtinenda mandata; et ſi quae impetrata fuerint, ne judices eorum rationem habeant. Edicitur, ut Landrianus ſe pro oratore pontificio gerens mandatorum illorum lator comprehendatur, et in jure ſiſtatur, ex vinculis cauſam dicturus: ſi comprehendi nequeat, trinundino loco tuti acceſſus [d] Auguſtae Sueſſionum proximo citetur. Eodem ſenatuſconſulto Gregorius ſe pro pontifice hujus nominis XIIII gerens, publicae pacis, unionis eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae, regis, regnique hoſtis, conjurationis Hiſpanae particeps, rebellium ſautor, immanis, deteſtandi et inhumani parricidii per proditionem contra Henricum III Chriſtianiſſimum et vere Catholicum regem patrati reus declaratur. Et quo de recta ac ſincera regis voluntate omnibus conſtet, edicitur, ut exempla tam diplomatis regii, quam ſenatuſconſulti ab amanuenſi curiae ſubſignata, valvis templorum, in plateis et quadriviis urbis, et in aliis civitatibus ac praefecturis juriſdictioni ejus ſubjectis publice affigantur, in acta referantur, et ab archiepiſcopis ac epiſcopis per ſuas dioeceſeis publicentur. Id actum Non. Sextil. Poſtridie edictum in gratiam Proteſtantium factum omnium conſenſu tanquam neceſſarium, audito et poſtulante cognitore regio in ſenatu, ac triduo poſt in [e] rationalium curia publicatur. Utrumque antea [f] Catalauni publicatum fuerat IX Kal. Sextil. et repetitae in prioris promulgatione quaedam ſenatuſconſulti IIII Eid. Jun. facti clauſulae.

XVII. CONTRA Catalaunenſe ſenatuſconſultum jam ante curia Pariſienſis univerſis claſſibus convocatis poſt longam cognitoris generalis praefationem, et multum laudatam pontificis circa res Gallicas cum ſumma pietate conjunctam ſolicitudinem, auctoritatem ſuam interpoſuit, et nullum illud declarans, plenum offenſionis, ſchiſmatis, haereſium, et a pontificis obedientia, in iis, quae poteſtatem et auctoritatem ipſi a Deo tributam ſpectant, defectionem redolens; edixeratque ut publice in jure laceraretur,

rebant, a cenſuris excepiſſe. Quin potius Paſchalis exemplum ejus, cujus nomine gloriatur, Petri ſequatur; et Malchi auriculam praeter Chriſti voluntatem amputaſſe, contentus, gladium in vaginam recondat: nam quid plus Malcho meruiſſe Caeſarem, quantumvis ille eum vocet haereticorum fautorem, Dei hoſtem, imperii uſurpatorem, idololatram, ſimoniacum, et diris ab apoſtolis eorumque ſucceſſoribus devotum? Et ut talis ſit, non propterea illum armis petere, aut imperio expellere debere, ſed lachrimas et preces pro eo ad Deum fundere. Paulum praecipere, ut pro principibus publicae preces fiant; cum tamen ejus temporibus principes nec Catholici nec Chriſtiani eſſent. In libris propheticis vocem Dei audiri, pro Nabuchodonoſore et Baltazare ſervis ſuis orare populum ſuum jubentis. Bonos principes ut deſiderandos eſſe, ſic malos ferendos: nam incomprehenſibili Dei judicio fieri, ut ad beandos vel plectendos populos boni vel mali principes eis praeficiantur. Proinde B. Gregorium recte pronunciaſſe, nullum qui rectorem hypocritam patitur, eum quem patitur accuſare debere; nam ſui meriti fuiſſe perverſi rectoris ſubjacere ditioni. Culpam ergo proprii magis accuſandam operis, quam injuſtitiam gubernantis; nam Deum interminari *ſe daturum reges in furore ſuo.* Igitur immerito nos queri illos rebus praeeſſe, quorum ſuper nos regimina ex domini furore ſuſcepimus. Nam ſecundum merita ſubditorum fieri, ut ſaepe qui videntur boni rectores, accepto mox regimine mutent, exemplo Saulis, qui cor cum dignitate mutavit; ſic pro ingenio ſubditorum diſponi acta regentium, ut ſaepe pro vitio gregis, etiam vera boni rectoris vita delinquat. Certum quippe eſſe, ita ſibi invicem rectorum et populorum merita connecti, ut ſaepe ex culpa rectorum deterior fiat vita populorum, et ſaepe ex merito populorum mutetur vita rectorum. Summe ergo ſubditis cavendum eſſe, ne de rectorum qui judicem habent Deum, vita judicent. Ad extremum ſic epiſtolam claudebant, ut non ſolum iniquam, ſed nec recte nec rite decretam cenſuram in Henricum et Leodicenſes dicerent, ac proinde minime vinculis ejus teneri. Placuit exemplum MSS *Reg.* & *Samm.*

INTERPR. [a] *Seguier.* [b] *Bulles monitoriales.* [c] *Seſtilio Lampineti.* [d] *Soiſſons.* [e] *Chambre des comptes.* [f] *Chaalons.*

laceraretur, et particulae ejus igni a carnifice traderentut; inſuper cunctis interdixerat, cujuſcunque conditionis ſint, ei ſenatuſconſulto parere, aliumve ſenatum, quacunque ejus juriſdictio patet, praeter Pariſienſem agnoſcere: injunxeratque ut pontificiis mandatis debitam obedientiam ac reverentiam praeſtarent. Tum cognitori mandarat, ut in ſenatuſconſulti auctores inquireret, aliiſque de cauſis in libello comprehenſis probationes conficeret. Decretum VIII Eid. Jul. factum, et decimo poſt die executioni demandatum eſt. Poſtea cum de [a] Turonenſi ſenatuſconſulto Lutetiae cognitum eſſet, VIII Kal. Oct. itidem claſſibus convocatis, et poſtulante cognitore generali, curia nihil allud ſibi propoſitum eſſe, quam religionem antiquam Catholicam apoſtolicam Romanam, et diſciplinam in domo Dei conſtitutam tueri, Sectarium virus, quantum in ſe ſit, exſtirpare, et regium imperium integrum ſervare, acerbioribus quam antea verbis invecta, ſenatuſconſulrum nullum, execrabile, abominandum declarat, ab hominibus nullam poteſtatem habentibus factum, vere ſchiſmaticis, haereticis, jurisjurandi violatoribus, in Deum perfidis et deſertoribus ac ejus cauſae proditoribus, eadem dein, quae ſuperiori addita: inſuper ut cuncti tenerentur colere, venerari, revereri Gregorium XIIII papam nunc ſanctam ſedem apoſtolicam tenentem, tanquam Dei vicarium, B. Petri ſucceſſorem, et univerſale eccleſiae caput; et mandatis a ſua pietate, dilectione, providentia et paterna ſolicitudine profectis debitum obſequium deferre. Praeterea ad cunctos in fidei integritate et obedientia ſanctae matris eccleſiae continendos, et placandam Dei iram exhortatur ſaerum ordinem, ut precibus et ſupplicationibus publicis aſſidue incumbant, quibus ipſa ſingulis quintis feriis intererit.

XVIII. REX hortatus fuerat praeſules, qui in comitatu ejus erant, ut ſibi et ſacro ordini, ne quid ex ea occaſione detrimenti acciperent, matura deliberatione conſulerent. Igitur dum rex [b] Compendii eſſet, et jam de [c] Novioduni obſidione cogitaret, conventus [d] Medontae coeptus, in quo procraſtinando cum cardinalis Borbonius, qui tertiam factionem fovebat, nimis animi morbum proderet, incidit caſus, cujus conſcium fuiſſe cum pleriſque perſuaſum fuit. Meduanius cum Fr. [e] Avertono Belinio Lutetiae, Lud. [f] Hoſpitalio .Vitrio Meldorum, Carolo [g] Neovillo Alincurio pontis Eſiae praefectis, et [h] Drocenſi praeſidio, noctu ſcalas ad oppidum admovit: ſed Petro [i] Mornaeo Buxeto Franciſci [k] Doi legato, et Salomone [l] Betunio Ronio cum armis ad moenia accurrentibus conſcii non comparuere, et conatus fruſtra fuit. Haud hinc longe [m] Udencum Helvetiorum [n] Soloturniorum, qui regi militabant, legio diverterat, accepto ſtipendio a rege dimiſſa, et jamjam ad ſua reditura, quam vi primum adortus Meduanius cum nihil proficeret, mox minas et minis blanditias addidit; nec tamen homines decotis plus quam vitae cupidos adducere potuit, ut ſumpto ab ipſo commeatu iter per Unionis urbes caperent. Inde inſtanre Jo. Mocenico oratore Veneto conventus cum omni conſiſtoriali comitatu [o] Autricum Carnutum tranſlatus eſt, urbem et ſitu Medonta longe munitiorem, et longe validiſſimo praeſidio firmatam: nam Gaſpar [p] Valirodus legionis Navarrae tribunus arci in ea exſtructae praepoſitus fuerat. Tandem XI Kal. Oct. decretum fit a praeſulibus, qui in regis comitatu erant, ad omnes ordines, civitates et Catholicos hujus regni populos directum, in hanc ſententiam: Quandoquidem Paulus paſtores admonet, ut ad gregem Chriſti ſanguine pretioſo redemptum, cui ab ipſo praepoſiti ſunt, ſedulo attendant, noſtri officii eſſe duximus cavere, ne animae Chriſtianae, quae noſtrae curae commiſſae ſunt, a legibus et mandatis divinis deflectant. Igitur cum

INTERPR. [a] *de Tours.* [b] *Compiegne.* [c] *Noyon.* [d] *Mante.* [e] *de Faudoas dit d'Averton Sr de Belin gouverneur de Paris.* [f] *de l'Hoſpital Sr de Vitry, gouverneur de Meaux.* [g] *de Neufville Sr d'Altincour, gouverneur de Pontoiſe.* [h] *de Dreux.* [i] *de Mornay Sr de Buhy.* [k] *d'O.* [l] *de Bethune de Roſny.* [m] *Oudan.* [n] *les Suiſſes de Soleurre.* [o] *Chartres.* [p] *de Valiraud.*

CIƆ IƆ XCI. HENRICUS IV.

cum intellexerimus Gregorium XIIII Romae nunc ſedentem, male de regni ſtatu inſtructum, ac de noſtro ordine inprimis, aſtuque et technis hoſtium hujus regni perſuaſum, mandata quaedam monitoria, ſuſpenſiones, interdictiones, excommunicationes miſiſſe, non ſolum contra praeſules, ſed etiam principes, nobileis et Franciae populos, qui rebellium partes ſequi noluerunt; poſt maturam ſuper iis conſultationem, ex auctoritate ſacrae ſcripturae, ſanctorum decretorum, conciliorum generalium, canonicarum conſtitutionum, perpenſis ſanctorum patrum exemplis, quorum plena eſt antiquitas, juribus et libertatibus eccleſiae Gallicanae, quarum praeſcriptione deceſſores noſtri epiſcopi ſe adverſus hujuſmodi conatus ſemper tutati ſunt; et quia horum mandatorum executio minime explicabilis, innumeris periculoſis eventibus in religionis praejudicium ac perniciem vergentibus implicata eſt; eapropter interdictiones tam in forma quam in materia nullas, injuſtas, et ſuggeſtione hoſtium Franciae factas declaramus, neque his nos obligari poſſe alioſve Francos Catholicos, qui fidem regi ſervant, idque ſalvo cultu et honore qui pontifici Romano debetur: id monemus, ſignificamus et denunciamus, ut qui inter vos infirmi ſunt, non circunſcribantur, neque ab officio et obſequio erga regem praeſuleſque ſuos avertantur; et ut omnis ſcrupulus ex vere Catholicorum et regi fidorum conſcientiis evellatur, nobis integrum reſervamus ad ſummum pontificem oratores mittere, quo eum de jure cauſae noſtrae plenius edocere, eique in omnibus ſatisfacere valeamus; a quo nobis idem reſponſum polliceri debemus, quod olim Alexander ad archiepiſcopum Ravennatem ſcribens his verbis dedit; "patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinu-" "atione ſuggeſtum." Interim admonemus omneis Dei nomine, quacunque profeſſione Chriſtiani ſint, vere Catholicos et Francici nominis ſtudioſos, ac peculiariter ſacris addictos, ut vota ſua nobiſcum conjungant, quo conſenſione votorum a divina bonitate impetremus, dignetur principis noſtri cor illuminare, eumque ad unionem eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae adducere, ſicuti nobis ſpem fecit, ſtatim ubi regno inauguratus eſt, inſuperque religioſe promiſit, ſe ſtatum eccleſiaſticum, ejuſque jura, immunitates ac libertates conſervaturum. Ad extremum curionibus eorumque vicariis mandatum, ut hujus declarationis exempla pro valvis templorum ſuorum affigi, et publice inter ſacra peragenda publicari curent. Decreti archetypo ſubſcripſere Carolus Borbonius et Philippus Lenoncurius cardinales, Reginaldus [a] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis, Philippus [b] Becus Nannetenſis, Nicolaus [c] Thuanus Carnotenſis, Nic. Fumeus Bellovacenſis comes et par Franciae, Henricus Eſcubleus Malcacenſis, Claudius Angeneus Cenomanenſis, Coſmus Clauſſa Catalaunenſis comes et par Franciae, epiſcopi; Renatus [d] Dallonius Bajocaſſium epiſcopus deſignatus, Jo. Tuchardus Belloſanae abbas, Jacobus David Perronus, et Cl. Govinus Bellovacenſis decanus. Decreta inſuper legatio ad pontificem cum bona regis gratia, eique obeundae deſtinatus idem, qui jam unam et alteram honorifice juxta ac feliciter confecerat, Franciſcus [e] Lucemburgus, quod epiſcopum aut aliquem e ſacro ordine mittere, pontifice ita male erga regem regiiſque partibus addictos affecto, minime tutum videretur. Itaque in mandatis datum ei fuerat, ut ſecuritatem epiſcopis aliiſve e ſacro ordine Romam ituris a pontifice impetraret, qui cum de re tota plenius ac certius edocerent. Verum interceſſit ſenatus, tenuitque ut legatio non obiretur, recenti adhuc ſenatuſconſultorum, quae Romam mittere prohibebant et Gregorium regni hoſtem pronunciaverant, memoria. Lucemburgus ipſe ſe ab eo munere excuſavit; itaque res dilata, quouſque mutata rerum facie Petrus Gondius cardinalis, et cum eo

Jo.

INTERPR. [a] *de Beaune archevêque de Bourges.* [b] *du Bec evêque de Nantes.* [c] *de Thou evêque de Chartres, Nic. de Fumée evêque de Beauvais, d'Eſcoubleau evêque de Maillezais, d'Angennes evêque du Mans, & de Clauſſe evêque de Chaalons.* [d] *de Daillon evêque de Bayeux, Touchard abbé de Belloſane, Davy du Perron, & Cl. Gouin Doyen de Beauvais.* [e] *de Luxembourg duc de Piney.*

Jo. [a] Vivonus Piſanii márchio in Italiam miſſi ſunt. Lutetiae autem cum curia jam ſatis ſuperque officio ſuo defuncta eſſet, ne tamen Henoticorum cauſa potius auctoritate, quam rationibus niti videretur, per Matthaeum [b] Zampinum Recanatenſem J. C. verboſo ſcripto ad calumnias, ſic enim libri titulus prae ſe fert, et impoſturas a pſeudo-parlamentis [c] Catalaunenſi et Turonenſi, ac [d] Carnotenſi conventiculo in Gregorium XIIII, illiuſque monitionis literas impie confictas reſponſum eſt; quo delirus doctor haud feliciore ſucceſſu, quam in apologia pro Carolo cardinali Borbonio patruo adverſus fratris Antonii filium ſcripta fecerat, iniquam cauſam ineptiſſimis argumentis tueri conatus eſt. Contra alia atque alia ſcripta pro ſenatuſconſultis tuendis edita ſunt; quibus et mandata pontificia nulla, iniqua, abuſus et fallaciarum plena eſſe, auctoritate ſcripturae, ſacrorum conciliorum, veterum patrum, et conſtitutionum pontificiarum teſtimoniis ac exemplis copioſe demonſtrabatur; ut eſſent vindiciarum loco pro principum ac magiſtratuum auctoritate et libertate adverſus temerarios conatus, uſurpationes, et cenſuras pontificum Romanorum tuenda.

XIX. INTEREA Rex ad [e] Noviodunum caſtra poſuerat, a qua urbe ob frequenteis praeſidiariorum excurſiones [f] Corbia, Caunium, Quintinifanum, Compendium multum damni accipiebant. Tunc vero debile admodum erat praeſidium; idque tentandae obſidionis praecipua cauſa fuit. Obſeſſa urbe, quia tamen rivulis pleriſque alluitur, et a ſeptentrione colle vitifero cingitur, non ita arcte aditus ſervari potuere, quin [g] Riuſius praedo pugnax et locorum gnarus, qui valido praeſidio [h] Petrofondium in Valeſio agro arcem ſitu munitiſſimam tenebat, antequam copiae omnes regiae adveniſſent, per ſylvas noctu erepens, cum L delectis equitibus et totidem ſcloppetariis, quos illi poſt tergum vehebant, intra urbem penetraverit: poſt Riuſium idem tentavit [i] Canterius legionis tribunus, qui a Caunii praeſidiariis caeſus ac fuſus vix cum XII incolumis in urbem pervenit. Poſtea [k] Bellovallius Tremblacurius cum legione itidem ſua profectus antequam urbi propinquaret, a [l] Caſtelli et Corbiae praeſidiariis in itinere interceptus et caeſus eſt. Igitur Joannes [m] Saulius Tavanius vicecomes, qui ſummus militiae per Picardiam praefectus erat, et, Canterio ac Tremblacurio praemiſſis, oppidanos ad ſuſtinendam fortiter obſidionem hortabatur, id ad decus ſuum pertinere exiſtimans, ut ſuppetiae obſeſſis ferrentur; ipſe [n] Roia, quae IIII leucis a Novioduno abeſt Kal. Sextil. profectus cum CCCC equitibus et IƆ ſcloppetariis in viam ſe dat, et per ſilvas ſummo ſilentio incedens in ſtationem circiter XL equitum haud longe ab oppido nondum albeſcente die incidit: qui cum ad arma mox conclamaſſent, aliique e regiis ſubito accurriſſent, tantus pavor hoſteis invadit, ut ſolutis ordinibus huc illuc diſſipati ſint. Tavanius, qui recipientium ſe ultimum agmen claudebat, poſt aliquod certamen ſauciatus et captus eſt; et cum eo aliquot ordinum ductores: occiſi et plerique, ſed incerto numero per noctem; plures a ruſticis huc illuc palantes caeſi ſunt. Reliqui armis abjectis aufugerunt. Reſtabat Aumalius in provincia, cujus et ſe praeſidem ferebat, qui aliorum ſeu culpam ſive infelicitatem emendare cupiens, [o] Samarobriga [p] Hanam pari ab urbe obſeſſa ſpatio diſtantem venit, et inde praemiſſo Antonio [q] Hamelio Bellengliſio caſtrorum praefecto, ipſe cum [r] Loncampio, Roberto [s] Gruchio Gribovallio CCC equitibus ac totidem delectis peditibus VII Eid. Sextil. per noctem iter capeſſit, eo conſilio, ut levem regis armaturam caſtris exueret, et ex ſucceſſu conſilium ulteriora audendi caperet. Anceps

initio

INTERPR. [a] *de Vivone marquis de Piſany.* [b] *Zampino da Recanati.* [c] *de Chaalons & Tours.* [d] *de Chartres.* [e] *Noyon.* [f] *Corbie, Chauny, S. Quintin, & Compiegne.* [g] *de Rieux.* [h] *Pierrefond au Duché de Valois.* [i] *la Chanterie.* [k] *de Beauvau Sr de Tremblecour.* [l] *le Caſtelet.* [m] *de Saulx vicomte de Tavannes.* [n] *Roie.* [o] *Amiens.* [p] *Han.* [q] *du Hamel de Bellengliſe.* [r] *de Lonchamp.* [s] *de Grouches Sr de Gribоval.*

inirio certamen fuit, perturbatis primo ut ad inopinata regiis. Sed Ludovico [a] Ognio Argerio [b] Cauniae comitis filio et Chriſtophoro [c] Lanoio fratre ejus uterino ſupervenientibus cum ſuis equitum turmis, additi regiis animi, rurſuſque diu obſtinate pugnatum fuit; tandemque cum numero vincerentur, paulatim hoſte recedente et ipſi pugnam intermittebant, cum Carolus Bironus paucis ſtipatus advenit; ad cujus nomen mox regii pugnam ardentius quam antea capeſſunt, cedentibuſque hoſtibus eos ſub Hanae uſque portas inſecuti ſunt. Deſiderari ex iis plus LX, et in iis Franciſcus Gevara levis armaturae dux ſtrenuus: captus Loncampius, in quem, Tavanius rogatus, cur ſui ſine certamine tam cito ſe recepiſſent, culpam rejiciebat, et a ſuis fugae factum initium dicebat. Quod cum ille reſciviſſet, gravis inter eos rixa exorta eſt, et contumelioſae voces hinc inde jactatae, parumque res a duello abfuit. Sed inter captivos, qui tanquam ſervi ſunt, cum id injuſſu eorum, in quorum poteſtate ſunt, non liceat, rex parum decorum exiſtimavit, ſi eos antequam priſtinam libertatem recuperaſſent, tanquam par gladiatorum in arenam produceret. Itaque res dilata, ac tempore tandem et interventu amicorum compoſita eſt. Ex regiis pauci occiſi, ſed in iis metator alae regiae magnum ſui deſiderium reliquit. Sub id Meduanius poſt irritum [d] Medontae intercipiendae conatum, et fruſtra tentatos ad [e] Udencum Helvetios, Hanam venit, ſtatimque literas ad [f] Ronaeum dat, ad quem in Campania haerentem ſe Carolus [g] Leva Aſculi princeps a Parmenſi miſſus cum IↃ CCC equitibus et III CIↃ peditum conjunxerat, et ut ad ſe veniret, jubet; ad ſolvendam [h] Novioduni obſidionem. Nec detrectavit imperium Ronaeus, et ad [i] Faram Veramanduorum cuncti convenerunt: quo die parum abfuit, quin rex aſtu oppidum intercepetit. Inde Meduanius cum omnibus copiis Hanam rediit, quas quamvis pugnae occaſionem quaerere videri vellet, trans [k] Somonam, ne ad eam cogi poſſet, diſtribuit. Interea rex obſidionem urget, et S. Bartholomaei coenobium, quod hoſtes in urbis ſuburbio muniverant, loco edito ſitum, oppugnatione capit XX circiter occiſis; et XLV aliis, qui in fornice templi latebant, et ad extremum ſe regis arbitrio dediderant, vitae gratiam fecit: quod obſeſſis magnum terrorem injecit. In exercitu Meduanii paulo minus X CIↃ peditum, II CIↃ equitum erant, cum rex tantum CIↃ CC equites Gallos, CCCC equites Germanos, et VI CIↃ peditum penes ſe haberet. Qui tamen quanquam viribus inferior Arm. Bironum equitum tribunum ſummum belli ducem et experientia ac felicitate clariſſimum cum IↃ delectis equitibus ultro in conſpectum juſſit procedere, ut eorum vireis e propinquo contemplaretur, et locum certamini idoneum deligeret. Ipſe, qui verberationem eo die facere decreviſſet, in perendinum diſtulit, pugnandi quam oppidi capiendi majus deſiderium prae ſe ferens. Bironus in caſtra reverſus cum nuſquam viſum hoſtem referret, quanquam ſub Hanae portas uſque ſe intuliſſet, poſtridie rurſus mittitur Bironus ea fiducia, ut ſi hoſtem in armis reperiret, eum tandiu diſtineret, dum rex protinus citra tumultum aciem inſtruere poſſet. Igitur XVI Kal. Sept. qui in Saturni diem incidebat, coepta verberatio cum XII tormentis, muroque dejecto cum jam copiae in procinctu eſſent, ut oppugnationem tentarent, Carolo Birono in primis ordinibus ſtante, et militem ad fortiter capeſſendam pugnam et voce et exemplo hortante, [l] Villa, qui urbi praeerat, ſigno dato colloquium poſcit, convenitque, ut ſi Meduanius poſtridie pugnae copiam non faceret, aut CIↃ auxiliareis in urbem non immitteret, Lunae die proximo ſub meridiem deditio fieret, his conditionibus; tormenta, annonam, omnemque belli apparatum integrum Villa relinqueret: ipſe nobileſque cum armis, equis, impedimentis, miles cum armis et equis tantum,

libere

INTERPR. [a] *d'Ognies Sr de la Hargerie.* [b] *Comte de Chaune.* [c] *de Lanoy.* [d] *Mante.* [e] *Oudan.* [f] *de Savigny Sr de Roſne.* [g] *de Leyva prince d'Aſcoli.* [h] *Noyon.* [i] *la Fere.* [k] *la Somme.* [l] *de Villes.*

libere abire permitterentur, et qui ex oppidanis eos ſequi vellent: oppidani, poſtquam officio ſatisfeciſſent, in gratiam reciperentur, et benigne cum iis ageretur: Villae mater in urbe manere poſſet: cui et permiſſum, ut per [a] Brolium Mevillerium regi certiorem Meduanium faceret. Dati obſides [b] Riuſius aliique IV regis arbitrio, et accepti intra urbem II ordinum ductores, qui viderent, ne quid contra pacta ab hoſte fieret. Poſt ſubſignatas utrinque conditiones Bironus in caſtra reverſus cum nullum pugnae apparatum deprehendiſſe ſe teſtaretur, tantum obviam Italorum equitum turmam in itinere cecidiſſet, captis circiter ex iis XX, tamen omnia quaſi ad pugnam inſtructa. Brolius ad Meduanium miſſus omnia tumultus in caſtris plena reperit, diſſidentibus belli ducibus et Hiſpanis victricem regis fortunam ſubveritis, neque tutum exiſtimantibus rerum ſummam proelii unius aleae committi. Itaque die et hora promiſſis deditio facta eſt, et Antonius [c] Eſtraeus, Gabrielidis filiae, quam rex in deliciis habebat, quaeque obſidionis illius ſuſcipiendae praecipuum incitamentum fuiſſe creditur, commendatione, [d] Novioduno cum valido praeſidio impoſitus eſt.

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

XX. SUB id de Guiſii fuga rex certior factus eſt, qui in arce [e] Caeſarodunenſi a [f] Roboreo cum delecto ſtipatu cuſtodiebatur. Is Claudio [g] Caſtreo ejuſque filio diem condixerat, XVIII Kal. Sept. religione ſacrum, quo et ut magis falleret cuſtodes, et a ſuſpicione occulti conatus omnium mentes averteret, ſacram Euchariſtiam ſumpſit, et poſt prandium obſervato, portas eo tempore claudi conſueviſſe et claveis in aedilis ad id delecti domum deferri, opportunum id elabendi tempus ratus, in turrim praealtam, quae in pontem extra muros urbis prominet, celeritate ſumma evadit, cuſtodibus, qui in ſpatioſo coenaculo prandebant, interclusis, oſtiumque poſt ſe peſſulis ferreis obdit, ut dum in eo refringendo laborarent, ipſe interim elaberetur; quod et ex voto ſucceſſit. In ſumma turre cubicularius conſcius funem ad id antea paratum ad poſtem ita alligaverat, ut per lignum tranſverſum Guiſius ei inſidens, ſine periculo delabi poſſet, fune a cubiculario lenta manu laxato: qui ut herum incolumem demiſit, ipſe funem extremum, quem manu tenebat, ad poſtem valido nodo ſtringit, et per eum longe perículoſius delapſus herum jam fugientem et ſecus flumen fanum-Coſmi verſus tendentem aſſecutus eſt. Interea turbati cuſtodes, et Roboreus inprimis huc illuc diverſis locis mittit, qui fama de fuga ſparſa cunctos arma capere et fugientem ſequi juberent. Pars reſtingendo oſtio incumbit, quo refracto cum jam utrumque elapſum comperiſſent, cum ſociis per urbem diſcurſant; ſed porta pontis, aliiſque obſeratis, multum temporis effluxit, antequam allatis clavibus ad fugitivum perſequendum exire poſſent. Cum primo qua iter cepiſſet, ignoraretur, diverſi alia atque alia via miſſi, qui omnes fruſtra fuere. Nam interea ipſe in tutum ad amicos, qui illum cum equis et armis exſpectabant, incolumis evaſerat, et inde ad Caſtreum adductus [h] Cellas eodem die venit. Erat in urbe [i] Aegidius Sovreus, et cum eo Ludovicus [k] Bertonus Grillonius, qui poſt vulnus in ſuburbio ante biennium acceptum ſe domi continuerat. Ii tertianae factionis creſcente in dies malo, cum omnia ſuſpecta haberent, et Caſtreum cum filio ac delecta manu Cellis profectum jam aliquot ante dies per vicinam regionem circumvolitare ſcirent, crebroſque nuncios alio atque alio obtentu in urbem mittere, validis ſtationibus praeter ſolitum ſe muniverant, duplicatis noctu excubiis, quas ipſi diligenter obibant, occulta conſilia intus de urbe hoſti prodenda agitari rati, nihilque minus, quam de Guiſii fuga cogitantes. Ubi vero eum elapſum viderunt, pejora veriti ſtationes locis ſuſpectis diſponunt. Suſpicionem augebat, quod regina vidua [l] Cenuncellis haud hinc longe erat, in cujus comitatu plerique erga regem male affecti erant, Guiſio ſecunda omnia optantes,

INTERPR. [a] *de Brouilly Sr de Mevilliers.* [b] *de Rieux.* [c] *d'Eſtrées.* [d] *Noyon.* [e] *Tours.* [f] *de Rouvray.* [g] *de la Chaſtre.* [h] *Celles en Berry.* [i] *Gilles de Souvré.* [k] *Berton de Crillon.* [l] *Chenonceaux.*

optantes, et gynaecei matronae crebro literas in urbem mittebant, quarum quaedam interceptae fidem faciebant, quamnon contra votum, nec citra laetitiam id eis accidiſſet. In cuſtodes et Roboreum initio a ſenatu anquiri coeptum, et Achilles [a] Harlaeus ipſe ſenatus princeps in arcem cum cognitore regio venit, ut eos interrogaret; poſtea annitente Sovreo libere abire permiſſus Roboreus, fide pro ſe ſuiſque interpoſita, ut ſe regi ſiſterent. Rex vero ſic nuncium accepit, ut ereptum ſibi pacis pignus doleret; et vereretur, ſi contingeret aliquem e principibus et magnatibus ſuis in hoſtium manus venire, ut vitae illorum Guiſio amiſſo obſidem non haberet. Ceterum ſic judicabat, fore, ut non bene per ſe concors foederationis factio, acceſſione illa potius diſtraheretur, quam firmaretur, oritura mox inter eum et patruum aemulatione; cum ille meritorum paternorum, hic ſuorum rationem haberi, neuter alterum ſuperiorem habere vellet. Nec opinione ſua ſagaciſſimus princeps falſus eſt, ut ex iis, quae poſtea ſecuta ſunt, plenius videre erit. Nec in aliis regni partibus interim ceſſabatur.

XXI. INITIO anni Claudius Caſtreus cum ad [b] Albiniacum in Biturigibus caſtra poſuiſſet, ſuperveniente Antonio [c] Grangio Arciano, ut obſeſſis ſuppetias ferret, repente ſic inde diſceſſit, ut locum tentaſſe potius quam ſeria obſidione cinxiſſe videri vellet. Nec multo poſt ad [d] Aredii ſanum in Lemovicibus infeliciter a regiis pugnatum eſt. Locum cum praeſidio tenebat Ludovicus [e] Petrobuſerius Cambaretus: adoleſcens praeter nobilitatem omnibus corporis et animi dotibus egregie ornatus; accedente ad generoſos ſpiritus eleganti morum comitate, et in rebus explicandis induſtria. Obſeſſum eum venerant Ludovicus [f] Pompadoreus Lemovicum et Henricus [g] Pratenſis Monpezatus Cadurcorum et Petrocoriorum pro foederatis praeſides: jamque Cambaretus in arcem redactus putabatur, cum Carolus [h] Turquantius, qui [i] Ratiaſti erat, rebus provinciae ordinandis Annae [k] Levio Ventadurio praeſidi a rege adjunctus, vicinam nobilitatem literis, hortatibus, proprio periculo urget, ut Cambareto ſuppetias ferrent. Nec detrectavere vicini reguli ac praefecti, confertique convenere ad CCCC equites et IↃC ſcloppetarios in equis, ſed non bene concordes; cum alter alteri non ſatis deferret, et veterani duces a juvenibus ob natalium ſplendorem ſuperbientibus ſpernerentur. Itaque acies diſpoſita loco hoſtium tormentis proximo: Pompadoreus et Monpezatus una cum [l] Foraldo et Talliaferreo, junctis primum copiis regios adorti; mox in duas turmas diviſi incautos circumvenerunt, atque in foedas luti tenacis voragines compulſos, gregariis militibus et lixis interficiendos praebuerunt. Ex praecipuis deſiderati Franciſcus [m] Rupifulcaudii comes, Gabriel [n] Ria Coſta-meſerius Marciae proximae praefectus, ambo [o] Rupifortii, [p] Caſtronovius, alii. Neque tamen Cambaretus propterea ſe deſeruit, ſed creſcente inter pericula virtute et induſtria novas munitiones intus duxit, adeoque tres oppugnantium impetus fortiter repulit; ac tandem poſt dies viginti ab obſidione diſcedere coegit. Poſt Coſtameſerii mortem, viri ſtrenui et privatas ob injurias foederatis infeſti, cum Marciae praefectura Ludovico [q] Caſtaneo Abennio a rege attributa eſſet, Georgius [r] Villoclarus Guerchius vicecomes olim eidem provinciae praepoſitus ad exiſtimationem pertinere exiſtimans, niſi ademptam praefecturam bello repeteret, tempore uti ſtatuit, et dum Abennius abeſſet, et Franciſcus Contii princeps, qui exercitibus regiis praefectus erat, in [ſ] Andibus ad rem pecuniariam explicandam, et inſtruendas copias occupabatur,

a Pictavio

INTERPR. [a] *de Harlay premier preſident.* [b] *Aubigny en Berry.* [c] *de la Grange Sr d'Arquien.* [d] *St. Yrier la Perche en Limouſin.* [e] *Pierrebuffiere de Chambaret.* [f] *de Pompadour gouverneur du Limouſin.* [g] *des Prez Sr de Montpezat gouverneur de Quercy & Perigort.* [h] *Turquant.* [i] *Limoges.* [k] *de Levi Sr de Ventadour gouverneur & ſeneſchal du Limouſin.* [l] *Feurou & Taillefer.* [m] *la Rochefoucaud.* [n] *de Rie Sr de la Coſte de Mezieres gouverneur de la Marche.* [o] *de Rochefort pere & fils.* [p] *de Chaſteauneuf.* [q] *Chaſtegner Sr d'Abein.* [r] *de Villequier vicomte de la Guerche.* [ſ] *Anjou.*

[a] Pictavio egreſſus cum jam [b] Savini fanum, Bellam-arborem, [c] Oblineam in Biturigibus in poteſtatem redegiſſet, in [d] Marciam cum IↃCCC ſcloppetatiis et CCC equitibus ac III tormentis tendit, et tertiis caſtris [e] Magnacum venit, adhuc incertum relinquens [f] Oratorium, Doratum vulgo vocant, prius, an [g] Belacum peteret. Inde literas per tubicinem perferendas ad Belacenſeis mittit VIII Eid. Maias, et amicitiam ac patrocinium parentibus defert, imperium detrectantibus exitium minatur. Oppidum eſt exiguum, in quo [h] pylon, cui ingens et majus oppido ſuburbium ſubjectum eſt, arcis inſtar exſtructus pro praecipuo propugnaculo erat; ſciſſaque factionibus plebe, qui foederationi favebant, palam id profiteri non auſi, praefectum dari ſuis partibus non iniquum petebant, et qui facile cum Guerchio convenire poſſet. Pyloni interim illi imminebant, quem qui in poteſtate haberent, alteri parti imperata faciendi neceſſitatem imponebant. Tandem vicit ſanior pars, et [i] Coſtura vir bello expertus et regi fidus urbi praeficitur. Jo. [k] Sala juvenis impiger in [l] Lemovicecis mittitur ad auxilia accerſenda, et actutum in urbem revertitur. Occupato ſuburbio, cum pauci ex oppidanis ad defenſionem ſe compararent, rurſus diſſenſio in conſilio exorta, pleriſque ob loci debilitatem fieri deditionem debere cenſentibus: quos precibus, ad extremum minis ſtricto contra diſſidenteis gladio Sala compeſcuit. Igitur tumultuariis operis munitum pomoerium et ductum intus vallum, et propugnacula hinc inde e terra ſtructa. Tandem cum ad verberationem hoſtis parata haberet omnia, [m] Camaracus, [n] Faius, Firmitanus, Valla cum XXIII delectis ab [o] Abennio, qui Oratorium jam venerat, miſſi, per foſſam umbilico tenus aqua extantes enatant, viae duce [p] Roberterio, quem Sala ad Abennium pridie miſerat. Eorum adventu confirmati defenſores. Tum verberatione facta, muroque magna ex parte dejecto, oppugnatio, repetitis multoties vicibus, ab hora quarta pomeridiana ad ſeptimam tentatur, in qua auxiliares, quos modo nominavi, Coſtura item, Sala, [q] Fulcaudius, Genebrias et Valla conſules fortem admodum operam navarunt. Tandem repulſi hoſtes amiſſis ex ſuis circiter LX, cum ex praeſidiariis unus tantum fauciatus eſſet, nullus occiſus. Id incidit in IV Eid. Luſtrata ad faces ruina et purgata, ac terra comportata denuo munita. Poſtridie majore quam antea impetu pulſantur muri, et ruina jam dilatata, alia rurſus parte ſternuntur muri. Novam ruinam Firmitanus cum paucis ob exiguum defenſorum numerum tuendam ſuſcepit. Rurſus aliis duobus locis admoventur ſcalae, et eodem tempore tubis concinentibus ad pulſum tympanorum hoſtis ad vim faciendam undique incitatur, magna vi nixus, majore, poſt unius horae obſtinatum certamen repellitur. Dein per quatriduum induciae factae, quod [r] Guerchius pulvere tormentario et pilis deſtitueretur, et defenſores continuis vigiliis et laboribus fracti aliquod reſpirandi ſpatium quaererent. Abennius interim, aliique belli duces pulverem tormentarium, ceterumque belli apparatum, qui in hoſtium caſtra comportabatur, in itinere fruſtra intercipere conati. Obſeſſi autem qui reſciviſſent a Guerchio miſſos ad Ludovicum [s] Pompadoreum, qui eum venturum ad accelerandum ſolicitarent, haud parum de ſucceſſu animi angebantur. Tandem ruptis induciis hoſtis pylonem et circumpoſitas turreis pulſat, et machinam ligneam inſtar pontis in eum dirigit. Quod ex conſilio [t] Crucei, qui nuper [u] Autrico Carnutum venerat, factum jactabatur; qui ſimilem a [w] Caſtellionaco in illa obſidione fabricatam meminerat. Itaque rurſus in conſilium itur, et multi conditiones a Guerchio

INTERPR. [a] *Poictiers.* [b] *Abbaye de S. Sevin, & Belarbre.* [c] *le Blanc en Berry.* [d] *la Marche.* [e] *Maignac.* [f] *le Derat.* [g] *Belac.* [h] *le portail qui eſt tout environné du fauxbourg & la principale forteresse de cette ville.* [i] *de la Cousture.* [k] *de la Sale.* [l] *Limouſin.* [m] *le Sr de Chaumeray.* [n] *les Srs de la Faye, la Fgrté, & la Vallée.* [o] *Sr d'Abrin.* [p] *la Robertiere.* [q] *Foucaud, Genebrias & la Vallée conſuls.* [r] *le vicomte de la Guerche.* [s] *de Pompadour.* [t] *le capitaine la Croix.* [u] *Chartres.* [w] *Sr de Chaſtillon.*

CIϽ IϽ XCI.
HENRICUS IV.

Guerchio propoſitas minime ſpernendas cenſebant, cum Joannes [a] Caſtaneus Bernaeus Abennſi filius cum [b] Boſco ordinum ductore et xx delectis [c] Oratorio a parente miſſus, eadem via ac felicitate, qua primi illi amnem medium emenſi, per [d] Pradenſem portam intra oppidum accepti ſunt; quorum adventu rurſus confirmati ſunt obſeſſi, et cum pluteum impuliſſent hoſtes, et aliquot tormentorum ictus in pontem ſublicium ejaculati eſſent, confractis catenis rati pontem caſurum, ſicque acceſſum ad pylonem expeditiorem fore, ſpe ſua falſi ſunt; quippe pontem introrſum clavis ferreis obſeſſi confixerant, ut demitti non poſſet. Tum aliquot ictus in pluteum directi, quibus incluſi infeſtati cum ſe minime tutos viderent, ab incepto deſtiterunt. Poſtea machina lignea curulis ad pedem uſque muri impulſa eſt, qua defenſi foſſores murum ſuffodere coeperunt. Contra cunei intus acti, per quos obſeſſi eruptione facta foſſorum aliquot interficiunt, reliquos in fugam vertunt, et facibus ſtatim allatis machinam curulem exurunt. Id actum XIV Kal. Jun. Inde hoſtis per quatriduum dejectis turribus rurſus fodere murum aggreditur. Jamque opus longe proceſſerat, cum tandem obſeſſi colloquium poſcunt, et obſide intus accepto, [e] Coſtura, qui poſt [f] Bernaei ingreſſum praefecturam ceſſerat, egreditur, et conditiones perſcribuntur, quae partim praeſidiarios, partim oppidanos reſpiciebant. Cum Sala impedire non poſſet, ne praeſidiarii pro ſe tranſigerent, tenuit, ut caput, quod ad oppidanos ſpectabat, indeciſum remaneret, qui propterea obſides dare noluerunt. Itaque res in craſtinum rejecta, quo [g] Cambaretus is, qui tanta virtutis laude etiam poſt auxiliareis caeſos nuper [h] Aredii-fanum adverſus hoſtem tutatus fuerat, cum [i] Petrogurdio et aliquot e nobilitate adductis ſecum LX loricatis equitibus et totidem ſcloppetariis tranato amne ſupervenit, et foſſione luſtrata cum minime periculum urgere affirmaſſet, et praeſentia ſua animos obſeſſis feciſſet, ad eludendam pactionem cum hoſte initam primum omnium cenſuit, ut ſummum imperium, quod Bernaeus uſurpaverat, Coſturae reſtitueretur. Igitur cum hoſtis peteret ut deditionis conditiones implerentur, a Bernaeo, qui ſolus ſubſcripſerat, reſponſum eſt, nullum ſuum eſſe in obſeſſos imperium, id penes Coſturam eſſe; ſe vero, ut, quatenus in ſe eſt, conditionibus ſatisfaciat, cautione accepta et obſidibus redditis paratum cum obſidibus exire, ſicuti ſubſcribendo promiſerat: nam oppidanos, qui minime ſubſcripſiſſent, et in urbe praevaleant, novis auxiliaribus confirmatos ſtare pactis nolle. Ita ludificatus hoſtis ex indignatione animos ſumit, et poſtridie ſuffoſſionem repetit. Cambaretus contra nocte in operis aſſiduus, nam interdiu non licebat, nullum tempus praeterire patiebatur. Demiſſi per murum Coſtura et [k] Firmitanus foſſores aliquot interfecerunt, tum puteus excavatus intus ex Cambareti conſilio in imo muro, ex quo et eruptiones fieri, et doliis promotis foſſores arceri poterant. Verum [l] Guerchius fortem Cambareti induſtriam veritus, et jam fama crebreſcente de [m] Contii exercitum ſecum trahentis adventu, vaſis conclamatis obſidionem ſolvit, V Kal. Jun.

XXII. CONTIUS, qui in [n] Andibus erat, ſumma celeritate uſus ponte [o] Scio profectus ſextis caſtris [p] Luſſacum caſtrum ad Vigennam venit, LXX leucas emenſus, cum pedite et tormentis a Jo. [q] Chourſio Malicornio traditis. Locum Cl. [r] Tremollius, qui copias a Lud. [ſ] Sangelaſio acceptas penes ſe habebat, per Hectorem [t] Preolium Caſtri-Eraldi praefectum occupari mandaverat, et hoſtem prope [u] Montem-Morillonium nactus eum in oppidum compulerat. At hoſtis cum minime loco fideret, relicto pedite et tormentis actutum in viam tanta cum celeritate ſe dat, ut quanquam Tremollius

INTERPR. [a] *de Chaſteigner Sr de Bernay.* [b] *le capitaine Boit.* [c] *le Dorat.* [d] *Porte de la Prade.* [e] *Sr de la Couſture.* [f] *de Bernay.* [g] *de Chambaret.* [h] *St Yrier.* [i] *de Pierregourde.* [k] *la Ferté.* [l] *Vicomte de la Guerche.* [m] *Prince de Conti.* [n] *Anjou.* [o] *Pont de Cé.* [p] *Luſſac ſur la Vienne.* [q] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [r] *de la Tremoille.* [ſ] *de S. Gelais.* [t] *des Preaux gouverneur de Chatelleraut.* [u] *Montmorillon.*

Tremollius omnem diligentiam adhiberet, ut praemiſſo Petro [a] Chuppio cum praecurſoribus eum in itinere interciperet, regios anteverterit, et [b] Calviniacum incolumis pervenerit, unde exiguo tempore ad curanda corpora inſumpto [c] Pictavium recta tendit. Contius continuo caſtra oppido admovet, et cum deditionem facere nollent Guerchiani pedites, oppugnatione locus capitur. CCC in eo caeſi, et III tormenta in manus Contii venere. Mox [d] Burgus-Arcimboldi, Bella-arbos, Oblinca, Savini fanum recepta, ac tandem [e] Diſſaeum et Calviniacum epiſcopi Pictavienſis arces. Calviniaco, quod munitus locus eſſet, impoſitus cum praeſidio Petrus [f] Pideus Neda ſtrenuus ordinum ductor. Sparſo ſui terrore Contius, non intermiſſo victoriae curſu, ad [g] Mirabellum caſtra ponit in [h] Salmurienſi praefectura, Monpenſerii ditionis oppidum, primoque impetu occupat, dein admotis ad arcem tormentis deditione eam recepit. Cum Monpenſerius praefectum loco imponete vellet, Antonius [i] Sillius Rupipotius Andium praeſes, ad quos Salmurienſis praefectura pertineret, et caſtrorum praefectus, apud Contium obtinuit, ut oppidum et arx fidei ſuae committeretur, eique Joannem [k] Cieſtrum Villaboſium hominem ſibi, ut exiſtimabat, fidum cum praeſidio praefecit, qui poſtea propter quaſdam cum Monpenſerio altercationes occaſione quaeſita ad hoſteis inſigni perfidia defecit. Poſtea ad [l] Cellas in Biturigibus poſita caſtra; quo ex caſtello [m] Boſius a Claudio [n] Caſtreo impoſitus continuis depraedationibus vicinos vexabat, et ſub [o] Caeſaroduni uſque portas plerunque excurrebat, Franciſcus [p] Grangeus Montinius expeditionis Contio auctor fuit, et neceſſaria in eam ſubminiſtravit. Dum vallum ducitur, [q] Paludellus Villanovanus pila plumbea in crure ictus, et dum ita vulneratus exportatur, altero lethali ictu conficitur. Tandem Boſio dedente Cellae receptae. Eodem tempore ad [r] Morilloni-montem caeſi hoſtes; quem locum Contius inde diſcedens moenibus nudari juſſerat, ſed male animatis oppidanis mox introducti hoſtes CC, quos Neda nuper Calviniaco impoſitus, antequam locum firmaſſent, noctu aggreſſus et in hoſpitiis fere intercceptos oppreſſit IV Non. Oct. occiſi circiter L, plures capti, magna equorum praeda facta.

INTERPR. [a] *de Chouppes.* [b] *Chauvigny.* [c] *Poitiers.* [d] *Bourbon l'Archambaud, Belarbre, le Blanc, & Sevin Abbaye.* [e] *Diſſay.* [f] *Pidoux, dit le capitaine Nede.* [g] *Mirebeau.* [h] *de Saumur.* [i] *de Silly comte de la Rochepot (gouverneur d'Anjou en 1595.)* [k] *Cieſtre de Villebois.* [l] *Celles en Berry.* [m] *du Bois.* [n] *de la Chaſtre.* [o] *Tours.* [p] *de la Grange Sr de Montigny.* [q] *Paluau de Villeneufve.* [r] *Montmorillon.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

CHEVRERIUS, Mercuriani dux, in Andibus a Picbarico caeſus. Bellae-inſulae marchio ad Mercurianum deficit. Monconturium oppidum a Sanlaurentio interceptum. Sed ſuperveniente Coetkeni marchione Sanlaurentius in fugam pulſus. II. *Angli auxiliares Pimpolium appellunt. Dumbarenſis & Mercuriani res geſtae.* III. *Franc. Lanovius in caſtra venit. Juxta Curlaeum hoſtis caeſus. Iufelix de Lembala obſidenda captum conſilium, ad quam Lanovius lethali vulnere feritur, et* XVIII *poſt die deceſſit. Hunaldaei primarii provinciae reguli obitus. Sanlaurentius ad Seſſoniam turrem a Surdeaco caeſus, et ipſe captus. Monianum in Cenomanis interceptum. Juxta Peiracum in Cadurcis a Ventadurio et Teminio hoſtes caeſi.* IV. *Diguierii et Valetae in Allobrogibus et Provincia res geſtae.* V. *Pontificiae copiae in Sabaudiam deſcendunt. Ad Charrae pontem feliciter certatum Diguierii auſpiciis. Chriſtiana Daguerra Saltuenſis comitis vidua virili animo foemina a Sabaudo alienatur. Maſſilienſes ſuſpectum Sabaudi patrocinium habent. Ad Vinonem Sabaudus a Valeta caeſus.* VI. *Sancii in Sabaudia res geſtae. Regia Hiſpanorum pecunia in Rinfeldia ſilva capta. Guitrius bello in Sabaudia gerendo a rege deſtinatus in caſtra venit, et Verſoviam capit ac crudeliter diripit. Arx paulo poſt a Compoſio deditur. Mox et Evianum municipium capitur.* IIII *Eid. Mart. ad Monthovium pugnatur. Sonnas in primis ordinibus pugnans cadit.* VII. *Guitrius dein in Aumontii, qui rem in Heduis gerebat, caſtra venit. Auguſtoduni origo, nomina, ſitus. Ad urbem poſita caſtra. Artuſius, qui Cabillonis arcem tenebat, tradendae arcis ſpe facta Aumontium deludit. Tandem Auguſtoduni obſidio ſolvitur.* VIII. *Nemoroſii conſilia et conatus. Ad Virodunum luſtratae pontificiae copiae.* IX. *Gregorius* XIIII *decedit, fames miſeranda circa urbem, et lues popularis.* LX *hominum* CIↃ *in urbe abſumpta.* X. *Gregorio paucorum dierum Jo. Antonius Fachinetus ſuffectus, qui Innocentius* IX *dici voluit. Cum multa animo agitaret, poſt bimeſtre deceſſit.* XI. *Factio ſexdecimanorum Lutetiae invaleſcit. Gondius cardinalis ſibi et bonis metuens urbe diſcedit. Pulſo epiſcopo factio ſenatum aggreditur.* XII. *Barnabae Briſſonii ſenatus Pariſienſis praeſidis deploranda mors; et cum eo a ſexdecimanis crudeli ſupplicio adfecti Claudius Arcerius et Joannes Tardivius.* XIII. *Sexdecimanorum ſuper Guiſii liberatione et Briſſonii morte ad Philippum literae, quibus ei regnum adminiſtrandum deferunt: Quae in itinere interceptae et ad regem perlatae ſunt.* XIV. *Meduanius ad rei nuncium in urbem revertitur. Baſtilia protinus a Buſſio reſtituitur. Per Vitrium Luſcarius, Anruxius, Emonotus, Amelinus comprehenſi in ima Luparae aula laqueo gula fracta ſuſpenſi.* XV. *Rex ad auxiliarem exercitum excipiendum interea ad limitem excurrerat. Carlotae Marcianae cum Henrico Turrio Turenae vicecomite*

Sedani

Sedani nuptiae contractae finem acceperunt. In Viroduni conſpectu cum foederatis leviter pugnatum. XVI. *Caſtellionaei ſub id in arce ſua ad Lupam deceſſus. Monpenſerius Aurincarum urbem ad deditionem cogit.* XVII. *Conſilium de obſidendo Rotomago captum et ad eam rem ſubſidia. Auxilia item ab Eliſabetha Anglorum regina ſubminiſtrata. Ad defenſionem in urbe parata omnia, miſſo primum a Meduanio parente Henrico filio, et arceſſito Franciſcopoli Andrea Brancatio Villario. Urbis deſcriptio ac ſitus.* XVIII. *Parmenſis cum auxiliari exercitu venit. Fara ad Eſiam deponendis tormentis Hiſpanis conceditur.* XIX. *Petitiones jam tum Hiſpanorum pro ſereniſſima Infante a Claudio Caſtreo eluſae. Senatuſconſultum contra Henrici Borbonii fautores in Urbe factum. Varia et diverſis locis repetita certamina. Halotus Momorantius ab Alegrio marchione pugionum ictibus Vernonii confoſſus.* XX. *Rex extra Aumaliam exercitui auxiliari obviam procedit. Novum-caſtrum, quo ſe Givrius incluſerat, a Parmenſi deditione captum. Chalinius a Cicoto capitur.* XXI. *Parmenſis et Meduanii aemulatione diſſidentium de vi ſumma in regiorum caſtra facienda cum belli ducibus conſultatio. Villarii per regis abſentiam acris eruptio.* XXII. *Poſt quem ſucceſſum Parmenſis et Meduanius diſſident ſententiis. Parmenſis exercitum trans Somonam reducit. Irritus ad Spiritus-fanum Aumalio inſtigante conatus. Pontificiae copiae recenſitae et ad paucos redactae.*

Ex auctoribus,

Joannis Maſſae Monmartini commentariis, relationibus ad regem miſſis, Diguierii ephemeride militari, Bernardi Nogaretii Valetae commentariis, belli Genevenſis diario, Ant. Cicarella, diario rerum urbanarum MS. Meduanii ipſius relatione auctori poſtea privatim facta, ephemeride regia, Rotomagenſis obſidionis diario ab obſeſſis ſcripto.

LIBER CENTESIMUS SECUNDUS.

MAJORE vi et diverſo magis eventu in Armorica, quam citeriorem Britanniam vulgo dicimus, pugnatum fuit, ampliſſima regione, quam Philippus Emmanuel [a] Lotaringus Mercurii dux praeſidis titulo tenebat. Is rebus turbatis, ad bellum toto regno accenſum ſpes et jura [b] Pentevriae familiae, cujus heredem in uxorem duxerat, adjiciebat, Hiſpanorum viribus ad eas, quas in provincia habebat, adjunctis, et [c] Andeis ac [d] Cenomanos excurſionibus infeſtabat. Initio anni cum [e] Chevrerius delectus ejus nomine in Andibus haberet, Petrus [f] Deodatus Picaricus [g] Andegavi et arcis praefectus cum vicina nobilitate ſuperveniens ad [h] Cambellaium eum cecidit prid. Eid. Jan. Praecipui ex Armorica nobilitate cum Mercuriano erant Gabriel [i] Golenius, qui levi armaturae, [k] Guebriandus, qui peditatui praeerant, et Joannes [l] Avaugurius Sanlaurentius, qui ſummi caſtrorum praefecti munere fungebatur. Nuper [α] ad eum

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

VAR. LECT. [α] ad eum, majore ingratitudine an perfidia incertum, defecerat MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Lorraine duc de Mercœur.* [b] *Penthievre.* [c] *Anjou.* [d] *le Maine.* [e] *de Chevrieres* [f] *de Donadieu Sr de Pichery al. Puycharie.* [g] *Angers.* [h] *de Chambellay.* [i] *de Gouleines.* [k] *de Guebriand.* [l] *d'Avaugour Sr de S. Laurent mareſchal de camp.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

eum defecerat Carolus [a] Gondius Bellac-inſulae [α] marchio Alberti Radeſiarum ducis filius. Sanlaurentius ſolertior quam felicior belli dux menſe Martio [b] Moncontrium oppidum in dioeceſi [c] Brioceſi munitum aſtu interceperat, moxque fiduciae plenus ad arcem copias admoverat, cum Joannes [d] Coetkenus marchio, coacta CXX equitum et aliquot ſcloppetariorum delectorum manu, cum comite [e] Comburii filio, [f] Quemadeo, Botellerio, Boſcofolio Hunaldaei legato, et Molaco regulo legionis peditum tribuno, ad [g] Loheacum haud hinc longe venit, ſuppetias obſeſſis laturus. Quo cognito Sanlaurentius, relictis ſcloppetariis aliquot, qui arcem cinctam tenerent, ultro obviam ſocero, nam Coetkeni filiam in matrimonio habebat, proceſſit. Nec Coetkenus, cui regis cauſa quam generi charitas propior erat, detrectavit pugnam; ſed eductis Loheaco copiis et inſtructa acie in eum vadit, et poſt aliquod certamen ſtrenue rem cum peditibus gerente Molaco in fugam compellit, C circiter occiſis et pleriſque captis. Triſtem pugnae exitum fecit mors Quemadei, dum in primis ordinibus ſuos adhortando diſcurrit, lethaliter ſauciati; graviter et vulneratus Botellerius, ſed ſtatim convaluit. Ad famam Moncontrii amiſſi Henricus Borbonius [h] Dumbarum princeps, qui regis nomine provinciae cum ſummo imperio praeerat, coactis ad [i] Albini-ſanum copiis [k] Bechetellum venerat, ubi de Coetkeni ſucceſſu cognovit, ſimul et III levis armaturae turmas cum aliquot ſcloppetariis vicinam arcem [l] Plemeliam inſediſſe, ad quam promotis caſtris prius quam admoverentur tormenta, cum obſeſſi dedere ſe recuſarent poſt pulſationem capti, et major pars in furcam acti.

II. PAULO poſt Angli auxiliares II CIↃ IↃ pedites et L circiter equites ab Eliſabetha Anglorum regina miſſi Edvardo [m] Norriſio duce [n] Pimpolium appulerunt, Caroli Avaugurii caſtellum in [o] Trecorenſi dioeceſi portu tutum, quod [p] Tremblaius [β] Greſillius muniverat, et valido praeſidio tenebat. Pimpolio adjacet inſula [q] Brehealis nomine, circuitu exigua, ſed fertilis et incolis frequens, Pentevriae ditionis: in ea munitionem ſtruendam curaverat Mercurianus, ac milite firmaverat; et inſulani natura bellicoſi cum armatis navigiis diſcurrentes, oram infeſtam regiis faciebant. Tremblaius poſt Anglorum appulſum et [r] Kergomartus in inſulam deſcendunt, et locum obſidione cingunt. Strenue ſe obſeſſi initio defendebant. Tandem vi expugnati ſunt, XV ex iis ad molatrinarum ſubventanearum alas ſuſpenſis. Ab eo tempore inſulani praeſidio amoto in fide regis manſerunt. Dumbarcuſis acceptis Anglis, cum Germanis peditibus IↃ CCC quos penes ſe habebat, et aliis provinciae copiis aliquid audendum ratus, [ſ] Guingamum, quod valido praeſidio [t] Kergutonus cum aliis ex inferioris Armoricae nobilitate tenebat, ducit, valloque ducto et dejectis vi tormentorum muris, poſt unam irritam oppugnationem, in qua Molacus et [u] Mongomerius Corboſonus magnum virtutis ſpecimen ediderunt, deditione capit, et Kergomartum loco tuendo imponit. Ad famam obſeſſi Guingami Mercurianus cum toto exercitu venerat, ſuppetias laturus, cognitoque in itinere oppidum jam deditum, [w] Curlaci, qui locus a Guingamo IIII leucis diſtat, ſubſtitit, longe

VAR. LECT. [α] marchio, adoleſcens avaritia, rapacitate, et crudelitate infamis, Alberti Radeſiarum ducis filius; qui ampliſſimas poſſeſſiones partim ex maternis bonis, partim ex regum liberalitate in Armorica trans Ligerim habebat, quas et alia bona in Pictonibus, Neuſtria et circa Lutetiam poſita, ut hujus dubii belli tempore conſervaret, ſic cum patre et matre ordinem compoſuerat, ut ipſe in Armorica a Mercuriani partibus ſtaret; mater aulicis blanditiis ac diſſimulationibus innutrita in urbibus regi addictis, aut in regis comitatu eſſet; pater ſponte in Etruria exul, morbum impudenter ſimulans, et ſumptibus turpiter parcens, in coenobio juxta Florentiam lateret. Sanlaurentius ſolertior MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] Greſillius vir ſtrenuus muniverat MSS *Samm.*

INTERPR. [a] *de Gondi marquis de Belle-iſle, fils du duc de Retz.* [b] *Moncontour.* [c] *de S. Brieu.* [d] *de Coeſquen.* [e] *de Combour.* [f] *de Quemadeu, de la Bouteillere, de Bois-feuillet lieutenant du Sr de la Hunauldaie, & le baron de Molac.* [g] *Loudeac.* [h] *Dombes.* [i] *St Aubin du Cormier.* [k] *Becherel.* [l] *Plimeu.* [m] *Norris.* [n] *Pimpol.* [o] *de Treguier.* [p] *de la Greſille Sr de la Tremblaie.* [q] *Brehal.* [r] *le Sr de Kergomart.* [ſ] *Guingamp.* [t] *Kergouton.* [u] *de Mongomery Sr de Corbouſon.* [w] *Courlay.*

longe ſuperior viribus, quippe qui IIII CIↃ Hiſpanorum, quibus praeerat Joannes [a] Aquila, totidem Gallorum ſub pleriſque e nobilitate provinciali tribunis, CIↃ loricatos equites, et CCC equites ſcloppetarios, ac VI tormenta haberet. Nam recens ad eum venerat Urbanus [b] Lavallus Boſcodelfinus titulo vicarii generalis, et [c] Bellae-inſulae marchio qui levi armaturae praeerat. In regiis caſtris erant tantum IↃ loricati equites, CC equites ſcloppetarii, II CIↃ IↃ pedites Angli, IↃ CCC Germani, II CIↃ Galli, IIII tormenta: quibus copiis ſubnixus [d] Dumbarenſis ad [e] Laudrani caſtrum hoſpitium ſumit, inde Joannem [f] Maſſam Monmartinum Vitreaci praefectum, quem nuper occiſo ad [g] Lattam arcem [h] Conclaio viro ſtrenuo, et poſt diſceſſum Caroli [i] Cambii Monſorelli comitis, qui praefecti caſtrorum in ejus exercitu fuerant, evocaverat, ut eo munere fungeretur, cum C delectis equitibus mittit, qui de hoſte cognoſceret. Is II a Curlaco leucis in quoſdam pabulatores, alioſque a caſtris eorum deerranteis incidens, cum accepiſſet, Mercurianum in itinere eſſe, moxque eminus ex edito colle eum ſine impedimentis incedentem contemplatus, ex eo conjecit conſilium pugnandi ab hoſte captum; itaque ſtatim diverſis itineribus ad Dumbarenſem remittit, qui eum de hoſtis adventu et numero copiarum certiorem facerent. Ipſe [k] Tremblaio et Saroeto, qui in ultimo agmine pugnarent, relictis, iter capeſſit, neque tamen diligentia ſua tantum efficere potuit, quin jam hoſtium praecurſores in hoſpitium levis armaturae regiae, cui [l] Baſtenaeus praeerat, impetum feciſſent. Mercurianus eo die ad crucem [m] Malharam vulgo dictam caſtra metatus eſt. Cum Dumbarenſi erant Renatus [n] Tornaminius Hunaldaeus, Joannes Coetkenus marchio, Joannes Riuſius Afferaci marchio, Joannes Angeneus Pognius, Carolus Gobio Moſſaeus, Liſcoetus, Kergomartus, Boſcofolius, Rupigiſardius, Treſumelius, Marconellus Froſius, qui turmam equitum egregie armatorum ſecum duxerant, [o] Hardius Stampenſis metator caſtrorum. Intercedebat inter utrumque exercitum lata planicies ericeto horrida. Mercurianus ſilva caedua tectus inter [p] Guingamum et Quintinum ſtabat: ex adverſo Dumbarenſis imam planiciem occupaverat foſſa praealta defenſus. Poſtridie qui in XI Kal. Quintil. incidebat, conſultatum inter belli duces quid facto opus eſſet, et Norriſio placebat, ut citra foſſam ſe continerent, eamque ſervarent. Hunaldaeus, Monmartinus, aliique contra diſſerebant, et trans foſſam in campi patentis capite inſtruendam aciem cenſebant, idque tenuit; Saroetus princeps centurio conſtitutus, qui ordines pugnaturos circumiret. Peditatus in IIII agmina diſtributus, quorum II Anglis, III et IIII Gallis et Germanis conſtabant, inter quae ſingula, totidem equitum agmina collocata ſunt. Peditatus et equitatus ad extrema ſepoſitus paulo infra ſtabat, globis peditum ante agmina praemiſſis, et levi armatura in duas acies diſtributa, quam et volones et aliquot peditum globi ad laevam praecedebant. Tormenta in tumulo ante Dumbarenſem diſpoſita erant. [q] Mercurianus ſub horam octavam matutinam comparuit, et in planiciem confertis ordinibus ingreſſus, initio levem regiorum armaturam loco pepulit. Quod conſpicatus Dumbarenſis ex Hunaldaei conſilio negotium dat Monmartino, ut ſpatium amiſſum vi recuperaret; iſque et Norriſius, Tremblaius, et Saroetus cum delectis Gallis, Anglis, Germanis conferti in hoſtem faciunt impreſſionem: quam ille initio foſſa, quam occupaverat, tutus fortiter ſuſtinuit. Sed incumbentibus regiis poſtremo ceſſit, eoque in conflictu [r] Guebriandus peditatus

praefectus,

INTERPR. [a] *del Aquila.* [b] *de Laval de Bois-dauphin.* [c] *Belle-iſle.* [d] *Prince de Dombes.* [e] *Chateau-Laudran.* [f] *du Mas Sr de Montmartin gouverneur de Vitré.* [g] *la Latte.* [h] *le Sr de la Conclaie.* [i] *de Chambes comte de Monſoreau.* [k] *de la Tremblaie, & de Sarroüette.* [l] *de Boſtenay.* [m] *Croix de Malhara.* [n] *de Tournemine Sr de la Hanauldaie, Jean marquis de Coeſquen, J. de Rieux marquis d'Aſſerac, Jean d'Angennes Sr de Poigny, Gouyon de la Mouſſaie, de Liſcouet, de Kergomart, de Boiſſeuillet, de la Roche-giffard, de Treſumel, & de Marconay de Froze.* [o] *le Sr Hardy d'Eſtampes mareſchal des logis.* [p] *Guingamp & Quintin.* [q] *Duc de Mercœur.* [r] *de Guebriand.*

praefectus, dum pedes cum ſariſſa a ſuis deſertus pugnat, a Tremblaio capitur, et ſtatim coram [a] Dumbarenſi ſiſtitur. Poſtridie res tormentis acta, quibus hoſtis ſuperior erat. Nam ex humili loco in altum regii, ipſe ex alto in imum contra regios jaculabatur. Itaque non mediocriter eos infeſtabat, L Germanis et aliquot equitibus diſcerptis, in quibus Boſcofolius tormento crepante grave vulnus in femore accepit, ex eoque deceſſit, magno ſui relicto deſiderio. Nihil praeterea eo die actum, dum quiſque medio rivulo, qui tamen citra periculum tranſiri poterat, in veſtigio ſtans exſpectat, quis prior alter alterum peteret. Ita utrinque diſceſſum. [b] Mercurianus [c] Curlaeum, Dumbarenſis [d] Caſtrum Laudrani repetiit.

III. QUO ad eum paucis poſt diebus Franciſcus [e] Lanovius regis permiſſu cum Jacobi comitis Mongomerii turma equitum venit, ut in patria animam bene de rege ac Gallia meritam brevi deponeret. Biduo poſt pridie Kalendas Jul. Quintinum divertunt, III circiter leucis a Curlaeo diſſitum, ubi conſilio habito rurſus peti hoſtem placuit. Sic autem ordo a Lanovio compoſitus; praemiſſi Monmartinus cum ſua equitum turma et Saroctus cum L levis armaturae equitibus et delecta equitum ſcloppetariorum manu. Ad latus incedebat [f] Baſtenaeus, cum [g] Tremblaio, qui reliquam levem armaturam ducebat, diverſo a reliquis itinere. Sequebatur ipſe Lanovius cum C loricatis equitibus et IↃ C peditibus Gallis; ultimum agmen claudebat Dumbarenſis cum [h] Hunaldaeo, [i] Coetkeno, et Norriſio, qui CIↃ IↃ Anglos ducebat. Ita instructi poſtridie ſub horam ſextam matutinam in locum, in quo levis armatura hoſtilis et ſcloppetarii equites hoſpitium habebant, haud longe a Curlaeo fit impetus, ubi Tremblaius in crure graviter ictu ſcloppeti ſauciatus eſt. Tandem hoſtes caſtris exuti, amiſſis etiam impedimentis. Tum ad arma in caſtris hoſtium conclamatum, inſtructaeque utrinque acies duabus amplius horis quaſi pugnaturae conſtiterunt. Et cum neuter procederet, Dumbarenſis ſuos [k] Quintinum unde venerant, incolumeis reduxit. Tum infelix de obſidenda [l] Lemballa [m] Pentevriae ditionis arce oppido vaſto ſubjecta, et paulo ante a Mercuriano munita et valido praeſidio firmata, conſilium capitur, inſtantibus Hunaldaeo et Aſſeraco, qui arces huic vicinas habebant, et privatum commodum potius reſpiciebant, quam rem utilitate publica metiebantur. Nam nullus aut exiguus belli apparatus in caſtris erat, et II tantum murales machinae male inſtructae: praeterea a re pecuniaria, qua ſola miles ſub ſignis retineri poteſt, ſummopere laborabatur, et hoſtis viribus ſuperior haud longe hinc aberat. Itaque ab ea expeditione damnum et dedecus ſecum tractura dehortabantur Dumbarenſem [n] Pognius et Monmartinus. Lanovius innata ad quaſvis res tentandas facilitate, et nunquam in contra dicendo pertinax, alioqui ſitus loci ignarus aſſentitur. Verum ubi in rem ventum eſt, res major viribus ipſis Lanovio viſa, qui Dumbarenſem ſtatim monuit, niſi obſeſſi terrore complerentur, obſidionem minime ſucceſſuram. Tandem inſtantibus primoribus e nobilitate directa duo tormenta et aliquantum muri dejectum, remanente pomoerio ceſpite et faſcibus lignorum egregie firmato. Inſpiciendae ruinae negotium Monmartino datum, qui ductis ſecum talium rerum gnaris militibus, ipſe ſauciatus graviter; et illi pariter retulerunt, oppugnationem tuto tentari non poſſe. Ipſe Lanovius poſita galea, ut expeditior eſſet, poſt maceriam in ſcalam enixus dum intentius locum luſtrar, ſcloppeti ictum in capite accepit, qui tantum cutem ſtrinxit, ſed ad os uſque penetrans tanta vi cerebrum concuſſit, ut ſemianimis prono capite ad ſcalam illiſo conſertim conciderit, pede ad gradum haerente ſuſpenſus, unde accurrentibus ſuis in hoſpitium relatus, per horam integram ſine voce et motu jacuit; dein collectis ſpiritibus paulatim ad

INTERPR. [a] *Prince de Dombes.* [b] *Duc de Mercœur.* [c] *Courlay.* [d] *Chateau-Laudran.* [e] *de la Noüe.* [f] *de Baſtenay.* [g] *de la Tremblaie.* [h] *Sr de la Hunauldaie.* [i] *Marquis de Coeſquen.* [k] *Quintin.* [l] *Lamballe.* [m] *de Penthievre.* [n] *les Srs de Poigny & Montmartin.*

ad ſe rediit, et poſt triduum cum Monmartino [a] Moncontureum devectus eſt; ubi ob intolerabileis capitis dolores, quibus vexabatur, inter chirurgos conſultatum fuit, et cum ceteris abſceſſum veritis placeret, ut os capitis aperiretur, unus inter eos, cui Lanovius nimium tribuebat, contradixit, et ſine oſſis ſectione eum intra paucos dies convaliturum impudentiſſime affirmavit. Tandem XV a vulnere die, in[illegible]veſcentibus ſemper capitis doloribus, qui illi ſomnum adimebant, cum Pſalmos ſib[illegible] praelegi juſſiſſet, deplorata rei familaris, quam ſemper de publico plus ſolicitus in vita contempſerat, conditione, et ſubinde ſe recreans ſpe nnptiarum [1] filiae cum [b] Moſſaeo contrahendarum, quae poſt obitum ejus celebratae ſunt, et adventus Odeti filii brevi venturi, qui paulo ante carcere liberatus fuerat, tandem opprimi coepit, et jam moribunda lingua, difficulter loqui poterat: itaque mortem ſibi imminere ſentiens locum ex Jobo de reſurrectione corporum recitari juſſit, et a Monmartino, qui aderat, an non ita crederet interrogatus, ſublatis in coelum oculis poſt preces cum largo lachrimarum fonte ad Deum effuſas, ea ſe fide vixiſſe, in ea ſpe mori, voce primum, dein ſignis ad ultimum uſque vitae ſpiritum teſtatus eſt. Vir utique ingens, et fortitudine, prudentia, rei militaris peritia cum maximis hujus aevi ducibus comparandus; pleriſque vitae innocentia, moderatione, aequitate praeferendus. Teſtimonio fuit grande aes alienum, quod ille non luxu aut profuſionibus, a quibus, quanquam natura liberalis eſſet, ſemper abhorruit, ſed ad neceſſarios belli ſumptus ſuſtinendos contraxerat: quod filius, qui paucis poſt mortem ejus diebus in provinciam venit, tali patre digniſſimus ſumma fide et animo ad conſtantiam obfirmato poſtea diſſolvit. Vixit annos LX valetudine admodum firma; quam ſobrietas adjuvabat. Deceſſit pridie Non. Sextil. XVIII, poſtquam vulneratus fuerat, die. Ejus morte multum turbatus Dumbarenſis, ut cujus in prudentia ac virtute tantam ſpem poſuerat, obſidionem ſolvit, et ad [c] Brioci-ſanum conceſſit, ac Joannem [d] Bellomanerium Lavardinum ex [e] Cenomanis evocavit, qui continuo ad eum venit cum C circiter equitibus et IƆ CCC circiter ſcloppetariis, quos [f] Buſſeus Germincurius ac junior ejus frater, et [g] Sangeorgius Biacus ducebant. [h] Mercurianus [i] Pontivium et Joſſelinum ad reficiendum militem itidem conceſſerat; ſed cognito Lavardini adventu Lemballae metuens rurſus [k] Jugonem oppidum minime munitum inter [l] Dinanum et Lemballam ſitum revolat, levi armatura ſeorſim a reliquo exercitu, ut fit, longius ablegata; in quam Dumbarenſis per [m] Baſtenaeum, [n] Tremblaium, [o] Treſumelium, Saroetum, et Froſium impreſſionem fecit, et caſtris exutam Jugonem uſque compulit, pleriſque occiſis; ſed nocte jam obſcura, dum ſolutis ordinibus Tremblaius longius invehitur, ab hoſtibus captus eſt. Promotis Jugonem propius caſtris, rurſus inſtructae acies, ſed nullo pugnae ſucceſſu: tantum in [p] Liſcoeti turmam impetus ab hoſte factus, qui cum fortiter ſuſtinuit. Graſſantibus dein inter Anglos ob vitae intemperantiam morbis Norriſius tenuit, ut ad reficiendum militem Brioci-fanum rediretur, unde poſt aliquot dierum moram reflexo itinere [q] Redones verſus ad [r] Maximini-fanum iter pronunciatum eſt, quod et occupare in animo habebat Mercurianus. Retardabat regios duorum tormentorum ſubvectio, quae multis boum paribus per itinera jam luto corrupta et anguſta aegre trahebantur. Praemiſſus Lavardinus, qui ſummo mane cum ſuis loco occupato hoſtem anteverteret, hunc ſequi juſſus cum CIƆ Anglis et reliquo equitatu ac peditatu

Monmartinus;

CIƆ IƆ XCI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Moncontour.* [b] *Amaury de Gouyon Sr de la Mouſſaie.* [c] *S. Brieux.* [d] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.* [e] *le Maine.* [f] *de Buſſes Sr de Germincourt.* [g] *de S. George de Biac.* [h] *Duc de Mercœur.* [i] *Pontivy & Joſſelin.* [k] *Jugon.* [l] *Dinan & Lamballe.* [m] *de Baſtenay.* [n] *de la Tremblaie.* [o] *de Treſumel, de Sarroüette, & de Frauze.* [p] *de Liſcouet.* [q] *Rennes.* [r] *S. Main.*

NOT. [1] c'étoit la petite fille de ſa femme. *Put.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV. Monmartinus; vacuum adhuc locum nactus Lavardinus, cum ad quietem ſe componeret, et pone ſequens Monmartinus loco luſtrato regiones diſtribueret, ſupervenit [a] Sanlaurentius hoſpitium ſumpturus, qui ubi ſpe ſua ſe falſum vidit, retro pedem retulit, et Mercuriano recedente paulum infra aciem inſtruit, interpoſita ſylva caedua. M[illegible]itus et [b] Dumbarenſis cum Hunaldaeo et Norriſio et copiis, quas penes ſe habebat, gradum accelerat, et ubi venit, in tumulo ad molatrinam ſubventaneam conſilium cogit: cumque [c] Hardius hoſpitiorum metator retuliſſet, alterum tormentorum inſtrumento confracto reſediſſe, et Germanos ad ejus cuſtodiam dum reficitur, remanſiſſe, nihil ulterius actum eo die; quod Mercuriano in bonum vertit, in quem a caſu non proviſo percuſſum, antequam ſe collegiſſet, ſi regii incubuiſſent, multorum judicio victoriam reportare poterant. Is ad [d] fanum-Joannis loco ſitu commodo ea nocte ſe recepit. Moniti interim a Dumbarenſi e nobilitate plerique, qui poſt mortem Lanovii e caſtris diſceſſerant, ſpe pugnae conſerendae facta protinus in armis intra biduum plus cc comparuerunt, ita ut cccc equites, cl ſclopperarios, CIↃ IↃ Anglos, IↃC Germanos, CIↃ IↃ Gallos penes ſe haberet. Cum iis conſilio inter duces habito hoſtem peti placuit, factoque per noctem itinere eum ad locum ventum eſt in quo [e] Bellae-inſulae marchio levis armaturae praefectus hoſpitium habebat, albeſcente jam die [f] Lavardinus, qui primam aciem ducebat, [g] Baſtenaeum cum Saroeto, Treſumelio, Froſio praemittit; Monmartinus exercitum in imo ericeto, tormenta in tumulo locat, pedites in IV agmina diſtribuit, quorum II Anglis, tertium Gallis, quartum Germanis conſtabat. Dumbarenſis c loricatos equites e primaria nobilitate circa ſe habebat. Baſtenaeus primo tantum doliari ſepimento perrupto tranſcurrit; Lavardinus impreſſione majore facta obvios fudit ceciditque; captis pleriſque cum equis et impedimentis. Bellinſulanus et [h] Boſcodelfinus caſtris exuti ad Mercurianum ſe receperunt, de ſumma eo die actum iri putantes, neque eo ſucceſſu regios contentos fore. Sed Baſtenaeo cunctante et per itinera impedita rivulis interſecta difficilem ad hoſtem acceſſum cauſante Norriſius, prudentiſſimus belli dux, qui languore ſuos confici, ac paſſim ſummo cum animi dolore jacere cerneret, reducendum exercitum cenſuit. Agmen ultimum in receptu Lavardinus cum Monmartino duxit, ab hoſte nuſquam, certiſſimo pavoris indicio, laceſſitus: augeſcente Anglorum aegritudine cum ſpatium reficiendi ſe Norriſius peteret, et Lavardinus in [i] Cenomanos redire vellet, ne nihil ageretur [k] Caſtellionem arcem inter [l] Fulgeriam et Vitreacum ſitam peti placuit, inſtante Monmartino, qui praemiſſa intra paucos dies VI tormenta inſtruxit. Datum et negotium Renato [m] Marecio Monbaroto Redonum praefecto, ut ceterum belli apparatum et ad eum deducendum paria boum ſubminiſtraret. Haud ſegniter res adminiſtrata. Loco obſidione a Monmartino cincto admota tormenta, et poſt IↃ cc ictuum diſploſionem cum colloquium poſceretur, obſeſſi, qui circiter cc erant, cum aliquot e Mercuriani ſtipatoribus, vi expugnati ſunt, et ad unum fere caeſi, exceptis ſtipatoribus; ignem etiam fortuito pulvis tormentarius concepit, unde major quam ex pulſatione in arce ruina edita eſt: [n] Belli-joco ex nobilibus Dumbarenſis domeſticis cum aliis ſtrage obruto. Qua ex re magnum cepit dolorem Mercurianus, qui jam [o] Condivicinum Namnetum redierat; et cum ad eum allatum eſſet, ſtipatores etiam ſuos in arce occiſos, qui tamen incolumes mox ad eum a Monmartino remiſſi ſunt, adeo commotus eſt, ut ſtatim Hieron. [1] [p] Galterum juridicum Lavalli praefectum, juvenem non indoctum et amoeno judicio praeditum, quem jam annum

INTERPR. [a] *d'Avaugour Sr de S. Laurent.* [b] *Prince de Dombes.* [c] *Hardy.* [d] *S. Jean.* [e] *Belle-Iſle.* [f] *le Sr de Lavardin.* [g] *de Baſtenay, de Sarroüette, de Treſumel & de Frauze.* [h] *le Sr de Bois-dauphin.* [i] *le Maine.* [k] *Chaſtillon.* [l] *Fougeres & Vitré.* [m] *de Marec Sr de Monbarot gouverneur de Rennes.* [n] *de Beaujeu.* [o] *Nantes.* [p] *le Sr de Coniers.*

NOT. [1] *lege* Conerium. Les Memoires de Montmartin le nomment Sr de Coniers juge de Laval, & le faut ainſi nommer. *Put.*

annum captivum in laxiore cuſtodia tenebat; nonnunquam etiam quia ſcitiſſime canebat et cithara ludebat, ad familiare ſecretum [α] admittebat, inauditum, neque alius criminis convictum in furcam agi [β] juſſerit. Paulo ante [a] Cotenifanum magni animi e primaria nobilitate virum ſibi infeſtum in arce ſua per [b] Faruetum Gulenii fratrem obſederat, et magno ſe animo cum diu defendiſſet, poſtremo omni auxilii ſpe praeciſa ad deditionem adegerat, perſcriptis conditionibus, quibus libere abire cum equis, armis, et impedimentis permittebatur: nihilominus cum Mercurianus conditiones ratas habere nollet, retentus et in arctiſſimo ac diuturno carcere poſtea aſſervatus, nec prius quam depenſis XXX CIϽ aureorum, arce interim ſolo aequata et ſylvis caeſis, libertati reſtitutus eſt. Capto Caſtellioni [c] Bremanſanius impoſitus eſt, et cum Fulgeriam nutare, ac ſi copias admoviſſet Dumbarenſis, ſecuturam deditionem appareret, tamen ob Anglorum morbos res minime tentata. Norriſius in [d] Cenomanos ad reficiendos ſuos conceſſit. Dumbarenſis ad [e] Albini-fanum conſedit, tormentis [f] Vitreacum ablegatis, unde primo quoque ſive [g] Fulgeriam ſive [h] Cratumnum petendum eſſet, commode deduci poſſent. Interea Mercurianus ad [i] Blanium primariam [k] Roanorum arcem VI a [l] Condivicino leucis diſſitam et arte munitam et magnificentia aedificiorum inſignem caſtra poſuit, adductis XII tormentis, quibus pulſati per aliquot dies muri; cumque [m] Guſtus, qui arci praeerat, vaſtationem et incendium, quod accidit, veritus colloquium poſceret, dum de obſidibus agitur, eodem aſtu, quo ad [n] Caſtellionem factum meminerat, Mercurianus Hiſpanos in ruinam eniti jubet, et locum pridie Kal. Nov. expugnat ac diripit, igne, ſive conſilio ad ultionem, ſive fortuna, ut credi voluit, accenſo, quo ingens et regali ſumptu ſtructa moles paene tota conflagravit, archiva conſumpta, et ingens ac pretioſa ſupellex amiſſa eſt. Dumbarenſis, qui [o] Marcillium uſque ad ſuppetias obſeſſis ferendas cum Lavardino proceſſerat, retro ad Norriſium perrexit, ut cum eo de belli gerendi ratione capita conferret. Sub id [p] Hunaldaeus jam ſenex ob continuos nec illi aetati tolerandos labores lethali morbo affictari coepit, et cum triduum Vitreaci decubuiſſet, [q] Condate Redonum, quo jam Dumbarenſis praeceſſerat, lectica devehi voluit; ſed in via mox exſpiravit: vir regi ſumme fidus, et Gallici nominis perquam ſtudioſus, qui filium unicum tantae familiae heredem grandi aere oppreſſum reliquit. Eodem tempore Sanlaurentius [r] Malaſtretum locum oppidanorum tantum fide et [ſ] Villavicini praefecti virtute firmum obſidione cinxit, tormentis et aliquot Hiſpanorum cohortibus a Mercuriano acceptis; facta ſtrage murorum, oppidum una atque altera oppugnatione tentatum, quam obſeſſi animoſe ſuſtinuerunt, plus CC hoſtium interfectis: [t] Burelius ex provinciali nobilitate vir ſtrenuus, qui cum Villavicino fortiter rem geſſerat, deſideratus. Nec minor oppidanorum virtus fuit, inter quos ſacrificus quidam [u] Aegidius nomine Hiſpani nominis odio nullas non fortiſſimi bellatoris partes implevit, inter primos in ruina pugnando, et ſaxis provolutis ac ignium jaculatione hoſteis infeſtando: tandem Sanlaurentius cum damno ac dedecore repulſus, remiſſis Hiſpanis et aſſumptis tantum Gallis et Lotaringis ac CC circiter equitibus; ut

exiſtimationem

VAR. LECT. [α] admittebat, quod et nocte proxima fecerat, inauditum MS *Reg.*

[β] juſſerit; quo nomine magnam apud omnes invidiam ſuſtinuit; ad eamque leniendam cum alias, atque alias ſubinde abſurdas commentus eſſet excuſationes, non aliam gynaecei ſui judicio meliorem reperire potuit, quam quod de vili hominis ſectarii capite, ad juſtam ultionem explendam, non magnopere ſibi laborandum exiſtimaret: nam et alios quos in ſubterraneis ſpecubus in arce Namnetenſi indigniſſime incluſos tenebat, Rupis marchionem initio belli inſidioſe captum, Tremblaium et Lautaeum curiae ſenatorem, eandem cum Lavallenſi, ſiquidem ſtipatores ſui interfecti fuiſſent, ſortem ſubituros. Paulo ante MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Coetniſan.* [b] *de Faroët Sr de Gouleines.* [c] *le Sr de Bremanſani.* [d] *le Maine.* [e] *St Aubin.* [f] *Vitré.* [g] *Fougeres.* [h] *Craon.* [i] *Blain.* [k] *de Rohan.* [l] *Nantes.* [m] *le Sr du Gouſt.* [n] *Chaſtillon.* [o] *Marcille.* [p] *de la Hunauldaie.* [q] *Rennes.* [r] *Maleſtroit.* [ſ] *le Sr d Villevoiſin.* [t] *le Sr de Beureil.* [u] *un preſtre nommé Don Gilles.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

exiſtimationem aliquantulum illa expeditione vulneratam ſarciret, in inferiorem [a] Armoricam conceſſit, et munitionem [b] fano-Brioci vicinam, ad maris litus, cui [c] Seſſioniae turri nomen, caſtra ponit. Quo cognito Renatus [d] Riuſius Surdeacus, qui defuncto nuper [e] Vido Caſtellonovo fratre Breſti praefecturam tenebat, vicinam nobilitatem evocat, iiſque ad Brioci-fanum diem condicit. Ad eum continuo venere [f] Pecreanus, qui praeſidio [g] Gningami praeerat, [h] Kergomartus, et Kermonanus ejus frater, Liſcoetus, alii ex nobilitate. Surdeacus praeter Germanos pedites, CCCC circiter Gallis, ac CL equitibus ſubnixus, aciem inſtruit, et cum Sanlaurentio, qui et itidem aciem inſtruxerat, obſtinato certamine conflixit, ac poſtremo hoſtem cecidit, ipſo Sanlaurentio a Germanorum carnifice, qui arrepto equi ejus fraeno ruentem ſtitit, capto, et Guingamum ducto ſub cuſtodia, ex qua aliquanto poſt evaſit. Peditatus fere omnis caeſus. Parcitum iis, qui in templum proximum confugerant: plerique e nobilitate capti. Ex noſtris pauci deſiderati; Pecreanus pedes pugnans vulnus accepit. In Cenomanis ſub id [i] Monianum munitiſſimum Lavallae ditionis caſtellum, quod a Joanne [k] Criquebovio regulo tenebatur, nocte, quae XV Kal. Nov. praeceſſit, per inſidias captum eſt, inſigni perfidia Moyſis [l] Maſſonis, qui Criquebovii ipſius domeſticus a Petro [m] Cornuto Pleſſio Cratumni praefecto extra belli cauſam *Criquebovio propter privatas inimicitias infeſto corruptus, poſt pactas inducias, et fidem ſcripto a Pleſſio, ut magis falleret, datam, locum hoſti prodidit. Perfidiam cumulavit Pleſſii immanitas, qui diu poſtquam Criquebovius captus eſt, et VI CIↃ aureorum vitam redemit, ipſum exarmatum per Fr. [n] Dominium Ramboderium interficiendum curavit; ut potius ad ultionem privatam, quam jure belli captum appareret Monianum. Itaque ſeptimo poſt anno, licet edicto regio in ejus gratiam facto Criquebovianae caedis perſecutio interdicta eſſet, nihilominus ab uxore defuncti poſtulatus eſt. Et quia Pleſſius edictorum regiorum fidem implorabat, *grandi pecunia tantum mulctatus capitalem poenam evaſit. Paulo poſt in [o] Cadurcis feliciter a regiis pugnatum fuit juxta [p] Rupimadaurum. [q] Emmanuel [1] Sabaudus Villarii marchio, et Henricus Monpeſatus ejus frater, collecto e [r] Petrocoriis et Lemovicibus circiter II CIↃ peditum et CCCC equitibus [ſ] Divona, quae hodie regionis nomen retinet, egreſſi, et deductis II tormentis, factoque per Tureniam ditionem itinere [s] fanum-Sereni tendebant; cum [t] Pontius Lozeria Teminius Cadurcorum praeſes literas ad vicinos praefectos dat, et ut ſibi contra communeis hoſtes praeſto ſint, rogat. Annas [u] Levius Ventadurius Lemovicum praeſes, ad quem periculum pertinebat, ſubito ſe in viam dat, et tranſmiſſo ad [v] Salam portum [w] Duranio XIIII Kal. Dec. prope [x] Carennacum venit cum Henrico [y] Noallio, Monmego, Sallanio, Salvabovio, Chavaniaco C equites e nobilitate ſecum trahens, et CC equites ſcloppetarios, ubi poſtridie cum eo ſe conjunxit Teminius, cum quo erant [z] Deveza, Gordonius, Benacus, Moninius provinciae reguli; Vivantius levis armaturae famoſus dux, alii fere CC e nobilitate equites, et CIↃ circiter ſcloppetarii.

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *S. Brieux.* [c] *Beſſons.* [d] *de Rieux Sr de Sourdeac.* [e] *Guy de Chateauneuf.* [f] *le Sr de Pecrean.* [g] *Gningamp.* [h] *les Srs de Kergomart, de Kermonan, & de Liſcouet.* [i] *Chateau de Monjan au Maine.* [k] *le baron de Criquebœuf.* [l] *le Maſſon.* [m] *le Cornu Sr du Pleſſis le Coſme gouverneur de Craon.* [n] *de Domigny Sr de la Rambodiere.* [o] *Quercy.* [p] *Roquemadour.* [q] *Emmanuel Philibert des Prez marquis de Villars.* [r] *Perigort & Limouſin.* [ſ] *Cahors.* [s] *St Seré.* [t] *Pons de Lauzieres Sr de Themines ſeneſchal & gouverneur de Quercy.* [u] *de Levi duc de Ventadour ſeneſchal & gouverneur du Limouſin.* [v] *Port de Sale.* [w] *la Dordogne.* [x] *Carennac.* [y] *les Srs de Noailles, Monmege, du Saillant, de Sauvebœuf & de Chavagnac.* [z] *les Srs de la Deveze, de Gourden, de Bene, & de Moneins.*

NOT. [1] *lege* Depreus. Honoré de Savoye marquis de Villars mareſchal de France mourut l'an 1580. ſans enfans males, ne laiſſant qu'une fille unique, Henriette de Savoye marquiſe de Villars qui par ſon premier mari Melchior des Prez Sr de Montpezat eut Emmanuel Philibert des Prez marquis de Villars, & Henry (nommé à l'Eveché de Montauban qu'il quitta) marquis de Montpezat. V. l'Hiſt. Geneal. de France par le P. Anſelme, p. 631. C.

ſcloppetarii. [a] Boſſerius Tureniae praefectus eodem venit cum aliquot loricatis et ſcloppetariis equitibus. Mox conſenſu omnium ſummum imperium Ventadurio traditum; [b] Vivantius praefectus caſtrorum; Moninius peditatus tribunus conſtitutus eſt. Evocati et [c] Meſſillacus Reſtiniaci comes ex [d] Arvernis, ex [e] Petrocoriis David [f] Bocardus Albaterrae vicecomes, et Jacobus [g] Nompar Caumontius Forcaeus ex [h] Aginnatibus. Biduo poſt in conſpectum hoſtium cum veniſſent regii, aciem inſtruunt: neque tamen illi ſe loco moverunt. Demum IX Kal. cum Carennacum petituri crederentur, Ventadurius antevertit, inſtructaque acie eos ad [i] Tegram compulit, locum ſitu firmum, ubi et tormenta depoſuerant. Poſtridie Tegra profectus Villarius [k] Rupimadaurum tendit, ejuſque diſceſſu Carennacum oppidum necnon et [l] coenobium a regiis occupatur, et praeſidio a Teminio ad intercludendum Duranii illac hoſti tranſitum firmatur: poſtridie Meſſillacus in caſtra venit cum LX loricatis equitibus, et CL ſcloppetariis; quo eodem die Ludovicum [m] Pompadorei vicecomitem regi infeſtum et adverſas partes ſemper ſecutum ad [n] Hoſpitalium deceſſiſſe nunciatum eſt. Inde regii ad coenobium cui [o] Foxiae nomen caſtra promovent, leuca a Rupimadauro, quo hoſtes tormenta tranſtulerant, ſitum, munitiſque caſtris copias in conſpectum hoſtium educunt, ſi forte eos ad certamen poſſent elicere. Primam aciem ducebat Teminius, qui L circiter equites conſpicatus extra pagum ſtanteis juxta [p] Aliſiam ſemidirutam arcem hinc inde peditatu circundatos, impetu facto eos retrocedere coegit, verſaque vis omnis in peditatum, qui ad extremum pago relicto Rupimadaurum ſe recepit. Deſiderati ex equitibus VI, ex ſcloppetariis XXV, et in iis [q] Garrigius legionis tribunus. Poſtridie cum Ventadurius ex belli ducum conſilio [r] Bellum-caſtellum iturus eſſet, ut hoſtem, quem diſceſſurum rebatur, adſequeretur, ſummo mane ad locum condictum cum Teminio et Vivantio tendit, ubi dum reliquas copias opperitur, eminus hoſtem incedentem cernit, [ſ] Solliacum verſus, ut illuc tranſmiſſo [a] Duranio in Petrocorios deſcenderet, tendentem; nec amplius cunctandum ratus, Teminium et Vivantium praemittit, qui primam impreſſionem facerent, quos aliquot ſcloppetarii equites duce Moninio comitabantur. Ipſe cum reliquo robore ſequebatur. Verum hoſtes, quibus id incogitantibus acciderat, ſubito pavore correpti vix armis ſumptis, ad primum impetum ſolvuntur, et diſſipati huc illuc cuncti funduntur, praeter confertum agmen, quod ad [t] Peiracum receptum habuit, relicto peditatu, qui poſt ſcloppetorum diſploſionem cedendo ſenſim et ipſe ſolutus eſt. Meſſillaco, Deveza, et Gordonio ſupervenientibus, cum inter vepreta et praerupta dumeta circiter IↃC aliquandiu eluctati eſſent, omnes ad unum caeſi: diverſa parte [u] Teminius, Vivantius, et Moninius [v] Villarium et Monpeſatum in fugam verſos ſub portas uſque [w] Sanprojectinae arcis, quae Claromontii Lodevenſis patrimonialis eſt, inſequuntur. Mox ad Peiracum copiae admoventur, [x] Meracius Monmegi frater in pedes deſcendens militem ad rem ſtrenue gerendam dum exemplo et verbis hortatur, in imo ventre pila plumbea ictus eſt, quo ex vulnere poſt bihorium deceſſit; hoſtes undique cincti ad extremum in templum et arcem confugiunt, pago deſerto, et tandem profunda jam nocte deditionem fecere. LX circiter e nobilitate capti, et in iis Carolus [y] Bochardus Santeparchius abbas, Albaterrani frater, [z] Brangelius caſtrorum praefectus, Foreſtus, alii: IↃ amplius occiſi; carri, impedimenta

INTERPR. [a] *de la Boiſſiere gouverneur de Turenne.* [b] *de Vivants mareſchal de camp.* [c] *de Meſſillac comte de Reſtignac.* [d] *Auvergne.* [e] *Perigort.* [f] *Bouchard vicomte d'Aubeterre.* [g] *Nompar Caumont Sr de la Force.* [h] *l'Agenois.* [i] *Tegra.* [k] *Roquemadour.* [l] *l'Abbaye de Carennac.* [m] *Pompadour.* [n] *L'Hoſpital, bourg en Quercy.* [o] *Abbaye de Fioux.* [p] *Chateau nommé les Alix.* [q] *la Garrigue.* [r] *Belcaſtel.* [ſ] *Souillac.* [a] *la Dordogne.* [t] *Peyrac.* [u] *Srs de Themines, de Vivants, & de Meneins.* [v] *les marquis de Villars & de Montpezat.* [w] *St Projet chateau du Sr de Clermont de Lodeve.* [x] *le Sr de Meyrac frere du Sr de Monmege.* [y] *Bouchard Abbé de S. Cibar, frere du vicomte d'Aubeterre.* [z] *de la Brangelie mareſchal de camp, & le Sr de la Foreſt.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

impedimenta, et apparatus bellicus in regiorum poteſtatem venit. Id actum VI Kal. Dec.

IV. MAJORE longe fama in [a] Provincia, Allobrogibus, Sebuſianis, et Lugdunenſi agro res geſtae ad proximam Italiam pertinentes. Franciſcus [b] Bona Diguierius poſt captam [c] Gratianopolim Kal. Mart. duo tormenta educit, et ad [d] Scalas in anguſto et edito admodum loco ſitas in Sabaudi ditione caſtra ponit. Poſtridie oppidum primo impetu captum, hoſte intra arcem ſe recipiente. Biduo poſt admota ad eam tormenta, ac tandem [e] Corvius, qui loco praeerat, poſt LVII ictus diſploſos deditionem fecit, his conditionibus, ut religionis Catholicae apoſtolicae Romanae cultus liber ſervaretur; eccleſiaſticis bona ſua ſalva eſſent; Corvius cum ſuis vita, armis, et impedimentis ſalvis fune accenſo in tutum deduceretur; ſignis, annona, et apparatu bellico penes Diguierium remanentibus. Id actum III Non. Mart. Reſtabant cryptae [f] anguſtiae, quibus ſubjectus pagus ab hoſte infeſſus fuerat, unde crebris eruptionibus noſtri infeſtabantur. Semel atque iterum eductae utrinque acies, medio [g] amne vadoſo, unde illi nomen; quo tranſmiſſo, Bricomotius in LX circiter ſcloppetarios equites invectus, XII ex iis interficit, et cum hoſtilis equitatus procederet, viciſſim Ludovicus [h] Blanius Poetus cum L loricatis progreditur, tantumque velitationibus certatum eſt. Interea inſtantibus inde [i] Campobaldo Maugironi nomine, qui [k] Viennam tenebat, et ab Henrico [l] Sabaudo Sanſorlini marchione inſidiis quotidie petebatur: inde Valeta, in quem tota belli moles incumbebat, cum ſe Campobaldo excuſaſſet, in Provinciam iter convertit, et [m] Serris profectus quartis caſtris [n] Sederonem venit, et Kal. Apr. [o] Aurelium, Reveſtum, Trinitatis-fanum in Saltuenſi comitatu recepit. Cum [p] Metullionis oppidanis et actum, et cum tergiverſarentur, admotae copiae, ſed nullo exitu. Itaque Nonis Aprilibus [q] Metas ventum. Inde poſt aliquot dierum moram per Vallenſolam facto itinere Diguierius ad Vinonem ſe cum Valeta Idibus conjunxit, ut ambo ſuppetias [r] Berrae obſeſſae ferrent. Ibi cognito hoſtem penes ſe CIↃ equites cataphractos, CIↃ IↃ ſcloppetarios partim provinciaſes, partim Sabaudos et Hiſpanos habentem ad [ſ] Sparronem primam aciem, ad [s] Rianum mediam, ultimam ad [t] fanum-Martini in Palleriis collocaſſe, ſemileucam invicem a ſe, II a Vinone diſtantes, et jactari vulgo inter eos, veniſſe, ut cum regiis confligerent haud dubia ſpe victoriae, habito inter belli duces conſilio iter ad hoſtem pronunciatum eſt, eo ordine, ut Delfinatus copiae in prima acie ſtarent, et Poetus praecurſores duceret, quem pone ſequeretur [u] Meurius cum ſua et Diguierii equitum alis; mediam aciem [v] Valeta regeret, impedimentis a tergo ejus incedentibus, ultimum agmen [w] Buoſius clauderet. Erant in regiis caſtris omnino IↃCCC cataphracti equites fere e nobilitate egregie inſtructi et II CIↃ ſcloppetarii. Spe citius noſtri in conſpectum hoſtium venere, juxta Sparronem, qui aciem tumultuario in colle oppoſito ſtruxerant, planicie ſubjecta, in qua regii ſtabant. Interim qui ad Fanum-Martini hoſpitium habebant, ſe ſociis junxerunt; miſſum agmen peditum ex noſtris, qui eos ad pugnam aequiore loco prolectarent, in latus incumbentes. Illi protinus locum captum deſerunt, et in proximum collem enituntur; tum regii procedunt, et locum vacuum occupant, moxque Diguierius longiore circuitu a tergo in colle ſtanteis invadit, praemiſſo [x] Barri comite, qui CC equiteis ducebat. Quo conſpecto hoſtes acie ſemel atque iterum inclinata poſtremo ſe in fugam effundunt, peditatu relicto et CCC circiter equitibus per pagum ſubjectum palantibus; quos regii dum

INTERPR. [a] *Provence, Dauphiné, Breſſe, & Lionnois.* [b] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [c] *Grenoble.* [d] *les Eſchelles.* [e] *le Sr de Corbeaux.* [f] *le pas de la Grote, qui eſt un chemin dans le Roc qui dure demi-lieuë.* [g] *Guye r.* [h] *de Blain Sr du Pouet.* [i] *de Chambaud.* [k] *Vienne.* [l] *de Savoye marquis de S. Sorlin.* [m] *Serres.* [n] *Sederon.* [o] *Aureau, le Reveſt, S. Trinité en la Comté de Sault.* [p] *de Meulhon.* [q] *aux Mées.* [r] *Berre.* [ſ] *Eſparron de Pallieres.* [s] *Rians.* [t] *S. Martin de Pallieres.* [u] *de Mures.* [v] *de la Valette.* [w] *de Buous.* [x] *du Bar.*

dum inſequuntur, in comitem [a] Martinengum impellunt, qui [b] Riano cum IϽ equitibus veniebat. Heic cum reſtitutis ordinibus rurſus aciem inſtruxiſſent, aliquandiu certatum, ad extremum acrem noſtrorum impreſſionem non ſuſtinuerunt, quos in fugam verſos noſtri aliquandiu inſecuti ſunt. Ex iis deſiderati CC equites, capta III ſigna, reliqui huc illuc ſolutis ordinibus et armis amiſſis diſſipati. Id actum XVII Kal. Maias. Eodem tempore vis ad pagum Rianum facta, in qua ſe objectis doliis hoſtes muniverant. Sole jam occaſo res in craſtinum dilata. CC circiter, qui ſeorſim ab aliis ad templum cum [c] Cucurone eorum duce partim confugerant, partim in columbario et molatrina ſubventanea proximis latebant, ſe victoris arbitrio dediderunt, ex quibus plerique ſervati; ceteri ad terrorem laqueo ſuſpenſi. Poſtridie qui ad Sparronem ſe contraxerant, fame victi et ſiti ac cadaverum foetore paene enecti, cum nulla auxilii ſpes eſſet, vitam ſalvam pacti de cetero ſine conditione deditionem fecere. CCC fere equites et CIϽ pedites exarmati et captivi retenti, quos belli fortuna reliquos fecerat, et in iis Alexander [d] Vitellius, Sanromanius et XXX ſive equitum ſive peditum ductores, XV ſigna amiſſa, magnus item numerus equorum, praeda inter Valetam et Diguierium ex aequo diviſa. Haec ſtrages Sabaudo IϽ equitibus, ſive occiſis ſive captis et CIϽ IϽ ſcloppetariis conſtitit. Ex noſtris [e] Buoſius junior, et XX alii, ſed obſcuri nominis deſiderati. C circiter ſauciati. Inde ſeptimis caſtris traducto per Aquenſium, qui ab hoſte tenebantur, oculos exercitu, [g] Marinianam ventum, quam deditione Valeta recepit VIII Kal. Maias. Poſtridie ad [h] Gianum caſtra poſita, quod ſemileucam a [i] Selone abeſt, admotiſque ſcalis et crepitaculis locus vi expugnatus, obviis trucidatis; qui ſuperfuere laqueo vitam finivere. Heic regii duces poſt mutuas gratulationes et grateis utrinque actas iter dividunt, ac decimis caſtris Diguierius [k] Vapincum rediit. Cognitoque [l] Brigantionem propter praeſidiariorum incuriam periclitari, cum eo excurreret, a [m] Prabaudo revocatus eſt, qui novo praeſidio ac regi fido locum firmatum affirmavit. Itaque reflexo per Argenterium montem itinere [n] Guilleſtriam et inde Ebrodunum rediit V Eid. Maias, et quinto poſt die ad [o] comitia provinciae peragenda [p] Gratianopolim venit, quibus peractis in [q] Viennenſem praefecturam deſcendit, ut hoſtem late cuncta vaſtantem et [r] Scalas obſidere parantem prohiberet. Sed cum in via eſſet, cognovit reducta tormenta et [ſ] Pontem Bello-vicinum, qui Sabaudam a regia ditionem, amniculo intermedio dividit, munitionibus nudatum. Nihilominus conjunctis cum Alſonſo [s] Ornano copiis [t] Geneſiifanum uſque proceſſit. Levique pugna conſerta, dum hoſtes Ponte diſcederent, et tribus ſequentibus diebus aliquoties repetitis velitationibus utrinque diſceſſum eſt. Sabaudi ad [u] Camberium et loca vicina conceſſerunt. Hector [w] [a] Mirabellus Blaconus [x] Monſloriacum caſtellum vi cepit. Diguierius, cum quo ſe [y] Gubernetus et [z] Oriacus interea conjunxerant, a ſano-Geneſii revocatis ſuis rurſus in quoſdam ex hoſtibus inter montium convalleis vallo egreſſos incidens LX ex iis cecidit III Eid. Jun. inde Ponte relicto tentatum aſtu Camberium, ſed irrito ſucceſſu. Poſtea de commercio et colendis libere agris cum Sabaudi delegatis ab Ornano actum. Cum convenire non poſſet, Diguierius cum Guberneto, Pocto, Blacono ſub portas uſque [a] Lugduni excurrerunt, et horam integram [b] Guilloteriam trans [c] Rhodanum tenuerunt. Dein [d] Ericulo promota caſtra, et inſtante [e] Maugirono [f] Givordae caſtellum in agro Lugdunenſi quod Viennae multum incommodabat, obſidione cinctum

INTERPR. [a] *il conte Martinengo.* [b] *Rians.* [c] *le Sr de Cucuron.* [d] *Vitelli, & le Sr de S. Romain.* [e] *de Buous.* [f] *d'Aix.* [g] *Marignane.* [h] *Gian.* [i] *Solon.* [k] *Gap.* [l] *Briançon.* [m] *de Prabaud.* [n] *Guilleſtre, & Embrun.* [o] *les Eſtats.* [p] *Grenoble.* [q] *le Viennois.* [r] *les Eſchelles.* [ſ] *Pont Beauvoiſin.* [s] *d'Ornano.* [t] *S. Genis.* [u] *Chambery.* [w] *de Mirebel & de la Foreſt Sr de Blacons.* [x] *Montfleury.* [y] *du Gouvernet.* [z] *d'Oriac.* [a] *Lyon.* [b] *la Guillotiere fauxbourg de Lyon.* [c] *le Rhoſne.* [d] *Erieu.* [e] *de Maugiron.* [f] *Givords.*

NOT. [a] il porte tous ces noms à cauſe de diverſes ſubſtitutions. *Put.*

cinctum Kal. Quintil. Summo mane admota tormenta, continuataque per treis horas pulſatione et ſtrage murorum edita fit impetus, et oppidum vi expugnatur, obviis cunctis occiſis; qui ſuperfuere in arcem confugerunt, quae, perculſis metu praeſidiariis, mox dedita eſt. Inde Viennam itum, et v caſtris [a] Ventavonem ventum xvii Kal. Sextil. ubi Valetam obvium habuit Diguierius; cum eoque collocutus actutum [b] Serras revolat, ac Podium Mauri munitionem colli [c] Vapinco imminenti impoſitam repetit: intellectoque hoſtem de [d] Ocellis intercipiendis conſilium cepiſſe, [e] Ebrodunum tendit. Sed hoſte ad ejus adventum recedente [f] Brigantionem iter flectit, ut locum, de quo antea anxius fuerat, luſtraret. Inde [g] Gratianopolim propere rediit, quam obſeſſurum hoſtem acceperat, ſimul ut [h] Griſivodanam vallem nobilitate in illa provincia memorabilem regionem a Sabaudi incurſionibus et vaſtatione tueretur.

V. IGITUR promotae in Sabaudiam copiae, et ſtructis inſidiis quidam ex pabulatoribus hoſtium intercepti. [i] Goncelinum inde quintis caſtris itum, et in Monmeliani conſpectu leviter certatum, dum regii pontem ligneum demoliuntur. xii circiter orguyae ruptae, nequicquam magna tormentorum vi ex arce detonantibus Sabaudis. Ibi [k] Gallius Buiſſius in crure ſcloppeti ictu graviter ſauciatus fuit, ex quo tamen convaluit. Id incidit in vi Eid. Sextil. Poſtea cum Diguierius Gratianopolim rediiſſet, ad eum allatum eſt, copias pontificias Monmelianum veniſſe, quae Camberium mox iter flexere. In iis erant vi cohortes, ſingulae ccc peditum, ducibus Jo. Jacobo [l] Bellijoco comite, Alexandro [m] Rangonio itidem comite, Hannibale [n] Vicecomite, Franciſco Stampa comite, Gaſpare Landriano, et [o] Alfonſo Roho equite, qui ſtipendiis pontificis merebant. Eodem tempore a Valeta inſtanter rogatus Diguierius, ut [p] Berrae, quod eſt ſalinis celebre emporium in [q] Martigio ſinu, obſeſſis opem ferret; per [r] Treviros et Mauritii-fanum, [s] Serras facto itinere, tertiis caſtris [t] Riberum venit. Ea tandem poſt diuturnam obſidionem a Franciſco Martinengo Malpaga, Vinciguerra Sanbonifacio comite, aliiſque Sabaudi ducibus, menſe Quintili capitur; quod ubi intellexit Diguierius, eam provinciam ingreſſus [t] Arnoldi-caſtrum, et inde [u] Metas progreditur, ubi quatuor dies commoratus eſt; quo tempore [v] Lucium caſtellum, quod archiepiſcopi [w] Aquenſis patrimoniale eſt, in loco edito ſitum, quod a cc peditibus et xl equitibus tuebatur, obſedit, et ccc tormentorum ictibus diſploſis, praeſidiarios aquae penuria laboranteis, in deditionem accepit iiii Non. Sept. reſtitutis equis et impedimentis, quae per conditiones in arbitrio ejus remanebant, tantum retenta ſigna. Ad [x] Pauli deinde fanum promota caſtra, conſiliumque de [y] Digna obſidenda captum, dum Valeta [z] Graveſonem arcta obſidione premeret; ſed cum eodem tempore per literas certior fieret, hoſtem ad [a] Moreſtellum, locum ex adverſo [b] Monmeliani a ſe munitum, ut excurſiones hoſtium impediret, caſtra poſuiſſe, ac diverſa parte ipſum Sabaudum cum IↃC equitibus et II CIↃ ſcloppetariis Valenſolam uſque proceſſiſſe, ſubſiſtendum ratus, [c] Cantarſiam interea et Corbonem loca Dignae vicina capit. Inde per Vapincum facto itinere Gratianopolim redit, et cum ccc equitibus fere e nobilitate et II CIↃ IↃCC ſcloppetariis ad [d] Charrae pontem progreditur, cum jam hoſtis cognito ejus adventu Moreſtelli obſidionem ſolviſſet. Dum ex catarrho decumberet Diguierius, a [e] Belierio [f] Buiſſii fratre in ſtationem equeſtrem impreſſio facta, aliquot ex iis occiſis; idem a [g] Meurio et Morgio poſtridie tentatum: tandem Diguierius recuperata valetudine

INTERPR. [a] *Ventavon.* [b] *Serres, & Puymore.* [c] *Gap.* [d] *Exilles.* [e] *Embrun.* [f] *Briançon.* [g] *Grenoble.* [h] *de Greſivaudan.* [i] *Goncelin.* [k] *de Galle Sr de la Buiſſe.* [l] *de Belgioioſo.* [m] *de Rangone.* [n] *Viſconti.* [o] *il Cavaliere Aiſ-Roho.* [p] *Berre.* [q] *Golfe de Martigue.* [r] *Trieves, & S. Maurice en Dauphiné.* [s] *Serres.* [t] *Ribiers.* [t] *Caſtel-Arnoux.* [u] *les Mées.* [v] *Lurs.* [w] *d'Aix.* [x] *S. Pol.* [y] *Dignes.* [z] *Graveſon.* [a] *Moretel.* [b] *Montmelian.* [c] *Chantarſier, & Courbon.* [d] *Pont Charre.* [e] *le Sr de Beliers.* [f] *le Sr de la Buiſſe.* [g] *de Mures, & de Morges.*

valetudine ad exercitum venit, et ipſe caſtrorum hoſtilium poſitum contemplatus, ex eo ordinem ab eo poſtridie ſervandum conjecit. Sic autem Sabaudus ſuos ordinaverat; prima acies Gratianopolim verſus tendebat; ad laevam peditatus in colle vitifero [a] Baiardae arci ſubjecto collocatus erat; ad dextram [b] Iſara fluvius, et inter fluvium et collem equitatus, in tria agmina diſtributus, per prata circumpoſita collocatus erat; XL circiter ex iis in campo pratis editiore praecedentibus, ex quo in prata per anguſtum admodum callem ſeriatim deſcendi non poterat, praerupto undique ad eos aditu. Contra Diguierius ubi propinquavit, loco humili arboribus conſito ſecundum ripam fluminis ſuos, ne ab hoſte reconſerentur, conſiſtere jubet, [c] Prabaudo circa collem eunte, cum CIↃ IↃ ſcloppetariis in duo agmina diſtributis; quorum alterum per ſummum collem incedebat, ad deturbandos hoſteis, qui eum inſidebant, alterum per imum iter faciebat, ut peditatum hoſtilem, qui equites tegebat, loco pelleret. Dum Prabaudus progreditur, praemiſſi aliquot delecti equites ac pedites duce Gul. [d] Budaeo Veracio, Gulielmi illius probitate et eruditione adeo illuſtris viri nepote, [e] Bricomotianae alae vicario, qui ſtationem equeſtrem in campo editiore adoriretur; quam et loco pepulit. Extemplo in eo aciem inſtruit Diguierius eo ordine: ad dextram peditatus, cui Prabaudus praeerat, ſtabat, [f] Meſpleſio ad laevam cum quadrato peditum agmine in ripa fluminis collocato. In medio equitatus apparebat in tria agmina diviſus. In primo Meurius et Morgius, in ſecundo [g] praetorianorum vexillum, quod [h] Polinius ducebat. In tertio Diguierius erat, cum LII delectis, qui IↃ ſpeciem referebant, CXX ſcloppetariis pone eos ſequentibus, et univerſo lixarum agmine, qui ſtrictis gladiis ad terrorem micabant. Ante eos praecurſores ſtabant, primae acici inſtar, quam Bricomotius regebat. Laevum latus vexilli praetoriani tegebat quadratum peditum agmen. Principium pugnae a peditatu factum, mox inter utrumque equitatum res geri coepta, neque diu ambigue certatum eſt, hoſte ſenſim cedente, et ut minor in fuga ſtrages eſſet, cunctis agminibus in unum confertim coeuntibus: cum noſtri incumberent, in pratis quaſi pugnaturi hoſtes frontem verterunt; ſed ſtatim ſolutis ordinibus in fugam vertuntur. Fugienteis uſque ſub Monmeliani portas noſtri inſecuti: alii huc illuc diſſipati, pars in ſylvas, [i] Aquam-bellam, Rupellam, Miolanum confugerunt. Major quam pro numero bellatorum ſtrages fuiſſe perhibetur: II CIↃ IↃ interfecti, CCC equi capti, plerique tribuni et ordinum ductores; capta XVIII ſigna, et I equitum vexillum. Amadaeus Sabaudi nothus frater ad Miolanum habuit receptum, [k] Trivici marchio, et [l] Olivarus diu per ſylvas latuerunt. Haec XIIII Kal. Oct. acta. Poſtridie bis mille ex Pontificiis et Inſubribus, qui ad [m] Avalonis arcem cum [n] Bellijoci comite confugerant, arbitrio Diguierii ſe dedidere. Neque tamen furenti militi temperari potuit, quin ex iis IↃ in ipſo calore interfecti ſint, reliqui cum puto ſcipione dimiſſi et in tutum deducti, fide data, in Italiam remeaturos, neque contra regem arma laturos. Ex noſtris tantum, levis armaturae eques unus, et II pedites deſiderati, diligenti ratione a Diguierio habita, II item pedites et [o] Valuſius vulnerati. Parta ingens praeda ex catenis aureis, monilibus, gemmis, auro argentoque percuſſo, ſupellectile argentea, ſtragula veſte, equis, ceteroque apparatu bellico, ad CC aureorum CIↃ a rem juſto majorem minime fingentibus aeſtimata. Annotatum a curioſis, ad pedes arcis Baiardae tantam hoſtium nomini Gallico inſeſtorum ſtragem editam eſſe, ut Petri [p] Terralii ab ea arce a ſe exſtructa cognominati, noſtra memoria adeo famoſi

ducis,

INTERPR. [a] *Bayard.* [b] *l'Iſere.* [c] *de Prabaud.* [d] *Budé Sr de Verace.* [e] *de Briquemaut.* [f] *de Meſples.* [g] *la Cornette du Sr de Leſdiguieres.* [h] *de Poligny.* [i] *Aiguebelle, la Rochelle, & Miolans.* [k] *Trevico.* [l] *Olivera.* [m] *Avalon.* [n] *il Conte Belgioioſo.* [o] *le Sr de Valouſe.* [p] *du Terrail de Bayard.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

ducis, manibus parentaretur. Is Gallicum nomen ſumma virtute olim tutatus, tantoque in honore a Franciſco I habitus, ut torquem conchyliatum ex ejus manu ſuſcipere voluerit: ex Mediolanenſi puella unicam filiolam naturalem reliquit, ex qua natus [a] Caſtellarius a Maria Scotorum regina ſecuri percuſſus, et alter ejus frater [b] Bojoſelus dictus Gratianopolitani ſenatus aſſeſſor. Triduo poſt commiſſam pugnam Polinius [c] Marceſiae oppidum muris cinctum et ſitu opportunum irrito ſucceſſu tentavit. Inde reductus exercitus, et aliquanto tempore militi ad ſe reficiendum conceſſo, [d] Diguierius [e] Barcinonem in comitatu cognomine, ditionis Sabaudae, inter [f] Vapincum et Ebrodunenſem agrum expugnare ſtatuit. Itaque [g] Mauri-podio profectus IIII Eid. Oct. [h] Lauzetum, ac biduo poſt [i] Pontii-ſanum venit, et caſtra ad Barcinonem ponit. Quatriduo poſt a [k] Mirabello interceptum [l] Caumartium vicinum caſtellum: admotis tormentis poſt aliquot ictuum diſploſionem cum parum proficeretur, mutata verberatio, difficili ad priorem ruinam acceſſu et corrupto fere bellico apparatu: tandem [m] Sauzacus, qui locum cum CCCC tenebat, deditionem his conditionibus fecit, XII Kal. Nov. ut equis, armis, ſignis, impedimentis penes Diguierium manentibus, ipſe cum ſuis vita ſalva [n] Caſtellatium a Polinio deduceretur, fide data, trans monteis conceſſuros, neque [o] Demontii, qui locus eſt ditionis Gallicae ultra monteis inter [p] Coninum et Centalium tunc a Sabaudo occupatus, aut [q] Dignae, [r] Alloſiaeve ſubſtituros, aut intra trimeſtre contra regem arma laturos. Biduo poſt Diguierius Dignam verſus tendit, ut Valetae urbem obſidenti praeſto eſſet. Haud longe a [s] Ciſtertione [s] Gaubertum pagum hoſtis muniverat; unde continuis excurſionibus noſtros vexabat. Ad eum admota tormenta a Valeta, praeſidiarii cum arbitrio ſe ejus dediſſent, exceptis duobus cuncti in furcam acti. III Non. Nov. ad exiguam munitionem paulo ſupra Dignam poſitam, itidem admota tormenta; et poſt aliquot ictus diſploſos, praeſidiarii loco deſerto in urbem ſe receperunt. Eodem tempore templum extra urbem, quod a XXX militibus tenebatur, pulſatum; et cum in eo eſſent, ut ſe arbitrio Valetae permitterent, Dignenſes ipſi poſtridie cum Valeta tranſegerunt, et illis vitam ſalvam pacti ſunt. His autem conditionibus Digna dedita, ut oppidani in gratiam regis reciperentur, et cum iis aequabili jure ſicuti cum aliis regi ſubditis civitatibus ageretur; V CIↃ aureorum Diguierio pro belli ſumptibus penderent, remiſſa Valetae ab iis promiſſa antea ſumma: de aliis ſummis, quae ab iis Valetae debebantur, dum in fide regis eſſent, per arbitros amice conveniretur; praeteritorum ratione non vexarentur, neque militi ad praedam exponerentur, aut ullo militari hoſpitio gravarentur, tantumque praeſidium a Valeta imponendum ſuſciperent. His actis, cum allatum eſſet Sabaudum ad [t] Podium S. Reparatae haud longe ab [u] Aquenſium civitate, quod a Palamede [v] Forbino Sancanato tenebatur, caſtra poſuiſſe, locumque admotis tormentis pulſare, Diguierius cum Valeta eo tendunt, et [w] Meris profecti [x] Tulliae-fanum veniunt. Cum [y] Druentiam tranſmiſſuri eſſent, hoſtes in altera ripa apparuere, ſed jam ſole ad occaſum vergente dimiſſae copiae. Diguierius ad [z] Aquenſem turrem, Valeta [a] Pertuſium conceſſit; poſtridie, ſi hoſtis pugnae copiam faceret, cum eo conflicturi. Sed nocte inſequenti, Sabaudus de exitu veritus, poſt irritam II CIↃ ictuum diſploſionem vaſa conclamat, et propere [b] Aquas Sextias ſe recepit. Poſtea Diguierius a Valeta diſceſſit. Sabaudus jam capta [c] Berra ferox, aſtu, prenſationibus, largitionibus hoc agebat, ut a [d] Maſſilienſibus, quae urbs totius Provinciae veluti caput, et emporium

INTERPR. [a] *du Chaſtellard.* [b] *Bochoſel, conſeiller de Grenoble.* [c] *Marches.* [d] *le Sr de Leſdiguieres.* [e] *Barcelone.* [f] *Gap, & l'Embrunois.* [g] *Puymore.* [h] *Lauzet.* [i] *St Pons.* [k] *le Sr de Mirebel.* [l] *Caumars.* [m] *de Sauzé.* [n] *le Chaſtelat.* [o] *Demont.* [p] *Cony & Cental.* [q] *Digne.* [r] *les Allos.* [s] *Siſteron.* [s] *Gaubert.* [t] *le Puy S. Reparade, vulgo le Puech.* [u] *Aix.* [v] *Forbin de S. Canat.* [w] *les Mées.* [x] *S. Tulle.* [y] *la Durance.* [z] *Tour d'Aeques.* [a] *Pertuis.* [b] *Aix.* [c] *Berre.* [d] *ceux de Marſeille en Provence.*

emporium eſt toto Mediterraneo mari frequentiſſimum, praeſidis et tutoris nomine, dum rex Catholicus in regno eſſet, cum pompa proximo Martio admitteretur; ad hoc adjutus a Chriſtiana Daguerra Franciſci [a] Agutii Saltuenſis comitis vidua, quae clientelis potens, in quam partem propendebat, magnum ad res gerendas momentum afferebat. Verum illa, poenitentia ſubeunte, ſive quod promiſſa non repraeſentarentur, nec facta verbis reſponderent, ſubito mutavit, et pleroſque e nobilitate a Sabaudi partibus alienavit. Hanc et alii cauſam addunt, quod Berrae bello captae cum praefecturam uni ex ſuis peteret, idque ſuis meritis deberi putaret; repulſam a Sabaudo paſſa, eam tanquam injurioſam ad animum revocaverat. Itaque Sabaudus, qui Maſſiliae jam ſpe devoratam poſſeſſionem e faucibus eripi nollet, ut eam vi retineret, per emiſſarios ſuos famam ſpargi curat, in occulto regiis partibus addictos, quos vulgo [b] Bigarratos vocabant, quaſi diverſicolores dicas, inſidias parare; eoque praetextu [c] Petrus Bonus Medullianus S. Victoris coenobium in altera portus parte, loco edito, haud longe ab arce quae vulgo [d] Noſtra Domina in ſpecula dicitur, ſitum occupat, ſeditione per urbem excitata; cui componendae cum ſe ultro arbitrum offerret Sabaudus, copiis etiam admotis, ut eo colore urbem praeſidiariis impleret, mutata repente rerum facies, et homines jugi et dominatus violenti impatientes omiſſo a Bigarratis artificioſe intentato metu vireis ſociant, et Medullianum Sabaudi viribus ſubnixum, et ejus nomen nimis ſaepe inclamantem, poſtremo expugnatum urbe pellunt; ab eoque tempore Sabaudi patrocinium ſemper ſuſpectum habuerunt. Dum Sabaudus circa Maſſiliam occuparetur, Valeta captata occaſione poſt [e] Dignam deditione captam, quo omnem provinciam ſubjectam in poteſtate haberet, ad [f] Benas caſtellum in radicibus montium ſitum caſtra ponit XII Kal. Dec. et admotis tormentis cum parum proficeretur, et auxilia a Diguierio promiſſa ſpe ſerius advenirent, ſatis pro tempore factum ratus, ſi aliqua obſidionis ſpecie locum premeret, in imo propugnaculo a ſe capto locum militi recipiendo tutum munit: ſed rurſus accidit, ut voto citius res Maſſiliae, quae Sabaudi vireis diſtinebant, compoſitae ſint, recepto [g] Sanvictorino coenobio et Medulliano urbe pulſo. Cum igitur Sabaudum cum totis viribus ad ſe venientem videret, obſidionem propere ſolvit, reductis [h] Mezolium in tutum tormentis, qui pagus eſt haud longe a Benis ad imum montium pedem poſitus. Mox a Sabaudo miſſus [i] Ponteveſius Carſae comes, ut milite et commeatu Benas firmaret, qui ſi inopinato caſu perculſos regios eo die adortus eſſet, certam de iis victoriam reportare potuiſſe creditur. Sed conceſſo ad colligendum ſe ex ſubito pavore militi ſpatio, Valeta impavidus dux minime ſe deſeruit, relictoque ad tormentorum cuſtodiam idoneo numero, cum reliquis copiis ſub veſperam exit, et Carſium in caſtris ſuis ultro petit: poſt leve certamen ſubortis tenebris cum quiſque ad ſua conceſſiſſet, Carſius Benas firmaſſe in tranſitu contentus, noctis obſcurae ſilentio uſus in viam ſe dat, et fruſtra inſequentibus regiis copias ad [k] Vinonem tranſmittit. Quo ubi venit Valeta, cum loci ſitus arrideret, ut ponte rebus gerendis opportunus, ad fraenandas excurſiones, et prohibendum commeatum qui ad Aquenſeis illac importabatur, eum ſervare et munire ſtatuit; et [l] Meſpleſio cum CCCC ſcloppetariis impoſito, Benas revolat, ut munimenta circum exſtrueret, copiis [m] Manoſcum ablegatis: ſed cum vix ea coepta eſſent, cognoſcit Sabaudum cum II colubrinis ad Vinonem caſtra poſuiſſe, atque ſuburbium, quod, cum locus moenibus nudaretur, relictum erat, occupaſſe, ita ut praecluſo ab ea parte aditu, et amne minime vadoſo, [n] Verdonem vulgo vocant, alluente, miles in eum immitti non poſſet. Itaque quod loci firmitati deerat, praeſidii virtute ſuppletum eſt. Per biduum

INTERPR. [a] *d'Agout comte de Sault.* [b] *les Bigarrats.* [c] *Pierre Bon baron de Meuhon.* [d] *Noſtre Dame de la Garde.* [e] *Digne.* [f] *Beynes.* [g] *l'Abbaye de S. Victor.* [h] *Mezel.* [i] *de Pontevez comte de Carces.* [k] *Vinon.* [l] *le Sr de Meſples.* [m] *Manoſque.* [n] *le Verdon r.*

biduum pulſatae munitiones ex lapide ſine calce opera tumultuaria ſtructae. Cumque in eo hoſtes eſſent, ut oppugnationem tentarent, Valeta cum IↃ equitibus et IↃC ſcloppetariis ſupervenit, nondum comparentibus copiis a Diguierio promiſſis; tantum ad eum venit [a] Gubernetus cum L delectis e nobilitate, quibus viribus fretus, quanquam longe hoſte inferior, potius proelii aleam ſubire vel cum manifeſta pernicie decrevit, quam committere, ut obſeſſorum periculum contempſiſſe videretur. Itaque condicto univerſis ad conveniendum haud longe Vinone loco, XII Kal. Jan. ſic aciem inſtruit, ut [b] Buoſius cum CL equitibus praecederet, [c] Sancanato ad laevam ante collocato cum XX loricatis, et aliquo ſcloppetariorum et volonum globo. [d] Montaltus cum CL item eodem ordine ſequebatur; poſt eos Valeta cum CC incedebat. Gubernetus ultimum agmen ad fortuita ſepoſitum ducebat. Cum eo ordine progrederentur regii, obviam ad Vinonem habuere Sabaudum tranſmiſſo amne ad eos venientem cum IↃ CCC equitibus et IↃ peditibus, cetero peditatu ad cuſtodiam tormentorum in ſuburbio loci obſeſſi trans amnem relicto. Is omnem equitatum in tria agmina diſtribuerat, ſecus oram fluminis. Buoſius interim impreſſionem acrem fecit, Sancanato ita tempeſtive cum volonibus in latus incumbente, ut agmen ſolveretur, eoque facilius Buoſius ſubierit, quem ſtatim hortante Valeta et per ordines diſcurrente ſubſecutus Montaltus altera impreſſione hoſtem loco pepulit, ac tandem in fugam vertit. Multi caeſi, plures amne vicino hauſti; qui enatare potuerunt ad ſocios ſe receperunt. Noctis ſuperventu, nam ſub Solis occaſum pugna commiſſa eſt, Sabaudus periculum evaſit; nocte media per ſummam trepidationem ſoluta obſidio, nam ſub id Meſpleſius cum ſuis erumpens excubantem ad tormenta ſtationem trucidavit. Deſiderati ex hoſtibus circiter C, et in his [e] Vinciguerra Sanbonifacius comes, et E. [f] Fortia Avenionenſis, qui equitum turmam ducebat. Ex regiis tantum VI, et totidem ſauciati, in iiſque Sancanatus, qui magna virtutis et induſtriae militaris laude eo die certavit. Hoſtes ad [g] Rianium et Pauli-fanum perfugium habuere. Valeta victor [h] Sparronem conceſſit, et non intermiſſo itinere [i] Martigiam, in ſpem [k] Berrae recuperandae erectus, et civitatem ac loca opportuna et Maſſiliae hinc inde circumpoſita in fidem accepit.

VI. IN Provincia et Delfinatu dum haec agerentur, circa Genevam minime ceſſabatur. Nicolaus [l] Harlaeus Sancius poſt Henrici III mortem in Germaniam miſſus ut delectus haberet, cum ſuperiore anno ineunte jacturam copiarum feciſſet, ad Helvetios ſe contulerat. Poſtea cum [m] Turenium in Germaniam miſſum videret, et aliquot cum eo colloquiis habitis nullum operae ſuae pretium eſſe cognoviſſet, [n] Baſileam conceſſit, ubi rei gerendae occaſionem captanti, indicio allatum eſt C aureorum CIↃ per homines militum ſpecie ex Italia Philippi nomine tranſportari; quos per delectos obſervari, et in inſidias perductos in [o] Rhinfeldia ſylva ſpoliavit: commodumque accidit, ut tunc tres equitum turmae ab Andrea [p] Huralto Meſſio, regio apud Venetos oratore, in eorum ditione ſcriptae advenerint, ducibus Pauſania [q] Brachiaduro, Mutio Portio, cum quo et Leonardus ejus frater erat, Vicentinis, et Nicolao [r] Naſio Florentino, qui profuſo aleae ludo apud nos et tota Italia notus charitatem Galliae exuere non poterat, et partim ſua pecunia, partim Portii liberaliter credita eas turmas egregie inſtruxerat; quibus ex Philippica pecunia numerato ſtipendio Sancius Genevam venit, ut bellum Sabaudo per Provinciam graſſanti ab ea parte faceret, et vires ejus diſtraheret. Scripta et legio Helvetiorum duce [ſ] Dieſpachio nobili Bernate. His copiis ſubnixus, cum [t] Lurbinio, qui jam regis nomine

INTERPR. [a] *de Gouvernet.* [b] *de Buous.* [c] *de S. Canat.* [d] *de Montaut.* [e] *Vinciguerra Conte di ſan Bonifacio.* [f] *de Fortias d'Avignon.* [g] *Rians, & S. Pol.* [h] *Eſparron.* [i] *Martigues.* [k] *Berre.* [l] *de Harlay Sancy.* [m] *Vicomte de Turenne.* [n] *Baſle.* [o] *Foreſt de Rhinfeldt.* [p] *Hurault Sr de Meſſe.* [q] *Bracciaduro, & il Conte Mutio Porto.* [r] *Naſi.* [ſ] *Dieſpach de Berne.* [t] *de Lurbigny.*

nomine Genevae praeerat, et [a] Conforgino, qui rem proſpere ſuperiore anno geſſerat, incunte Januario ad [b] Buringam caſtra ponit, admotiſque tormentis locum verberat; et cum Neapolitani et [c] Inſubres equites nec opinato ad [d] Rupem ſuperveniſſent, Brachiadurus, Portius, et Naſius, ut erant inermes, in eos impetum faciunt, et per latus incumbentibus aliquot ſcloppetariis, qui ad ſtrepitum accurrerant, fundunt, et L circiter ex iis interficiunt, et in iis Chriſtophorum Guevaram Hiſpanum. Id Brachiaduri aſtu factum quidam memorant, qui periculo periculum, in quo verſabatur, diſcutiendum ratus, inter ſuos de induſtria ſpargendum curaverit, quaſi a tergo auxiliares venirent; quo audito Hiſpani, ne undique intercluderentur, vetiti fugam protinus capeſſiverunt. Continuata poſtridie verberatione obſeſſi cum animum deſponderent conditiones ſed ampliores quam ut concedi poſſent, popoſcerunt, juſſique ſine conditione dedere ſe, hoc addito, ſi oppugnatione caperentur, fore, ut ad unum omnes trucidarentur, illi territi per poſticum in pontem arci ſubjectum, ideoque a noſtris incuſtoditum, elabuntur, et inde Bonam confugerunt. Ex iis octo interfecti, tres capti, quorum unus vitam ſalvam pactus carnificis officio functus eſt, et duos ſocios laqueo necavit. Buringa aliquandiu ſervata, poſtea muris nudata fuit, et rurſus a Sabaudo inſtaurata. Reliquum menſis excurſionibus inſumptum, eoque exeunte Joannes [e] Calvimontius Guitrius a nobis ſaepius commemoratus, vir bello expertus, a rege miſſus cum [f] Anglurio Otricurio ejus vicario et CCC equitibus ac CIↃ IↃ peditibus Genevam venit. Ejus adventu confirmatis oppidanorum animis, Helvetiorum legio ex [g] Gexenſi praefectura in Thononenſem deſcendit; tum Kal. Feb. Guitrii juſſu V tormenta ad [h] Verſoviam nuper ab ipſo Sabaudo captam admoventur, et actutum noſtri impetum in oppidum faciunt, a CCL bellatoribus cuſtoditum; quod poſt aliquod certamen capitur et crudeliter diripitur, graſſante inter Gallos licentia minime tunc refraenata. Plerique ex defenſoribus interfecti; XXC circiter qui ſuperfuerunt, in arcem quam [i] Compoſius tuebatur, confugerunt. Is poſtridie cum juſſus dedere ſe ſuperbe reſponderet, ad eam partem, quae [k] Euronoton reſpicit, pulſatur arx, et poſt centum ictus diſploſos cum murus lapide quadrato et latere cocto ſtructus ob craſſitudinem minus labefactaretur, cunei acti, in quos ignis conjectus VIII Eid. triginta ex praeſidiariis abſorpſit; quorum pernicie territi ceteri deditionem faciunt. Compoſius et III ordinum ductores cum enſe et pugione exire permiſſi, et L milites, qui ſuperabant, ſine armis et impedimentis dimiſſi. Copioſa annona in arce reperta, quae VI CIↃ aureorum aeſtimata eſt. Inde ad [l] Evianum municipium in lacus ripa poſitum, cujus arcem [m] Bonvillarius olim Monmeliani praefectus cum CCC delectorum praeſidio tenebat, promota caſtra: juſſus praefectus regis nomine locum dedere, cum recuſaret, diſploſa tormenta, et captum primo impetu ſuburbium non ſine noſtrorum jactura. Tum crepitaculo admoto refractae portae et direptum pari crudelitate ac licentia municipium, magna praeda abacta ac tabulatis aedificiorum revulſis; neque hoc contenti noſtri cum municipibus incendium deprecantibus, hoc enim ſolum ſupererat, II CIↃ aureorum pacti captis vadibus tranſegerunt. Triduo poſt arx loco paludoſo in lacus ripa ſita, eoque contra cuneos tuta, et pomoerio optime firmata, ac annona copioſa inſtructa, a Bonvillario, vitam et res ſalvas ſibi ſuiſque pacto, deditur. Vaſtato circum agro regius exercitus [n] Bonam verſus iter intendit exeunte Februario, per loca impedita et luto corrupta vix deductis duobus tormentis ad Buringae pontem; quibus ad [o] Polingam arcem admotis,

INTERPR. [a] *le baron de Conforgien.* [b] *Buringe.* [c] *Milanois.* [d] *la Roche.* [e] *de Chaumont Sr de Guitry.* [f] *d'Anglure Sr d'Autricour.* [g] *Bailliages de Gex & Thonon.* [h] *Verſoy.* [i] *le Sr de Compois.* [k] *le nord-eſt.* [l] *Eſvian.* [m] *de Bonvillars gouverneur de Montmelian.* [n] *Bonne.* [o] *Poulinge.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

admotis, praeſidiarii ſe ſtatim dediderunt. Poſtea cognito [a] Amadaeum cum [b] Olivare, Treſortio marchione, Sonnate, Caſtrinovi comite, aliiſque belli ducibus et IↃ CCC loricatis equitibus ac IIII CIↃ peditum partim Italis, partim Hiſpanis et Sabaudis appropinquare, tormenta a noſtris Genevam reducuntur, et cuncta ad fugam inſtruuntur: non placebat Olivari, cui et Amadaeus aſtipulabatur, ut ulterius procederetur, aut quidquam temere tentaretur. Sed Sonnas aliique, qui noſtros in dies imminui et multis difficultatibus conflictari ſcirent, contra cenſebant, et ad exiſtimationem pertinere arbitrabantur, hominum exterorum in alieno impune graſſantium licentiam reprimi, itaque auctores Amadaeo fuerunt, ut proelii aleae rem committeret. Noſtri Polingam et [c] Viſeriam arces deſeruerant, et omiſſo [d] Foſſiniaco agro circa urbem, ne a majore numero circumvenirentur, copias contraxerant. Eorum diſceſſu Buringae pontem reficiendum curat hoſtis, traductoque peditatu per pagos Bonae circumpoſitos hoſpitia ſuis diſtribuit. Erant in ejus caſtris V CIↃ peditum, IↃC loricati, CCCC ſcloppetarii equites. Noſtri loco edito ſupra [e] Monthovium aciem inſtruunt ſub meridiem IIII Eid. Mart. rati, oſtentatione virium utrinque facta, cunctos caſtra ſua mox repetituros, neque de ſumma rerum eo die actum iri. Verum contra evenit. Nam IↃ ſcloppetarii ex omnibus legionibus delecti, agmen noſtrorum, CIↃ paſſuum ſpatio ab aliis ſeorſim ad ſervandam caeduam ſilvam et ſepes ac macerias in imo colle, ſepoſitum, totis viribus aggreſſi pugnae initium fecere, quos ſequebatur Olivares cum circiter IↃ CCC itidem delectis. Noſtri loco pulſi cum cederent, a Guitrio ſummiſſi CCCC ſcloppetarii e [f] Cantalii et [g] Sancheronii legionibus, qui laborantibus ſociis praeſto eſſent; quibus et additae III [h] Sanremigii regiae cohortes. Jamque hoſtes ſepibus et maceriis potiti in planiciem ſubjectam progrediebantur, quaſi de victoria certi, et ad Helvetios uſque pervenerant, cum [i] Conforginus captato tempore, cum pars tranſiiſſet, pars trans ſepes adhuc maneret, ſeriatim incedenteis loco anguſto invadit, et antequam ordines inſtruxiſſent, acri impreſſione fundit, cacditque. Sonnas ipſe ante alios pugnans cum pleriſque e nobilitate occubuit, cujus morte territi ſui trans ſepem ſe recipiunt, inſequentibus noſtris uſque ad foſſam, in cujus ulteriore ripa Amadaeus et Olivares cum robore exercitus ſtabant. Ibi reſtiturum certamen, ſcloppetariis integris fugienteis adjuvantibus. Noſtri poſt caedem ſtragemque huc illuc ſparſi in agmen vix tandem coeunt, et rurſus aciem ordinant, et in conſpectu hoſtilis exercitus vim ſuſtinentis reliquum diem exegerunt. Ex hoſtibus deſiderati circiter CC, ſpectantibus ſuis a noſtris per otium ſpoliati. Nocte inſequenti hoſtes vaſa conclamant, et trans [k] Arvam copias ad [l] Rupem et Bonam-villam ſubducunt, ponte ad Buringam poſt tranſitum rupto. Regii jampridem belli pertaeſi, et urbi moleſti X Kal. Apr. per [m] Sequanos et Romani monaſterium ad ſua ſe receperunt. Sancius in caſtra regia venit ob rem bene geſtam magna gratulatione exceptus. Conforgini loco [n] Caumontius et Caronius Genevae ad exitum anni manſerunt. Poſtea excurſionibus utrinque tantum certatum, in quibus XVI Kal. Quintil. [o] Ermanſius regulus captus, diuque Genevae aſſervatus; et cum evadere conatus eſſet, rurſus arctiore cuſtodia incluſus, donec pretio grandi exſoluto libertatem recuperavit.

VII. GUITRIUS a Jo. [p] Aumontio equitum tribuno, qui in [q] Heduis, [r] Boiis ac vicinis provinciis bellum ſtrenue magis quam feliciter adverſus Carolum [ſ] Sabaudum Nemoroſium gerebat, evocatus, protinus cum legionibus, quae ſuperabant,

et

INTERPR. [a] *Don Amedée frere bâtard du duc de Savoie.* [b] *Olivarez, le marquis de Treſort, le Sr de Sonnas, & le comte de Chateauneuf.* [c] *Viſerie.* [d] *Foſſigny.* [e] *Monthou.* [f] *de Chantal.* [g] *de S. Cheron.* [h] *Baron de S. Remi.* [i] *Baron de Conforgien.* [k] *l'Arve r.* [l] *la Roche, & Bonneville.* [m] *la Franche Comté, & Romain Monſtier.* [n] *le Sr de Chaumont, & le capitaine Caron.* [o] *le baron d'Armanſet.* [p] *le mareſchal d'Aumont.* [q] *Bourgogne.* [r] *Bourbonnois.* [ſ] *de Savoye duc de Nemours.*

et [a] Brachiaduri, Portii, et Naſii equitum alis ad iter ſe accingit, in quo variis difficultatibus ac calamitatibus conflictatus eſt. Nam a [b] Treſortii marchione [c] Sebuſianorum, hodie Breſſam vocanr, praeſide, II Brachiaduri et Portii turmae interceptae ac ſpoliatae ſunt. Capti Leonardus Portius, [d] Tarquinius Ancaranus comes ejus legatus, Thomas [e] Fulgoſius, qui Guitrii militiae ſponte nomen dederat. Bartholomaeus [f] Nievus comes Vicentinus vulnere accepto vix ſe fuga hoſti eripuit, ut et Brachiadurus, qui cum ſuis per ſylvas latitans, ceterum amiſſis equis et impedimentis, periculum evaſit; commodumque accidit, ut in Ladonis tranſitu ex ſuperiore ripa ad humiliorem, in qua [g] Balanſonus Treſortius ſtabat, tenderent, et veluti ex editiore loco cum hoſte pugnarent, Guitriumque qui alia jam parte tranſierat, auxiliarem haberent. Tranſmiſſo flumine, quod reliquum periculi fuit, quamvis cum majore numero et forti milite ſemper eertanres, virtute diſcuſſerunt, hoſte nunc in latus incumbenre, nunc ulrimum agmen carpenre, et ad Aumontium vix tandem Eidibus Maiis pervenerunr. Is tunc de [h] Auguſtoduni obſidione cogitabat, quam principem Heduorum civitatem, et epiſcopali ſede decoratam Bibracte olim Julii Caeſaris temporibus fuiſſe quidam purant, poſtea de ſucceſſoris ſui nomine ita dictam, et tandem Flaviam Heduorum cognominatam a Conſtantino Claudii filio, ut ex Panegyrico Eumenii rhetoris conſtat. Ut ut ſe res habeat, eam, quae nunc eſt, ampliſſimam olim et populoſiſſimam fuiſſe arguit circuitus murorum, qui ſeptem milliaria complectitur, et theatri, columnarum, pyramidum, ſtatuarum, et antiqui operis innumera monumenta, vaſcula, numiſmata et id genus, quae in ea viſuntur, et quotidie effodiuntur, verum hodie majorem partem vaſta et hortis ac campis conſitis occupatur. Ad auſtrum habet Ceniſium montem miti jugo aſſurgentem, ad cujus radices arx eſt, inter meridiem et occaſum muro cincta, qui eam a reliqua civitate ſeparat, in cujus medio Martis campus eſt, qui et nunc nomen retinet, CIↃ paſſuum ſpatio, novo murorum ſpatio circundatus, oppidanis frequens; ad ſeptentrionem [i] Arotro amne clauditur, ab eaque parte firmior eſt. Adventu Guitrii Aumontius in propoſito confirmatus ex Ceniſio monte, qui arci et urbi imminet, verberationem inſtituit, diſpoſitis in eo aliquot minoribus tormentis, potius ad terrorem obſeſſis incuriendum, quam quod inde aliquod operae pretium ſperaret; interim tentati oppidanorum animi, dum majora tormenta et pulvis [k] Joannis Alnetenſis-fano adveherentur; et omnis verſus contra arcem impetus, quod ea capta, reliquam civitatem in poteſtate proculdubio futuram appareret. Dum tormentis detonatur, cunei agi coepti, dumque aguntur, de [l] Cabilonis arce longe toto illo tractu munitiſſima ſpes injecta, quam minime negligendam cenſuit Aumontius: eam tenebat [m] Artuſius, qui olim cohortis unius regis nomine Mirandulae praeſidio deſtinatae dux fuerat, et conditionibus certis cum Aumontio tranſigere ſe paratum oſtendebat. Eae erant ut XXXII CIↃ aureorum ob praeterita ſtipendia militi numerarentur. Tum condicta die ad tradendam arcem delecti mitterentur, et ab Artuſio admitterentur ad cogendos oppidanos et praeſidiarios, ſi qui forte inter eos eſſent, qui parere recuſarent; cum ſerio et bona fide id agi putaretur, ditiores ex oppidanis, qui foederatorum dominationem peroſi regium imperium malebant, ultro de pecunia exſolvenda fidem interpoſuerunt, et XX CIↃ praeſenti pecunia, XII reliqua intra annum ſe ſoluturos promiſerunt. [n] Meduanii id permiſſu ab Artuſio factum, qui per eam fraudem ab oppidanis grandem illam ſummam exigi, et eadem via ſuſpectos detegi poſſe affirmabat. Aumontius, quo res majore ſilentio procederet, relicto ad obſidionem Gul.

[o] Saulio

INTERPR. [a] *Bracciaduro, il Conte Mutio Porto, & Naſi.* [b] *Treſort.* [c] *la Breſſe.* [d] *il conte Tarquinio Angarano.* [e] *Fregoſe.* [f] *Nievo Vicentino.* [g] *de Balanſon marquis de Treſort.* [h] *Autun en Bourgogne.* [i] *Riviere d'Aron* al. *d'Aroux.* [k] *S. Jean de l'Auſne.* [l] *Citadelle de Châlons.* [m] *Sr de l'Artuſie.* [n] *Duc de Mayenne.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

[a] Saulio Tavanio tanquam provinciae vicario, et Imberto [b] Marſilio Siperra tanquam caſtrorum praefecto, ad vicinam arcem conceſſit. Ceterum illi, male concordes, oppugnationem non exſpectato [c] Aumontii reditu praecipitant, et igne in cuneum immiſſo, antequam terra per ſe levis et arenoſa ſubſediſſet, militi ad vim faciendam dant ſignum, qui ſcalis admotis, dum confertis ordinibus enititur, dehiſcente terra umbilico tenus fere abſorptus eſt: tum eodem tempore a defenſoribus foſſa introducta; et ad alteram partem, in qua defenſores a tormentis ſummopere infeſtati, pro ruina conſiſtere vix poterant, vis a regiis facta. Nihil ulterius eo die, qui in IIII Non. Jun. incidebat, actum, niſi quod majore praeſidiariorum quam noſtrorum clade diſceſſum eſt. Deſiderati ſiquidem ex obſeſſis CC a tormentis diſcerpti; ex noſtris tantum XXX occiſi ſive vulnerati. Eam cladem poſtridie ulti ſunt praeſidiarii eruptione facta, in qua plerique e noſtris occiſi, Franciſcus [d] Magdalenus Ragnius utriuſque regii torquis eques graviter vulneratus eſt. Septimo poſt die delecti a Sipetra C ſcloppetarii et L loricati, ſecundum pacta ad Artuſium duce [e] Berga mittendi. Convenerat autem inter eos, ut C ſcloppetarii in foſſam deſcenderent; loricati ad portam urbis ſignum exſpectarent, quo praeſidiarii eruptione facta cum iis ſe conjungerent. Dum noſtri profunda nocte incedunt, [f] Artuſius ſuſpectos, et eos maxime, qui de pecunia fidem obligaverant, ſummo ſilentio in urbe comprehendendos curat; tum per pomoerium foſſae, in quam noſtri exſcenſuri erant, imminens levia tormenta catenis, clavis, et aliis quiſquiliis ferreis referta diſponit. Poſt exſcenſionem Berga in munitionem ſubterraneam amicitiae ſpecie, ut cum Artuſio colloqueretur, deductus, ſigno dato cum paucis, quos ſecum duxerat, captivus ſiſtitur, tormentiſque mox diſploſis plerique ex militibus, qui in foſſa erant diſcerpti; reliqui ut nocte ad angulos propugnaculorum confugientes peſtem evaſerunt: loricati ex fragore fraudem conjicientes ſe fuga ſubduxerunt. Artuſius fraude procedente a ſuſpectis oppidanis, qui ditiores erant, non ſolum ſummam conventam metu mortis intentato exegit, ſed praeterea XX CIↃ aureorum. Ceteros partim exilio, partim aliis ſummis mulctavit: quoſdam etiam capite plecti juſſit. Aumontius ſpe ſalſus [g] Auguſtodunum redit, quod advectis interea Fano Joannis tormentis per arcem majore quam antea vi verberare coepit, ad exiſtimationem pertinere ratus, ut damnum nimia credulitate ab Artuſio datum aliquo inſigni ſucceſſu ſarciret. Itaque XIIII Kal. Quintil. cuneo acto, et igne injecto, cum eodem tempore noſtri in aciem inſtructi in XIIII agmina diviſi ſtarent, ad tubae ſonum oppugnatio totis viribus tentatur. Nec minor obſeſſorum virtus fuit, qui Artuſii ludificationem Aumontio exprobrantes cum contumelia et laſcivia ex editiore loco pugnantes ad extremum noſtros repulerunt. Hic ultimus ad Auguſtodunum conatus fuit, poſt quem cum labi animos ſuis videret Aumontius, et Nemoroſium cum recentibus copiis Lotaringia ſummiſſis adventare cognoviſſet, tormenra duo propere [h] Solilocum ſubducit. Ipſe cum aliis [i] Semurium concedit, et [k] Flaviniaci parte copiarum relicta in [l] Lingones proficiſcitur, ibique Gaſparem Schombergium [m] Nantolii comitem cum IↃC Germanis equitibus ad ſe venientem opperiri ſtatuit. Jamque Pontificiae copiae poſt acceptam a Diguierio ad [n] Charrae-pontem cladem, cum [o] Camberii Helvetiorum legionem accepiſſent, per [p] Sebuſianos facto itinere in [q] Sequanos deſcenderant, cum ad [r] Lugdunum Salinatum magna verborum acerbitate inter novum [ſ] Montis-Marciani ducem et Petrum [t] Cajetanum ejus vicarium certatum fuit, ex qua ad manus proculdubio deveniſſent, niſi [u] Mattucius archiepiſcopus, qui [w] curatoris

munere

INTERPR. [a] *de Saulx Sr de Tavannes.* [b] *de Marcilly Sr de Cipierre.* [c] *le mareſchal d'Aumont.* [d] *de la Magdelone marquis de Ragny.* [e] *Berge.* [f] *de l'Artuſie.* [g] *Autun.* [h] *Saulieu.* [i] *Semur.* [k] *Flavigny.* [l] *Langres.* [m] *Nautueil.* [n] *Pont Charra,* [o] *Chambery.* [p] *la Breſſe.* [q] *la Franche-Comté.* [r] *Lion le Saunier.* [ſ] *Monte-marciano.* [t] *Gaetano.* [u] *Motteucci.* [w] *Proveditor di Campo, ou commiſſaire des vivres.*

munere in caſtris fungebatur, ſuas partes interpoſuiſſet, qui Cajetano auctor fuit, ut tempori cederet, et cum bona pontificis venia ab exercitu diſcederet. Ejus loco ſuffectus eſt [a] Appius Contius, qui antea praefecti caſtrorum officio fungebatur. Cajetanus in Italiam per Helvetios tendens in itinere ab iis aliquandiu retentus eſt, quod cardinalis ejus frater, cum Lutetiae eſſet, pro ſtipendio debito fide juſſiſſet, vix tandem miſeris precibus et implorata juris gentium religione, quam violari aiebat, dimiſſus.

VIII. NEMOROSIUS poſt defenſam ſumma fortitudinis et prudentiae laude Lutetiam cum bona gratia Pariſienſium ad Lugdunenſem praefecturam conceſſerat, ad res gerendas, et ſpes immodicas, quas vaſti ingenii adoleſcens ambitioſo animo coquebat, magis opportunam, et in [b] Boiis, Seguſianis, Arvernis, Heduis, et ipſe et per legatos, bellum impigre adminiſtrabat: [c] Biſſio caſtello nuper in Matiſconenſi agro, et [d] Eſpoſia arce, inſigni hominis hoſpitio perbenigne a Ludovico [e] Anſinvillio Revillonio loci domino excepti perfidia, captis. Cumque propriae vires non ſufficerent, jam ante Carolum [f] Colinium Andelotum Gaſparis filium ſuperiore anno circa Lutetiam captum et ad ſuas partes perductum [g] Mediolanum miſerat cum Philippicis miniſtris acturum, ut copiae auxiliares in Galliam deſtinatae per provincias curae ſuae commiſſas iter facere juberentur. Sed nihil tunc impetratum; ac ne quidem obtinere potuit, ut qui in [h] Sequanis erant, in Heduos deſcenderent. Nam novo imperatori ſtabat, antequam quidquam tentaret, cum Parmenſi vireis conjungere. Itaque per [i] Lotaringiam iter perſequitur, ac [k] Virodunum tandem pervenit, jam appetente autumno; quo ad eum magna cum gratulatione venere Carolus Lotaringiae dux, Meduanius, et Camillus Capiſuccus, quem Parmenſis proximo anno, cum in Belgium reverteretur, in Gallia reliquerat. Heic luſtratus exercitus, traductis per urbem copiis et numeratum militi ſtipendium, integro adhuc equitatu; ceterum peditatu morbis, laboribus, itineriſque longi incommoditatibus admodum fatigato et imminuto, qui per circumpoſitos pagos ad reficiendum ſe diſtributus eſt; tantumque interim temporis elapſum eſt, ut priuſquam inde diſcederetur, de morte pontificis allatum ſit. Quo nuncio perculſis ducibus et ipſo exercitus imperatore, negligentius deinceps adminiſtrata omnia. Franciſcus Jouſa cardinalis ante aliquot menſeis Romam venerat, Antonio Scipioni fratri in Septimania bellum gerenti ſuccurri petens, et acri ſtudio legationem Avenionenſem ambiebat: quo; veluti in medio poſitus arbiter, res foederatorum in [l] Provincia et Septimania adjuvaret. Ipſe, et Octavius Paravicinus, cardinalis nuper creatus, in Philippi familia ſive aula olim adultus, ob idque legatus in Galliam deſtinatus, cum in eo eſſent, ut ad auxiliarem exercitum proficiſcerentur, in urbe remanſerunt, ut comitiis novo creando pontifici intereſſent.

IX. JAM ex quo ſummum magiſtratum inierat Gregorius aliquoties recurrente morbo lethali vexatus fuerat, hoc eſt, febre continua ac fluxu, qui ex continuis et vehementibus preſſuris naſcebatur; ad quas accedebat difficultas urinas expellendi ob calculi jam inveteratum malum, et exeunte Septembri in tantum excreverat, ut de eo jam actum putaretur. Itaque Cajetanus cardinalis tanquam magnus Camerarius ſtatim evocatus eſt, ut annulum piſcatoris pro more frangeret. Poſtea tamen ex illo paulum convaluit, ſed mox recidivo extinctus eſt Eid. Oct. cum primo, vocatis cardinalibus, gratias egiſſet, pro ſumma dignitate in ſe collata, excuſata in magiſtratus adminiſtratione negligentia, atque infirmitati ſuae imputata. Poſtremo eos oravit, ut

INTERPR. [a] *Appio Conti.* [b] *Bourbonnois, Forez, Auvergne, & Bourgogne.* [c] *Biſſy en Maſconnois.* [d] *d'Eſpoiſſe.* [e] *d'Anſſinville Sr de Revillon.* [f] *de Coligny Sr d'Andelot.* [g] *Milan.* [h] *la Franche Comté.* [i] *Lorraine.* [k] *Verdun.* [l] *Provence & Languedoc.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV.

ut quamprimum e vita exceſſiſſet, dignum ſuprema ſede virum eligerent. Tum poſt commendatos Sfondratum cardinalem, alioſque fratrum filios, bullam de non alienandis eccleſiae bonis juxta Pü v diploma promulgavit. Aperto poſt mortem corpore in veſica repertus calculus duarum unciarum quadratus. Eadem nocte corpus in S. Petri baſilicam deportatum, et ſine pompa in Gregoriano ſacello ſepultum fuit. Vixit annos LVII, ſedit menſibus x, diebus x, quo tempore totum illud quinquies decies centena CIↃ aureorum tanta parſimonia et aviditate a Sixto v congeſta abſumpſit, majorem partem in belli Gallici ſumptus; quod quam injuſte et impudenter ſuſceptum, tam infelicem ac dignum conſilio exitum habuit. Sed et in ſublevanda annonae anguſtia ſe munem praebuit, c coronatorum CIↃ liberaliter depenſis. Tanta autem fuit ejus caritas non ſolum in urbe, ſed et aliis Italiae civitatibus, ut frumenti menſura, quam vulgo [a] Rubrum vocant, xxx aureis ac pluris venderetur: ac penuria ejus pleriſque locis omnino eſſet; adeo ut multi fame miſerabili perierint, herbas nequicquam per agros vellentes, quas mortui adhuc in ore habere conſpiciebantur. Cum frumentum non ſuppeteret, confectus eſt panis ex fabis, milio, hordeo, aliiſque ejuſmodi leguminibus; et in ſolatium tenuiorum indultum eſt, ut quadrageſimali tempore, quo ſive caritas ſive penuria major eſſe coepit, carnibus veſci liceret. Itaque paſſim aves mactatae, quibus promiſcua multitudo victitabat. Ad hanc publicam cladem, qua pontificatus ejus notabilis fuit, et alia acceſſit febrium licet minime contagioſarum malignitas, cum fluxionibus continuis ac ventris flatibus, quorum acrimonia plerique in delirium incidebant, conjuncta. Origo mali a capite erat, nec ultra decimum diem eo correpti durabant. Cauſam ejus medici rejiciebant in continuos imbreis et inſolitas ſuperioris anni inundationes, quas immodiei aeſtus exceperant; quibus accedebat pravus corporum habitus ex peſſimi alimenti ſucco tempore famis contractus. Huic remedium quaeſitum ſecta vena capitis, quae in brachio eſt, aliiſque e capite manantibus. Corripiebantur eo maxime viri, qui xxx aetatis annum attigerant, et L nondum exceſſerant: nam obſervatum pauciſſimas mulieres eo extinctas. Morbi hujuſmodi praecipue graſſati ſunt in [b] Umbria Flaminia, Etruria, Aemilia. In quibuſdam Umbriae caſtellis ad unum omnes extincti, in aliis totae familiae conſumptae ſunt. Superat fidem quod certo affirmatur, in ſola urbe a Sextili praecedentis anni, quo incendi morbus, ad Sextilem proximum exeuntem, quò remitti coepit, LX plus minus hominum CIↃ ea peſte periiſſe. Fuit credulo, ſimplici, ac facili ingenio Gregorius, ex inepta rictum diducendi, et renidendi conſuetudine plane ridiculus; alioqui et pius et liberalis et abſtinens, et cum nulla unquam muliere conſortium habuiſſe creditus. Privatuſque major, quam in magiſtratu habitus. Omneis ſponſiones ſanctione publica prohibuit ac reſcidit. Inſtante Michaele [c] Bonello cardinali Alexandrino Dominicano monachos cardinaleis galero rubro donavit; cum antea uſu receptum eſſet, ut galeros geſtarent colore in ſuo cujuſque collegio uſitato. Itaque VII Eid. Maias inter ſacra peragenda in aede SS. Apoſtolorum ipſi Alexandrino, Conſtantino Sarnano Franciſcano, Hieronymo [d] Bernerio Corregienſi itidem Dominicano, et Gregorio [e] Petrochino Montelparo profeſſione Eremitae Auguſtiniano rubrum pileum impoſuit. Mortuum laudavit Vincentius Blaſius [f] Garſias Valentinus.

X. SEDES poſt ejus mortem vacavit XV dies. Novendialibus precibus exactis, altero, poſtquam in conclave itum eſt, die, Joannes Antonius [g] Fachinetus cardinalis [h] Bononia natus, magno omnium conſenſu, quippe Philippica et Sixtana factione in idem votum concurrentibus, pontifex renunciatus eſt IIII Kal. Nov. feria tertia, ſole-

INTERPR. [a] *Rubbio.* [b] *l'Umbrie, la Romagne, la Toſcane & la Lombardie.* [c] *Bonello.* [d] *Bernerio da Correggio dit le cardinal d'Aſcoli.* [e] *Petrochino di Montelparo.* [f] *Garſia de Valence.* [g] *Fachinetti.* [h] *Bologna.*

ſole ad occaſum vergente, et Innocentius IX dici voluit. A morte Sixti jam aliquoties in cooptatione pontificum ejus mentio ſacta fuerat. Et pro omine futuri magiſtratus acceptum eſt, quod cum Gregorio deceſſori ſuo ad obedientiam praeſtandam in genua procideret, inſula de capite pontificis in caput ejus deciderat; et cum cubicula in conclavi cardinalibus pro more diſtribuerentur, ſuum evenerat, in eo loci, ubi cum conſiſtoria habentur, ſella pontificia ſolet collocari. Dum pontificio amiƈtu indueretur, ante omnia bullam de non alienandis eccleſiae bonis confirmavit; eamque ſibi praecipuam curam fore profeſſus eſt, ut annonae eſſet in urbe copia et laxitas, et tenuioris plebis egeſtati ſubveniretur. IIII Non. Nov. qui in Dominicam incidebat, inſignia magiſtratus et coronam ſumpſit non in S. Petri ſcalis, ſicuti prius fieri aſſueverit, ſed commodiore loco, ex quo liber in ſcalas eſſet proſpectus; ſumptuſque fieri conſuetos CIƆ aureis minuit: poſtridie conſiſtorium celebravit, et poſt gratias pro dignitate in ſe collara actas, multa ex uſu reipublicae, quae ſacere apud animum ſuum conſtituerat, propoſuit; ut arcanum aliquod aerarium ſeponeretur, inprimiſque illud ad neceſſarios ſanctae Sedis uſus et populi ſublevandas calamitates. Si quid comparandum aut emendum eſſet, id niſi praeſenti pecunia fieri vetuit, dicebatque ſe, quandiu privatus, praeſul, cardinalis fuiſſet, ſemper a contrahendis debitis abhorruiſſe; eundem morem velle pontificem effectum ſervare: inſita ingenii et in negotiis tractandis tarditate nihil fere toto magiſtratu egit, feriis deliberationibus in anni ſequentis initia rejectis. XV Kal. Jan. duos cardinaleis creavit Antonium Fachinetum, ſuum ex ſorore pronepotem, et Philippum Segam epiſcopum Placentinum in Gallia vices legati gerentem, Philippi et Parmenſis commendatione, qui Segam maxime averſo a rebus noſtris animo eſſe noverant. Deſtinaverat animo L CIƆ aureorum ſingulis menſibus in bellum Gallicum exſolvenda, quouſque rex Catholicus in regno crearetur; quae ab eo tempore procederent, ex quo Parmenſis exercitum hoſtilem ad hanc expeditionem in Galliam induxiſſet. Decreverat et ad commoditatem navigationis portum Anconitanum purgare, ut a ſuis poſtea vulgatum eſt, et juxta [a] Mauſoleum in Tranſpontinae veteris regione alveum excavare, aquis, ne Tiberis per urbem regurgitaret, receptandis idoneum. Verum haec praeclara conſilia mors ſubita interrupit, febre ſuperveniente, quae virum corpore gracilem et jejuniis effoetum intra octiduum confecit. Obiit IV Kal. Jan. circa horam XIII nocturnam, luna deficiente, cum LXXII annos vixiſſet, ſedem II menſeis tenuiſſet: quo tempore S. [b] Salvatoris in Lauro aedes ornatiſſima incendio fortuito conſumpta eſt. Fuit in victu ſobrius, et tantum ſemel in die cibum ſumebat ſub veſperam: gravis in moribus ac ſermonibus; in colloquio nihilominus comis, et adeuntibus affabilis. Meditabatur et ſcribebat multa; lucubrationes etiam ſuas quaſdam publico dare conſtituerat. Corpore procero et macilento cum eſſet, purioris aeris aſpiratione et ſubdialibus deambulationibus gaudebat; de cetero ad corrigendam imbecillitatem, nam inferioris corporis partes fere in eo frigebant, in lecto decumbebat, cum ſtudiis operam dabat, aut adeuntibus ob negotia copiam ſui faciebat; adeo ut clinicus vulgo vocaretur. Cum juri operam in adoleſcentia dediſſet, totum ſe negotiis tractandis poſtea applicuit, ob idque lectione eorum, qui politica ſcripſerunt, praecipue oblectabatur. In cardinalis Farneſii familia primos fortunae ad majora olim tendentis progreſſus fecit, ejuſque commendatione [c] Neocaſtrenſis epiſcopus in Calabria a Pio IIII creatus eſt, ac ſub ejus cognomine ſucceſſore apud Venetos orator foederi inter pontificem, Philippum, et ſenatum contra Turcos ſanciendo egregiam operam navavit. Demum a Gregorio XIII in collegium cardinalium cooptatus, tandem meruit ut non ſolum magno conſenſu pontifex crearetur, ſed etiam diu antequam crearetur, omnium

judicio

INTERPR. [a] *près du Chateau St. Ange, au quartier del Borgo de là le pont S. Ange.* [b] *San Salvatore in Lauro.* [c] *de Nicaſtro.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

judicio dignus ſupremo eccleſiae magiſtratu haberetur. Poſt ejus mortem interregnum menſem I, diem I fuit, fere a laſciva armatorum ad privatas ultiones diſcurſantium licentia quietum: quippe animis in triſti famis, quae tot mortaleis etiam in urbe abſumpſerat, et annonae caritatis ſpectaculo adhuc defixis, nec a metu graſſantium morborum adhuc liberis.

XI. INTEREA apud nos in urbe, Hiſpana factio per Sexdecimanos in dies valeſcebat, homines nequam et famelicos, qui Zelotae diei gaudentes nihil pejus pace metuebant, alioſque pacis conſilia ſectantes tanquam Politicos et Sectariorum fautores inſectabantur, eorumque bonis inhiantes omnem occaſionem captabant, qua alicujus criminis ſpecie in eorum poſſeſſionem manus injicerent. Ii auctoritate propria, qua jus et imperium in militareis praefectos, et magiſtratus, tam ſacros quam civileis, turbatis rebus uſurpaverant, conventicula aliis atque aliis locis, ut libebat, quo magis laterent, celebrabant, in quibus inſcio Meduanio conſilia reipublicae pernicioſa, et conjurationes in omneis bonos ac Meduanium ipſum agitabant. Quod minime Placentinum latebat, praecipuum horum conſiliorum auctorem et ſuaſorem, et qui hoc unum agebat, ſicuti ex literis ejus ad Parmenſem ſub id a rege interceptis conſtitit, ut Meduanium et [a] Belinium urbis praefectum omni auctoritate ſpoliaret, Coloſſum, et vulpem verbis ad contemptum effictis eos appellans; et antiquos regni magiſtratus abrogaret, novis ſuffectis, qui regis Catholici auctoritatem in regno ſtabilirent; ad id pecunia largius in emiſſarios ſpargenda opus eſſe ſubinde inculcans: ejus inventum fuit ad vexandos pacificos et bonos civeis, ut jusjurandum S. Unionis toties pejeratum quaſi ſolemne ſeditionis carmen repeteretur, et epiſcopus urbis cardinalis Gondius ad illud praeſtandum adigeretur. Ipſe Gondius ob abſentiam vectigalibus ſuis indigne privatus antea petierat, ut cum dignitate et ſecuritate ad urbem venire poſſet. Verum conditiones in jurejurando appoſitas, quae cunctos regiae familiae principes a ſucceſſione excludebant, cum probare non poſſet, datis [b] Noſiaco fratris arce, in quam ſeceſſerat, ad praepoſitum mercatorum, et aedileis literis VIII Kal. Jul. ſe prolixe excuſavit, incuſata Placentini ſive temeritate ſive imprudentia, qui formulam jurisjurandi praeter voluntatem et mandatum pontificis perſcripſiſſet. Nam neque hoc jugum ſibi a Sixto impoſitum; et cum ſuper ea re illum per literas conſuleret, an id vellet juberetque, nihil reſpondiſſe. Ad Gregorium et poſtea ſcripſiſſe, idemque ab eo reſponſum tuliſſe. Has literas expoſtulationis et gravitatis plenas cum miſiſſet Gondius, Henoticorum nomine V Eid. Jul. reſponderunt prolixo ſcripto Joannes [c] Bucerus S. Benedicti curio, Poncerus, Depreus, Martinus Anglus, N. Bretta, et probatum a Sixto et ſucceſſoribus ejus ſacramentum, eo quod miſſis toties breviculis et laudata Henoticorum pietate minime illud expreſſe improbaverint, oſtendunt; inſtantque, ut ei cum ceteris idem in religionis cauſa ſentientibus ſubſcribat, ad purgandas ſuſpiciones ex eo in multorum opinione natas, quod cum anno ſuperiore extremae neceſſitatis tempore ad colloquium miſſus eſſet, eo ſoluto non in urbem, ut obſeſſos ſolaretur et ad patientiam hortaretur, rediiſſet, ſed ad propria conceſſiſſet, Pariſienſibus deſertis, quaſi de ſalute publica deſperaret, neque eorum miſeria aut calamitate moveretur, aut affectu, quo patres erga filios affici debent, tangeretur. His literis praefracta audacia ſcriptis cum epiſcopi ſui conſcientiae vim, quam ille deprecabatur, attuliſſe viderentur, ſi ad ipſos veniret; ſin recuſaret, jure ſuo cum eo tanquam contumaci agere ſe poſſe confiderent, ſenatum ipſum aggredi ſtatuunt, et in ejus principem, quo periculo tanti viri ceteris terrorem incuterent, atrox facinus moliuntur.

XII. BARNABAS

INTERPR. [a] *d'Averton Sr de Belin.* [b] *Noiſy.* [c] *Boucher Curé de S. Benoiſt, Poncher, Deſprez, l'Anglois, & Brette.*

XII. Barnabas [a] Briſſonius feliciſſimo vir ingenio, ſive literarum ſtudia ſive negotia forenſia tractaret, ex advocato admodum famoſo primum fiſci patronus, poſt Vidum [b] Fabrum; dein poſt Pomponium [c] Bellevreum curiae praeſes creatus, non ſolum inter literatos ſcriptis pleriſque editis, ſed in republica, ac praecipue in foro, magnum nomen meruerat. Verum ambitio in eo erat [α] immodica, adeo ut impotenti primas in ſenatu tenendi deſiderio, cum ceteri praeſides collegae aut fuga ſibi conſuluiſſent, aut Baſtilia incluſi eſſent, abrogata a rege defuncto curiae ob rebellionem urbis auctoritate, facile ſibi perſuadere paſſus ſit, ut in ea nihilominus maneret; ratus ſe eadem facilitate, quam in explicandis cauſis forenſibus experiebatur, plebis efferatae animos moderaturum, et urbem, ut aiebat, regi legitimo ſervaturum; neve in externorum manus deveniret, prudentia ſua et ingenii dexteritate impediturum. Poſtea tamen homo in litium tricis, quam in republica adminiſtranda magis verſatus, ſero ſenſit ſe involutos in errores delapſum, quibus extricare ſe nunquam citra capitis periculum poſſet; audituſque eſt ſaepius cum amicis non ſine gemitu et ductis ex imo pectore ſuſpiriis diceret, ſe a Sexdecimanis ad macellum ſervari. Nec triſti de ſe augurio eventus defuit. Nam ex illis effraenatiores cum viderent virum primaria dignitate praeditum tempori obſecundantem praeſentia diſſimulare, futura circunſpicere, et ad quieta conſilia inclinare, ab eo principium tentandae populi et Meduanii ipſius patientiae facere voluerunt, quantum ulteriora ferre poſſent. Itaque menſe Novembri [d] Burſerius, [e] Lud. Morinus Cromaeus magni conſilii aſſeſſor, [f] Pelletarius S. Jacobi in macello curio, [g] Gurlinus, Bruerius pharmacopola, Matthaeus Launaeus (qui [β] principem locum in iis conciliabulis ſemper tenuit) alii, diverſoria quotidie mutantes tandem cenſuerunt, e republica eſſe, ut ex omni numero X bene erga religionem affecti deligerentur, qui arcana negotia cum plena poteſtate tractarent, de quibus tamen ad generale concilium referrent. Sorte ducta nomina, et iis, qui nominati ſunt, [γ] adjuncti Jo. [h] Hamiltonus S. Coſmae curio, B. Martinus Sorbonae doctor; quibus mandatum, ut de perverſo ordine in [i] Brigardi, qui urbi ſyndicus fuerat, cauſa uſurpato apud ſenatum querimoniam inſtituerent. Hic quaeſitus color tam frequentibus conventiculis, ne qua ſuſpicio ex iis oriretur. VI Eid. Nov. proponitur jusjurandum ab Unionis ſociis ſeu praeſtandum ſeu repetendum, et Joannes [k] Clericus Buſſius ſeditioſorum anteſignanus quaſi ex machina a Matthia Bruerio, in cujus aedibus eo die Sexdecimani convenerant, introducitur, qui illud exigeret; quoque in fraudem facilius ſimplices inducerentur, eoque univerſi obligarentur ad tuenda ea, quae pauci et facinoroſiores patraſſent, formula minime tunc perſcripta eſt; quod ad id majore otio opus eſſe diceret Buſſius. In pura charta nomina tantum appoſita ſunt, cum die, quo id actum eſſet; relicto ſpatio vacuo, in quo formula jurisjurandi, et capita ejus diverſa poſtea perſcriberentur. Id querelis quorundam cauſam dedit, qui aegre rei, quam ignorabant, ſe ſubſcribere teſtabantur; tamen cum viderent jam multorum aſcripta nomina, et ipſi non auſi contra mutire, ſua appoſuerunt; conjectura ex eo facta, quaſi plus his coitionibus ageretur, quam quod ſimulate conciperetur. Tandem cum Brigardi cauſa in factioſorum ore eſſet, re vera nihil in ea promoveretur, quidam minime conſcius ab uno ex complicibus inter

VAR. LECT. [α] immodica, et avaritia uſque ad ſordes foeda, quae ejus animum totum occupabat, adeo MSS *Reg. & Samm. Put & Rig.*

[β] qui olim preſbyter, poſtea ejerata majorum religione miniſter uxorem duxerat, ejuſque pertaeſus ad ſacra redierat; is principem *Ed. Gen.* 1620. *in Ed. tamen Gen.* 1626. *Puteano, forte quia in Lib.* 95. *antea habita fuerunt, monente, omiſſa ſunt.*

[γ] adjuncti Chriſtophorus Sanguinaeus ſacri collegii ſodalis, Jo. Hamiltonus MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Briſſon.* [b] *du Faur Sr de Pibrac.* [c] *de Bellievre.* [d] *Bourſier.* [e] *Cromé.* [f] *Pelletier, Curé de S. Jacques de la Boucherie.* [g] *Gourlin, la Bruyere, & Launoy.* [h] *Hamilton, Curé de S. Coſme.* [i] *Brigard, procureur de la ville.* [k] *Buſſy le Clerc.*

CIƆ IƆ XCI.
HENRICUS IV.

inter arcana quaeſivit, quid die illa in conventibus ſecretis decretum eſſet: ille vero nihil aliud reſpondit, quam Buſſio datum negotium, ut Sorbonae doctores ſuper re magni momenti conſuleret, an ea executioni citra conſcientiae detrimentum demandari poſſet: quod occulti facinoris ſuſpicionem auxit. Tandem cum coetus hujuſmodi ſaepius in Bruerii et Launaei aedibus celebrati eſſent, in iiſque ad avertendos ab ſuſpicione animos ſemper de repetendo ſacramento propalam a Buſſio chartam eandem nominibus plenam, de cetero vacuam ſinu promente, actum eſſet; nocte, quae XVII Kal. Dec. praeceſſit, ante Pelletarii presbyterium conjurati in armis comparuerunt, et ſummo mane Pelletarius ipſe cum Bruerio ad [a] Ligoreti Hiſpani hoſpitium juxta fanum [b] Euſtochii perrexit, cum breviculo a Buſſio, [c] Luſcario, Cruceo, Solio, Santionio ſubſcripto, quo ſumptorum armorum cauſae excuſabantur; ſimilis argumenti breviculum ab iiſdem ſubſignatum ad Alexandrum [d] Montium Neapolitanorum ducem ab Hamiltono et aliis perlatum eſt; eodemque tempore miſſi, qui Briſſonium praeſidem in ſenatum venientem ad [e] minus Caſtellum ſiſterent; qui miſerum hominem nihil tale cogitantem ad S. [f] Michaelis pontem nacti, per vicum ad dextram poſitum, quaſi in publicis urbis aedibus exſpectaretur, avertunt, et cum ſub fornice Caſtelli minoris eſſet, in horrendum carcerem detrudunt, ubi [g] Cromaeum hominem ſibi infeſtiſſimum paludatum obvium habuit, qui ſtatim ipſum galero dempto in genua procumbere juſſit. Tum ſententia contra eum tanquam divinae humanaeque majeſtatis reum peractum, et proditionis convictum lata recitatur; qua audita ille attonitus quaeſivit primum, quibus ab judicibus condemnatus, quibus indiciis ac teſtibus convictus eſſet. Cum hanc defenſionem riderent adſtantes, et quod inſtaret agere eum juberent, ad miſeras preces converſus mortem deprecatus eſt, et muris includi ad abſolvendum opus, quod morte ejus magno reipublicae detrimento peribat, petiit. Tandem poſt caſſas preces vix ſpatio ad peccata confitendum conceſſo, ad ſcalam tigno affixam, Cromaeo urgente, ſuſpenditur: et compreſſis laqueo faucibus a carnifice necatur, coram Buſſio aliiſque complicibus. Eodem mox alii duo ſiſtuntur in via comprehenſi, Claudius [h] Arcerius curiae ſenator, homo vita innocens et nodoſa arthritide plane confectus; iſque ubi [i] Briſſonium ex ſcala pendentem vidit, dum ſententia pronunciatur, Cromaeum legentem interrupit, et poſt tantum virum tam crudeliter morti datum vitam ſibi moleſtam inclamavit, nihilque cunctatus, poſtquam cum ſacerdote fidele colloquium habuit, ad mortem ſe ſumma conſtantia compoſuit. Alter fuit Joannes [k] Tardivius Rutius in inferioribus ſubſelliis conſiliarius, vir bonus et ingenuus, qui eandem fortunam ſubiit. Huic a conjuratis crimini datum, quod nuper in publico conventu liberius quaedam in [l] Sexdecimanos dixiſſet; et Ludovici Gonzagae Nivernii, in cujus familia ipſe ſuique incrementa fortunae ſuae ceperant, commentarium de horum motuum cauſis Sixto V inſcriptum, et multa contra Lotaringos et foederatos amarulenta continentem per urbem ſparſiſſet. Corpora injurioſe interfectorum poſtridie e carcere producta, et ante [m] aedeis urbanas in Ripenſi platea totidem patibulis ignominioſe affixa, cum elogiis calumnioſis ad ſpectaculum furenti plebi per biduum proſtiterunt, ac poſtremo ab amicis noctu exportata et ſepulturae mandata ſunt. Ad factionem Hiſpanam privati etiam odii ſtimulos acceſſiſſe ferunt, quibus incenſus Cromaeus tantum facinus auſus fuerit. Origo ejus haec fuit, quod, parente ejus quaeſtore repetundarum ab Ordinibus Burgundiae ante XXV annos poſtulato, Briſſonius Ordinum cauſam ſuſceperat, et quibuſdam actionibus valde elaboratis, ex quibus magnam famam ſibi conciliaſſet, cum peregerat reum: nam haeſiſſe acerbae rei in animo filii infixam memoriam;

et

INTERPR. [a] *Ligoreto.* [b] *S. Euſtache.* [c] *Louchard, Crucé, Soly, & Sainction.* [d] *del Monte.* [e] *le petit Chaſtelet.* [f] *Pont S. Michel.* [g] *Cromé.* [h] *Larcher, conſeiller au parlement.* [i] *Briſſon.* [k] *Tardif Sr du Ru.* [l] *les Seize.* [m] *l'Hotel de ville en la place de Greve.*

et quanquam apud aequos rerum aeſtimatores, praeſertim poſt tot annos, neceſſitate muneris id excuſari meruerit, non tamen deſerbuiſſe ardens ultionis deſiderium, quam tandem homo truculentus tempore captato expleverit.

XIII. Hoc facto Sexdecimani non ſolum ſenatum et juſtitiae lumen, cujus fulgorem ferre non poterant, extinctum putabant, ſed ipſum Meduanium ad multa, ut ipſi jactabant, conniventem, neque res ad libidinem ipſorum adminiſtrantem in ordinem redactum, ſibi perſuadebant; nihilque jam obſtare, quin ex arbitrio ſuo cuncta agerent ferrentque, regnique ſucceſſionem vacuam et incertam in quem vellent transferrent; quippe exemplum principis urbis alias tota Gallia civitates, ſicuti in defectione feciſſent, mox ſecuturas: itaque quo tenderent eorum conſilia, ut omnibus manifeſtum facerent, literas XII Kal. Dec. ad Philippum dant, per Claudium [a] Matthaeum Jeſuitam, qui jam alias Philippi ad eos attulerat, ad eum perferendas, quibus poſt actas ſolemneis gratias tanquam parenti et tot beneficiis meritiſſimo de ſe patrono multis verbis Carolum Guiſium Henrici protomartyris Galliae, ſic eum vocabant, filium commendant, deque ejus liberatione laetiſſimum nuncium accepiſſe ſe Sextili proximo dicunt, Catholicis fauſtiſſimo; nam anno CIↃ IↃ LXXII eodem menſe Sectarios ad internecionem in urbe deletos, occiſo Caſtellionaeo maris praefecto, et per ejus mortem Belgium ac ceteras ejus provincias, quibus ille bellum intentaturus venerat, eo metu liberatum: nuper regem, qui ultione ardens urbem, quam exitio deſtinabat, circumſederat, morte coelitus immiſſa oppreſſum; et anno ſuperiore, cum urbs ad extremas anguſtias redacta eſſet, et fame victa intra triduum aut quatriduum deditionem factura crederetur, ſuppetias tempeſtive a Parmenſi ipſius juſſu latas. Nunc vero poſt tot eladeis, vectigalibus privatorum ademptis, publicis in bello conſumptis, ex quibus plerique vitam tolerabant, omni commercio, quo regni opes conſtabant, adempto, prope cunctos ad deſperationem adactos, atque in ſola ipſius patrocinii umbra conquieſcere, eaque ſpe ſe ſuſtentare: et cum videant cuncta in pejus ruere, confuſis divinis humaniſque juribus, et Gallos unius dominationi aſſuetos ſine rege diutius eſſe non poſſe, reſtari, hoc omnium bonorum ardentiſſimum et conſtantiſſimum votum eſſe, ut ipſe regni clavum accipiat, aut per ſe adminiſtrandum, aut ab eo, quemcunque ſereniſſimae ejus filiae generum deſtinaverit; cujus auguſtiſſimum numen propter ingenteis ac vere heroicas virtutes, quas in ejus ſanctiſſima mente relucere ſciant, jam nunc ſuſpiciant, ac venerentur; tamque fauſtum ac ſalutare regno fore ſperent, quam olim [b] Blancae Caſtellenſis B. Ludovici matris fuerit. Praeter has literas alia ſecreta mandata eidem Claudio Matthaeo tanquam fidiſſimo miniſtro data, de quibus coram cum Philippo ageret. His literis, quae in itinere a Gilberto [c] Chaſerone Boiorum praeſide interceptae ſunt, et ad regem miſſae, ſubſcripſere B. [d] Martinus [α] theologus, Gilbertus Genebrardus doctor et profeſſor regius, [e] Solius, Turquetus, Olivarius Menagerius, Rainſantius, Nic. Amelinus, Luſcarius, L. M. Cromaeus, Iſnardus Capella Nicaeenſis, Joannes Hamiltonus, Cruceius, et Acarius Rationalium magiſter, Matthaeus Launaeus, Matthias Bruerius.

XIV. Verum hi longe opinione ſua falſi ſunt: nam Meduanius vir juxta generoſus et prudens, qui tunc in Sueſſionibus erat, cum Hiſpanorum id ſuggeſtione factum intelligeret, ut ipſi omnem auctoritatem abrogarent, et plebem ſcelere obligatam ac deſperatione veniae ad partes ſuas applicatam inſolubili nodo conſtringerent, graſſanti perditorum hominum audaciae obviam ire ſtatuit; et quanquam in eo eſſet, ut

VAR. LECT. [α] theologus, Chriſtophorus Sanguinaeus, Gilbertus MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le Pere Mathieu.* [b] *Blanche de Caſtille.* [c] *de Chazeron, gouverneur de Bourbonnois.* [d] *le Docteur Martin.* [e] *Sely, Turquet, Menager, Rainſant, Ameline, Louchard, Cromé, Iſnard la Capelle de Nice, Hamilton, Crucé, Acarie maiſtre des comptes, Launay, & la Bruyere.*

CIϽ IϽ XCI.
Henricus IV.

ut ad Parmenſem cum exercitu auxiliari venientem ſe conferret, omni alia re omiſſa Lutetiam revolat, aſſumpto ſecum Ludovico [a] Hoſpitalio Vitrio. Erat in urbe [b] Didacus Ibarra Philippi orator, ferox natura, et acri vir ingenio, rei conſcius, qui cum praeter ſpem exacerbatos civium a partibus Hiſpanis diſſidentium, non autem ſicuti [*] ſibi perſuaſerat, conſternatos animos videret, id tantum agebat, ut factum diſſimulatione tranſigeretur, et Meduanio licentiam refraenandam cenſenti adverſabatur; in factionibus quaedam praeter jus facienda, plura patienda dictitans; alioqui fore, ut, dum in retinenda diſciplina laboratur, alienentur potius animi, quam in obſequio contineantur: nam fere privatis affectibus ſingulos duci, quibus couſque prudenti rerum moderatori indulgendum eſt, quouſque rebus in tuto collocatis, eorum, quorum ſcelere offenditur, opera non amplius egeat. Ad haec minas et ſeditionis metum addebat. Contra Meduanius retinendae auctoritatis, quam illi ereptam ibant, certus, opus exemplo eſſe dicebat ad amoliendam invidiam, qua ab adverſariis apud alias civitates onerabatur, quaſi id ageret, ut opulentas ubique familias novis ac ſceleratis hominibus ad praedam exponeret, et everſis regni legibus antiquam nobilitatem aboleret, novumque imperium in Gallia fundaret. Itaque nihil moratus Ibarrae adſectatas rationes, et in propoſito a Vitrio confirmatus, qui ultro operam ſuam ad comprehendendos ſceleris auctores offerebat, et rei periculum, quod minabantur Hiſpani, in ſe recipiebat, ante omnia cum [c] Buſſio tranſigit, qui [d] Baſtiliam tenebat, fideque interpoſita, non ipſi fraudi fore, quod in Briſſonii aliorumque caede admiſiſſet, arcem ab illo recepit, [e] Burgumque hominem ſtrenuum ac ſibi fidum cum praeſidio impoſuit: tum per Vitrium comprehendi curat Luſcarium, Bartholomaeum [f] Anruxium trapezitam, [g] Joannem Emonotum cognitorem, et Nic. [h] Amelinum, qui libello ad Henoticorum conciliabulum ante aliquot menſeis porrecto profeſſus, ſe cum aliis in armis fuiſſe, cum in ſenatum manus violentae injectae ſunt, ob id a juriſdictione ejus [α] eximi deprecatus decreti contra ſe facti gratiam fieri petierat. Ii capti et [i] Luparae arce incluſi in ima aula patibulo gula fracta affixi ſunt pridie Non. Dec. qui dies poſtremus tyrannidis Sexdecimanorum, primus reſtitutae quodammodo in urbe libertatis et recuperatae a Meduanio auctoritatis fuit: ab eoque tempore, quam antea potentes ac formidabiles illi, tam inviſi ac deſpicabiles fuere. Fruſtra veſtigatus Cromaeus, qui inter externum praeſidium tutus vitam poſtea miſeram uſque ad regis in urbem ingreſſum toleravit, et ea recepta eum Hiſpanis in Belgium ſine gratiae ſpe conceſſit. Quominus ulterius progrederetur Meduanius, interceſſere Hiſpani; et Joannes [k] Bucerus curio S. Benedicti, homo vecors, Catholicorum bonorum ac Zelotarum nomine orationem expoſtulatoriam ad ipſum habuit, qua publicam ultionem carnificinam, merito ſupplicio facinoroſos affectos Dei martyres, inſigni impudentia vocabat.[*] Ad quam Meduanius prudentia inſita paucis reſpondit, quaedam de obedientia, quae in tam juſtae cauſae defenſione neceſſaria eſſet, et quam paucorum poena ad ceterorum terrorem ſarciri oportuerit, praefatus; de cetero ſe curaturum, ut boni Catholici, metu, in quo eos verſari aiebat Bucerus, brevi ſolverentur. Itaque edictum proponit, quo eorum, qui ſupplicio affecti eſſent, factum deteſtatus, poena publicae ultioni ſatisfactum declarat, et ceteris, qui conſilio participarant, criminis gratiam facit, ab ea exceptis [l] Cromaeo, Hadriano [m] Cocherio, et commentarienſi. Et quia conciliabula illa ſecreta hujuſmodi deteſtandis deliberationibus ac conatibus cauſam dederant, poena capitis in non parenteis ſancita, ea in poſterum prohibet. Id in ſenatu

VAR. LECT. [α] eximi et paupertatem deprecatus MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de l'Hoſpital Sr de Vitry.* [b] *Don Diego d'Ibarra.* [c] *Buſſy le Clerc.* [d] *la Baſtille.* [e] *du Bourg.* [f] *Anroux.* [g] *Jean Emonot procureur.* [h] *Ameline.* [i] *Chateau du Louvre.* [k] *Boucher, Curé de S. Benoiſt.* [l] *Cromé.* [m] *Cochery.*

ſenatu recitatum ac promulgatum magno aſſenſu IV Eid. Dec. Poſtea commentarienſis [a] Meloduni captus capite luit, et urbe recepta carnifex ipſe, qui innocentibus hominibus manus attulerat, laqueo vitam finivit. Enimvero acerrima et maxime exacta mortis Briſſonii ac ſociorum perſecutio fuit, iis, qui in urbe remanſerant, et eandem fortunam ſubire periclitati fuerant, per complicium poenam privatae ultionis deſiderium explentibus; nam moderatiores longe in poenis exigendis regii erant, qui in urbem reverſi depoſito jampridem injuriarum ſenſu gratiam a rege univerſis factam judiciorum ſeveritate minime violandam cenſebant, et indignum atque adeo abſurdum ducebant, cum regis mors, quae ad omneis pertineret, impunita eſſet, tam ſolicite de privatorum injuriis inquiri.

XV. INTEREA rex poſt captum [b] Noviodunum cum delectis copiis in limitem excurrerat, ut auxiliarem Germanorum exercitum, quem [c] Turenius et Anhaltinus ducebant, exciperet. In itinere [d] Sedanum divertit, ut de nuptiis Turenii cum Carlota [e] Marciana contrahendis ageret, quam Gulielmus Robertus frater, Genevae ante triennium moriens, univerſorum bonorum heredem reliquerat; lege dicta, ut viro Proteſtantium doctrinam profeſſo nuberet. Eam ſibi nurum optabat jam pridem Carolus Lotaringiae dux, ut Sedani et Jametii munitiſſimorum locorum acceſſione imperium amplificaret; et poſt fratris mortem bello illato eam pacis conditionem aſcripſerat. Eaſdem nuptias in occulto ambiebat Ludovicus Gonzaga [f] Nivernii dux, qui cum rege tunc erat, et [g] Retelenſem principatum in proximo poſſidebat; nec dubitabat, ſi Carlota viro Catholico nuptura eſſet, quin rex, ſine cujus conſenſu nuptiae contrahi non poterant, eam filio potius ſuo, quam Franciſco [h] Valdemontio Lotaringi filio dari aſſentiretur. Verum ille neutrum probabat, hinc Lotaringum toto eo bello infeſtiſſimum hoſtem expertus, hinc Nivernii fidem ob religionis ſcrupulum ſemper fluctuantis ſuſpectam habens; itaque quo utrumque excluderet, in Tureninm tandem conſenſit, olim exercituum ſuorum imperatorem, et praeter generis ſplendorem ingenio ac virtute praeſtantiſſimum virum; qui tam honorifica adfinitate auctus, de cetero procul a patrimonialibus bonis, quae ampliſſima in [i] Arvernis, Rutenis, Cadurcis, Lemovicibus, et Petrocoriis habebat, quaſi in ſtatione poſitus ad tuendum regni limitem hinc contra ſuſpectum amicum, hinc contra apertum hoſtem obligaretur. Pactis dotalibus confectis rex [k] Attiniacum venit Kal. Oct. cum jam copiae pontificiae [l] Virodunum veniſſent; et primis caſtris cum CIↃ equitibus Gallis et III CIↃ Germanis [m] Granpratum Jouſarum caſtellum profectus, ex exploratoribus cognoſcit Africanum [n] Anglutium Ambliſium cum equitatu Lotaringico, et parte copiarum Meduanii circa [o] Montem-Falconis ad [p] Moſam V a Granprato leucis conceſſiſſe; et cum aliquantum progreſſus eſſet, rurſus cognoſcit eundem caſtra moviſſe, et inter [q] Stenacum et Villam-Francam iter facere, eo conſilio, ut copias ad Almonem a rege relictas adoriretur. Verum ille cognito regis ad Moſam Virodunum verſus tendentis adventu, iter [r] Damvillarium rurſus flexit. Rex [s] Furnerium ſtrenuum virum cum delectis, et poſt cum [t] Givrium levis armaturae per [u] Claromontani comitis abſentiam praefectum mittit, qui hoſtem ad certamen elicerent, quem illi recedentem ſub Viroduni uſque portas inſecuti ſunt: poſtea horrida tempeſtate diu vexati noſtri; qua ſedata, prodeuntibus in aciem hoſtibus velitatia pugna certatum, Carolo [w] Choeſelio Pralinio, Gilberto [x] Curco, et C. Ognio

Argerio

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Noyon.* [c] *le vicomte de Turenne, & le Prince d'Anhalt.* [d] *Sedan.* [e] *de la Marck.* [f] *Nevers.* [g] *Duché de Rethelois.* [h] *de Vaudemont.* [i] *Auvergne, Rouergue, Quercy, Limouſin, & Perigort.* [k] *Attigny.* [l] *Verdun.* [m] *Grandpré.* [n] *d'Anglure Sr d'Ambliſe.* [o] *Montfaucon.* [p] *la Meuſe.* [q] *Stenay, & Villefranche.* [r] *Danvilliers.* [s] *Fournier.* [t] *de Givry.* [u] *de Clermont.* [w] *de Choiſeul de Praſlin.* [x] *de la Curée, & d'Ognies Sr de la Hargerie.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

Argerio immiſſis; quos ſequebantur Carolus [a] Lucemburgus Briennae comes, et Cl. Inſulanus Marivallius: neve impreſſione acriore facta, uti futurum rex judicaverat, a tergo circumvenirentur, datum negotium Carolo [b] Birono, ut aſſumpto ſecum Franciſco Juvenali [c] Urſino Capella cum delectis praeſto eſſet. In pugna cecidere VI ex hoſtibus; Curei et Pralinii equi ſuffoſſi; ipſi incolumes ex certamine rediere. Joannes [d] Vivonus Piſanii marchio cum rege erat, qui forte in Romanum equitem ſibi notum incidens ex eo cognovit, hoſtileis copias tantum IↃ CCC equitibus CIↃ CC peditibus, nam plures morbis et aliis longinqui itineris difficultatibus periiſſe, et III CIↃ Helvetiorum, conſtare: inde rex in Viroduni conſpectu caſtrametatus, cum nemo prodiret, poſtridie movet, et capta Montis-falconis munitione per Granpratum facto itinere alteris caſtris [e] Attiniacum rediit III Non. Oct.

XVI. PAULO poſt, triſtem de morte Franciſci [f] Colinii Caſtellionaei nuncium accepit, qui in arce ſua ad Lupam ex febre acuta deceſſit, annum XXX haud multum ſupergreſſus, cum tot periculis jam in illa aetate defunctus, et magna de ſe fama concitata, ſi diutius vixiſſet, parentis avique gloriam bellica virtute partam etiam ſuperaturus crederetur. Ad haec erat in eo viro mira comitas et rerum, quae ad militarem ſcientiam ſpectant, artiumque Mathematicarum exacta cognitio; erat et machinarum fabricandarum apprime peritus, ejuſque induſtriae recens [g] Autrici expugnatio debebatur. Tunc vero cum fatis conceſſit, navigationem in Indias magno ſtudio adornabat, quippe maris Aquitani [h] praefectus, quam dignitatem rex ut gratum animum erga familiam teſtaretur, filiis conſervavit. Reliquit ex Margarita [i] Dallia Piquinia treis filios et paternae et majorum virtutis heredes, quorum Henricus grandior natu, cum jam magnam de ſe ſpem excitaſſet, legionis in Belgio praefectus in Oſtendae defenſione, [α] poſtea occubuit; ea mors dolorem ex morte [k] Lanovii conceptum in animo regis renovavit, qui eodem fere tempore duobus primariis belli ducibus orbatus quaſi geminata clade vireis ſuas non mediocriter imminutas ſentiebat.

XVII. AUXILIARI exercitu rex ſubnixus, cum conſtituiſſet majore quam hactenus feciſſet conatu bellum gerere, et ad res ſuas firmandas maxime neceſſarium judicaret, aliquam praepotentem provinciam omnino in poteſtate habere, ut ea veluti ad aerarium ſepoſita, inde porro ad alias ſubjugandas expeditior eſſet, de [l] Rotomago obſidendo jam ante conſilium ceperat, qua urbe ditiſſima et totius [m] Neuſtriae metropoli capta univerſae provinciae toto regno opulentiſſimae potens fiebat: nam [n] Aurineas in inferiore Neuſtria epiſcopalem civitatem longa obſidione fatigatam ad extremum deditione receperat [o] Monpenſerius; et tantum [p] Franciſcopolis reſtabat, et [q] Honflorium nuper a [r] Grillonio equite interceptum, quae in aeſtuario [s] Sequanae hinc inde poſita, Rotomago capto, aut in poteſtatem brevi ventura credebantur, aut ita omni ex parte circunſideri poterant, ut quominus rex pacata provinciae poſſeſſione frueretur, impediri non poſſet: ad eam expeditionem ceterae urbes pecuniam et annonam certatim conferebant. Itaque [t] Ebroici, Dieppae, ad pontem Adaemari, Cadomi, ad pontem Arcuenſem magni apparatus facti, et [u] Lupariae proximae nuper captae magna frumenti copia reperta magnum ad eam obſidionem incitamentum fuit; id et ſuadebat maxime Eliſabetha Anglorum regina, ad ſecuritatem ſuam

pertinere

VAR. LECT. [α] *in* Ed. Gen. 1620 *legitur* ante biennium occubuit. *in* Ed. Gen. 1626, 30 poſt-ea occubuit, *emendante* P. Puteano. MS Samm. *definite et recte habet* poſt decennium occubuit.

INTERPR. [a] *de Luxembourg comte de Brienne, & le Sr de l'Iſle-Marivaux.* [b] *Baron de Biron.* [c] *la Chapelle des Urſins.* [d] *de Vivone marquis de Piſany.* [e] *Attigny.* [f] *de Coligny Sr de Chaſtillon ſur Loing.* [g] *Chartres.* [h] *Amiral de Guienne.* [i] *de Dailly de Piquigny.* [k] *de la Noüe.* [l] *Rouen.* [m] *Normandie.* [n] *Avranches.* [o] *Duc de Monpenſier.* [p] *Havre de Grace.* [q] *Honfleur.* [r] *le Chevalier de Grillon.* [s] *la Seine.* [t] *Evreux, Dieppe, Penteau-de-Mer, Caen, & Pont de l'Arche.* [u] *Louviers.*

pertinere exiſtimans, ne foederati in [a] Neuſtria et Armorica, Britanniae imminentibus provinciis, rerum potirentur; ex cujus arbitrio bellum apud nos tunc gerebatur. Quippe ejus ſumptibus exercitus auxiliaris ex parte conſcriptus fuerat, et ex [b] Britannia magnae copiae cum ſtipendio ſubminiſtrabantur, ad quas accelerandas [c] Ruſſius Placius Septembri proximo a rege in Angliam miſſus fuerat. His accedebat et auxiliarium ex Batavia claſſis in illo tractu appulſurae major commoditas, quae multum ad obſidionem illam opis allatura putabatur. Nec ſegniter res in urbe gerebantur. Nam Meduanius cum in [d] Veromanduis eſſet, datis ad oppidanos literis eos ad defenſionem hortatus fuerat, certa ſpe facta auxiliorum, et Henricum [e] Agullionium filium, ut cum ſummo imperio urbi praeeſſet, miſerat. Sed cum is adhuc puer tantae moli per ſe ſupereſſe non poſſet, arceſſitus Franciſcopoli Andreas [f] Brancatius Villarius, ut vicarii ejus partes fungeretur. Dum veniret, conſilium in urbe IIII Non. Oct. coactum, cui delegati e ſacro ordine, ſenatu, Rationalium curia, urbis [g] Major et Aediles interfuerunt. Ibi Agullionius magnitudine rei propoſita ad fortiter ſuſtinendam obſidionem cunctos Pariſienſium exemplo hortatur: Navarrum jam vagis per agrum diſcurſationibus fatigatum haud diu in obſidione duraturum, praeſertim jam praecipitante hyeme, cum qua illi, nec ſolum cum hominibus certamen futurum eſſet. In eo omnem Galliae fortunam ac ſalutem verti, ut durarent, et potius Pariſienſium ſtupendam toto orbe conſtantiam, quam [h] Carnutum ab omnibus damnatam ignaviam imitandam ſibi proponerent: alioqui et Lutetiam regni caput, et ceteras foederatas civitates ad deſperationem adduci, quae poſt pugnae [i] Euriacae infelicem ſucceſſum conſternatis omnium animis ipſa ſola quantumvis periculo propior eoſdem ſpiritus ſervaverit, et extremae patientiae incommoditatibus diu conflictata ad extremum inaneis hoſtium conatus reddiderit. Atqui liberum per mare egreſſum patere, hinc Franciſcopoli, hinc Honflorio amicis, cum omnes ad Lutetiam aditus intercluſi eſſent. Tantum videndum, ut S. [k] Catharinae propugnaculum, et alia in urbe munita loca valido praeſidio firmentur, et diligentes ad portas ſtationes habeantur. Triduo poſt Villarius ad urbem venit cum CIↃ equitibus, CIↃCC peditibus, quorum CC erant majoribus ſeloppetis inſtructi, quos Aemarus [l] Caſtus Geſſanus Dieppae praefecti gentilis ducebat, ad propugnaculi S. Catharinae, [m] arcis urbanae, veteris [n] Palatii, et Santhilarianae portae cuſtodiam deſtinatos. Helvetii et oppidani per alias urbis regiones diſtributi. Poſtridie ad Fanum [o] Audoeni concilio coacto ſuſpecti ex urbe exacti. Aliquanto poſt inſtante Ruſſio auxiliares Anglorum copiae, quae IↃC equitibus, et II CIↃ IↃ peditum conſtabant, duce Roberto [p] Ebroico Eſſexiae comite [q] Bononiam appulerunt, pridie Kal. Nov. ad quos excipiendos decimo poſt die Henricus [r] Aurelianus Longavillae dux Picardiae praeſes venit: hique ſe cum rege ſtatim conjunxerunt. II Eid. Nov. qui B. Martino ſacer eſt, et in Lunae diem incidebat, factum obſidioni initium; cum paulo ante, facto ad [ſ] Caletenſem portam ab Anglis impetu, diſcurſante illac Armano [t] Birono, Edvardus Ebroicus Eſſexii ex fratre nepos Anglici peditatus tribunus prima [u] Rotomagi victima cecidiſſet. Hujus corpus plumbea arca incluſum Angli poſtea ad diſceſſum uſque ſuum diligenter ſervarunt, eo conſilio, ſicuti aiebant, ut facta oppugnationis tentandae copia, illud, per ruinam in urbem victores inferrent, gratiam vel mortuo rependentes, quam vivo debituros ſe ſperaverant; quod cum non contigiſſet, optimi meriti de ſe ducis cadaver in patriam redeuntes ſecum reportarunt. Urbs a meridie Sequanae aeſtuario clauditur, quod ponte lapideo eximii operis jungitur, et in ulteriore

ripa

INTERPR. [a] *Normandie, & Bretagne.* [b] *Angleterre.* [c] *la Place Sr de Ruſſy.* [d] *le Vermandois.* [e] *le duc d'Aiguillon fils du duc de Mayenne.* [f] *de Brancas Sr de Villars.* [g] *le Maire & les Eſchevins.* [h] *Chartres.* [i] *d'Ivry.* [k] *Fort de S. Catherine.* [l] *de Chaſtes Sr de Geſſan.* [m] *le Chateau.* [n] *le vieux palais, & la porte de S. Hilaire.* [o] *St Ouyn.* [p] *d'Evreux comte d'Eſſex.* [q] *Boulogne.* [r] *d'Orleans duc de Longueville.* [ſ] *porte Cauchoiſe.* [t] *le mareſchal de Biron.* [u] *Rouen.*

CIƆ IƆ XCI. HENRICUS IV.

ripa S. [a] Severi ſuburbium habet. Ad ſeptentrionem praealtos colleis impoſitos ſpectat, et ad pedes eorum [b] Albetam amniculum, qui [c] Darnetalium pannificio nobile municipium alluit, tum quaſi in ſuburbano poſitos et laetiſſimos paſcuis campos habet. Ad ortum ſupra viam Pariſienſem in praecelſo aliis contiguo colle S. [d] Catharinae coenobium eminet, quod ante XXX annos a Gabriele comite Mongomerio munitum a regiis, cum urbs obſideretur, primum captum eſt. Tunc vero ad antiquas munitiones novae additae. Ab eadem parte [e] Robeca amnis influit, et juxta [f] Santhilarianam portam intra urbem exceptus XI molatrinis ſervit, et inter [g] Portuenſem et Gulielmi Leonis portas in Sequanam exoneratur. [h] Vetus Palatium forma quadrata in imo angulo, qui [i] Caletenſe ſuburbium altero latere reſpicit, ſitum eſt, et Sequanae altero latere imminet, et a Jacobo [k] Baucamario Menilio praeſide a Meduanio impoſito cum praeſidio tenebatur. Arx ſemidiruta ad occaſum vergit inter [l] Boveroliam, ſed huic propior, et [m] Caletenſem portas ſita. Aliae et munitiones paſſim à centurionibus urbanis excitatae ad turrem [n] Columbariam et Robecam, ad Santhilari#nam, [o] Sanromanum poſticum, [p] Bellovacenſem, Boveroliam et Caletenſem portas; in [q] Caio ipſo inter Gulielmi Leonis portam et [r] Eligianam ac pontem alia munitio inſtituta a Carolo [ſ] Gerulio. Tum deſtructa paſſim ſuburbia, ne urbi officerent, monitis prius inquilinis, ut materiam et caementa mature in tutum ſubducerent. Dein regiones inter duces diſtributae. Menilio Bellovacenſis, [s] Marco Caletenſis, [t] Mouſtanio [u] Martinvillana, Hilariana [v] Cantalupio obvenit. Carolus [w] Siginolſus Neapolitanus rei tormentariae, navigiis armatis infra et ſupra Sequanam Laurentius [x] Anquetilius rei maritime expertus praeficitur. Praecipuae legiones erant [y] Grillonii [z] Honflorii praefecti, [a] Bonifacii, [b] Picardi equitis, et Jacobi Itali. Bironus antequam obſidionem urgeret, [c] Gornacum caſtellum [d] Falazio dedente, et [e] Caudebecum a [f] Curtio recepit, ut laxius verſaretur, neque excurſionibus illac infeſtarentur. Tum averſa Robeca, et uſus molatrinarum per averſionem impeditus, quorum loco obſeſſi truſatilibus uſi ſunt. Prima eruptio ad [g] Gervaſii-fanum fuit, haud longe a Darnetalio a Bonifacio facta. Tum a regiis cum [h] Graverone equitum ductore, qui in praeſidio erat, in arcano actum de [i] Bellovacenſi porta tradenda. Sed conatus fruſtra fuit, re Villario a Graverone detecta, qui ut magis falleret, ſe in regiorum manus obſidem dederat; ex quibus ſe poſtea extricavit. Inde una atque altera eruptione certatum ad S. Catharinae et [k] Turingae lucum, qui [l] Sequanae ab ea parte imminet. Actum inter haec de duello inter [m] Eſſexium et Picardum equitem, miſſis utrinque provocatoriis libellis, ſed nullo ſucceſſu; cum Eſſexius ipſum [n] Villarium peteret, et ille ob ſummam armorum in urbe praefecturam ſe excuſaret. Rex exeunte menſe [o] Francavilla [p] Vernonium venit: inde Kal. Dec. ne quid intentatum relinqueret, quo populos ferocientes ad ſanam mentem adduceret, ad [q] Majorem et Aedileis ſcribit, et literas [r] Alençonio feciali perferendas dat, quibus de affectu ſuo erga ipſos tanquam parentis erga filios praefatus, aliarum civitatum, quas ipſe in fidem acceperit, exemplo ſatis cunctis conſtare dicit, quid ab ejus clementia ſperare debeant; nihilominus Hiſpanorum, qui Galliam rege, regem legitima ſucceſſione ſpoliare cupiunt, aſtu et falſis criminationibus fieri,

INTERPR. [a] *Fauxbourg de S. Sever.* [b] *l'Aubette r.* [c] *Darnetal.* [d] *Abbaye de Ste Catherine.* [e] *Robec.* [f] *Porte de S. Hilaire.* [g] *Portes du Bare, & de Guillaume Lyon.* [h] *le Vieux Palais.* [i] *Fauxbourg Cauchois.* [k] *de Bauquemare Sr du Menil.* [l] *Porte Bouvereuil.* [m] *Porte Cauchoiſe.* [n] *Tour du Colombier.* [o] *Guiebet de S. Remain.* [p] *Porte Beauvoiſine.* [q] *le Quay.* [r] *Porte S. Eloy.* [ſ] *Gerouille.* [s] *le capitaine Marc.* [t] *Halé de Mouſlaines.* [u] *de Martinville.* [v] *de Chanteloupe.* [w] *Siginolſi.* [x] *Anquetil.* [y] *de Grillon.* [z] *Honfleur.* [a] *le capitaine Boniface.* [b] *le chevalier Picard, & le capitaine Giacomo Argenti Ferrarois.* [c] *Gournay.* [d] *de Falaiſe.* [e] *Caudebec.* [f] *de Courcy.* [g] *S. Gervais.* [h] *le capitaine Graveron.* [i] *Beauvoiſine.* [k] *Bois de Turinge.* [l] *la Seine.* [m] *le comte d'Eſſex.* [n] *le Sr de Villars.* [o] *Francqueville.* [p] *Vernon.* [q] *le Maire & les Eſchevins.* [r] *Alençon heraut.*

fieri, ut ipſi in rebellione perſeverent; quippe cum in populorum aureis calumnioſe inſinuetur, ad abolendam Catholicam religionem hoc bellum geri; verum revinci eorum mendacia tot civitatum, quae regi obediunt, teſtimonio, in quibus Catholici et religionis libertate et pacatis conſcientiis fruuntur. Hoc voluiſſe Rotomagenſeis ſcire, ac monere, ut exutam nominis Francici charitatem excuſſo Hiſpanorum jugo rurſus induant, et eandem, quam ceterae civitates aeque Catholicae, ipſi obedientiam praeſtent. Ni faciant, regem viribus et poteſtate a Deo data in ipſos uſurum, et magno ſuo cum dolore urbem ad praedam expoſiturum. Fruſtra Parmenſis opem implorari, aut exſpectari, qui ad ipſos niſi pugnae copiam faciat, venire non poſſit. Nec vero ſimile fieri, illum memorem alterius nuper ad [a] Euriacum commiſſae, idem periculum temere ſubiturum. Literae in aedibus publicis recitatae coram praefecto urbis, et in ſenatu; iiſque lectis Fecialis dimiſſus, et pro reſponſo renunciare hero ſuo juſſus, Rotomagenſeis parum minas ejus curare, nec Deum adeo erga ipſum munem fuiſſe, quin aliquam gratiarum ſuarum portionem populo ſuo Catholico reſervaverit; neque tot civitates deditas idoneos divini erga ipſum favoris fidejuſſores eſſe: et ut humana ope deſtituantur, non defuturum coeleſte auxilium, quo freti minime dubitent, quin haec urbs, in quo Unionis edictum contra Sectarios ante triennium ſolemni ſacramento ſancitum fuit, a crudeli eorum jugo eximatur. Satis ejus ingenium ipſis notum eſſe: nec quenquam ignorare, quid [b] Stampis, quid [c] Lupariae nuper captae, quid denique [d] Vindocini actum ſit; ubi ejus juſſu Jo. [e] Mallius Benchartius et Cheſſeus Franciſcanus theologus extremo ſupplicio affecti ſunt. His exemplis ſatis edoctos quaſi ex unguibus leonem agnoviſſe, neque tali proinde hoſpite egere: quod vero tam invidioſa de Hiſpanis mentione eos oneret, inique facere, quippe cum Germanis et Anglis Galliam impleverit, non ſolum haereticis, ſed juratis Gallici nominis hoſtibus. Itaque ſibi perſuadeat non minores ſibi animos in tutanda vera religione, quam Calviniſtis in deteſtanda haereſi propugnanda, futuros. Remiſſo Feciali primus regis Dernetalium in caſtra venientis contra portam [f] Caletenſem conatus fuit, occupato S. Andreae templo; ex quo mox II colubrinarum infeſta verberatione regii dejecti ſunt. [g] Curtii filius, qui regis partes ſequebatur, lethali vulnere ictus captuſque et in urbem illatus, ex eo paulo poſt deceſſit. Tandem urbs undique cincta, ita ut tantum per mare ad eam aditus eſſet, commeantibus in horas navigiis armatis, quae [h] Franciſcopoli et Honflorio ſolvebant. Tum annona in urbe deſcripta, et inita ratione IV CIↃ modiorum frumenti in ea reperta, ſecali, avena, hordeo, et ceteris leguminibus non comprehenſis, quae plus CIↃ IↃ modios efficiebant. De publico CIↃ IↃ modii empti, modico pretio inter tenuiores diſtribuendi, ita ut libra panis [1] VIII tantum denariis a piſtoribus veniret. Sepoſiti IↃ in militum uſum. Poſtea oppidani selecti, qui arma ferre poſſent; alii ad opera publica deſtinati et in munitionibus Sancatharini propugnaculi, veteris palatii et arcis occupati ſunt. Ruſtici et hoſpites urbe exacti. Tum verſis ad pietatem, quae ubique obtendebatur, animis, VI Eid. Dec. qui in Dominicam incidebat, ſupplicationes magna omnium ordinum et plebis frequentia per urbem celebratae, ſacra peragente ad S. [i] Audoeni epiſcopo [k] Baiocaſſium. Quibus peractis Joannes [l] Dadraeus theologus concionem habuit tempori accommodatam, et ex illo loco II ad Corinthios quem interpretandum ſuſceperat, "Nolite jugum ducere cum infidelibus:" ſibi probare viſus eſt homo vehemens, non licere

INTERPR. [a] *Ivry.* [b] *Eſtampes.* [c] *Louviers.* [d] *Vendoſme.* [e] *de Maillé Benehart, & Cheſſé cordelier.* [f] *Porte Cauchoiſe.* [g] *de Courcy.* [h] *Havre de Grace, & Honfleur.* [i] *St. Oüen.* [k] *l'Eveque de Bayeux.* [l] *Dadré.*

NOT. [1] les Memoires de la Ligue T. 5. p. 112. d'où ce lieu eſt pris, mettent XX. *Put.*

CIↃ IↃ XCI.
HENRICUS IV.

licere Sectarium in regem accipere; et praecepti divini eſſe, pro tam juſta cauſa tuenda non ſolum opes, ſed etiam ſanguinem profundere: ad extremum, ut [a] Inceſtrius Lutetiae ante biennium fecerat, cunctos ſublatis manibus ſacramento adegit, potius mortem oppetituros, quam commiſſuros, ut Henricum Borbonium, qui ſe pro rege gerat, pro rege Franciae agnoſcerent; quippe haereticum relapſum et talem a Sixto V et Gregorio XIV declaratum. Tum jejunia indicta tribus hebdomadis diebus ad avertendam Dei iram, ſicuti concionatores jactabant; ut alii interpretabantur, quo annonae decreſcenti parceretur. Interea a rege ad Santhilarianam portam directa verberatio, quam Villarius terra aggeſta obſtruendam curavit. Eodemque tempore per portam Caletenſem eruptione facta acriter utrinque pugnatum, in qua plus C ex regiis deſiderati; obſeſſi intra portas compulſi, amiſſis circiter L et in iis Sanſulpitio, qui magnum inter oppidanos deſiderium ſui reliquit. Poſtea verſae vites ad Sancatharinum munimentum, in quo [b] Jacobi Itali et [c] Picardi equitis legiones ſtationem habebant. Sed omnia lente et negligenter a regiis adminiſtrabantur, ſive ea adfectata ſegnities fuit, ſive nimia ſecuritas; adeo ut in noſtrorum conſpectu (loci ſitu tantum firmi, quippe in monte arduo poſiti) opera foſſorum coeptae munitiones et conſummatae fuerint.

XVIII. PARMENSIS interim inſtante Carolo [d] Coſſaco Briſſaci comite ſuas res ad profectionem inſtruebat, et ut benevolentiam popularium ſibi conciliaret, poſt conditum contra praedones et piratas edictum, etiam negotiationis commercium liberum fecit cum Batavis et Zelandis, aliiſque populis ac civitatibus quae a Philippo defecerant, excepto certarum mercium, ut armorum, aeris fuſilis, lupuli, goſſipii, aliarumque rerum, edicto, quod VIII Eid. Dec. Bruxellis publicatum eſt, comprehenſarum, uſu. Septimo poſt die [e] Landſecium venit, praemiſſo Didaco Ibarra, ut cum Meduanio, qui in [f] Sueſſionibus erat, de loco, in quo convenirent, ageret, et aliquod oppidum munitum, in quo tormenta deponerentur, ab eo acciperet. [g] Fara Veromanduorum oppidum ad Eſiam in limite ſitum cum opportunum videretur, idque maximopere Hiſpani ſibi tradi expeterent, aliquandiu Meduanius contra pugnavit, cum diceret, illud veluti patrimoniale ac ſuum eſſe, quippe qui jura dotalia a Margarita Navarri uxore ceſſa haberet. Tandem, cum non aliter in Galliam venturum cum auxiliari exercitu Parmenſem videret, nec alium in poteſtate locum idoneum haberet, quo Parmenſi fidem repoſcenti caveret, aſſenſus eſt; eo magis quod praefectum a ſe loco nuper impoſitum donis et promiſſis ab Hiſpano corruptum ſciret, metueretque, ſi non ultro aſſentiretur, fore, ut vel ſe invito oppidum in manus Hiſpanorum traderetur. Is erat [h] Colaſius Montelii Adacmari in Delfinatu vice-ſeneſcallus, quod in ea urbe togati non militaris magiſtratus nomen eſt, homo ſuperbas ſpes ſupra conditionem animo coquens, alioqui homicidiis infamis, qui Florimondi [i] Halvinii Menelei marchionis falſo apud Meduanium delati quaſi conſilia cum rege agitaret, ob [α] idque per ipſum interfecti pretium praefecturam eam tulerat, et ultionem veritus fidem Hiſpanis jam tum obſtrinxerat. Ceterum, ut loci quamvis traditi poſſeſſio quodammodo retineretur, dicta lex, ut praeſidium CCCC Hiſpanorum, quod ad tormentorum in oppido depoſitorum ſecuritatem impoſitum erat, deductis tormentis una et deduceretur. Quod Didaco Ibarrae ſumme diſplicuit, indignanti Meduanium, quamvis in milite et pecunia ab Hiſpanis petenda aſſiduum flagitatorem, nihil niſi aegre Hiſpanis viciſſim concedere: ſive id gentis ſuſpectae

VAR. LECT. [α] idque Meduanii juſſu aut permiſſu inſidioſe per MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Linceſtre.* [b] *le capitaine Giacomo Argenti Ferrarois.* [c] *le chevalier Picard.* [d] *de Coſſé comte de Briſſac.* [e] *Landrecy.* [f] *Soiſſons.* [g] *la Fere ſur Oyſe.* [h] *Colas vice-ſeneſchal de Montelimart.* [i] *de Halwin marquis de Piennes.*

ſuſpectae odio faceret; ſive quod ita exiſtimaret, quantum exteris in regno concederetur, tantum de auctoritate ac dignitate ſua decedere. Itaque et coram in conſiliis et per literas apud Philippum eo nomine Meduanium exagitabat Ibarra. Verum Parmenſis eo aequior id coram diſſimulabat, in literis ad Philippum rem verbis Ibarrae tangere contentus. Ne tamen occaſionem, quae ſe in manus dabat, negligere videretur, ſumptuum tantorum ab hero ſuo in id factorum et porro faciendorum rationem haberi cupiens, antequam ulterius pergeret, quid Philippi voluntatis eſſet, aperire, et quid Meduanius ac ceteri principes ac proceres, qui foederationi nomen dederant, ſuper ea re cenſerent, cognoſcere voluit. Igitur cum Guiſam veniſſet, et cum Catharina [a] Clivia Guiſii matre, pro filii nuper e captivitate elapſi accifis rebus deprecante egiſſet, facta ſpe, ut Philippi liberalitate utrique ſubveniretur, Faram Veromanduorum conceſſit, ibique et [b] Nigellae repetita ſaepius de ſumma rerum colloquia: quibus interfuerunt Parmenſis nomine Ibarra, Jo. Baptiſta [c] Taxis, qui nuper Lutetia redierat, et Jo. [d] Ricardotus praeſes; Meduanii, Petrus [e] Janinus primum, et poſtea Claudius [f] Caſtreus magnus caſtrorum praefectus, qui Guiſii partes tutabatur, et Franciſci [g] Pericardi Aurincarum epiſcopi in Hiſpaniam ab eo mittendi auctor fuerat.

XIX. Petebant Hiſpani, ut quamprimum comitia regni a Meduanio convocarentur, quorum auctoritate ac decreto ſereniſſima Infans, excluſis aliis quibuſcunque ex quacunque cauſa jus in illo ſibi arrogantibus, regina Franciae declararetur, quae poſtea ex Philippi patris voluntate et principum ac procerum regni conſilio nuberet. Ad haec Caſtreus et Janinus, ut nimias Hiſpanorum, quorum viribus nitebantur, petitiones eluderent, maturanda non eſſe comitia reſpondebant; nam hoc ad illud, quod pro Infante petatur, acceſſorium eſſe; in praeſentiarum ſufficere, ſi lex Salica aboleatur ex principum et procerum conſenſu. Nam electionem mox ex Meduanii arbitrio ſecuturam, et comitiorum delegatos ad ejus nutum ſententiam dicturos. Sed antea expeditum videri, ut de re omni cum Lotaringiae duce, ejuſque filiis, cum Guiſio, Nemoroſio, Mercuriano, proceribus, et locorum munitorum praefectis, qui et donis et aliis gratificationibus devinciendi ac remunerandi erunt, conveniat. Inſuper caveatur, ut dignitates, praefecturae, ac magiſtratus, non exteris, ſed Gallis tantum attribuantur, privilegia, jura, immunitates confirmentur; regnum nulla ſui parte deminuatur; patriae leges ac majorum inſtituta ſerventur, et quandoquidem res per illam electionem ad bellum irreconciliabile adducantur, providendum eſſe, ut in biennium, intra quod tantae molis bellum vix deſiturum appareat, in illius ſumptus decies centies centena aureorum CIↃ deſtinentur, eorumque exſolvendorum tempus ab eo die procedat, a quo Infans regina declarata fuerit; illa autem intra ſemeſtre ab eadem die in Franciam venire teneatur, ex conſilio principum ac procerum, cui optimum videbitur, quam primum nuptura; ſed ante omnia ſuccurrendum Rotomagi obſeſſis, ne ſi, dum deliberatur, potentiſſimae civitatis periculum negligatur, ceterae civitates exemplo territae ad hoſtem deficiant. Eadem poſtea coram Franciſco [h] Valdemontio comite, qui CIↃ IↃ equites adduxerat, Henrico [i] Chalinio Mercuriani fratre, Guiſio, ex Meduanii conſilio, retractata: tandem conventum, ut Infante regina declarata Philippus XX CIↃ peditum, V CIↃ equitum ſua pecunia in regno per biennium aleret, et ſingulis annis duodecies centena aureorum CIↃ dependeret, inter belli duces et in alias neceſſitates arbitrio Meduanii diſpenſanda: quae omnia ex literis quae Parmenſis et Ibarra

ad

INTERPR. [a] *de Cleves.* [b] *Neſle.* [c] *de Taxis.* [d] *Richardot.* [e] *de Jeannin.* [f] *de la Chaſtre mareſchal de Camp.* [g] *Pericard evêque d'Avranches.* [h] *de Vaudemont.* [i] *le Comte de Chaligny frere du duc de Mercœur.*

CIↃ IↃ XCI. HENRICUS IV. ad Philippum dederant, XIII Kal. Jan. pridie Eid. Jan. et XV Kal. Feb. ſcriptis et a rege interceptis cognita ſunt: iis et ſignificabatur, male Guiſio cum Meduanio convenire. Meduanium vero ita ſuſpicacem, ac de ſua auctoritate ſolicitum eſſe, ut quanquam ſe in Philippi poteſtate futurum profiteretur, miniſtris ejus eorumque verbis nihil temere crederet. Praeterea [a] Montis-marciani ducem, dum inter haec colloquia tempus abit, copias dimittere voluiſſe, cum diceret ſibi praeciſe mandatum eſſe, ut niſi Parmenſis intra XVIII Kal. Jan. in regnum cum exercitu ingrederetur, eas dimitteret; vixque multis precibus exoratum, ut paucorum dierum, qui minime inutiliter conſumpti eſſent, moram contra pontificis mentem ad enervanda ipſius imperia interpretaretur. Iiſdem literis Parmenſis de [b] Placentino in collegium cardinalium allecto gratulabatur, et vicem ſuam Philippique deplorabat, qui Innocentium pontificem Farneſiorum olim clientem et erga Philippi res tam bene affectum tam cito amiſiſſent. Ad extremum addebatur, de ſumma rei pecuniariae penuria expoſtulatio. Nam ex CCLVIII aureorum CIↃ in caſtra allatis, centum CIↃ Meduanio numerata, CXX CIↃ pro menſis unius ſtipendio copiis auxiliaribus, XXXII CIↃ Gallico exercitui, et XI CIↃ promiſſa in proximum menſem, ita ut nihil potius ſupereſſet. Meduanius, Caſtreus, aliique qui circa ipſum erant, verba dare nihil verebantur, dum Rotomagi obſeſſis ſubveniretur; alioqui negotium, quod ab Hiſpanis tantopere urgebatur, magnis et inextricabilibus difficultatibus involutum eſſe minime ignorantes; nec dubitabant, quin fortunae beneficio a fide data tandem ſolverentur. Dum hoſtilis exercitus adveniret, [c] Rauletus qui cum Carolo Borbonio [d] Sueſſionum comite in S. [e] Severi ſuburbio ſtationem habebat, cum [f] Langone Marci tribuni vicario egerat, de arce pontis et veteri palatio tradendo; idque cum ſe confectum daturum promiſiſſet Lango, VII Kal. Jan. condicta die venit Rauletus ad eum pontem, ut cum Langone colloqueretur; a quo contrariis inſidiis comprehenſus et in urbem abductus inhumane admodum a Villario exceptus eſt ob defectionem a foederatorum partibus ſuccenſente, et mortem, niſi [g] Pontem-arcuenſem dederet, interminante. Mox et conjuratio ſeria detegitur, indicioque [h] Maucleri in foro patroni [i] Fontanus cohortis Sanſaturninae centurio comprehenditur, delatus, quaſi de [k] Caletenſi porta tradenda cum regiis conveniſſet; is tormentis ſubjectus ac rem confeſſus conſcios facti [l] Campionem in foro cognitorem et Philippum [m] Hallerium rationum oſtiarium nominavit, quibus mox gula publice ad patibulum fracta eſt pridie Nonas Januarias: [n] Santarnoldus ordinum ductor itidem accuſatus ad regem transfugit. Triduo poſt ex ea occaſione factum ſenatuſconſultum in Henrici Borbonii fautores, eoſque qui conjurationes in gratiam ejus initas non revelarent, atrox et injurioſum. Remedia et a religione quaeſita cenſuris et decretis, ut non ſolum corporibus, ſed animis ac conſcientiis vis per eas afferretur. Inſuper decretum, ut ſacramentum Unionis ſingulis menſibus renovaretur. Tum delegatus Martialis [o] Loinius a ſenatu, qui executioni praeeſſet, iſque patibulis ad terrorem per quadrivia erectis ſenatuſconſultum voce praeconis promulgandum curavit. Interea ad portam [p] Bellovacenſem vis a regiis facta, ſcalis etiam admotis, ſed irrito ſucceſſu, nec citra eorum jacturam. XV Kal. Feb. Picardus eques et Jacobus tribuni ex Sancatharina munitione deducuntur, ut a laboribus continuis et vigiliis interquieſcerent, et in eorum locum ſuffectus Bonifacius. Poſtridie per Caletenſem et Hilarianam portas eruptio a Villario facta, et certatum utrinque acriter. Ex hoſtibus lethaliter vulneratus

[a] Mallabecus

INTERPR. [a] *Monte-marciano.* [b] *Cardinal de Plaiſance.* [c] *du Rolet.* [d] *Comte de Soiſſons.* [e] *Fauxbourg de S. Sever.* [f] *Langone lieutenant du capitaine Marc.* [g] *Pont de l'Arche.* [h] *Mauclere avocat.* [i] *la Fontaine ſergent de la compagnie du capitaine S. Saturnin.* [k] *Porte Cauchoiſe.* [l] *Champhuon procureur.* [m] *Daillier huiſſier des comptes.* [n] *le capitaine St. Arnauld.* [o] *de Loynes conſeiller au parlement.* [p] *Porte Beauvoiſine.*

[a] Mallabecus ſtipatorum Villarii vicarius: ex regiis aliquot cecidere. Biduo poſt ad Carthuſianos, quorum coenobium extra urbem inter Martinvillanam portam et Sancatharinum munimentum jacet, pugnatum fuit, ubi plures ex hoſtibus graviter vulnerati, et occiſi ſunt, tormentorum ictibus fere diſcerpti. VII Kal. Feb. acrius certatum fuit, principio a Germanis, qui Capucinorum coenobium tenebant, duce [b] Jacobo facto, quibus Villarius, et poſt cum [c] Londa, qui primas partes ſecundum Villarium tenebat, auxilio ſupervenere, adeoque pugna incaluit, ut equo Villarii ſuffoſſo et [d] Brebione juniore graviter vulnerato ac capto, hoſtes cum magno damno repulſi ſint. Ex quibus [e] Lauricrius, Parmenterius, Collinus ſtipatorum Villarii praefectus, Brebio ipſe, [f] Boſcopolinius ceciderunt: eodemque die [g] Molarius ante aliquot dies graviter ſauciatus ex vulneribus deceſſit. Triduo poſt [h] Varnevilla eques, dum colloqueretur cum [i] Picardo tribuno, in Sancatharina munitione ictu tormenti diſceptus eſt, et rurſus aliquot poſt diebus Picardo ipſi pila tormentaria crus fregit, quo ex vulnere deceſſit VI Eid. Feb. Quo eodem die [k] Cruceius Demalletius, Forſii Quitrii alae legatus, ictu tormenti interfectus eſt. Inde ad Catharinae- [l] fanum vallo promoto, cum una et altera vice ɔc tormentorum ictus diſploſi eſſent, tandem foſſa ab ea parte, quae lucum Turingum ſpectat, occupata; in eaque regii aſſeribus cratibus gypſo tectis et ceſpitibus contra oleum, picem bullientem et ignes artificioſos ſe munivérunt. Poſtridie, qui in VII Eid Feb. incidebat, acris eruptio fit per Bellovacenſem portam, in qua [m] Gouillae curio ſacerdotalis ordinis oblitus, cum ſe caedibus tota illa obſidione famoſum reddidiſſet, magno inſanae plebis deſiderio cecidit. Eoque in conflictu Franciſcus Momorantius [n] Halotus ictu ſcloppeti majoris in femore ictus equo pariter ſuffoſſo concidit, ex eoque vulnere cum vix convaluiſſet, ita tamen debilitatus remanſit, ut pedibus propriis inſiſtere et niſi tibicinibus fultus incedere minime valeret, donec cum [o] Vernonii deſidem Chriſtophorus [p] Alegrius marchio ob privatas ſimultates, quarum reconciliationem perfide ſimulabat, ad ſalutandum admiſſus, inſigni ſcelere inter complexus pugionum ictibus confodit.

XX. JAM Parmenſis cum exercitu in propinquo erat, adventuſque ſui Villarium certiorem fecerat, miſſo [q] Didaco Rupinova, qui per [r] Franciſcopolim facto itinere ad urbem venit. Quo cognito rex obviam hoſti ire ſtatuit, et relicto ad obſidionem Birono equitum tribuno, ipſe cum flore nobilitatis ac delectis ducibus [s] Aumalam ad Eptam amnem, qui [t] Neuſtriae ab ea parte limes eſt, ſitum caſtellum proficiſcitur, locoque aliquot ſcloppetariis firmato exercitum venientem propius contemplari cupiens progreditur. Is ita ordinato exercitu incedebat, ut primam aciem Guiſius duceret, cui [t] Caſtreus veteranus belli dux et Vitrius attributi erant. In media erant Parmenſis, Meduanius, et Hercules Sfondratus; in ultima [u] Aumalius, Chalinius cum [v] Boſcodelfino, Balagnio, Sanpaulo, primariis belli ducibus. Chriſtophorus [w] Baſſompetra et Valentinus Pardeus Mota cum Helvetiis auxiliaribus tormenta comitabantur. Ubi in conſpectum venere, rex per Carolum [x] Bironum, Renatum Viutium Chanlivautium, Carolum Choeſelium Pralinium, Franciſcum Grangeum Montinium in primam aciem impreſſionem facit; ſed mox hinc inde incumbentibus ſcloppetariis equitibus, qui latera cingebant, ſenſim recepere ſe noſtri, et Aumalam verſus

tehdere

INTERPR. [a] *de Maubec.* [b] *le capitaine Giacomo Argenti.* [c] *le Sr de la Londe.* [d] *Brebion.* [e] *Laurier, Parmentier, & Collin.* [f] *de Bois-poulin.* [g] *de Mollart.* [h] *le chevalier de Varneville.* [i] *le chevalier Picard.* [k] *de la Croix De Mallet lieutenant de la Compagnie de Fours Quitry.* [l] *Fort de Ste Catherine.* [m] *le Curé de Gouille.* [n] *Sr de Halot.* [o] *Vernon.* [p] *d'Alegre.* [q] *Don Diege de Rocanova.* [r] *Havre de Grace.* [s] *Aumale sur Epte.* [t] *Normandie.* [t] *de la Chastre.* [u] *le duc d'Aumale, & le comte de Chaligny.* [v] *les Srs de Bois-dauphin, de Balagny, & de S. Paul.* [w] *de Baſſompierre, & de Pardieu Sr de la Motte.* [x] *le baron de Biron, René de Viouſt Sr de Chanlivaut, Charles de Choiſeul de Praſlin, & Fr. de la Grange Sr de Montigny.*

CIↃ IↃ XCII.

HENRICUS IV.

tendere coeperunt, paulum turbatis ordinibus, ita ut rex ipſe inter confuſos vulnus acceperit, perſtricta lumborum cute pilae eminus emiſſae jam languente ictu. Ponte tranſmiſſo rex Aumalam cum ſuis magna celeritate praetervehitur, relicto Ludovico Gonzaga [a] Nivernio, qui ultimum agmen claudebat. Is praeſidiarios per muniepipium ſparſos dum colligit, nec illi ſatis dicto audientes ſunt, alia porta, quam quae a noſtris ſervabatur, irrupere hoſtes, acriterque in vicis pugnatum fuit, ubi Annas [b] Anglurius Givrius levis armaturae praefectus, qui cum Nivernio erat, equo ſuffoſſo lapſus inter anguſtias viarum membris luxatis vix tandem equo altero conſcenſo periculum evaſit. Magnam prudentis ac ſtrenui ducis gloriam eo facto Nivernius meruit, omnibus ſuis in tutum reductis; cum jam adveſperaſceret, non ultra progreſſi hoſtes, in diripienda Aumala occupato milite. Id actum Nonis Februariis. Rex caſu paulum turbatus, veritusque ne fama ſucceſſus in majus aucta, ſi hoſtis nulla mora interpoſita iter perſequeretur, obviis citra negotium diſturbatis in urbem perrumperet, [c] Novum-caſtrum, quod in itinere occurrebat, et quod eum a tergo minime relicturum apparebat, ultra praeſidium jam impoſitum novo CCC loricatorum ſubſidio firmat, Givriusque locum quamvis debilem ad aliquot dies tuendum ultro ſuſcepit; magnum ſe operae pretium ratus facturum, ſi tantiſper Parmenſem remoraretur, dum rex, in cujus praeſentia, ſi proelii alea tentanda eſſet, omnes ſpes repoſitae erant, curato vulnere in equo ſedere poſſet. Cumque carniſprivii die admota eſſent tormenta, tandem edita ingenti ruina deditio facta eſt honorificis admodum conditionibus, ſive id gratiae Givrii a Parmenſi, qui ejus gloriae favebat, datum, ſive [d] Caſtrei vitriei commendationi. Erat cum Givrio Fabianus [e] Reburius, de quo aliquandiu altercatum fuit, an conditionibus comprehenſus intelligeretur, qui quoniam legionis tribunus erat, ipſius nomen ſpeciatim minime appoſitum fuerat; et res generoſe a Parmenſi regis arbitrio permiſſa, qui de ea juxta militareis leges decerneret. Ita dimiſſus Reburius cum rem iiſdem verbis, quibus convenerat, coram ducum belli concilio ad id a rege convocato expoſuiſſet, ex eorum ſententia liber pronunciatus eſt. Interea modicis itineribus ſemper ulterius progrediebatur Parmenſis, caſtra in apertis campis quotidie muniens, ne a rege ad omneis caſus intento circumveniretur. Dum incedit, rex in Meduanii et Aumalii caſtra cum delectis vim facit, vixque tandem male mulctato hoſte ſe recepit, et ad [f] Chalinii hoſpitium deflexit, ubi majore damno hoſtem afflixit, ipſo Chalinio poſt multos ſuorum occiſos a [g] Cicoto inſigni ſcurra aulico, ſed pugnacitatis notae homine capto in eo conflictu: cum grave vulnus Cicotus ab ipſo Chalinio in capite accepiſſet, generoſe tamen captivo uſus eſt, ultionis ardore cohibito, eique tantum faceta mordacitate illudere contentus fuit; de cetero indignantem ſe Lotaringicae proſapiae principem fortunae ludibrio ſcurrae mancipium effectum ſolatus eſt, et ſupervenienti regi ac jacentem erigenti liberaliter donavit. Poſtea Cicotus ad [h] Pontem-arcuenſem ex vulnere illo deceſſit. Chalinius pro parte pretii, quod pro Longovillanae ejuſque filiarum contra belli leges [i] Samarobrigae in Ambianis captivarum libertate exſolutum eſt, permutatus fuit. Nec minore periculo conflictatus fuit [k] Ranutius Alexandri Parmenſis filius, quem cum paucis imparatum adorti regii fuerant; diuque de ejus ſalute parens anxius fuit, donec jam ſole ad occaſum vergente certamen diremptum eſt, turbatis ubique hoſtium caſtris. Nam et eodem tempore impetus in Guiſii abſentis hoſpitium factus, et vexillum, quod ad pulvinar lecti ejus fixum ſtabat, revulſum et ad regem allatum eſt. Captus et in eo conflictu Franciſcus [l] Blancardus Cluſellus, et Arcuenſem pontem ſub cuſtodiam deductus.

XXI. PROXIMIS

INTERPR. [a] *Duc de Nevers.* [b] *d'Anglure de Givry.* [c] *Neufchaſtel.* [d] *de la Chaſtre.* [e] *de Rebours.* [f] *Henry de Lorraine comte de Chaligny.* [g] *Chicot.* [h] *Pont de l'Arche.* [i] *Amiens.* [k] *Ranutio prince de Parme.* [l] *Blanchard Sr du Cluſeau.*

XXI. PROXIMIS utrinque caſtris inter hoſteis conſultatum, quid facto opus eſſet. Jam ante Georgius Baſta famoſus equitum ductor cenſuerat, ut cum delecta equitum loricatorum et ſcloppetariorum manu via per indices monſtrata noctu perreptando in vallum regium impetus fieret, et improviſa impreſſione caeſis ac diſturbatis ſtationibus, vallo ipſo deſtructo, omnis obſidionis apparatus disjiceretur. Id temerarium ac periculoſum Parmenſi initio viſum, tunc in ducum conſilio repetitum eſt, et Gallis placebat, ut parte exercitus Meduanio attributa idem tentaretur; contra pugnabat Parmenſis, et tam potenti exercitu vicino et imperatore impigro ad omneis caſus intento dividi copias non ſolum temeritatis eſſe, ſed pudendae imprudentiae dicebat. Quid enim ſi Meduanius in itinere caedatur, et victor ſucceſſum urgens eodem victoriae impetu in dimidiatum exercitum jam caſu ſociorum turbatum ſtatim incumbat? Gallos olim ob eundem errorem ad [a] Ticinum caeſos, in exemplum ad omne aevum memorabile prudentibus belli ducibus conſtitiſſe, ne temere copias in hoſtis conſpectu dividant. Igitur potius videri, ut cum toto robore exercitus inſtructa acie et conſertis ordinibus Rotomagum petatur, et obſeſſis ſuppetiae ferantur. Haud occultae erant Meduanii et Parmenſis aemulationes, et mutuae Gallorum et Hiſpanorum utrinque ſuſpiciones, cum quiſque decus rei confectae ad ſe trahens neutri vellet concedere; et Meduanius Gallique, qui cum eo erant, vererentur, ne Hiſpani, ut [b] Faram Veromanduorum ſpecie tormentorum diſponendorum, ſic [c] Rotomagum urbem regni primariam et navigationibus opportunam ſuppetias ferendi obtentu occuparent; idque Villarius plus aliis reformidabat, homo ambitioſus, et crebris nunciis Meduanii aureis, ut ſe reſpiceret, fatigabat. Ipſe quo ſe eo metu liberaret, omnem operam dabat, ne quod a ſe Galliſque auxilii mutuari poterat, id ab Hiſpanis emendicaret. Atque cum per lentae adeo obſidionis inducias crebris commeantibus ab urbe in caſtra regia nunciis ſibi familiaritatem cum pleriſque conciliaſſet, et eo colore per exploratores quid apud nos fieret, in horas reſciſceret, ad haec ex Hiberno transfuga infrequenteis excubias ad S. Catharinae propugnaculum abſente rege fieri cognoviſſet, de loco, ratione, tempore cuneorum plene ab eodem inſtructus, conſilium de violenta eruptione cum omni robore praeſidii, quod penes ſe habebat, facienda cepit. Interea noſtri opera accelerabant; et cuneos ſuffoſſo muro agebant; ſed ſive ignavia militum, ſive imperitia foſſorum, ſive ob contrarios cuneos ab hoſte actos exiguus eorum uſus fuit. Nam nihil ſecreti inter regios erat, et omnia conſilia, conatus, apparatus ad hoſtem emanabant, commeantibus hinc inde per militarem laſciviam nunciis, qui ea, quae agebantur, coram explorantes ad Villarium referebant. Itaque cum XIII Kal. Mart. ignis in cuneos immiſſus eſſet, res exitum non habuit, hoſte confeſtim pro vallo in armis comparente, antequam noſtri ſe ad oppugnationem pararent. Qui cum poſtridie rurſus oppugnationem ex improviſo tentaſſent, rurſus hoſtem paratum invenerunt, et jam in altum enixi ab eo repulſi ſunt. Altero poſt die igne rurſus in cuneum alterum immiſſo, ut putatur, fortuito, plus ruinae quam damni datum eſt: ex hoſtibus tantum deſiderati [d] Curtius pater, is qui [e] Caudebecum dediderat, [f] Nurrius locorum muniendorum valde peritus, [g] Molinellus, Cevalerius et Marquetius terra abſorpti: tamen inde ſociorum diligentia adhuc vivi extracti ſunt. Sub id Villarius ultimam vim tentare certus occaſionem caprat regis abſentiae, qui Dieppam cum Carolo [h] Birono et flore nobilitatis excurrerat, relicto Darnetalii, ubi hoſpitium habebat, Birono parente cum cardinali Borbonio, [i] Cevernio cancellario, aliiſque ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus, qui ſummae rerum praeeſſent. Sic autem rem inſtruit. V Kal. Mart. ſub horam

INTERPR. [a] *Pavie.* [b] *la Fere ſur Oyſe.* [c] *Rouen.* [d] *de Courcy.* [e] *Caudebec.* [f] *Nourry ingenieur.* [g] *du Moulineau, la Chevalerie, & de Marquette.* [h] *Baron de Biron.* [i] *de Chiverny.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV. horam v matutinam ad Hilarianam portam cx xii urbanis cohortibus, ſingulis xxv delectos convenire jubet, [a] Londa duce, reliquos in muris armatos ſtare jubet. Ipſe per munitionem eo ordine erumpit. [b] Bonifacius cum ſua legione praeire juſſus, quem Georgius [c] Brancatius Oſius eques [d] Villarii frater, [e] Braqueterius, et Riverius eum ſuis loricatorum turmis ſequebantur, [f] Turingum lucum verſus tendentes. Jacobus, cum ſua legione et equitum turma, qui in pedes deſcenderant, ad Carthuſianos deflexit Darnetalium verſus. Carolus [g] Goſtimelius Boſcoroſius cum ſua peditum cohorte, [h] Pericardus Landa cum ſua legione, per latus veteris munitionis exiverunt; quos [i] Canonvilla et Quitrius cum ſuis loricatorum turmis tegebant. [k] Perdrerius cum ſua equitum ala longius provectus eſt, ut ſe medium inter ſuos et auxiliareis interponeret et recipientibus ſe praeſto eſſet. Primus impetus ſigno ictu tormenti dato a Boſcoroſio factus in tormenta regia; ex quibus iii cepit, et in foſſam praecipitavit, reliqua ii corrupit. Magna caedes poſt exiguum certamen a Bonifacio, Jacobo, et Pericardo in vallo facta. Cum ubique ad arma conclamatum eſſet, Bironus equitum tribunus cum delecta nobilitate accurrit, et Helvetiis ſecum aſſumptis ulterius provectum hoſtem intra propugnaculum compulit, eoque in conflictu ipſe ſcloppeti ictu vulnus in crure accepit. Nicolaus [l] Grimovilla Larcantius ſtipatorum regiorum praefectus, vir ſtrenuus et regi ſumme fidus, qui ad ſtrepitum ſine ocreis conſcenſo equo Bironum comitabatur, fatali ictu in pede percuſſus eſt, ex quo poſt aliquot dies Darnetalii ultimum vitae diem clauſit. In eo conflictu antequam Bironus adveniſſet, ex regiis petiere cccc, et in iis [m] Claromontius Pilius junior a S. Patricii curione; ſic enim obſeſſi prodiderunt, interfectus. Major natu legionis tribunus in capite pleriſque vulneribus acceptis captus, et poſtea fide data [n] Lupariam tranſlatus ex iis deceſſit; nec non et [o] Belſunſius alterius legionis tribunus. Captus et Petrus [p] Eſcodeca Boetius. Vallum disjectum, et cunei everſi, oppreſſique foſſores ac Angli, qui in iis ſtruendis laborabant, pulvis nitratus corruptus. Deſiderati ex obſeſſis circiter L, foedo utique ſpectaculo, cum membra truncata, arma confracta, tabo vallum reſperſum, et cadavera ſpoliata diris vulneribus deformata, paſſim occurrerent.

XXII. Utrinque induciae ad ſepelienda corpora ad duas horas pactae; ſtatimque Villarius ad Meduanium mittit, qui eum de re bene geſta certiorem faceret, non militem, ut prius, ſed pecuniam tantum ad exſolvendum praeſidiariis ſtipendium petens; nunciuſque deliberantibus intervenit, cum jam in arcano conſilio decretum eſſet, ut cum totis viribus ea nocte ſummo ſilentio caſtra promoverentur, et poſtridie in imparatos acris impreſſio fieret, parte ad pontem, qui ſupra urbem in flumine ex navigiis ſtratus erat, dejiciendum, ne copiae trans flumen diſpoſitae ſuis laborantibus ſubvenire poſſent, parte ad vallum oppugnandum, et Darnetalium invadendum deſtinata. Tum Parmenſis nuncio laetus urgere, ut fortunam quaſi manu ad planam victoriam foederatos ducentem ſequerentur, et turbatis inſtarent, antequam ex pavore animos poſt tantam cladem collegiſſent, et rex cum viribus integris adeſſe poſſet; jam enim ceſſare cauſas, quae ipſum huc uſque anxium tenuiſſent, nec minorem imperatoris laudem exiſtimare, nihil temere fortunae committere, quam occaſionem a Numine oblatam non negligere. Heic manifeſtius quam antea patuerunt aemulationes, cum Meduanius praefracte contradiceret, et ulterius progredi cum ſuis recuſaret. Se in hoc tantum veniſſe, ut obſeſſis ſuccurreretur; quod cum fortuna confectum dederit, nihil aliud ſupereſſe, quam ut integro exercitu ſe in tutum reciperent.

INTERPR. [a] *la Londe.* [b] *le capitaine Boniface.* [c] *Georges de Brancas chevalier d'Oyze.* [d] *André Baptiſte de Brancas Sr de Villars.* [e] *la Braquetiere, & la Riviere.* [f] *Bois de Turinge.* [g] *Gouſtiminil Sr de Bois-rozé.* [h] *le capitaine Pericard dit la Lande.* [i] *de Canonville, & de Quitry.* [k] *Perdrier.* [l] *de Grimoville Sr de Larchant.* [m] *de Clermont Sr de Piles.* [n] *Louviers.* [o] *de Belſonſe.* [p] *d'Eſcodeca de Boeſſe.*

recipercnt. Se quidem tanquam privatum, Parmenſem, quocunque duxerit, ſequi paratum; ut Francici imperii vicarium, non poſſe aſſentiri, ut quidquam temere nulla neceſſitate urgente a ſuis tentetur. Haec ſtudiorum diſcrepantia regiis magno bono ceſſit, quos, ſi Parmenſis ſententia tenuiſſet, in extremum periculum adductos conſtat, abſente rege, Birono ſauciato et in lecto jacente, et animis recenti caſu ubique perculſis. Ita diſſidentibus ducum votis reductus trans [a] Somonam exercitus facto per [b] Eſſuos et [c] pontem Remigium itinere; et, ne nihil ageretur, caſtra ad [d] Spiritus-fanum ponuntur, Aumalio inſtante, qui ſpem fecerat, poſſe aquam ex foſſa deduci, et propugnaculum, quod vallum promoventibus admodum incommodabat, capi affirmabat. Oppidum eſt cum arce in [e] Pontivenſi comitatu poſitu firmum loco paludoſo haud longe a mari, quod praeſidio ab Andrea [f] Borbonio Rubenprato tenebatur. Qua in re rurſus diſſidebat a Gallis Parmenſis, et in loco, cujus expugnatio parum ad rerum ſummam valebat, fatigare vireis minime prudentis eſſe ducis cenſebat. Nihilominus res tentata irrito ſucceſſu. Pontificiae copiae jam multum imminutae erant, miſſoque Roma curatore qui eas recenſeret, ex omni equitatu ſola Ludovici [g] Melzii turma cum Hercule Sfondrato remanſerat: Helvetiorum II CIϽ, quae reſtabant, male ſe animatos oſtendebant.

INTERPR. [a] *la Somme.* [b] *Comté d'Eu.* [c] *Pont de Remy.* [d] *St. Eſprit de Rue.* [e] *Comté de Ponthieu.* [f] *de Bourbon de Rubempré.* [g] *le chevalier Melzi.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

REX ad obſidionem redit, ductoque vallo urbem arctius cingit. Multa confuſe inter regios adminiſtrantur. II. *Parmenſis ad ſolvendam obſidionem cum auxiliari exercitu venit. Rex, qui copias in obſidione ſparſas habebat, ad Arcuenſem pontem ſuos colligit. Diſſident Meduanius et Parmenſis. Batavi cum claſſe ad Quillebovium ſe recipiunt. Locus deditus et in praedam militi ſalva annona conceſſus. Rurſus in caſtris diſſident belli duces.* III. *Rex ad Ivetotium cum toto robore comparet. Ivetotiani regni origo. Rex feliciter cum hoſte certat.* IV. *Parmenſis de exercitu ultra Sequanam transferendo conſultat. Pontones in id fabricati. Pugnatum in tranſitu.* V. *Magnis itineribus Parmenſis ad Clodoaldi pontem venit. Ad eum ſalutandum cuncti Ordines conſluunt. Tranſmiſſis copiis Theodorici-caſtrum petit. Villarius Quillebovium fruſtra tentat. Monpenſerius provinciae praeſes ſub id Lexovio decedit. Henricus Dumbarenſis filius ei ſuffectus. Calvimontius Guitrius eodem tempore in Bellovacis obit.* VI. *Eſpernaeum in Campania a Guiſio captum. Bironus parens dum locum luſtrat, ictu minoris tormenti in caput adacto enectus eſt. Ejus mores, ingenium, in re bellica ſolertia. Tandem oppidum receptum, Carolo Birono prius in humero ſcloppeti ictu graviter vulnerato. Provinium deditum.* VII. *Munitio ad Gornaeum Matronae impoſita, eique ob virtutem ac integritatem praepoſitus Odetus Lanovius.* VIII. *Dum rex adhuc ad Rotomagum haereret, Nicolaus Fumeus Bellovacenſis epiſcopus ad regem miſſus oratione habita ipſum ad religionem majorum capeſſendam hortatus fuerat. Pro diſciplina eccleſiaſtica tempore ſciſſurae poſtulata. Novus ordo in diſpenſandis ſacerdotiis ad tempus ſancitur. Evocati Harlaeus ſenatus Pariſienſis primarius praeſes, cum Gilloto, Thumerio et Villamerello conſiliariis.* IX. *Romae poſt Innocentii* IX *obitum nuſquam majores comitiorum aeſtus. Tandem Hippolytus Aldobrandinus pontifex* III *Kal. Feb. renunciatur, et Clemens* VIII *dicitur.* X. *Gondius cardinalis a novo pontifice injurioſe accedere prohibitus. Ad Alexandri Franceſchini ad ipſum Roma miſſi mandata vehemens et liberum reſponſum.* XI. *Pontificis de regis Catholici electione ad cardinalem Segam mandatum.* XII. *Contra mandatum ſenatuſconſultum Catalauni factum. In Urbe tumultuatum.* XIII. *Pons-Arcuenſis in parte amiſſus. Rupes-regia in limite recepta. Teniſſaeus a Ballieto Valligranio juxta Divionem caeſus. Carolus Bironus ſenatoris et poſtea praefecti maris ſacramentum Caeſaroduni dicit. Sallermii, qui Lochias tenebat, contra Guerchiam Villoclari arcem expeditio.* XIV. *Pugna ad Cratumnum commiſſa Contius et Monpenſerius cum regiis copiis a Mercuriano caeduntur. Contius Sablatum, Monpenſerius Condate Redonum concedit.* XV. *Miſſus in Armoricam Aumontius equitum tribunus, ut*

decedente

Digitized by Google

decedente e provincia Monpenſerio ſummae rerum praeeſſet. Viquius ad Orſonis-pontem caeſus. Lotaringi à Monpenſerio in Dinami ſuburbiis caeſi. Rupifortii juxta Andegavum damnoſa et irrita obſidio. Quintini-fanum a Mercuriano captum. XVI. *Bullionius Africanum Anglurium Amblſium caedit. Conjuratio Baionae detecta. Villandrauda arx a Matignono recepta. Blavia circumſeſſa infelici exitu.* XVII. *In Cadurcis et per Septimaniam Ant. Scipio Jouſa non tam foederatorum quam propriis auſpiciis rem gerit. Multis proſperis ſucceſſibus elatus tandem ad Villamurium fuſus eſt, dumque ad tormentorum locum ſe recipit, ponte abrupto, quem in fluvio ſtraverat, ſubmergitur.* CIↃ *eodem caſu abſumpti. Ingens Toloſae comploratio. Henricus frater, qui in Capucinorum coenobio latebat, ex conſilio theologorum et fratris Franciſci cardinalis abjecto cucullo armorum curam ſuſcipit.* XVIII. *Valetae Provinciae praeſidis ad Rupembrunam ex ictu ſcloppeti mors. Ejus ingenium, mores, fides.* XIX. *Diguierius in Provinciam deſcendit. Multa oppida ab eo in fidem accepta. Ad Evenas irritus Eſcaravaci conatus. Vienna Scipionis Maugironi defectione amiſſa. Antipolis a Sabaudo capta.* XX. *Diguierius tantas clades ſarturus, de bello trans Alpeis transferendo conſilium antea ſumptum perſequitur. Ejus res geſtae; Grinimicum et Antipolis ab Eſpernonio recepta.* XXI. *In Neuſtria Carolus Goſtimelius Boſcoroſa Villarium deſerit, et Fiſcanam munitionem aſtu intercipit.*

Ex auctoribus,

Obſidionis Rotomagenſis diario, Ephemeride regia, Caeſare Campana, Actis publicatis, Actis Curiae Pariſienſis, Actis comitiorum pontificiorum, A. Cicarella, Scaevolae Sammarthani adverſariis, Turenii vicecomitis adverſariis, Theminii literis, Diguierii militari diario.

LIBER CENTESIMUS TERTIUS.

REX ad obſidionem interea redierat, et cum Rotomagenſes ſe periculo defunctos putarent, et ſupplicationibus celebratis ac voto [a] D. Mariae Lauretanae nuncupato publicum gaudium teſtati eſſent, rurſus promoto ſenſim vallo urbem arctius quam antea cinxerat, ſupra urbem in flumine navigio armato cum aliquot lembis, cui Michael [b] Huraltus Hoſpitalius Navarrae cancellarius praeerat; et infra ab altera parte navigiis Batavicis cum VIII muralibus machinis et IIII colubrinis, quae III CIↃ bellatorum egregie inſtructorum duce Philippo Naſſovio portaverant, diſpoſitis, quae [c] Honflorio et Franciſcopoli commeantes huc uſque in urbem naveis tranſitu arcébant. Poſt [1] hanc cladem ac tot dierum opera diſturbata, res tormentis acta ex [d] Turingo luco, partim ut impediretur quo minus tormenta in foſſam praecipitata in urbem abducerentur, partim ad fraenandum hoſtium impetum, dum novum vallum duceretur. Tandem avecta tormenta et a laſciviente plebe per urbem ante archiepiſcopi aedeis, in quibus hoſpitium ſibi ſumpſerat Villarius, non ſine regii nominis contumelia ignominioſe traducta: immiſſae et in urbem per [e] Bellovacenſem portam auxiliares copiae VIII. Eid. Mart. citra certamen, culpa Gulielmi [f] Altameri Fervacii, qui

CIↃ IↃ XCII.

Henricus IV.

INTERPTR. [a] *Noſtre Dame de Lorette.* [b] *Hurault de l'Hoſpital.* [c] *Honfleur & Havre de Grace.* [d] *Bois de Turinge.* [e] *Porte Beauvoiſine.* [f] *de Hautemer Sr de-Fervacques.*

NOT. [1] *i. e.* Villarii eruptionem ad prioris libri calcem narratam.

qui tamen eam in alios hac nocte ſtationem celebrare juſſos rejiciebat. Eae IↃ ccc armatis conſtabant, qui ex [a] Burgi legione, quam Joachimus [b] Ferrerius Patretius ducebat, [c] Lurei Cantabri, [d] Boſſuviani comitis, Roberti [e] Barbanſoni [f] Arembergii fratris, et Claudii [g] Burlotae legionibus delecti fuerant. Poſtea ad Turingum ab hoſte vis facta et disjecta viminea dolia ac apparatus, et poſt unam atque alteram eruptionem Villarius, ut contemptum noſtrorum prae ſe ferret, extra [h] Hilarianam portam haſtiludium praemio propoſito quaſi in altiſſima ſecuritate celebravit XIV Kal. Apr. Rex inter haec [i] Croſſetum venit, et armatis aliquot navigiis ad Fanum-[k] Gervaſii munitionem novam inſtituit; et cum paulo ante magna pars muri LX amplius paſſuum ſpatio vetuſtate concidiſſet, inter [l] Caletenſis portae propugnaculum et [m] Dominicanam turrim, rurſuſque alia XXVII ad Hilarianam portam, dum oppidani in ea ſtrage ſarcienda laborant, crebra tormentorum diſploſione multum infeſtari ſunt. Paulo poſt [n] Vinea ad excurſiones egreſſus, cum fidem fraudulenter dediſſet de tradenda regi Caletenſi porta, cum eo [o] Hoſpitalius Faius regis nomine convenerat, ſi promiſſis ſtaret, ut X CIↃ aureorum acciperet, IↃ in ſingulos ſuos milites diſtribuerentur. Id Vinea detexerat Villario, qui Vineae auctor fuit, ut inſidiatores in inſidias pertraheret. Ordine rei compoſito, cum Faius non ſatis Vineae fideret, duos ad eum milites ſe miſſurum ſcripſit, qui locum inſpicerent, et quid de eo conatu ſperari poſſet, certius cognoſcerent. Ii fuere Paulus [p] Valligrandius curiae ſenator et [q] Gomervilla, ambo Faii ipſius fratres; quos Vinea ad colloquium egreſſus, cum aliud ſe effecturum minime ſperaret, comprehendit, et ad Villarium captos perduxit. Demum III Kal. Apr. ad S. Severi ſuburbium trans flumen in pratis [r] Grammontano coenobio ſubjectis pugnatum fuit, in eoque conflictu Givrius, qui levi armaturae praeerat, in humero periculoſe ictus eſt, ingenti regis dolore; qui cum viri ſalutem deploratam crederet, palam profeſſus eſt, non videre ſe quem Givrio amiſſo in locum ejus ſufficeret. Quae verba multi in caſtris ad injuriam ſuam pertinere arbitrati iniquiſſime tulerunt. Idque in cauſa fuiſſe creditur, ut Franciſcus Juvenalis [f] Urſinus Capella ſub id a rege defecerit, quod eo munere, quod ſperaverat, ſe ab rege indignum pronunciatum videret.

II. ALIQUANTO poſt Nonis Aprilibus ad Caletenſem portam acriter pugnatum deteriore obſeſſorum conditione. Nam [s] Londa, Santamandus, Santaudoenus, aliique vulnerati ſunt, [t] Francavilla aliique ex vulneribus tunc acceptis obierunt. Ita per XL dies, quibus tantum levibus pugnis certatum fuit, plus a morbis quam ab hoſtium injuriis laborante exercitu, ad eas anguſtias urbs redacta eſt, ut Villarius, qui ſucceſſu elatus obſidionis metu ſolutum ſe rebatur, ad preces ut antea confugere ſit coactus, denunciatione addita, niſi intra VI diem a XVIII Kal. Maias putandum auxilio juvaretur, fore, ut cum rege paciſceretur. Itaque Parmenſis omni re alia omiſſa ei ſuccurrendum ratus, relicta Hedini majore ac minus neceſſaria impedimentorum parte, protinus res ad profectionem inſtruit, vix tandem Helvetiis perſuaſis ut ipſum ſequerentur, et inter [u] Crotoium et Valerici-fanum facto itinere [v] Somonam recedente aeſtu tranſvadat ad locum cui [w] Blancae-tacae nomen, quod humilioribus in eo ripis fluvius breviore vado late effundatur, et eminus ſpectantibus cuncta circum albicare videantur. Tranſmiſſo fluvio recenſita in exercitu V CIↃ equitum, et XII CIↃ peditum; quartiſque caſtris Parmenſi occurrit cardinalis Sega legatus

[a] Durocortoro

INTERPR. [a] *de Bourg.* [b] *de Ferriere Sr de la Patriere.* [c] *le capitaine Lure Baſque.* [d] *le comte de Boſſut.* [e] *de Barbanſon.* [f] *Comte d'Aremberg.* [g] *la Bourlote.* [h] *Porte de S. Hilaire.* [i] *Croiſſet.* [k] *S. Gervais.* [l] *Porte Cauchoiſe.* [m] *Tour de S. Dominique.* [n] *le capitaine la Vigne.* [o] *de l'Hoſpital Sr du Fay.* [p] *de Vallegrande.* [q] *de Gomerville.* [r] *Abbaye de Grammont.* [f] *la Chapelle des Urſins.* [s] *de la Londe, de St. Amand, & de St. Oüyn.* [t] *de Francqueville.* [u] *Crotoy & S. Valery.* [v] *la Somme.* [w] *Blanchetache.*

[a] Durocortoro Remorum veniens, et ſequenti die exercitum ipſe luſtravit, per CIↃ IↃ XCII.
ſingula agmina in aciem inſtructa obambulans, eiſque ſignum crucis impertivit; et HENRICUS IV.
expeditionis comes eſſe voluit. Eorum adventu rex, quanquam ſpe citius cognito, quippe qui mirabatur hoſtem ſextis caſtris tantum itineris confeciſſe, quantum vix nuper viceſimis fecerat, tamen quia non omnino imprudenti id accidebat, ita res ordinaverat, ut quanquam plerique e nobilitate a caſtris ad reficiendum ſe ex militiae et hyemis incommoditatibus diſceſſiſſent, ad primum nuncium ſtatim redierint. Carolus [b] Humerius cum CC equitibus, [c] Monpenſerius cum CCCC, [d] Sandionyſius Maillotus, [e] Surdiſius, Sovraeus ex ſuis quiſque provinciis cum delectis copiis advolarunt. Rex [f] Dieppam excurrerat, ut Aemarum [g] Caſtum periculoſe aegrotantem viſeret, et urbem, cui ſecretis conſiliis hoſtem imminere cognoverat, praeſentia ſua firmaret. Interea quia quatuor locis urbem ſpatioſam tenebat cinctam, et cogebatur copias longe a ſe diviſas habere, XII Kal. Maias ſparſos ſuos colligit, et ante omnia S. Gervaſii munitione tormenta, ac S. Severi ſuburbio copias deducit. Tum inſtructa acie ante S. Catharinae munitionem acriore quam toto obſidionis tempore diſploſione utrinque certatum; tandemque cunctos ad ſigna convenire [h] Bannam jubet, et impedimentorum parte ad [i] Arcuenſem-pontem praemiſſa, dum [k] Darnetalio moveret, nequid inopinati obſeſſis erumpentibus incideret, Henrico [l] Turrio Bullionii duci a ſe paulo ante perhonorifice tribuno equitum creato negotium dat, ut in receptu ultimum agmen duceret, attributis ei IↃ CCC equitibus: quod ille ſedulo ac feliciter executus eſt. Recedenti regi cum Parmenſis cum toto exercitus robore inſiſtendum cenſeret, contradixit Meduanius, irritum conatum fore dictitans: nam regi liberum fore per Pontem-arcuenſem et navigia ſupra et infra urbem diſpoſita in ulteriorem ripam tranſitum; vaſtato autem circum agro aliunde petito commeatu ad urbem firmandam opus eſſe, vixque exercitui alendo ſatis fore, ſi diutius in hoſte ad proelium cogendo immoretur, opera et annona inutiliter conſumpta. Igitur potius videri, ut ad Caudebecum exercitus ducatur, oppidum infra urbem copioſo commeatu, et cetero belli apparatu inſtructiſſimum, et expugnatu facile; quo capto annonam in eo congeſtam nullo negotio in urbem importari poſſe; nam interim Batavicam claſſem, quae ab ea parte urbem cingebat, proculdubio diſceſſuram. Eam in ſententiam multum diſſentiente Parmenſi itum: ipſi duces Rotomagum profecti, munitiones ad S. Catharinae et Carthuſianorum a rege exſtructas deſtrui jubent, et tertio poſt die caſtra ad Caudebecum ponunt, ubi Batavi claſſem ſubduxerant, cum qua primum certamen fuit. Tandem a Gallobelgis praemiſſis regiorum manus, qui loco egreſſi aditus anguſtos inſederant, in oppidum compulſa. Poſtridie Parmenſis ipſe cum Ranutio filio et [m] Mota de tormentorum directione cogitans, dum locum attentius contemplatur, ſcloppeti ictu in brachio infra cubitum ſauciatus eſt, qui eminus emiſſus jam vi langueſcente utrumque os tantum ſtrinxit, ita ut pila ulterius penetrare non potuerit, et in parte vulnerata remanſerit. Nec tamen ille qua erat animi firmitudine vultum mutare viſus, aut ſermonem coeptum propterea intermiſit, donec ſanguine in manus exundante a circumſtantibus rogatus eſt, ut ſe reciperet. Recedenti, poſt praetoriam navem gravi damno affectam, claſſi receptum praebuit [n] Quillebovium, paulo infra in ſinu Sequanae poſitum municipium, incolis rei nauticae peritis frequens, et propter aſſiduum cum Anglis commercium Proteſtantium doctrinae addictis, cujus loci ea natura eſt, ut quamvis latiſſimus ibi alveus ſit, fluctu per

INTERPR. [a] *Reims.* [b] *d'Humieres.* [c] *le Duc de Monpenſier.* [d] *de S. Denis Maillot.* [e] *les Srs de Sourdis, & de Souvré.* [f] *Dieppe.* [g] *le commandeur de Chaſtes.* [h] *Bans.* [i] *Pont de l'Arche.* [k] *Darnetal.* [l] *de la Tour duc de Bouillon.* [m] *de la Motte.* [n] *Quillebœuf.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

per aeſtum maris reciprocante naves ad illum appellere cogantur, in eoque tutiſſimam ſtationem reperiant. Ea propter locus muniri coeptus ac vocatus de regis nomine Henricopolis; praefectura ejus Rogerio [a] Bellagardio Hipparcho et cubiculariorum regiorum principi attributa. Digreſſa claſſe poſt paucorum ictuum diſploſionem dejectis muris, [b] Garda legionis tribunus, quem rex loco infirmo et collibus imminentibus magna ex parte cincto, ut aliquot dies hoſtem remoraretur, cum CCC peditibus et L equitibus impoſuerat, concidentibus militi animis, de deditione agere coepit, contradicente Pauſania [c] Brachiaduro, qui poſt [d] Naſium paulo ante Darnetalii ex morbo extinctum ultro ſe loco incluſerat; et quanquam conditionibus ſubſcribere iiſve comprehendi recuſaret, conventum, ut cum armis, equis, impedimentis duces ac milites in tutum deducerentur; ſauciati et infirmi in oppido, quouſque viscis recuperaſſent, manere poſſent. Brachiadurus nihilominus, qui ex aegritudine decumbebat, initio retentus, quod conditionibus comprehendi ſe nolle profeſſus eſſet, dein a Meduanio libertati reſtitutus eſt. Oppidum direptum, ſalva annona, quae quanta potuit diligentia mox [e] Rotomagum devecta eſt. Vix contineri potuit miles ultione ardens, ob imperatoris ſui vulnus, quin manus in regios injiceret; ſed juſſu Parmenſis compreſſus et praeda contentus tandem quievit. Jam nobilitas regis periculo territa, undique ſumma alacritate accurrerat, et ad IIII CIↃ peditum in caſtra convenerant, ita ut praeter III CIↃ Germanorum equitum, totidem equitum noſtratium, et XII CIↃ peditum in exercitu eſſent. Quo cognito Parmenſis Caudebeco capto, cum Meduanio ac reliquis belli ducibus in commune conſultat, et placebat ei, ut [f] Juliobonam [g] Ellebovii ditionis caſtellum concederetur, ſuu et commoditate locum idoneum, quippe in quem a tergo copioſus commeatus [h] Franciſcopoli comportari poſſet; ſed ſemper contradicebat Meduanius, et ſi Caudebecum deſereretur, in eaſdem rurſus Rotomagum anguſtias recaſurum oſtendebat, vaſtato circum agro, et [i] Quillebovio nuper a rege praeſidio et claſſe firmato. Nam ſtatim regem ſe medium cum exercitu interpoſiturum, et Caudebecum eadem facilitate, qua illud amiſerit, recepturum. Itaque manendum in veſtigio eſſe, et locum occupatum armis tuendum. Ex vulnere decumbebat Parmenſis: nam ut pila educeretur, una et altera ſectione apertum fuerat brachium non ſine gangraenae metu, praeſertim in corpore alias male affecto; et ſumma imperii ad Meduanium redierat, tantum Ranutius paternis copiis vicarii loco praeerat.

III. PRIDIE Kalendas Maias rex cum toto exercitu in conſpectum hoſtium, qui [k] Ivetotium tenebant, venit; et ad ſeſquimilliare ex adverſo caſtra ponit. Ivetotium municipium eſt hodie illuſtriſſimae et antiquitate et meritis [l] Bellaiorum familiae, regni titulo ex ea occaſione celebre, quod cum Clotharius rex, dum [m] Auguſtae Sueſſionum eſſet, circa ſalutis annum IↃ XXXIIII Valterum loci dominum a bello contra Saracenos bene geſto reducem ſibi olim inviſum ipſo Paſſionis Dominicae die, in ſacello agnitum, arrepto unius e ſtipatoribus gladio, occidiſſet. Nam Agapeto pontifice diras interminante, niſi rex de caede tanto ſacrilegio patrata uxori liberiſque interfecti ſatisfaceret; ille ut piaculo ſe ſolveret, fidem ratione beneficiarii fundi a Valteri heredibus ſibi tanquam regi ac ſupremo domino debitam remiſiſſe dicitur; ex eoque factum, ut cum loci dominus nullum ſuperiorem dominum agnoſceret, ſe regem deinceps nuncupaverit. Ita annales noſtri vulgares a Nic. [n] Gillio ſeu compilati ſeu compoſiti tradunt: cum tamen rei adeo memorabilis nec Gregorius Turonenſis, qui primae ſtirpis regum noſtrorum res diligentiſſime ſcripſit, neque

INTERPR. [a] *de Bellegarde grand Ecuyer.* [b] *de la Garde meſtre de camp d'un regiment.* [c] *Bracciaduro.* [d] *Naſi.* [e] *Rouen.* [f] *Liſlebonne.* [g] *Duc d'Elbeuf.* [h] *Havre de Grace.* [i] *Quillebœuf.* [k] *Ivetot.* [l] *du Bellay.* [m] *Soiſſons.* [n] *Gilles.*

neque poſt eum Aimonius ullam mentionem faciant. Itaque Nic. Vignetius non immerito de fide ejus dubitavit, quidquid alii contra blaterent. Nam licet primordio veritatis nitatur, tamen pleraque ſuſpecta in illa narratione eſſe nemo inficias ierit. Qui enim Valterus bello contra Saracenos feliciter geſto redire potuerit, cum nondum Saracenorum nomen in orbe Chriſtiano notum eſſet? Aut quis Agapetum diris Clotharium devoviſſe crediderit, ob illam Valteri caedem, caede nepotum, quos ille immani parricidio trucidaverat, impunita ac neglecta? praeſertim cum conſtet ipſum Agapetum brevis aevi pontificem Conſtantinopolim ſub id profectum, in eaque urbe ſtatim mortuum? Ut ut ſit, hodie Ivetotium regni nomen retinet, et ab omni fidei praeſtatione liberum eſt. Quod ipſe Clotharius poenitentia ſola ductus facere potuit, ſine ulla pontificis Romani cenſura. Primis tribus diebus tantum velitariis certaminibus proluſum fuit, ſylva intermedia. Demum v Nonas Maias rex rem ſerio agere cupiens inſtructis agminibus delectam peditum manum immittit, ad occupandum locum, cujus potens viam ſibi per media hoſtium caſtra faciebat. Jamque occupato loco regii vallum ducebant, cum Camillus Capiſuccus cum delectis Italis et Hiſpanis ſuperveniens, opus imperfectum relinquere eos coegit, extemploque feſtinatis operibus tumulum in eo excitat, et foſſa cinctum tormentis impoſitis firmat. Cum haec non ſucceſſiſſet, alia hoſtem via rex aggreditur, et caſtris aliorſum tranſlatis hoſpitium ad Ivetotium ſumit, ita ut a tergo [a] Dieppam et Valerici-fanum haberet, unde copioſus commeatus in caſtra ſua comportabatur, et hoſti omnem annonae commoditatem intercluderet. Eo in loco caſtris munitis, crebro hoſtem laceſſebat, deteriore fere ſuorum conditione, donec jam inclinante die eo velitationibus res devenit, ut de ſumma rerum paene certamen fuerit, Meduanio et Guiſio longius provectis, et Ranutio ipſo, cui equus ſuffoſſus eſt, ab Anglis circumvento. Nox pugnae finem fecit, non ſine inſigni hoſtium clade, in qua captus Ludovicus Caſtreus Caſtrei caſtrorum praefecti filius. Magna erat in hoſtium caſtris annonae penuria, ex eoque immenſa caritas, ita ut XII panis unciae X ſolidis primo, ad extremum XX venirent, hemina vini XXX vulgo ab iis, qui uti vellent, emeretur. Aquae et pretium dictum eſt, quanquam flumen in propinquo eſſet, quia ejus aqua fluxu et refluxu crebro turbabatur, et bibentibus noxia reperiebatur. Ad haec continuis per illos dies imbribus multum infeſtabantur milites, vix palea ſuppetente, in qua aſſiduo labore feſſi in loco tecto ſomnum caperent, et ſtraminis penuria plerique magni pretii equi ubique moriebantur; quodque omnium incommoditatum, praeſertim in bello, praeſentiſſimum remedium eſt, pecunia imperatori deerat, qua militem ſolaretur, et ad patientiam confirmaret: quae licet regiis quoque deerat, tamen abunde alia ſuppetebant omnia. Sed impatientiae malo torquebatur rex, cum videret ſuos, qui celeriter in caſtra ſpe proelii advolaverant, nequaquam facta hactenus proelii copia tam inconſiderate de receſſu cogitare. Igitur ut eos ſub ſignis retineret, aliquid audendum ratus, nocte, quae XIIII Maii praeceſſit, cum toto exercitu ad ſylvam in angulo ſitam haud longe ab aciei communis campo, quae ex Meduanii conſilio a IↃC Gallis, Belgis, et Hiſpanis ſervabatur, impetum ex improviſo facit, et poſt acre certamen ſylva potitur, moxque locum II CIↃ Anglis, Scotis et Batavis firmat, quos Philippus Naſſovius ducebat, qui tumultuario vallo eum ſtatim muniunt. Inde cum multum incommodarentur hoſtes, rex vero ſucceſſum urgens in campo aciem inſtruxiſſet, initio magna in eorum caſtris perturbatio fuit, donec Meduanius qui primam aciem ducebat, jam labantem erexit, et Ranutius cum Philippico equitatu ſuperveniens firmavit. Parmenſis ipſe e lecto ſurgens equum conſcendit, locique a rege occupati ſitum contemplatus cum judicaret fore, ut per eum apertam ad

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Dieppe, & S. Valery.*

CIƆ IƆ XCII. HENRICUS IV.

ad caſtra invadenda viam haberet, ante omnia illum recuperandum cenſuit, eoque in conſilio ob praeſens periculum ſumma ducum alioqui ſemper diſſidentium concordia fuit. Igitur VI CIƆ peditum delecta in duo agmina dividunt, praemiſſo expeditorum globo, et ad latus in colle diſpoſitis aliquot tormentis, et deſtinata delecta equitum manu, qui incurrenteis noſtros ſuſtinerent. Relicti in caſtris a tergo Helvetii, ad fortuita ſepoſiti. Procedente ex adverſo cum robore exercitus rege ab hora V matutina ad ſextam uſque pomeridianam crebris hinc inde incurſionibus pugnatum fuit, multique ex hoſtibus interfecti, et quanquam tormentis utrinque diſploſis, de ſumma tamen rerum minime eo die certatum eſt; Meduanio ſuos retinente, et dum Parmenſis decumberet, proclii aleam tentare aut non valente aut minus tutum exiſtimante: jamque pecunia deficiente et ad annonae caritatem accedente penuria, foederati, qui militem fame victum ſenſim a ſignis diſcedere, aut ad praedas et rapinas excurrentem a regiis intercipi, atque ita exercitum in dies minui viderent, Aumalio praeterea equitatum Gallicum ſe amplius retinere non poſſe affirmante, ex neceſſitate conſilium capiunt, et ſummo ſilentio ſine tympanorum pulſu aut tuba caſtra movent. Tantum ſignum vaſa convaſandi ignibus accenſis datum, et ſemileucam a Caudebeco loco a natura munito ac Sequanae propinquiore caſtra ponunt, tempore admodum nebuloſo ac pluvioſo, ob idque ſerius diſceſſu eorum a regiis cognito. Ranutius ultimum agmen ducebat, qui aliquot tormenta in caſtris prae feſtinatione ſine equis relicta, monito Aumalio ut paulum ſubſiſteret, tandem in tutum ſubduxit. Parmenſis vulnere aeger Caudebeci decumbebat, quod cura et vigiliis irritatum minabatur periculum, crebris deliquiis recurrentibus. Meduanius ipſe ex inveterato malo ac diu neglecto male affectus erat, Ranutius adhuc juvenis non ea auctoritate inter ſuos erat, ut cum ſummo imperio illos regeret, et alioqui a Gallis ſpernebatur, ita ut confuſe omnia ac negligenter in caſtris hoſtium adminiſtrarentur, nec niſi neceſſitate et urgente periculo in officio continerentur. Inter haec rex cum toto robore exercitus ſummo mane VI Eid. Maias in levem armaturam invectus ſub horam octavam, abſente Georgio Baſta, qui itidem ex morbo decumbebat, et in equitatum Belgicum, cui Carolus [a] Croius Cimaci princeps praeerat, acrem impetum facit, et XX vexilla equitum poſt exiguum certamen caſtris et impedimentis exuit, qui loco anguſto inter carros oppreſſi ad defendendum ſe impares, peditatu tardius adveniente, vix fuga ſe periculo ſubduxerunt.

IV. TANDEM poſt tot cladeis acceptas creſcente ſemper in dies omnium rerum penuria, Parmenſis habito cum Meduanio conſilio de tranſportando trans Sequanam exercitu cogitare coepit. Fabricati ad id Rotomagi ſumma diligentia ac ſilentio pontones, et extructa in utraque ripa propugnacula, alterum alteri oppoſitum, ad refraenandos regiorum tranſituris incumbentium impetus. Citimo Boſſuvii comes cum valida manu et aliquot levibus machinis imponitur: ulterius ſervare juſſus Claudius [b] Burlota legionis tribunus. Ubi cuncta ad profectionem inſtructa ſunt, dies dicta XI Kal. Jun. quo pontones inter ſe conjuncti et trabibus tranſverſis tecti advenerunt: in eos impoſitus primum equitatus Gallicus, cum parte impedimentorum tam Germanorum equitum, quam aliorum cataphractorum. Re ſerius animadverſa, cum jam Meduanius et Parmenſis, cum V CIƆ peditum, et apparatu bellico ac tormentis in ulteriorem ripam evaſiſſent, rex IƆ ſcloppetarios equites et CIƆ pedites delectos emittit, qui collem Boſſuvianae munitioni vicinum occuparent; ex eoque diſpoſitis tormentis, pontones abrumperent, et tranſitu hoſtem prohiberent. Ranutius, qui ultimum agmen ducebat, a patre monitus actutum CIƆ delectos pedites eo mittit, qui regiis tam ſtrenue ſe oppoſuerunt, ut dum illi circuitu longiore capto ad ripam

INTERPR. [a] *de Croy prince de Chimay.* [b] *la Beurlote,*

ripam deſcendunt, interim equitatus et impedimentorum quod ſupererat, cum Germanico equitatu, Rotomagum pervenerit, ibique flumen tranſierit. Peditatus reliquus, qui cum [a] Boſſuvio remanſerat, per pontones in ulteriorem ripam ſine damno abductis ſecum tormentis tranſmiſerit. Reſtabant tria tormenta navigio impoſita, quae Ranutius ultimum agmen colligens cum ſeu foſſorum ac fabrorum trepidatione ſeu negligentia videret relicta, omnem operam dabat, ut in tutum ſubduceret. Jamque in altum provecta erant, cum biremis regia, quae cum aliquot navigiis [b] Quillebovio ſive Henricopoli ſolverat, apparuit, et regii occupato illo colle, quem pridie inſeſſuri venerant, infeſta tormentorum diſploſione in Burlotanam munitionem et navigium ipſum fulminare coeperunt; ſed exiguo damno, quippe ictibus ex ſuperiore loco in inferiorem directis. Navigium, ut ictus declinaret, paulo ſupra Caudebecum ad [c] Millaregium [d] Moiorum arcem poſitu et aedificiorum excellentia conſpiciendam appulerat, et ad illud capiendum vi remigii naves regiae tendebant; id conſpicatus Ranutius, qui illuc accurrerat, et ad decus pertinere ratus, ne tormenta in manus hoſtium devenirent, protinus cohortem Hiſpanorum peditum eo properare jubet, dumque adveniret, jam propinqua bireme periculum veritus, ipſe cum [e] Mota tormentorum praefecto, A. Sanpaulo et tribus e nobilitate in navigium, quo tormenta portabantur, inſilit, nautis animos facturus, praeſentiaque ſua regios a re tentanda avertit. Subductis dein in tutum ope Hiſpanorum ſupervenientium tormentis, navigium et ceteros pontones, ne noſtris uſui eſſe poſſent, incendit, et cum parente ac Meduanio ſe conjunxit. Sero errore cognito a rege immiſſus [f] Sovraeus per [g] Arcuenſem-pontem jam multum provectis hoſtibus, paucos in pago interceptos, qui feſſi ſocios adſequi non potuerant, in templum a ruſticis loci munitum compulit, et in turrim incluſos ad extremum igni admoto ad deditionem adegit.

V. INTEREA feſtinatis agminibus deductus exercitus, verito Parmenſi ne per Pontem-arcuenſem immiſſis recentibus copiis rex fatigatos vigiliis et penuria milites in itinere interciperet, factoque per [h] Neoburgum itinere, quod et fortuito ſeu de induſtria incenſum eſt, biduo ad [i] Clodoaldi pontem pervenit, II ab urbe leucis, quem paulo ante Pariſienſes abruperant, ne ab ea parte a [k] Sandionyſiano praeſidio infeſtarentur. Sed diligentia Alexandri [l] Montani, cujus legio Lutetiae in praeſidio erat, pons ex navigiis tumultuario opere infra conſtructus eſt, per quem copiae tranſmiſſae in Briam deſcenderunt, ut in ea provincia ex labore et egeſtate, quam toto fere bimeſtri extremam perpeſſae erant, per otium ſe reficerent. Ad inviſendum Parmenſem Nemoroſia, Monpenſeria, et Guiſiana viduae urbe exierunt, eique pro re bene geſta gratulatae ſunt. Ille [m] Theodorici-caſtrum inde perrexit, ubi et aliquandiu commoratus eſt, dum pecunia ex Belgio inter milites diſtribuenda afferretur. Nam per totum ſemeſtre, quod in Gallica expeditione conſumptum eſt, duobus aureis tantum viritim adnumeratis milites contenti vitam toleraverant; tantum ſive auctoritate, ſive potius benevolentia, quam virtutis opinione conciliaverat, Parmenſis apud ſuos valebat. Meduanius ſalvo auxiliari exercitu et Rotomagi obſidione ſoluta in ea urbe remanſit, ut plenae morbi recrudeſcentis curationi per otium vacaret. Tam memorabili receptu, ut ſummam laudem non ſolum apud Philippum, ſed omneis rei bellicae duces meruit Parmenſis; ita nonnihil ſecuritatis nimiae ac negligentiae inſimulati ſunt noſtri, qui exercitum tot cladibus debilitatum et paene fame enectum ante oculos per latiſſimum Sequanae aeſtuarium tranſire illaeſum paſſi

INTERPR. [a] *le Comte de Boſſut.* [b] *Quillebœuf* al. *Ville-Henry.* [c] *la Meilleraie.* [d] *Srs de Mouy.* [e] *la Motte.* [f] *de Souvré.* [g] *Pont de l'Arche.* [h] *Neufbourg.* [i] *S. Cloud.* [k] *S. Denis.* [l] *del Monte.* [m] *Chateau-Thierry.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

paſſi ſunt; cum parte equitatus, qua maxime abundabant, per Arcuenſem-pontem miſſa hoſtem tranſitu prohibere, aut tranſeuntem nullo negotio ad internecionem delere potuiſſent. Cum vero Villarius vereretur, ne munitionibus, quae ad [a] Henricopolim feſtinatis operibus approperabantur, conſummatis navigatio impediretur, et ſenſim urbs vaſtato jam circum agro ad priſtinas anguſtias redigeretur, periculo praevertendum ratus, cum iis, quas penes ſe habebat, copiis, et aliquot tormentis Henricopolim petit. Locum per Bellogardii abſentiam muniendum ſuſceperat [b] Hoſpitalius Faius, eique Fabiani [c] Reburii et Olivarii [d] Templii legiones attributae erant. A quibus rex de Villarii conſilio certior factus protinus legionem praetorianam auxilio mittit, cui Ludovicus Bertonus Grillonius praeerat, vir notae generoſitatis ac pugnacitatis; iſque quanquam munitionibus nondum ad juſtam altitudinem perductis, hoſtem una atque altera oppugnatione fortiſſime repulit. Soluta obſidione et digreſſo Grillonio, Faius cum loci fidei ſuae commiſſi praefecturam excluſo Bellogardio, cui illa attributa erat, prenſatis praeſidii centurionibus ad ſe trahere diceretur, rex ſemel atque iterum ad eum mittit Philippum [e] Mornaeum Pleſſium, qui monitis officii ſui centurionibus et expoſita regis voluntate omnem Faio praefecturae adipiſcendae ſpem praecidit. Qua ex re tantum cepit dolorem Faius, ut in lethalem morbum inciderit, in quo vanam de praefectura ſpem adhuc agitans, quo vel imaginariae poſſeſſionis ſpecie ſe ſolaretur, morti proximus ultimo elogio mandavit, ut poſtquam obiiſſet, in majore propugnaculo a ſe exſtructo corpus ſuum per XXIV horas deſtitueretur, et a praeſidio aſſervaretur. Sub id Fr. Borbonius Monpenſeriae dux [f] Neuſtriae praeſes militiae laboribus attrito corpore [g] Lexovii nondum quinquagenarius IV Non. Jun. deceſſit; vir magni animi et regi ſumme fidus, qui ampliſſimarum toto regno ditionum heredem reliquit Henricum [h] Dumbarum principem unicum filium egregiae indolis adoleſcentem, qui res in Armorica adminiſtrabat, et in praefectura paterna ſucceſſit, Joanne [i] Aumontio equitum tribuno in [k] Armoricam in ejus locum miſſo. Aliquot ante menſibus ineunte anno Joannes [l] Calvimontius Guitrius caſtrorum praefectus eloquentia militari et bellica virtute magniſque rebus tota vita geſtis inter Proteſtanteis clariſſimus dux, ex Genevenſi expeditione reverſus, cum in [m] Bellovacis aegrotare coepiſſet [n] Soiono vico, [o] Gornaeum in Vexinenſi agro devectus, animi et corporis viribus confertim deficientibus fere ſexagenarius deceſſit. Villarius homo natura ſuperbus et Rotomagenſi ſucceſſu elatior, cum Henricopolis vi capiendae ſpe excidiſſet, ne nihil ea expeditione egiſſe videretur, [p] Pontem Atlaemari haud hinc procul in mediterranea oppidum pecunia expugnavit, corrupto [q] Viepontio Aquavilla praefecto, Viepontii [r] Neoburgici reguli, qui fidem regi conſtanter ſervavit, fratre, et multos ex regiis ſive tranſeunteis, ſive poſt diuturnam obſidionem ſe ex ſatigatione eo loco reficienteis una intercepit.

VI. EODEM tempore Guiſius, acceptis a Meduanio patruo et Parmenſi in Belgium redeunte copiis, in Campaniam diverterat. Et in itinere [ſ] Eſpernacum coenobio nobile oppidum ſitu opportunum, quippe ad Matronam poſitum, de cetero parum munitum, quod a [s] Sanſtephano tenebatur, caſtris admotis et violenta pulſatione facta ceperat. Id rex hortatu Nivernii Campaniae praeſidis cum ſibi ante omnia recuperandum cenſeret, non tamen recta eo ducit, ſed praemiſſo Nivernio, qui tormenta et apparatum bellicum adduceret, locum praetervectus [t] Catalaunum tendit,

INTERPR. [a] *Quillebœuf.* [b] *de l'Hoſpital Sr du Fay.* [c] *de Rebours.* [d] *de Tempel.* [e] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [f] *Gouverneur de Normandie.* [g] *Liſieux.* [h] *de Dombes.* [i] *le mareſchal d'Aumont.* [k] *Bretagne.* [l] *de Chaumont Guitry.* [m] *le Beauvoiſis.* [n] *Soion.* [o] *Gournay en Vexin.* [p] *Ponteau-de-Mer.* [q] *Vieuxpont d'Haqueville.* [r] *Baron de Neubourg.* [ſ] *Eſpernay ſur Marne.* [s] *de S. Eſtienne.* [t] *Chaalons.*

tendit. In tranſitu cum Bironus parens equitum tribunus poſt coenam locum propius luſtraret, ictu tormenti minoris in caput adacto occiſus eſt; ingenio acri, rerum oſu continuo, fortitudine, vigilantia cum praeſtantiſſimis hujus aevi ducibus comparandus, per omneis militiae gradus ad ſummum evectus; a puero literis non mediocriter tinctus; ubi ex ephebis exceſſit, nobilis ordinum ductor, legionis tribunus, alae equitum dux, caſtrorum praefectus, rei tormentariae praepoſitus, ac poſtremo equitum tribunus; quae omnia oon favore et gratia, ſed ſola virtutis opinione meruit. Erat quippe ab omni aſſentatione aulica alienus, imperioſus, iracundus, invidus, alienae gloriae obtrectator; de cetero in ſpeciem comis, feſtivus, in ſumptu profuſus. Septem magnis proeliis cum imperio interfuerat. Totidem ſcloppetorum vulnera adverſo corpore oſtentabat. Innumeris obſidionibus, certaminibus, fortem operam navaverat; ſummis oegotiis, legationibus tota vita praepoſitus, ſomni parcus, largior et hilarior in cooviviis, quae plerumque dicacitate condiebat. Cum primum ſomnum exegerat,. puero, quem ab epiſtolis ad pedes decumbentem habebat, excitato, quae toto die agenda erant, dictabat. Tum ſe rurſus ad ſomnum componebat, a quo expergefactus, breviculo recitato quae meditatio ſuggeſſerat, addebat aut detrahebat, tum munia inter belli duces diſtribuebat; commentaria rerum geſtarum perpetuo ſcribebat, quae ſuone an filii fato, incertum, magno certe Gallici nominis detrimento perierunt. Scripſerat et librum, quo munus praefecti caſtrorum prolixe explicabat, et exemplis luculentis illuſtrabat; quem filius cum mihi ſaepius ſe traditurum recepiſſet, poſtremo ſibi ſubreptum comperit. Vixit ad annum uſque LXVIII firma admodum valetudine, quamvis multis vulneribus confecto corpore et altero crure claudus; obſervatumque fuit, cum poſt horam alteram a cibo copioſe ſumpto interfectus eſſet, aperto corpore nihil eſculenti in ventriculo ejus repertum, inſigni caloris nativi in illa aetate vividi indicio, quo tam brevi tempore ſumpta jam concoxerat. Rex tanti imperatoris morte moeſtus iter perſequitur, et cum interim Nivernius [a] Riocuriam arcem cepiſſet, ad Eſpernaeum eo majoribus animis redit, C. Birono filio, qui ſummi caſtrorum praefecti munere in exercitu fungebatur, incitante, qui ad decus ſuum pertinere exiſtimabat, ne locus ad quem parens ſuus cecidiſſet, intactus relinqueretur. CIↃ CC delectorum in urbe praeſidium erat, cujus partem faciebat Cl. [b] Burlotae legio, pridie inde digreſſa: quo cognito rex per Givrium, qui [c] Burſalii in arce ſua haud longe a [d] Damerio erat, gradum accelerat, ut ſe medium inter auxiliareis et oppidum interponeret, et Birono ac Franciſco [e] Spinaeo Sanlucio horam condicit, qua cum copiis ſuis adeſſent. Illi cum paucis, quos penes ſe habebant, paulum provecti ſubito hoſteis conſpicantur, qui per viam arboribus tutam undique defenſi in montem oppido impoſitum crepebant, ex quo per calleis anguſtos vitibus hinc inde cinctos in illud facilis erat exſcenſio. In eos invecti cum ſuis Bironus, mox et Sanlucius, ac poſtremo Givrius, cum parum proficereot, et illi ſemper iter perſequereotur, tantumque CCC paſſus ab adverſo foſſae labro intercederent, rex ſupervenit cum Gilberto Curco, cui mandatum, ut cum XXX delectis labro foſſae occupato gradum accelerantem hoſtem anteverteret. Ipſe cum jam hoſteis obvios haberet, qui numero CCC erant egregie inſtructi, et in eo potiundi oppidi ſpem verſari videret, ſi auxiliares ingreſſu prohiberentur, cum paucis e nobilitate pugnam capeſſit, hortatuſque ſuos, ne ſe defererent, enſem ſtringit, et poſtquam treis primos ordines praetervectos vidit, concitato equo ante ſuos in latus incumbit, et obvios quoſque ſternit. Ex ſtrage elapſi dum palantes oberrant, mox in [f] Curcum, et alia parte in Bironum, Sanlucium ac Givrium praecipitant, a quibus ad unum caeſi ſunt, ex pomoerio ſpectantibus obſeſſis. Multi ex ooſtris

ſariſſarum

INTERPR. [a] *Riaucour.* [b] *la Bourlote.* [c] *Bourſaut.* [d] *Damery.* [e] *d'Eſpinay Sr de S. Luc.* [f] *de la Curée.*

ſariſſarum ictibus graviter laeſi, multi equi ſuffoſſi. Deſiderati [a] Fortius, et Patraſſius Givrii legatus. Eodem die inſeſſi omnes oppidi aditus, ne auxilia introduci poſſent, [b] Sanpaulo annitente, ut locum a ſe captum ſuppetias defenſoribus ferendo ſervaret. Itaque ductum circa vallum longo et ſinuoſo amfractu, partemque ſibi ſervavit rex, et Carolo Birono; partem tuendam Nivernio attribuit, adjunctis ei Sanlucio et Givrio; dum interim [c] Longavillanus ex Picardia, [d] Bullionii dux, et G. Schombergius cum Germanis equitibus ac peditibus in caſtra reverterentur, et Carolus [e] Lucemburgus Briennae comes, [f] Pralinius, Carolus [g] Claromontius Talarius Tornodori comes, Carolus [h] Scarſius Aeſae regulus, aliique ex Heduis et Campania ipſa advenirent. Jamque derivata ex foſſa aqua IV tormenta dirigebantur, cum ſenſim urgendo, propugnaculum, foſſae ab ea parte imminens, occupatur, citra tormentorum ſubſidium, in quo muniendo dum Bironus laborat, gravi in humero accepto ſclopeti ictu vulneratus eſt. Cum cuncta ad oppugnationem parata eſſent, tandem obſeſſi, qui obſtinatos ſe ad defenſionem huc uſque oſtenderant, animos demittunt, et colloquium cum Givrio poſcunt VI Eid. Sextil. et cum convenire primo non poſſet, et poſtridie verberatio redintegraretur, tandem miſſis a [i] Villerio, qui loco praeerat, delegatis, tranſactum eſt, his conditionibus, ut oppidum regi integrum cum tormentis et apparatu bellico traderetur, praeſidiarii cum armis, equis et impedimentis fune extincto, ſine ſignis et tympanis, nihil rerum ad oppidanos pertinentium ſecum aſportantes, ſub veſperam exirent, et [k] Durocortorum Remorum incolumes deducerentur. De ſignis caput ita concipi placuit, ad obſeſſorum ſolatium: ea Boſſuvianae legionis III erant, quae rex retinuit. Guiſius ad obſidionis famam cum equitatu Lotaringico Durocortorum Remorum venerat, ſed ſerius, jam dedito Eſpernaeo. Inde ad [l] Provinium admota caſtra, [m] Briae primariam urbem, ſed vaſtam et inaequali ſitu debilem, quam [n] Paſtoreus Rupella cardinalis Guiſii olim intimus praeſidio tenebat. Ea poſt aliquot dierum moram, quibus obſidionis potius terror oſtentatus, quam urbs vere obſeſſa eſt, regi deditur Nonis Septembribus.

VII. POSTEA ex Nivernii conſilio ad [o] Gornaeum IV ab Urbe leucis munitio exſtruitur, ad prohibendam annonae per [p] Matronam ſubvectionem. Id municipium eſt coenobio Benedictino nobile, quod ad locum firmandum a fundamentis deſtructum eſt, et loco pontis lignei, qui in flumine erat, per bella rupti, ex navigiis conjunctis alius pons ſtratus, ad ejuſque cuſtodiam cum valido praeſidio Odetus [q] Lanovius impoſitus, et fide, quae praecipue in praefecto requirebatur, et virtute praeſtans. Nam fere praefecti lucro ineſcati mala fide in hujuſmodi praeſidiis verſabantur, accepta pecunia contra regis edictum annonam ad hoſteis tranſportari patientes, idque Lutetiae deditionem hactenus retardaſſe regi in arcano conſtabat; quod cum ille in aliis pro tempore diſſimulare cogeretur, in nova hac munitione tunc exſtructa eum delegit, cujus fidem perſpectam haberet, ut nihil tale in eo metuere poſſet. Id cum Pariſienſibus maxime incommodaret, annonae, quae [r] Meldis antea et Theodoricicaſtro copioſa importabatur, ſubvectione impedita, Meduanius ab illis exoratus locum adoritur, copiis fluvio intermedio admotis; ſed rex mox ſuperveniens conatum ejus impedivit, et poſt aliquot velitationes, in quibus ab utraque parte aliqui deſiderati ſunt, Meduanius inde diſceſſit.

VIII. JAM ante dum rex ad Rotomagum adhuc haereret, venerat ad eum Nicolaus [s] Fumeus epiſcopus Bellovacenſis, vir bonus et quietis publicae ſtudioſiſſimus, a coetu

INTERPR. [a] *le baron du Fort, & le Sr de Patras.* [b] *de S. Paul.* [c] *le Duc de Longueville.* [d] *de Bouillon.* [e] *de Luxembourg comte de Brienne.* [f] *de Praſlin.* [g] *de Clermont-Tallard comte de Tonnerre.* [h] *d'Eſcars baron d'Ais.* [i] *le Sr de Villiers.* [k] *Reims.* [l] *Provins.* [m] *Brie.* [n] *Paſtoureau Sr de la Rochette.* [o] *Gournay.* [p] *la Marne.* [q] *de la Noüe.* [r] *Meaux, & Chateau-Thierry.* [s] *Fumée evêque de Beauvais.*

coetu illo antiſtitum, qui regis partes ſequebantur, quique contra bullas pontificias decretum ſecerant, miſſus ur ipſum ad religionem majorum capeſſendam hortaretur, peteretque cum bona ejus gratia et citra ſenatus Pariſienſis offenſionem, qui auctoritatem ſuam interpoſuerat, liceret ad pontificem delegaros mittere ad reddendam decreti a ſe facti rationem; qua legatione, ſicuti aiebant, ſe quoque id conſecuturos ſperabant, ut melius de ſtatu rerum noſtrarum inſtructus ponrifex et ab ipſis perſuaſus ſe medium deinceps in hoc negotio gereret, rationeſque quaſi judex et aequus arbirer relictis partibus iniret, quibus rex eccleſiae reconciliari, et foederati ad obſequium reduci poſſenr. Rex, qui rem tanti momenti non ſine matura deliberatione tranſigi poſſe animadverteret, Achillem [a] Harlaeum ſenatus principem, Joannem [b] Thumerium, Jacobum [c] Gillotum, Joannem [d] Villamerellum ſenatores ad ſe [e] Caeſaroduno Turonum evocaverat, ut coram iis negotium diſceptaretur. Ii apud regem obnixe inſtabant, ne legatio Romam mitteretur, quippe ſic infringi ſenatuſconſulti auctoritatem, quo id nominatim prohibebatur. Aderar Reginaldus [f] Belnenſis Biturigum archiepiſcopus, qui magni eleemoſynarii munere poſt Jacobi Amioti mortem in aula fungebatur, et diſciplinae ſeorſim a pontifice, quippe hoſte, in eccleſia Gallicana conſtituendae, quod ſenatus urgebat, favere dicebatur; ea ſpe, ſicuti aemuli jactabant, ut ipſe, qui jam patriarcha eſſet, nam eam digniratem unus in Gallia archiepiſcopus Biturigum obtinet, veluti princeps epiſcoporum in iis, quae ad diſpenſationem gratiarum, et ſacerdotiorum collationes ſpectant, ad tempus quamdiu ſciſſura duraret, in regno diceretur. Eadem invidia Philippus Lenuncurius cardinalis laboraverat, ob idque Romae traductus fuerat; qui cum paucos ante menſeis [g] Bloeſis ex moerore injuriae acceptae et inultae obiiſſet, cuncti in Bituricenſem oculos conjecerunt. Sed cardinalis Borbonius, qui dignitatem, quam ipſe, quippe ſacris ſolutus, obire non poterat, aliis invidebar, interceſſit; cauſatus, ſi patriarcha in Gallia crearetur, fore, ut ſciſſura eo magis firmaretur, et pontifex tanta injuria exacerbatus, quem poſſe flecti ſpes eſſet, a regiis partibus omnino alienaretur. Bellovacenſis epiſcopus ad regem admiſſus, deplorato miſerabili eccleſiae ſtatu, inprimis de corrupta contra ſacras conſtitutiones, leges regias, diſciplina prolixe conqueſtus fuerat, ac nullo exemplo factum dicebat, ut oeconomi ſpirituales inaudito ad hoc tempus nomine conſtituerentur, qui epiſcopatus et vacantia ſive morte ſive per crimen perduellionis coenobia adminiſtrenr, er ſacerdotia ram regularia quam ſaecularia, tam quae animarum curam habent quam quae non habent, quibus volunt, conferanr, eandemque prorſus quam legitimi praeſules auctoritatem et juriſdictionem exerceant. Ea de re in magno conſilio decretum factum, cujus vi, quicunque a rege ad ſacerdotia conſiſtorialia er electiva hominantur, protinus in poſſeſſionem mittuntur. Ex eodem tribunali et decreta prodiiſſe, quibus oeconomis reſignationem in favorem admittendi, de gradibus prohibitis diſpenſandi, aliaque gratiae ſubſidia concedendi facultas datur, exemplum dein ad alias curias tranſiiſſe, et ſenatum Pariſienſem, qui Caeſaroduni Turonum hodie jus dicit, idem decreviſſe, eandemque, quam Romae pontifex habet, epiſcopis poteſtatem feciſſe: ea re periculoſo in praeſens, in poſterum detrimentoſo exemplo, juriſdictionem eccleſiaſticam ac diſciplinam mirum in modum labefactari atque omnino ſolvi. Itaque ſupplex nomine delegatorum petebat, quo malis inde procul dubio ſecuturis mature obviam iretur, et ſaluti animarum ac conſcientiarum tranquillitati eadem via proſpiceretur, ut rex oeconomos illos ſpiritualeis a magno conſilio inſtitutos peculiari edicto revocaret, ediceretque,

INTERPR. [a] *de Harlay premier préſident.* [b] *de Thumery.* [c] *Gillot.* [d] *Villemereau.* [e] *Tours.* [f] *de Beaune archevêque de Bourges.* [g] *Blois.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV.

ediceretque, ne quis in conſiſtorialium ſacerdotiorum poſſeſſionem vi ſolius regiae ad ea nominationis ſine alio titulo mitteretur, neve jus eſſet illis ea quantum ad jura ſpiritualia adminiſtrate. Decreta item revocaret, quibus facultas reſignationes in favorem admittendi, ſacerdotia ſive electiva ſive alia conferendi oeconomis datur. Senatusconſulta denique tam Pariſienſis, quam aliarum curiarum irrita pronunciaret. Quibus de rebus ſanctae ſedi reſervatis diſpenſandi epiſcopis ab ea delegatis jus attribuitur, ita ut omnium, quae huc uſque contra ſacras conſtitutiones et diſciplinam in eccleſia receptam tam a magno conſilio, quam a ceteris regni curiis decreta eſſenr, nulla ratio haberetur. Ad haec quid reſpondendum eſſet, cum in regis conſiſtorio ambigeretur, et novam ac tempori accommodatam in rebus eccleſiaſticis diſciplinam ſervari, quam nullam omnino eſſe, conducibilius videretur, variae dictae ſententiae, exploſaque de patriarcha per univerſum regnum creando injecta mentione, quod rem eccleſiaſticam potius ad optimatum ſtatum, quam ad principatum inter tot aemulos reducendum ſatius ducerent, iniri coepit ratio, qua eccleſiae dignitate ac diſciplina ſalva quamdiu ſciſſura duraret, perturbationi ex ea ſecutae occurri poſſet. Poteſtate illa, quae in uno nimia et invidioſa videbatur, in ſingulos epiſcopos, qui regias partes ſequebantur, quaſi per gradus didita. Itaque condita regio nomine pragmatica, qua rex multa praefatus de deceſſorum ſuorum praecipuo erga eccleſiam ſtudio exemplo Clodovei, Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotarii, beati Ludovici et aliorum, et remediis tempore ſciſſurae ab iis ad ſarciendam eccleſiae concordiam adhibitis, ſpiritualeis oeconomos tanquam non legitimos rerum ſacrarum diſpenſatores revocabat, edicebatque, ut nominationibus ad epiſcopas, coenobia, electiva ſacerdotia, aliaque quae deinceps per ceſſum, deceſſum, aut perduellionis crimen vacare contingeret, poſt trimeſtre a publicati edicti die per ipſum factis accederet archiepiſcopi, cui epiſcopa ſubeſſet, auctoritas, quae vim eamdem, quam diploma pontificium haberet; iſque a rege nominatum, ſi idoneus reperiretur, intra tempus praeſcriptum cum aliis epiſcopis conſecraret. Quod ſi contingat archiepiſcopum, cui epiſcopa ſubeſt, a regiis partibus defeciſſe, aut id recuſet, proteletque negotium, ad proximum primatem res devolvatur. Coenobiorum item, aliorumque ſacerdotiorum, in quibus nominationis jus eſt, vacatione interveniente, epiſcopi, in quorum dioeceſi ea ſita ſunt, diplomata concedant, et ſi epiſcopus a rege defecit, aut recuſet, proteletque negotium, res pariter ad ſuperiorem ſive archiepiſcopum ſive primatem remittatur. In ſacerdotiis collatitiis hic ordo ſervetur, ut archiepiſcopi, epiſcopi, collegia, archimandritae, aliique ordinarii jus ſuum retineant: ceterum, ſi in favorem, aut cum penſionis retentione ceſſio fiat, ab archiepiſcopis aut epiſcopis, in quorum dioeceſi ſita erant, ejuſmodi ceſſiones admittantur, iiſdem clauſulis et cautionibus, quibus in curia Romana fieri conſuetudo erat; eandemque illis gratiam petentibus facere jus ſit, quam pontifex facere poterat, ſalvis juribus patronatus et academiarum ad ſacerdotia nominationibus in urbibus, quae fidem regi ſervant. Et quia plerique archiepiſcopi, epiſcopi, archimandritae, aliique ordinarii collatores a regiis partibus defecere, cadem pragmatica conceſſiones ab iis eorumque vicariis a tempore edictorum a deceſſore ſuo beatae memoriae in eos publicatorum, factae reſcindantur. Inhibebaturque cunctis regni ſubditis, ne earum beneficio uterentur, judicibuſque ne rationem illarum in ferendis ſententiis haberent. Ac procuratori generali ejuſque ſubſtitutis enixe mandabatur, ut in eos, qui contra facerent, aut Romam mitterent, diligentiſſime et indeſinenter inquirerent, et tanquam publicae tranquillitatis perturbatores et laeſae majeſtatis reos plecti curarent; curionum inſtitutione libera manente penes eos, ad quos jure pertinet, etiamſi fidem regi non ſervent. Ad cetera ſacerdotia, quorum diſpenſatio ad perduelleis pertinet, dignos et idoneos nominare regi jus ſit, quique ab eo

ita

ita nominabuntur, ab dioeceſis, in qua ſacerdotia ſita erunt, epiſcopo ſive archiepiſcopo confirmationem legitimam accipere teneantur. Archiepiſcopi et epiſcopi, in ſua quiſque dioeceſi eadem cum poteſtate et gratia in ſupremis regni curiis comprobata diſpenſent, qua fieri Romae jus erat. Collationum et conceſſionum hujuſmodi acta publica ab archiepiſcopis et epiſcopis aliiſque ordinariis conficiantur, earumque documenta ſignata poſt menſem ab ejerationis inſtrumento oblato partibus tradere ſecretarii teneantur; ſi facere recuſent, pro nullis habeantur; et ut falſitatibus obviam eatur, dies, quo tradita erit, apponatur. Conſtitutiones regiae ſuper eis rebus atque inprimis edictum Henrici II anno CIↃ IↃ LII de miſſione in poſſeſſionem, publicatione et inſinuatione factum diligenter ſervetur, et juxta conſtitutiones antiquas, nullo extero quanquam regnicolae, niſi gratia de hac re a rege impetrata, ſacerdotium in regno tenere jus ſit: ſi ſecus fiat, hujuſmodi conceſſiones irritae pronuncientur; mandaturque judicibus, ne ullam earum rationem habeant. Et quoniam ſeditionis malo ubique graſſante acciderit, ut plerique praeſules, ob fidem regi ſervatam, a ſua dioeceſi ſint expulſi, ob eamque cauſam collationes ab iis factae, et ſententiae ab iis eorumque vicariis tanquam extra territorium latae in dubium revocari poſſint, cuncta ab iis tam in ſacerdotiorum diſpenſatione quam juriſdictione geſta tanquam rite ac legitime facta regia auctoritate confirmantur; et ad extremum II ex praeſulibus regni, loco S. Genovefae abbatis, et cancellarii Pariſienſis à rege nominantur, qui gratiae cancellario praeſidibus, libellorum ſupplicum magiſtris et ſenatoribus Pariſienſibus a pontifice factae beneficium impertiantur. Quod in parte per quadriennium deinceps tenuit; quanquam ſaepius tentatum ſit, ut ab eo recederetur. Tunc vero cum rex Argentolium veniſſet, inſtante cardinali Gondio, qui Romam profecturus erat, et operam ſuam regi prolixe deferebat, tandem antiſtites, qui in regis comitatu erant, pervicere, ut legatio decerneretur, et Joannes Vivonus Piſanii marchio, vir fidei perſpectae, qui oratoris munere diu Romae magna cum laude defunctus fuerat, in Italiam mitteretur cum mandatis ad pontificem, et principum, epiſcoporum, et aliorum procerum, qui regis partes ſequebantur, nomine, in gratiam cum a ſancta ſede recipi peteret; eodem officio ſenatus Venetus ex compacto per oratores ſuos defuncturus erat.

IX. Antequam ulterius progrediar, neceſſarium videtur, ut quae Romae poſt Innocentii mortem in ſucceſſoris ejus electione ſecuta ſunt, ordine explicentur. Poſt novendialeis preces peractas III Eid. Jan. cardinales numero LIII conclave ingreſſi ſunt ſub veſperam, quorum XXX conſentientibus ſuffragiis ad creandum pontificem ſufficiebant; ſi XVII intercederent, creatio impediebatur. Factio Hiſpana, cujus princeps erat Ludovicus [a] Madrucius cum oratore Philippico, proponebat, ut unus ex V eligeretur: ii erant [b] Sanctorius, Ptol. [c] Gallius Comenſis, ipſe L. Madrucius, G. [d] Palaeotus, et M. Ant. [e] Columna: Orator Philippicus ipſe conclave ingreſſus, eo conſilio, ut Jul. Ant. Sanctorius, cui praecipue navabat operam, antequam conclave clauderetur, pontifex crearetur, nec niſi poſt quartam noctis horam inde egreſſus eſt, adverſae factionis cardinalibus interea advigilantibus, qui ſtatim poſt ejus egreſſum ſe ad quietem compoſuerunt: quod ubi cognovere Hiſpani, ex compacto tunc expergefacti concurſu facto ad ſacellum adorationi et ſcrutinio deſtinatum properant, ut Sanctorii pedibus accederent. Ad hunc tumultum cum multi, licet adverſae factionis, qui rem confectam putabant, imprudenter, et ut in tenebris fit, ad adorationem properarent, Franciſcus [f] Sfortia in tunica ſurrexit, ſumptaque ſyntheſi in aulam regiam, quae vulgo vocatur, ſacello illi proximam perrexit, ubi ſuos, qui in ſacellum gratiam aucupaturi alios ſequebantur, manu prenſatos retinuit, et in ſacellum Sixtanum abduxit.

INTERPR. [a] *Madrucci.* [b] *Santario.* [c] *Gallio cardinal di Como.* [d] *Paleotto.* [e] *Colonna.* [f] *Sforza.*

CIϽ IϽ XCII.
HENRICUS IV.

abduxit. Paulum res ab exitu abfuiſſe creditur, niſi Aſcanius Columna junior, qui eodem errore inductus jam ſacellum cum aliis ingreſſus erat, ſe a Sfortia monitus ſubduxiſſet, illum fruſtra retinere conantibus Henrico [a] Cajetano et Hieron. Matthaeo cardinalibus. Praeſto fuit et Columnae Sfortia de vi et injuria omnes collegas tam alta voce conteſtatus, ut etiam extra conclave exaudiretur, Sanctorium tanquam furioſum, intractabilem et ſimoniacum publice deteſtatus; minis etiam additis, niſi res intra legitimos liberae electionis cancellos coerceretur, nimirum fore, ut vis contra vim pararetur, et cruor ex conclavi ad S. Petri uſque baſilicam per gradus dimanaret. Sfortiae Marcus [b] Siticus Altempſius et Inicus [c] Davalus Arragonius ſe ſocios adjunxere, addebatque Inicus, [α] Diabolum eum papam per iram vocitans, ab Sanctorio ſibi VIII aureorum CIϽ promiſſa, atque inſuper purpureum galerum Thomae nepoti, ſi ſuffragio ipſum ſuo juvare vellet. Aſcanio Columna ad Sixtanum ſacellum cum ſuis tranſeunte ſacrum celebratum fuit, eoque peracto univerſi ejuſdem factionis ſocii ſacrum viaticum de manu Pauli Sfondrati ſumpſerunt. Tum factum inter eos ſcrutinium; idem, qui in altero ſacello erant, fecere; ex XXXV, qui aderant, tantum XVIII reperti, qui Sanctorio ſua vota addixerint. Nam Hier. [d] Roboreus, Gul. [e] Alanus, Aug. [f] Cuſanus, Ant. Maria [g] Salviatus, Aug. [h] Valerius, Jo. Fr. [i] Maurocenus ſciſſuram veriti ob proteſtationem a Sfortia factam, diſceſſerant. Ita ſenſim eorum, qui Sanctorio ſuffragabantur, decreſcente numero, quamvis Alexander [k] Perretus Montaltus cum ſua factione omnem operam daret, ut is pontifex crearetur, et non ſolum Philippus, ſed ſenatus Venetus et magnus Etruriae dux Ferdinandus in eundem, quod ſciſſis alioqui ipſorum ſtudiis ſumme admirabile fuit, conſentirent. Res indeciſa diu manſit, experimentoque conſtitit, plus in iis comitiis intercedenteis nocere, quam faventeis juvare poſſe. Sanctorius, quem illicitis promiſſis ad ſummum magiſtratum graſſari aemuli cauſabantur, contra ſibi injuriam fieri queſtus ſe jam inter ſuos pro pontifice gerebat, et obvias ſalutationes et complexus pro legitima creatione interpretabatur, proteſtationibus ea de re in ſingulis conventibus crebro repetitis. Philippici ne nihil intactum relinquerent, Andream Auſtrium et Carolum Lotaringum cardinaleis, nec non, ut jactatum fuit, ipſum [l] Gondium fruſtra per literas evocare conati. Franciſcus [m] Jouſa, qui in Galliam tendens jam ad Sabatia vada proceſſerat, pariter a Philippicis Romam revocatus. Quo poſtquam venit et ad aedeis [n] Dioenſis equitis divertit, ubi eum Philippicus orator convenit, in conclave ſe incluſit XVIII Kal. Feb. Etruſcus grandi pecunia Flaminium [o] Plarum, quam ille generoſe recuſavit, Sanctorio conciliare volnit. Idem cum Conſtantio Sarnano tentavit. Verum ille et pecuniam accepit, id ſibi a tanto principe licere dictitans, liberumque nihilominus ſuffragium ſervavit. Tandem eo res rediit, quo Sanctorius omnino excluderetur, ut XVIII cardinales ſcheda ſubſignata ſe ſacramento ſolemni obligaverint, nunquam in ipſius electionem conſenſuros. Inter hos aeſtus paene vota in Salviatum inclinarunt. Nam in ſcrutinio faciendo reperta XXVIII ſuffragia, quibus et IIII acceſſerunt, tantumque III et ſuum ipſius defuit. Salviato excluſo fama pet urbem ſpargitur de Palaeoto quaſi pontifex creatus eſſet, quae ſtatim evanuit. Ita diſſidentibus inter ſe factionibus er mutua interceſſione ſe excludentibus, cum res in longum prolata haud facilem exitum habitura videretur, Hiſpani diligenter de re omni ad Philippum perſcribunt. Per otium interim, Romana laſcivia, tabulae contrariae ſpecie Paſquillorum noctu ab indignantibus miſerantibuſque proponuntur. In altera ipſe Sanctorius cruci affixus videbatur, quaſi exſpectatione ſuſpenſus inter ſaevos ambitionis

VAR. LECT. [α] Diabolicum MS *Samm.*

INTERPR. [a] *les Cardinaux Gaetano & Mathei.* [b] *Sitic d'Altemps.* [c] *Davalos d'Arragona.* [d] *della Rouere.* [e] *Allen.* [f] *Cuſano.* [g] *Salviato.* [h] *Valerio.* [i] *Moroſini.* [k] *Perretti Montalto.* [l] *de Gondy.* [m] *de Joyeuſe.* [n] *le commandeur du Dieu.* [o] *Plata.*

ambitionis cruciatus animi penderet. Hinc inde duo latrones adpicti erant, quorum bonus, qui vulgo dicitur, ad dextram poſitus Palaeoti imaginem referebat, quod is tandem in ipſius electionem conſenſiſſet; ad laevam malus P. Sfondrati vultum praeſerebat, quod ille obſtinato contra eum animo in propoſito manſiſſet: infra in turba Judaeorum Arragonius Caiphae, Altempſius Herodis, Aſcanius Columna Judae, alii aliorum perſonam ſuſtinebant. In altera tabula hinc adverſae Sanctorio factionis principes ſub XII apoſtolorum ſpecie ſtabant; inde Sanctorius ipſe Simonis Magi imagine cum ſuae factionis cardinalibus ad vivum expreſſis, qui perfricta fronte Sancti Spiritus gratiam a beato Petro ſibi conferri petebat; latus ejus cingebant Madrucius factionis Hiſpanae et Montaltus Sixtanae principes, qui magna vi auri oblata Petrum et ceteros apoſtolos prenſabant. Dum licentioſe adeo in re ſeria luditur, vacante ſede Jo. Vincentius Gonzaga olim eques Hieroſolymitanus, Jo. Mendoza, et Hieronymus Roboreus cardinales Romae deceſſerunt. Excluſo Sanctorio, cujus ſperata electio decem dierum ſpatio omnium animos ſuſpenſos tenuerat, de Madrucio cardinali injecta mentio, et prenſati quidam ex Sixtanis ab ejus partibus minime ſe alienos oſtendebant, idque Spinola cardinalis apud Montaltum urgebat, qui cum ſuis, hoc eſt, Sixtanis ea de re ſerio ſe acturum, et ſi quidem illos concordes reperiret, officio minime defuturum receperat. Sed cum Philippi id reſpectu dixiſſet, quo fide data ſe honeſte liberaret, non aegre tulit, nec ipſo inconſulto factum putatur, ut Alexander Medices, Jo. Franciſcus Maurocenus, Benedictus Juſtinianus cardinales intercederent. Inde excuſandi ſe apud Spinolam Montalto quaeſitus color; nec propterea ab eo ſeparatas res habere potuit. Madrucius vero, qui factionem Hiſpanam cum Sixtana conjunctam omni ratione retinere jubebatur, majorem Philippi mandatorum, quam propriae dignitatis rationem habuit, et ab omni deinceps prenſatione ultro abſtinuit. Nec M. Antonius Columna ſe deſeruit, qui meritorum fiducia ſummum eccleſiae magiſtratum ſumma animi anxietate ambiebat. Sed ſpes de eo ſubito evanuit. Itaque Montaltus, qui de Sanctorio, Madrucio et Columna actum videret, et Hippolytum Aldobrandinum ſuae factionis cardinalem a Philippo nominatum minime ignoraret, petita a Madrucio venia ex improviſo ipſum propoſuit IIII Kal. Feb. ſub veſperam, antequam magni Etruriae ducis, quem ei adverſaturum rebatur, miniſtri intercedere poſſent. Reſque tanto ſtudiorum fervore poſt longum et obſtinatum diſſidium peracta, ut ſine mora cuncti ad adorationem acceſſuri eo ipſo die viderentur. Tandem ſequenti concordibus XL cardinalium ſuffragiis electus Aldobrandinus in [a] Paulinum ſacellum deducitur, nec tamen ante in ſella parata ſedere voluit, quam de geniculis ante altare Deum adoravit, multum precatus, ut rem ad ſuam gloriam et rei Chriſtianae bonum proſperaret; nec aliter ſineret, ut ipſe in eam electionem conſentiret, ſed lingua faucibus adhaereſcente potius obmuteſceret. Is Florentia oriundus nobili familia [b] Fano, quae civitas eſt in littore [c] Adriatico inter [d] Piſaurum et Senogalliam non longe a [e] Metauro amne ſita, natus parentibus Silveſtro, qui conſiſtorialis advocati munere magna cum laude olim functus fuerat, et Leſa [f] Deta. Primum literarum tirocinium fovente ejus ſtudia Alexandro Farneſio Romae fecit, dein Ferrariae, poſtea [g] Bononiae juri civili operam dedit, doctore G. Palaeoto, et a patruo Joanne cardinali Romam evocatus per omneis illius aulae dignitates, quaſi per gradus, promotus, poſtremo meruit, ut a Sixto V in collegium cardinalium cooptaretur, a quo et in Poloniam cum ampliſſima legatione miſſus, ut comitiis novo regi creando intereſſet, et pontificis auctoritatem interponeret.

INTERPTR. [a] *Chapelle dite la Pauline.* [b] *Fano.* [c] *Golfe de Veniſe.* [d] *Peſaro & Sinigaglia.* [e] *Metro r.* [f] *Deti.* [g] *Bologna.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV. interponeret. Renunciatus eſt pontifex III Kal. Feb. hora XIX, cum annum ageret LVI, et IIII Non. Feb. qui in Dominicam incidebat, ab Alſonſo Geſualdo epiſcopo Oſtienſi conſecratus: et octavo poſt die coronatus inſignia a Franciſco Sfortia diaconorum cardinalium principe ſuſcepit, et Clemens VIII diei voluit.

X. NUNC ad noſtra redeo. Igitur cardinalis Gondius cum [a] Piſanio Octobri menſe in viam ſe dat, per urbes regias fere iter faciens, et ubi [b] Rhaeticas Alpeis uterque ſuperavit, Piſanius [c] Andeſani ad Benacum ditionis Venetae lacûm amoeniſſimo loco ſubſtitit. Cardinalis iter Romam inſtitutum perſequitur, praemiſſo Florentia amanuenſi, ut rumores in ſuam invidiam a factione Hiſpana ſparſos dilueret: qui tamen apud pontificem tantum valuerunt, ut protinus Alexandrum [d] Franceſchinum Dominicanum ad cardinalem miſerit, cum mandatis acerbitatis plenis, quibus eum, ne ſtatus eccleſiaſtici limitem ingrederetur, vetabat; cauſis additis, quod in motibus Gallicis ſe non ſolum minime pro bono cardinali, ſed ne quidem pro bono Chriſtiano geſſiſſet, Navarri licet haeretici, relapſi, et a ſancta ſede damnati rebus aperte favens, ita ut nemini eorum, qui Roma ad Gallias miſſi ſunt, ab ipſo ſatis ſit factum. Quod temperamenta ubique quaerens veluti emplaſtris religionis negotium obleverit, quo regnum in manus haereticorum recideret. Quod non erubuiſſet ante profectionem cum ipſo colloqui et ſermones ſerere, contra expreſſum ſanctorum Joannis et Pauli praeceptum. Quod per urbeis haereticis obedienteis in Italiam veniens iter fecerit, devitatis contrariae factionis urbibus tanquam ſuſpectis, et ſparſa ubique fama, quaſi a pontifice arceſſitus veniret, aſtu plane diabolico, quo ipſum Catholicis ſuſpectum redderet. Praeterea ab ipſo additum, certo ſe ſcire, pontificem, ſimul ac primae miſſae Navarrus interfuiſſet, ipſum in gratiam recepturum et ad regni ſucceſſionem impertita benedictione admiſſurum. Haec vero omnia feciſſe, contempto cardinalis Placentini mandato, ne regno pedes efferret, per literas monentis, ſiquidem ob id Romam proficiſceretur, ut de Navarri cauſa ageret. Nam pontificem nolle omnino ut ulla de Navarro apud ſe fiat mentio; et apud animum ſuum conſtituiſſe, omneis opes et ſanguinem, ſi opus ſit, profundere, ut Navarrum ſperata regni poſſeſſione excludat. Ad haec mandata, quae et ſcripto complexus eſt Franceſchinus, reſponſum uno verbo a Gondio, plane falſa eſſe omnia quae objicerentur, praeterquam quod cum Navarro collocutus eſſet. Id vero neceſſitate adactum feciſſe, quippe cum illo rerum potiente et cuncta late occupante ad id cogi etiam invitus poſſet; quod ſi exſpectaſſet, rem parum faſtigio ſacro dignam feciſſe a pleriſque exiſtimari potuiſſe. Ceterum videri durum, ut antequam ipſe audiatur, et de regni ſtatu pontificem coram edoceat, damnetur. Nam ſi nocens ſit, advenire, ut ſe a criminibus objectis purget, et digna admiſſis caſtigatione arbitrio pontificis plectatur. Sic autem ſemper obſervaſſe, nihil cupidius a pontificibus expeti, quam ut cardinaleis criminis alicujus reos in poteſtate habeant; contraque illos, ſi ſibi conſcii ſint, nihil pejus Roma odiſſe: ut mirari ſubeat qui pontifex ipſum aditu prohibeat. Verum id artibus eorum fieri, qui odio et ambitione caeci impedire conantur, ne pontifex in calamitatibus noſtris verum pervideat, ſciatque XL amplius epiſcoporum ſedeis paſtoribus deſtitutas in regno vacare, eorum vectigalia a militibus, foeminis et hujuſmodi profanis perſonis, magna animarum eſurientium et ſitientium jactura, et incredibili ſacri ordinis dedecore poſſideri. Ne denique ſciat nihil minus pleroſque qui palam pietatis cauſam obtendunt, quam ſanctae ſedis dignitatem aut ipſius religionis amplificationem ſectari; eoque res obſtinatis ad privatas cupiditates animis deductas eſſe, ut niſi mature a pontifice conſulatur, ſero opus facto eſſe ſentiat. Sed nimirum id

INTERPR. [a] *de Vivonne marquis de Piſany.* [b] *des Griſons.* [c] *Deſenzano près le lac de la Garde.* [d] *Franceſchini.*

Digitized by Google

id agi, ut ipſe ab aditu excluſus cunctis terriculamento ſit, ne quis de Galliae calamitatibus poſthac ſermonem injicere audeat, omneſque intelligant, indictum eſſe in perpetuum de Navarro acturis ſilentium. Porro ſe paratum dicto factoque oſtendere ac probare, nihil ſe toto belli tempore indignum epiſcopo Pariſienſi, cardinali, ac primario regni conſiliario feciſſe. Quod vero foederatorum principum non ſemper conſilia probaverit, ut quae plus ab odiis praeoccupata voluntate, quam a bona mente proficiſcerentur, non propterea a recta via unquam deflexiſſe, aut religionis et publicae tranquillitatis cauſam deſeruiſſe; et Sixtum v quamvis ab inimicis ſibi hominibus initio male perſuaſum, tamen Cajetano legato mandaſſe, ut de rebus ad rempublicam pertinentibus ſecum conſilia conferret; ſicuti prius Sixtus ipſi mandaverat, ut de articulis a Sorbonicae ſcholae theologis, qui tot turbis per orbem Chriſtianum cauſam dederant, hoc eſt, de cauſa Henrici nuper defuncti, de cujus fide nemo unquam dubitavit, amplius cognoſceret. Poſt regis deinde mortem, cum ab iiſdem, a quibus nunc opprimitur, coactus, foederationem ſacramento ſancire recuſaret, eaque de re Romae accuſatus fuiſſet, nihilominus Gregorium xiv cauſa cognita et acceptis in bonam partem excuſationibus ſecundum ſe pronunciaſſe. Neque vero de temperamentis et emplaſtris, quae dicuntur, unquam cogitaſſe; neque ſe adeo temerarium et impudentem eſſe, ut tantae ruinae, quae regno impendet, fulciendae miſeri cardinalis humeros ſufficere, aut ad corruptos adeo corporis publici humores corrigendos emplaſtra ejuſmodi prodeſſe exiſtimet. Ad hoc potenti Dei dextera, ejuſque vicarii et univerſi ſacri collegii auctoritate ac ſalutaribus conſiliis opus eſſe: itaque ſibi ipſi ſilentium imperaſſe, neque de rebus, quae mentem vireiſque ſuas ſuperarent, unquam ſermonem injeciſſe. Cumque ſine ullis mandatis et ſolius officii ratione profectionem inſtituerit, non potaſſe ſe in Placentini cardinalis mandatum commiſiſſe, qui hac lege tantum profectionem interdixerit, ſiquidem ipſe de Navarri cauſa acturus Romam veniret. Hoc reſponſo per Franceſchinum accepto pontifex placatior tandem Gondio indulſit, ut tanquam bonus cardinalis ad urbem venire poſſet; dummodo nec haereticis, eorumque fautoribus in occulto faveret, et ante omnia de contempto Gregorii xiv, cujus rei cauſa inſimulatus fuerat, mandato ſatisfaceret.

XI. Clemens viii totus in cogitatione tunc erat, de regis Franciae Catholici electione, quam et Hiſpanos ſciebat urgere, ob idque indicta in proximum annum regni comitia. Ipſe mandatum dat Philippo Segae cardinali xvii Kal. Maii, quo praefatus de Chriſtianiſſimorum regum meritis, qui Romanis pontificibus difficillimis etiam temporibus praeſto fuerunt, ipſum delegat, ad procurandam regis electionem, qui pacis publicae defenſor et Catholicae fidei cultor verus ſit, et creſcenteis haereticorum conatus quam primum comprimat. Haec autem illi in eo negotio conſideranda proponit, ut ei bonorum omnium conſenſu regni adminiſtratio deferatur, qui ob eximiam pietatem et ſingularem Catholicae religionis cultum ac virtutes tanto muneri pares et regimini convenienteis, populos in Catholica fide adjuvante Domino perſeveranteis ſit gubernaturus, fidem Catholicam, quam defenſurum ſe jurejurando ſpondere debet, ſincero corde teneat, jurisjurandique comites habeat, veritatem, judicium et juſtitiam. Nam iſto regno dignum eſſe non poſſe eum, qui orthodoxam fidem deſtruit, qui pios et Catholicos infectatur, qui haereticorum perfidiam fovet, qui contraria Catholicorum diſſidia componere non curat: ſed mutuas eorum diſcordias quotidie magis inflammat. Praeterea in eo ſummam moderationem ac prudentiam deſiderari. Tum teſtatur ſe libenti animo majorum ſuorum more ad regnum Franciae profecturum fuiſſe, atque in eo pro Dei omnipotentis gloria, Catholicae fidei defenſione, et communi omnium quiete, ſi ita neceſſitas ferret,

ſanguinem

CIↃ IↃ XCII. ſanguinem profundere optaviſſe. Quod cum per occupationes minime liceat, ipſi
HENRICUS IV. Segac, quem muneri tanto cumulate ſatisfacturum, et bonorum votis egregie reſponſurum confidat, hoc onus demandaſſe, ut electioni poſthabitis humanis cogitationibus intereſſe curet. Ad extremum monet, hortatur, obſecrat, et obteſtatur, proceres, praeſules, alioſque qui Catholicorum partes ſecuti ſunt, ut vetere majorum ſuorum virtute in memoriam revocata, in inſtituto et officio perſeverent; ceteros, qui Sectariorum fautores extiterunt, et eorum cauſam foverunt, ut reſipiſcant; ab iis, quibuſcum nullum verae conjunctionis vinculum eſſe poteſt, conſilia ſeparent, et concordibus quatenus fieri poterit, ſuffragiis eum regem eligant, qui Catholica fide inviolate cuſtodita, et publica tranquillitate conſtituta pertinacium haereticorum conatibus reſiſtat, Catholicorum nutanteis mentes firmet, et omnium corda orthodoxorum jugi laetitia perfundat. Diploma diu poſt Lutetiae in ſenatu lectum, publicatum et in acta relatum eſt, audito et poſtulante cognitore regio VI Kal. Nov. quo eodem die facultates, quas vocant, eodem quoque die cardinali Placentino conceſſae in acta curiae relatae ſunt, audito et conſentiente cognitore regio, clauſula hac addita, ut nihil per eas auctoritati et juriſdictioni regiae, et libertati eccleſiae Gallicanae praejudicatum intelligatur.

XII. DE mandati publicatione poſtquam [a] Catalauni cognitum eſt, ab ea cognitor regius appellavit, eoque poſtulante ſenatuſconſultum, quo decernitur, ut Philippus titulo S. Onufrii cardinalis Placentinus citetur, ad eam appellationem reſponſurus, et citationes in urbe voce praeconis factae perinde valeant, ac ſi ipſi aut ejus domicilio intimatae eſſent. Admonentur praeſules, principes, proceres, aliique cujuſcunque conditionis ſint, ut in fide et obſequio, quod regi debent, conſtanter perſeverent, nec ſe factionum veneno imbui, aut eorum artibus, qui ſpecie religionis imperium invadere, et barbaros Hiſpanos alioſque uſurpatores introducere conantur, faſcinari ſinant: inhibetur, ne quis bullam habere, publicare, rebelleiſque adjuvare, aut ad urbes in ea memoratae electioni deſtinatas itare audeat, poena in nobileis perpetuae infamiae et exauctorationis, in eccleſiaſticos poſſeſſorii ſacerdotiorum privationis, in omneis tanquam quietis publicae perturbatores et patriae proditores perduellionis poena ſancita, et gratiae ac abolitionis ſpe praeciſa, inſuper vetatur, ne quis ſeditioſos hujuſmodi ac rebelleis ad conventum illum celebrandum tecto hoſpitiove excipiat. Ad extremum decernitur, ut locus, in quo de conventu actum fuerit, et urbs, in qua ille celebrabitur, a fundamentis evertantur, nec in perpetuum inſtaurentur, ut poſteritati in exemplum ſit proditionis ac perfidiae publico judicio vindicatae. Omnibus mandatur, ut ad tintinnabuli pulſum in eos impetum faciant, qui ad urbem illam ut conventui interſint proficiſcentur, praecipiturque regio cognitori, ut in auctores ac inſtigatores hujuſmodi conjurationum contra rempublicam initarum probationes colligat. Id actum XIIII Kal. Dec. Poſtea Lutetiae contrario ſenatuſconſulto illud abrogatum eſt, triduo ante Natalem, ac poſtridie ad majores Palatii gradus coram Meduanio ipſo publice crematum fuit. Paulo ante ut afflictae plebi aliqua ex parte conſuleretur, ſenatus locationes aedium ante XVII Kal. Maias anni CIↃ IↃ XXCIX in judicio ſine partium conſenſu ad novennium aut ſeptennium factas ad tertiam partem earum; quae poſt XVII Kal. Maias ad Kal. Sextil. ejuſdem anni ad dimidiam; earum denique quae poſt ſolutam obſidionem factae fuerant, ad duas tertias pretii contraxit; quod locum haberet a proximis Kal. Oct. bonorum publicatione ob non ſolutas penſiones prohibita. Id decretum VI Eid. Jan. Poſtea cum concurſatio ad ſenatum a plebe miſera facta eſſet, ſe bonis omnibus ſpoliatam ad debita exſolvenda ſeverius urgeri conquerente,

INTERPR. [a] *Chaalons.*

conquerente, altero ſenatuſconſulto IIII Eid. Apr. condito conventus et concurſationes hujuſmodi, quod potius ſeditioſorum quam ſupplicum eſſe videtentur, prohibitae ſunt: et nihilominus decretum, ut creditoribus quidem in bona mobilia debitorum manum mittere liceret; ceterum ea divendere, aut loco movere non poſſent. S. Lazari, Martini, Dionyſii ſuburbiorum inquilinis, quorum domos deſtructas et hortos durante obſidione majorem partem vaſtatos conſtabat, permiſſum, ut intra trimeſtre coram ordinariis judicibus cum creditoribus ſuis ac locatoribus agerent, interimque neque ipſi, neque ii, qui pro iis fide juſſiſſent, ad ſolutionem penſionum cogi poſſent. Poſtea cum de pace inter XVI regionum urbis delegatos mentio injecta eſſet, liberaeque admodum ſententiae in ſenatu dictae eſſent, de mittendis ad regem delegatis, de praeſidio Hiſpanorum tanquam ſuſpecto ex urbe pellendo, quarum [a] Guſſancurius, et Gulielmus Varius auctores fuerant; Meduanius ad aedeis publicas VIII Eid. Nov. venit, et murmura plebis ob extremam rerum omnium penuriam excuſavit, ac patientiam eorum laudavit, ſpe facta ut per comitia propediem celebranda publicae neceſſitati ſuccurratur, et qui tot incommoditatibus huc uſque conflictati ſunt, conſtantiae ſuae laudem ac fructum ferant; eodemque tempore Chriſtianum [b] Savinium Ronaeum tribunum equitum dixit, et peninſulae Franciae praeſidem conſtituit, diplomate condito, quod et in ſenatu recitatum eſt, ſtatimque ipſum in Belgium ad Parmenſem amandavit, ut auxiliaris exercitus ad conciliandam comitiis auctoritatem deſtinati adventum maturaret. Interim ad urbem [c] Durocortoro Remorum venerunt, Placentinus legatus, cardinalis Pellevaeus, et archiepiſcopus Lugdunenſis cum pleriſque urbium delegatis, ut comitiis intereſſent.

XIII. DUM Lutetiae tumultuaretur, rex triſti nuncio de [d] Pontis-arcuenſis arce per [e] Rauleti captivi abſentiam amiſſa aliquantum perturbatus eſt. In ea aſſervabantur [f] Cluſellus, et Ludovicus Caſtreus, adoleſcens forma praeſtans, qui corrupto ſive decepto gynaeceo, locum in poteſtatem redegit. Superabat oppidum trans flumen ponte intermedio, quem regii mox ſepierunt, rexque cum ex arce tormentorum diſploſione maxime infeſtari praeſidiarios intelligeret, eo advolavit, ut locum tranſitu opportunum firmaret, et arcem, cujus expugnandae ſpe per temporis anguſtias excludebatur, ita arcte cingeret, ut oppidanis incommodare non poſſet. Eam jacturam penſavit [g] Rupes-regia in limite Campaniae ſub id in fidem accepta. In ea cum imperio erat [h] Campaniacus, qui a [i] Pemoliis fratribus ſibi metuens, quos Guiſius et Sanpaulus loco praeficere ſatagebant, eos et ſuſpectos milites loco pellit; et cum provideret, eo facto irritatos Lotaringicos totis viribus ſtatim ad ſe venturos, cum Nivernio tranſigit, ſpolia oppido expulſorum pro praemio pactus, et ita fidem regi addixit. Eodem tempore [k] Balietus Valligranius, qui Fano-[l] Joannis Alnetenſis praeerat, juxta [m] Divionem X peditum cohortes, quas [n] Teniſſaeus regulus Nemoroſii legatus ducebat, profligavit, captis ſignis et impedimentis. Inter haec Carolus Bironus ex vulnere ad [o] Eſpernaeum accepto paulum recreatus cum in [p] Aquitaniam excurriſſet, ut matrem inviſeret, et ſuper patris morte ſolaretur, [q] Caeſarodunum rediens in ſenatorum ordinem peculiari regis gratia cooptatus eſt, et poſtridie, hoc eſt, XII Kal. Jan. praefecti maris ſacramentum dixit, ob ſua et patris egregia in regnum merita publice laudatus. Vario et eventu, dum haec circa regem et Lutetiae agerentur, in aliis regni partibus pugnatum eſt. [r] Guerchia Claudii [ſ] Villoclari hominis

INTERPR. [a] *de Gouſſancourt, & Du Vair.* [b] *Savigny Sr de Roſné.* [c] *Reims.* [d] *Pont de l'Arche.* [e] *du Roulet.* [f] *Blanchard Sr du Cluſeau, & le baron de la Chaſtre.* [g] *Rocroy.* [h] *de Champagnac.* [i] *les deux Pemols.* [k] *Baillet de Vaugrenant* [l] *S. Jean de Laune.* [m] *Dijon.* [n] *le baron de Teniſſay.* [o] *Eſpernay.* [p] *Guienne.* [q] *Tours.* [r] *la Guerche.* [ſ] *de Villequier.*

hominis et antiquis divitiis et regum liberalitate valde opulenti arx in [a] Creuſae, quae Aquitaniae a ſeptentrione limes [b] Turones a [c] Pictonibus dividit, citeriore ripa poſita eſt, cum ponte infra [d] Rupipozaeum, V a Lochiis leucis. [e] Lochias, quod eſt oppidum ad Indrum cum arce toto illo tractu ſecundum [f] Amboſiam munitiſſima, Arnoldus [g] Sallermius Vaſco ab Eſpernonio impoſitus valido praeſidio tenebat. Is cum ſummam ſemper ante modeſtiam prae ſe tuliſſet, et ſe Aegidii Sovraei provinciae praeſidis toto bello dictis audientem praebuiſſet, repente mutavit, et ſpe tam opimae praedae illectus inſidias ſeni incauto ſtruit, qui ſe regis et Meduanii, a quibus cautum illi publico inſtrumento erat, tutum putabat, cauſatus illum Georgio [h] Vicecomiti filio, qui in Pictonibus bellum pro foederatis gerebat, receptum et tranſitum copiis ejus per pontem municipio ſubjectum dare, ut illac in Turones impune excurrerent. Itaque non monito Sovraeo IIII Non. Febr. [i] Patraſſium Campanolium juniorem cum aliquot delectis mittit, qui poſtridie oppidum ſummo mane ſcalis admotis occuparunt, [k] Chaterio, qui loco praeerat, dum ad ſtrepitum accurrit, occiſo, et aliquot domibus direptis: nam parcitum ceteris, quouſque Sallermius de ſucceſſu certior adveniſſet, et arcem, in qua Villoclarus erat, in poteſtatem redegiſſet. Is eodem tempore a Carolo [l] Grangeo Vaureo Montinii fratre, ignaro quo ducendi eſſent, XXX loricatos et L ſcloppetarios equites petierat, quos [m] Boſius Vinea ducebat. Evocaverat et [n] Caſtellionis ad Indrum praeſidiarios duce [o] Curſello et [p] Huſſaei ac Meraei cohortes, quae LX ſcloppetariis conſtabant. Tum [q] Santannaeum, [r] Cluſellum, et Sanmichaelium ex [ſ] Vatana legione ordinum duces praemittit, ut Campanolio praeſto eſſent, cum II colubrinis omni apparatu inſtructis, ad quas deducendas a Caeſaroduni [s] Majore, ſic plebeium praefectum in urbe vocant, per Sovraei abſentiam impetraverat, ut opera [t] Valladae alterius cohortis praeſidiariae ductoris in ea expeditione uteretur. His viribus fretus Lochiis cum L circiter cataphractis profectus [u] Guerchiam ſub veſperam venit, ubi cognovit Vicecomitem Claudii filium auxilio adventare cum CC loricatis, totidem ſcloppetariis equitibus, CC Gallis, totidem Hiſpanis peditibus, et campeſtri tormento; ſtatimque ad Ludovicum [v] Caſtaneum Abennium mittit, qui in propinquo erat. Iſque mox Joannem filium cum XXX delectis loricatis, ac C equitibus ſcloppetariis Sallermio mittit, ſubſidio: Vatana legio ad Pontis cuſtodiam impoſita fuerat; tum ad arcem verſus impetus, in qua plerique e nobilitate vicina erant, quibus interminatus Sallermius, niſi confeſtim ea exirent, fore, ut eorum domos circumpoſitas demoliretur. Poſtremo eos, nulla interpoſita cautione, compulit ut ſub veſperam locum deſererent Nonis Februariis, multum repugnante Guerchiano ſene, qui ſe ſuaque famelico Vaſconi, ſic Sallermium vocabat, ad praedam exponi querebatur. Amoto praeſidio [w] Campanolius junior introductus cum XX militibus. Urgebat deditionem Sallermius, quod, vicino Vicecomite, ſi ante deditionem adveniſſet, ſore providebat, ut plus negotii in arce capienda eſſet. Poſtridie Abennius ipſe cum ſuis advenit; itaque Guerchia idoneo praeſidio firmata, contra Vicecomitem copiae educuntur. Abennius et Sallermius ad [x] Caſtrum-vetus progreſſi III abhinc leucis in cohortem hoſtilem incidunt, eamque caedunt: frequentibus hinc inde incurſionibus fiebat, ut hoſtes per vias ſilvis et arboribus tectas recedentes a noſtris commode inſpici non poſſent. Itaque Abennius et Sallermius ad [y] Oſellam turrem loco edito ad dextram iter flectunt, relictis hoſtium veſtigiis, quibus Abennii filius, et Vinea,

qui

INTERPR. [a] *la Creuſe.* [b] *Touraine.* [c] *Poictou.* [d] *la Roche-pozay.* [e] *Loches ſur Indre.* [f] *Amboiſe.* [g] *de Sallerme.* [h] *le Vicomte ſon fils.* [i] *Patras de Campagnol.* [k] *Chatiere.* [l] *de la Grange Sr de Vaure.* [m] *du Bois la Vigne.* [n] *Chaſtillon ſur Indre.* [o] *Courſelles.* [p] *la Houſſaie, & Merey.* [q] *S. Anne.* [r] *les Cluſeaux, & S. Michel.* [ſ] *de Vatan.* [s] *le Maire de Tours.* [t] *la Vallade.* [u] *la Guerche.* [v] *de Chaſteigner Sr d'Abin.* [w] *de Campagnol.* [x] *Chateauvieux.* [y] *la tour d'Oiré.*

qui praecurſores ducebat, inſiſtebant, adjunctiſque Hectoris [a] Preolii, qui ſub id cum [b] Caſtri-eraldi praeſidio [c] Vigennae oram legens ad eos venerat, copiis hoſtem adoriuntur, qui peditatus partem loco munito inter foſſam et praealtas ſepeis, et molatrinam inſulae caſtro ſubjectam loco idoneo diſpoſuerat. Preolius in eum cum [d] Gardoliis fratribus, Meſſignaco, Creuſa, Corneſato, Vauro, Boſcoredonio, Bruero facit impreſſionem, et poſt acre certamen crebra ex caſtro proximo diſploſione tormentorum devitata, tandem pedites Hiſpanus loco pellunt, et ad aciem ſe recipere cogunt, in quam eodem tempore Abennii filius et Vinea cum delecta manu ſub id ſubſidio miſſa incumbunt, et exiguo negotio confuſos et jam ſuorum clade territos fundunt. Illi cum [e] Calviniacum verſus obſtructo ab Abennio et Sallermio tranſitu ſe excluſos viderent, in ſubjectum Vigennam deſcendunt, et pars natatu, pars conquiſitis undique lembis effugium quaerunt. Vicecomes conſcenſo navigio cum fugam arriperet, crebris ſcloppetorum ictibus petitus, et inſiliente trepida multitudine in flumen praecipitatus eſt; ſtatimque corpora fluitantia, capitibus, brachiis, cruribus exrantibus, ubique miſerabili ſpectaculo cernere erat, totumque galeris et paludamentis ac palliis conſtratum amnem, cum horrido ſtrepitu, intet armorum fragores ululatibus et clamoribus paſſim perſonantibus. Hauſti fluvio plus CCCC; capti circiter L; haud pauciores manu caeſi: ipſe Vicecomes, [f] Bonneus Petracorius ejus vicarius, et [g] Grammontanus Bonnei nepos, nec non Franciſcus [h] Paluſtrius, qui [i] Pictavii praecipue res miſcebat, deſiderati: nox ſuperveniens ne regii fugienteis ulterius inſequerentur, prohibuit. Preolius e veſtigio [k] Inſulae caſtrum cingit, in quo Vicecomes tormenta et impedimenta depoſuerat; quod a Spineta centurione ad primam denunciationem deditum eſt. Sallermius poſt gratias Abennio actas, cujus opportuno adventui haec victoria praecipue debebatur, [l] Guerchiam redit, et ingentis pretii ſupellectile inde aſportata ſecum quoque miſerum ſenem filio orbatum [m] Lochias captivum abduxit, nec niſi grandi pecunia accepta diu poſt liberavit. Praeterea et dono a rege accepit cunctas militias venaleis et officia, quae vocant, Pictavienſium qui illa pugna ceciderant.

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

XIV. HANC foederatorum cladem longe gravior a noſtris accepta mox penſavit. Franciſcus Borbonius [n] Contius exercitibus per [o] Turones, Cenomanos, Andeis, ac Pictones praepoſitus [p] Lavallum venerat, ut vireis cum Henrico Borbonio [q] Dumbarenſi Armoricae praeſide conjungeret, et de republica capita ambo conferrent. Cum Contio venerunt Antonius [r] Sillius Rupipotius et [ſ] Brandelius Campanus Villanae marchio; cum Dumbarenſi Joannes marchio [s] Coetkeni, Joannes Burnovius Cuſſeus, Joannes Angeneus Poignius, Rochus Sorberius Prunellus, Joannes Maſſa Monmartinus Vitreaci praefectus, et Curbeus Braius, qui poſtea ad Mercurianum transfugit, caſtrorum praefecti munere ab eo cohoneſtatus, et conſilia tunc inita hoſti detexiſſe creditur. Habita deliberatione placuit, ut [t] Cratumnum communibus copiis oppugnarent, oppidum [u] Tremollianae ditionis cum arce firma ad [v] Odonem amnem ſitum, quod valido praeſidio a Petro [w] Cornuto Pleſſio ſervabatur; et ex quo crebris excurſionibus, Andes, Cenomani, et vicinus Armoricae limes maxime infeſtabatur. Condicto tempore Dumbarenſis cum CIↃ CC Anglis, IↃCC Germanis peditibus, CCCC loricatis equitibus, et VIII tormentis inſtructis, adductis

ſecum

INTERPR. [a] *des Preaux.* [b] *Chatelleraut.* [c] *la Vienne.* [d] *les Srs de Gardeuil, de Meſſignac, de Creuſe, de Cornezat, de Vauvre, de Beifredon, & la Bruere.* [e] *Chauvigny.* [f] *le Sr de Bonnes Perigourdin.* [g] *de Grammont.* [h] *Paluſtre.* [i] *Poictiers.* [k] *Chateau d'Iſle.* [l] *la Guerche.* [m] *Loches.* [n] *Prince de Conti.* [o] *Touraine, le Maine, Anjou, & Poictou.* [p] *Laval.* [q] *Prince de Dombes gouverneur de Bretagne.* [r] *de Silly, de la Rochepot.* [ſ] *Brandelis de Champagne marquis de Villaines.* [s] *de Coeſquen, J. Bourgneuf de Cuſſé, J. d'Angennes de Poigny, Roch de Sorbiers Sr des Pruneaux, J. du Mas Sr de Montmartin gouverneur de Vitré, & de la Courbe de Brée.* [t] *Craon.* [u] *de la Tremoille.* [v] *Oudon r.* [w] *le Cornu Sr du Pleſſis le Coſme.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

ſecum Coetkeno, Joanne [a] Riuſio Aſſaraci marchione, Carolo Gobione Moſſaco, Angero [b] Crapado, Boſco-roaldo, Prunello, aliis, [c] Condato Rhedonum proficiſcitur, praemiſſis [d] Furnario et Stella, quibus ſcribendi per Neuſtriam vicinam militis negotium dederat. Majore nuſquam licentia graſſatum, ſiniſtro jam tum ſucceſſus augurio. XVIII Kal. Maias cinctum obſidione oppidum; capto coenobio ac S. Clementis ſuburbio, et pulſo hoſte, qui illud incenſurus venerat. Contius XI poſt die in caſtra venit cum Carolo [e] Momorantio Danvilla, Hercule Roano Monbazonii duce, Ant. Sillio Rupipotio, Nicolao [f] Angeneo Rambulieto, Petro Deodato Picarico, Claudio Buellio Racano, qui caſtrorum praefecti munere fungebatur, ac praeterea CCC cataphractis equitibus, & CIↃ CC peditibus. Serius advenere tormenta ab ipſo ſubminiſtrata; adeoque diviſo imperio cuncta in exercitu regio ſegniter agebantur, ut dum vallum a Contianis ducitur, et in aquis ex foſſa profunda derivandis laboratur, XL dies nullo operae pretio facto conſumpti ſint. Intereaque [g] Mercurianus de re omni diligenter a Curbeo transfuga edoctus exercitum cogere, et obſeſſis ſuppetias laturus in tempore advenire potuerit. Cum jam [h] Caſtellaſiae propinquaret, conſultatum de ſumma rerum inter duces fuit, et confuſae dictae ſententiae, quippe inopinato hoſtis adventu; tandemque e re viſum, ut Dumbarenſis, qui diviſas a Contio copias trans Odonem habebat, ſuos cum tormentis reduceret, ne cogeretur cum parte copiarum impetum totius hoſtilis exercitus ſuſtinere, et conjunctis viribus regii ad aciem inſtruendam eſſent firmiores. Itaque per ſubſtrata navigia ſuos Dumbarenſis tranſmittit non rupto ponte, per quem poſtridie Mercurianus, qui VI CIↃ peditum, IↃ CCC equites in exercitu habebat, tranſivit: noſtri citra flumen juxta foſſae oppidi labrum exterius loco anguſto et incommodo, quippe in quo ex arce proxima infeſtabantur, aciem inſtruxerunt; pridie praemiſſis [i] Caſtrum Guntheri tormentis, quae penuria boum ac jumentorum a milite rapaci paſſim abactorum in via publica remanſerunt, excepto uno, quod in Odonem ipſum praecipitaverant; pilis ferreis, quae exportari non potuerant, in terram defoſſis. Conſilium erat initio noſtrorum, ejuſque auctor fuerat Prunellus, qui eo die caſtrorum praefecti munere cum Racano fungebatur, ut in hoſtilis exercitus partem praemiſſam, antequam altera pars tranſiiſſet, impetus fieret. Sed confuſo ducum imperio et diſſidentibus caſtrorum praefectis minime id ſervatum fuit. Quod cum minime Mercurianus ignoraret, crebris transfugiis de omni re edoctus copias ſuas accelerare jubet, quo citius ſpe animadverſo noſtri turbati peſſimum conſilium capiunt, de receptu in hoſtis conſpectu; multum repugnante Damvilla, qui plureis cedendo aut fugiendo quam pugnando caeſos, idque patri Annae Momorantio equitum magiſtro, alioqui experientiſſimo belli duci, ad [k] Quintini-fanum nocuiſſe, affirmabat. Contius aciem ducebat, hinc inde peditatu cinctus, quod ager ſepibus ac foſſis diſtinctus eſſet. [l] Dumbarenſis ultimum agmen claudebat cum ſua equitum turma, quam alia equitum delectorum manus ſequebatur, et poſt eos Germani pedites: ultimi incedebant Angli, quibus attributi fuerant levis armaturae equites, qui eos tegerent, relictis in imo delectis ſariſſophoris et ſcloppetariis Gallis, qui cedendo crebris velitationibus cum hoſte certabant. Jam Contius ad laevam relicto oppido cum prima acie Caſtrum-Guntheri verſus iter intendebat, et Dumbarenſis ſequebatur, turbatis ob imminens periculum ordinibus. Boſcodelfinus enim, qui primam hoſtium aciem ducebat, jam praetervecto Contio ultimis incumbit, quem initio

[a] Monbazonius

INTERPR. [a] *de Rieux marquis d'Aſſerac, & C. de Gouyon Sr de la Mouſſaie.* [b] *Crapado, de Boiſrouault, & des Pruneaux.* [c] *Rennes.* [d] *de Fourneaux, & de l'Eſtelle.* [e] *de Montmorency Sr de Damville, & H. de Rohan duc de Montbazon.* [f] *d'Angennes Sr de Rambouillet, P. Donadieu Sr de Pithery, & Cl. de Bueil Sr de Racan.* [g] *le Duc de Mercœur.* [h] *Chaſtellais.* [i] *Chateau Gonthier.* [k] *St Quintin.* [l] *le Prince de Dombes.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV.

[a] Monbazonius et cum eo [b] Picaricus et Sarroctus cum ſua levis armaturae ala fortiter repulerunt, rem ſtrenue gerentibus Germanis et Anglis, et Dumbarenſi ſuos manu et voce adjuvante; qui cum ter certamen repetiiſſet, nullaſque ducis et militis parteis eo die praetermiſiſſet, tandem ſcloppetariorum ſuorum ictus pilis deficientibus langueſcere et irritos cadere cernens, jam cunctis fere deſertus cum [c] Sangeorgio legionis tribuno in tutum ſe ultimus recepit. Atque ita Mercurianus, qui tantum obſeſſis opem laturus venerat, nihil de pugna cogitans, inſperata victoria potitus eſt. Major ſtrages quam caedes fuit. Pedites non in acie, ſed dum ſoluti per ſepes et foſſas oberrant, a ruſticis intercepti ac caeſi ſunt. Periere omnino IↃC, et in iis [d] Vaſero ſtipatorum Dumbarenſis praefectus, et [e] Treſumelius, qui toto hoc bello cum turma levis armaturae egregie inſtructa ſtrenuam regi navaverat operam. [f] Varanus ex Sudonia familia pro mortuo relictus in [g] Fontanellae manus devenit. Capta in via tormenta. Id actum IX Kal. Junias. [h] Guntheri-caſtrum regiis receptum praebuit, qui adhuc integri, ſi ſub ſignis manſiſſent, rem multorum judicio reſtituerant. Sed trepidatione ſemel perculſis animis, et promptiſſimo quoque e nobilitate ad res ſuas tuendas domum properante, dividi copias neceſſe fuit. Itaque deductum loco praeſidium, in eoque tantum relictus [i] Landa Congrerius praefectus, qui diſcedente exercitu cum ad primam Mercuriani denunciationem ambiguum reſponſum dediſſet, adventante exercitu deditionem fecit. Secundum haec urgente [k] Boſcodelfino [l] Lavallum et Meduana Caſtri-Guntheri exemplo hoſti patuerunt. [m] Contius [n] Sablatum in Cenomanis ad Sartam ſitum caſtellum; Dumbarenſis cum Germanorum reliquiis [o] Condate Redonum conceſſit. Angli magnam partem ſauciati aut armis exuti [p] Vitreacum ablegati. Rex de ſucceſſu certior factus, cum recedentem Parmenſem inſequeretur, Monmartinum [q] Suſanna Vitreacum protinus mittit, ut oppidum in Armoricae limite ad res gerendas opportunum, et cui jamptidem Mercurianum inhiare cognoverat, praeſentia ſua tueretur. Is Anglos in ſuburbio excipiendos, et omni re neceſſaria juvandos perhumane curavit. Miſſus et a rege [r] Lavardinus Cenomanorum praeſes, ut videret ne quid ob eum ſucceſſum provincia proxima detrimenti acciperet, et Contio ad omnes occaſiones praeſto eſſet.

XV. Destinatus cum ſummo imperio Joannes [ſ] Aumonrius equitum tribunus, qui [s] Armoricae praeeſſet; nam Dumbarenſis, quem Monpenſerium deinceps appellabimus, mortuo ſub id patre, in [t] Neuſtriae ampliſſimam praefecturam ſucceſſerat, et rex, qui eum Catharinae ſorori maritum deſtinabat, penes ſe retinere cupiebat. Aumontio vicarius datus Franciſcus [u] Spinaeus Sanlucius vir bello expertus et ingenii elegantia praeſtans, qui [v] Jacopolim, quam praeſidio tenebat, profectus, III legiones in [w] Santonibus et aliquot equitum turmas ſcripſit. Mercurianus jam in itinere erat, ut Vitreacum obſideret, ratus, [x] Peyrato praeſidii vicario paulo ante miſerabili caſu, atque ut creditur, hoſtium dolo interfecto, territos oppidanos ad deditionem compelli poſſe; ſed cognito Monmartinum ipſum jam adveniſſe et ad CIↃ CC bellatores in oppido eſſe, [y] Malaſtretum deflexit, cui ut ſuppetias ferret Monpenſerius, ſtatim Monmartinum, Sarroctum, et [z] Muſcam alioſque belli duces ad ſe vocat, eoſque laborantibus opitulari jubet. Sed cum [a] Plermelium

uſque

INTERPR. [a] *le Duc de Montbazon.* [b] *les Srs de Pichery, & de la Sarroüette.* [c] *le Sr de S. Georges.* [d] *le Sr de Baſeron.* [e] *de Treſumel.* [f] *de Varanes de la maiſon de Soudun.* [g] *Pontenelles.* [h] *Chateau Gonthier.* [i] *de la Lande Congrier.* [k] *de Bois-dauphin.* [l] *Laval, & Mayenne.* [m] *le Prince de Conti.* [n] *Sablé au Maine ſur Sarte.* [o] *Rennes.* [p] *Vitré.* [q] *Suſanne.* [r] *de Beaumanoir Sr de Lavadin gouverneur du Maine.* [ſ] *le mareſchal d'Aumont.* [s] *Bretagne.* [t] *Normandie.* [u] *d'Eſpinay Sr de S. Luc.* [v] *Brouage.* [w] *Saintonge.* [x] *le Sr de Peyrac.* [y] *Maleſtroit.* [z] *de la Mouſche.* [a] *Ploermel.*

uſque proceſſiſſent, ſemileuca inde diſſitum, jam locum deditum cognoverunt. Sub id [a] Viquius, qui in [b] Neuſtria inferiori Mercuriani auſpiciis bellum gerebat, homo impiger ad [c] Orſonis pontem, qui limes eſt utriuſque provinciae, caſtris poſitis caeſus eſt, et Jacobus Mongomerius, qui locum praeſidio tenebat, infeſti hoſtis metu liberatus. Amiſſo Malaſtreto Monpenſerius, cum animi angeretur, quod nulla rei gerendae occaſio ſe offerret, Anglis et Germanis tumultuantibus, quod praeſidiis incluſi retinerentur, eos educit, et Turrem [d] Seſſoniam, alias, [e] Fani-Brioci munitionem dictam, Renato [f] Riuſio Surdeaco Breſti praefecto, qui eam obſederat praeſto futurus; ſed cum in itinere cognoviſſet, Surdeacum propinquante cum Hiſpanis Mercuriano, ab obſidione diſceſſiſſe, eodemque tempore ad eum allatum eſſet, ccc circiter Lotaringos nuper [g] Armoricam ingreſſos [h] Dinamum veniſſe, et in ſuburbiis diverſari, cum cc equitibus et delecta peditum manu, eo ſub auroram ſummo ſilentio acceſſit, et per Monmartinum vi facta eos caſtris exuit, compluribus occiſis. Qui ſuperfuere in proximum templum confugerunt, in eoque ſe contra regios feſtinanteis tutati ſunt. Jamque Aumontius [i] Caeſarodunum venerat, praemiſſis regis literis ad vicinos praefectos; cum eo erat Aegidius [k] Souvraeus Turonum praeſes. Moxque evocati Lavardinus ex [l] Cenomanis, ex [m] Biturigibus [n] Montinius, Georgius [o] Claromontius Amboſius ex [p] Andibus; Renatus [q] Buillaeus Creanciae comes, et [r] Burnovius ejus frater, [s] Brandelius Campanus Villanae marchio, alii ex vicina nobilitate cum copiis advenere, quae ccc loricatos equites, II CIↃ IↃ pedites efficiebant. Subminiſtratae et a Lavardino II machinae murales, totidem [s] Andegavo advectae. His viribus ſubnixus Aumontius [t] Meduanam in Cenomanis adoritur, oppidum fluvio cognomini impoſitum, qui et Lavallum, dein [u] Guntheri-caſtrum, ac poſtremo ad Cartenam [v] Sarta abſorpto Andegavum alluit, et paulo infra Ligeri miſcetur. Vallo ducto et verberatione facta intra xv dies locus deditur, eoque longius producta obſidio, quod ſperaretur, ut [w] Boſcodelfino, qui [x] Lavallum tenebat, ad ſuppetias ferendas veniente copia pugnae fieret: qui tamen minime ſe loco movit. Meduana capta cum Lavallum petere in animo haberet Aumontius, idque Monpenſerius Monmartino ad eum miſſo urgeret, interceſſere Andegavenſes, miſſis e ſuo numero delegatis, et ſui periculi rationem haberi poſtularunt, ſe tanquam propugnaculum harum regionum contra Mercuriani praepotentis hoſtis impetus ad omneis injurias expoſitos continuo a [y] Rupiſortii praeſidio vexari, quotidie ſub portas urbis uſque excurrente, et capitale tributum ex ſuburbiis exigente; quod indignum per ſe, ſibi intolerandum, exemplo longe ſit pernicioſiſſimum. Nam quod fidei ſervatae praemium ſperaturas alias civitates, ſi ipſi tali a pati cogantur? Igitur ſe reſpiceret, et commiſeratione ſupplicum tangeretur. Non adeo difficilem loci expugnationem fore: tantum occaſione et commoditate uteretur. Abunde ſuffecturam pecuniam et annonam militi, procul abeſſe Mercurianum victoria ſecurum, et ſuos praeda onuſtos domi deſidere, haud facile ad ſigna tam cito conventuros; uno Rupifortio capto multas hoſtium arces capi; nec Lavallum tanti eſſe, ut ea expeditione omiſſa illuc verti vires debeant. Proinde flecti ſe pateretur, et ſpeluneam diriſſimorum latronum everteret, eaque everſa non Andegavenſeis tantum, ſed totam provinciam, Cenomanos, Pictones, Turones intolerandae tyrannidis jugo liberaret. Aequum petere viſi ſupplices, eoque magis, quod pecunia et commeatu, quae illi prolixe offerebant, aliunde deſtituebatur Aumontius. Itaque

poſtquam

INTERPR. [a] *de Viques.* [b] *Normandie.* [c] *Pont Orſon.* [d] *Tour de Seſſone.* [e] *S. Brieu.* [f] *de Rieux de Sourdeac gouverneur de Breſt.* [g] *Bretagne.* [h] *Dinan.* [i] *Tours.* [k] *de Souvré gouverneur de Touraine.* [l] *le Maine.* [m] *Berry.* [n] *le Sr de Montigny.* [o] *de Clermont d'Amboiſe.* [p] *Anjou.* [q] *de Bouillé comte de Creance.* [r] *de Bourgneuf.* [s] *Brandelis de Champagne M. de Villaines.* [s] *Angers.* [t] *Mayenne.* [u] *Chateau-Gonthier.* [v] *la Sarte.* [w] *de Bois-dauphin.* [x] *Laval.* [y] *Rochefort.*

poſtquam ſe Monpenſerio excuſavit, ad Rupifortium obſidendum vireis et conſilia convertit, praemiſſis [a] Monmartino et Picarico, qui locum cingerent. Mox ipſe cum robore exercitus ſubſecutus eſt, in quo erant CCCC equites, III CIƆ peditum. Poſtea Lavardinus cum Renato [b] Sandionyſio Hertraeo et delectis copiis venit, et poſt eum Contius princeps ipſe cum ſua equitum turma; adducta et X tormenta muralia, quorum II a Philippo [c] Mornaeo Pleſſio [d] Salmuriae ſubminiſtrata ſunt, et II colubrinae. Rupifortium infra Andegavum in Ligeris ripa ſitum eſt, quaſi in peninſula inter [e] Chalonem, qui [f] Laiono amne alluitur, et amniculum ex [g] Briſſaci lacu profluentem, qui juxta [h] Meurſiam in [i] Ligerim exoneratur. Nomen ei a loci natura. Nam in rupe cyanei lapidis, cujus fodinae frequentes illo tractu, undique praerupta aſſurgebat, et [k] Fanum Symphoriani, cui ponte conjungebatur, ſubjectum habebat, Tremollianae ditionis municipium, quod pro dotali pignore [l] Levii Mirapiccenſes hodie poſſident. Ex adverſo ejus alia rupes altior porrigitur [m] Cuſiana dicta, in qua regia arx fuit bellis Anglorum diruta. Inde directa aliquandiu verberatio, ſed exiguo profectu, quippe cum longius abeſſet. Turris e plano intentius pulſata: tum perducto vallo tentata ſuffoſſio; ſed mutata et alio atque alio tranſlata verberatione totum bimeſtre inutiliter abiit. Sanlucius poſt alios in caſtra venit cum II legionibus: nec eo diligentius res acta, diſſidentibus ſemper ducibus, donec praeſidiarii diuturnitate obſidionis potius, quam vi noſtrorum fatigati ad ſummam rerum inopiam redacti ſunt. Itaque miſſi ad Mercurianum, qui auxilia peterent, alioqui fore, ut cum Aumontio paciſcerentur. Ii per media caſtra hinc inde commeando iter rurum habuerunt, conſciis, ut putatur, quibuſdam ex noſtris; et cum ad ſuos reverſi ſpem certam auxiliorum feciſſent, eos ad durandūm confirmarunt, et ita jam appetente hyeme, et aquis intumeſcentibus, ac Mercuriano cum recenti milite contra feſſos adveniente, tandem conatus noſtrorum eluſerunt. Locum tuebantur Franciſcus [n] Santoſſangius Hurtaldus, et Almericus ejus frater, qui cum horum bellorum initio regis partes ſequerentur, praeda invitati fidem fefellere, capto Scipione [o] Sardinio patritio Lucenſi, dum [p] Andegavo [q] Caeſarodunum rediret, a quo X aureorum CIƆ extorſerunt, atque ut latrocinii poenam vitarent, ſcelus ſcelere cumularunt, et operam ſuam hoſti addixerunt, bireme armata per ſubjectum flumen diſcurſantes, et continuis excurſionibus viciniam late infeſtantes. Praecipua eorum immanitas memoratur in bello captos de religione ſuſpectos, quorum pleroſque quaſi ſententia damnatos extremo ſupplicio affecerunt. Nam in eum locum Mercurianus ad ludibrium regii nominis initio juriſdictionem Andegavenſem tranſtulerat, eique praefecerat Joannem [r] Maſſonem Santoſſangiorum cognatum, caedis [s] Serrani reguli olim poſtulatum, cavillandi arte et in eludendis criminum probationibus ac rejiciendis teſtibus vafritie, quam taedioſo XVI annorum carcere contraxerat, famoſum; qua efficiebatur, ut non tantum accuſatoribus ſuis, ſed ſibi ipſi per inextricabileis litium labyrinthos negotium faceſſeret: poſtea [t] Condivicinum Namnetum, quod ad Rupifortium acceſſus partibus non eſſet, tranſlata juriſdictio eſt. Quo tempore in quendam Proteſtantium doctrinae addictum inſigni crudelitate ſaevitum eſt; nam lignatum miſſus et propter aliquem ſucceſſum in laetitiae ſignum pyram exſtruere juſſus, igne accenſo ipſe in eum conjectus eſt; et plaudentibus Santoſſangiis vivus crematus. In ea obſidione plus II CIƆ ictus tormentorum diſploſi; pauci ex noſtris deſiderari, in queis fuit Sangeorgius legionis tribunus, quae [u] Tercantio Monmartini filio a rege attributa eſt. Picaricus in facie, Jacobus [w] Vinea Baſtidius

in

CIƆ IƆ XCII.

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *les Srs de Montmartin & Pichery.* [b] *de S. Denis Sr de Hertré.* [c] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [d] *Saumur.* [e] *Chalone.* [f] *Laien r.* [g] *Eſtang de Briſſac.* [h] *Meurs.* [i] *la Loire.* [k] *S. Siforien.* [l] *de Levis de Mirepoix.* [m] *Gueuſſe.* [n] *Hurtault de St Offange.* [o] *Sardini Lucquois.* [p] *Angers.* [q] *Tours.* [r] *de Launay le Maçon.* [s] *de la Motte Serrant.* [t] *Nantes.* [u] *Terchant.* [w] *la Vigne Sr de la Baſtide.*

in inguine ſcloppeto icti: [a] Magnanus ſtrenuus ordinum ductor in crure graviter ſauciatus ac mutilatus eſt. Mercurianus autem ubi noſtros ab obſidione diſceſſiſſe intellexit, ne nihil ageret, iter flectit, et huc illuc incertum cunctis, quo tenderet, oberrando, tandem ad [b] Quintinum inopinato caſtra ponit, quo paulo ante [c] Liſcoetum ad reficiendos, quos ducebat, petito a Monpenſerio commeatu, conceſſiſſe cognoverat: oppidum eſt Lavalleae ditionis ſitu admodum infirmum. Itaque cum par obſidioni non eſſet Liſcoetus, vitam et res ſalvas ſibi ac Germanis pactus damnoſiſſima longe conditione cum Mercuriano tranſegit, nimirum ut illi [d] Armorica excederent, neque in ea deinceps pro rege bellum gererent. Ad hanc jacturam et alia major mox acceſſit. Angli otii pertaeſi per Edvardi [e] Norriſii abſentiam, qui ad novum militem ſcribendum in Angliam tranſmiſerat, per majorem centurionem a Monpenſerio petunt, ut ſibi cum bona ejus venia [f] Danfronium divertere liceret, quo milites coeli mutatione ex morbis inter ipſos graſſantibus ſe recrearent, ac brevi venturis per [g] Cadomum ſociis praeſto eſſent. Cum repugnaret Monpenſerius, et periculoſum illac iter oſtenderet; quippe per media hoſtium praeſidia incedi, et ruſticos foederatis addictos, tamen eos a ſententia dimovere non potuit. Igitur numero circiter IↃCC cum centurione ſuo profecti ad [h] Ambreriam pagum III a [i] Meduana leucis conſederunt, in eoque XV dies commorati ſunt; dum interim Boſcodelfinus collecto ex [k] Lavalli, Cratumni, Fulgerei circumpoſitis praeſidiis milite eos adoriretur, captato tempore, cum ex iis CC ad neceſſaria ſibi paranda Cadomum profecti eſſent. Tandem circumventi et poſt obſtinatum certamen, in quo plerique ex hoſtibus ceciderunt, tandem caeſi ac diſſipati ſunt, ut vix ex omni Anglorum numero CCCC, putatis iis, qui aberant, ſuperfuerint. Capti plerique, et in iis centurio ipſe, quem paulo ante unis atque alteris literis Monpenſerius periculum veritus fruſtra monuerat, ut ſe cum ſuis ad ipſum conferret. Vincentius [l] Launaeus Quercetanus Vauluetus Fulgerei praefectus graviter ſauciatus, ex eoque vulnere cum diu decubuiſſet, tandem aliquot poſt menſibus deceſſit. Clauſit annum conjuratio detecta et ſevere a Monpenſerio vindicata. Poſt Cratumnenſem cladem multi eorum, qui regis partes ſequebantur, cum fortuna mutaverant; in iis Joannes [m] Riuſius Aſſaraci marchio juvenis petulanti natura ac turbido ingenio, qui ut a rege deficiens aliquod operae pretium faceret, Angerum [n] Crapadum hominem ſemper regi fidum et in Monpenſerii parentis ſamilia educatum ſive pretio ſive alia de cauſa corruptum eo perduxit, ut [o] Condatum et cum urbe Monpenſerium ipſum hoſti prodere in animum induceret: quo magis falleret, indictis ſub id Ordinum comitiis commendatione ipſius Monpenſerii inter delegatos ad regem nominari voluit. Verum ſub id certiſſimis indiciis re patefacta comprehenſus Crapadus, et poſt criminis confeſſionem a reo extortam, militari judicio, cui Monpenſerius ſubſcripſit, damnatus ac publice ſecuri percuſſus eſt; indignantibus pleriſque qui in metropoli provinciae et in ipſius ſenatus conſpectu hominem e primaria nobilitate non tam a judicibus, quam a belli conſiliariis damnatum, ſupplicio affici fremebant.

XVI. EODEM tempore quo Aumontius in Armoricam cum ſummo imperio profectus eſt, [p] Bullionius petito a rege commeatu Sedanum conceſſit, ubi cognito Africanum [q] Anglurium Ambliſium Lotaringici exercitus imperatorem contracto ex vicinis [r] Viroduni, Villafrancae et Duni praeſidiis exercitu, in quo II CIↃ pedites, IↃCC equites erant, et V tormenta inſtructa, incenſo [ſ] Marca pago ad [t] Bellomontium, exiguum in Argonenſi ſilva oppidum, nec ſitu firmum caſtra poſuiſſe,

obſeſſis

INTERPR. [a] *le Sr de Maignan.* [b] *Quintin.* [c] *Liſcoüet.* [d] *Bretagne.* [e] *Norris.* [f] *Danfront.* [g] *Caen.* [h] *Ambrieres.* [i] *Mayenne.* [k] *Laval, Craon, & Fougeres.* [l] *de Launay de la Cheſnaie Vaulouet.* [m] *de Rieux marquis d'Aſſerac.* [n] *Crapado.* [o] *Rennes.* [p] *le Duc de Bouillon.* [q] *d'Anglure prince d'Ambliſe.* [r] *Verdun, Villefranche, & Dun.* [ſ] *Marck.* [t] *Beaumont en Argonne.*

obſeſſis ſuppetias ferre ſtatuit. Extemploque ad praefectos regios literas dat, et in obſeſſi oppiduli fortuna [a] Muſonii, in quo majus momentum erat, periculum verſari oſtendit. Tandem [b] Stenaeo, Duncherio evocatis praeſidiis, quibus [c] Perrerius, Andiranus, et Remillius praeerant, ipſe cum [d] Stivallio, Hevio, aliiſque e nobilitate, qui cccc equites efficiebant, III Eid. Oct. in viam ſe dat, et ubi loco propinquavit, cum c delectis provectus, commiſſoque velitario certamine, aliquot equites in oppidum introducit; eo ipſo momenro, quo poſt acrem pulſationem in eo erant hoſtes, ut per ruinam impetum facerent, quod adventu ſuo prohibuiſſe, et animos obſeſſis feciſſe contentus retro ceſſit, et [e] Raucuriam ſuae ditionis oppidum ſe contulit. Dein apud ſe reputans, amiſſo [f] Bellomontio, Muſonium ab hoſte oppugnatum iri, idque rebus regis in limite ac ſuis multum incommodaturum, proelii aleam tentare decrevit, et acceptis circiter c cataphractis equitibus a [g] Mallio Rumenio Malberti praefecto, et ccc peditibus undiquaque collectis, ad hoſtem ducit, et praemiſſis duobus equitum agminibus [h] Marrio, Stivallii legato, Hevio, et Remillio ducibus, ut convallem inter hoſtem et pedites ad macerias quaſdam ad laevam poſitos inſiderent, cum hoſte acriter conflixit. Ambliſius ad laevam Germanos, Gallos et Lotaringos pedites juxta tormenta ſepoſuerat, et III agmina ad collem occupandum miſerat, in quem [i] Bullionius cum Perrerio, Andirano, [k] Pouillio et Lopio, qui cum ſuis [l] Stenaeo ſub id advenerat, [m] Corneo et Rumenio enitebatur. Heic totis viribus pugnatum fuit, tandemque loco pulſi et ſoluti hoſtes, cum ſe ad peditatum reciperent, omnino diſſipati ſunr. Ambliſius cum pleriſque cecidit. Bullionius ipſe infra oculum dextrum et in imo ventre levi ictu perſtrictus eſt, quo factum, ut fugienteis ulterius perſequi non potuerit. Rumenio et Betencurio negotium datum, ut in peditatum, qui inrerim violenta tormentorum diſploſione locum pulſabat, impetum facerent. Conatum eorum adjuvit eodem tempore facta ab obſeſſis eruptio, qua intercluſi undique pedites caeſi ſunt. Tormenta, cum equitum ac peditum vexillis capta. Deſiderati ex hoſtibus amplius IↃ, ex noſtris pauci. [n] Haraucurius tantum cum aliquot aliis capti. ccc circiter Germanis deditis, ac Nic. [o] Granvillario principi centurioni arma adempta, vitaque ea conditione data, ne contra regem et [p] Argentinenſeis intra annum arma ferrent. Aliquanto poſt Bullionius a [q] Natali Richerio homine fortis ſolertiae certior factus de [r] Duni oppidi V a Sedano leucis ad Moſam poſiti ſitu, cognitoque facili ad ſuperius oppidum, quod tribus portis intrabatur, acceſſu; duas autem poſteriores medio tantum raſtro inter ſe diviſas crepitaculi unius ictu poſſe dejici, fulcriſque ſubjectis raſtrum ſi dimitteretur, ſuſpendi; ita ut miles ſub eo in oppidum commode ereperet; VIII Eid. Dec. copias educit, et cum [ſ] Altario, Morgnio, Fontano, Vallidoreo, Vendio, et Remillio profectus media jam nocte ad oppidum accedit. Tum equis in proximo relictis, praemiſſi, qui etepitacula ac fulcra raſtro ſubjicienda portabant, quos x loricati et totidem ſcloppetarii ſequebantur, Marrio duce: poſt eos rurſus incedebant cc ſcloppetarii delecti, quos [t] Caumontius ducebat, qui ſuburbium oppoſitum non ſine ſtrepitu praetervecti portae propinquant; dumque ſtationarii et [u] Muſa ipſe loci praefectus percontatur, quinam eſſent, Richerius expeditionis dux, crepitaculo jam admoto reſpondit, Bullionium adeſſe, qui prandere in oppido vellet. Tum diſploſione

INTERPR. [a] *Mouſon.* [b] *Stenay, & Donchery.* [c] *la Perriere, Andiran, & de Remilly.* [d] *d'Eſtivaux, & de Hauves.* [e] *Raucour.* [f] *Beaumont.* [g] *de Mailly Sr de Rumeny gouverneur de Maubert.* [h] *le Sr de Marry.* [i] *le Duc de Bouillon.* [k] *Pouilly, & de Lopes.* [l] *Stenay.* [m] *le Sr de Corné.* [n] *de Haraucourt.* [o] *Granvilliers ſergent major.* [p] *ceux de Straſbourg.* [q] *Noel Richer.* [r] *Dun.* [ſ] *des Autels, de Morgny, de Fontaines, de Vaudoré, & de Vendy.* [t] *de Caumont.* [u] *Mouza.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV.

diſploſione violenta primum portae repagulum diffringitur, continuoque ad ſecundam portam crepitaculum admovetur, quod et eam disjecit. Sed raſtro ſub id a portae cuſtodibus laxato Richerius petrae pondere ſternitur; cumque fulcra ob eum caſum in tempore minime ſubjici potuiſſent, ad raſtrum admoventur unum et alterum crepitaculum; eoque perforato LX circiter ſubintrarunt, et mox alii non citra periculum. In ſuperiore oppido erant II equitum turmae cum I peditum cohorte, IIII in inferiore, quae laborantibus ſociis ſubvenire non potuerunt, a regiis jam ingreſſis poſtico obſerato intercluſi; vario, ut in nocte obſcura, eventu pugnatum fuit a tertia ad ſeptimam horam ſequentis diei, Caumontio graviter vulnerato, et in proximum hoſpitium ab hoſtibus deducto, diuque incertum fuit, quis vinceret: nam praeſidiarii per muros diſcurrentes victoriam inclamabant, ut regios ſeriatim ingredienteſs deterrerent. Bullionius ipſe de eventu anxius ſedulo locum obibat, ſi quod forte ſuorum loco potitorum ſignum exaudiret, cum Lopius juxta poſticum ſcalas admovet, et cum delectis in oppidum evadit, ac reſtituto certamine praeſidiarios jam feſſos in turrem compulit, qui ſub meridiem ſe poſtremo dediderunt. Qui inferius oppidum tenebant, caſu ſuorum territi, eo incenſo ſtatim profugerunt. Eo vix tandem reſtituto et loco valido praeſidio firmato Bullionius triumphabundus Sedanum revertitur. In [a] Aquitania per id omne tempus fere quies fuit. Menſe Sextili inſidiae de Baiona in noſtro limite primaria civitate intercipienda detectae ſunt, a [b] Fontiſaragi praefecto ſtructae. Is cum urbis medico [c] Blancopinco nomine familiaritatem colebat, et interventu cujuſdam Hiſpani, qui jampridem in ea domicilium fixerat, homini avaro grandi pecunia oblata ſcelus perſuaſerat. Ex literis interceptis proditionis conſilium patuit, quibus medicinae verbis ad morbi curationem matura ac copioſa ſanguinis miſſione opus eſſe ſignificabat. Nam captus puer, qui eas ferebat, cum quaedam confeſſus eſſet, reliqua a medico et Hiſpano ſtatim comprehenſis et quaeſtioni violentae ſubjectis cognita ſunt. [d] Hillerius urbis praefectus vir ſtrenuus et regi ſumme fidus cum ex reis didiciſſet, claſſem, quae in propinquo apparabatur, ad id deſtinatam eſſe, Hiſpanos contraria fraude allicere cupiens Hiſpano impunitatem promiſerat, ſi literas, quales ipſe ad claſſiarios in exitium praecipitandos confinxerat, propria manu exſcriberet. Verum quam medicus in patriam impius, tam ille incorrupto ſe adverſus perfidiam animo eſſe oſtendit, contemptoque mortis metu, quam ſibi conditionem recuſanti paratam ſciebat, vitam propriam periculo ſociorum generoſe poſthabuit, unaque cum [1] medico publice capitali ſupplicio affectus eſt. Sub exitum anni Jacobus [e] Gobio Matignonus provinciae praeſes [f] Villandradam arcem a Clemente V olim exſtructam, unde hoſtes continuis excurſionibus ſub [g] Burdigalae uſque portas quotidie praedas agebant, corona cinxit, et tandem deditione in fidem accepit, amiſſo in ea obſidione [h] Vivantio, qui levis armaturae famoſus dux ſub rege antequam in regnum Franciae ſuccederet, multa ſtipendia fecerat. Paulo ante nataleis ferias [i] Blavia militaris olim dicta in aeſtuario Garumnae, quae a Joanne Paulo [k] Eſperveſio Luſſano foederatorum nomine tenebatur, et ex qua totum flumen, quod eſt ampliſſimum Galliae emporium, piraticis excurſionibus infeſtum reddebat, inſtantibus Burdigalae et circumpoſitae regionis ordinibus obſidione arcte vallata eſt, quae quia diuturnior futura putabatur, eo major in eam apparatus factus et grandis pecunia undique collata, irrito tandem ſucceſſu, ut poſtea videbimus.

XVII. IN

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Fontarabie.* [c] *Blanc-pignon.* [d] *la Hilliere.* [e] *de Goyon mareſchal de Matignon.* [f] *Villandrade.* [g] *Bourdeaux.* [h] *de Vivans.* [i] *Blaye.* [k] *d'Eſparaveis,* al. *d'Eſparbez, Sr de Luſſan.*

NOT. [1] ce Blanc-pignon eſtoit natif de Troyes en Champagne, & ne fut point executé pour cette conjuration, ayant veſcu fort long temps depuis & juſqu' à l'age de 80 ans. *Put.*

XVII. IN [a] Cadurcis et per [b] Septimaniam majore mole res geſta, ubi Ant. Scipio [c] Jouſa non tam foederatorum ac Meduanii nomine, quam propriis auſpiciis bellum adminiſtrabat; adoleſcens impiger, et qui ad ſplendorem familiae tota provincia praepotentis Annae fratris [d] Cutracena pugna interfecti memoriam, et Franciſci cardinalis ac Henrici [e] Bucagiae comitis fratrum gratiam, proprias virtutes et populorum favorem [α] attulerat. Is Germanis a Philippo attributis, aliiſque copiis ſubnixus, multas civitates in Septimania in poteſtatem redegerat, ac nuper Carcaſſonam inferiorem: nam ſuperiorem, in qua epiſcopi ſedes eſt, ſemper ab initio tenuerat. Ad [f] Lautrecum in Albigenſi agro regios, aſtu mox et vi [g] Trapa expugnata, menſe Martio proximo afflixerat. Inde in Cadurcos iter flexit, et vaſtata circa [h] Montalbanum regione, ferroque ac flammis ſparſo ſui terrore [i] Monbequinum, Monbetonum, ac Monbarterium exiguo negotio ſui juris fecit. Tum [k] Bartam munitionem deditione recipit, ſed conditiones minime ſervatae. Tum Fano [l] Mauritii in fidem accepto [m] Mauſacum arcem aliquanto tempore obſidet, ac poſtremo poſt CCCC ictuum diſploſionem dedentibus ſe praeſidiariis capit. Haec toto Junio acta. Poſtea ſucceſſu elatus ad [n] Villemurium caſtra ponit. Oppidum id eſt ad [o] Tarnim inter [p] Rapiſtanium et Montalbanum ſitum, quod a [q] Renerio cum praeſidio CCC tenebatur. [r] Pontius Lauzierus Theminius a Montalbani conſulibus mox evocatus advenit, et L loricatos Villemurium introducit, duce [ſ] Pedulio viro ſtrenuo. Jam [t] Eſpernonius, capto in Engoliſmenſibus nuper [u] Villaboſio, intellecta Valetae fratris morte, de qua mox dicemus, in eo erat, ut cum expedito exercitu in [v] Provinciam ſe conferret; cum eoque egerat Theminius, ut per Cadurcos incedens obſeſſis ſuccurreret. Is IↃ equites cataphractos totidem ſcloppetarios ducebat. Eorum adventu Jouſa, qui ſe imparem videret, tempori cedendum ratus ab obſidione diſcedit. Quo cognito Eſpernonius in [w] Novempopuloniam redit, copiis ſuis Theminio perhumane attributis, quibus ille fretus Mauſacum recipit, et [x] Curiam haud longe a Montalbano arcem in poteſtatem redegit. Interea cum Jouſa reſciviſſet Eſpernonii ſcloppetarios ſolute agere, eos inopinato tenebris noctis defenſos invadit, et CCCC ex iis trucidat, et II colubrinas capit. Succeſſum urgente eo ſupervenit Theminius, et virtute ſua impetum ipſius cohibuit, ac cetera tormenta ex hoſte recepta Montalbanum reduxit. Incidit ea clades in XIIII Kal. Quintil. Eſpernonius caſu ſuorum perculſus adductis novis copiis ſtatim revolat, et caſtigata ſociorum licentia, quae hoſti ad eos opprimendos occaſionem praebuiſſet, inſtitutum in Provinciam iter perſequitur. Quo tandem longo ac difficili admodum itinere incolumis ineunte proximo menſe pervenit. Ejus diſceſſu jam ſecurus Jouſa majoribus quam antea animis omiſſam obſidionem repetit, et IIII Eid. Sept. vallum ad Villemurium promovet, et VIII muralibus machinis ac II colubrinis locum pulſat. Renerius relicto in eo Mauſaco, [y] Camberto, et Caſa ſtrenuis ducibus, Montalbanum excurrit, ut obſeſſis ſuccurrendi cum Theminio rationem iniret. Eodem venit [z] Demius cum aliquot delectis,

Theminius

VAR. LECT. [α] attulerat. Guilhelmus equitum tribunus ejus parens aliquanto ante obierat, qui minus grato animo memoriam beneficiorum ab Anna Momorantio acceptorum ſervaſſe dicebatur; quippe ab eo, cum epiſcopus Aletenſis eſſet, in familiam aſcitus, Maria Batarnaea [β] nepte in matrimonium tradita, et ampliſſimae praefecturae in partem vocatus. Nec minus ingratus erga regem defunctum ferebatur, a quo tot honoribus cum univerſa familia ſua amplificatus, nihilominus ipſo ſuperſtite ad foederatorum partes defecerat; multum diſſidente Franciſco cardinali filio, qui fidem, quamdiu vixit, regi de ſe bene merito conſtantiſſime ſervavit. Superabat tunc ex tam numeroſa familia Ant. Scipio qui belli munia obiret. In MSS *Samm. Put. & Rig.*
[β] Uxoris nepte MS *Samm.*

INTERPTR. [a] *Quercy.* [b] *Languedoc.* [c] *de Joyeuſe.* [d] *de Coutras.* [e] *Bouchage.* [f] *Lautrec en Albigeois.* [g] *Trape.* [h] *Montauban.* [i] *Monbequin, Monbeton, & Monbartier.* [k] *la Barte.* [l] *S. Mauris.* [m] *Mauſac.* [n] *Villemur.* [o] *le Tarn.* [p] *Rabaſteins.* [q] *le Sr de Reniers.* [r] *Pons de Lauſieres Sr de Themines.* [ſ] *le Sr de Pedoue.* [t] *le Duc d'Eſpernon.* [u] *Villebois en Angoulmois.* [v] *Provence.* [w] *Gaſcogne.* [x] *la Court.* [y] *les Srs de Chambert, & la Chaiſe.* [z] *le Sr de Deſmes.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

Theminius omni ratione ſuppetias ferendi certus cum CXX loricatis et CC ſcloppetariis delectis, in quibus erant [a] Magdalenus, Bona-coſta, Interamnas, Croſius, Baſſignacus, Murius, Moſtolacus, Buranus, Calvetus, Buriada, Alegrius, Capogibbus, Conſtans, et Subſolanus, XIII Kal. Oct. ſub horam nonam veſpertinam in viam ſe dat, et ubi aliquantum proceſſit, ex equis deſcendere cunctos jubet, eoſque Montalbanum remittit. Inde pedes ſummo ſilentio profectus oppidum obſeſſum cum ſuis citra periculum ingreditur. Poſtridie ſtrage murorum edita, oppugnatio a Jouſa tentata et cum damno depulſa, ſtrenuam operam in defenſione navante cum ſuis Theminio, ita ut de ſucceſſu deſperans hoſtis jam de receptu cogitaret; ſed a Toloſatibus confirmatus, qui legionem peditum cum pilis, pulvere nitrato, ſariſſis et furcis ferreis ultro ſummiſerant, in obſidione manſit. Eam legionem ex tironibus fere conſtantem eruptione facta obſeſſi ad interneccionem mox [a] deleverunt; relangueſcebat paulatim hoſtium impetus, et cuncta ſegniter in caſtris agebantur, quamvis omnem operam darent [b] Onuxius et Monberaldus, qui Jouſae praecipui conſiliarii ac belli duces erant, ut periculo quod ab auxiliaribus imminebat, celeritate praeverterent. Dum in eo ſunt, Henricus [c] Momorantius Septimaniae praeſes indignum ratus tot forteis viros ipſumque adeo Theminium, qui ſe ultro obſeſſi oppidi muris incluſerat, ad exitium certum expoſitos negligi, Antonio [d] Plexio Lecae veterano duci, [e] Campobaldo et Montoſio mandat, ut cum copiis attributis ad obſidionem omni ratione ſolvendam contenderent. Ii igitur Montalbanum profecti, cum Villarii marchionem cum recenti milite ad Jouſam contendere cognoviſſent, aliquot dies ſubſtitere; dein ubi rumor ille evanuit, certius cognovere [f] Sanvincentium [g] Rutenorum praefectum et [h] Apcherium regulum ex [i] Gabalis, Velaunis, et Arvernis CIↃ CC ſcloppetarios in caſtra Jouſae adduxiſſe. Itaque cunctandum rati ad Matignonum ſcribunt, ſi quas copias ab eo obtinere poſſent. Cum ille ſe excuſaret, ad [k] Meſſilacum Arvernorum praefectum virum indefeſſae virtutis mittunt, rogantes, ut cum copiis, quas penes ſe habebat, ad Theminium periculo, in quo verſabatur, liberandum appropinquaret. Praeſto adfuit ille cum C loricatis equitibus et CC ſcloppetariis egregie inſtructis, conjunctiſque univerſis copiis auxiliares [l] Bellagardam venerunt; ubi mox Jouſa relicto ad obſidionem idoneo militum numero, qui vallum ſervarent, cum delecto equitatu et ſcloppetariis eos adoritur. Ibi acriter pugnatum fuit, verſis in fugam initio regiis: verum Leca et Campobaldus ſupervenientes certamen reſtituere, tormentorum diſploſione tempeſtive imperata. Eo in conflictu magnum virtutis ſuae ſpecimen ediderunt [m] Maſſa, Batallia, Renterius, Pujolius, Sangeneſius, Vernacus. Tandem ambigua victoria utrinque diſceſſum eſt. Jouſa in caſtra reverſus, ut terrorem obſeſſis injiceret, quaſi debellatis regiis in publicae laetitiae ſignum ignem paſſim accendi juſſit; et a milite laſciviente voces ſparſae de auxiliaribus caeſis. Verum Theminius animo imperterrito veteratorias has belli artes facile contempſit, et ad extrema quaeque patienda ſuos cohortatus exemplo et periculi participatione firmavit. Interea [n] Giſcardus cum aliquot armatis, et ante cum [o] Gordonius vicecomes in caſtra regia venit. Conſulentibus in commune initio placebat, ut [p] Clauſura et Baſtida vicinae munitiones

ante

VAR. LECT. [a] deleverunt; quam cladem hoſtis ultus eſt CC circiter bobus ad Leopharii fanum abactis. Relangueſcebat MSS. *Reg.* & *Samm.*

INTERPR. [a] *les Srs de la Magdelaine, de Bone-coſte, d'Entragues, du Cros, de Baſſignac, de Mur, de Moſtolac, de Burc, de Calvet, Beujade, d'Alegre, Cap-boſſu, & Subſol.* [b] *d'Onoux, & de Monberault.* [c] *le Duc de Montmorency gouverneur de Languedoc.* [d] *du Pleix Sr de Lecques.* [e] *Chambault, & Montoiſon.* [f] *de S. Vincent.* [g] *Rouergue.* [h] *d'Apchier.* [i] *le Gevaudan, Velay, & Auvergne.* [k] *de Meſſillac de Reſtignac.* [l] *Bellegarde.* [m] *les capitaines du Mas, Bataille, Rentieres, Pujol, S. Geniez, & la Vernaie.* [n] *le Sr de Giſcard.* [o] *de Gourdon.* [p] *le Clos, & la Baſtide.*

ante omnia caperentur: ſic enim fore, ut hoſtes tam vicinis regiis ab oppugnatione facienda averſi, et libera commeatus importatione per continuas excurſiones prohibita fatigati, ab obſidione diſcedere poſtremo cogerentur. Contra alii diſſerebant, re in longum extracta periculum ſubeſſe, ne obſeſſi tandem animis linquerentur, annona interim inutiliter conſumpta: praeſertim cum in propinquo eſſet Toloſa, ex qua non ſolum recenti milite, ſed re omni neceſſaria juvarentur. Itaque potius videri, quando omni ratione obſeſſis ſubveniendum cenſerent, ut proelii alea tentaretur. Nec de victoria ambigendum in tanta auxiliarium alacritate contra feſſos nec numero multum ſuperiores, qui ab erumpentibus ex oppido et noſtris circumventi proculdubio ceſſuri ſint. Et haec ſententia vicit, Mauſaco praeeunte, Leca et Gordonio ipſo veteranis ducibus, qui uſu et innata prudentia nihil fortunae temere committendum initio cenſuerant, poſtremo aſſentientibus. Secundum haec acies inſtruitur. Primum agmen ducebat Meſſilacus arcta cum Theminio amicitia conjunctus, et qui periculo, in quo verſabatur, vel cum certa vitae pernicie eum eximere decreverat. In medio ſtabat Campobaldus. Ultimum agmen Leca regebat. Erant omnino in regiorum caſtris [α] [1] CIϽ IϽ loricati equites, III circiter ſcloppetariorum CIϽ. Jouſa totidem equites et IIII peditum CIϽ penes ſe habebat: in iis putatis CIϽ IϽ Germanis. Praemiſſis, qui de hoſtium ſtatu cognoſcerent, cum retuliſſent, Jouſam nihil tale cogitantem per circumpoſitos pagos equitatum distribuiſſe, occaſione utendum rati regii, tormentis ad [a] Fanum-Leopharii depoſitis, per tenebras iter perſequuntur, et XIII Kal. Nov. qui in Lunae diem incidebat, antequam de eorum adventu quidquam hoſtes cognoviſſent, Villemurii ſylvam per [b] Cluſellum cum IϽ ſcloppetariis occupant, receptandis ſuis, ſi quid adverſi accideret, locum idoneum: tum ulterius progreſſi in Jouſae conſpectum venerunt, qui caſu ſubito perculſus mox III tormentorum diſploſione, quod erat conveniendi ſignum, equitum duces in caſtra revocat; hoſtes vallum primum a ſylva in oppidum, interclusa media via, porrexerant, quod a CC ſervabatur, et ante omne occupandum noſtris erat. Itaque Cluſellus et [c] Montoſius ad id deſtinati, qui ſumma vi trepidanteis aggreſſi poſt aliquod certamen, quamvis CCCC recentes feſſis ſummiſſi eſſent, tandem vallo potiuntur, occiſo ſtrenuo eorum ductore [d] Labia Avenionenſi. Nec ſe in tanto periculo deſeruit Jouſa, qui quanquam ſuos fatiſcere, et de ſucceſſu deſperare cerneret, animum contra obfirmavit, neque quidquam turbatus per cetera propugnacula in angulis valli alterius collocata delectos ſumma diligentia diſtribuit, et ipſe ordines obiens ſingulos et univerſos voce et exemplo ad pugnam fortiter capeſſendam hortabatur. Sed, toto exercitu regio jam comparente, qui ſe vix ex viarum anguſtiis explicaverat, ad vallum vis facta, ad quod ſe omne peditatus hoſtilis robur contraxerat. Heic acriter pugnatum per dimidiam horam incerto diu eventu, donec erumpente [e] Theminio undique circumfuſi hoſtes ceſſere, et pars in vicinum flumen praecipitavit, pars caeſa et huc illuc diſſipata eſt. [f] Jouſa ad [g] Condominas, ubi tormenta depoſuerat, cum, ſervato ordine cum paucis e nobilitate ſe reciperet, rupto ponte, quem ex navigiis in [h] Tarni ſtraverat, fruſtra [i] Curteto et Bidoneto eum retinentibus, rapiditate fluminis hauſtus eſt. Amiſſi ex ſuis ad [β] CIϽ, capta XXII ſigna. III tormenta et II colubrinae Montalbanum advectae. Reliqua tormenta, qui e ſtrage ſuperfuere, [k] Frontonem ſecum advexere. Noſtri ad [l] Baſſerias uſque fugienteis

VAR. LECT. [α] IϽ c MS. *Samm.* [β] CIϽ IϽ. MS. *Samm.*

INTERPR. [a] *S. Leofaire.* [b] *le Sr de Clauſel.* [c] *Montaiſon.* [d] *le capitaine Labia d'Avignon.* [e] *de Theminet.* [f] *de Joyeuſe.* [g] *Condomines.* [h] *le Tarn.* [i] *Courtete, & de Bidonet.* [k] *Fronton.* [l] *Baſſieres.*

NOT. [1] *Lege* IϽ. ſelon les Mem. de la Ligue T. 5. p. 177. *Put.*

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV.

fugienteis inſecuti ſunt. Ita [a] Villemurii ſoluta obſidio poſt II CIↃ tormentorum ictus diſploſos, cum pernicie imperatoris toto illo tractu famoſi, cui fortuna huc uſque blandiri viſa eſt, ut cum pari cum Anna fratre fato peſſum e ſummo rerum faſtigio daret. Nuncio de ejus morte Toloſam allato ingens omnium ordinum comploratio exorta, vicem urbis ac totius Septimaniae, quae tanto patrocinio tam calamitoſis temporibus orbata eſſet, ingementium, inſuper et miſerantium juvenem tantae virtutis ac ſpei in flore aetatis ereptum, nullo in familia ſucceſſore, qui rei bellicae curam in provincia ſuſciperet. Nam Franciſcus cardinalis, qui in urbe erat, et cui ſenatus publico decreto jam praefecturam detulerat, a belli muniis obeundis ſe excuſabat; et Henricus [b] Buchagiae comes in Capucinorum coenobio [*] degebat: iis publicus moeror pro ſolatio chariſſimi fratris amiſſi fuit. Evocati ſtatim a cardinali, et qui ex pugna ſuperfuerant, et qui non interfuerant, Jouſae familiae addicti [c] Monberaldus, Onuxius, Sanvincentius, Cornuſſonus, Apcherius, Claromontius Lodevenſis, Ludovicus Vicinus Ambra, Altariva, Muſſolentius, Conſus, alii e primaria nobilitate; qui poſtridie advenerunt, et opportune importune apud eum tenuerunt, quando ſe ab hoc onere, quod nunquam tuliſſet, excuſaret, ut fratri militaris rei non rudi auctor eſſet, imperii armorum capeſſendi. Sed cum Henricus rurſus ſe excuſaret, quietem ſuam turbari primum, dein et ſcrupulo conſcientiae attineri cauſatus, vocantur in conſilium theologi, curiones, praeſules; qui ad poſtulata ex praeſcripto reſponderunt, non ſolum citra conſcientiae damnum Buchagium relicto coenobio curam belli poſſe ſuſcipere, ſed niſi faceret, et tali tempore religionis cauſam deſereret, mortalis peccati piaculo obligari. Itaque mox proceres concurſatione ad eum facta tergiverſantem tandem in archiepiſcopi aedeis ad fratrem pertraxerunt, ubi decreti theologorum confirmationem ab eo accepit, ac ſequenti die depoſito cilicio in habitu lugubri publice comparuit, et ſacrificio interfuit, feſtis plebis vocibus ubique exceptus; tum in ſenatum venire per delegatos rogatus, fratri in parte praefecturae ſuccenturiatus eſt, ita ut ſumma negotiorum penes cardinalem, penes ipſum cura armorum eſſet.

XVIII. ANTEA in [d] Provincia Bernardus Nogaretus [e] Valeta [f] [1] Paſſagii, qui nuper ad eum venerat, et propriis viribus ſubnixus [g] Rupem-brunam haud longe a [h] Julii-foro arcem, quae a Sabaudo tenebatur, ineunte anno obſederat, eoque II tormenta [i] Ciſtertione ac totidem colubrinas [2] Molecam deduci juſſerat, et VIII Kal. Feb. Rupem-brunam profectus pulſatis muris, cum ab oppugnatione tentata cum damno ſuorum repulſus eſſet, rurſus redintegrata verberatione ubi vidit ab ea parte conatum fruſtra eſſe, jam ruina ab obſeſſis ſarta, alio tormenta transfert, dumque in iis collocandis incautius laborat, ictu majoris ſcloppeti in capite ſauciatus eſt, ex eoque vulnere poſt duas horas deceſſit, incredibili ſui regi deſiderio relicto, cui ſtrenuam admodum ac fidam operam ſemper navaverat. Erat vir ſumma fortitudine praeditus, in periculis imperterritus. In adverſis conſtans, in proſperis moderatus; liberalis, comis, magnae in explicandis negotiis ſolertiae, ſed verſutior creditus, ob idque initio minus pleriſque gratus: ſed eam de ſe opinionem ſive mutaſſet, ſive adſectato candore ex omnium animis paulatim induxerat, in imperio

ac

VAR. LECT. [*] latebat *Put.*

INTERPR. [a] *Villemur.* [b] *Bouchage.* [c] *les Srs de Montberaud, d'Onoux, de S. Vincent, de Cornuſſon, d'Apchier, de Clermont de Lodeve, de Voiſins Sr d'Ambres, de Haulterive, de Mouſſolans, & de Cons.* [d] *Provence.* [e] *de la Valette.* [f] *du Paſſage.* [g] *Roquebrune.* [h] *Frejus.* [i] *Siſteron.*

NOT. [1] le Sr du Paſſage ne mena jamais aucun ſecours ni d'hommes ni de canon à M. de la Valete durant le ſiege de Roquebrune. *Put.*

[2] *Molecam.* Il y a faute en ce nom; car ceux du païs n'en ont jamais oui parler. Les 4 canons qui ſervirent au ſiege de Roquebrune furent pris à Frejus & à Toulon & y furent reconduits aprés la priſe de la Place. *Put.*

ac magiſtratu, quam privatus melior. Is in matrimonio habuerat Annam [a] Batarnacam Jouſarum amitam, quae paulo ante eum ſine liberis deceſſit. Eſpernonius, quem ille heredem reliquit, eum caſum acerbiſſime tulit: quippe fratre chariſſimo et firmiſſimo fortunae ſuae invidioſae munimento orbatus. Indeque occaſionem ſumpſit Provinciae a rege defuncto ſibi attributae repetendae, et cum delectis copiis, facto per [b] Cadurcos, Rutenos, et Septimaniam itinere, ſicuti ſupra diximus, [c] Mandragonium pridie Eidus Sextileis venit, et per triduum copias ultra [d] Druentiam traduxit.

XIX. VALETAE morte intellecta [e] Diguierius dimiſſis pridie Eidus Februarias comitiis [f] Tullinum venerat cum Alfonſo Ornano de Provinciae rebus in commune conſultaturus. Nec multo poſt [g] Gratianopolim venerunt ad eum Provinciae ordinum delegati VIII Eid. Mart. rogantes, ut in eam deſcenderet, videretque ne vacua rectore Provineia aliquid detrimenti acciperet, donec rex, quem Alexander ab [h] Hiſpania Rameſortius de Valetae morte certiorem per literas fecerat, de re omni decreviſſet. Miſit et ad eum ſenatus, qui [i] Aquis Sextiis [k] Ciſtertionem tranſlatus erat, e ſuo numero delegatos. Inde [l] Mauri-podium Diguierius cum [m] Guberneto pergit, quo ad ipſum [n] Oraſonus venit, ut de ratione belli in Provincia gerendi ageret. Jam tum de armis Gallicis in [o] Subalpinam regionem transferendis ad avertendum a Provincia Sabaudum cogitabat Diguierius; et copias omneis de ea expeditione certus [p] Vapincum convenire juſſerat. Quam tamen inſtantibus illis diſtulit, et exeunte Aprili [q] Ebrodunum profectus [r] Selonetam tendit, et per [ſ] Bruſquetum, Vallenſolam facto itinere [s] Benas obſidet; quae tandem III Eid. Maias dedita eſt, equiti [t] Morienſi, qui locum tenebat, V CIↃ aureorum depenſis. [u] Polinius in ea obſidione accepto in capite ſcloppeti ictu deſideratus. [v] Riantium, Geniſſeraium, et Bauduena eodem tempore in fidem accepta. Inde [w] Caſtellanam itum, quae in fidem itidem accepta, et III ſignorum praeſidio firmata eſt. Dedita ſub id [x] [1] Apta Julia, Bariolium, Cotignacum, Perolae, Joucium, Pauli-ſanum ad Druentiam. Quorum et exemplum [y] Draguinianum [z] Montalto illuc miſſo mox ſecutum eſt, et [a] Moantium et Caſtrum-novum. Vallenſola, facto per [b] Faventiam itinere, ventum [c] Antipolim ſeptimis caſtris. Inde miſſus [d] Bricomotius, qui ad [e] Cannas diverteret, [f] Varoque tranſmiſſo, qui Italiae et Galliarum ab ea parte limes eſt, in vallum et aliquot munitiones in adverſa fluminis ripa, quae [g] Liguriam reſpicit, a Sabaudo exſtructas impetum fecit, quo et eum cum toto robore exercitus ſubſecutus eſt Diguierius pridie Nonas Junias; et Sabaudos vallum deſerere compulit, et ſub portas uſque Nicaeae inſecutus eſt, impedimentis et equis ac jumentis captis. Biduo poſt ad [h] Vantium promota caſtra, inſtante loci domino, et III colubrinis admotis captum municipium, irrito contra arcem munitiſſimam conatu. Inde Antipolim reditum, quam poſtquam valido praeſidio equitum, et peditum [i] Barl comite praefecto munivit Diguierius, per [k] Grinnicenſem civitatem traducto exercitu caſtra ad [l] Modium XIIII Kal. Quintil. ponit. CXX circiter auxiliares, dum perrumpere ſtationes tentant, caeſi, vixque aliquot centuriones intra oppidum admiſſi.

Tandem

INTERPR. [a] *de Batarnay.* [b] *Quercy, Rouergue, & Languedoc.* [c] *Montdragon.* [d] *la Durance.* [e] *le Sr de Leſdiguieres.* [f] *Tullins.* [g] *Grenoble.* [h] *d'Eſpagne Sr de Rameſert.* [i] *Aix.* [k] *Siſteron.* [l] *Puy-more.* [m] *de Gouvernet.* [n] *le Marquis d'Oraiſon.* [o] *Piedmont.* [p] *Gap.* [q] *Embrun.* [r] *Selonet.* [ſ] *Bruſquet, & Vallenſole.* [s] *Beines.* [t] *le chevalier de Moryes.* [u] *de Poligny.* [v] *Rians, Ginaſſeroy, & Beaudun.* [w] *Caſtellane.* [x] *Aups, Barjouls, Cotignac, Peyroles, Jouques, & S. Pol ſur la Durance.* [y] *Draguignan.* [z] *de Montaut.* [a] *Moans, & Chateauneuf.* [b] *Fayence.* [c] *Antibes.* [d] *de Briquemaut.* [e] *Cannes.* [f] *le Var.* [g] *du coſté de Nice ou Nizza.* [h] *Vances.* [i] *Bar.* [k] *Graſſe.* [l] *Muy.*

NOT. [1] *Apta Julia.* C'eſt Apt ville epiſcopale, & ceſtui-cy eſt un autre lieu nommé *Aups,* en latin *Alpenſis,* où les Montagnes commencent. *Put.*

CIϽ IϽ XCII. HENRICUS IV.

Tandem octavo poſt die IIII tormentis et II colubrinis pulſati muri, ac ſub meridiem deditio ſecuta, praeſidiariis vita ſalva et cum armis dimiſſis. Captae in oppido III colubrinae, quarum II [a] Forum-Julii, tertiam [b] Eutropii-fanum, ubi perhonorifice exceptus fuerat, Diguierius transferendas curavit. Inde quintis caſtris [c] Caderiam ventum, quae poſt C tormentorum ictus diſploſos dedita eſt IIII Non. Jul. rebus oppidanorum ſalvis, quas illi XV CIϽ aureorum redemerunt; poſtridie [d] Caſtellum in fidem acceptum iiſdem conditionibus, ut res oppidanis ſalvae manerent, depenſis III CIϽ aureorum, quae inter milites diſtributa ſunt. Eodem die [e] Signia, Civitas, Cereſtum, Rupifortium in fidem accepta, et oppidanis ubique parcitum fuit, [f] Maſſilienſium interventu, qui pro iis XX CIϽ aureorum exſolverunt. Ad [g] Evenas conatus irritus fuit, ab [h] Eſcaravaco diſploſis C circiter tormentorum ictibus, quibus territos oppidanos deditionem facturos ſibi perſuaſerat. Tot ſucceſſuum laetitiam miſcuit triſtis de [i] Vienna amiſſa nuncius, quam Scipio Maugironus inſigni perfidia Carolo Sabaudo Nemoroſii duci ingenti pecunia ab ipſo corruptus prodidit, cum [k] Pipeta arce, et [l] S. Columbae et Baſtiae munitionibus, quibus impoſitus Henricus [m] Sanſorlini marchio Nemoroſii frater cum valido Gallorum et Helvetiorum praeſidio. Marcellini fanum dein obſeſſum, et admotis tormentis mox deditione captum. Succeſſuque urgens Nemoroſius cum [n] Olivaroſo ad [o] Scalas in limite Sabaudiae munitum a Diguierio propugnaculum caſtra ponit. Cum CIϽ IϽ equitibus et X CIϽ peditum directis contra oppidum VII tormentis, poſt ſtragem murorum editam [p] Trivicus et Treſortius marchiones impetum faciunt, plateaque occupata praeſidiarios, qui ad templum receptum habuerant, poſt aliquot horas ad deditionem compulerunt. Vix mulieribus et imbelli turbae parcitum. Id actum pridie Nonas Sextileis. His eladibus acceſſit et [q] Antipolis ſtatim poſt Diguierii diſceſſum a Sabaudo ipſo obſeſſa et capta. Nam is acceptam nuper ad [r] Varum injuriam ulturus conſcriptis ab [ſ] Haimone Scalengo II peditum CIϽ et acceptis CCC circiter equitibus ex [s] Inſubribus [t] Franciſco Villa comite, Joſepho Martinellio, et Troilo comite Sanſecundo ductoribus, Varum cum Caeſare [u] Davalo ſuo vicario generali tranſmittit, et [v] Cagnam primum adoritur, locum ſitu firmum, ſed in quem ex proximo colle deſpectus erat; quo occupato et vi tormentorum dejectis propugnaculis praeſidiarii vitam et res ſalvas pacti deditionem fecere. Inde ad Antipolim promota caſtra, quam Bari comes tenebat, qui ſibi a Sabaudo infeſto privatim metuens, ſpecie maturandi auxilii relicto in ea fratre, inde diſceſſerat. Urbs eſt ad mare ſita, cujus pars ſuburbii vice eſt. Tum urbs vetus ſubeſt cum arce, ac poſtremo propugnaculum, quod in mare deſpicit. Crebreſcente fama, quaſi Diguierius et Eſpernonius auxilio advenirent, Davalus Cagna praeſidio valido firmata [w] Cannas quoque firmare ſtatuit, locum per ſe munitum et arce tutum, quae non tantum ſubjectum portum, ſed circumjacenteis late campos ab incurſionibus defendit, quod ab ea parte venturos auxiliareis judicaret. Miſſa et [x] Graninicum, a quo ſibi metuebat Sabaudus, equitum turma cum II peditum ſignis, et mox propinquante Eſpernonio, III alia ſigna ſummiſſa. Tum II majoribus machinis per mare advectis pulſati Antipolis muri ad S. Sebaſtiani portam, vaſtaque ruina edita pridie Kalendas Sextileis, facta oppugnatione nova urbs capta cum caede promiſcua defenſorum et oppidanorum; tantum mulieribus ac pueris, qui in templa confugerant, parcitum. Qui periculum evaſere, pars ad veterem urbem, pars ad propugnaculum mari impoſitum

INTERPR. [a] *Frejus.* [b] *S. Tropais.* [c] *la Cadiere.* [d] *le Caſtelet.* [e] *Signe, la Ciutad, Cereſt, & Roqurfort.* [f] *ceux de Marſeille.* [g] *les Evenes.* [h] *d'Eſcaravagues.* [i] *Vienne en Dauphiné.* [k] *Pipet.* [l] *Ste Colombe, & la Baſtie.* [m] *S. Sorlin.* [n] *Don Olivarez.* [o] *les Eſchelles.* [p] *de Trevico & Trefort.* [q] *Antibes.* [r] *le Var.* [ſ] *Aimo Scalengo Piedmontois.* [s] *le Milanois.* [t] *le Comte Franciſco Villa.* [u] *Davalos.* [v] *la Cagne.* [w] *Cannes.* [x] *Graſſe.*

tum confugere; inde ad arcem verſus impetus, directiſque III machinis muralibus, cum idonea ruina videretur, oppugnatio tentatur, in qua defenſores admodum ſtrenue ſe geſſerunt, hoſtibus cum caede multa repulſis. Ipſe Sabaudus dum inſtat, et ordines circumiens incautius inter ſubeunteis milites verſatur, paene tormenti ictu diſcerptus eſt. Igitur redintegrata verberatio, et quantumvis ampliore ruina edita minime tamen defenſores animis linquebantur, ſed crebris eruptionibus hoſtem infeſtabant, donec auxiliares CCC ſummiſſi cum propugnaculum peterent, ab hoſte caeſi ſunt, eaque ſpe praeciſa, tandem vitam ſalvam pacti ſe dediderunt, ſignis et armis relictis. Reſtabat propugnaculum, quod a Barenſis comitis fratre ſervabatur, quod acceptа, ut putatur, clam pecunia, ceterum honorificis in ſpeciem conditionibus ſtatim deditum eſt VII Eid. Sextileis. Captae in portu II biremes, in quas ſe plerique periculum vitaturi conjecerant. Capta in urbe X tormenta majora aenea, et XVI minora ferrea; praeterea ingens parta praeda, quae CC aureorum CIↃ aeſtimata eſt, quod ad vanitatem ab iis, qui in Sabaudi gratiam ſcripſerunt, proditum crediderim. Conſtat certe oppidanos domibus pulſos ad patrios lares revertendi facultatem XXX CIↃ aureorum redemiſſe. Regioni vicinae cum ſummo imperio impoſitus Franciſcus [a] Martinengus, urbis praeſidio Scalengus. Propugnaculum VI Hiſpanorum ſignis firmatum eſt, quod Italis et provincialibus non ſatis fideret Sabaudus. Inter haec Diguierius, qui hinc amiſſa Vienna et capto [b] Marcellini-fano in Delfinatu, hinc [c] Antipoli expugnata res regias ſummopere labefactatas doleret, propiori periculo occurrendum ratus, conſilio cum Ornano habito, viribuſque conjunctis, [d] Molardum adoritur, VI Kal. Sept. quod exiguo ſpatio a Fano Marcellini diſtat, mox ad primum noſtrorum conſpectum ſtatim deſertum, poſitiſque ad Fanum Marcellini caſtris poſtridie praeſidiarii territi deditionem fecere, vitam, arma et res ſalvas pacti. Inde [e] Caſtam arcem, a qua nobiliſſimae familiae et fide ac virtute militari comprimis clarae nomen, quae nunc in [f] Velaunos trans [g] Rhodanum migravit, caſtra promota, et per [h] Coſtam S. Andreae traductus exercitus; quo cognito Sabaudus [i] Bello-vicino ponte propere diſceſſit, et in Sabaudiam interiorem ſe recepit. Noſtri per [k] Septimium, quod triduo ante in fidem acceptum erat, facto itinere, ſub portas uſque Viennae excurrerunt, nullo alio operae pretio. Itaque copias dividunt Ornanus ac Diguierius.

XX. IS tunc demum conſilium de bello trans Alpeis Sabaudo inferendo reſumpſit, et miſſis ad Eſpernonium nuper Provinciam ingreſſum, qui cum eo conſilia in poſterum ſociarent, [l] Mauripodio [m] Brigantionem venit VIII Kal. Oct. et ſuperato Genebra monte, biduo poſt exercitum, in quo erant IↃC equites, ter mille IↃ pedites, bipartitur, et partem in [n] Pragelatenſem vallem a [o] Valdenſibus fere habitatam ad [p] Peroſam aut [q] Pinarollium occupandum mittit, partem [r] Suſionem verſus ire jubet, cujus et ſuburbia capta ſunt; ad Pinarollium admotis ſcalis, quarum una brevior reperta, altera pondere fracta eſt, conatus irritus fuit. Peroſae urbis oppugnatio felíciorem exitum habuit. Nam nocte inter VI et V Kal. Oct. capta eſt, continuoque ad exercitum redeuntibus copiis, quae Suſionem ablegatae fuerunt, quod nullo fructu capta ejus ſuburbia retinerentur, vis ad Peroſianam arcem facta eſt, quam oppido capto adhuc [ſ] Caqueranus Sabaudi nomine tenebat, et ad conſpectum tormentorum extremo Septembris die dedidit. Inde firmato valida militum manu loco cum progrederetur exercitus, ad primum conſpectum Luſernae Turris, ac poſtridie

Mirabucana

INTERPR. [a] *Conte Martinenge.* [b] *S. Marcellin.* [c] *Antibes.* [d] *le Mollard.* [e] *Chaſtes.* [f] *le Velay.* [g] *le Rhoſne.* [h] *Coſte S. André.* [i] *Pont de Beauvoiſin.* [k] *Septeme.* [l] *Puy-more.* [m] *Briançon.* [n] *de Pragelas.* [o] *Vaudois.* [p] *Perouſe.* [q] *Pignerol.* [r] *Suſe.* [ſ] *Caquerane.*

[a] Mirabucana munitio admoto crepitaculo, nec diſploſo, deduntur, praeſidiariis vitam arma et res ſalvas pactis. Ea vallis trans Alpeis Sabaudae ditionis eſt, a Valdenſibus uti et Pragelatenſibus, habitata, in qua munitiones illas Philibertus Caroli parens, poſt bellum ante XXXII annos contra eos populos temere ſuſceptum, ad [b] Convallenſeis in obſequio retinendos exſtruxerat. Per eam liber aditus ex Delfinatu et [c] Queracenſi valle, quae Gallicae ditionis eſt, in campos Alpibus ſubjectos patet, et commode tormenta per aeſtatem ſubvehuntur. Ad [d] Briquераſeum Diguierius cum tertiis caſtris veniſſet, per exploratores cognoſcit, hoſtem ad [e] Vigonem exercitum cogere, jamque CIↃ CC pedites ad ſigna conveniſſe, ac ſe eo in loco muniviſſe, et in dies exſpectari [f] Purpurati Pinarollii praefecti legionem, aliaſque copias pedeſtreis et equeſtreis; antequam univerſi convenirent, praevertendum ratus, eo cum CCCC loricatis et IↃC ſcloppetariis peditibus et equitibus IIII Nonas Octobreis proficiſcitur, et ſub horam nonam matutinam locum equitatu cingit; tum per peditatum primas munitiones ex doliis ſtructas perrumpit, et hoſteis in interiora compulit, ubi per duas horas acriter utrinque ſtataria pugna certatum eſt, tandemque ex hoſtibus CIↃ CC cecidere; Bruniquetius tribunus ipſe interfectus, reliqui duces ac centuriones cum X ſignis capti. Ex regiis aliquot ordinum ductores ſauciati, X tantum milites gregarii deſiderati. Quarto poſt die [g] Staffardae coenobium in poteſtatem redactum eſt. Mox Briqueraſcum feſtinatis operibus muniri coeptum, Diguierio ipſo ceteris exemplo praeeunte, et primum ceſpitem ſtruendis munitionibus inferente. In opere totus October exactus. Kalendis Novembribus Convallenſes Angrunia, Peroſia, Martini-ſano, Luſerna, aliiſque ditionis Sabaudae locis, edicto citantur, et univerſi magna in ſpeciem voluntatum conſenſione ſacramentum fidei dixerunt Diguierio regis trans Alpeis generali vicario; qui publicum inſtrumentum ea de re confectum ſtatim ad regem, cum in [h] Carnutibus eſſet, miſit. Cum ad [i] Turrem-Pontanam [k] Delfino caſtro proximam noſtri caſtra poſuiſſent, Sabaudi ſubito accurrerunt obſeſſis ſuppetias laturi, et ſtationes perrumpere ac vallum occupare conati, magna cum ſuorum jactura repulſi ſunt. Id incidit in VIII Eid. Nov. dum interim dies noctesque in opere aſſidui noſtri Briqueraſco muniendo incumbebant, et Convallenſes certatim ſumma alacritate operas commodarent. Municipium id XVI milliaribus Italicis tantum ab [l] Auguſta Taurinorum abeſt infra Luſernam, in faucibus [m] Bobianae vallis, loco rerum omnium feraci poſitum, intra XL dies propugnaculis ad eam altitudinem perductis firmatum, ut quoſvis hoſtileis impetus ſuſtinere poſſet. Qua in re, ea moderatione uſus eſt Diguierius, ut Convallenſibus gratus, nec provincialibus gravis eſſet, religionis majorum libero cultu conſervato, et in Proteſtantium gratiam, quam doctrinam fere Convallenſes ſequuntur, paſtore ab iis conducto, qui in Diguierii aedibus Italica lingua concionabatur. Inſuper adhibita cura, ut diſciplina inter milites ſervaretur, prohibitis dejerationibus, et quantum per temporum licentiam fieri poterat, omni a ruſticis injuria. Adjuvabat diſciplinam neceſſitas ſub ſignis manendi a tempore et locorum ſitu impoſita, quippe undique circunfuſo hoſte, qui palanteis carpebat, tantum aperta per Mirabucanae munitiones et [n] Seſanae anguſtias ad exitum via. Quae loca diligenter a Diguierio ſervabantur, ita ut miles injuſſu ejus ſine certa pernicie in Galliam remeare non poſſet. Sabaudus noſtrorum trans Alpeis tranſitu attonitus cum vereretur, ne Salucias occuparent, mentionem pacis per emiſſarios injicit, conditionibus additis, de [o] Berra, Salone, Grininico et Antipoli, quas urbes in Provincia occupabat,

INTERPR. [a] *Fort de Mirebouc.* [b] *ceux des Vallées d'Angrogne, Perouſe, S. Martin, Luſerne, & autres ſujettes au duc de Savoye.* [c] *Vallée de Queras.* [d] *Briqueras.* [e] *Vigon.* [f] *le Sr de Purpurat.* [g] *Abbaye de Staffarde.* [h] *Pays Chartrain.* [i] *Tour du Pont.* [k] *Chateau-Daufin.* [l] *Turin.* [m] *Val de Bobie.* [n] *Cledat de Sezane. C'eſt un treillis de bois en un deſtroit.* [o] *Berre, Salon de Craux, Graſſe, & Antibes.*

occupabat, reſtituendis. Verum cum id ſimulate, nec bona fide agi cerneret Diguierius ad extrahendum tempus, ſucceſſus urget, et [a] Orbaſſani municipibus Briquераſco proximis, qui impoſitas collationes exſolvere recuſabant, et in armis eſſe nunciabantur, ad obſequium vi reductis, ad excipienda tormenta et auxiliareis copias [b] Pinarollium verſus tendit XVIII Kal. Dec. Eae erant III murales machinae, et II colubrinae, quas ille in [c] Ocellis ſupra Suſionem depoſuerat, et quae per Peroſianam vallem et [d] Pylarum anguſtias ſecundum [e] Cluſonem amnem, qui eam dividit, vi operarum, nam jumentorum nullus iis locis uſus eſt, tandem trans Alpeis traductae ſunt, Convallenſium pagis, per quos tranſeundum erat, viciſſim aliis poſt alios in labore ſuccedentibus. [f] Gubernetus ſuperato [g] Genebrn CC loricatos et C ſcloppetarios equites adducebat, ab Ornano ei attributos; [h] Buoſius itidem CC loricatos, IϽ ſcloppetarios equites ab Eſpernonio commodatos; qui interim Grininicum parvo negotio, et Antipolim, quae tanti nuper Sabaudo conſtiterat, territis et ultro dedentibus ſe praeſidiariis, primo adventu ſuo receperat. Poſt mutuas gratulationes et amplexus utrinque datos diſploſa juſſu Diguierii aliquoties tormenta, ita ut ex [i] Auguſta Taurinorum fragor eorum inter montes repercuſſus exaudiretur; renovata Gallicorum armorum in Subalpinorum animis nondum omnino extincta memoria, et liliatis tormentis poſt tot annos tunc primum in Italiam tranſvectis. Inde [k] Cavortium cum omni exercitu tendit, inſtructa ad pugnam acie, ſi forte Sabaudum, qui [l] Salucias inter haec anteverterat, obvium haberent. Gubernetus et Buoſius frontem ducebant, ſinguli cum agmine CC equitum cataphractorum, quorum in medio agmen peditum collocatum erat [m] Auriaco duce. In acie erat Diguierius cum praetorio vexillo et ſua et Abelis [n] Berengarii Morgii et Murei equitum alis. [o] Poetus ad laevam eum tegebat cum ſua, [p] Bricomotii, Blanci, Rivalii, Petrei et Buiſſii equitum alis; et inter eos rurſus validum peditum agmen ſariſſis et ſcloppetis majoribus inſtructum incedebat, cui Prabaudus praeerat. Saluciis Villam-francam venerat Sabaudus, cui dum certa pugnae ſpe obviam eunt noſtri, Briqueraſco XV Kal. Dec. profecti, in itinere cognoſcunt, eum ad Vigonem deflexiſſe; itaque poſtquam diu acie inſtructa conſtiterunt, ſub veſperam Cavortii per hoſpitia diſtribuuntur. Locus eſt ad [q] Pellam amnem, qui Cluſonem, unde dicta vallis Cluſonia, haud longe a Vigone excipit, lateritio muro cinctus, ad radices montis vice arcis ſive ſpeculae a natura ſubjectis late campis impoſitus. In ſummo rupis faſtigio arx undique inacceſſa prominet, cujus aditus diligenter ſervati, quod alioqui in oppido militi tuto eſſe non licebat. Ad eam expugnandam, quantumvis arduo in monte poſitam, Briqueraſco advecta III tormenta ac II colubrinae. Turris [r] Bramafama vulgo dicta arci oppoſita eſt, ab ea C circiter paſſus diſſita collimanti ad rectum ſtructa, ut eam tegeret, de cetero in ſaxo undique inciſo fundata ſemilunae ſpecie, ut in illam aliunde deſpectus non ſit. Itaque turrem ante omnia capi cum neceſſe judicaret Diguierius, clivum ei objectum occupare ſtatuit. Id vix magno labore factum, comportatis in ſummum ſaccis magno numero terra oppletis, quos tam equites quam pedites ſinguli ſibi parare juſſi erant. Arduus in clivum adeo aſcenſus erat, ut onuſtos erepere in illum non liceret. Ad eas difficultates ſuperandas proviſum eſt, ut expediti per montis crepidines in altum evaderent, longa ſerie, qui per manus ſaccos acceptos aliis traderent, donec ad eos, qui in ſummo erant, pervenirent. Ita in anguſto et praerupto ſaxo ſolida planicies fundata. In qua et miles conſiſtere, et tormenta deponi poſſent, quae vix tandem ſummo labore et arte

contra

INTERPR. [a] *Orbaſſan.* [b] *Pignerol.* [c] *Exilles par le chemin de Suſe.* [d] *les Portes.* [e] *Cluſon r.* [f] *de Gouvernet.* [g] *Mont Genevre.* [h] *de Buous.* [i] *Turin.* [k] *Cavours.* [l] *Saluces.* [m] *d'Auriac.* [n] *Berenger Sr de Morges, & le Sr de Mures.* [o] *de Pouet.* [p] *les Srs de Briquemaut, de Blanieu, du Rivail, de la Pierre, & de la Buiſſe.* [q] *Pelles r.* [r] *de Bramefan.*

CIƆ IƆ XCII. HENRICUS IV. contra turrem directa ſunt. Dum in eo ſunt regii, affertur Sabaudum haud longe abeſſe, obſeſſis ſuppetias ferre certus. Heic vocatis in conſilium belli ducibus variae dictae ſententiae, cum alii in obſidione manendum, alii obſidione relicta hoſti occurrendum cenſerent, ne inter advenienteis et erumpenteis medii interciperentur, aut in hoſtis conſpectu recipere ſe cogerentur: quod nunquam niſi cum certa pernicie factum eſſet. Sed Diguierius, qui incepta deſerere nollet, mediam elegit, ut nec ab obſidione diſcederetur, et in hoſtem copiae educerentur, nam eam loci naturam eſſe, ut a paucis cingi ac ſervari poſſit, ne eruptiones ab obſeſſis fiant, et ſufficere ceteras vireis ad vincendum hoſtem toties victum et dolis tantum ac inſidiis occaſiones quaerentem. Addebant alii juſta Gallorum ac regis arma eſſe, felicem imperatorem qui ea moderatur, milites vincere aſſuetos, et monteis nivibus undique candenteis tantum pro receptu habentes, pari prorſus cum iis ſorte, qui claſſe incenſa mare pro receptu a tergo habent. Haec vicit ſententia, et cum diſploſione crebra tantum muri loricae decuſſae eſſent, demum XI Kal. Dec. redintegrata verberatione et ab hora decima matutina uſque ad quintam veſpertinam continuata, turris vi expugnata eſt in conſpectu praeſidiariorum, qui arcem tenebant. Poſtridie ſtationarii in ſumma rupe ad ſpeculandum poſiti renunciant, auditam crebram ſcloppetorum diſploſionem ab ea parte, quae Briqueraſcum ſpectat. Siquidem Sabaudus ea nocte cum delectis candida tunica amictis Vigone profectus inopinato munitiones adhuc humileis adortus fuerat, diruptiſque palificationibus jam duo prominentia propugnacula occupaverat, cum regii expergefacti ingeminant animos, et diu pugna ſtataria congreſſi, gladio, fariſſis, ictibus ſcloppetorum et ſaxorum hoſtem tandem repellunt, ſcalaſque ac caeſorum cadavera relinquere in foſſa cogunt. Ad primum nuncium Diguierius ſtatim ad arma conclamari jubet, et aciem haud hinc longe in Briqueraſcenſi via inſtruit, poſteaque cognito hoſtem repulſum ſe recipere, relicto ad obſidionem [a] Auriaco, cum equitatu et CC ſcloppetariis recedenteis ſequi inſtitit, ratus eos poſt rem male geſtam trepide incedenteis facile fundi poſſe. Igitur eos ſub horam nonam matutinam ad [b] Garſilianam adſecutus eſt, pagum hortis et crebris arboribus, ad quas vites jugatae ſunt, undique circundatum, quam pediti, quo abundabat hoſtis aequum, tam noſtris acceſſu difficilem, nam tantum aliquot carabini et CC ſcloppetarii cum Diguierio erant, et omne robur equite conſtabat, ex quo vix illis locis commode acies ſtrui poteſt. Intercedebat rivulus, in quo aliquandiu certatum fuit, Poeto, qui primum agmen ducebat, ſtudio pugnandi ardentius invecto. Heic haſtati ex hoſtili exercitu diſſipati haſtis nullo profectu confractis et fragmentis per ſolum ſparſis. Sclopp etarii equis dimiſſis progreſſi nihilo melius ordines ſervarunt, ducibus confuſe imperia diſtribuentibus, et prima acie nondum plane inſtructa. Tandem Diguierius ipſe progreditur, diſpoſitis per macerias et hortos hinc inde ſcloppetariis, et hoſtem ad extremum pago pellit. Ceciderunt in ea pugna ex hoſtibus circiter C; captus [c] Mantanus eques levis armaturae dux. Hoc caſu territis obſeſſis res ad colloquium deducta, quod ipſi collectis animis poſtridie abruperunt, facta a Sabaudo auxiliorum ſpe. Igitur Diguierius caſtra diligentius munienda curavit, hortorum aditibus ubique obſtructis, ut noſtros in conſilio obſidionis urgendae perſeverare, nec de ea ſolvenda cogitare appareret. Interim continuata contra eam partem, quae oppidum reſpicit, verberatio, et VI Kal. Dec. in ſubvehendis in altum II majoribus tormentis hac ratione laboratum eſt. Ubi ad dimidiam rupem perventum eſt, in qua operariis pedem figere licebat, ſtatuuntur duo organa, per quae circunductis funibus tormenta unum poſt alterum cum rotis et ligneo inſtrumento ſubducuntur; tum iis in illo ſpatio depoſitis rurſus organa in ſumma rupe deſtituuntur,

per

INTERPR. [a] *d'Auriac.* [b] *Garzigliana.* [c] *le chevalier de la Mante.*

CIↃ IↃ XCII. HENRIÇUS IV.

per quae eadem prorſus ratione tormenta in altum ſubducuntur, adhibita ſoſſotum opera, et pluteis inſtar eorum, quorum in ludis pilariis uſus eſt, aliiſque inſtrumentis, ad corrigendos eavernoſos et inaequaleis aſperae rupis, ae crebris vepretis impeditae anfractus, comportatis, ne tormenta ad eos illiſa ſiſterentur. Ita arte naturam ſuperante praeter ſpem obſeſſorum et ſuorum fidem Diguierius tam prope tormenta admovit, ut in ſubjectam arcem infeſta pulſatione detonaret, deſtructis primum aliquot turribus, dein et murorum maxima ſtrage edita. Miſſi interim Vigone, ubi Sabaudus erat, delecti CL, ſinguli cum ſacculis XV librarum farinae plenis, qua jam in arce laborari coeperat, ut obſeſſos ad durandum confirmarent. Ii mediam jam rupem erepſerant, cum a regiis detecti hinc inde aecurrentibus, ae mox circunventi ae caeſi ſunt. LXV in veſtigio eeciderunt; XXII eapti, eeteri diſſipati abjectis ſacculis. Pauculi iique graviter ſauciati intra arcem admiſſi ſunt, ex quibus cognito ſuorum caſu obſeſſi ſtatim animos deſponderunt, petitoque ad ſepelienda cadavera tempore inde occaſionem ſumpſerunt ſermonis de deditione injieiendi. Tandem Nonis Decembribus poſt IↃ amplius tormentorum ictus diſploſos conditioues arbitrio obſeſſorum perſcriptae, et ab Emmanuele [a] Luſernae comite et Hieronymo [b] Vercellenſi arcis praefecto ad Diguierium miſſae, qui illis libentiſſime ſubſcripſit. Poſtridie praeſidiarii, qui CCCC numero erant, per medium exercitum ſine injuria traducti, et Vigonem uſque II a [c] Cavortio leucis incolumes deducti; a quo die uſque ad XIII Kal. Jan. tempus muniendo loco, et rei pecuniariae, quae ex eollationibus eircumpoſitae regionis conflabatur, expediendae inſumptum. Quo tempore et ad [d] Raconiſium pugnatum fuit, ubi pauci e noſtris a CCCC equitibus eircunventi generoſe admodum per III leucarum ſpatium ſemper eertantes ſine damno ad ſuos ſe receperunt. Inde Briqueraſcum reditum, ubi rebus novi praeſidii ordinandis biduum tantum commoratus Diguierius hyeme valde aſpera per [e] Feneſtellam in Cluſonia valle, [f] Seſanam et Brigantionem facto itinere ad [g] Mauripodium poſtremo ſe contulit.

XXI. Hoc et anno exeunte res multum in Neuſtria inter foederatos turbavere, ſaſtum et arrogantiam Andreae [h] Brancatii Villarii, natura et ſucceſſu ſupra modum inſoleſcentis, non ferentibus reliquis provinciae praefectis: nam Franciſcus [i] Martellus Fontanus, qui [k] Novum-caſtrum, et Grillonius eques, qui [l] Honflorium in Caletenſi pago tenebant, ei tanquam ſummo provinciae legato parere recuſarunt, et ad Meduanium literas expoſtulationis plenas dederunt, in ejus poteſtate ſe futuros promittentes, ceterum ſuperba Villarii imperia depreeantes. Eodem tempore IV Eid. Nov. Carolus [m] Goſtimelius Boſcoroſa e nobilitate Caletenſi, vir ſtrenuus, Fiſcanam munitionem a Villario conſtructam audaci aſtu intercipit, ab ea parte qua praerupta rupes CCC orguyarum altitudine aſſurgit, et per aeſtum maris alluitur, ſcalis admotis, per quas LX delecti propter anfractuoſas paludes vix X horarum ſpatio leucam emenſi, noctu recedente mari, per partem illam fere ob id incuſtoditam enituntur, et imparatas ſtationes adorti caedunt. CCCC armis exuti et loco pulſi. Boſcoroſa poſtea datis itidem ad Meduanium literis id tanquam ſecuritatis publicae cauſa, et ad violenti hominis injurias prohibendas factum excuſavit, et ſe ab Henotico foedere propterea non diſceſſurum confirmavit. Tanta injuria exacerbatus Villarius non expectato Meduanii mandato ilicet copias [n] Fiſcano admovet, et lenta obſidione cum vi non poſſet, locum cingit; quae in annum ſequentem uſque ad pactas indueias duravit, Boſcoroſa interim in regis poteſtatem ſine conditione ultro concedente.

JACOBI

INTERPR. [a] *Luſerne.* [b] *de Vercel.* [c] *Cavours.* [d] *Racenis.* [e] *Feneſtrelles en la vallée de Pragelas, autrement appellée val de Cluſon.* [f] *Sezanne, & Briançon.* [g] *Puy-more.* [h] *de Brancas de Villars.* [i] *Fontaine Martel.* [k] *Neufchaſtel.* [l] *Honfleur au pays de Caux.* [m] *Gouſtiminil Sr de Boisrozé.* [n] *Feſcamp.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

IN Belgio per abſentiam Parmenſis miles tumultuatur, et tandem placatur. Groeningenſes in ſummas anguſtias redacti delegatos ad Caeſarem mittunt. Decreta a Philippo in Friſiam auxilia. II. *Mauritius irrito conatu Sluſas tentat, et mox Trajectum ad Moſam. Ultrajectum ad factiones componendas proficiſcitur. Stenvicam, Otmarſumam, et Covordam deditione capit. Diſtributis in hyberna copiis Arnhemium venit.* III. *Parmenſis Rigiaci Atrebatum decedit. Ejus elogium, funus, tumulus. Sub id a Philippo Petrus Henrices Acebedius comes Fontanus in Belgium venit.* IV. *Naves Hiſpanae interceptae et in Angliam abductae.* V. *Caeſarauguſtaui motus origo. Ant. Perezius Eſcovedum interficiendum curat. Ob id poſtulatus urget Philippum et tabulis obſignatis cum eo agit. Vaſco accuſatori reconciliatur, et actio per ſexennium quievit. Hoc tempore elapſo capita accuſationis propoſita, et ſententia in reum lata. Cum codicillos Philippi manu ſcriptos reddere recuſaret, in carcerem truditur, a quo ut ſe liberaret, chartas Philippo tradi mandat. Redintegrata contra eum Eſcovedi caedis cauſa. Fuga arrepta in Arragoniam abit.* VI. *Arragoniae jura, privilegia, libertates. Petrus ab Acinace. Magiſtratus ſupremus cui a Juſtitia nomen. Ad eum cum provocaret Perezius, ad Inquiſitionis tribunal rapitur. Seditio popularis excitata. Perezius et Fr. Majorinus in libertatem aſſerti. Philippus conſcripto exercitu per Alſonſum Vargam injuriam ulciſcitur. Perezius Pavium confugit. Percuſſores ad eum interficiendum poſtea ex Hiſpania immiſſi.* VII. *Willelmi Cliviae ducis patris obitus. Joannes Caſimirus decedit. Eliſabetha Caroli* IX *vidua Viennae fato ſungitur, cui haud diu ſupervixit Augerius Giſlenius Busbequius. Jo. Vincentii Laurei cardinalis, Mich. Montani, Friderici Furii Caeriolani mortes et elogia.* VIII. *Alii et principes, Heſſus et Suecus, ultimum diem clauſerunt.* IX. *Joannis Manderſchitii Argentinenſis epiſcopi morte res in Germania turbant. Proteſtantes collegii ſodales in urbe Jo. Georgium Brandeburgicum, Tabernis majorum religioni addicti Carolum Lotaringum cardinalem in epiſcopum eligunt. Argentinenſes, qui electioni in urbe factae favebant, militem ſcribunt. Caroli ad ſenatum urbis literae minarum plenae.* X. *Cuncta ad arma comparantur. Carolus conſcripto* X CIↃ *exercitu bello principium fecit. Ad Scaſoltzemum cum Brandeburgicis pugnatum. Fruſtrà Caeſar partes ſuas interponit. Lotariugicorum ſucceſſus. Bonnam recipit Erneſtus Colonienſis ſeptemvir. Chriſtianus Anhaltinus curam exercitus Argentinae ſuſcipit. Caeſar deuuo per fecialem arma utrinque deponi imperat.* XI. *In Saxonia contra Calvinianos a Friderico Willelmo adminiſtratore ſevere anquiritur.* XII. *A Turcis Europae metus. Auxilia in Cretam a ſenatu Veneto miſſa appulerunt. Cretae peſti ex ſomnio proſpectum.* XIII. *Conſultatio inter purpuratos qua parte bellum gerendum.* XIV. *Poſt varias dictas*

ſententias

ſententias in bellum Pannonicum cuncti conſenſere. Velitationibus vario eventu utrinque certatum. Miſſus a ſenatu Veneto Nicolaus Donatus qui claſſis curator eſſet. Hermolaus Tiepolus in Dalmatiam itidem, qui Uſcocòrum diſcurſationes prohiberet. XV. *Veneti in Fori-Julii limite munitionem novam extruunt. Loco Palmae nomen datum.* XVI. *Inſidiae Turcorum ad Neuchuſelum contra Palſium irritae. Turci dum ſecurius evagantur, a Serinio comite caeſi. Zagrabiae tumultuantur praeſidiarii. Major Conſtantinopoli tumultus ab Amurathe compoſitus. Franciſcus Savarius Brevius res regis ſumma fide in Porta procurat. Aſſan ad Siſſegam caſtra ponit. Auxiliares advenientes cum Turcis acriter confligunt.* XII CIↃ *aut occiſi aut flumine ſubjecto merſi. Capta tormenta. Praetor Graeciae rurſus ad Siſſegam copias admovet, quae tandem dedita eſt. Sinan cum* XL CIↃ *exercitu Veſprinium vix expugnat. Palota et Vezza deditione captae: Sabatica contra a Tiſenbachio in fidem accepta. Ad Vilekam a Chriſtianis feliciter pugnatum,* VI CIↃ *deſideratis, et oppido ipſo capto. Rurſus ad Albam-regalem adventante Belgradi purpurato acies inſtruitur. Caeſa Turcorum* VI CIↃ. XVII. *Motus in Goritia ob religionem exortus. Prodigia hoc anno multa.* XVIII. *Obitus Latini Latinii, Joannis Leunclavii.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Caeſare Campana, Jo. Parvo, Antonii Perezii relationibus, Michaele Iſſeltio, Lazaro Superantio, D. Chytraeo, M. Rulando, Joanne Ingolſtero.

LIBER CENTESIMUS QUARTUS.

PARMENSIS dum obſtinatis ad bellum Gallicum Hiſpanis abeſſet, res in Belgio multum inclinavere, P. Erneſto Mansfeldio comite, quem ille cum ſummo imperio in provincia reliquerat, ſine milite fere et pecunia contra Ordinum et Mauritii conatus viribus inferiore: Barlaimontius, et Arenbergius comes, duas legiones habebant, quae per Limburgenſem ditionem licentioſe diſcurrentes ſtipendii defectu vix a tribunis regebantur. Gaſto Spiñola Siculus et ſuam Italorum habebat, XIV cohortibus conſtantem, quae huc illuc, quod et debiles, et provincialibus in agro moleſtae eſſent, per oppida diſtributae erant. Praetoria [a] Sichemi; duae, quibus Alexánder [b] Gerardus et Jo. Hieronymus [c] Auria praeerant, [d] Lilloae; [e] Pancratius Parmenſis [f] Teſſellae cum ſua hoſpitium habebant. X reliquae Dieſtae haerebant, quibus praeerat Lucius [g] Pallavicinus marchio, [h] Guidiccio et Carcanus equites, Jo. Jacobus [i] Barbianus Bellijocus, Vincentius [k] Capra, et Alexander [l] Rangonius comites; [m] Pompeius Juſtinianaeus, Lud. [n] Botta, Baltaſar [o] Vicus, Gabriel [p] Battalia. Suam Capra novo milite ſuppleverat, eratque omnium inſtructior. Inter eas rebellionis Hiſpano militi ob ſtipendii defectum uſitatae exemplum tunc valuit, inſtigante [q] Bino Peruſino, qui ordines circumeundo milites ad defectionem ſolicitabat, ducibuſque comprehenſis Jo. Baptiſta [r] Vergerius Genuenſis legionis tribunus electus eſt, et centurio ſub eo quidam [ſ] Teſta nomine. Verum L. Pallavicini, qui per Gaſtonis abſentiam legioni

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

INTERPTR. [a] *Sichem.* [b] *Gherardi.* [c] *Doria.* [d] *Lillo.* [e] *Pangratio Parmegiano.* [f] *Teſſel.* [g] *Pallavicino.* [h] *Guidiccioni, & Carcano.* [i] *Barbiano di Belgioioſo.* [k] *Capra.* [l] *Rangone.* [m] *Pompeio Giuſtiniani.* [n] *Botta.* [o] *Vico.* [p] *Battaglia.* [q] *Bino da Perugia.* [r] *Vergerio Genoveſe.* [ſ] *il caporal Teſta.*

CIƆ IƆ XCII.
HENRICUS IV.

legioni praeerat, ſuperventu, et bimeſtri exſoluto, annitente ipſo Vergerio, ſeditio ſedata eſt, Teſta, Bino, Bareta, et Alexandro, qui ei cauſam dediſſe convicti fuerunt, ceterorum crimen capite luentibus. Vergerius fuga ſibi conſuluit. Tumultuare et praeſidiarii ob eandem cauſam nunciabantur, [a] Berkae ad Rhenum, Noveſii et Bonnae, a Parmenſi impoſiti; qui pecuniola a Mansfeldio ſummiſſa, et verbis, meliorique in poſterum ſpe facta placati ad tempus quievere. Majus in Groeningenſium querelis componendis negotium fuit, qui a Gul. Ludovico Naſſovio captis locis vicinis, aut munimentis circum exſtructis undique cincti, in ſummis anguſtiis verſabantur. Interceptis eorum ad Mansfeldium literis expoſtulationis plenis, Franciſcus Verdugus urbis praefectus Bruxellas profectus eſt, ut coram eas majore verborum efficacia exponeret; qui vix tandem IX CIƆ florenorum ad tenuem plebem ſublevandam ab eo impetravit. Eodemque tempore cum Hamburgenſium inſtitorum collegio actum eſt, ut pulvere et commeatu [b] Groeningenſeis juvarent. Cum tam levibus ſubſidiis miſeriae ſuae ſuccurri viderent, majoreſque anguſtias in poſterum metuerent, ad Rodolfum Caeſarem legatos mittunt; et quibus ſe legibus anno CIƆ IƆ XXXVI cum Carolo V pepigerint, ſeque Auſtriacae familiae ſummiſerint, oſtendunt, meritiſque ſuis in eam commemoratis fidem ejus et operam implorant, petuntque, auctoritatem ſuam et operam apud Philippum interponat, quo miſeriae ipſorum validis et idoneis ſubſidiis quamprimum ſubveniatur, ne fidele obſequium, in quo cum tanta conſtantia perſeveraverint, hactenus damnoſum, ſibi poſtremo exitioſum ſit. Legatos peramanter exceptos ad fidem ſervandam hortatus eſt Rodolfus, eamque laudem ut porro retinerent, enixis precibus rogavit; protinuſque ad Philippum legationem in Hiſpaniam decrevit, cum mandatis, ut Friſiorum ac Groeningenſium inprimis, qui ceteris Belgii provinciis ad fidem principi ſuo ſervandam exemplo praeiviſſent, cauſam commendatam haberet; eoſque non debilibus, ut antea, ſed validis auxiliis ſummiſſis, ex his anguſtiis, in quas ſe in fide perſeverantes induerunt, tandem liberet. Pro legatione honorifica cum prolixe Caeſari gratias egiſſet Philippus, curaturum ſe reſpondit, ut et ipſius monitis et Groeningenſium precibus brevi plene ſatisfieret. Extemplo ad Mansfeldium ſcribit, mandatque, ut omni alia re omiſſa in Friſiam deſcendat, et Groeningenſeis captis circum munimentis priſtinae libertati reſtituat, et in fide confirmet. Sed aut res ſimulate agebatur, aut potius ea erat his in locis Philippicorum infirmitas, ut laborantibus ſubvenire non poſſent. Tantum deſtinati ad eam expeditionem ſub Verdugo II CIƆ peditum in limite tumultuario conſcriptorum ducibus Hermanno et Friderico [c] Bergenſibus fratribus, quod potius oneri quam levamento provinciae fuit, captis tantum aliquot munitionibus, et ſtatim a Naſſovio receptis.

II. INTERIM Ordines captata ex abſentia Parmenſis occaſione exercitum inſtruunt. Dum inſtruitur, tentatae a praeſidiis vicinis, ſed irrito ſucceſſu [d] Sluſae. Mox majori mole vis ad [e] Trajectum ad Moſam facta. Ad eam expeditionem Mauritius, praemiſſo Philippo Hohenloo comite, IIII CIƆ militum in Campinia ſcripſerat, de oppido aſtu intercipiendo cum [f] Peſcio regulo clam inito conſilio. Ad [g] Vicanam urbis partem, quae in ulteriore Moſae ripa ſita eſt, condicto tempore copiae convenere, navigiis ad id conductis, noctu devectae. Sed fruſtra fuit conatus, ſcalis pro murorum altitudine brevioribus, nec eodem tempore, ut convenerat, vis a deſtinatis copiis ad avertendas praeſidiariorum vireis alia parte urbis facta eſt. Peſcius re non ſuccedente cum fraudem detectam videret, ad Ordines tranſiit, et in Batavia poſtea equitum dux ab iis creatus militavit. Ne nihil tamen illa expeditione actum videretur, dum reducitur exercitus, captum [h] Bereicanum municipium in Campinia

INTERPR. [a] *Rheinbergen, Nuys, & Benn.* [b] *de Groeningen.* [c] *les Comtes de Berghe.* [d] *l'Eſcluſe.* [e] *Maeſtricht.* [f] *le Baron de Peſch.* [g] *Wiick.* [h] *Bercheyck en Kempenlands.*

et munitum: nec non et aliquot circa Antuerpiam caſtella, quae digreſſo exercitu ſtatim a Chriſtophoro Mondragonio cum III CIↃ peditum et V tormentis egreſſo recepta ſunt. Inde excurſionibus utrinque certatum: praeſidiarii [a] Neomago egreſſi et [b] Eiſelliam Cliviae ditionis regionem ingreſſi, ob injurias a [c] Steinfeldiani coenobii, quod a [d] Sleida oppido haud longe abeſt, ſodalibus acceptas, nihil loci religionem veriti vim fecerunt, et munitionem expugnatam crudeliter diripuerunt. Ad arcendas has excurſiones, quae militem hinc inde praedae intentum a diſciplina avocabant, conventum inter Ordines [e] Tranſiſelanae provinciae et Hermannum [f] Bergenſem comitem, ut munitiones, quae receptum praedatoribus praebebant, utrinque deſtruerentur. Principium a [g] Goorta et Tuikloo factum, quae loca Hiſpani demoliti ſunt. Viciſſim Ordines [h] Dorthetam et Vervoerdenam propugnaculis nudarunt; et cum ſub id [i] Saeſfeldia arx indiligenter a [k] Lukama praefecto cuſtodita, a Gerardo Beversfordio intercepta eſſet, aliquanto tempore altercatum fuit, nec niſi reſtituta arce Hermannus pactis ſtare voluit. Eodem tempore cum [l] Weſterloae praeſidiarii praedatum egreſſi eſſent, inter Bruxellas et [m] Lovanium inopinato in Hiſpanos inciderunt: a quibus caeſi ac fugati ſunt. Qui ſuperfuerunt a ruſticis juxta Dieſtam fere ad internecionem deleti. Caſu territi qui Weſterloae remanſerant, locum deſerunt. Quae ut et [n] Tornahutum Mondragonio venienti patuit. Paulo ante [o] Reidae regulus, quem cum aliis Caeſareis delegatis ſuperiore anno in Belgium veniſſe diximus, ut ratio pacificandarum provinciarum iniretur, et acceptis a ſociis mandatis in Bataviam tranſiiſſe, poſt rem ultro citroque ſaepius agitatam dimiſſus eſt VII Eid. Aprilis, cum reſponſo, quo poſt actas ſacrae Caeſareae majeſtati gratias ob ſolicitudinem praecipuam, quam de harum provinciarum tranquillitate habere prae ſe ferat, cupiiſſe ſe jam a multo tempore aiebant, ut pacis, quae nihil inſidiarum haberet, incundae ratio iniretur; eamque ut conſequi poſſent, nihil reliqui feciſſe. Sed experientia didiciſſe, cum Hiſpanis nec ſincere, nec tuto agi poſſe. Nam eos pactis cum Arauſionenſi anno CIↃ IↃ LXXIIII, et Bredae anno ſequenti conventis minime ſtetiſſe, eamque pacem multarum civitatum amittendarum cauſam extitiſſe. Neque plus ſinceritatis habuiſſe tractatum [p] Marcae Faminae cum [q] Joanne Auſtrio triennio poſt initum; violata pace [r] Gandenſi, et Namurcenſi arce, [ſ] Carlamontio et Marienburgo non citra ſanguinem anno inſequenti occupatis. Conditiones autem a [s] Sellio regulo ex Hiſpania allatas quid niſi ſciſſuras mox ſecutas? an non et [t] Arteſiae ac Hannoniae a ceteris unitis provinciis ſeparandi ſe occaſionem dediſſe? Quid vero poſtea pacificatione Colonienſi aliud actum, niſi ut [u] Ultrajectum in Batavia, [w] Silva-Ducis in Atuaticis ab aliis deficerent? Nec illuſtriori exemplo patuiſſe Hiſpanorum perfidiam et inſidias, quam colloquio cum Anglorum reginae et Ordinum legatis ante quadriennium inſtituto: dum interea formidoloſa illa claſſis inſtrueretur, ad Angliam invadendam et Belgium ſub jugum mittendum, infelicibus auſpiciis miſſa, quae inter Gallici et Britannici litoris anguſtias diu cum ventis potius quam cum hominibus colluctata, magnam partem periit. Neque ſolum ſuo, ſed etiam alieno periculo terreri. Nam de ipſorum iniquis contra Galliam vicinam machinationibus certo omnibus conſtare; nimirum illos perduellibus contra regem conjurantibus praeſto fuiſſe, ejuſque deteſtando parricidio interficiendi conſilium dediſſe. Quid vero nunc eoſdem aperte in Gallia moliri, tot urbibus per occaſionem belli interneeini occupatis,

INTERPR. [a] *Nimegue.* [b] *Eiffell.* [c] *Abbaye de Steinfeld.* [d] *Sleiden.* [e] *Pays d'Over-yſſel.* [f] *le Comte Vanden Berghe.* [g] *Goor, & Twickloo.* [h] *Dorthet, & Verwoerden.* [i] *Saesfeldt.* [k] *Leukama.* [l] *Weſterloo.* [m] *Louvain.* [n] *Turnhout.* [o] *le baron de Rheyde.* [p] *Marche en Famine.* [q] *Don Juan d'Auſtriche.* [r] *de Gand, & Namur.* [ſ] *Charlemont, & Marienbourg.* [s] *le Baron de Selles.* [t] *Artois, & Hainaut* [u] *Utrecht en Hollande.* [w] *Boiſteduc en Brabant.*

occupatis, niſi ut legitimo herede dejecto, in vacuum veniant, et monarchiam illam, quam tot annos parturiunt, tandem aemulo principe ſpoliato conſtituant? Nam quorſum pertinere tot auxiliareis copias hinc ex Belgio, Parmenſi duce, contra regem, inde ex Hiſpania in [a] Armoricam, atque diverſa parte in Galliam Narbonenſem miſſas? augere ſuſpicionem non ſincerae pacis, quod eo tempore ejus mentio injecta ſit in Francoſurtenſi conventu, cum jam Parmenſis in procinctu eſſet expeditionis in Galliam ſuſcipiendae, et quod poſt reditum illius ea dilata ſit uſque ad tempus, quo idem ille majoribus copiis in Galliam deſcenſurus erat. Eam nunc illo abſente reſumi, et eo tempore, quo conventu circulorum Imperii indicto, de uſurpationibus locorum Imperii ab Hiſpanis occuparorum, et qua ratione ea recipi poſſint, agi debet. Praeterea eam illorum mentem eſſe, ex Martini [b] Idiaci a Philippi ſecretis epiſtolis viri primarii ad Gulielmum a S. Clemente ad Caeſarem oratorem literis interceptis ſibi conſtare. Nec memoria tam cito excidere potuiſſe, quid Philippi inſtigatu a Caeſare adverſus [c] Aquiſgranenſeis ſactum decretumque nuper fuerit. Nec latere quenquam, quanta licentia iidem illi Hiſpani, ſtudio aliena invadendi incenſi, nunc in Clivenſi ditione graſſentur, adminiſtratione legitimis heredibus adempta, et ad ſe callide tranſlata: remque altius repetentibus ſemper occurrere ratas illas Romanae curiae ſententias, quod videlicet haereticis et perduellibus, quorum in numero jam pridem has provincias, quamvis immerito, repoſuerunt, fides non ſit ſervanda. His de cauſis Ordines in pacem cum illis conſentire non poſſe, ſicque apud ſe ſtatuiſſe, nihil inconſulta Anglorum regina, cum qua arcto foedere devincti ſunt, et Chriſtianiſſimo Francorum rege, in eo negotio decerni poſſe. Itaque jam ab initio optaſſe, ut Caeſar ac delegati ejus ab hac inutili ac moleſtiae plena actione ſuperſedeant, ac nunc orare, quod ea in re ſecerint, ſtatuerintque, in bonam partem accipiat. Neque vero citius reſponderi potuiſſe a delegatis provinciarum, quo minus maturius convenirent, ob hyemis aſperitatem et glaciei incommoditatem retardatis. Hoc reſponſum poſtea publicarunt, et in rei memoriam more ſuo nummos argenteos et aereos cuderunt, in quorum priore parte ancilla Batava in horto dormiens coelata erat, clam et palam ab infeſtis petita cum his verbis, Pax Patet Insidiis; in altera foemina vigilans conſpiciebatur, magno ſtipatu defenſa cum his verbis, Tuta Salus Bello. Interea Mauritius minime ceſſabat, qui [d] Mildeburgum profectus, poſtquam de collationibus in bellum neceſſariis cum Ordinibus provinciae tranſegit, Hagam continuo revertitur, et Ultrajectum inde divertit, ut ſeditionem in urbe exortam componeret. Erant in ea duae factiones Jacobitarum et Conſiſtorialium jam ab eo tempore conflatae, quo [e] Leiceſtrius comes, cum res novas in iis provinciis moliretur, earum adminiſtratione ob id paene exciderat. A S. Jacobi paroeciae paſtore, qui ſuis indulgentior erat, et conſiſtorio, in quo diſciplina ſeverius exigebatur, nomina factionum impoſita: et conſiſtoriales quidem Leiceſtrii ſavore nixi, inter Jacobitas illuſtriores urbe pepulerant; qui tunc occaſione data illos, cum minus putabant, ſumptis ſummo mane armis comprehenſos, et ad portam deductos urbe expellunt, et in iis Joannem [f] Brachelium natalibus et dignitate primarium virum; revocatis iis, qui ab illis exacti fuerant. Compoſito tumultu et exulibus reſtitutis, praefectoque urbi impoſito, Mauritius evocatis praeſidiis copias univerſas cogit, in queis erant VIII CIↃ peditum, equitum II CIↃ; praecipui belli duces praeter Hohenloum comitem [g] Barchonus caſtrorum praefectus, Philippus Naſſovius, qui equitatui cum ſummo imperio praeerat, Franciſcus [h] Levinus Famarſius tormentorum praefectus; [i] Griſeus annonae,

Creſſonerius

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *d'Idiaquez.* [c] *ceux d'Aix la Chapelle.* [d] *Middelbourg.* [e] *le Comte de Leiceſter.* [f] *le Sr de Brackele bourgmaiſtre & gentilhomme de bon lieu.* [g] *Barchon mareſchal de camp.* [h] *de Levin Sr de Famars.* [i] *de Griſe general des vivres.*

[a] Creſſonerius praefectus vigilum; Willelmus Naſſovius, Solmenſis comes, [b] Franciſcus Veerus, [c] Brederodius, Jacobus [d] Balſurius Scotus, [e] Dorpius, Grenefeldius, alii belli duces: ita inſtructo exercitu profectus ad [f] Stenvicam v Kal. Junias caſtra ponit, urbem firmam olim a [g] Renebergio comite Parmenſi militante obſeſſam, et gnaviter ab Ordinibus defenſam, ac poſtea a Jo. Baptiſta Taxi captam, et vallo ex ceſpitibus ligno intertexto optime munitam. Eam proximo anno Ordines poſt captam [h] Daventriam tentaturi credebantur, niſi Parmenſis ſuperventu impediti fuiſſent. Oppidum tuebatur Ant. [i] Coquelus veteranus miles cum xv ſignis, quae magna parte conſtabant Anglis dedititiis et aliis, qui ad [k] Gertrudis montem capti fuerant, inſuper et Gallo-belgis, qui Daventria capta dimiſſi fuerant, fide data, contra Ordines non militaturos; quos omneis propterea in defendenda urbe obſtinatiores fore apparebat. Suos cohortatus Coquelus, propoſitoque periculo cum ab iis jusjurandum exegiſſet, non prius de deditione acturos, quam omnia ſumma feciſſent, ut locum ſibi commiſſum uſque ad Parmenſis brevi redituri adventum tuerentur; et quia videbat, pulveris nitrati haud multum ſuppetere, eum ut parce diſpenſarent, nec diſploſionibus paſſim, ut fit, niſi cum neceſſitas urgeret, uterentur, admonuit. Vallo circumducto Mauritius [l] aggerem e terra erigit XIX pedum altitudine, cui III tormenta impoſita ad infeſtandos defenſores. Inde ignes artificioſi in domos pomoerio proximas fere e materia immiſſi, quibus cum incendium concipi animadverterent obſeſſi, eas demoliuntur, et terra ingeſta complanant; tandem cuncta ad verberationem inſtructa VI Eid. Junias VII CIↃ ictibus pulſati muri, ſed exiguo profectu, quippe cognitum ſeu machinarum nimis incaleſcentium vitio, ſive tormentariorum culpa ictus urbem ſupervolaſſe et in caſtra Gul. Naſſovii uſque perveniſſe, diſcerptis aliquot ex ejus militibus, ita ut obſeſſi per ludibrium in pomoerio diſcurrentes ſcopis tantum armati in conſpectu Mauritianorum moenia verrerent, et per contemptum ictus tanquam pulverem detergerent. Quinto poſt die redintegrata verberatio, et a quarta hora matutina uſque ad VI veſpertinam continuata, inſtructiſque v agminibus quaſi ad oppugnationem, tamen quod ruinam non idoneam eſſe belli duces cenſerent, a vi temperatum fuit. Tum agi cuniculi coepti ad eam partem, ex qua Mauritiani magis infeſtabantur. Dum in eo ſunt, ſemel atque iterum acriter obſeſſi erumpunt, et primo ſignum, occiſis aliquot, ſecum rapiunt. Tum XV Kal. Quintil. cum IↃ delectis noctu ſumptis induſiis egreſſi in cohortem [m] Oltovii tribuni incumbunt, eumque cum ipſius vicario et aliquot e ſuis trucidant. Poſtea a Cornupto legionis Weſtfriſianae tribuno [n] turris fabricata eſt e materia [o] [1] tribus tabulatis conſtans, quae per cochleas ferreas attolli et deprimi poterat, ex eaque in urbem et continuis ictibus tecto militi deſpectus erat, ita ut per vicos praeſidiariis incedere amplius liberum non eſſet. Itaque perforatae primo domus, per quas defenſores ultro citroque ad pomoerium commeabant: tum tormenta aliquot contra machinam directa, quae decuſſo cacumine et interfectis pleriſque militibus, qui intro erant, poſtremo eam inutilem reddiderunt; et quia plus oppugnatoribus quam defenſoribus nocuerat, dicterio militari invaluit, ut ea pertica glutinata in caſtris vocaretur, quae ad capiendas aviculas in hortis erigitur. Exeunte demum menſe Verdugus de eventu ſolicitus CCL delectos cum totidem ſaccis pulveris nitrati auxilio ſummittit, monitis prius praeſidiariis, ut eodem tempore, quo illi urbi propinquarent, ipſi eruptionem facerent. Sed capto nuncio, nec erumpentibus hora condicta obſeſſis,

INTERPR. [a] *la Creſſoniere ſergent major.* [b] *le chevalier François Vere.* [c] *Floris de Brederode.* [d] *Balfour Eſcoſſois.* [e] *Derp, & Groeneveldt.* [f] *Steenwiick.* [g] *de Renneburg.* [h] *Deventer.* [i] *le capitaine la Coquelle.* [k] *Gertruydenberg.* [l] *un cavalier.* [m] *le colonel Oltboven.* [n] *une tour faite de maſts & miſe ſur des roues qui ſe baiſſoit & hauſſoit avec des vis de fer.* [o] *neuf planchers ou etages.*

NOT. [1] *lege* novem. Selon Meteren p. 341. & Lauriers de Naſſau, p. 103. *Put.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

obſeſſis, auxiliares a Mauritianis, qui rem reſciverant, intercepti ſunt, CC ex iis caeſi, ceteri huc illuc diſperſi, pauci intra urbem accepti; ex quibus cum obſeſſi intelligerent, nullam auxiliorum ſpem ſupereſſe, et P. Erneſtum Mansfeldium fruſtra cum vicinis praeſidiis egiſſe, ut ſuppetias ferrent, cunctoſque ſtipendii defectum cauſatos recuſaſſe, infractis ad defenſionem animis de deditione agere coeperunt. Aliquandiu altercatum fuit, quod Mauritius Anglos dedititios, et eos, qui Gertrudismontem hoſti tradiderant, in poteſtate habere vellet. Igitur conveniri tunc non potuit, immiſſoque in cuniculos igne, et LXV tormentorum directa denuo verberatione propugnacula late dejecta, et multi defenſores diſcerpti: Mauritius dum cuniculos propius inſpicere vult, periculum adiit, ſcloppeti ictu in facie accepto, qui leviter malae cutem ſtrinxit. Tandem cum omnia ad oppugnationem jam facilem parata eſſent, obſeſſi pleriſque e ſuis ducibus deſideratis, nam [a] Ludovicus Bergenſis comes, Blondellus, [b] Heſſellus, [c] Steembachi et Camingae vicarii jam occubuerant, et multis ſauciatis militibus debilitati, cum Mauritio paciſcuntur III Non. Quintil. His conceſſum, ut ſine armis incolumes dimitterentur, fide data, intra ſemeſtre ultra Rhenum contra Ordines non militaturos. In ea obſidione e Mauritianis periiſſe ad CIↃ prodidere Hiſpani. Qui res Mauritii ſcripſere, IↃ majorem numerum edunt, et XXIX CIↃ ictus diſploſos memorant. Graviter vulnerati Franciſcus Veerus, et Horatius ejus frater; Dorpius itidem, qui ex vulnere paulo poſt obiit. [d] Bereſtenius ſtrenuus belli dux loco impoſitus cum IV ſignis. Tum vallum complanatum, et operae militares paſſim dejectae; ſarta ruina et pomoerium intro firmatum. [e] Coquelus et Waterdikius ejus vicarius cum ſauciis et impedimentis Benthemum in limite Weſtfaliae incolumis deductus eſt. A conditionibus excepti transfugae, et qui poenae vitandae cauſa militiae nomen dederant. Capta [f] Stenviea [g] Mauritius ſucceſſum urget, et praemiſſis CIↃ CC, et V machinis bellicis ad [h] Otmarſumam caſtra ponit. Locum tuebatur Alſonſus Mendoza, qui de eo defendendo deſperans ad primum adventum cum LX equitibus, erumpit, et vi per medios facta in tutum evaſit, praeſidiariis, quos in oppido reliquerat, fide data, ut auxilia eis a Verdugo impetraret, cum quibus brevi ad eos rediturus eſſet. Dum tormenta admoventur, [i] Famarſius ictu ſcloppeti in capite accepto concidit, deſiderio ſui ingenti Mauritio relicto, qui non ſolum virum ſtrenuum et rei tormentariae ſumme peritum, ſed fidum inprimis amicum et belli conſiliarium ſibi ereptum dolebat. Cognita Famarſii morte obſeſſi ultionem veriti, ſi ultra in defenſione perſtarent, protinus deditionem vitam ſalvam pacti faciunt. Eodem die Mauritius in caſtra ad [k] Covordam venit in Tuentana regione, locum vallo et foſſa apprime a Sonoio olim munitum. Ejus praefectus, ut obſidionem difficiliorem redderet, ſuburbia ac domos vicinas incenderat. Dum adhuc incendium arderet, fumo denſo tecti Mauritiani vallum ducunt, et cataracta occupata aquam e foſſa derivant, pontemque arcis catenis refractis dejiciunt. Tum ſub foſſa deſiccata cryptam ducunt, eamque ceſpite operiunt, atque ad pedem uſque muri progrediuntur, Gulielmo Naſſovio egregiam operam in eo navante. Hoc incidit in tempus, quo Parmenſis poſt rem in Gallia confectam in Belgium redierat, ob adverſam valetudinem de [l] Tungrenſibus aquis ſumendis cogitans. Hujus de adventu ubi cognoverunt Ordines, per [m] Stenbergium legionem ad prohibendum Rheni per [n] Berkam tranſitum conſcribendam curant, quae Harenbergae ab Hohenloo comite luſtrata eſt. Eodem tempore commodum Ordinibus accidit, ut Philippus Naſſovius cum III CIↃ peditum regi auxilio miſſus in Belgium reverteretur, cujus milite

INTERPR. [a] *le Comte Ludovic de Berghe, & le capitaine Blondel.* [b] *Heſſel.* [c] *Steenbach & Camega.* [d] *le capitaine Berenſtein.* [e] *la Coquielle, & Waterdiick.* [f] *Steenwiick.* [g] *le Comte Maurice de Naſſau ſecond fils de Guillaume prince d'Orange.* [h] *Oetmarſen.* [i] *de Levin Sr de Famars.* [k] *Coevorden au païs de Tuente.* [l] *eaux de Spa.* [m] *Steenberg. Meteren le nomme Stolberg.* [n] *Rheinbergen.*

milite per praeſidia diſtributo recens inde eductus eſt, et [a] Graveverdam miſſus, quod illac ne Parmenſis vim faceret, metueretur. A [b] Zwollenſibus praeterea vt tormenta majora et totidem colubrinae ſubminiſtratae, et commeatus vis idonea in caſtra comportata eſt. Nec Verdugus quieſcebat, qui tandem a Parmenſi impetravit, ut Caroli Mansfeldii, Mondragonii, Octaviani Gonzagae, necnon Arembergii et Barlaimontii legiones cum aliquot equitum turmis, quibus Alfonſus [c] Davalus per marchionis fratris abſentiam praeerat, ſibi ſummitterentur. Hac inter [d] Berkam et [e] Weſeliam Rhenum tranſierunt, munitione in altera fluminis ripa ſtructa. Hinc [f] Grollam progreſſae VII Eid. Sept. [g] Oldenzielam veniunt. Extemploque Verdugus Hardenbergam proficiſcitur, ubi et caſtra metaturum ipſum rumor erat. Sed conſilio ſtatim mutato [h] Ulſenam, et inde [i] Emlicam ditionis Benthemianae vicum deflexit, unius horae itinere a Covorda diſtantem. His viribus ſubnixus, cum laborantibus ſuis nocte proxima ſuccurrere decreviſſet, idque per literas obſeſſis ſignificaſſet; capto ruſtico, qui eas perferebat, et locum, per quem venturus erat, edere coacto, nimirum per Hohenloi caſtra, quae indiligentius cuſtodiebantur, Mauritius duplicari ea parte excubias, et ſuos omneis tota nocte in armis eſſe juſſit: in quos cum Verdugus incidiſſet, male mulctatus fuit. Nam CXXXVI ex ſuis amiſit. Plures vulnerati, complures equi locis paludoſis hauſti, nemo fere ex Mauritianis deſideratus; tantum Gul. Naſſovius leve vulnus in imo ventre accepit. Poſtridie cum aſtus non proceſſiſſet, Verdugus faſceis undique comportari jubet, quaſi vi aperta per paludes ligno ſtratas in urbem perrupturus. Sed conatum difficiliorem ſpe reperit, tantumque una atque altera tormenti diſploſione obſeſſis adventum ſuum ſignificare ſatis habuit, quem toties diſploſis tormentis obſeſſi reſalutarunt. Inde [k] Veltuſium in comitatu Benthemienſi conceſſit. Covordenſes, qui nullam ſubſidii ſpem reliquam viderent, tandem cum Mauritio, tam diuturnae obſidionis pertaeſo, in has conditiones tranſegerunt, ut in [l] Friderici Montenſis comitis (et Hermanni fratris, qui ſe poſt obſidionem in oppido incluſerat) gratiam, quem Mauritius patruelem vocabat, ipſi ac belli ducibus et praeſidiariis, qui in Covordena arce ſunt, libere, quo volent, abire liceat, cum vexillis, armis, funibus accenſis, equis, impedimentis, tantum machinas bellicas et commeatum relinquere teneantur. Eadem gratia facta eccleſiaſticis, aliiſque qui migrare inde cupient, in eamque rem commodati currus ad res cujuſque exportandas. Id actum pridie Eidus Septembreis. Loco inſtaurato, et ſartis ruinis Mauritius Hiſpanorum recedentium veſtigiis inſiſtens Zwolam venit, ex conatibus hoſtium conſilium capturus. Verdugus, digreſſis ab exercitu Barlaimontana et Arembergica legionibus, quae Rhenum ad Berkam tranſmiſerant, circa Oldenzielam, Grollam, [m] Ghoram, Enſcedam, et Lingenam reliquas copias diſtribuit. Inter haec multum temporis periit, nullo operae pretio utrinque facto. Tandemque jam inclinante autumno, et imbribus ſupervenientibus, qui loca illa inacceſſa reddebant, Mauritius Arnhemium venit VI Eid. Nov. et exercitum in hyberna diſtribuit.

III. HAUD multo poſt Parmenſis, ut cuncta ad novam in Galliam expeditionem ex propinquo commodius compararet, Bruxellis [n] Rigiacum Atrebatum conceſſit, et in S. [o] Vedaſti coenobio hoſpitium ſibi ſumpſit, ubi accedente ad veterem aegritudinem recentis vulneris incommodo, et rem in Belgio a ſe reſtitutam, dum in alieno occupatur, quotidie perire moerens, ingraveſcente morbo oppreſſus eſt, et IIII Non. Dec. cum ſe ſenſim animo linqui ſentiret, Actum eſt, inquit, de me, neque remedia jam quicquam proficiunt. Tum ſuperveniente [p] Coſmo Maſio, qui illi

INTERPR. [a] *Gravenweerdt.* [b] *Zwol.* [c] *Davalos.* [d] *Rheinbergen.* [e] *Weſel.* [f] *Groll.* [g] *Oldenziel.* [h] *Ulſen.* [i] *Emliken.* [k] *Veltbuyſen.* [l] *le comte Frederic Vanden Berghe.* [m] *Goor, Enſchede, & Linghen.* [n] *Arras.* [o] *Abbaye de S. Vaaſt.* [p] *le comte Coſimo Maſi.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

illi a ſecretis epiſtolis erat, et laeto vultu eum melius habere affirmante, Pergamus ergo quantum vires ſinent; et ſubſcriptionibus cum aliquanto tempore vacaſſet, rurſus lecto impoſitus eſt; ac ſub veſperam extrema unctione a Joanne Saraceno Vedaſtino praeſule procuratus, placide deceſſit anno aetatis XLVII. Belli dux noſtra aetate clariſſimus, prudentia, fide, ſolertia, vigilantia, conſtantia, felicitate, quam adjuvabat in Belgio jucunda et adhuc recens illuſtriſſimae parentis memoria, quae ſumma moderationis et aequitatis laude has provincias aliquando adminiſtraverat, nec niſi cum pernicie earundem inde revocata fuerat; quo et fiebat, ut cum Belgae ſuperiorum proregum Hiſpania miſſorum ſuperbiam et dominationem exoſi, antea ex ſucceſſibus eorum in deſperationem verterentur, Parmenſis victorias iidem patientiſſime ferrent, et ultro ſe fidei ejus permitterent, haud occulto Hiſpanorum in ipſum livore: unde opinio vulgo concepta de veneno ei jam pridem propinato aucta, quae tamen corpore aperto et exenterato evanuit. Nam ab interiore partium vitio, non ex alia cauſa malum fluxiſſe conſtitit, malaque eum corporis habitudine fuiſſe, ut diutius vivere non poſſet. Ingentia ejus in Philippum merita evertit tanti paratus claſſis profligata, illius, ſicuti ab aemulis jactabatur, culpa; qui in tempore Hiſpanis cum vento luctantibus cum planis navigiis praeſto non fuiſſet; ſuſpicionemque fecit, quaſi bellum protelatum, quam confectum mallet, aut alii quam ſibi expeditionis Anglicanae laudem invideret. Siniſtram hanc rurſus de eo opinionem utcunque ſarciit una et altera maxime opportuna in Galliam expeditio, quibus regem a [a] Lutetiae et Rotomagi obſidione avertit. Tanta ex eo de ſe fama excitata, ut minora virtute ejus cuncta exiſtimarentur, quippe qui cum feliciſſimo ſimul rege et imperatore rem tam feliciter confeciſſet. Cum majora ab eo expectarentur, in ipſo rerum agendarum quaſi flore defecit, integra fidei et bellicae virtutis fama, qui cumulus ad ſummam ejus felicitatem acceſſit. Mortuo [b] Rigiaci magna pompa parentatum fuit, P. Erneſto Mansfeldio ejus vicario proxime cadaver ſequente: et altercatione inter Italos et Hiſpanos exorta utri praecederent, Itali pervicerunt, ut in exſequiis ſui imperatoris, qui intermortuam militaris ſcientiae in Italia gloriam non ſolum renovaſſet, ſed ſupra alios retro duces in maximum faſtigium extuliſſet, primas tenerent. Epiſcopus [c] Audomarenſis funebrem orationem habuit. Hubertus Rodolfus Ciſtercienſis Abbas panegyricum de rebus ejus ſcripſit. Corpus deinde militari pompa Roberto Barbanſono praeeunte Bruxellas VI Eid. Dec. deductum et in regii palatii ſacellum illatum, atque inde tandem magno equitum atratorum comitatu per [d] Lotaringiam, Sequanos, Allobrogas in Italiam a Mario Farneſio devectum eſt, et Parmae tenui funere in aede pacis, Capuchini, ſic enim teſtamento mandaſſe dicebatur, habitu, humilique admodum monumento, cum Mariae conjugis corpore, ſicuti illa teſtamento caverat, recondi voluit. Poſtea Romae, quod inde oriundus eſſet, pontificis permiſſu, ſenatus populuſque Romanus, ob res magnas pro republica Chriſtiana geſtas, tanquam civi optimo, et ſanctae Romanae eccleſiae gubernatori hereditario, itidem magnificis exſequiis ad Franciſcanorum in ara coeli juſta perſolvit, et majorum more marmoream ſtatuam ex ſenatuſconſulto in Capitolio poſuit. Orationem habuit Gabriel Caeſarinus. Franciſcus item [e] Beneius, et Vincentius [f] Blaſius Garcias orationes in eum funebres ſcripſerunt, et Aurelius Urſus R. mortuum carmine epitaphio laudavit. Duos filios ex Maria Luſitana reliquit, grandiorem natu Ranutium, qui paulo ante patris mortem ex Gallia in Italiam cum [g] Vaſtii marchione poſt ſolntam Rotomagi obſidionem profectus fuerat, et patri in ditionibus ſuis ſucceſſit; Odoardum, qui poſtea in collegium cardinalium cooptatus fuit. Margarita filia cum Vincentio Mantuae principi nupſiſſet, quod arctior eſſet, et ob id matrimonio inhabilis,

ſolutis

INTERPR. [a] *Paris, & Rouen.* [b] *Arras.* [c] *de S. Omer.* [d] *Lorraine, Franche Comté, & Savoye.* [e] *Benci.* [f] *Biaſio Garcias.* [g] *del Guaſto.*

ſolutis nuptiis in coenobium Placentiae ultro migravit. Philippus de adverſa ejus valetudine, antequam moreretur, certior, ne rebus incertis ex ejus occaſione res in Belgio turbarent, mature Petrum [a] Henricem Acebedium comitem Fontanum cum ſecretis mandatis miſerat, qui cum ſub id tempus exeunte Novembri Bruxellas veniſſet, tamen eum, antequam moreretur, inviſere non potuit. Mandatis regiis, quae ſtatim aperta ſunt, ſumma provinciarum praefectura Petro Erneſto Mansfeldio ad tempus committebatur, donec Erneſtus Auſtrius Rodolphi Caeſaris frater in Belgium veniſſet, cui tanquam conſanguineo ſuo cuncti obedire tenerentur. Tum ſingulae provinciae proceribus attributae. Philippo [b] Croio Araſcotano duci Flandria, Carolo [c] Cimaci principi filio [d] Hannonia, Geldria Carolo [e] Arembergio comiti, Marco [f] Riae Varamboni marchioni [g] Arteſia, [h] Barlaimontio [i] Namurcum, [k] Billio [l] Inſulae, Duacum, et Orchiae; [m] Molembaſio, qui nuper ex Hiſpania magnis promiſſis oneratus redierat, et [n] Sorae comes creatus fuerat, [o] Tornacum. Carolus Mansfeldius P. Erneſti filius, praefectus maris creatus eſt. Ludovicus Barlaimontius Cameracenſis archiepiſcopus, quod eo ſpoliatus eſſet, mortuo nuper Joanne [p] Vendevilleo epiſcopatu Tornacenſi donatus eſt, Lamorallo [q] Ecmondano bonorum paternorum et fratris gratia facta. Fridericus Perrenotus [r] Campaniacus aerario cum aliis praefectus, quem paulo ante mortem Parmenſis ob antiquas ſimultates infeſtus loco moverat, et ignominioſe Bruxellis expulerat, quanquam abſens, honori et dignitati reſtituitur.

CIϽ IϽ XCII.

Henricus IV.

IV. [1] Hoc anno Anglis fortuna indulſit, ut injuriam ſuperiore acceptam, nave ingentis pretii, quae CXXX aureorum CIϽ aeſtimabatur, cum viris militaribus amiſſa, ſi non ulciſcerentur, ſaltem damnum cum foenore reſarcirent. Thomas [2] Vitius inſtitor [3] Lugduno oriundus navim inſtruit, et delectos XLV in eam imponit, in Africam navigaturus; ubi cum merces ſuas exoneraſſet, aliaſque ſecum aſportaturus in litoribus,

INTERPR. [a] *Henriquez de Acevedo comte de Fuentes.* [b] *de Croy duc d'Arſchot.* [c] *Chimay.* [d] *Hainaut.* [e] *d'Aremberg.* [f] *de Rie marquis de Varambon.* [g] *Artois.* [h] *de Berlaymont.* [i] *Namur.* [k] *le Sr de Billy.* [l] *Lille, Douay, & Orchies.* [m] *de Molembais.* [n] *Solré.* [o] *Tournay.* [p] *Vendeville.* [q] *le Comte d'Egmond.* [r] *le Sr de Champigny.*

NOT. [1] *Res haec*, ab Imm. Meterano *in* Hiſtoria *ſua* Belgica, fol. 337. *ſic narratur*, La navire Angloiſe avec ſon artillerie eſtoit eſtimée valoir cent 30 mille florins: les Anglois ne laiſſerent pour cela de continuer touſiours en leur deſſeing & de tacher à faire quelque dommage aux Eſpaignols, & l'année prochaine ils recouvrerent fort richement leur perte. Car une navire Angloiſe nommée l'Amitié, allant pour trafficquer en Barbarie, ſur laquelle eſtoit patron un certain Thomas Whyt de Londres, avec environ 45 hommes, aprés qu'il euſt deſchargé ſa frette, & qu'il eſtoit contraint d'attendre quelques mois pour avoir ſa charge, & ſon retour, devant que de pouvoir retourner à la mayſon, s'en alla en attendant haut en mer, en un endroit où il ſçavoit que les navires, leſquelles alloyent ou retournoyent des Indes, prenoyent leur cours à la hauteur de 36 degrés. Eſtant là, il rencontra deux petites navires Eſpaignoles, leſquelles eſtoyent chargées de la part du roy, & avoyent eſté convoyées auparavant par quelques galeres: ces navires le penſoyent venir prendre, mais elles furent prinſes, l'une devant, l'autre aprés, non ſans grand danger, car ils y trouverent 127 hommes vivans, & huict morts, il les amena ſur la rade en Barbarie, & ayant prins ſa charge, il les emmena à la mayſon. Il y avoit en ces deux navires plus de quatorze cens coffrets d'argent vif, chaſque coffret peſant cent & 50 livres, ou un quintal & demy, avec plus de cent tonneaux de vin, & la peſanteur de dix tonneaux de miſſaulx & bulles du pape, juſques au nombre (ſuyvant les lettres & notices qu'on en trouva és navires) de deux millions & 72 mille: qui ſervoyent pour les ames des vivans, & des morts, & leſquelles on debvoit diſtribuer és pays & provinces de la nouvelle Eſpaigne comme *Jucatan*, *Quatimala*, *de Honduras*, *& de Philippines*. Cet argent vif & ces bulles couſtoyent au roy environ trois cens mille florins, & il en euſt bien faict cincq millions d'or; en quoy l'on peut voir quel trafficq faict le roy, & que c'eſt un marchand qui faict grand gain, tellement qu'il ne ſe fault pas eſtonner d'où luy viennent toutes ces richeſſes qu'il tire des Indes. Pour bien entendre cecy il fault ſçavoir, que ces bulles eſtoyent taxées à deux reaulx la piece, & encores une partie de dixhuict mille à quatre reaulx la piece (comme l'on trouva par les inſtructions & memoires leſquelles eſtoyent és navires, & par leſquelles le roy commandoit de les vendre aux habitans, qui ſont contraints d'en achapter) de ſorte que cela euſt bien valu au roy, avec encores dix bales de miſſaulx tous dorés, plus de quatre cens mille ducats: & l'argent vif prés de deux milions de ducats; ayant faict defendre, que nul ſur peyne de la vie, n'en envoyaſt és Indes, ſi non luy, car ſçachant que c'eſt une matiere ſi neceſſaire, que ſans icelle on ne peut r'afiner l'or & l'argent qu'on tire des mines, il a faict tel accord avec les mineurs qu'il fault qu'ils lui donnent, pour chaſque livre d'argent vif, une livre de fin argent eſpuré.

[2] Whitus. [3] Londino.

litoribus, per quae Indicae Hiſpanorum naves venturae erant, commoraretur, explorata commoditate in duas regis juſſu inſtructas, quae a triremibus deducebantur, vim facit, et poſt anceps aliquot horarum certamen eas in poteſtatem redactas in [a] Libyeum litus ſubduxit, quas inde mercibus oneratas ſecum in Britanniam avexit. Qui id ſcripſere, tradunt, in II illis navibus Hiſpanis, XL CIↃ arculas argento vivo plenas fuiſſe, tum CIↃ cados vini repertos, et C dolia diplomatibus pontificiis, et libris ad ſacra facienda neceſſariis repleta, in Philippinas et alias vicinas inſulas transportanda. Ex literis vero in his repertis intellectum fuiſſe, argentum illud vivum, quod in Indiam et Hiſpaniam devehi prohibitum eſt, regem pactione inita coegiſſe Indos a ſe ſolo ſumere, et argento puro aequali cum illo pondere permutare. Pro diplomatibus vero illis, ac libris uſui templorum deſtinaris, partim ex ſingulis ultra juſtum pretium trientem aurei, partim deuncem recipere, et ita computatione facta CCCC ducatorum CIↃ ex his mercibus, quae parvo illi conſtabant, lucraturum fuiſſe. Quod harum rerum peritis amplius diſcutiendum relinquo. Aliquanto poſt juxta [b] Caſſiteridas XVIII Anglorum piratarum expeditae naves in duos myoparones variis mercibus pretioſis et magna aromatum aliarumque ejuſmodi exoticarum rerum vi onuſtos ex India Orientali venienteis inciderunt, et cum illi vento validiore ſuborto disjuncti eſſent, Angli in priorem, cui S. Crucis nomen, conjunctis viribus incubuerunt. At Hiſpani in veſperam extracto certamine vento ſecundo uſi navem in litus proximum ſubducunt, et exoneratis ſumma celeritate mercibus eam protinus incendunt; cum ita ſpe capiendi illius Angli excidiſſent, alterum myoparonem obvium aggrediuntur, et ſuperveniente Cumberlandiae comitis claſſe capiunt, et in Angliam ſecum avehunt. Ea praeda centies decies CIↃ ducatorum aeſtimata eſt.

V. ARRAGONENSIUM ſive [c] Caeſarauguſtanorum clades in hunc annum incidit, ab unius hominis calamitate profecta. Is fuit Antonius [d] Perezius Philippo a ſecretis epiſtolis, [e] Conſalvi, qui eodem munere ſub Carolo V et ipſo defunctus fuerat, filius, a [f] Monte-regio Arizae majores ſuos repetens; qui, quod auctor ſive adminiſter caedis [g] Joannis Eſcovedi, de quo in ſuperioribus diximus, haud inſcio Philippo patratae, fuiſſet, cum poſtularetur a Petro Joannis filio, accuſatore Matthaeo [h] Vaſco, initio ſe fori praeſcriptione defenderat, Philippumque ſaepius per literas monuerat, ut auctoritatem ſuam interponeret, neque ratione ejus, quod ipſius juſſu feciſſet, ſe vexari pateretur. Se quidem cupere, ut cauſa caedis Eſcovedi, quoniam regiae majeſtati intereſſe id exiſtimet, in vulgus non emanet, et omnia facere decreviſſe, quantum in ſe erit, ne detegatur: viciſſim petere, ut rex ſuae fidei rationem habeat, neque committat, ut dum famae et exiſtimationi ſuae conſulit, miniſtri tam fidi ſalutem neglexiſſe videatur. Ad haec rex, ſpe facta, ut ob id periculum Perezio minime crearetur, tamen cum cuperet rem tegi, auctor ei fuit, ut coram Antonio [i] Pazio ſacerdote regio Caſtellae praeſide reſponderet. Quod licet aegre faceret, quippe contra privilegia et libertates Arragonenſium id fieri, qui coram alio, quam ſuo judice ſiſtere ſe minime teneantur; tamen quod praeſidis aequitatem perſpectam haberet, et Petri [k] Fajardi marchionis Velezii, qui tum primarium locum in aula tenebat, favore ſublevari ſe ſentiret, aſſenſit; et poſtquam reſpondit, ſuaſuque ipſius praeſidis Eſcovedi vidua ac liberi ab accuſatione deſtiterunt, actum eſt per [l] Didacum Chavem, qui regi a ſacris confeſſionibus erat, ut Perezius cum Matthaeo Vaſco, qui accuſationem inſtituerat, reconciliaretur. Nec non et Anna [m] Mendoza Cerda [n] Roderici Gomeſii Silvae, famoſi illius aulici temporibus Caroli V et

INTERPR. [a] *Coſte d'Afrique.* [b] *les Açores.* [c] *ceux de Saragoce.* [d] *Perez.* [e] *Gonçalo Perez.* [f] *de Montreal d'Ariza.* [g] *Don Juan d'Eſcovedo.* [h] *Vaſquez.* [i] *de Pazos preſidente del Conſejo real de Caſtilla.* [k] *Fajardo marquis de los Velez.* [l] *Diego de Chaves.* [m] *de Mendoça y la Cerda princeſſe d'Eboli.* [n] *Ruy Gomez de Silva.*

et Philippi ipſius, vidua. Hujus foeminae, ut rem a veris initiis repetam, elegantiſſimae, et, quamvis altero oculo captae, inſigni forma praeſtantis, impotenti rex amore flagrabat, et conſcium ejus Perezium fecerat; qui heri ſui familiaritate ſive indulgentia non bene uſus, dum regis nomine ultro citroque ad eam commeat, et ipſe eam deperire coepit. Nec illa amatorem novum abnuere dicebatur. Id incidit in tempus, quo Joannes Eſcovedus Joannis Auſtrii conſilia in Belgio moderabatur. Is in Conſalvi Perezii domo olim educatus, dein R. G. Silvae commendatione ad opimiorem fortunam evectus cum in Hiſpaniam ſub id veniſſet, et Ant. Perezium Joannis Auſtrii conſiliis ſumme adverſari ſciret, ut ei omnem gratiae locum praecideret, ab injuria bene meriti de ſe viri, cui hanc gratiam deberet, occaſionem ſumpſit, et de ejus et Annae amoribus non bellos ſermones ubique ſpargi ad regem detulit; quod maxime Philippi animum pupugit: qui cum Perezium rivalem ferre non poſſet, et alioqui Eſcovedi ſuſpectam fidem habens, quod Joannis Auſtrii animum ad majora, quam vellet, audenda inflammaret, alterum alterius ope de medio tollere apud ſe ſtatuit. Itaque cum de Eſcovedo coram Gaſpare Quiroga cardinali [a] Toletano, et Velezii marchione, quorum conſilio in gravioribus negotiis rex utebatur, conſultaretur, facile ſibi ab Ant. Perezio, qui conſilio intererat, perſuaderi paſſus eſt, ut Eſcovedus potius immiſſo percuſſore interficeretur, quam in Belgium ad Auſtrium remitteretur; ſed ut rei invidiam a ſe amoliretur, caedem exequendam ipſi Perezio commiſit. Id ille tam prompto animo perfecit, ut potius Annae ultione ardentis ob detectos regi ſuos amores deſiderio ſatisfeciſſe, quam regis voluntati ea in re obtemperaſſe videretur. Eſcovedo per Garſiam Arzem ſicarium ſublato, rivalis reſtabat, quem a vidua et liberis Eſcovedi, necnon Annam in jus vocari, et utrumque cuſtodiae injurioſe mandari eo libentius rex patiebatur; quod omnem illius caedis invidiam in Perezium, qui impotenti foeminae ea in re morem geſſiſſet, derivari, de ſe autem nullam mentionem fieri, videret, quae Auſtrium in Belgio praeſtolandum in ſuſpicionem poſſet adducere. Ne tamen res a Perezio evulgaretur, initio Philippus codicillis crebro ad eum miſſis bono animo jubebat eſſe, et negotium brevi ex animi ejus ſententia confectum iri pollicebatur. Quos omnes codicillos, aliaque ſecreta mandata, regis ipſius manu exarata, diligenter ſervavit Perezius, et longo poſt tempore publicavit. Tunc vero poſt reconciliationem Perezii cum M. [b] Vaſco prima accuſatio aliquandiu quievit, et [c] Perezius [d] Mantuae Carpetanorum domi ſuae manere juſſus, ablatis nihilominus ſtipendiis et honorariis, negotia publica per amanuenſeis ſuos, ut antea, toto ſexennio adminiſtravit uſque ad annum CIↃ IↃ XXCV, quo, omiſſa priore accuſatione, cenſurae dica Perezio intentatur, Viſitationem vulgo vocant. Quod eſt judicium ad vexandos homines, qui ſecreta regis negotia tractarunt, repertum; in quo delationes nullo teſtium diſcrimine, nulliſque contra eos rejectionibus admiſſis, perverſo omnis juris ordine admittuntur. In eo repetundarum convictus, quod a Franciſco magno Etruriae duce pro confirmatione beneficiariae ditionis [e] Senenſis in eum collatae X CIↃ aureorum accepiſſet; quod cum [f] Anna Mendoza parum honeſte verſatus eſſet; quod Joanni Auſtrio multa, quae premi, quam evulgari potius eſſet, eorum, quae in arcano regis conſilio agitabantur, ſcripſiſſet; quod in epiſtolis, quae ad regem mittebantur, literis ignotis ſcriptis, cum eas interpretabatur, multa addere, multa detrahere ſolitus eſſet. Dum judicium peragitur, crebro ad eum Didacus Chaves ventitabat, et de ejus exitu ſecurum jubebat eſſe, neque magno conſtiturum affirmabat, tantum diligenter caveret, ne codicillos a rege ſcriptos, quod facere poterat, ad exonerandum

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *de Tolede.* [b] *Vaſquez.* [c] *Perez.* [d] *Madrid.* [e] *de Siene.* [f] *la princeſſe d'Eboli.*

CIƆ IƆ XCII.
HENRICUS IV.

exonerandum ſe proferret. Quod cum ſedulo feciſſet Perezius, tandem ſententia in cum perſcribitur, non ſubſcripta, non pronunciata, qua tanquam criminum objectorum peracto reo lis aeſtimata eſt XXX CIƆ aureorum; inſuper a ſecretarii munere ſuſpenditur, additumque, ut per biennium in arcta cuſtodia eſſet, quo exacto ad octennium relegatus aula abſtineret; id illi inſinuatum, et in arcano promiſſum, ſi codicillos redderet, ſententiam in irritum caſuram. Interim Chaves omnem operam dabat, ut eos ab illo extorqueret, quorum et unum, quem Perezius in manus ipſius conſignaverat, retinuit, et conſtanter habuiſſe poſtea pernegavit. Igitur Perezio recuſante reddere codicillos, lictores ad eum mittuntur, ut ſententiam executioni mandarent; quorum adventui praevertere cupiens in proximum templum confugit, ratus ita fore, ut a foro regio ad eccleſiaſticum cauſa devolveretur. Verum inde vi abſtractus et in [a] Turneganam arcem truſus eſt, ubi totos treis menſeis ferreis catenis vinctus admodum ſevere a [b] Turriano Avila habitus eſt, donec literis ſanguine proprio ſcriptis ad uxorem datis mandavit, ut arculas et ſcripta ſecreta [c] Barajae comiti ob id miſſo traderet; ſed prius convenerat, ut codicillos, qui ad cauſam Perezii magis faciebant, ſeponerentur. Tamen quaſi regis petitioni illa reſtitutione ſatisfactum eſſet, Perezius carcere illo moleſto ad tempus liberatur, et Madriti per quadrimeſtre laxiore cuſtodia commoratus eſt, ita ut amicis viſere eum, et ipſi ad templa itare liberum eſſet. Sed cum denuo Eſcovedi vidua et liberi accuſationem omiſſam reſumpſiſſent, rurſus cauſa decimo poſtquam primum coeperat anno coram Roderico [d] Vaſco praeſide agitata eſt, cui et rurſus Chaves intervenit; et reo ſuaſit, ut caedem Eſcovedi fateretur, ceterum caedis patrandae cauſas non explicaret. Verum Perezius id regi invidioſum, cujus ratione caedis cauſas non aperiri cuncti proculdubio interpretarentur, ſibi vero periculoſum futurum reſpondit, ac potius videri, ut cum uxore ac heredibus defuncti pecunia data tranſigeretur. Quod et regi placuit, ſive quod re vera tunc ita expedire cenſeret, ſive ut grandi pecunia exſoluta tantundem homini ſibi inviſo incommodaret. Nam XX CIƆ ducatorum in id depenſa ſunt. Tamen poſtea mutavit, et a Vaſco perſuaſus, ut judicium tranſactione finitum inſtauraretur, mandavit; nam ad exiſtimationem ſuam pertinere, fama caedis Eſcovedi quaſi juſſu ſuo patratae jam ubique ſparſa, ut judicio publico invidiam ejus amoliretur. Contra Perezius pugnare, has malevolorum artes eſſe, qui vel cum exiſtimationis regiae detrimento periculum ipſi creare cupiant. Nam quorſum poſt XII annos de caede Eſcovedi quaſi a rege imperata quaeri? Aut cur XX CIƆ aureorum mulctatum Perezium, ſi juſſu regis id fecit? Cauſas autem imperatae caedis tanto poſt tempore exquiri, an ad minuendam invidiam, et non potius ad regii nominis infamiam pertinere? Itaque cum nihil fateretur, neque adduci poſſet, ut quidquam ad exonerandum ſe in regem diceret, a Vaſco violentae quaeſtioni ſubjectus eſt, conſtantiamque primo ſervavit, ſed cruciatibus ad extremum victus, rem, ut erat, confeſſus eſt, et codicillorum exempla protulit, quibus confeſſiones ſuas firmabat. Cum igitur Perezius ſe ad exitium peti videret, contra quam illi initio a rege, miniſtriſque ejus promiſſum fuerat, et interim marchio [e] Velezii deceſſiſſet, in cujus patrocinio, quod et ipſe rei conſcius eſſet, magnum momentum ponebat, de cuſtodibus fallendis cogitare coepit, et ope uxoris et Aegidii [f] Meſae Arragonii proxima ſecum cognatione conjuncti per diſpoſitos equos in Arragoniam transfugit, XXX leucas, ut erat adhuc a tortura debilis, uno die emenſus. Neque tamen primo [g] Caeſaream Auguſtam venit, offenſam regis veritus, ſed [h] Calataiudae, quam Bilbilim ortu poetae Martialis nobilem fuiſſe volunt, ſubſtitit, et in Dominicanorum coenobio

urbis

INTERPR. [a] *la fortaleza de Turegano.* [b] *Torres de Avila.* [c] *Barajas.* [d] *Vaſquez preſidente del Conſejo de la Real hazienda.* [e] *los Velez.* [f] *Meſa.* [g] *Saragoça.* [h] *Calatayud.*

urbis hoſpitium ſibi ſumpſit, unde mox ad regem VIII Kal. Maias literas copioſas dedit, quibus fugae et profectionis ſuae cauſas reddebat. Pro reſponſo miſſus urbis eques, qui Perezium loco exire juberet, recuſantem vi abſtraheret. Sed cum is mandatum ſuum coenobii ſodalibus approbare non potuiſſet, cellam monachalem reo pro cuſtodia attribuit. Poſtea nova mandata ampliora a rege venerunt; tandemque licet frementibus Calataiudae oppidanis Caeſaream Auguſtam Perezius deductus eſt.

VI. MAGNA ſunt jura, privilegia, libertates, ac Immunitates Arragonenſium, quas ipſi poſt Hiſpaniam a Juliano comite, ob ſtuprum filiae a Roderico rege illatum, proditam, et totis IↃCC annis a Saracenis poſſeſſam, juris ſui effecti ſibi dixerunt, condito ſupremo magiſtratu, cui juſtitiae nomen impoſuerunt, qui ſecundum eas jus diceret. Poſtea reges elegerunt, qui de genibus et capite aperto tactis ſacroſanctis evangeliis coram magiſtratu eas ſe ſervaturos religioſo ſacramento obſtringunt, antequam èis proceres ac magiſtratus obedientiae jusjurandum praeſtent. Electio regis uſque ad [a] Petrum ab Acinace dictum manſit, qui in comitiis tenuit, ut electione ſublata reges a gente peterentur, indè nomen ſortitus, quod caput de electione, ordinum conſenſu abolitum, Acinace publice diſcidiſſet. Ceterum abolita electione libertatis leges denuo confirmatae ſunt, lege Unionis ob id condita, cujus duo capita haec recenſentur, quibus jus eſt ordinibus, ſi rex patrias leges violet, novum in ejus locum creare, et citra crimen majeſtatis ad tuendam libertatem foederationes inter ſe et cum vicinis principibus inire. Id cum durum Caſtellenſibus videretur, qui reges legibus ſolutos colunt, Ferdinando Arragonio, qui Iſabellam Caſtellenſem in uxorem duxerat, perſuadere voluerant, ut eas leges tanquam regiae dignitati contrarias antiquaret. Verum ille inſita ſeu modeſtia ſeu diſſimulatione prudentiſſime reſpondit, fide ſe religioſe data prohiberi quo minus id faceret, et alioqui ſic exiſtimare, aequilibrio potentiae regni regiſque ſalutem publicam contineri, et ſi contingeret aliquando alterum alteri praeponderare, proculdubio alterius aut utriuſque ruinam ex eo ſecuturam. Praeterea tribunal in regno ab initio inſtitutum, cui ſummus ille magiſtratus cum ſeptendecim viris praeeſſet, Manifeſtationis nomine vulgo indigetatum, ad quod ex aliis reliquis ſubſelliis ſupremis, nec non etiam eccleſiaſticis provocatio eſſet, et in quo rex partis tantum vice fungeretur, non autem judicis aut magiſtratus partes ſuſtineret. In hoc conſeſſu Perezius cum purgare ſe paratus eſſet, defenſionem ad objecta crimina ſcripto complexus, regii miniſtri eum ad Inquiſitiones revocant, quod eſt judicium in Arragonia, ut Viſitationis in Caſtella, de quo modo diximus, ad enervanda patriae libertatis jura a regibus in eos, qui publica munera geſſerunt, excogitatum. Itaque ſeparationis quam vocant, beneficio uſus, rex ſe ab accuſatione coepta deſiſtere profitetur, ſalvo ſuo jure, quod quando videretur, perſecuturus eſſet: inſuper declarat, graviſſimas ſibi offenſionis et injuriarum cauſas cum Perezio intercedere. Hae autem erant, quod ad proſperos de regis Galliarum rebus nuncios gaudio exultaret, adverſis ingemiſceret, et contrarios in regis Catholici ſucceſſibus affectus indueret, Quod praeterea [b] Benearnum cogitaret, et inde in Bataviam et Zelandiam profectionem adornaret. Haec cum abſurda viderentur, pronunciatum eſt, Inquiſitionibus locum non eſſe, neque actionem contra Perezium inſtitutam valere. Et [c] Galacianus Cerdanus Salmedina Caeſarauguſtanus, id ſupremi urbis magiſtratus nomen eſt, quod probationes perperam adverſus eum in hac cauſa collegiſſet, in carcerem conjectus fuit. Cum hac non proceſſiſſet, alia emiſſarii via Perezium aggrediuntur, et per S. Inquiſitionis officiales, quos vocant, eum a magiſtratu ordinario repoſcunt, et carceri urbis exemptum, in ſuum

peculiarem

INTERPTR. [a] *el Rey don Pedro llamado el del Punnal.* [b] *Bearn.* [c] *Galacian Cerdan Salmedina de Saragoça.*

CIↃ IↃ XCII.
Henricus IV.

peculiarem armata manu deducunt, non ſine plebis fremitu, quae mox excitata ſeditione Inicum Mendozam marchionem Almenarae circunſiſtunt, ipſumque probris et convitiis tanquam patriae proditorem a foeminis ac pueris prius laceſſitum, et multis ictibus male mulctatum, injurioſe in carcerem trudunt, in quo paulo poſt deceſſit. Pleraeque et incenſae aedes, et multi in eo tumultu interfecti. Id actum VIII Kal. Jun. anni praecedentis. Tandem Perezius in Manifeſtationis carcerem reductus: deinde inſtigante Ludovico Marano conſultatum inter XIII jureconſultos, an cauſa Perezii in S. Inquiſitionis tribunali agitari deberet. Et illi primo id privilegiis ac patriis libertatibus, quae publicationes bonorum in eo foro decretas irritas declarant, adverſari reſponderant. Sed poſtea metu ſeu pretio corrupri mutarunt, et Perezium juriſdictioni inquiſitoriae ſubjacere pronunciaverunt. Hoc decretum, quando executioni mandaretur, inter miniſtros regios diu agitatum fuit. Tandem magna procerum, equitum, et militum manu collecta, dies ad XIII Kal. Sept. univerſis condicitur, qua Inquiſitionis officialibus praeſto eſſent. Qui cum tempore condicto non comparerent, ad VIII Kal. Oct. dies comperendinatur, quo acies per plateas a prorege inſtructa et inquiſitorii aſſeſſores ad carceris publici portam veniunt, et Perezium, nec non Franciſcum [a] Majorinum Genuenſem, Perezii, ut aiebant, complicem dedi ſibi poſtulant. Jamque inditae manibus pedibuſque compedes, et in eo erant, ut vincti curribus imponerentur, cum vilior plebs nullo auctore primo tumultuari coepit; moxque alii ad alios aggregantur: tantum dux ad majorem motum deerat, cum ſe praebuit Aegidius Meſa, qui tali in neceſſitate periclitanti amico deeſſe noluit. Extemplo ad libertatem ubique proclamatum promiſcuo concurſu, ut tanti ad vim faciendam paratus momento evanuerint, et diffugientibus Inquiſitoribus ac Protege ipſo Perezius ac Majorinus libertati reſtituti ſunt, ac in domo [b] Didaci ab Eredia ad placandam plebem alioqui in miniſtros regios ſaevituram depoſiti; et mox conſpecti per urbem equitantes, tamen ad vitandum periculum in proximos urbi montes ad aliquot dies conceſſerunt, donec Perezius a Martino [c] Nuca nobili Arragonenſi Joannis, qui juſtitiae, hoc eſt, ſupremi magiſtratus tunc munere fungebatur, fratre, invitatus in urbem rediit, et in ipſius aedibus aliquandiu latuit. Ad rei famam admodum commotus Philippus, cum auctoritatem ac dignitatem in ea ſuam verti exiſtimaret, ſicuti ex privatis Perezii odiis occaſionem Eſcovedi e medio tollendi captaverat, ſic ex Perezii calamitate, quae ſeditioni Caeſarauguſtanorum cauſam dederat, privilegiorum [d] civitatis imminuendorum, quibus jam pridem reges inſidiabantur, commoditatem ſibi oblatam avide arripuit, et exercitum ſumma celeritate conſcribit, eique Alſonſum Vargam praeficit, qui cum finibus Arragoniae propinquaret, ſimulabat in Galliam tunc bello ardentem profectionem. At provinciales id quod erat conjectantes, cum ſe non Gallos peti viderent, protinus conſilium cogunt, et recitato II capite privilegiorum generalium, quo ſcitum eſt, licere ipſis ſumere arma contra copias externas in regnum ad illud vexandum ingreſſas, etiam ſi rex ipſe aut princeps ejus heres eas introducat; in ſupremo juſtitiae tribunali ſumi debere arma, et ut contra exercitum Caſtellenſem ſumerentur, ſummo conſenſu decernunt. Quo facto etiam ſacer ordo decreto acceſſit, et concionatores paſſim in urbe populum ad capienda arma hortantur. Tum decretum per actuarios publicos et apparitores Alſonſo Vargae in limite ſignificaretur. Ille nihil mutato vultu in diſſimulatione perſeverans exercitum non contra Arragonenſeis, quorum privilegia ipſe tueri cupiat, ſed in Galliam a rege deſtinatum reſpondit, et ita iter coeptum perſecutus eſt, literaſque et regis et ſuas ad proceres et pleroſque alios regni nobileis mittit, benevolentiae ac propenſae voluntatis plenas, ne quid

INTERPR. [a] *Majerini.* [b] *Diego de Heredia.* [c] *de la Nuça.* [d] *Saragoça.*

quid inclementius de ea expeditione ſuſpicari poſſent. Diverſa parte Juſtitia aliique ſupremi tribunalis aſſeſſores auctoritatem ſuam ad ſcribendum militem interponunt, et delectibus regni convocatis decretum alterum pridie Nonas Novembreis faciunt, quo Martinum Nucam caſtrorum praefectum creant. Sed mox adventante Varga cum exercitu, cognitum eſt, quantum regiae vires ſub uno duce contractae tumultuariis illis copiis et incertis ducibus praepollcant: nam ad illarum conſpectum momento hae diſſipatae ſunt, proceribus et aliis e nobilitate ſubito a ſignis dilabentibus. Perezius e latebris pridie quam Vargas urbem ingreſſus eſt, exiit, et in montes proximos cum Didaco Eredia, [a] Emmanuele Lopeſio aufugit. Franciſcus [b] Hierbas, et Martinus Nuca aliquandiu poſt in urbe manſere, ſi forte oppidanos ad tuendam libertatem praeſentia ſua animare poſſent; quos cum animis omnino concidiſſe cernerent, poſtremo ad Perezium ſe recepere. Vargas ubi ſe urbis potentem vidit, primarios in carcerem trudit, et in iis [c] Villae-formoſae ducem, [d] Arandae comitem, et ipſum ſummum magiſtratum Joannem Nucam. Et illos quidem in Caſtellam ſub cuſtodia miſit, hunc retentum ſecuri percuſſit, acceptis a rege literis, quibus id facere jubebatur, nec ulla alia praecedente ſententia. Literarum autem ſumma erat, ut prius de morte quam de carcere ejus cognoſcere ſe velle ſignificaret: quibus et pro ſententia per praeconem pronunciari mandabat, velle ac jubere regem, ut illi equiti tanquam proditori ob ſeditionem excitatam, et erectum contra regem vexillum caput truncaretur; bona in fiſcum redigerentur; caſtella ac domus diruerentur; hoc addito elogio, qui talia fecerit, tali poena luat. Haec condemnationis formula regno libero hactenus inaudita mirum in modum animos omnium conſternavit. Capti et plerique alii ex omni ordine inſtigantibus inquiſitoribus, et variis poenis mulctati. Perezius ad [e] Pavium in Benearni pago Catharinae sereniſſimae heroinae regis ſororis benignitate receptum habuit: et cum paulo poſt tumultuaria manu ex vagis hominibus et latrocinio aſſuetis in proximo Pyrenaeo collecta, Eredia et Hierbas [f] Viroveſcam veniſſent, ea fiducia, ut provinciales mox arma ſumerent, ſpe falſi ſunt, et circunventi ad unum paene omnes a Varga trucidati ſunt. Capti Eredia et Hierbas, qui capite luerunt. Joannes Luna, qui decreto contra Vargam ſubſcripſerat, eodem tempore in Navarrae regno captus, res ciere in eo inſimulatus, eadem poena affectus eſt. [g] Caeſarea-auguſta ex eo diu poſt militari praeſidio vexata eſt, quod non niſi poſt biennium inde deductum eſt, et primum firmato S. Inquiſitionis palatio, quod extra muros erat, et tanquam arce urbi cum idoneo praeſidio impoſita. Perezius interim magnis promiſſis, ut in Hiſpaniam reverteretur, invitatus, ſuſpectas ſemper tam honorificas conditiones habuit, ac tandem comperit haec in ſuam perniciem agi. Plures item comprehenſi qui pretio corrupti de eo tollendo ſeu ferro ſeu veneno fidem obligaverant. Actum et cum Joan. Franciſco Majorino ſpe gratiae facta, ut ſocium interficiendum curaret. Quod ille Perezio detexit. Poſtea Londini, nam in Angliam Perezius interim confugerat, et Lutetiae plerique ob ſuſpicionem capti, et extremo ſupplicio affecti; et in iis Rodericus [h] Meurus Pinilla ob latrocinia ac caedeis patria exul ac proſcriptus, qui ope Matthaei [i] Aguirrae excucullati monachi ejus interficiendi negotium ſuſcepiſſe dicebatur.

VII. FUIT hic annus virorum principum mortibus memorabilis. Willelmus [k] Cliviae dux admodum ſenex, quippe qui annum aetatis LXXVI attigiſſet, et morbo melancholico complures annos vexatus eſſet, ineunte Januario Duſſeldorpii e vivis migravit. Is cum in adoleſcentia partes noſtras ſecutus eſſet, [l] Joannam Labretanam Navarreni

INTERPR. [a] *Don Manuel Lope.* [b] *de Ayerbe, & de la Nuça.* [c] *Villa-Hermoſa.* [d] *il conte d'Aranda.* [e] *Pau en Bearn.* [f] *Birvieſcas.* [g] *Saragoça.* [h] *de Mur ſeñor de la Pinilla.* [i] *de Aguirre.* [k] *Cleves.* [l] *Jeanne d'Albret.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

Navarteni regni haeredem deſponſaverat, nuptiis, quia per Joannae aetatem non licebat, in tempus pubertatis dilatis. Interim bello a Carolo v petitus, amicitiae noſtrae et pactis nuptiis renunciare coactus eſt, et Annam Ferdinandi regis Romanorum filiam in uxorem duxit, quae eodem fere quo ille morbo tota vita afflictata eſt. Ex eaque II filios, et IIII filias ſuſcepit, quarum Helionora Alberto Friderico Brandeburgico [a] Boruſſiae duci, aliae duae Anna et Magdalena Philippo Ludovico et Joanni [b] Bipontinis ducibus Baioaris nupſerunt: quarta nomine Sibylla longo poſt tempore Carolo [c] Burgovii marchioni elocata eſt. Filiorum grandior natu Carolus Romae ante XVII annos deceſſit; alter Joannes olim [d] Monaſterienſis epiſcopus poſt fratris mortem, eodem licet quo pater morbo tentatus, cum Jacoba Badenſi nuptias contraxit, quae odio Proteſtantium facile ab Auſtriae domus principibus ſibi perſuaderi paſſa eſt, ne Bipontinis ſororum maritis ditionis adminiſtratio ob patrisfiliique morbum rectore vacua committeretur. Morienti Willelmo aſtiterunt Helionora jam vidua et aliae duae cum maritis, qui, ordinibus provinciae, ob eas quas dixi cauſas, reclamantibus, nihil praeſentia ſua obtinere potuerunt. [e] Schencternus Juliacae arci toto illo tractu munitiſſimae praefectus, vim a Bipontinis veritus protinus Juliacum conceſſit, et locum novis munitionibus firmavit, ex Parmenſis conſilio, qui Sibyllam unam ex filiabus Ranutio filio uxorem tunc ambire dicebatur. Exſequiae magno paratu VI Eid. Mart. Duſſeldorpii celebratae. Haud multo poſt XVII Kal. Feb. Joannes Caſimirus Friderici Palatini ſeptemviri filius ſatis conceſſit, qui ditionem Palatinam atque adeo ſeptemviratum poſt Ludovici fratris obitum per minorem Friderici ejus filii aetatem adminiſtraverat, et eandem quam patens ejus, hoc eſt, convenientem Helveticis et Gallicis Proteſtantium eccleſiis doctrinam amplexus fuerat: princeps magni, ſed ſuperbi animi, una atque altera in Galliam expeditione clarus: ultima cum Fabiano Donavio ſummum exercitus auxiliaris imperium deſerri voluiſſet, nonnihil noſtris ſuſpectus ob ſecretam cum Lotaringis et vicinis amicis foederationem, quibus dum gratificari cupit, pacis ſperatae fructum praecidit, et numeroſas illas copias manifeſto periculo objecit. Poſtea et in Belgium et Angliam profectus magnam de ſe famam ubique excitavit, quam re plerumque non implevit: Colonienſe bellum infeliciter inchoavit, et occaſione fraternae mortis ſubito deſeruit. Et cum omnia ſolus in imperio inter Proteſtanteis poſſe credi vellet, pauca praeſtabat, et rationes aliorum conturbabat. Reliquit ex Eliſabetha Auguſti Saxonis ſeptemviri [α] filia, unicam filiam, quae poſt patris obitum Chriſtiano [f] Anhaltino Aſcaniae principi nupſit. Morte Caſimiri cum Richardus [g] Semerus Friderici agnatus adminiſtrationem ad ſe pertinere contenderet, legatiſque ad Caeſarem miſſis id facile ab eo obtinuiſſet, ſpe facta ut Auguſtanae confeſſionis paſtores, ejectis aliis a Friderico avo et Caſimiro introductis, reſtitueret, eamque in religione doctrinam et diſciplinam, quae ſub Ludovico fuerat, conſtitueret, Palatinae ditionis ordines interceſſerunt, nec amplius locum adminiſtratori eſſe reſponderunt, quippe cum Fridericus XVIII annum impleviſſet, eaque aetate eſſet, ut rebus ſuis supereſſe, et ſeptemviratum per ſe juxta bullae aureae a Carolo IV Caeſare conditae praeſcriptum adminiſtrare poſſet. Nihilominus Richardus ſeu vi ſeu aſtu quaſdam praefecturas invaſit. Jamque res ad arma ſpectabant: nec aegre id Hiſpani e Belgio videbant, qui quamdiu bellum inter Proteſtanteis arderet, tamdiu quieturos ſe arbitrabantur: ſed tandem interventu aliorum

principum

VAR. LECT. [α] filia, quam ob mores repudiavit, unicam filiam MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *la Pruſſe.* [b] *de Deux Ponts ducs de Baviere.* [c] *Burgaw.* [d] *de Munſter.* [e] *Schencteren gouverneur du Chateau de Juliers.* [f] *le Prince d'Anhalt qui demeure à Aſcherſleben.* [g] *Simmern.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

principum motus hi compoſiti ſunt, reſtitutis ultro a Richardo, quas occupaverat, praefecturis. Eodem rurſus exeunte menſe Januario Eliſabetha Maximiliani II filia Rodolfi II ſoror et Caroli IX Galliae regis vidua, vere pia et magnanima foemina gravitate et morum ſanctimonia inſignis, placide in Domino obdormivit: ob id cum cognomine Eliſabetha Thuringica merito comparata; quod omni ſubſtantia in eleemoſynas et alia pia opera inſumpta, nunquam adduci potuit, quantumvis eam Philippus poſt Annae ſororis mortem in uxorem habere cuperet, ut de ſecundis nuptiis cogitaret. Ampliſſima, quae ex donatione propter nuptias in Gallia habebat vectigalia ſic per procuratores ſuos diſpenſabat, ut tertiam partem in pauperes erogaret, duas tertias ſibi ſumeret; caverat, idque procuratoribus ſuis enixe mandaverat, ut praefecturas juridicas et officia, quae vocant, nulla accepta pecunia, quod paſſim ſummo juſtitiae, quae gratuita eſſe debet, probro et popularium detrimento apud nos fit, in dignos conferrent. Vice oratoris ejus apud regem, quamdiu illa vixit, functus eſt Augerius [a] Giſlenius Busbequius, vir eruditione, rerum agendarum peritia, candore et probitate inſignis, qui unam atque alteram legationem ad Portam Othomanicam ſub Ferdinando Caeſare magna ſua cum laude geſſit, et elegantiſſimis ac lectu jucundiſſimis epiſtolis explicavit, ex quibus quamplurima in hos annaleis me tranſcripſiſſe, ingenue profiteor. Cum vero ille poſt principis bene de ſe meritae obitum in Belgium, hoc eſt, in patriam cum tota familia remeaturus, ad iter ſe accinxiſſet, et ſecuritatis diplomata a rege et foederatis haberet, nihilominus a foederatis juxta Dieppam in [b] Neuſtria captus ac re omni ſua ſpoliatus, ad haec crudeliter poſt tot injurias habitus eſt. Unde dum literae a Meduanio exſpectantur, ex indignatione moerorem in ſenio lethalem contraxit; ex eoque intra paucos dies deceſſit V Kal. Nov. Busbequii me mentio admonet, ut antequam ad alios principes deveniam, quorum morte hic annus funeſtus fuit, de quibuſdam eruditione et dignitate praeſtantibus viris agam. Primus commemorabitur Jo. Vincentius [c] Laureus, [d] Tropaea celebri Calabriae urbe natus, modicis ſed honeſtae conditionis parentibus, qui in familia Carafarum [e] Nuceriae ducum educatus, cum Alfonſo [f] Neapoli et poſtea [g] Patavio literis operam dedit; ubi utriuſque linguae cognitione ſibi comparata, ad philoſophiae et medicinae ſtudia eadem ingenii felicitate ſe contulit; in qua plurimum excelluit, et P. Paulo [h] Pariſio Coſentino cardinali primum operam navavit. Ibi familiaritate uſus Hugonis Boncompagnii, meruit, ut dulci honeſtiſſimae inter ipſos amicitiae animum olim ſubeunte recordatione, ab eo poſtea pontifice creato in collegium cardinalium cooptaretur; ad quam dignitatem antequam promoveretur, poſt Pariſii obitum operam itidem ſuam addixit Nicolao [i] Gaddio cardinali; dein et Franciſco cardinali [k] Turnonio apud nos; a quo et opimis in Arvernis donatus eſt ſacerdotiis. Inde mortuo Turnonio in Antonii Navartae regis familiam, a Guiſio, ut aiunt, inſinuatus eſt; cum metus eſſet, ne ille ab uxore et aliis, qui in comitatu ejus erant, perſuaſus, ad Proteſtantium partes inclinaret. Antonio dein intra VII menſeis extincto, cum Hippolyto cardinali Ferrarienſi, qui tunc munus legati in Gallia obibat, Romam revertitur, aulae continuo uſu et frequenti magnatum familiaritate ad inſignem medicinae ſcientiam, rerum agendarum ſolertia ſibi comparata; qua effectum eſt, ut in illo prudentiſſimorum virorum theatro protinus a Pio V [l] Montisregalis epiſcopus creatus ſit. Legationibus obeundis deſtinatus, inter quas inſignis illa fuit, quam ſub Gregorio XIII ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem, et poſt ejus obitum, Henrico [m] Andium duce in regem electo, obiit: ac rurſus cum Stephanus Bathorius in regnum vacuum venit; ubi et dexteritate ingenii effeciſſe putatur,

INTERPR. [a] *de Ghiſlein Sr de Boesbecq ou Busbecq.* [b] *Normandie.* [c] *Lauro.* [d] *Tropea.* [e] *Nocera.* [f] *Naples.* [g] *Padoue.* [h] *Pariſio di Coſenza en Calabre.* [i] *Gaddi.* [k] *de Tournon.* [l] *Evêque de Mondovi en Piedmont; on l'appelloit ordinairement le cardinal de Mondovi.* [m] *Anjou.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

putatur, ut Joannes Suecus, qui ſororem Sigiſmundi Auguſti et Annae Stephani uxoris in matrimonio habebat, per eorum, quos commemoravi, ſuggeſtionem, paſſus ſit, Antonium Poſſevinum e ſodalitio Jeſuitico virum literatum, et tractandis negotiis ſumme idoneum, in aulam ſuam introduci; qui Sigiſmundum filium cum omni ſua familia ad ſacra majorum reduxit. Tandem a memori pontifice cardinalis creatus. Jam tum oculos in ſe omnium converterat, quaſi et ipſe ſupremam dignitatem adepturus eſſet; ad idque caſus ſere ei exitialis in augurium trahebatur. Nam cum juvenis olim ad urbem primum veniſſet, et ſpectaculis in pervigilio beatorum Petri et Pauli celebrari ſolitis intereſſet, caſu in taurum furentem incidit, ab eoque cornibus in altum ſublatus ſine noxa dimiſſus eſt. Certe poſtquam cardinalis creatus eſt, in comitiis Sixti v, Urbani vii, Gregorii xiiii, Innocentii ix et Clementis viii honorifica ſemper ejus mentio facta eſt; nihilque magis ei nocuit, quam quod operam olim Antonio regis parenti addixiſſet; quod artificioſe ab Hiſpana factione in virum optimum et doctiſſimum, quem non tam Gallis addictum, quam partibus ſuis minime ſavere noverant, detortum eſt, ut illum collegio ex ea cauſa ſuſpectum redderent. Tandem cum toties ſpem ſummi magiſtratus ſacri, quo et digniſſimus fuiſſe creditur, deguſtaſſet, ſeptuagenarius anno excunte xvii Kal. Jan. placide ad Deum migravit; teſtamento condito, quo magni pretii ſupellectilem omnem congregationi aegris inſervientium legavit: ut qui ex ſcientia aegrotos curandi prima fortunae incrementa ceperat, eoſdem heredes haberet. Corpus, ſicuti mandaverat, ſine ulla pompa ad S. Clementis, quem titulum cardinalis habuerat, cum modico elogio conditum eſt. Ante eum [a] Michael Montanus eques haud ſexagenario major vitae ultimum diem clauſit xv Kal. Oct. in Montibus Petrocoriorum, a quibus nobili familiae nomen, ita dictus, olim in Burdigalenſi ſenatu aſſeſſor digniſſimus cum Stephano [b] Boetiano, quem et vivum indiſſolubili amicitia perſecutus eſt, et mortuum ſumma religione coluit. Vir libertatis ingenuae, quam [c] Conatus ejus, ſic enim immortalia ſui ingenii monumenta indigetavit, ad omnem poſteritatem [α] teſtabuntur. Burdigalae [d] Major, quae dignitas primaria provinciae proceribus, atque adeo praefectis defertur, dum Venetiis eſſet, electus; et a Jacobo [e] Matignono Aquitaniae praeſide conſiliis de rerum ſumma per hos motus adhibitus; mihi, dum in ea provincia, in aula, atque adeo Lutetiae poſtea cum ipſo verſarer, ſtudiorum et voluntatum conſenſione [β] conjunctiſſimus. Ex eodem genere commemorandus ſupereſt Fridericus Furius [f] Caeriolanus Valentia Conteſtanorum natus, Montano noſtro minime abnuendus comes; qui cum prima literarum ſtipendia Lutetiae feciſſet, inde Lovanium profectus cum [g] Bononia Siculo theologiae profeſſore de bibliis in vernaculam linguam vertendis acri diſceptatione contendit, eamque in ſcripto comprehenſam in Germaniam profectus publicavit; atque ob id cenſoriae notae poſtea acumine perſtrictus eſt. Verum rara hominis eruditione et ſingulari animi candore atque caritate perſpecta, Carolus Caeſar optimus ingeniorum cenſor, eum et periculo exemit, et ex Germania ad Philippum filium miſit, a cujus comitatu ille deinceps nuſquam diſceſſit; et ardente bellis Belgio nihil non fecit, ut conciliandarum rerum ratio iniretur, ſicuti ſuo loco demonſtravimus. Scripſit et de conſiliis et conſiliarii officio, et tota vita coelebs [h] Pinciae ad meliorem vitam haud paulum Montano ſenior hoc anno migravit.

VIII. AD

VAR. LECT. [α] teſtabuntur: ob prudentiam cum eruditione eximia ac animi candore conjunctam, Thales Gallicus a Juſto Lipſio cognominatus eſt. Burdigalae MSS *Reg. & Samm.* [β] conjunctiſſimus; cujus amicitiae ac virtuti hoc grati animi teſtimonium me debere exiſtimavi. Ex eodem MS *Samm.*

INTERPR. [a] *Michel ſeigneur de Montaigne, en Perigort.* [b] *de la Boetie.* [c] *Eſſais.* [d] *le Maire de Bourdeaux.* [e] *le mareſchal de Matignon gouverneur de Guienne.* [f] *Cerislans de Valence en Eſpagne.* [g] *Jean de Bononia, Sicilien.* [h] *Valladolid.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

VIII. Ad viros principes redeo. III Non. Sept. Willelmus [a] Heſſus Philippi, qui bellum Carolo V fecit, et ab eo tam indigne habitus fuit, filius, ſeptuagenario major deceſſit: princeps ſummae prudentiae et aequitatis; ad haec mathematicarum ſcientiarum peritiſſimus, quod ad aeternitatem teſtabuntur immortales his de rebus epiſtolae a Tychone Brahe nobili Dano poſt ejus obitum editae. Cum vero ob incommodam corporis obeſitatem a repentina morte ſibi metueret, qua erat pietate et imperterrito ad extrema animo, mature condito teſtamento, quotidie cum dormitum ibat, non ſolum preces coram omni ſamilia ad Deum concipiebat, ſed venia ab aſtantibus petita, quaſi ſingulis noctibus moriturus eſſet, ultimum amicis vale dicebat. Hunc morem toto decennio, antequam moreretur, ſedulo ſervavit. Ex Sabina Wirtembergica Chriſtophori filia, Ludovici ſorore, reliquit unicum filium Mauritium, qui tunc aberat, et ipſum liberalibus artibus egregie inſtructum, qui patris avique exemplo antiquam ex foederatione amicitiam nobiſcum religioſe coluit. Ultimus ex principibus recenſebitur Joannes Guſtavi filius, Erici nepos, rex Succiae, qui VII Kal. Dec. fatis conceſſit, filio Sigiſmundo, quem regem Poloniae electum et nuper contracta cum Auſtriis adfinitate in eo confirmatum reliquit, felix; fratre Erico grandiore natu, a quo diuturni carceris moleſtia vexatus fuerat, olim regni poſſeſſione dejecto felicior, quod ſine ſcelere et citra ambitionem ejus, et culpa tantum ipſius Erici, qui ſe regio faſtigio indignum praebuiſſet, contigiſſe id crederetur. Is eandem quam Guſtavus parens in religione doctrinam confeſſioni Auguſtanae nimirum congruentem ſecutus eſt, ſed ea moderatione, ut Sigiſmundum a Catharina matre, Sigiſmundi Auguſti Poloni ſorore, inſtructum majorum religionem in arcano amplecti paſſus ſit. Nihilominus ipſe ſive quod ab ea alienus eſſet, ſive quod ita rebus ſuis expedire perſuaſum haberet, diſſimulare tempeſtivius ratus, in recepta per totum regnum a patre doctrina nihil immutari voluit, et Carolum Finlandiae ducem fratrem ei ſummopere addictum tanquam vadem apud populos ſuos conſtituit, nihil in eo negotio novatum iri, cum eum per filii abſentiam, proregis titulo, Sueciae praeeſſe teſtamento juſſit. Sigiſmundus tamen aliter perſuaſus, cum patris praeceptis ſtare nollet, magnis ſe difficultatibus implicuit, et dum imprudentibus quorundam conſiliis temere obſequitur, paene de regno hereditario amittendo periclitatus eſt. Antequam pater e vita demigraret, hanc ſibi ad alia proſpera felicitatem additam vidit, ut Sigiſmundus filius cum Auſtriacis non ſolum reconciliatus, ſed arcta adfinitate cum iis conjunctus a metu belli liber eſſet, et regnorum pacata poſſeſſione frui poſſet. Jampridem de Anna Caroli archiducis filia actum fuerat, ſed ob alias atque alias, quae quotidie ſuboriebantur, difficultates ſive occupationes negotium dilatum fuerat. Nec deerant in Polonia qui regem ab his nuptiis dehortabantur, et Joannes Sarius [b] Zamoſcius regni cancellarius, qui multum ſibi Sigiſmundum debere, nec parem meritis gratiam referri indignabatur, etiam apertas ſimultates exercere, et privatas, quas a rege ſibi factas obtendebat, injurias in rempublicam, atque adeo regni comitia deducere auſus, hinc moram negotio interponebat; ſi quidem cum captivum Maximilianum Auſtrium teneret, uxore tum forte puerum enixa, ipſum, ut pro illo in ſacro lavacro fide juberet, honorifice invitaverat, et ea re ejus gratiam demereri voluiſſe putabatur. Et poſtquam carcere dimiſſus fuerat Auſtrius, mutua amicitiae officia cum Zamoſcio coluerat, ut quanquam pactis conventis juri in regno Poloniae praetenſo renunciaſſet, tamen ſpem ejus recuperandi non omnino depoſuiſſe videretur, quippe uſurpatis huc uſque regni inſignibus ac titulis. Tandem decreta legatio ad Caeſarem familiae principem.

Ea

INTERPR. [a] *le Landgrave de Heſſe.* [b] *Zamoyſki.*

Ea defuncti ſunt Georgius [a] Ratzivilius cardinalis, [b] epiſcopus Uladomirenſis, Palatinus , aliique e nobilitate praecipui, qui cum CCXXC equis ſplendide ornatis, et XXXII ciſiis, etiam ad ſpectaculum adductis ſecum Tataris et Moſcis aliquot, [c] Pragam venerunt III Eid. Mart. Eos honorifice exceptos Caeſar, poſtquam de pactis nuptialibus inter partes convenit, per [d] Marcomannos in [e] Pannoniam ſuperiorem, ac Viennam magno comitatu deduci curavit, quo ſponſa ventura cum regio gynaeceo exſpectabatur. Ea cum matre et Erneſto Caeſaris fratre Viennam venit Kalendis Maii. Obviam venienti Matthias archidux prodiit. Poſtridie legati ad ſponſam regiam ſalutandam deducti ſunt, ac tertio die ad colloquium admiſſi; proximum diem ſponſalibus et fiduciariis nuptiis celebrandis conſtituerunt, quo itum in Auguſtinianorum Eremitarum baſilicam palatio proximam, et poſt habitam ab epiſcopo Viennenſi Latinam orationem dextrae utrinque datae, et a cardinali Ratzivilio annulus digito ſponſae inditus; reliquum dici inter convivia et choreas extractum. In Poloniam deducta ſponſa [f] Pleſſiam venit IX Kal. Jun. ubi rex ad eam excipiendam hac pompa uſus eſt. Dimidio a Cracovia milliari in lata planicie IIII tentoria erecta, II regi; altera II in ſponſae uſum; ſpatio VIII paſſuum interjecto, in quo uraniſcus quatuor columnis innixus erat. Rex cum regina Stephani vidua et ſorore, IIII CIƆ equitum egregie ac more gentis inſtructorum, totidem peditum in XX ſigna diſtributorum, ad tentorium ſuum venit. Tum ſponſa in ſuum deſcendere jubetur, ubi a regina vidua et ſorore regis excepta eſt; inde a [g] Preſlavienſi epiſcopo et [h] Aulae regiae magiſtro ſub uraniſcum, quo jam rex venerat, deducitur. Venienti proceſſere obviam rex, [i] Gneſnenſis archiepiſcopus, et Zamoſcius regni cancellarius, jam regi reconciliatus. Inde currus paratos conſcendunt, et eadem pompa urbem laetitia perſtrepentem ingrediuntur, ac per vicos aulaeis Turcicis exornatos incedentes, ad templum perrexerunt: inter tot apparatus praecipue admirationi fuit ſignifer Germanus, qui ſtans in ſummo majoris templi pinnaculo nullo fulcro innixus, vexillum dextra erecta rotabat, et quantumvis aura in illud ſe immiſcente nunquam vacillare viſus eſt. Hymno beatorum Ambroſii et Auguſtini per ſymphoniacos decantato, et miſſilibus in plebem ſparſis, quae ſymbola amicitiae inter praepotenteis familias ſartae referebant, in arcem itum eſt. Quinto poſt die celebratae nuptiae, et totum octiduum in ludis, ſpectaculis, et haſtiludiis conſumptum, atque inde rex cum nova nupta ad comitia Warſovienſia profectus eſt.

IX. In Germania unius hominis mors hoc anno magni motus cauſam praebuit. Is fuit Joannes [k] Manderſchitius comes epiſcopus Argentinae, qui cum XXIII annos circiter eccleſiam ſuam rexiſſet, jam ſenex VI Non. Maii [l] Tabernis vitam cum morte commutavit. Cum ſucceſſor ei deligendus eſſet, ſciſſo factionibus collegio non ſolum vota diſſidebant, ſed de loco, in quo electio fieri debebat, inter ſuffragatores minime conveniebat. Majorum religioni addicti Tabernis, Proteſtantes in urbe ut conventus indicerentur, poſtulabant. Hi pactis et majorum inſtituto ac exemplis nitebantur, quibus ad legitimam electionem requirebatur, ut conventus in urbe haberetur, et accedente ſenatus urbis auctoritate ſodales in ſuffragia mitterentur. Verum illi excipiebant, non eandem rerum faciem eſſe, neque liberum ſibi, ut antea ad urbem, qua injurioſe exacti eſſent, venire. Itaque cum in hoſtili loco electio libera non ſit, Tabernis manere decreviſſe. Interea illi ad Caeſarem, quem partibus ſuis favere norant, literas dant, eumque pro ratione officii de morte epiſcopi certiorem faciunt, et petunt, ut dum novus epiſcopus eligatur, ſibi dioeceſis cura demandetur. Ad haec Caeſar VIII Eid. Maias ſibi ob mortem bene meriti de ſe ac

Imperio

INTERPR. [a] *de Radzivil.* [b] *l'evêque de Ouladomirie.* [c] *Prague.* [d] *Moravie.* [e] *Auſtriche.* [f] *Pleſz.* [g] *de Preſlaw.* [h] *Grand maiſtre de la maiſon du roy.* [i] *de Gneſne.* [k] *de Manderſcheidt evêque de Strasbourg.* [l] *Zabern.*

Imperio epiſcopi dolere praefatus, legatos ſe brevi miſſurum reſcribit, qui ſede vacante, ne quid dioeceſis detrimenti capiat, illam adminiſtrent; mandatque arces, oppida et alia loca munita diligenter cuſtodiant, neque ulli, dum delegati advenerint, aditum ad ea patefaciant; ſcribit et ad ſenatum urbis, monetque ne ſodalibus pacem collegii turbantibus ullam opem ferant, ſed contra eos ab iniquis conſiliis avertant, ac deterreant. Diem ad III Kal. Jun. electioni in urbe loco ſolito faciendae conſtituerant Proteſtantes, idque literis Joachimi Caroli Brunſvici praepoſiti nomine adverſae parti ſignificandum curant; cum illi ſe excuſarent, dicta die Proteſtantes conveniunt. Joannes [a] Pappus conſcenſo pulpito ad ſuffragatores orationem habuit ex epiſtola beati Pauli ad Timotheum de virtutibus ac conditionibus boni epiſcopi, hortaturque ut eum eligant, qui nullo Sectario veneno infectus, ſed ſincerae doctrinae ſit addictus, prout ea in propheticis apoſtoliciſque ſcriptis, in III primariis ſymbolis, IIII ſynodis oecumenicis, et prima neque mutata confeſſione Auguſtana traditur. Poſt concionem et conceptas more ſuo preces, in ſuffragia itur, eligiturque concordibus votis Jo. Georgius Brandeburgicus ſeptemviri nepos, quod praepotenti ſibi praeſule opus eſſe ſcirent, qui electionem adverſus quemvis alium a contraria parte nominandum tueretur. Is mox electionem ratam ſe habere per procuratores profeſſus, ad omnia loca dioeceſi ſubjecta, praefectos ac magiſtratus ſcribit, et ut ſibi, tanquam epiſcopo ac legitimo principi, dicto audientes ſint, imperat. Senatus autem in electionis eventum intentus, cum certamine non caiturum eam provideret, III ſigna peditum, et IↃC equites conſcripſerat: cum his copiis et VII tormentis [b] Kokersbergam non ita munitum epiſcopalis ditionis caſtellum ducitur, in quo pauci praeſidiarii erant, quibus centurio praeerat. Sub veſperam juſſi locum dedere cum recuſarent, admota tormenta, et valida quaſſatione ita dejecti muri, ut poſtridie hoc eſt pridie Nonas Junias deditionem facere ſine conditione ſint coacti. Parcitum militi, centurio in crucem actus. [c] Daſtenium qui tenebant, hoc ſeveritatis exemplo territi ſtatim locum deſerunt. Quo cognito qui Tabernis erant, cum fruſtra futurum viderent, ſi diutius delegatos, atque adeo Ferdinandum archiducem patruum a Caeſare mittendum praeſtolarentur, diem eligendo epiſcopo conſtituunt V Eid. Jun. eamque dignitatem in Carolum Lotaringum cardinalem, qui jampridem illam prenſabat, contulerunt, et longo programmate Coloniae et aliis locis Franciſci [d] Kriekingeni reguli eccleſiae Argentinenſis decani nomine publicato electionis ita factae rationem reddiderunt. Carolus quod actum erat cum ratum habuiſſet, et more ſolemni in poſſeſſionem miſſus eſſet, ad ſenatum urbis altero poſt die ſcribit, et poſt querelas de occupatis ac vi expugnatis ſuae ditionis caſtellis, ſibi ſatisfieri petit; quod niſi quamprimum fiat, tantam injuriam armis ulciſci ſe paratum demonſtrat. Datae tubicini literae ad ſenatum perferendae, et mandatum, ut niſi accepto reſponſo non reverteretur. Ad ea ſenatus, non a ſe, neque ſuis auſpiciis, ſed ab epiſcopo legitime in urbe, accedente ſenatus auctoritate, electo factum excuſare; de cetero injuriam et vim deprecari, amicitiam cum domo Lotaringica ſemper religioſe coluiſſe, neque ab illa unquam diſceſſiſſe, aut porro diſceſſuros, modo ne ipſi primi provocentur. Tum multa addita in licentiam et effraenatam Lotaringici militis immanitatem. Rurſus inſtat Carolus, et alteris literis id praecipue carpit, quod ſenatus legitimam electionem dixiſſet, quoniam accedente ejus auctoritate facta eſſet, quaſi jus in eligendo epiſcopo, et eum ſive creandi ſive deponendi aut de ditione ipſius ſtatuendi ſibi poteſtatem arrogarent. Quod itidem illi excuſarunt, et per ſuſurrones falſis criminationibus cuncta ſecus quam oporteat, interpretantes factum dicunt, ut ſiniſtram de ſe opinionem conceperit. Nam nec jus in epiſcopum, aut ea quae epiſcopi ſunt, niſi

quod

INTERPR. [a] *le docteur Pappus.* [b] *Kochersberg.* [c] *Dachſtein.* [d] *le Baron de Creange.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

quod per pacta ac privilegia ſua habeant, ſibi ſumere, et ſemper ſedulo caviſſe, ne cuiquam moleſti aut injurioſi eſſent. Haec utrinque jactabantur, in ſpeciem quaſi ab armis abhorrerent, cum omnia ad vim pararentur.

X. CAROLUS contracto X CIↃ exercitu bello principium fecit, [a] Binsfeldio occupato, et excurſionibus ſub portas urbis factis. Tum imperioſe per tubicinem Argentinenſibus denunciat, ſeditioſos collegii ſodaleis urbe exigerent, ſodalium, qui ſecum ſint, aliaſque eccleſiae aedeis ac fructus ditioni ac ſodalibus ereptos reſtituerent, et majorum more ſacra in eadem principe eccleſia celebrari paterentur. Poſtremo incommoda ac damna ditioni et collegio et aliis, quorum intereſt, occaſione hujus belli data reſarcirent. His conditionibus ſe pacta, immunitates ac privilegia ipſis conſervaturum; ſin minus, eos pro hoſtibus habiturum. Inde diſcurſationibus tantum certatum circa [b] Moltzemium et Antlaviam uſque ad X Kal. Quintil. quo IↃ equitum Brandeburgicorum luſtratio facta eſt, iiſque hoſpitium ad [c] Scafoltzeimum aſſignatum: quo cognito Lotaringiei CIↃ IↃ circiter noctu eos invadunt, et poſt acre utrinque certamen, et incenſas aliquot domos, pari conditione diſceſſum eſt, niſi quod a Brandeburgicis major pars impedimentorum amiſſa eſt. Interceptum mox a Lotaringicis proditione eorum, qui in praeſidio erant, caſtrum ad [d] Geiſpitzenam, conſciique poſtea capti capite luerunt. Adminiſtrationis, et motus, ſi quis inde oriretur, componendi, curam Ferdinando patruo demandaverat Caeſar, qui legatos ſuos eo miſit; cumque ii praeter ſpem omnia bello ardere comperiſſent, Carolum Moltzemii conveniunt, hortanturque arma deponat, militem ſacramento ſolvat, et controverſiam Caeſaris judicio dirimendam relinquat; quod cum ex compacto fieret, facile aſſenſit cardinalis; modo [e] Argentinenſes et Brandeburgici viciſſim ab armis diſcederent. Hoc accepto reſponſo legati eodem officio apud ſenatum et Brandeburgicos defuncti ſunt; verum illi negotium non ad ſolius Caeſaris, ſed communium Imperii ordinum juriſdictionem pertinere cauſabantur, et ſine Brandeburgici ſeptemviri patris conſenſu quidquam poſſe tranſigi negabant. Cum conveniendi nulla ſpes eſſet, cardinalis bello jus ſuum perſequitur, et ad Kokersbergam caſtra ponit V Kal. Quintil. et poſt acrem oppugnationem locus vi capitur, nulli defenſorum gratia facta, excepto uno, qui carnificis officio in frangenda centurioni ſuo gula defunctus vitam redemit. [f] Bubenhoſerus veteranus centurio, qui ſenatui jamdiu militabat, Daſtenium ſervabat. Quod ille adventante hoſte ſtatim deſeruit, ob id Argentinae accuſatus, et in carcerem poſtea conjectus. Eodem victoriae curſu et [g] Waſſelſemium, quod in ſenatus ditione eſt, caſtellum a Lotaringicis occupatum fuit, auxiliaribus tarde advenientibus, et Imperii principibus huic cauſae, quae difficilem exitum habitura credebatur, ſe immiſcere detrectantibus. Poſtea Brandeburgici ne nihil agerent, caſtra hoſtium ad [h] Erneſteinium adorti ſunt, et cum damno repulſi. Viciſſim ad [i] Ileircenam pagum cum Lotaringiei vim noctu feciſſent, idque antea per exploratores Brandeburgici reſciviſſent, magna clade affecti ſunt, deſideratis C ex ſuis. Tandem [k] Tigurini, Bernates, Baſileenſes Argentinenſibus foederati copias auxiliareis miſerunt, quibus ſubnixi Brandeburgici III Non. Sextil. ab caſtris Erneſteinium profecti in via [l] Figerſenium et Rinavam capiunt, et injecto igne ſuccendunt. Poſt biduum caſtra ad Moltzemium ponunt, valloque ac foſſa ducta obſidionem urgent. Crebris eruptionibus ibi certatum, in quibus deſiderati ex Brandeburgicis Albertus comes [m] Tubingenſis, et Hieremias [n] Nuenarius armamentarii praefectus. Rurſus tentata interventu Caeſaris et Helvetiorum, qui legatos ſuos miſerant, inter diſſidenteis concordia, ſed nullo exitu. Interea novum ſignum peditum IↃC duce

INTERPR. [a] *Binsfeld.* [b] *Moltzheim, & Andlau.* [c] *Schafoltzheim.* [d] *Geiſpitzen.* [e] *ceux de Strasbourg.* [f] *Bubenhofer.* [g] *Waſſelſheim.* [h] *Ernſtein.* [i] *Ilkircken.* [k] *ceux de Zurich, Berne, Baſle, & Strasbourg.* [l] *Figerſheim, & Rinaw.* [m] *de Tubinge.* [n] *de Newenar.*

duce Joanne Norimbergenſi in urbe luſtratur, et cum pecunia menſtrua univerſis, quae Brandeburgico militabant, copiis diſtribuenda in caſtra mittitur. Sed in itinere intercepti juxta [a] Dippicenam a comite [b] Valdemontio, qui vireis cum Carolo fratre junxerat, ac profligato equitatu, qui cum iis erant, pedites in templum vici, et proximum coemeterium confugiunt, in quo obſeſſi poſtremo dedere ſe coacti ſunt. Amiſſa omnis pecunia, ſigna, et impedimenta. Captus Norimbergenſis et in urbem ſubito remiſſus. Triſti nuncio perculſi, qui in caſtris erant, tumultuante milite obſidionem ſolvunt. Id actum XVII Kal. Sept. Helvetii et equites in urbem recepti. Germanorum VIII ſigna primo ad [c] Arbogaſti-ſanum et inde ad priores ſuas ſtationes Ilcircenam et [d] Gravenſtadam reducta ſunt. Sub id Erneſtus [e] Baioarus Colonienſis ſeptemvir, qui jam pridem apud Philippicos inſtabat, ut regius miles ex ditionis ſuae oppidis deduceretur, cum [f] Bonnae praeſidiariis interventu [g] Tiſlingii a Parmenſi loco impoſiti tranſegit, exſolutaque grandi pecunia praeſidium emittitur IX Kal. Sept. Hermannus [h] Lindenus ſeptemviri nomine Bonnae praeficitur. Biduo ante Chriſtianus Anhaltinus princeps, poſtquam rex eum perhumaniter dimiſit, et laceratis ſignis manipulatim milites domum quiſque dilapſi ſunt, cum CC equitibus Argentinam venit, et cum ſenatu pactus curam exercitus ſuſcipit; felicique pugna cum Lotaringicis certavit, eorum exercitu in fugam conjecto, et CC circiter occiſis. Id actum III Non. Sept. Pari ſucceſſu Kalendis Novembribus certavit, et CCCC equites et CCC pedites in fugam vertit, [i] Codovitio, imperterriti animi ductore, quem cum delectis praemiſerat, ex inſidiis capto. Mox et tirones, qui ad ſigna Caroli mandatu conveniebant, in diribitorio turbavit ac diſſipavit. Viciſſim Lotaringici [k] Vangenam capiunt et direptam incendunt. Tandem Anhaltinus belli tumultuarii pertaeſus, ne ſine aliquo operae pretio veniſſe videretur, poſtquam cum novo epiſcopo egit, in caſtra profectus eſt, adductis ſecum Othone et Franciſco Luneburgicis principibus, Carolo Brunſvico, Fabiano [l] Donavio, aliiſque belli ducibus, et nocte inter urbem et [m] Moltzemium caſtra metatus, incertum Lotaringicis reliquit, quo tenderet. Itaque illi [n] Tabernis metuentes praeſidium validum loco imponunt. Ipſe, ad Moltzemium XVIII Kal. Dec. legione Daſtenium circumſidere juſſa, ad prohibendas hoſtium excurſiones, tormentiſque mox advectis oppidum pulſat, et facta ruina tribus locis oppugnationem decimo poſt die tentat, cum damno repulſus; deſideratis Jo. Ulrico [o] Hohenſaxenae regulo legionis tribuno, Daniele [p] Dienaſto [q] Landianae legionis vicario; et Chriſtophoro [r] Wolfio Hohenſaxenae legionis legato. Tandem obſeſſi de auxiliis deſperantes cum Anhaltino conveniunt, his legibus, ut ſacerdotes et oppidani, qui exire vellent, cum ſupellectile quam aſportare poſſent, incolumes dimitterentur, milites qui CCC erant, cum impedimentis, armis, funibus accenſis, libere, quo liberet, proficiſcerentur. Sub id Erneſtus Fridericus marchio Badenſis cum CIↃ equitibus, II CIↃ peditibus in caſtra venit, itinere per Philippi [ſ] Hanoviae comitis ditionem facto, et crudeliter vaſtata circum regione: unde graves contra Badenſem et Argentinenſeis querimoniae exortae, ac poſtremo ad Spirenſem cameram delatae. Poſtea Anhaltinus Moltzemium profecturus cum per anguſtias in CC Lotaringicos incidiſſet, et agnitus ab infeſtis peteretur, acriter certatum fuit, quanquam Anhaltini numero inferiores eſſent; donec Moltzemii praeſidiarii, qui ipſum venire ſcirent, ex mora aliquid ſiniſtri ſuſpicati obviam prodierunt, certaminique, victoria adhuc nutante, intervenerunt, et adventu ſuo

Lotaringicos

INTERPR. [a] *Dieppiken.* [b] *le Comte de Vaudemont.* [c] *S. Arbogaſt.* [d] *Graffenſtat.* [e] *de Baviere electeur de Cologne.* [f] *Bonn.* [g] *Tiſzlings.* [h] *de Linden.* [i] *Codwitz.* [k] *Vangen.* [l] *le Baron de Dhona.* [m] *Moltzheim.* [n] *Zabern.* [o] *le Baron de Hohen-Saxen.* [p] *Dienaſt.* [q] *de Landen.* [r] *Wolff.* [ſ] *Hanau.*

CIↃIↃ XCII.
HENRICUS IV.

Lotaringicos in fugam conjecerunt. Graviter vulnerati Fridericus et David Mansfeldii fratres; ex Lotaringicis plures deſiderati. Commeantibus hinc inde delegatis cum nihil proficeretur, Caeſar auctoritate ſua utendum ratus, exeunte anno ſecialem in urbem mittit, qui Imperii inſignibus ornatus et baculum deauratum manu tenens, in foro mandata expoſuit, collegiique ſodalibus ac ſenatui Caeſaris nomine denunciavit, arma deponerent, et de controverſia coram delegatis judicibus compromitterent. Idem ad Carolum profectus fecit.

XI. DUM ferro res inter Brandeburgicos et Lotaringicos geritur, in Saxonia magni motus fuere, ex occaſione, quam ſuperiore libro attigi, exorti. P. [a] Crellio et C. Gundermano aliiſque ob religionem ſuſpectis in carcerem conjectis conventus [b] Torgoviae a Friderico Willelmo adminiſtratore habentur, ubi publica accuſatio contra eos ab Ordinibus provinciae inſtituitur, petiturque, ut auctoritate principis, famoſi ſacramentariorum libelli prohibeantur, in auctores magiſtratus poenam irroget; in futura viſitatione, quam vocant, diligentia adhibeatur, ut Calvinianorum latentium ac diſſimulantium ratio ineatur, et a ſcholis, eccleſiis, atque adminiſtratione publica removeantur. Theologi, qui carcere attinentur, tanquam perjuri, et a concordiae formula, cui ſubſcripſerunt, perfide deſciſcentes ac Crellii complices amplius inquirantur. Ad extremum orant adminiſtratorem, ut in principis inſtitutione ſummam curam adhibeat; virum doctum, pium et religioni patriae addictum pueritiae ejus erudiendae apponat. Secundum haec decretum fit, cujus executionem metuens Gundermanus, poſtquam chirographo errores ſe priores ejerare, et paratum eos recitare teſtatus eſt, ineunte Junio libertati reſtituitur, et [c] Calam, quae illi patria eſt, deducitur. Idem fecit David [d] Steinbachius [e] Dreſdnae concionator, qui in [f] Stolmenſi arce cuſtodiebatur, et cum antea evadere cupiens e feneſtra lapſus femur ſibi fregiſſet, coram Zacharia [g] Revadro paſtore pariter recantavit VIII Eid. Quintil. Poſtea toto Julio et Auguſto Viſitatio [h] Lipſiae, Witembergae, Jenae, atque in Saxonia paſſim celebrata eſt, in qua articuli propoſiti a Nic. [i] Selneccero et Polycarpo [k] Leiſero perſcripti; quos ſuſpecti profiteri, alii item in quibus Calviniana ſive Helvetica confeſſio ab Auguſtana, atque adeo a Martini Lutheri doctrina diſcrepat, quos deteſtari, tenerentur. Reſtabat Pierius, qui anno ſequenti Anglorum reginae interventu pridie Eidus Februarias cum huc uſque in arcta cuſtodia fuiſſet, accepto ab eo chirographo, nihil doctrinae in Germania receptae quod contradiceret deinceps dicturum ſcripturumque, liber dimiſſus eſt.

XII. SUMMUS omnium et maxime formidoloſus a Turcorum armis Europae imminentium metus inceſſit: et ſenatus Venetus ſuperiore anno veritus, ne haec tempeſtas in ſuos limites aut inſulas imperio Turcico permiſtas incumberet, ſcriptum militem in [l] Cretam miſerat, ſub delectis ducibus, quorum plerique in itinere morbo contagioſo tentati ad [m] Corcyram exſcenſionem fecerunt, ibique Mutius [n] Portius comes et [o] Sacromoſus periere. [p] Alexander Pompeius et Albertus ejus filius in Cretam incolumes pervenere, et in coenobio Franciſcanorum cognominis inſulae urbis olim ab Alexandro V [q] Cretenſi regali magnificentia exſtructo hoſpitium ſumpſere: ubi Alexander per ſomnium monitus ex illo ſodalitio quoſdam, qui malum celarent, peſte laborare, id mane concilio urbis, quod in majori [r] S. Titi templo habebatur, detulit, exeunte Martio. Inſulae cum ſummo imperio praeerat Hieronymus [f] Capellus, et ſecundum eum Philippus Paſqualigus, nec non Joannes Mocenicus claſſis curator: militiae inſulanae dux erat [t] Honorius Scotus comes: ii ſequeſtratis qui

INTERPR. [a] *Crell, & Gonderman.* [b] *Torgau.* [c] *Calau.* [d] *Steinbach.* [e] *Dreſden.* [f] *Stolm.* [g] *Revader.* [h] *Leipſick, Wittemberg, & Jena.* [i] *Selnecer.* [k] *Leiſer.* [l] *Candie.* [m] *Corfu.* [n] *Porto.* [o] *Sacromoſo.* [p] *il Conte Aleſſandro Pompei.* [q] *Candiot.* [r] *Chieſa catedrale di S. Tito.* [f] *Capello duca in Candia.* [t] *Honorio Scoto.*

qui morbo infecti aut de eo ſuſpecti erant, et ſtructa domo extra muros urbis, in quam aegri transferrentur, large etiam pecunia in egenam plebem diſtributa, tam ab iis, quam a Benedicto [a] Quirino et Laurentio Victorio urbis praeſide, contagioni, ne latius ſerperet, quantum licuit proſpectum eſt. Ab extremo Aprili ad ineuntem Julium peſtis violenter graſſata eſt, ita ut fere cc quotidie morerentur: inde ad Septembrem paulum inclinare coepit; dein Octobri proximo cum diſceſſiſſe putaretur, repente recruduit, ita ut in ſuſpectos majore ſeveritate uti Capellus coactus ſit, incluſis intra parietes proprios aegris, exituque prohibito. Ex eo periere Fridericus [b] Pepollus comes, Torellus Fanenſis, Franciſcus Ronca Mutinenſis, Tarantus Epirota, qui ordines cum magna laude duxerant, Joannes [c] Faba muniendorum locorum peritus, in cujus locum ſubſtitutus eſt Angelus [d] Odus Patavinus. Indicia incurabilis morbi erant, papulae lividae toto corpore exorientes ſimiles purpuratis maculis, ſed latiores ac denſiores: in aliis tumores apparebant toto corpore bubonis ſpecie in medio lividi circum rubentes, quaſi carbones vulgo dicti. Pauci iis infecti ultra quartum diem vitam produxere, ad ardentem febrem accedente graviſſimo capitis dolore, ac diris cruciatibus. Tertia ſpecies erat mali minus periculoſi, in quo tumores notabantur ovi ſpecie in inguinibus, et circa auriculas, ac loca, quae medici vulgo emunctoria dicunt, apparentes. Plerique eo tentati, pauci periere. Lues illa ad menſem Sextilem uſque, quo multum imminuta eſt, xx CIƆ in ſola urbe abſumpſiſſe proditur; non putatis in eo numero, qui in pagis vicinis ex ea mortui ſunt, ac plerique in iis Turci, qui negotiationis cauſa illuc appulerant. Inter milites et maxime ſaeviit, quorum imminuto multum numero cum praefecti metuerent, ne Turci tentandae aſtu ſeu vi inſulae ex eo occaſionem caperent, [e] Horatium Longum Neapolitanum militiae Graecae ex [f] Sitia et Gira-petra collectae praefectum Spinam Longam mittunt, [g] Sammartino legionis tribuno Rhetimi praefecto [h] Sudae portus cuſtodia committitur. [i] Grabuſae portus arci Dominicus [k] Cartolarius Florentinus praeficitur, Georgio [l] Murmurio Epirotarum equitum praefecto huc illuc diſcurrere juſſo, ut ad omneis caſus praeſto eſſet. Auxit ſuſpicionem, quod ſub id [m] Cicadam maris praefectum ad [n] Caryſtum haud longe ab [o] Euboea claſſem inſtaurare nunciatum eſt, qui mox ad [p] Zacynthum deflexit, ditionis Venetae inſulam, ut putatur, aquam et cetera ab amicis ſuppeditari ſolita ſumpturus: ubi cum in Anglicanam navem, cui [q] Britannae nomen, incidiſſet, et a navarcho homine ſtrenuo quaedam ſuperbe petiiſſet, ille conſtanter recuſavit, ſi vim Turci facerent, contraria vi injuriam illorum repulſurus. Verum Cicada ſe continuit, et cum ſpeculatorium navigium ad Zacynthi portus cuſtodiam deſtinatum a bireme piratica captum retro in Africam adduci comperiiſſet, illud dimitti ſtatim imperavit, eaque re fidem fecit, Turcos nihil hoſtile per mare contra Venetos meditari, quippe qui Coſacorum injurias, ut aiebant, ulturi, omne imperii robur contra Pannonias vertiſſent, et per Croatiam bello principium facere decreviſſent.

XIII. NUTANTE Amurathis ingenio, et poſt res in Perſia compoſitas ad otium vergente, cum imperium illud militare in pace diu a motibus inteſtinis ſecurum eſſe non poſſet, in [r] purpuratorum conſeſſu, quo bellum transferri placeret, ſerio deliberatum fuit; nam alii illud in Perſia perſequendum cenſebant, ubi res hactenus tam feliciter ſucceſſiſſet, longe lateque per illas regiones propagatis finibus; alioqui fore, quandocumque imperator in longinqua aliqua provincia bello occuparetur, ut

Perſa

INTERPR. [a] *Quirini, & L. Vitturi.* [b] *il conte Federico Pepoli, il capitan Torello de Fano, il capitan F. Ronca Modeneſe, & Taranto Albaneſe.* [c] *Fava inzigniere.* [d] *Odi Padouano.* [e] *Horatio Longo.* [f] *Sitia, & Girapietra.* [g] *il colonello Sanmartino governatore di Retimo.* [h] *Porto della Suda.* [i] *delle Grabuze.* [k] *il capitan D. Cartolari.* [l] *Murmuri.* [m] *Cigala.* [n] *Cariſto.* [o] *Negroponte.* [p] *Zante.* [q] *la Bretonne.* [r] *Baſſas.*

Perſa clades acceptas ulturus eum a tergo adoriretur; eoque magis, quod ei Hiſpaniarum rex praeſto futurus eſſet, ſumminiſtratis per Indias copiis ac bellico apparatu, et hominibus locorum muniendorum peritis, quibus Perſae indigent. Ac dubio procul ubi Turcicas vireis alio verſas viderint, rebellaturos in [a] Iberia Georgianos, hominum genus leve et ad defectiones pronum. Nec defuturum occaſioni Usbecum Chanum, qui Tataris ſupra [b] Bactra imperat, et [c] Geilami item principem, qui ad [d] Caſpium mare poſitam regionem accolit. Itaque tanto periculo praevertendum, et ſucceſſibus inſtandum; quod ſi fiat, haud dubiam victoriam ſecuturam: quippe eum ſclopetariis optimis Turci abundent, et equitatus Perſicus, qui ex Caramania atque Arabia a temporibus Amurathis II illis in locis propagatus eſt, jampridem a prima ſua origine degeneraverit, et ignaviam ſuam his ultimis bellis toties in fugam conjectus prodiderit. Imo et Georgianos, a quibus ſi bellum relinquatur, tantopere metuitur, fidem ſervaturos, quippe majorem partem beneficiarios, et ſatis ſibi conſultum exiſtimaturos, ſi locorum fere impenetrabilium ſitu tuti ſub Simeone et Alexandro primariis inter ipſos regulis libertatem tueantur. Alii in [e] Africa rem gerendam ſuadebant contra Cherifium, hoc eſt, utriuſque [f] Mauritaniae regem potentiſſimum, ſed qui plus milite quam pecunia abundet; parum quippe decorum Othomanico nomini, tertiam mundi partem ab ejus armis intactam remanere. Non aliter [g] Algeriam Tunetemque firmari poſſe, quam ſi florentiſſimas eas Libyae provincias Amurathes ſui juris fecerit. Capto [h] Agueri promontorio et [i] Laraeiae portu, qui trans fretum eſt, ad praedas Anglis valde opportuno, navigationem toto illo mari ſecuram praeſtari. Cherifium quanquam Mahometis doctrinae addictum, et Turcici imperii beneficiarium, ultimis bellis cum rege Hiſpaniae et Melitenſibus equitibus ſecreta conſilia agitaſſe; eaque re factum, ut illi Tripolim, paulum abfuit, interceperint. Cum [k] Carvennae item et Marabuti regulis, qui turbas in Africa cient, partes fovere. Nec obſtitura quae Hiſpani in tractu maritimo tenent, munita loca, [l] Maraſchebirum, Oranum, Pignonium Velezii, Tingin, Arzillam, Mazagamum, Septam, quorum beneficio et vicinia cum Mauris ſocietatem inire poſſunt: nam claſſe inſtructa id impediri poſſe, ſatiuſque habituros Hiſpanos, ſi ſe domi tueantur, et exſcenſionem in Hiſpaniam prohibeant; et alioqui experimento compertum eſſe, non ita difficilem fore eam expeditionem, vel Goletae et Tunetis exemplo, quae cum inexpugnabiles crederentur, exiguo temporis ſpatio a Sinane magna ſua cum laude, nec minore Turcici nominis gloria nuper captae ſunt. Tertia ſententia erat, ut arma contra Melitam ipſam verterentur; nam aſſiduis equitum illorum excurſionibus commercium liberum per mediterraneum mare prohiberi, et religioſas ad Mecham peregrinationes impediri, et Solimani gloriae in illa oppugnatione obſcuratae, atque adeo ejus nepotis intereſſe, ut priſtinus ſplendor utrique, confecto hoc bello, reſtituatur. Nec ferendum eſſe, tot clamores, tot ejulatus Conſtantinopoli, totoque circum tractu audiri, foeminarum maritos, matrum patrumque filios a diris praedonibus in ſervitutem abductos aſſidue querentium. Ob eam cauſam Solimanum olim Rhodum eorundem equitum famoſam adeo in Oriente ſedem expugnaſſe. Accedere inſuper ad has rationes novam Injuriam, ob opem Mauris in Africa rebellantibus latam, et [m] Methonem in [n] Peloponneſo inſidioſo conatu tentatam. Erant et qui Philippum aperto bello petendum dicebant. Nam ad totius mundi principatum aſpiranti neceſſitatem a fortuna imponi, ut illum de medio tollat, qui hodie inter Chriſtianos reges potentiſſimus habetur. Nec Algeriae multum hodie metuendum eſſe, quippe quae multo validioribus, quam Caroli V temporibus munimentis ſit firmata;

et

INTERPR. [a] *la Georgie.* [b] *Zagatay.* [c] *Gilan.* [d] *Mer de Bacchu.* [e] *Barbarie.* [f] *Fez, & Maroc.* [g] *Alger, & Tunis.* [h] *Cap d'Aguer.* [i] *Larache.* [k] *Carven, & Marabut.* [l] *Marzaquivir, Oran, Peñon de Velez, Tanger, Arzille, Mazagan, & Ceuta.* [m] *Modon.* [n] *la Morée.*

et quanquam publica per Hiſpaniam vota in eo conveniant, ut Algeria, hoc eſt, latronum tota circum litora aſſiduis depraedationibus infeſtantium ſpelunca expugnetur, non commiſſurum prudentiſſimum regem, ut ea expeditione ſuſcepta, periculoſiſſimam belli inde proculdubio ſecuturi tempeſtatem domum accerſat. Neque vero Hiſpanos in Mediterraneum ulterius ad infeſtanda Aſiae litora cum claſſe penetraturos, ne tam longe ab domo abeſſe cogantur. Praeterea cunctis conſtare, Philippi conſilia lente procedere, ſive ob negotiorum molem, ſive alia de cauſa id fiat; et ex eo parere, non libenter Hiſpanos cum Turcis ad manus venturos, quippe qui [a] Preveſae et Navarrini locorum in [b] Ambracii ſinus oſtio ſitorum expeditionem devitarint; et nuper Perſis laborantibus cum poſſent, aut opem ferre recuſarint, aut captatis occaſionum momentis ſe excuſaverint. Ut ſe ad defenſionem paret Philippus, quominus id commode facere queat, obſtare bellum in Belgio, quod totas ejus vireis occupat, neceſſario gerendum; tantam ſiquidem populorum illorum pro libertate tuenda ſeu conſtantiam ſeu pertinaciam eſſe, ut per tot annos parum in iis ſubjugandis profecerit; quippe ſitu locorum tutis, et Anglorum regina milite et pecunia eos adjuvante, quae et infeſtam ad Indias navigationem Hiſpanis facit, et in Luſitania turbas fovet, ac nuper [c] Coronam in Gallaecia vaſtavit: nec parum Hiſpanos ab Francis aemulis ſibi timere; itaque eorum aſſidue conſilia obſervare, neque longinquas expeditiones propterea ſuſcipere. Atque ut detur, bene Philippo cum principibus vicinis convenire, tamen proculdubio eſſe, illum cum Turcis apertum bellum vitaturum, cum ſciat per Perſicum ſinum in aromatum et hujuſmodi mercium Indicarum ſubvectione, qua praecipue ejus opes conſtant, claſſe in mari illo inſtructa, ut alias factum eſt Alfonſi Albuquercii temporibus, magna ipſi damna a Turcis importari poſſe. Ex [d] Africae item portubus commode per Hiſpaniae litora bellum oſtentari poſſe; quod ſi contingat, eodem tempore, regem Francorum per Navarram, qua ſpoliatos ſuos majores contendit, et Anglorum reginam in Luſitaniam impetum facturos; nam hoc exules, qui plerique in Africa, et in ipſa Conſtantinopoli urbe ſunt, promittere, ac [e] Mauros ex Baetica quotidie per nuncios idem ſignificare, et ubi primum in Hiſpaniae viſceribus bellum arſerit, continuo defectiones ſecuturas; nec ad eas reprimendas multum praeſidii Philippo in ipſa Hiſpania futurum, quippe populis non ita frequenti, et milite, qui in Belgio, Italia, per praeſidia diſtributus, aut in Indiis occupatur, exhauſta. Noviſſimum in Baetica bellum ante XXIII annos excitatum ſatis indicio eſſe, quo res fuiſſet evaſura, ſi Selimus Mechemetis conſilium ſecutus arma, quae proſpere tunc quidem in Cyprum illata ſunt, glorioſiore ac juſtiore conatu pro Maurorum eadem ſacra colentium libertate contra Hiſpanos vertiſſet. Qui facilitate et majore in praeſens emolumento res aeſtimabant, cum Venetis potius bellum gerendum multis ac validis rationibus oſtendebant. Nam et ſuperioribus bellis multa ab iis cepiſſe Turcos; et Venetos, ut pacem cum Turcis haberent, multa praeterea ipſis poſt victoriam conceſſiſſe. Non alium rempublicam illam propoſitum habere finem, quam pacem; et ex vetere inſtituto niſi neceſſitate et vi ſumma urgente bellum unquam ſuſcipere; potiuſque id rebus integris redimere, quam expectare ut victa, quod poſt amiſſam Cyprum nuper contigit, conditiones accipiat: alioqui Venetos per ſe ſolos adverſus tantas vireis impareis eſſe, ſociatis viribus debileis, quippe tarde comparentibus Hiſpanorum auxiliis, ſicuti bello Cyprio accidit; quod eos tandem non conſultis aut monitis Hiſpanis ad pacem faciendam compulit. His accedere, quod pleraſque munitiones habeant, et

novas

INTERPR. [a] *la Preveza, & Navarrin.* [b] *Golfe de Larta.* [c] *la Coruña en Galice.* [d] *Barbarie.* [e] *Maures de Grenade, & d'Andalouſie.*

novas in dies aedificent; eaque re fieri, ut milite per tot praeſidia diſtributo, et pecunia tot ſumptibus conſumpta, neutro abundare poſſint: nec magis in pontifice, Florentiae et Sabaudiae ducibus, aut denique in [a] Melitenſibus equitibus praeſidiũ ſubeſſe; cum illi omnes vix ſimul XX triremeis inſtruere valeant. Verum ut in hoc bellum per ſe confectu facile fere purpurati conveniebant, ita in ratione ejus gerendi ipſi diſſidebant. Nam Sinan, cujus primaria in divano auctoritas, inſtabat, ut [b] Corcyra ante omnia peteretur; qua occupata Veneti, qui per eam ſinus [c] Hadriatici potentes ſunt, imperio maris illius dejicerentur; idque ambitioſe adfectabat, ut renovata Guletae, quae inexpugnabilis credebatur, ante XVIII annos ab ipſo captae memoria, [1] aëreae illius arcis expugnandae ſibi cura demandaretur. Cauſam obtendebat, nam etiam iniquiſſimi Turci jus armis ſuis praetexunt, ceſſationem ſoluti pro [d] Baſtia tributi, qui locus eſt in adverſa [e] Epiri ripa in [f] Calamatae amnis faucibus, ab inſula XII milliarium ſpatio diſſitus, nec multum longe a ſalinis quas Turci poſſident; Corcyraeis a Turco conceſſus anno CIↃ IↃ XXXVII cum CCC cechinorum penſione ad commodiorem mercium, quae ex Graecia Corcyram comportantur, ſubvectionem. Verum Sinanis aemulus Ferhates, [g] Andronico Caſtello in proxima Albania natus, contradicebat, et ambitione ejus incuſata periculoſam et dubii eventus eam expeditionem oſtendebat, potiuſque [h] Catharum, quod [i] Caſtrum-novum quaſi pedicis injectis in anguſtum cogebat, et Dalmatiam ac Venetam ditionem ab ea parte claudebat, tentandum ſuadebat. Inter has Sinanis et Ferhatis de principatu inter purpuratos certantium contentiones, tertia [k] Cicadae non minore virtute viri, de cetero Venetis infeſtiſſimi, ſententia fuit, de [l] Cythera expugnanda. Ea inſula eſt in ima [m] Peloponneſo inſtar ſpeculae ad [n] Aegeum mare et res Turcorum explorandas poſita, loco admodum opportuno; ut Demaratus cum olim de Graecia ſub jugum mittenda cogitaret, eam ante omnia inſulam in poteſtatem ſibi redigendam propoſuerit. Confuſa purpuratorum opinio erat, quocunque inclinaret deliberatio: interim [o] Piſcinas Buthroti in Epiro occupandas, idque avari homines eo cupidius urgebant, quod ċ cechinorum CIↃ annua inde ad rempublicam Venetam redire crederent, tantoque vectigali ſpoliatam tanto ad belli onera ſuſtinenda debiliorem fore. Erant et qui [p] Jaderam in Dalmatia et [q] Novigradam ſubjectam primum peti debere ſuaderent, ad ulciſcendas injurias [r] Uſcocorum, qui illuc per [ſ] Illyrium excurrentes latrociniis ditionem Turcicam longe lateque infeſtant; ſic enim fore, ut fraenum excurſionibus eorum imponerent, aut Venetos ad damna, quae ab illis Turci negotiatores quotidie accipiunt, luenda cogerent. Cum vero Veneta ditio Turcis oppoſita multis partibus ad invaſiones pateat, ſic cenſebant plerique; nulla certi loci aggrediendi deſignatione facta, quo magis fallerent, ubi aut ex [s] Preveſa aut Valona, aut denique ex [t] Corinthiaco ſinu ſolviſſent, conſultum videri, ut utrumque maris Hadriatici litus infeſta pulſatione vaſtaretur, et qui primus occurreret locus ad oppugnationem opportunus inopinato tentaretur. In arcano Polam in Iſtria, quae non ita populo frequens, et tamen amoeniſſimo et commodo loco poſita CXX milliaribus a Venetiarum civitate abeſt, et Raguſiam peti eodem tempore placebat: et hanc quidem, quod veluti altera porta, nam prior Corcyra cenſetur, ad Hadriatici ſinus ingreſſum pateat, et ſecuriſſimos et capaciſſimos quantumvis magnae claſſis portus ad invadenda oppoſitae Italiae litora habeat. Nam nullos fere portus idoneos in hoc tractu habere Turcos; [u] Dyrrhachium olim adeo famoſum, ad quod [w] Brunduſio tranſmittebatur, hodie portu obſtructo et ob frequentia brevia vix IIII triremeis capere.

INTERPTR. [a] *de Malte.* [b] *Corfu.* [c] *Golfe de Veniſe.* [d] *la Baſtia.* [e] *Albanie.* [f] *Golfe de Calamata.* [g] *Oronicho.* [h] *Cataro.* [i] *Caſtel-nuovo.* [k] *Cigala.* [l] *Cerigo.* [m] *la Morée.* [n] *l'Archipel.* [o] *Peſchiera de Butrinto.* [p] *Zara.* [q] *Novigrad.* [r] *Uſcoques.* [ſ] *Sclavonie.* [s] *la Preveza, & la Valona.* [t] *Golfo di Lepanto.* [u] *Durazzo.* [w] *Brindiſi.*

NOT. [1] appellée ainſi à cauſe de ſa hauteur & ſituation. *Put. L.*

Ultra Dyrrhachium XII milliaria Petram ſubeſſe, hodie Lachi dictam, ubi portus non ſatis tutus ad XX triremeis circiter capiendas; ſed inſalubribus circum aquis fieri, ut nautae eo minus frequenter, nec niſi coacti appellant. In Valonae ſinu ſtationem eſſe tot circiter triremium capacem. Portum Raguſinum circiter VIII milliaribus hinc abeſſe, qui XXX triremium capax eſt, de cetero vento ab ſeptentrione et occaſu flante intutum. Extra ſinum in Epiri tractu, vel etiam intra ſinum Hadriaticum, quippe quem veteres ad [a]Chimariotas montes uſque pertinere ſcripſerunt, primum occurrere portum [b]Quadraginta Sanctorum, paucarum triremium capacem. Ulterius progredientibus [c]Orieum jacere, quo [d]Hydrunte ſolventes olim appellebant, portu XL triremium capaci, ſed intuto. Solos V portus ſuperare Raguſinae reipublicae, quorum is qui de [e]S. Crucis nomine indigetatur, omnium totius orbis claſſium tutiſſimum receptum habeat; et ad ceteras ejus commoditates accedere, quod ex vicinis [f]Epiri montibus materia affatim ſuppetit ad triremeis aedificandas, cujus in circumpoſitis portubus non aeque abundans copia eſt. Sed plures [g]Cretam in poteſtatem redigi famae et amplificationis imperii Turcici intereſſe exiſtimabant, quod qui negotiatores [h]Byzantio Alexandriam Aegypti navigantes, aut in Arabiam religionis ergo Turcos excurſionibus infeſtabant Hiſpani, Melitenſes, et magni Etruriae ducis equites, in illius inſulae portubus receptum habebant. Nec ita difficilem eam expeditionem, ſciſſis populorum ob religionem ſtudiis, cum alii ad Romanos, alii ad Graecos ritus inclinent, et alii Veneti nobiles, alii indigenae nobiles; alii rurſus liberi et a tributis immunes ſint, alii ſub tributo ſerviant; inde ſiquidem aemulationes, nec occulta inter eos murmura in dies naſci, in defectionem cum ſe occaſio dabit, proculdubio eruptura; ipſam inſulam praeterea in umbilico maris mediterranei, atque adeo totius mundi ſitam eſſe, ut inde [i]Aſia Minore, Cilicia, Aegeo mari, Peloponneſo, inde Aegypto et Africa, et undique imperio Turcico cingatur; nec defuturos pleroſque Conſtantinopoli Cretenſeis ſive exules, ſive negotiationis cauſa, quam praecipue in Ponto Euxino exercent, et generoſum ex inſula vinum per Iſtri oſtia adverſo fluvio in [k]Moeſiam et Sarmatiam tranſvehunt, in urbe commoranteis, qui conſilio, induſtria aut opibus ſuis expeditionem proculdubio ſint adjuturi. Aliis, et haec ſexta erat ſententia, ad famam potentiae, univerſi orbis monarchiam tanquam debitam repoſcentis, pertinere videbatur, ut conjunctis imperii Turcici viribus terra marique Italia ipſa peteretur. Romanos mundi dominos fuiſſe, quatenus Italia potiti ſunt. Hunnos de ſuprema potentia cogitanteis, hoc conſilio per Pannonias, [l]Illyrium, Dalmatiam, in Italiam deſcendiſſe. Alanos dein poſt decurſam Graeciam per Boſniam et Croatiam cum Gothis eodem iter habuiſſe, nec non et Vandalos, qui inde per Hiſpaniam in Africam trajecerunt. Idem Francos ſeu Germanos, et Hiſpanos ipſos factitaſſe, et ipſam totius Italiae dominatricem Romam ſaepius diripuiſſe; ac dicere ſolitum Solimanum, Romam ad imperium Othomanicum pertinere; quippe quae a Conſtantino in praejudicium imperii deſerta, et ab ignavis ſucceſſoribus poſtea contra leges alienata eſſet. Ad extremum nullum glorioſius, nullum utilius feliciuſve bellum ſuſcipi poſſe, quam ad ſubjugandam Italiam, quae regina, parenſque altera, viris, foeminis, ducibus, militibus, artium praeſtantia, ingeniorum claritate, ſitu ac ſalubritate coeli atque temperie, acceſſu cunctarum gentium facili, portuoſis litoribus, benigno ventorum afflatu, aquarum copia, nemorum amoenitate, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitate, pabuli ubertate, principatum naturae obtinet. Haec enim elogia Italiae ab antiquis tributa barbaris illis minime ignota ſunt; ad haec in ea religionis Chriſtianae arcem ac ſedem eſſe, quae a Turcis praecipue oppugnatur;

INTERPR. [a] *Montagnes de la Chimera.* [b] *Porto di Santi quaranta.* [c] *Orco.* [d] *Otranto.* [e] *Port de St. Croix.* [f] *Albanie.* [g] *Candie.* [h] *Conſtantinople.* [i] *Natolie, Caramanie, l'Archipel, & la Morée.* [k] *Walachie, Moldavie, & Pologne.* [l] *Sclavonie.*

oppugnatut; eam a compluribus principibus hodie voluntate ac ſtudiis minime inter ſe convenientibus poſſideri, qui populis graves eo magis domi et ab hoſte externo ſibi timent: populos vero ob altam tot annorum pacem minus ſolicitos eſſe, ob eandemque cauſam numeto ultra modum creviſſe; adeo, ut ſi pluribus partibus eodem tempore, matura jam meſſe, in Italiam vis fiat, populi in urbes compulſi, annona deficiente, ad deditionem et imperata facienda nullo negotio cogi poſſint: nam vix in pace hodie cum meſſis per otium colligitur, ad tot populos alendos eam ſufficere, et cogi e Sicilia et Otiente, ac plerumque ex Gallia et longinquioribus regionibus ad ſeptentrionem poſitis frumentum difficillimis ſubvectionibus coemere. His accedere, quod homines fere in Italia opificio vivunt, quo per bella ſublato, protinus ſeditiones et defectiones ſecuturas, et praegrandes illas civitates, ſeu fame et egeſtate premente, facile eo adductum iri, ut tributum pactae, legem a Porta Othomanica accipiant; eoque promptius et alacrius in hanc expeditionem militem nomen daturum, quod non per glaciem, gelu, et aſperarum regionum inculta loca, ſed per amoeniſſimam ac ſaluberrimam provinciam eundum ſit; eoque faciliorem exſcenſionem fore, quod ex propinquis portubus fiat, nam olim etiam ex longinquis ſolventes proſpero eventu in Italia pedem poſuiſſe. Fuere et qui Amurathem ut contra Polonos arma verteret, hortarentur; ſic enim commodius in Hungariam et inde in Germaniam deſcendi poſſe. Ad majeſtatem nominis Othomanici pertinere, ne Poloni ſuperbe ad imperia Turcica reſpondeant, et tributum pendere recuſent. Rebus in eo regno turbatis, nec ſatis conſentientibus inter ſe procerum ſtudiis, de ſucceſſu minime deſperandum; et commode bellum iis in locis tanquam ex propinquo geri poſſe, Moldavis vicinis Turcici imperii beneficiatiis, et Tataris ad omnes occaſiones paratis: nec vero Moeſiam uttamque aliter in officio retineri poſſe, niſi in ordinem coactis Polonis; quippe ad quos transfugae, ubi Turcorum beneficio invidioſas opes acquiſiverint, receptum habeant. Non aliter injurias a Coſacis nuper, [a] Coſlovia in Taurica Cherſoneſo direpta, acceptas vindicari, aut viam ad Moſcos pro commercii commoditate aperiri poſſe. Nulla in eo regno loca firma, nullas arces munitas eſſe, et de belli rudibus et longa pace infractis animis facilem fore victoriam; nam brevi duraſſe cum Maximiliano Caeſare bellum, fortunaque potius quam virtute alrerutrius diremptum: cum Moſcis quod Stephanus geſſir, potius id ope Hungarorum in obſidionibus urbium exercitatorum, quam Polonorum, qui harum rerum ſete tudes ſunt, geſtum fuiſſe.

XIV. AD extremum in bellum Pannonicum contra Caeſarem cuncti conſenſere, recenti injuriarum ab Uſcocis, quibus animos Caeſar facere credebatur, acceptarum ſenſu: quos et ulteriora auſuros apparebat, ſi diutius ferrentur. Jam negotiatores Tutcos intermiſſa per [b] Narentam ſubvectione ad [c] Spalatum iter flectere coactus fuiſſe, nihilque tutum toto illo tractu ſupereſſe; et Caeſarem, qui eorum ope limitem ſuum ruetur, cum videret nuper Amurathem bello Perſico diſtractum, affectata mora tributum ad Portam adferre diſtuliſſe, eoque indicio hoſtilem animum renudaſſe. Nec vero difficile confectu bellum futurum, ſi eodem tempore per Croatiam, Hungatiam, et Auſtriam miles immittatur: nam Budam, [d] Taurunum, [e] Albam regalem, ceteraque praecipua ac munita Hungariae loca penes Turcos eſſe, unde per Savum et Danubium annona commode in caſtra convehi poſſit, tuto ad ſua militi, ſi quid minus ex voto accidat, receptu. Ipſum Caeſarem otio aſſuctum, ad arma rudem; ceteros principes ob religionis diſſidium ſciſſos, et Caeſari totique Auſtriacae familiae, cujus pleroſque faſtidium ſubiit, minus bene velle, atque id unum agere, ut imperium ex ea, in qua tamdiu fuit, in aliam transferatur. Nec vero

INTERPR. [a] *Coſlow en la Cherſoneſe Pontique.* [b] *Naron.* [c] *Spalato.* [d] *Belgrade.* [e] *Stulweiſſenburg.*

vero Polonum aut Tranſilvanum rebus ſuis metuentem in eo bello Caeſari praeſto futurum. Hiſpaniae regem Auſtriae familiae principem in ſuo occupari. Pontificem, qui ceteros principes ad bellum contra Turcos gerendum ſollicitare creditur, minime parem fore, ut unus aut opibus aut conſilio tot defectus ſuppleat; Italiae principes exigua auxilia in illud bellum ad oſtentationem potius, ut fidem ac religionem ſuam pontifici adprobent, quam ullo in rem poſt uſu ſubminiſtraturos; et inter tot diſſidentes religione, lingua, moribus nationes, ex quibus auxiliarem exercitum conflari neceſſe eſt, procul dubio eſſe, quin male conveniant, et proinde res lente et improſpere adminiſtrentur. Haec in divano Sultani agitata memorant, qui res eas diligentius ſcripſere; nec mirum videri debere affirmant, ſi Turci tam certo de rebus noſtris cognoſcant, quippe qui per Judaeos alioſque exploratores ac transfugas et exules de iis edoceri praecipuam curam habeant; viciſſim Chriſtianos principes, qui oratores Conſtantinopoli habent, curare, ut de Turcorum conſiliis cognoſcant, et per homines pretio aut alia re corruptos id reſcire conſueviſſe. Igitur Amurathes a Sinane perſuaſus, qui ubi [a] Corcyrae expeditionem minime probari vidit, bellum Pannonicum praecipue urgebat, et Aſſanem Boſniae purpuratum, hominem temerarium et de Uſcocorum injuriis aſſidue Sultani aureis fatigantem, in eo adſtipulatorem habebat, tandem decrevit ut in Croatiam exercitus mitteretur. Ea pars Illyrici eſt, olim Liburnia dicta, magnam partem hodie a Turcis occupara ſeu vaſtata. Primus eorum impetus ad [b] Vihitium oppidum fuit ad [c] Unnam flumen ſitum, quod a meridie fluens juxta [d] Dublinium duorum dierum itinere in [e] Savum exoneratur. In eo arx eſt, quae cum oppido totos CL annos propugnaculum fuit Chriſtianorum ab illa parte adverſus Turcorum excurſiones. Aſſan Boſniae, in qua olim Triballi fuerunt, purpuratus, [f] Bamalucho, quae ſedes ejus ſatrapiae eſt, movit cum numeroſis copiis; et improviſo locum memoratum adortus poſt dejecta propugnacula, cum nulla ſpes auxiliorum eſſet, deditione recipit. CCCC Germani qui in eo erant defenſores in tutum deducti. Non ita ſincere fides oppidanis ſervata, qui miſere a victore poſtea vexati ſunt. Capto Vihitio et novis undique confluentibus copiis, cum jam L CIↃ bellatorum in caſtris haberet Aſſan, ultra progreditur ad [g] Culpam flumen, quod ut tuto tranſire poſſet, pontem in eo ex navigiis fabricari juſſit, et ad eum ſervandum munitionem ex ceſpitibus opere tumultuario erexit ad [h] Petrinam vicum inter [i] Pernam et Craſtovitium, eamque delectis et idoneo tormentorum numero firmavit paulo ſupra Zagrabiam, olim Italicum Vicum, quae civitas epiſcopalis eſt ad Savum ſita, et [k] Colocenſi archiepiſcopo ſubjecta, quo excurſionibus trans Culpam factis in reditu ad pontem munitionis novae beneficio tutum receptum haberet. Dum in opere miles occupatur, intellecto [l] Croatos ad IIII CIↃ loco munito conveniſſe, eos magno numero et ad extremum circunventos cecidit, paucis elapſis. Praecipui nominis ex noſtris deſiderati Georgius [m] Presbachius, Jacobus Prantius, et Joannes Veliverduſus. Abrahamus Valhauſius vivus in hoſtium poteſtatem venit. Jamque [n] Petzemio, qui legationes aliquot ad Portam Othomanicam Caeſaris nomine magna ſolertiae laude obierat, ultro citroque ad Imperii principes commeante, auxilia undique confluebant, et Erneſtus Caeſaris frater cum V CIↃ Vienna [o] Graecium, quod Sabariam fuiſſe autumant, venerat, cui et ex Carinthia copiae delectae ſe conjunxerant, et vario eventu hinc inde certabatur. Nam Turci irrito conatu juxta [p] Scodram excurrentes, eam denſioris nebulae opacitate tecti aggreſſi ſunt XVII Kal. Quintil. poſtridie majoribus cum viribus reverſi aliquot circumpoſitos pagos exuſſerunt, gregibus

INTERPR. [a] *Corfu.* [b] *Wibitz ou Bibatz.* [c] *Unna r.* [d] *Dubitz.* [e] *la Save.* [f] *Bamaluch.* [g] *Kulp r.* [h] *Petrina.* [i] *Perna, & Chraſtowitz.* [k] *Colocza.* [l] *Croates.* [m] *G. Presbach, J. Prantz, J. Weliwerduſ, & A. Valhauſen.* [n] *Petzeim.* [o] *Gratz.* [p] *Scutari,* Turcis *Iſcodar.*

CIↃ IↃ XCII.
HENRICUS IV.

CIↃ IↃ XCII. HENRICUS IV.

gregibus et armentis abactis. Quarto poſt die juxta [a] Toccaium deteriore conditione a noſtris pugnatum. Eodem tempore [*] Varius [b] Erlae praepoſitus cum peditatu et equitatu ſuo feliciter primo certavit, pleriſque Turcis trucidatis; ſed verſa fortuna, in latus incumbente milite recenti, in fugam ſe conjecit amiſſo peditatu. Demum exeunte Septembri Aſſan Craſtovitium cepit, et Culpa tranſmiſſo inter Savum caſtra munivit, et [c] Turopoliam inſulam [d] Savo, Culpa, et Gurco amnibus circundatam ferro flammaque depopulatus eſt, capto in ea caſtello. Aſperrima dein hyeme ſuborta, qualis ante decennium illis locis non fuerat, reductae per nives ac glaciem citra Culpam copiae et in praeſidia vicina miſſae, terrore late belli jam inchoati et majore rerum mole deinceps gerendi ſparſo: ex quo cum vix animos collegiſſent Veneti omnem operam dabant, ne imparati opprimerentur. Sub veris initium miſſus in [e] Cretam nondum ex ſuperiore anni clade recreatam in [f] Mocenici locum Nicolaus [g] Donatus, qui claſſis curator eſſet; datumque negotium Hermolao Tiepolo per Dalmatiam claſſis itidem curatori, ut Uſcocorum diſcurſationes, quibus maxime Turcos irritari et belli faciendi occaſionem captare noverant, impediret, limitemque ab illa parte tueretur, et [h] Portunatae inſulae, quae aliis Curicta, nunc Vegia dicitur, triremibus ad eam excubantibus proſpiceret. Cum vero et ſe et Italiam peſte alia, qua jampridem afflictabantur, liberatam cuperent, cum exulum colluvie convenerunt, ſtipendium pacti, ut in Dalmatiam tranſirent, atque inde Cretam navigarent. Itaque M. [i] Sarram et Baptiſtellam famoſos eorum duces triremibus in [k] Piceno acceptos in adverſum litus Tiepolus tranſportaverat, frementibus Hiſpanis, qui ultionem ob damna ab iis in [l] Samnio, Marrucinis, et Pelignis accepta ſibi injurioſe a ſenatu praereptam apud pontificem criminabantur. Verum illi ſe excuſabant, et neceſſitate belli a Turco imminentis, cui omni ratione proſpici, non ſolum ſuae, ſed univerſae Italiae intereſſet, intempeſtivas illas querimonias refellebant. Cum nihilominus ob id magna ſe Romae invidia laborare intelligerent, per Tiepolum navigationem in Cretam urgent, monitis minas addentes. Contra exules, qui in [m] Arbiae inſulae praeſidio erant, moras nectebant, et latrociniis aſſueti cum naturam exuere aegre viderentur, nullis rationibus adduci poterant, ut procul ab Italia in loco, in quo diſciplinae et legibus inſueſcere cogerentur, vitam ſibi agendam deligerent. Cum omnia ad profectionem parata eſſent, miſſi ad eos [n] Petrus Contius legionis tribunus, et cognominis civitatis [o] epiſcopus, quos illi ſibi metuentes tanquam obſides ſecuritatis promiſſae retinuerunt. Inde occaſione ſumpta Tiepolus ex vicina militia ac inſulanis III CIↃ contra eos ducit, et reſiſtendo impares ad deditionem ſine conditione adigit: Baptiſtella et Sarra, dum ſocii paciſcuntur, cum XX aſtu elapſis. Qui in Tiepoli poteſtatem venere, debita poena affecti ſunt, XVI gula fracta, XX in profundum merſi, C remigio addicti. Sarra, qui tot pericula ab adverſariis evaſerat, in Picenum reverſus, a Baptiſtella, impunitatis ſpe, cum IV ad [p] Montem-Maurum haud longe ab [q] Aſculo interfectus eſt. Praemium facinoris ei a pontifice tributum, ut dux ad perſequendos proſcriptos conſtitueretur, quorum rationem belli gerendi et receptus norat. Ii, tantis ducibus amiſſis, nihilominus ab excurſionibus non ceſſabant, et circa Terracinam et in [r] Latio praedis ac latrociniis omnia infeſta faciebant: et cum [ſ] Aquinum ſub id perrupiſſent, ex iiſque unus generoſae matronae occiſo ejus marito vim inferre pararet, illa ſe manibus ejus

utcunque

INTERPR. [a] *Tockay.* [b] *Agria,* incolis *Erla.* [c] *Duropolia.* [d] *la Save, Kulp, & Gurck r.* [e] *Candie.* [f] *Mocenigo.* [g] *Donato.* [h] *Veggia.* [i] *Sciarra, & Battiſtella.* [k] *Marca d'Ancona.* [l] *l'Abruzzo.* [m] *Iſola d'Arbe.* [n] *il colonello Pier Conte.* [o] *l'evêque d'Arbe.* [p] *Monte-moro.* [q] *Aſcoli.* [r] *Campagna di Roma.* [ſ] *Aquino.*

NOT. [*] lege *Wari praepoſitus centurio Agrienſis:* ce ſont les propres paroles de l'Hiſt. Hungr. ainſi M. de Thou fait du nom d'une place *War,* celui d'un homme. *Put.*

utcunque extricavit, et pudori vitam poſthabere teſtata ex feneſtra in plateam praecipitem dedit.

XV. INTEREA Veneti, qui ſe tam prope a periculo abeſſe cernerent, ut per inducias temporis beneficio uterentur, conſilium jam diu captum, Turcis in alio occupatis, reſumunt, ét ad tuendum [a] Fori-Julii limitem de munitione loco idoneo exſtruenda ſerio cogitare coeperunt. In quo duo ſibi ſpectanda propoſuerunt, ut et locus validi praeſidii capax, et adverſus praepotentem exercitum, qualis Turcicus eſt, diu obſidionem ſuſtinere par eſſet, et eo poſitu, ut commode auxilia in eum ſummitti, et commeatus facile importari poſſet; contra ex hoſtico in caſtra inimica difficilis annônae ſubvectio eſſet. Sic enim fore, ut ſi ab ea limitis parte vim facturi eſſent Turcì, in illius munitionis expugnatione fatigari neceſſe eſſet. Neque enim veroſimile fieri, ut homines belli gerendi peritiſſimi ulterius progreſſuri tam firmum locum a tergo relinquerent. Si autem in difficili adeo obſidione tam numeroſus exercitus et ex variis ac diſſonis gentibus conſtans diutius haerere cogeretur, procul dubio eſſe, quin ob ſubvectionis difficultatem, coeli et aëris et hujuſmodi in bello diuturno neceſſario perpetiendorum incommoditatem admodum frangeretur, et ad extremum diſſiparetur; et ſi locum tandem capi contingeret, interea per otium loca vicina muniri, copias majores colligi, auxilia convenire poſſe, et cum recentibus viribus de attrito diuturna obſidione exercitu facilem fore victoriam. Deſignatus a [b] Bonadjuto Lorinio Florentino locus, conſultatione prius habita cum [c] Mario Savorniano comite ſeniore, qui jampridem id conſilii ſenatui dederat, citra [d] Liſontiam amnem muniendus inter [e] Palmadam, Laurentii-fanum, et Roncluſam pagos, x ab [f] Utina, quam ante omnia novis munitionibus firmari placuit, milliaribus, a [g] Marano VIII, a [h] Straſoldo II, IV ab [i] Aquileia ortum verſus; ad occaſum haud amplius IϽ paſſibus a ditione Auſtriaca. Cum deſignatio propoſita eſſet, miſſi in Forojulienſem agrum a ſenatu ad locum luſtrandum Marinus Grimanus, qui poſtea reipublicae princeps fuit, Jacobus [k] Foſcarinus, Leonardus [l] Donatus, M. Antonius Barbarus S. Marci procurator, et Zacharias Contarenus eques, qui in conſilium adhibuerunt Jo. Baptiſtam [m] Montium terreſtrium reipublicae copiarum praefectum, Malateſtam, et [n] Malavicinum marchiones, Marium Savornianum et [o] Villaclarum comites; [p] Piſaurienſem tribunum, [q] Daneſium Brixianum a Parmenſium duce miſſos; ipſum [r] Lorinium, Horatium [s] Gubernum, Dionyſium [t] Boldum, et Franciſcum [u] Malacredam, locorum muniendorum peritos reipublicae ſtipendiarios. Re diligenter perpenſa, eo, quo dixi, loco urbs ſtrui coepta Septembri menſe, eique Palmae nomen impoſitum, forma fere rotunda et IX propugnaculis ampliſſimis diſtincta cum profunda foſſa ac vallo circumducto; in medio arx conſtructa V propugnaculis firmata, in qua Venetus praefectus habitat. Opus ſumma provincialium undique accurrentium, et tanquam pro communi ſalute laborantium alacritate feſtinatum, et ad defenſionem intra paucos menſeis perductum eſt, ac magna tormentorum vi inſtructum, effoſſo a [w] Caorlii et [x] Marani lacunis canali, per quem navigia ad urbem novam appellerent. In jaciendis fundamentis religioſae ceremoniae adhibitae, Dei nomine vocato, ut opus proſperaret; et nummi aurei et argentei cuſi et ſub angulari lapide poſiti, in quorum antica parte S. Marci effigies, in poſtica munitionis deſignatio viſebatur, in ejuſque medio crux coelata cum hac inſcriptione, IN HOC SIGNO TUTA. In circuitu additum, FORI JULII, ITALIAE ET CHRISTIANAE FIDEI PROPUGNACULUM. Antequam opus aggrederetur ſenatus

INTERPR. [a] *le Friul.* [b] *Buonajuto Lorini.* [c] *il conte Mario Savorgnano.* [d] *Liſonzo.* [e] *Palmada, San Lorenzo, & Ronchis.* [f] *Udine.* [g] *Marano.* [h] *Straſoldo.* [i] *Aquilegia.* [k] *Foſcarini.* [l] *Donato.* [m] *del Monte.* [n] *il Marcheſe Malvicino.* [o] *Villachiara.* [p] *de Peſaro.* [q] *Daneſe Breſciano.* [r] *Lorini.* [s] *Guberno.* [t] *Baldo.* [u] *Malacreda.* [w] *le lagune di Caorli e Marano.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

ſenatus formam ejus in charta depictam ad regem ſuperiore anno miſerat, et conſilium ejus tanquam amici principis dum [a] Autrici Carnutum eſſet, per Joannem [b] Mocenicum oratorem ſuum exquiſiverat; quod et ille officioſe, bene meritae de ſe reipublicae grati animi vicem reddens, fecit.

XVI. INTEREA res inter Germanos et Turcos maxime calebant. Nicolaus [c] Palſius [d] Neuchuſeli caſtelli praefectus inſidias a III CIↃ Turcis ſtructas felicitate majore an virtute incertum evaſit. Nam eum illi loco idoneo militem abdidiſſent, cum parte in conſpectum loci veniunt, quaſi praedabundi; contra quos egreſſi praeſidiarii cedenteis acriter inſequuntur, ut praedam reciperent, atque ubi inſidias praetergreſſi ſunt, ſubito e latebris Turci erumpunt, et locum defenſoribus vacuum, intercluſo revertentibus aditu, aggrediuntur. Verum oppidanis, qui remanſerant, ſtrenue propugnantibus et tormentis rem gerentibus, fruſtra fuere. Id menſe Januario actum. Poſtea Nicolaus [e] Nadaſdius Pannoniae regulus ineunte anno cum VIII CIↃ equitum, Carolus Auſtrius Ferdinandi filius Burgovii marchio cum XVI CIↃ peditum Teutonicorum, et levi armatura, cui [f] Montis-cuculi comes praeerat; et compoſitis archiepiſcopi [g] Salisburgenſis cum [h] Baioariae duce, pontificis interventu, diſſidiis, copiae ab utroque, convenerunt. Caeſar [i] conventu [k] Pragae in Bohemia III Non. Mart. et [l] Presburgi in Pannonia indicto cum ordinibus de pecuniae collatione et auxiliis adverſus Turcos egerat, haud magno fructu. Erneſtus [m] Graecii adhuc haerebat copias opperiens, cum nunciatum eſt Boſniae purpuratum Petrina egreſſum in [n] Turopoliam populabundum excurriſſe, captoque [o] Mattenuſio caſtello et caeſis in eo ſeu captis IↃ CC, locum incendiſſe. Poſtea eodem impetu [p] Vincovina capta ac direpta. Sed dum ſecuri a praedatione redeunt Turci, a [q] Scrinii comite intercepti ac caeſi ſunt, omni praeda recepta. Tunc vero rumor increbuerat purpuratum [r] Segniam urbem Croatiae maritimam adoriturum. Itaque Caeſar per oratores ſuos ſedulo apud pontificem inſtabat, ut mature cum principibus Italiae de auxiliis ſummittendis decerneret, quippe ſuum periculum cum Italia conjunctum. At Ferdinandus archidux, qui eam tempeſtatem in ſe incubituram videret, mature Rupertum [ſ] Eggenbergium Erneſti archiducis per Burgovii marchionis abſentiam legatum cum delectis Zagrabiam mittit, qui neceſſaria ad defenſionem pararent: ſed accidit, ut legio Germanorum ob non perſolutum ſtipendium tunc rebellaverit, capto ipſo Eggenbergio, paulumque res a periculo urbis abfuit, niſi Montis-cuculi comes ſubito cum equitatu accurrens tumultuanteis compreſſiſſet, et eos Eggenbergium dimittere coegiſſet. Dum his utrinque initiis proluditur, ſeditio ab equitibus cuſtodiae Sultani deputatis, Spachios vulgo vocant, toties impunita, eoque magis familiaris ex levi cauſa, dum ſtipendium in diribitorio numeratur, excitata eſt; quam cum Amurathes ipſe praeſentia ſua ad pergulam, ut ab iis conſpiceretur, progreſſus ſedare non potuiſſet, proximum erat, ut donativo exſoluto placaret. Sed interceſſit Siauſes Sultani ſororius, qui tunc uxoris favore priſtinum dignitatis gradum recuperaverat, et principem locum inter purpuratos obtinebat, qui ad exemplum pertinere ratus, ne quoties tumultuarentur praetoriani, toties furorem eorum pecunia redimere neceſſarium eſſet, poena non liberalitate utendum cenſuit, et [t] Zamoglianos circiter CIↃ armatos cum Spachiis inermibus et tantum fuſteis geſtantibus commiſit. Qui tamen motu increbreſcente ab illis fuſi ac diſturbati ſunt, Amurathesque ad primum conſilium ſuum revolutus ſaccis allatis tumultuanteis ad extremum placavit. Ob id ſuſpectus Siauſes, quod ſive arte, ſive imprudentia lapſus res in diſcrimen adduxiſſet, dignitate iterum motus eſt: et Sinan gratiae ex ea occaſione reſtitutus.

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *Mocenigo.* [c] *Palfi.* [d] *Neuheuſel.* [e] *Nadaſdi.* [f] *Montecuculi.* [g] *de Saltzbourg.* [h] *Baviere.* [i] *la Diete.* [k] *Prague.* [l] *Presbourg en Hongrie.* [m] *Gratz.* [n] *Duropolia.* [o] *Martenhauſen.* [p] *Wekovina.* [q] *Comte de Zrin, ou Serin.* [r] *Segni.* [ſ] *d'Eggenberg.* [t] *Azamoglans.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

reſtitutus. Tunc regis nomine ad Portam orator erat Franciſcus [a] Savarius Brevius, Jacobi Savarii [b] Lancontii gentilis ſui ab Henrico III miſſi loco, qui, a Guiſianis, atque adeo ab Hiſpanis corruptus, cum in cauſa heri ſui aperte praevaricari, et multa in regii Francicique nominis perniciem moliri deprehenſus eſſet, Brevio annitente in Turrem nigram conjectus fuerat, grandi ſupellectile et magni pretii equitio, ne in praedam cederet, ab ipſo Brevio vindicatis, et poſtea ipſi captivo reſtitutis. Igitur ut invidiam, quam ob remotum Lancomium quaſi livore aut avaritia id feciſſet, non ſolum in Porta, ſed in aula ſuſtinebat, aliquo operae pretio a ſe amoliretur, apud purpuratos inſtitit, ut claſſis in [c] Tyrrhenum mitteretur, quae ad Hiſpaniae uſque litora excurreret. Sic enim fore, ut Philippus vireis contra regem deſtinatas ad tuenda Italiae et Hiſpaniae ſubjectarumque inſularum litora revocare cogeretur; literaſque a Sultano ad regem impetravit, quibus fidem faciebat auxiliaris claſſis proximo anno mittendae: ſed quo minus id fieret, Caroli [d] Cicadae Genuenſis, qui a Philippo Byzantium ad res hoſtium explorandas miſſus, ſpecie viſendi fratris profectionem ſuſceptam cauſabatur, interventu, factum putant. Ne tamen mediterraneum mare ab armis Turcicis hoc anno quieſceret, non in mare Inferum, quod urgebat Brevius, ſed in Superum claſſem Cicada intulit; Raguſinis ob levem occaſionem ſuccenſens, et Uſcocorum excurſiones per Illyrium impediturus. Quo cognito Tiepolus triremeis ad cuſtodiam ſinus [e] Hadriatici deſtinatas ad [f] Corcyram caute ſubduxit; inde quaſi ex ſpecula, quo Cicadae conſilia evaderent, exploraturus. Capta aliquot Raguſinorum navigia, et [g] Liſtius praecipuus eorum dux, nullaque accepta excuſatione ſe pretio grandi exſolvere coactus eſt. Sed mox cognito bellum in Croatia renovatum, metu concepto Veneti ſoluti ſunt. Haſſan Eidibus Junii ad [h] Siſſegam caſtra metatur. Id caſtellum eſt ſacri ſodalium Zagrabienſium collegii inter [i] Savum et Culpam ſitum; cujus praefectus, anno ſuperiore locum juſſus dedere, ambiguo reſponſo purpuratum ludificaverat: ex quo indignationem tantam ab eo conceptam putant, ut ab Siſſega belli ſerio gerendi initium fecerit: pulſatis violenter muris, ac edita ingenti ruina, cum nuſquam pro muris ſtare poſſent defenſores, purpuratus per pontem in amne ſtratum traducit copias, et XII Kal. Jul. oppugnationem ſumma vi tentat, quam pari virtute ſuſtinuere obſeſſi, ac Turcos cum damno repulere. Itaque reductis citra Culpam XVI CIↃ et relictis totidem trans flumen, redintegrata verberatio, et rurſus magna murorum pars dejecta. Antea cum adhuc incertum eſſet, quo purpuratus vireis verteret, Eggenbergius Georgio comiti [k] Serinenſi, Nicolao [l] Palfio, Budiano, et Naſdaſtio, ut cum copiis convenirent, ad XV Kal. Jul. diem condixerat. Cum Budianus ſolus compareret, cum IↃ equitibus, et interim Siſſega arctius obſeſſa defenſores ſuccurri ſibi prompto peterent, alioqui de deditione actum iri, rurſus evocati ex praeſidiis vicinis Andreas [m] Averſpergius Caroloſtadii praefectus, [n] Montis-cuculi comes, Melchior [o] Rhedernus Quadorum regulus, Thomas [p] Erdelius, Slavoniae Banus ſeu Deſpota: qui ubi convenere, in commune conſultatum fuit, quid facto opus eſſet. Eggenbergius periculo obſeſſorum expoſito in celeritate omnem ſpem repoſitam oſtendit, et ſi improviſo palanteis ac ſecuros Turcos aggrediantur, victoriam certam ſpondet. Contra Banus differebat, et tam numeroſis copiis delectos objicere non ſolum periculoſum, ſed toti orbi Chriſtiano, cujus ſalus ex ipſis hodie pendeat, exitioſum eſſe contendebat; neque tanti eſſe Siſſegam, ut loci tam exigui conſervatio contra totam Pannoniam aeſtimari

INTERPR. [a] *Savary Sr de Breves.* [b] *de Lencome.* [c] *Mar Toſco.* [d] *Cigala.* [e] *Golfe de Veniſe.* [f] *Corfu.* [g] *il capitan Liſti.* [h] *Siſſeck.* [i] *la Save, & Kulp r.* [k] *le Comte de Zrin, ou Serin.* [l] *Palfi, Budiani, & Nadaſdi.* [m] *d'Averſperg gouverneur de Karlſtadt.* [n] *Montecuculi.* [o] *Rhedern baron de Sileſie.* [p] *Erdel bahn ou vaivode d'Eſclavonie.*

CIↃIↃXCIII. HENRICUS IV.

aeſtimari debeat. Meminerint, temeritatem Chriſtianorum in Pannonia triſteis ſemper exitus habuiſſe. Sic Ladiſlaum ab Amurathe, ſic Ludovicum nuper ad [a] Moacium a Solimano profligatos. Satis eſſe ad famam, quod ſe in armis oſtenderint; ulteriora tentare, inexperti bellum affectantis ac deſperati eſſe. Inſtabat Eggenbergius, periculum non ex numero copiarum, ſed ex occaſione metiendum. Quid enim amiſſa Siſſega futurum? An Zagrabiam diu poſtea reſtituram? Zagrabia vero capta et Turcis totius Savi potentibus, quo res Chriſtianorum redigi? Itaque viderent, an ex occaſione obſeſſis ſuccurri poſſit. Plerumque majores copias a minore numero, ſeu peritia ducum ſeu temporis opportunitate captata, caeſas. Temeritati a prudentibus non imputari, quod neceſſitate excuſatur. Diſſidentibus Eggenbergio et Bano, exquiſitae a ceteris ducibus ſententiae. Primus rogatus Averſpergius cum ſe Eggenbergium, quocunque duceret, ſequi paratum dixiſſet, et Rhedernus aliique belli duces pedibus in ejus ſententiam irent, decretum, ut obſeſſis ſuppetiae ferrentur. Nec multum contra pugnavit Banus; continuoque cuncta ad profectionem inſtruuntur, et x Kal. Julii qui in Martis diem incidebat, ſummo ſilentio incedentes in conſpectum hoſtium venere, cum in eo eſſent, ut ultimae oppugnationis per ruinas periculum facerent. Ante omnia Petrus Erdelius Bani frater, et Montis-cuculi comes, cum equitatu ad pontem occupandum mittuntur, impedituri hoſtibus receptum; et copias ab iis trans flumen relictas, ne ſociis laborantibus praeſto eſſe poſſent, prohibituri. Tum acies in v agmina diſtribuitur. Dextrum cornu Bano, ſiniſtrum Budiano regendum committitur. In prima acie ſcloppetarii Caroloſtadienſes, et Croatiae ac Carinthiae equitatus collocatur, ſcutis et lanceis armari, vulgo Huſſari dicti. In media IↃ ſcloppetarii [b] Rhederniani erant. Ultimum agmen claudebant delecti ex peditatu. Pugnae initium ab Huſſaris factum, quos cum Turci ſumma vi repuliſſent, ac paene ſolviſſent, in tempore Monte-cuculiani equites ſcloppetarii ſupervenerunt, qui terga prope vertentibus Huſſaris, certamen reſtituere. Tum Caroloſtadienſibus et [c] Pleſſianis incumbentibus Turci in fugam conjecti, qui dum ad pontem receptum quaerunt, eum occupatum contra ſpem nacti, inſequentibus noſtris in ſubjectum amnem praecipitantur; pars continuo hauſti; pars dum natatu fluvium imbribus auctum et praealtis utrinque ripis cinctum ſuperare conantur, caſu aliorum obruti; tantaque ſtrages hominum et equorum fuit, ut intra bihorium totus amnis cumulatis cadaveribus conſtratus deſuper appareret; illuſtri divinae potentiae documento, quae non viribus humanis, ſed Numine ſuo victoriam in proeliis diſpenſat. Nam XVI CIↃ a V CIↃ devicta. Ex noſtris vix C ad pontem aut in flumen lapſi, aut a ſuis oppreſſi. Plus XII CIↃ ex Turcis periere, et in his Haſſan exercitus imperator, et cum eo IX provinciarum ſeu locorum praetores ac praefecti. Summe luctuoſa fuit mors Amurathis ex ſorore magni Sultani nepotis in flore aetatis, cum magnum virtutis jam ſpecimen dediſſet, erepti. Magna annonae copia capta, et VII majora tormenta; et inprimis receptum illud adeo toto illo tractu famoſum, vulgo Caſianerum dictum de Joannis [d] Caſianeri nomine, qui cum Ferdinandi ſummus imperator eſſet, a Mechemete Boſniae purpurato ante LVI annos profligatus fuit, amiſſis XXC machinis bellicis. Qui ab Haſſane ad tormenta ſervanda relicti fuerant, cognito ſuorum caſu huc illuc abjectis armis fuga dilapſi ſunt. Noſtri dum confuſi ruunt, pulverem incenderunt, ita ut pilae tantum ferreae ex omni apparatu bellico ſuperfuerint. Ex tanta ſtrage haud magna praeda ad victores rediit: quippe Turcis praeter equos et arma nulla fere impedimenta ſunt; diſpari, quam in caſtris noſtris fieri conſuevit, more, ubi majus ſpatium impedimenta, quam milites ipſi, capiunt. Audita ſuorum clade Budenſis purpuratus

INTERPR. [a] *Mohacz.* [b] *ceux de Rhedern.* [c] *Pleſz.* [d] *Cazianer.*

purpuratus ſive odio Haſſanis, ſive ut victoriam Chriſtianorum elevaret, haud magnopere commoveri viſus eſt; et cum ad archiducem Matthiam ſcriberet, merito poenas temeritatis ſuae luiſſe Boſnienſem dicebat, qui inſcio Sultano bellum moviſſet. Qua re cum in ſpem pangendarum ioduciarum Caeſariani erecti eſſeot, poſtea compertum, id aſtu Turcorum fieri, ut tempus ducerent, dum Sinan cum exercitu in Pannoniam adveniſſet. Interea praetor Graeciae contracto ex vicinis praeſidiis exercitu rem pro tempore reſtituit, et caſtra rurſus ad Siſſegam poſuit; poſt tantam victoriam ſecuris noſtris, et magna ex parte deminuto praeſidio, nec ruinis ſartis, aut munitionibus, ut par fuit, inſtauratis; quod ducum belli inter ſe diſſidentium, dum alter alteri parere detrectat, et ſeparata conſilia a ſe invicem habent, culpa accidit: nam ſummus exercitus imperator Matthias adhuc [a] Graecii haerebat. Eggenbergius ne oihil ageret, conjunctis cum Serinenſi, qui proelio oon interfuerat, et in Turcos fortuito incidens IƆ eorum ceciderat, copiis Petrinam munitiooem expugnare aggreditur, caſtris ad eam poſitis pridie Eidus Sextileis. Sed locum ſpe firmiorem et valido praeſidio munitum cum reperiſſet, a transfuga Turco, qui pietatis Chriſtianae ſenſum artificioſe ſimulabat, praetorem Graeciae adventare affirmante deceptus, decimo poſt die obſidionem ſolvit. Nec multo poſt acri oppugnatione tentata Siſſega deditionem fecit III Noo. Sept. quam Turci ſtatim purgatis ruinis, et ampliata foſſa, in eamque fluviorum circumpoſitorum aqua derivata, novis inſuper munitionibus egregie firmarunt. Jamque Sinan cum XL CIƆ bellatorum exercitu, in quo XII CIƆ praetorianorum erant, in Pannoniam venerat, et ad [b] Veſprinium ad [c] Zagivam amnem caſtellum ſitum caſtra poſuerat, quod a Ferdinando [d] Sammariano tenebatur. Summa virtute praeſidiariorum defenſus locus ad extremum vi expugnatus eſt pridie Nonas Octobreis, cunctique in eo trucidati praeter Sammarianum et N. [e] Hoſkircerum nobilem ordioum ductorem Germanorum, et CC praeſidiarios, qui ex ſtrage ſuperfuerunt. Inde [f] Palotam ducit Sinan in montanis ſitum caſtellum, quod magna tormentorum vi quaſſatum, Petrus [g] Ornandius, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, mature dedidit. Sed cum jam perſcriptis conditionibus hoſtes vim feciſſent, praeſidiarii ad unum omnes caeſi, praeter Ornandium et II ordioum ductores. [h] Vezza haud hinc longe eodem ſucceſſu capta III Eid. ejuſdem menſis. Quominus progrederetur Sinan, morbis per caſtra graſſantibus impeditus eſt, et praecipue ſanguinolento alvi fluxu, quo plerique abſumpti ſunt. Ceſſante Sinane, noſtri non quieverunt. Chriſtophorus [i] Tiſenbachi regulus cum copiis ſuis, quae non plus quam XII CIƆ efficiebant, [k] Sabaticam adortus, haud longe a [l] Grano fluvio, a quo Strigonio nomen, in fidem accepit; promotiſque ad [m] Vilekam caſtris, quanto majus negotium in oppido capiendo fuit, tanto majus decus ex eo reportavit. Praefectus loci, qui videret ſe oppugnationi ſuſtinendae imparem, a ſuis monitus, ut Sabaticenſium exemplo mature ſibi conſuleret, non tamen propterea de deditione agere voluit; ſed ſpe obſeſſis facta, ut auxiliareis propediem adduceret, ſub noctem erupit, et ex vicinis praeſidiariis ad XVIII CIƆ cogit, partim Turcos, partim Tataros, quos antea Sinan e provincia diſcedens Budae reliquerat, et purpurato Temeſvarae ac III praefectis ſecum aſſumptis, ſe in viam dat: fruſtra ſolicitato Strigonii praefecto, ut ſecum vireis conjungeret; nam ille a Sigiſmoodo [n] Bathorio Daciae Deſpota, quem fama erat cum delectis copiis iter ingreſſum, ſibi metuens a praeſidio diſcedere recuſavit. Nec vanus omnino Strigonienſis metus fuit: nam Bathorius ſub id ad Tiſenbachum venit, et inſeſſis anguſtiis, qua Turcis tranſeundum erat, quamvis haud amplius VII CIƆ bellatorum numerum efficerent noſtri, hoſteis numero longe

ſuperiores

INTERPR. [a] *Gratz.* [b] *Veſprin.* [c] *Sarwizze r.* [d] *Santamaria.* [e] *Hoffkircken.* [f] *Palotta.* [g] *Ornandil.* [h] *Vizza.* [i] *Tieffenbach.* [k] *Sabotzka.* [l] *Gran.* [m] *Fileck.* [n] *Bathory vaivode de Tranſilvanie.*

ſuperiores poſt acre certamen poſtremo fuderunt, multis in eo ad VI CIↃ uſque trucidatis; capti Temeſvarae purpuratus, et ipſe expeditionis auctor Vilekae praefectus; grandis et praeda parta partim equorum, partim aliorum edulium animalium, quae in oppidum ducebantur. Tentoria, ſigna, tormenta campeſtria, et omnis apparatus bellicus in poteſtatem noſtrorum venit. In reditu et captum [a] Rovatum caſtellum, quod praeſidio Turcico tenebatur. Re intellecta [b] Palſius et Martinus Laſla, Alba-regia relicta, in qua alii belli duces haerebant, ad Tiſenbachum venerunt; tandem rebus omnibus ad oppugnationem inſtructis VIII Kal. Dec. ad Vilekam fit impetus, et haud magno utrinque damno oppidum capitur. Nam defenſores non obſtinato certamine protinus in arcem ſitu et arte admodum munitam confugerunt; qua biduo poſt capta rurſus ad interius propugnaculum perfugium habuerunt, vitamque et res ſalvas pacti loco dedito in tutum deducti ſunt IↃ CCC circiter Turci cum uxoribus, liberis, ac reliquis impedimentis. Capta Vileka, pagi circiter IↃ CCC, qui in circuitu loci adeo muniti ſunt, a tyrannide Turcica liberati ſunt. Interea ad Albam-regiam noſtri adhuc ſedebant, Ferdinando [c] Hardeco comite Javarini praefecto expeditionis duce: cum eo erant Palſius initio, et Laſla, Setinenſis comes, Petrus Erdelius Huſſarorum praefectus, [d] Naſdaſtius, alii: pridie Kalendas Novembreis nebula tecti ſub portas urbis venere, gregibus et armentis impune abactis; poſtridie ad loca debilia vaſtae urbis oppugnatio facta, ſed irrito conatu, Turcis ſe gnaviter defendentibus. Tum Erdelius ſuburbia nocturno impetu occupat, et ſub diluculum admotis tormentis ab Hardeco contradicente commodatis, cum contraria ab urbe diſploſione ſummopere infeſtaretur, haud citra vitae diſcrimen ſe Turcorum erumpentium manibus extricavit, relictis tribus machinis campeſtribus, et ad Hardecum via difficili ſe recepit. Inde conſultatum inter belli duces, quoniam allatum erat, Belgradi purpuratum, cum aliquibus vicinorum praeſidiorum praefectis et XV CIↃ bellatorum magnis itineribus adventare, noſtrorumque recedentium veſtigiis inſiſtere in animo habere, et communi conſenſu decretum, ut venientem opperirentur, turpe quippe eſſe poſt tot ſucceſſus felices proelii aleam cum hoſte detrectare. Cum Turci in conſpectum veniſſent, ſic inſtruitur acies, in qua circiter IX CIↃ bellatorum erant, ut dextrum cornu Palſius, laevum Naſdaſtius regeret; Hardecus cum [e] Serinenſi et Budiano in media acie erant. Principium pugnae a Palſio factum, tanta vi, ut jam inclinaret ab ea parte Turcorum acies, cum Hardecus animadverſo hoſteis numero potiores capto ſpatio aciem extendere quaſi in animo haberent, ipſum a fronte ac tergo circundatum invadere, Petrum [f] Erdelium cum ſuis Huſſaris et delecta ſcloppetariorum equitum manu ac CC Germanis ſcloppetariis mittit, qui convertentes ſe Turcos ſiſteret. Heic acriter certatum, Turcis, qui cedere videbantur, ducum ſuorum hortatu fortiter pugnam capeſſentibus, diuque victoria nutavit, donec incumbente Pannonico equitatu, qui primas in eo certamine tulit, pulſi primo Turci, mox noſtris undique incurrentibus in fugam magna cum ſtrage conjecti ſunt; deſiderati ex iis ad VI CIↃ, ex noſtris circiter CIↃ. Caeſo Belgradenſi, placebat Palſio et Naſdaſtio, ut ad Albam-regiam caſtra ponerentur, quoniam intellexerant, urbis praefectum ad cladis ſuorum nuncium ſuburbia prius incenſa deſeruiſſe, et ſe intra moenia contraxiſſe; territis inſiſtendum eſſe antequam animos ex pavore colligant, et aſpera adeo hyeme e longinquo auxilia ſperari poſſint. Contra Hardecus hoc non pavore, ſed conſilio factum interpretabatur, ut ſimul et urbem obſeſſuris incommodaretur, et defenſoribus proſpiceretur; quippe periti ducis eſſe, his in anguſtiis, locum, quem tuendum ſuſceperit, ad vireis, quas penes ſe habet, metiri, neque plus ſpatii amplecti, quam aut praeſidio ſervare, aut per ſtationes obire poſſit; cum

INTERPR. [a] *Rovat.* [b] *Palſi, & Martin Laſla.* [c] *de Hardeck gouverneur de Rab.* [d] *Nadaſdi.* [e] *les Comtes de Zrin ou Serin, & Budiani.* [f] *Erdel.*

eum diſſiderent ſententiis, utrinque re infecta diſceſſum eſt. Hardecus eum Serinenſi [a] Javarinum reverſus eſt, Palfius ad Tiſenbachum contendit; nihil praeterea memorabile geſtum; niſi quod exeunte anno Petrus Erdelius eum in IↃC Turcos ad Palotam nuper captam miſſos eum novo praefecto, nam Amurathem, qui loco praeerat, proditionis ſuſpectum paulo ante ſtrangulari curaverat Sinan, incidiſſet, eos fudit, ceciditque; eodemque tempore [b] Graſvinius III CIↃ Turcos ex [c] Siſſegae, Petrinae et Craſtovitii praeſidiis praedatum trans Savum egreſſos, opportuno loco adortus itidem profligavit, IↃCC partim occiſis, partim in Culpam flumen praecipitatis. Pro tot proſperis ſucceſſibus in aula Caeſarea gratiae Deo actae, et ſupplicationes more ſolemni celebratae.

XVII. SED nonnihil laetitiam publicam turbavit in [d] Goritia motus ob religionis cauſam exortus, pleriſque in ea Auguſtanae confeſſionis libertatem ſibi concedi jam diu a Caeſare poſtulantibus, qui tamen Sigiſmundi [e] Turriani provinciae reguli prudentia compoſitus eſt. Eodem tempore et a [f] Cadanenſibus in Bohemia petitum eſt, alioqui majorum religioni addictis, ut ſibi calicis uſus permitteretur. Id jam antea a Ferdinandi Caeſaris et Alberti [g] Baioari legatis in Synodo Tridentina petitum fuerat, et ut concederetur, Andreas [h] Duditius Sbardellatus epiſcopus tunc Tininienſis Pannoniae regis et ordinum regni orator vehementi oratione a patribus contenderat; ſed negotium integrum ad pontificem concilii decreto relatum fuerat, qui quod utile reipublicae Chriſtianae et petentibus ſalutare eſſet, pro ſingulari ſua prudentia decerneret. Poſt ſynodum peractam, idem a Ferdinandi et Maximiliani filii oratoribus rurſus petitum eſt, nec obtineri potuit; ſicuti loco ſuo diximus. Multa prodigia in hunc annum conjiciunt, qui vulgo res ſcripſere; ut [i] Wolmerſtadii, qui pagus eſt in dioeceſi [k] Monaſterienſi, puellam natam cum duobus capitibus, et Octobri menſe haud longe a [l] Francofurto ad Viadrum alteram cum uno capite, et duobus corporibus: ſed prae aliis ſtupendum et ad hoc ſaeculum inter homines inauditum naturae miraculum fuit, quod in [m] Quadis accidiſſe publica fide conſtat. Chriſtophorus Mullerus Joannis fabri lignarii hominis egeni, ſed probi filius, [n] Wegelſedorfii pago Friderici [o] Gelorni viri nobilis hereditario, ante ſeptennium natus, et poſtea patre mortuo a matre honeſte educatus, eum jam ad communem ſcholam cum ceteris puellis itaret, loco dentis, qui ei anno illo critico eeciderat, enatum unum maxillarem aureum habere compertus eſt, primum a puella coaetanea, dein pleriſque Sileſiae proceribus ac nobilibus viris ſumma cum admiratione conſpectus. Jacobus [p] Horſtius, qui medicinam [q] Helmeſtadii in academia Julia profitebatur, cum anno ſequenti Friderici Gelorni filium ſebricitantem curaret, impetrato a patre ut puer ad ſe adduceretur, aperto ejus ore, ſtatim aurum ſplendere cernit: tum dentem in maxilla inferiore tangit, rotunda figura, in ſumma ſuperficie aſperum, quatuor apicibus ac media cavitate inſtar maxillarium, magnitudine eadem aut paulo majore, numero ultimum, poſitu juſto, ſatis firmum ac immobilem, et gingiva molli ac rubricante circundatum deprehendit; cum neque haec ſufficerent, cibum puero dari jubet; in medio prandii iterum ad ſe revocat, ſcire cupiens, an hoc dente aureo, ſicut aliis, in mandendo uteretur, et cibum commanſum adhue in dente reperit, tum ore aqua proluto cum Lydium lapidem fricando adhibuiſſet, aurum Rhenanum aut Pannonicum non eo melius eſſe invenit. Poſtea obſervat alios dentes eſſe integros, niſi quod huic proximus nondum renatus eſſet, ut dens ille aureus tanto

INTERPR. [a] *Rab.* [b] *Graſwin.* [c] *Siſſeck, Petrina, & Chraſtowitz.* [d] *Goritia.* [e] *de la Tour.* [f] *ceux de Cadana.* [g] *de Baviere.* [h] *Dudith Sbardellato evêque de Tina.* [i] *Wolmerſtat.* [k] *de Munſter.* [l] *Francfort ſur Oder.* [m] *Sileſie.* [n] *Wegelſdorff.* [o] *Gelorn.* [p] *Horſt.* [q] *à Helmſtadt dans l'univerſité fondée par le duc Jules de Brunſwick.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

tanto cunctis eſſet conſpectior: poſtremo ne quid accuratae meditationi deeſſet, naturam pueri conſiderat, habitu ſiccam et calidam, corpus gracile, pulchram membrorum conformationem, ingenium acre, probum ac diſcendi cupidum; ac de re omni commentarium edidit, quo nihil in puero fallaciarum, nihil praeſtigiarum comperiſſe teſtatus, tamen anxie diſquirit, utrum maxillaris dens ille aureus naturaliter enatus ſit, et utrum ſit prodigioſus necne, et utrum hujus prodigii interpretatio dari queat, et quaenam harum dignior cenſeatur? Poſtea Martinus Rulandus filius, qui medicinam Ratiſponae faciebat, id mirum ac novum, ceterum naturali ratione factum aſſeruit; eamque ſententiam adverſus contrariam Joannis [a] Ingolſteteri medici Norimbergenſis reſponſionem copioſo ſcripto defendit. Quae omnia cum in ſtudioſorum manibus ſint, hinc petere qui volet, licet. Nobis res geſtas ſcribere, non rerum naturam et cauſas indagare propoſitum eſt.

XVIII. Hoc anno fatis conceſſit Romae XI Kal. Quintil. [b] Latinus Latinius Viterbienſis octogeſimo aetatis anno, ad S. Mariae in via lata ſepultus, ut praefert tumuli ab ipſo addita inſcriptio, ultimum gentis Latiniae caput, qui ſacris veterum patrum libris emendandis, ac praecipue Tertulliano ad M. SS. codices recognoſcendo, operam tota vita navavit. Sed longe maximam non ſolum Germania, ſed ubicunque literae in pretio ſunt, Chriſtianus orbis jacturam fecit, vivis exempto Joanne [c] Leunclavio nobili Angrivario utraque lingua doctiſſimo, juris Romani Graecique conſultiſſimo, et rerum Turcicarum apprime perito, ad quas linguae ipſius Byzantina peregrinatione comparatam cognitionem, exactam ultimae hiſtoriae Graecae lectionem, et acre ac admirandum judicium attulit; quod non ſolum in ſcriptis ab ipſo, dum viveret, publicatis, ſed in iis, quae poſt mortem ejus edita ſunt, elucet. Tandem ſexagenario paulo minor vir longiore vita dignus Viennae Auſtriacae eodem menſe Junio defecit, non ſolum ſui, ſed et Conſtantinopolitanae hiſtoriae, cujus ſpem fecerat, relicto incredibili deſiderio.

INTERPR. [a] *Ingolſteters.* [b] *Latino Latini de Viterbe.* [c] *Lewenclaw natif d'Amelbueren en Weſtphalie.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

IN Saxonia Calvinianis multa improperata, et Lipſiae renovata per libellos famoſos odia. Idem Brunſvicae factitatum. II. Bellum Argentinenſe recrudeſcit. Seleſtadium fruſtra a Lotharingicis tentatum. Tandem in VI principes compromiſſum, et arma depoſita. Noveſiani ſe in libertatem aſſerunt. III. Fridericus Palatinus ſeptemvir Conſtantinam Aloiſiam Julianam Arauſionenſis filiam in uxorem ducit. Ludovici Wirtembergici obitus. IV. Sigiſmundus Poloniae rex in Sueciam contendit majorum religionem ſi poſſet in ea inſtauraturus. V. Chriſtianus IIII in proxima Dania XVIII annos natus Flenſburgi jusjurandum celebri ritu praeſtat, et rex inauguratur. VI. In Belgio res inclinant morte Parmenſis. Carolus Manſfeldius auxiliis in Galliam ducendis praepoſitus Guiſam ineunte Februario venit. Noviodunum obſeſſum, et dum rex abeſſet deditione captum, ac mox Bohanium. De reditu crebris P. Erneſti patris literis ſolicitatus Carolus in itinere Valerici fanum et Stapulas capit. VII. Multa in Belgio a regiis ſevere decreta, in eos edicto contrario propoſito Ordines immanitate Hiſpanorum exagitata invehuntur. Cum ad aliquot menſeis in ea ſaevitia utrinque perſeveratum eſſet, mox belli gerendi ratio humanior reſumpta. Philippus Naſſovius in Lucemburgenſem agrum excurrit fruſtra tentato Viti-fano. VIII. Mauritius Gertrudis-fanum in hoſtium conſpectu expugnat. Seditio in Caroli Manſfeldii caſtris ad Hedinum ab Hiſpanis excitata. Idem a Gallobelgis et Italis in Hannonia factitatum, et Berkae ad Rhenum a praeſidiariis. IX. Crepacordium munimentum in faucibus Diſae ad Moſam ſitum obſeſſum, in quod ſe Florus Brederodius Mauritii juſſu incluſit. Irrita obſidione dimiſſae utrinque copiae. Gul. Lud. Naſſovius Friſiae praeſes in provinciam miſſus, qui tota Boeretangana brevi potitur. Friderici Bergenſis comitis in Friſia ſucceſſus. Certatum in caſtris Naſſovianis. Bredani praeſidiarii juxta Trajectum caeſi, et mox Hiſpani a Bergoſomenſibus diſſipati. Caletum fruſtra a Manſfeldio tentatum. Zelandiae inſulae itidem tentatae. X. Apud nos rebus deſperatis ex aſtu et injuria hoſtium lux affulget. Afflictis belli utrinque damnoſi taedio populis factionis duces comitia Catholico regi creando indicunt. XI. In id Meduanius ſcriptum prolixum declarationis titulo publicat: XII. Addita erat et cardinalis Placentini epiſtola. XIII. Hinc Gaſpar Schombergius occaſionem arripit colloquii inter partes inſtituendi. Is cum rege agit, et ab eo impetrat, ut cum bona ipſius gratia et ſalva majeſtate principes ac proceres ad Meduanii ſcriptum reſponderent. Nec ſucceſſu conſilium caruit. XIV. Edictum et eodem tempore a rege propoſitum, quo rationes a Meduanio allatas refutabat, et indicta illa comitia ut nulla et irrita exagitabat. XV. Reſponſum regiorum per tubicinem Lutetiam miſſum. Placentinus cardinalis illud ut impium et ſectariae pravitatis plenum publico ſcripto pronunciat.

Idem

Idem Sorbonicum collegium poſt legatum facit. Res nihilominus in coetu frequenti agitata et variae dictae ſententiae. XVI. *Tandem reſponſio ex trium Ordinum conſenſu confecta.* XVII. *Rex ex Turonibus cum Catharina ſorore Medontam venit.* XVIII. *Delegati trium Ordinum Lutetiae conveniunt, et poſtridie B. Polycarpi feſto initium comitiis ſuis faciunt. Cardinalis Pellevaei oratio a pleriſque ludibrio habita, poſtea et ſatyra Menippaea traducta.* XIX. *Laurentius Suares Figeroa admittitur, et orationem Philippi nomine ad Ordines habet, et literas ab eo porrigit.* XX. *Pellevaeus quanquam obnoxius graviter ad jactabundam Feriani orationem pro tempore reſpondet.* XXI. *De concilio Tridentino cardinali Sega urgente ante omnia in comitiis conſultatur.*

Ex auctoribus,

D. Chytraeo, Michaele Iſſeltio, Imm. Meterano, Joanne Parvo, Caeſare Campana, Actis utrinque et orationibus publicatis.

LIBER CENTESIMUS QUINTUS.

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

OB Turcici belli metum in Germania proxima aliquantum ſuſpenſi animi, de cetero res quietae fuere, niſi quod in Saxonia rurſus diſſidium inter Lutheranos et Calvinianos recruduit, libellis admodum virulentis ab altera parte contra alteram publicatis; quibus multa contumelioſe extra religionis cauſam inſerta: Davidem [a] Stenbachium, quem ſuperiore anno per feneſtram evaſionem tentaſſe diximus, arte daemonis ea in re uſum eſſe, et Calviniano dogmate infectos per magicas praeſtigias in agro paſſim omnia infeſta facere; [b] Lipſiae vero incendium excitare voluiſſe, cujus occaſione aedeis ditiorum diriperent, ac ceteros ſententiae ſuae adverſanteis urbe ejicerent. Magnus etiam motus a juventute, quae literis in ea academia operam dabat, excitatus, [c] Adolfi Caponis, ad quem Helvetii aliquot hoſpites diverterant, circumfeſſis aedibus, ac poſtremo direptis, et paulum abfuit, deſtructis; patibulo etiam in platea erecto, ad quod miſerum hominem ſuſpendere decreverant, niſi mature ſibi fuga conſuluiſſet. Vix interventu magiſtratus multitudo compreſſa, cujus et furori datum, ut xv, quorum nomina a ſeditioſis edita ſunt, urbe pellerentur. Re ad adminiſtratorem delata, quanquam ille minime omnium Calvinianis faveret, tamen ad ſecuritatem publicam pertinere ratus, ne privatis citra magiſtratus auctoritatem vim adhibere liceret, confeſtim advolat, ejuſque juſſu Georgius Mullerus theologus concionem ad populum habuit, qua docebat, vim omnem, quae ſine magiſtratus imperio exercetur, illicitam eſſe, eamque concionem poſtea cancellarius longa et elaborata oratione excepit; dein omnes, qui urbe pulſi erant, revocantur, et magiſtratus tutelae commendantur, propoſitoque ab adminiſtratore edicto praecipitur, ſi quid ſimile exoriatur, cuncti magiſtratui opem ferre teneantur; qui recuſaverit, capite plectatur; qui ſeditioni praecedenti cauſam praebuiſſe convincerentur, poenas penderent; ex iis XL comprehenſi, IIII ad ceterorum terrorem extremo ſupplicio affecti ſunt. Id exeunte Maio acciderat, et tempus nundinarum appetebat. Veritus igitur adminiſtrator ne mercatores ad infamem ſeditionibus urbem convenire detrectarent, eaque re non mediocriter jura et opes urbis imminuerentur, publico ſcripto cunctis ad eas venturis cavet, et de ſecuritate publica fidem interponit.

Contagione

INTERPR. [a] *Steinbach.* [b] *Leipſick.* [c] *Adolfe Han.*

Contagione per vicina loca jam malum ſerpebat, et paulo ante Brunſvicae, in qua olim Joannes [a] Bugenhagius Pomeranus docuerat, et doctrinam Lutheri publicaverat, ob eandem cauſam tumultuatum fuit. In ea urbe Polycarpus [b] Leiſerus et Nicodemus [c] Friſclinus omnem operam voce et ſcriptis dederant, ne quid in religione novaretur, adeoque populum incenderant, ut cum adminiſtratore inſtante Leiſerus Witembergam ad academiam ordinandam ſub id conceſſiſſet, ſeditioſi id aſtu fieri interpretati, ut Calviniani per ejus abſentiam facilius ſuae perverſae doctrinae virus ſpargerent, ſpreto magiſtratu Michaelem Maſcum et Hieronymum Nevenium urbis ſyndicos ob id ſuſpectos armis ſumptis ad poenam poſcunt, et niſi urbe ejiciantur, ſe non quieturos magiſtratui eos ad arma ponenda hortanti reſpondent. Hoc Brunſvicenſium factum cum Lipſienſes in argumentum majora audendi ſumerent, eouſque ſeditioſi provecti ſunt, ut ſcriptum ad valvas majoris templi clam affixerint, quo adminiſtratorem ſolicitabant, ut Calviniſmi ſuſpectos exigeret. Dein ſenatum acerbe perſtringebant, quaſi in occulto cuidam ex civibus ipſis ſumme exoſo faveret. Tertio paſtores perfidiae ac levitatis inſimulabant, quod majore moderatione, quam antea fecerant, concionarentur, ac docerent; quod propter Georgium Mullerum, et Martinum Mirum erat additum, quos a magiſtratu et adminiſtratore monitos, ut modeſtius in publico ſe gererent, exemploque ſuo ceteris praeirent, de priore vehementia multum remiſiſſe impatienter ferebant. Hanc licentiam adminiſtrator veritus, ne ſecum tractu temporis alienationem animorum, ac poſtremo defectionem traheret, ad curatores, ſive ephoros, eccleſiarum ſuperintendenteis vulgo vocant, ſcribit; monetque per conſiliarios curent, ut concionatores populum in obſequio contineant, et in doctrinam improbatam invehi, eamque ex ambone publice confutare ſatis habeant; ceterum perſonis parcant, quas ad paſtorum officium et charitatem Chriſtianam pertineat potius inſtrui, et ex errore in viam reduci, quam conviciis proſcindi, unde invidia in magiſtratum, in ipſos odium redundet, in publicum ſeditionibus cauſa praebeatur. Ad haec ephori ſubfrigide reſpondent, minime conſultum videri, ut paſtoribus in concionibus adverſus Calvinianos praeſcribatur: Sic enim hominibus ſuperbis animos fieri, eoſque in errore confirmari; auditorum autem odium magis inflammari; tamen curaturos, ut paſtores officii ac miniſterii ſui privatim admoneantur, quo pax et tranquillitas in eccleſia et republica conſervetur, nullaque ſeditionis cauſa praebeatur; ceterum memor eſſet adminiſtrator, quid ab initio ac ſemper deinceps ipſis pollicitus ſit, nihil presbyterio magiſtratus ſui tempore praeſcripturum. Cum igitur ab univerſis nihil impetrare poſſet adminiſtrator, per magiſtratum ſingulos prenſare coepit, et tenuit, ut in poſterum paſtores in concionibus ſibi temperarent, et plebs incentoribus deſtituta a priore ferocitate miteſceret.

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

II. DURABAT adhuc bellum [d] Argentinenſe, nulla tamen re memorabili geſta, exeunte Januario [e] Seleſtadium oppidum imperiale inſidiis a Lotaringicis fruſtra tentatum: quanquam id illi ut ſibi invidioſum pernegarent. Tandem cum cunctos armorum taederet, ultro citroque commeantibus Caeſareis legatis, in has conditiones tranſactum eſt, ut depoſitis utrinque armis, milite dimiſſo, et pace conſtituta, cauſa controverſa arbitrio VI principum, de quibus partes convenirent, decidenda relinqueretur: ii fuere Wolfangus [f] Brendelus archiepiſcopus Moguntinus, Julius epiſcopus [g] Wirsburgenſis, Ferdinandus Auſtriae archidux, Ludovicus Heſſus, Philippus Ludovicus [h] Baioarus Palatinus, et Fridericus Willelmus Saxonici ſeptemviratus adminiſtrator. Interea Carolus cardinalis [i] Tabernas in Alſatia, Binfeldiam, aliaſque

INTERPR. [a] *Bugenhag.* [b] *Leiſer.* [c] *Friſchlin.* [d] *de Strasbourg.* [e] *Schletſtadt.* [f] *Brendel Arch. de Mayence.* [g] *de Wirtzburg.* [h] *de Baviere comte Palatin.* [i] *Zabern.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

aliaſque pactis memoratas praefecturas retineret, Moltzemiumque ipſi nuper ab Anhaltino captum teſtitueretur. Brandeburgico viciſſim [a] Daſtenium reſtitueretur, aliaeque totidem praefecturae fructuum aeſtimatione facta attribuerentur. Argentinae civitati [b] Waſſelſemium reſtitueretur, et tormenta in eo reperta. Conditionibus partes ſubſcripſere VI Eid. Mart. Secundum haec principes Aprili menſe [c] Spiram Nemetum legatos miſerunt, conventuque in Junium proximum delato, cum poſt acres utrinque altercationes nihil decerni potuiſſet, menſe Quintili ſtatuerunt, ut quaecunque vel voce vel ſcripto in hoc negotio huc uſque acta eſſent, ad Caeſarem tranſmitterentur, ejuſque auctoritati permitterentur: conventus in XVII Kal. Dec. [d] Francofurtum ad Moenum conferretur: omnia interim integra eſſent, nihilque tam in ſacra quam civili adminiſtratione novaretur: qui ſecus faceret, in poenam mandati Caeſarei tanquam violatorum pactorum reus incurriſſe cenſeretur. Urgebat Colonienſis ſeptemvir oppidorum ditionis ſuae occaſione belli occupatorum reſtitutionem, vixque tandem, ut praeſidium Bonna deduceretur, impetraverat. Tunc vero provinciae comitia Bonnae celebranda indixit. Cum delegatos collegium mittere recuſaret, et Coloniam ea transferri peteret, aſſenſit archiepiſcopus, et multa de ſumptibus a ſe factis, tam in ditione tuenda, quam perſolvendis militi externo ſtipendiis, ut liberam poſſeſſionem locorum ab eo inſeſſorum adipiſceretur praefatus, petit ab Ordinibus, ut ratio in poſterum ineatur, qua ſine popularium vexatione pecunia ad alendum militem ſuppetat, ne ſtipendii defectu ad praedas vertatur. Nam neceſſaria tam ancipiti praeſertim tempore praeſidia eſſe, ne ad inſidias et direptiones diſcurrente paſſim milite oppida pateant; tum de [e] Biberenſi praefectura agit a [f] Wernero Riferſcheito comite poſſeſſa, quam Adolfi Nuenarii viduae reſtitui Belgici ordines petebant; et niſi ſatisfiat, magno id ditioni conſtiturum minentur. Dum conventus haberetur, [g] Noveſienſes praeſidium a Parmenſi impoſitum gravati, cum viderent archiepiſcopi crebras expoſtulationes a Philippicis miniſtris eludi, et poſt Parmenſis mortem nova mandata ex Hiſpaniis exſpectari, ut quod promiſſum erat, executioni demandaretur; conſilium ex occaſione capiunt, et cum major pars praeſidiariorum praedatum exiiſſent, XIV Kal. Sextil. globo oppidanorum facto ſtationes noctu invadunt, et deditos, nam pauci erant, ſingulos locis ſubterraneis includunt. Ita cuncti capti et exarmati; ſuperabat una decuria, quae portam ſuperiorem ſervabat. Re ex voto ſuccedente oppidani ſe ad ſuos aggregant, tumultuque exorto cum fremitus ad aureis ſtationariorum perveniſſet, protinus per averſam portam ad [h] Meldedonkum praefectum, qui aberat, mittunt, et de caſu eum certiorem faciunt. Is cum ſubito accurriſſet, et fruſtra oppidanos placare conatus eſſet, praeſidiarii ſpe auxilii deſtituti, et ad portam fumo ingenti, quo paene exanimabantur, ab oppidanis excitato, deditionem faciunt. Poſt jentaculum ſine injuria dimiſſi, et ita priſtinam libertatem a Parmenſi promiſſam Noveſienſes recuperavere.

III. EODEM tempore Fridericus Palatinus ſeptemvir circiter XX annos natus cum anno ſuperiore poſt Jo. Caſimiri obitum ditionem ſuam per ſe adminiſtrare coepiſſet, de nuptiis cogitare coepit, et a Philippo [i] Marnixio Santaldegondio ſollicitatus in nuptias cum Conſtantina Aloiſia Juliana Gulielmi Naſſovii Arauſionis principis et Carlotae Borboniae filia conſenſit. Cum vero agnatos cognatoſque principes ac foederatos ſuper iis nuptiis, ut fit, conſuleret, multi illum dehortati ſunt, quod vererentur, ne per illud matrimonium affinitate non ſolum cum Naſſoviis, ſed veluti cum Belgicis ordinibus contracta, bellum, quod in Belgio gerebatur, in Germaniam attraheret. Sponſa cum dote ac mundo muliebri ab Ordinibus donata, neque

INTERPTR. [a] *Dachſtein.* [b] *Waſſelſheim.* [c] *Spire.* [d] *Francfort ſur Mein.* [e] *Bailliage de Biberen.* [f] *Werner de Reifferſcheit.* [g] *ceux de Nuys.* [h] *Meldedonk.* [i] *de Marnix Sr de Ste Aldegonde.*

neque enim aliunde dos illi ſuppetebat, [a] Sleidam a Jo. Naſſovio comite deducta, [b] Dillinburgam terreſtri itinere venit; quo ad illam citatis equis Fridericus contendit, et ſponſalia fecit XVIII Kal. Jun. Inde ad Ludovicum Heſſum jam fruſtra per literas et legatos invitatum excurrit, ab eoque impetravit, ut nuptiis intereſſet, quae celebratae ſunt modica pompa. Haud multo poſt fatis conceſſit Ludovicus Wirtembergicus Chriſtophori filius Ulrici nepos, effoeto corpore haud multum XL aetatis annum ſupergreſſus, nullis relictis liberis. Ei proximus agnatus Fridericus Georgii filius, [c] Montis-Pelicardi comes, cujus crebram in ſuperioribus mentionem fecimus, ſucceſſit.

IV. CUM vero Sigiſmundus rex Poloniae poſt petitum ab Ordinibus commeatum, ut in [d] Sueciam ad novi regni morte patris delati poſſeſſionem adipiſcendam proficiſceretur, et ſi poſſet, majorum religionem in eo inſtauraret, aliquandiu occaſione uxoris, quae uterum geſtabat, retardatus fuiſſet; tandem poſt peracta comitia cum uxore jam partu levata, ac ſorore, Warſaviae navigium conſcendit, et ſecundo Viſtula devectus, magno Polonorum comitatu, et IƆ Huſſarorum ſtipatu, per [e] Marienburgum, Thoronam, Elbingam [f] Boruſſiae civitates in itinere divertit, ubique magnifice exceptus; et [g] Gedanum tandem appulit IV Non. Sextil. Ibi aliquandiu commoratus, ex conſiliariis terrarum Boruſſiae, quos vocant, aliiſque tribunal conſtituit, in quo de provinciae controverſiis cognoſceretur ac decerneretur. Tum Elbingae et Thoronae primaria templa Catholicis reſtituit. Eandem gratiam Marienburgenſibus cum fruſtra a ſenatu Gedanenſi poſceret Hieronymus [h] Roſeradecius epiſcopus Vladiſlavienſis, non impetravit, quanquam rex maxime cuperet; ſed a Sueco legato monitus, mutati ſtatus eccleſiaſtici exemplum in malam partem interpretaturos Suecos, negotium integrum ad regni comitia remiſit. Dum rex Gedani eſſet, X Kal. Sept. ex levi cauſa ingens ſeditio exorta eſt; quodam bajulo, cujuſmodi hominum urbs mercimoniis frequens multitudine abundat, a Polono, qui ſe ab illo pulſatum indignabatur, atrociter caeſo, nam bajulis mox concurſantibus tanta ſeditio excitata, ut etiam tormentis diſploſis res tandem geſta ſit; treſque globi in regiam domum tranſvolaverint. Jamque Huſſari ſtipatores, qui in ſuburbio erant, evocati fuerant, genus hominum caedibus ac rapinis gaudens, cum [i] Motlavae ponte penſili in tempore levato, auxiliares infeſtis animis accurrentes excluſi ſunt. Tum conſules ac ſenatores urbis lanienae alias ſecuturae ita proſpectum exiſtimantes, ad plebem converſi, et precibus, prenſationibus, minis placata utcunque oppidanorum ira, Polonis faceſſentibus motum compoſuerunt. In eo XXIII interfecti, L amplius graviter vulnerati: portae per biduum clauſae; reperti in urbe Poloni, qui rixae initium fecerant, cuſtodiae mancipantur. In globorum contra regiam domum emiſſorum jaculatores diligenter anquiſitum, propoſito per tubicinem indicii praemio C Hungaricorum; conſciis autem et diſſimulantibus, ſi dignoſcerentur, par auctoribus ſupplicium denunciatur. Pacata urbe rex diſcedens ad oſtium Viſtulae deſcendit, et poſt VI dierum moram, opportunam, ut ſibi videbatur, tempeſtatem nactus ſolvit; ſed mox reflantibus ventis diu jactatus tandem Stocolmiam Suecici imperii regiam, quae XXC milliaribus Germanicis a Gedano abeſt, incolumis cum toto comitatu appulit pridie Kalendas Octobreis.

V. IN proxima Dania Chriſtianus IV, quem Fridericus II pater moriens undecennem reliquerat, et regni tutores tres primaria auctoritate viros ei attribuerat, cum XVIII annum iniiſſet, magno procerum comitatu per [k] Slevicenſem principatum facto itinere [l] Flensburgum nobile ad orientale mare emporium venit IIII Eid. Sept. quo

INTERPR. [a] *Sleiden.* [b] *Dillenburg.* [c] *Montbeliard.* [d] *la Suede.* [e] *Marienburg, Thorn, Elbing.* [f] *la Pruſſe.* [g] *Dantzick.* [h] *Rofferadeck evêque de Cujavie.* [i] *Motlaw r.* [k] *Duché de Sleſwick.* [l] *Flensburg.*

quo regni conventus indixerat; et poſtridie coram Sophia matre Ulrici Megalopolitani, qui et ipſe aderat, filia, Henrico Julio Brunſvico ſororio poſt jusjurandum de immunitatibus ac libertatibus ſervandis praeſtitum, ſolemni ceremonia regno inauguratus cunctos jurejurando adegit; actiſque tutoribus pro republica bene geſta gratiis, eam per ſe deinceps adminiſtrandam ſuſcepit. Paulo poſt Kalendis Octobribus Mauritius Willelmi Heſſi nuper defuncti filius, literis egregie inſtructus princeps, quod Heſſicae familiae gentile eſt, [a] Caſſellis uxorem duxit Agnetem Joannis Georgii Solmenſis comitis filiam. Is dies ſtylo veteri in x Kal. Oct. incidebat, quo beati Mauritii ſibi cognominis et ſociorum Thebaeae legionis martyrum memoria celebratur: nuptiis interfuerunt Ludovicus et Georgius Heſſi patrui, Chriſtophorus dux Luneburgicus, Bernardus Anhaltinus, Ludovicus Naſſovius, Jo. Georgius Agnetis parens cum Othone, Eberardo, Reinardo, et Philippo filiis; Franciſcus [b] Waldecus, Guntherus Schuartsburgius, Fridericus [c] Hohenloenſis, Simo [d] Lippius, Ludovicus [e] Witgenſteinius, Georgius [f] Kirkbergius, Lodovicus [g] Lovenſteinius, et Erneſtus [h] Schaumbergius comites; aliorum legati.

VI. LONGE pejore loco res in Belgio erant: ubi non inaugurationibus, feſtis, aut nuptialibus orgiis urbes ſtrepebant, ſed continuo armorum motu quatiebantur, et Philippi fortuna in dies inclinabat. Nam cum per Parmenſis, bellum in Gallia gerere juſſi, abſentiam res Ordinum confirmatae eſſent, morte ejuſdem longe maximum detrimentum acceptum eſt, cum nemo eſſet, qui tantae dignitatis et virtutis duci ſuccederet, et Hiſpanis bello externo ſemel obligatis vires ad tutandam provinciam neceſſariae in Galliam ducendae eſſent. Huic expeditioni Petrus Erneſtus Mansfeldius comes, praeſes Belgii ad tempus conſtitutus, Carolum filium praefecit, eique II legiones Germanorum nuper ſcriptas ducibus [i] Anglario Curtio et Joanne Perneſteinio attribuit, cum aliquot [k] Gallobelgarum ſignis. Ipſe ad gubernacula ſedens cum Petro [l] Henrico Acebedio Fontium comite, et Stephano Ibarra, quantum potuit virium penes ſe retinuit, ad Mauritii proculdubio aliquid eo anno molituri conatus praeſto futurus. Carolus cum his copiis [m] Guiſam ineunte Februario venit, et inde [n] Montem Corneti contendit, ubi ſe ei junxerunt Italorum et Germanorum copiae, quae a Gregorio XIIII miſſae fuerant, ducibus Camillo Capiſucco et Appio Contio. Nam Hercules [o] Sfondratus Montis-marciani dux poſt patrui mortem in Italiam revocatus fuerat, nec non et aliae Italorum a Philippo conductae copiae, ducibus Malaſpina marchione et Georgio Baſta, quae in Gallia per hyemem ſtativa habuerant. Erant et in caſtris II Hiſpanorum legiones, quarum tribuni aberant, Caroli imperium pertaeſi. Iter [p] Hanam verſus pronunciatum. [q] Auguſtae Sueſſionum cum eſſet Carolus [r] Laoduni Clavati praefectus ad eum venit, et ut [ſ] Neovillam arcem, quae utrique civitati multum incommodabat, et hoſti, ut aiebat, receptum dabat, in poteſtatem redigeret, rogavit: paucorum dierum moram deſiderari, et ſatis eſſe, ſi vis oſtenteтur: nam defenſores minime oppugnationem paſſuros. Petenti id conceſſum, et Perneſteinio datum negotium; ut cum ſua et Curtii legione, cui per ejus abſentiam [t] Veſpaſianus Arcuenſis comes praeerat, duabus turmis equitum quae ſub Appio Contio merebant, et II tormentis, locum tentaret. Arcis dominus neutris partibus addictus nihil tale ſuſpicans venientibus tribunis vinum et lautia obvia humanitate praebuit. Verum ubi vidit, non ad curandum corpus huc militem divertiſſe, ſed ad capiendam arcem advehi tormenta, mature ſe intro cum ſuis recipit, et infeſta ſclopetorum diſploſione ſe ad defenſionem paratum oſtendit.

INTERPR. [a] *Caſſel.* [b] *de Waldeck, & Genthier de Schwartzenburg.* [c] *de Hohenlo.* [d] *de la Lippe.* [e] *de Witgenſtein.* [f] *de Kirchberg.* [g] *de Lowenſtein.* [h] *de Schauemburg.* [i] *Anglarte Curtio, & Jean baron de Perneſtein.* [k] *Wallons.* [l] *Henriquez d'Açevedo comte de Fuentes.* [m] *Guiſe.* [n] *Montcornet.* [o] *Sfondrato duc de Montemarciano.* [p] *Han.* [q] *Soiſſons.* [r] *Laon.* [ſ] *Neufville.* [t] *il conte Veſpaſiano d'Arco.*

oſtendit. Nullus apparatus bellicus a Carolo miſſus fuerat, quod ſola machinarum oſtentatione obſeſſos deditionem facturos affirmaſſet Laodunenſis. Dum pilae exſpectantur, loco non bene explorato vim ſimulant hoſtes, in eoque conflictu graviter vulneratur [a] Pagellus Pagellius Vicentinus, qui ſponte huic militiae nomen dederat; tandem Claudius [b] Burlota, qui chirurgi munere olim in familia Caroli functus, virtute meruerat, ut legionis tribunus eſſet, et ab eodem Carolo ſeorſim ab aliis ſine imperio miſſus fuerat, ut videret, ne quid in re nihili imprudentia paucorum peccaretur, loco notato, pulſationem fieri, et dejecto muro vim fieri curat a [c] Gallobelgis, quos II Italorum ſigna ſequebantur, ducibus Joſepho Valmarana et Virginio Banca. Defenſores, qui circiter XL erant, impares relicta ruina ſubito ſe ad interius munimentum contrahunt, ac nocte proxima arbitrio Perneſteinii deditionem faciunt. Poſtea Carolus cognito plus privato Laodunenſis odio datum, quam ulli juſtae belli cauſae loci domino ſpoliato, domum reſtituit, et factum excuſavit. Inde Burlota cum delectis miſſus, qui [d] Noviodunum ante biennium a rege captum nocturno aſtu tentaret. Cum conatus fruſtra fuiſſet, defenſoribus, qui rem reſciverant, pro muro comparentibus, ubi paulum illuxit, cum illi quaſi ſecuri ad quieſcendum ſe recepiſſent, rurſus Burlota clara luce vim tentavit, ad locum, in quo foſſa minus profunda erat, admotis ſcalis, quae rurſus juſto breviores repertae ſunt: Itaque accurrentibus ad muros defenſoribus repulſi cum damno hoſtes, Laodunenſi praefecto et Burlotae fratre aliquantulum ſauciatis. Eodem die Carolus cum toto exercitu ſupervenit, et vallo ducto ad ſuperiorem urbis partem, in qua [e] S. Eligii coenobium ſitum eſt, hoſpitium Italis attribuit, quibus Capiſuccus praeerat; cujus laevum latus tegebat Appius [f] Contius pontificiarum copiarum ſummus dux, cum legione Germanorum, quam ductabat [g] Caſtrobrinius. Dextrum cingebant Perneſteinii et Curtii Germanicae legiones. Spatium inter eos et civitatem Gallobelgica legio occupabat. Ducto vallo, ex eo directis IV machinis; aliquot turres et murus interjectus, atque interius propugnaculum tumultuaria opera a defenſoribus excitatum, [*] ac proinde haud ſatis firmum putabatur: inde ad dextram progrediendo pone locum torrente undari ſolitum, ductum erat altius vallum, quo tegebatur Burlotana legio, et ex quo cum X majoribus machinis potiſſima verberatio facienda erat: IↃ Germani, quibus Jacobus Collalti comes praepoſitus erat, et reliquus equitatus proxima hyeme multum imminutus ad alteram urbis partem hoſpitium ſumpſerat, ad impedienda auxilia locis idoneis diſpoſitus. Sub id Meduanius cum copiis, quas penes ſe habebat, in caſtra venit. Exercitu recenſito numerata ſunt in eo XII CIↃ peditum, II CIↃ equitum. Sed magna erat annonae penuria, et ſtipendii inopia: plerique tumultuabantur, nec citra livorem res inter duces, et lente tranſigebantur. Itaque multorum opinio fuit, ſi rex eum delecta manu ſuperveniſſet, longe maximam de hoſte victoriam reportari potuiſſe. Tandem poſt crebras eruptiones et XXIII dierum obſidionem, cum pauci auxiliares, quiſque cum ſacco pulveris, introducti eſſent, et rex tunc ad alia negotia intentus in [h] Turones excurriſſet, praeſidiarii, qui in urbe IↃC circiter erant, partim Galli, partim Helvetii deditionem fecere, honorificis admodum conditionibus, [*] ut videlicet vita ſalva cum armis, impedimentis, ſignis dimitterentur. Datum et hoc eorum virtuti, ut deditio ad triduum ſuſpenderetur, intra quod ſi auxilia a rege comparerent, pacta non valerent. Cum auxilia non venirent, deditio poſtremo ſecuta, et praeſidiarii,

VAR. LECT. [*] ac proinde haud ſatis firmum putabatur *deſunt* Ed. Gen. 1620. *ſed in* Ed. Gen. 1626. MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.* leguntur.

INTERPR. [a] *Pagello Pagelli Vicentino.* [b] *la Barlotte.* [c] *Wallons.* [d] *Noyon.* [e] *Abbaye de S. Eloy.* [f] *Conti.* [g] *Chateaubrin.* [h] *Touraine.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

praeſidiarii, ſicuti convenerat, in tutum deducti ſunt. Capto [a] Novioduno et Franc. [b] Blancardo Cluſello cum valido [c] Gallobelgarum et Germanorum praeſidio loco impoſito, [d] Bohanium tranſlata caſtra, Lucemburgenſis familiae, cui rex ſucceſſit, patrimoniale caſtellum inter ſilvas ſitu munitum, quod xxc peditibus, et xx equitibus tenebatur. Ii deditionem facere juſſi cum initio recuſarent, tandem poſt vehementem pulſationem exigua edita ruina Germanicus Straſoldus, Virginius Banca cum ſingulis cohortibus et Pagellus Pagellius ad oppugnationem ſe comparant. Quo conſpecto obſeſſi qui Novioduno nullas ſuppetias miſſas ſcirent, vitam, arma et res ſalvas pacti Burlotae locum tradiderunt. Inde Carolus cum a patre crebris literis de reditu ſolicitaretur, ne inter incedendum nihil ageret, reflexo ſecundum maris litus itinere Fanum [e] Valerici, quod a Jac. [f] Colvilla Wimaeo Scoto tenebatur, in [g] Somonac aeſtuario, exiguo negotio cepit; praemiſſo Capiſucco cum Italico pedite et Germanis Jo. [h] Manricis Larae, qui [i] Stapulas in poteſtatem redigeret. Id caſtellum eſt in [k] Canchiae amnis aeſtuario ſitum, ortu Jac. [l] Fabri, qui ſtudiis literarum primus noſtra aetate in Gallia facem praetulit, nobile; quod itidem poſt paucorum dierum obſidionem deditum eſt.

VII. VIRIBUS Philippi in Gallia occupatis, quo res in Belgio acrius gereretur, et belli ſaevitia, qui Ordinibus militabant, aut [1] eos deſererent, aut ad conditiones accipiendas adigerentur, in conſilio regio decernitur, ne deinceps bello capti pretio ſe redimere poſſent, aut cum aliis captivis permutarentur. Collationes pecuniarum, quae ab agreſtibus ad incendia et depraedationes vitandas utrinque pendebantur; item ſecuritatis literae, quas e ſacro ordine plerique nobiles aliique ad bona ſua ab igne ac vi aſſerenda accipiebant, capitis addita poena prohibebantur. Ea de re edictum a Mansfeldio Nonis Januarii proponitur, quo feram et immanem ab Albano olim inſtitutam belli gerendi rationem multi etiam ex iis, qui Philippo ſemper fidem ſervaverant, renovatam fremebant, ut videlicet neceſſitas militi in veſtigio moriendi imponeretur, cum dedenti ſe ignominioſum ſupplicium paratum ſciret; nam eadem ſeveritate hoſtem uſurum providebant. Nihilominus ad breve tempus utrinque ita res geſta; ad hoſtis conſpectum, ſignum ex turribus dabatur; tum ruſtici arma corripiebant, et ex pagis ad locum deſtinatum conveniebant, ac periclitantibus opem ferebant; ſi qui caperentur, non pretio vitam paciſci illis jus erat, ſed ſtatim ſuſpendio necabantur. Tandem Ordines eam ſaevitiam peroſi III Kal. Mart. contrarium edictum proponunt, et Hiſpanorum truculentia exagitata, qui per Belgas ipſos Belgium ad excidium petant, univerſos ac ſingulos rogant, obteſtanturque ſe reſpiciant, patriae, conjugum, liberorum, ac poſteritatis rationem habeant, et conſilia ſecum vireiſque conjungant, ad prohibendam Hiſpanorum inſolentiam, tyrannicoque illo mandato revocato communem libertatem tueantur, tempore deliberandi ad proximum Aprilem uſque conceſſo; quo exacto, niſi moniti paruerint, cum iis, qui ad praeſcriptum illud in bello ſe geſſerint, aut collationes recuſaverint, ſe hoſtiliter acturos. Hoc edicto publicato paulum a feritate illa utrinque temperatum eſt, et prior belli gerendi humanior ratio reſumpta. Interea dum Mauritius exercitum inſtrueret, Philippus Naſſovius cum IIII CIↃ peditum et equitum in Lucemburgenſem agrum miſſus, qui fruſtra tentato [m] Viti-fano late praedas egit; dein cognito, Barlaimontium comitem evocatis [n] Mechlinia, Bruxellis, Lira partim Italorum, partim Hiſpanorum praeſidiariis, laborantibus regiis adventare, de receptu cogitare coepit, et per Limburgenſem agrum facto itinere, poſt praedas ubique abactas, et [o] Hannutum in Atuaticis vaſtatum ad ſua incolumis revertit.

VIII. JAMQUE

INTERPR. [a] *Noyon.* [b] *Blanchard du Cluſeau.* [c] *Wallons.* [d] *Bohain.* [e] *S. Valery.* [f] *Colvil de Wemyſs.* [g] *la Somme.* [h] *Manrique de Lara.* [i] *Eſtaples.* [k] *Canche r.* [l] *le Fevre.* [m] *S. Wiit.* [n] *Malines, Bruxelles, & Liere.* [o] *Hannuyt en Brabant.*

NOT. [1] *Sc. regios.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

VIII. JAMQUE Mauritius de [a] Fano-Gertrudis obſidendo certus, quod ſeditione ſeu proditione obſeſſorum potius quam virtute hoſtium ante triennium amiſſum fuerat, cuncta ad eam expeditionem neceſſaria inſtruxerat, praemiſſis aliquandiu ante, qui continuis excurſionibus commeatus in oppidum ſubvectionem impedirent. Tandem cum adhuc Hiſpani incerti eſſent, quo Mauritii conſilia ſpectarent, et potius de [b] Silva-ducis aut Gravia ang●entur, copiae univerſae ad locum deſtinatum admoventur v Kal. Apr. Oppidum eſt in Hollandiae et Brabantiae confinio poſitum; ideoque utri provinciae attribui debeat, ambigitur; piſcationibus opportunum, a ſeptentrione [c] Moſam habet, accepto ad [d] Dordracum [e] Wahali jam latiore; [f] Dunga item alluitur ab ortu, qui antequam in Moſam ſeu Wahalim exoneretur, ſpatioſo alveo inſulam ccc ab oppido paſſibus efficit. Solum uliginoſum eſt, ſcaturientibus aquis, ob idque acceſſu incommodum, ſed aggeribus circumſtructis, et cataractis per loca idonea diſpoſitis, huic incommoditati obviam itum. Mauritius cum legionibus Henrici Friderici fratris, Georg. Eberardi comitis Solmenſis, [g] Gronefeldi et Balfurii occidentem verſus primò caſtra poſuerat. Philippus Hohenlous comes ad ortum in altera Dungae ripa [h] Oſtrohutam verſus cum [i] Brederodii, [k] Lokeri, aliiſque legionibus conſedit: vallo foſſaque ac propugnaculis ſtructis intra ſcloppeti majoris jactum Hiſpani munitionem excitaverant, in [l] Steeloviano aggere ſecus fluminis ripam, quo ad oppidum commeabant, illudque ab ea parte turabantur. Hohenlous, qui ab eo maxime incommodaretur, magno vitae periculo tormenta in inſulam e regione aggeris confeſtim transfert: quo aditus ad oppidum cum prohiberetur, [m] Tovius, qui propugnaculo praeerat, territus deditionem fecit VII Eid. Apr. ob id poſtea a Marco [n] Ria Varamboni marchione in ignominioſum carcerem truſus. Eo capto Hohenlous fluvium duobus pontibus jungit, quorum major navigiis impoſitus, minor malis navium fulciebatur, ita ut hinc inde tuto commeari poſſet. Ab utraque parte naves bellicae excubias agebant. Tum idoneis locis exſtructae molae aquariae erant, et cataractae foſſis aqua jugi implendis, quae inundatione, et maris reciprocantis aeſtu multum damni plerunque accipiebant. A parte fluminis et naves bellicae diſpoſitae erant ſemilunae ſpecie, quae in anchoris ſuis nixae et rudentibus inter ſe colligatae continua ejaculatione obſeſſos infeſtabant; extra has aliae ultro citroque commeabant ſpeculandi gratia. Intra autem ſemilunae ſpatium uſque ſub oppidi moenia vigilias agebant [o] Liburnicae, a quibus explorator captus, qui a Petro Erneſto Mansfeldio miſſus erat, et contra quam rebatur, perhumane per caſtra circumductus ac tandem dimiſſus eſt, ea lege, ut eorum formam ac munitiones Mansfeldio renunciaret. Aliae et naves frumentariae longius loco idoneo inter ortum et occaſum excubabant, quo tormentorum hoſtilium globi pertingere non poterant, ab eaque parte caſtra II milliaria Germanica amplectebantur, et unaquaeque legio ſuas habebat naveis frumentarias; loca autem vadoſa juxta ripam palis et ſepibus contextis obſtructa erant, et naviculis bellicis, ne ad eas acceſſus pateret, firmata. Nautae quoque intra illud ſpatium ſua caſtra habebant: eoque aſtu ad ludificandos obſeſſos utebantur, ut machinas ligneas et naveis vacuas ante ſe ſtatuerent; in quas illi doli ignari continua ejaculatione fulminabant. Sicque brevi effectum eſt, ut paene omnem nitratum pulverem inutiliter conſumpſerint. In continenti caſtra Mauritii ſpatio itidem II milliarium ad Hohenloi uſque caſtra porrecta erant, undique praealto vallo et foſſa munita, et IIII propugnaculis, in quibus ſingulis II tormenta erant, firmata. Ante vallum ad prohibendum hoſti tranſitum foſſa excavata erat

xxx

INTERPR. [a] *Gertruydenberg.* [b] *Boiſleduc, & Grave.* [c] *la Meuſe.* [d] *Dort.* [e] *le Wahal.* [f] *la Donghe r.* [g] *Groeneveldt, & Balfour.* [h] *du coſté d'Oſterhout en un village nommé Ramſdonk par delà la riviere de Donghe.* [i] *de Brederode.* [k] *de Lokren.* [l] *levée de Steelhoof.* [m] *le capitaine du Tou.* [n] *de Rie marquis de Varambon.* [o] *Brigantins.*

XXX pedum latitudine, ad cujus firmandum labrum, quod ſolum paluſtre ac vorticoſum eſſet, in terram pali lignei ſpiſſis ordinibus adacti erant, IIII pedum altitudine, cuſpide ferrea prominente; ita ut noctu propinquantes pectore in cuſpides impingerent, et ſparſis ubique muricibus, aculeis, clavis ferreis, et crebris decipulis, in via ſubſtratis acceſſu ſummoverentur. Praeterea quia ſolum fere paluſtre aqua paſſim ſcaturiebat, et materia abunde non ſuppetebat, qua ſe Mauritiani munirent, faſciculos et viminea dolia ac cuneos ligneos in imo ferruminatos ad vallum fulciendum adhibuerunt, eaque ratione tuti ſub moenia uſque cuniculos duxerunt, in iiſque tormenta diſpoſuerunt, incredibili obſeſſorum, quibus praeter ſpem hoc acciderat, pavore. Ii ultra [a] vallum proprium duo propugnacula prominentia ſtruxerant, quorum alterum Batavi [b] Septentrionales et Scoti, alterum Zelandi et Ultrajectenſes machinis ſuis pulſabant, tumulis juxta excitatis, ex quibus tam crebra globorum grandine ſubjectum oppidum infeſtabant, ut vix ulla domus illaeſa remaneret. Atque ipſius Arauſionenſis palatium, nam oppidum ad Naſſovios pertinet, paene perforatum fuerit: ad id non ſolum foſſoribus, quos multos in caſtris habebant, ſed etiam milite ſponte et alacriter Romanorum aemulatione, quorum exemplum illis ob oculos ponebatur, operam commodante Mauritius utebatur, tantaque diligentia fuit, ut intra paucos dies caſtra tam ſpatioſa, etiam pagum [c] Ramſduneium amplectentia, non ſolum adverſus obſeſſorum eruptiones, ſed etiam contra auxiliariorum vireis munita ſint. Auxit admirationem, quod in iis durante obſidione libere coloni terram arabant, et ruſtici tanquam in alta pace in opere ruſtico laborabant, ab omni injuria tuti, ova, caſeos, butyrum, carnes tanquam ad publicum propolium venaleis ſecure deferentes: nec obſeſſi ſibi deerant, quantumvis res eorum in arcto conſtitutae putabantur, crebris eruptionibus Mauritianos fatigantes. CIↃ [d] Sequani circiter erant, veterani fere, quibus [e] Maſerius vir ſtrenuus Varambonii legatus praeerat. Amiſſis illis, quae dixi, propugnaculis cum ſummopere infeſtarentur, crebris a Mansfeldio ad durandum nunciis confirmabantur, facta ſpe auxiliorum, quae evangelio certius brevi adventura promittebantur; ſic enim ſcriptum erat in literis, quae per columbam uſu jam pridem inter eos recepto ad ſuos pullos redeuntem perferebantur: monebantur et iiſdem literis a [f] Diſma Barga miſſis, ut tumulum terrenum altius exſtruerent pagum Ramſduncium verſus, et ignibus ex turre accenſis ſigna auxiliatibus darent; verum Mansfeldii aſtum contrario eluſit Mauritius, interceptis literis, aliiſque pro arbitrio confictis, quas eidem columbae perferendas aptabat. Hohenlous autem cognito, in turrim crebro praefectum urbis, is Maſerius erat, cum delectis commeare, ut caſtra Ordinum perluſtraret, tormenta omnia in eam dirigi curat, factaque diſploſione Maſerius cum aliis belli ducibus diſcerptus eſt; quo mortuo Geſanus vir bello expertus praefecturam loci cunctorum ducum aſſenſu cepit. Inter haec Mansfeldius, qui tantum III CIↃ peditum, IↃ equires penes ſe haberet, cum periculoſum judicaret cum tam exiguis copiis tam munita Mauritii caſtra aggredi, et alioqui ad exiſtimationem pertinere duceret, obſeſſorum periculum minime negligi, ante omnia Carolum filium e Gallia revocat. Is cum [g] Auxium Ecmondanorum caſtellum veniſſet, in Gallici limitis et [h] Atrebatum confinio, cum de Hiſpano, qui [i] Hedini vim mulieri attulerat, ſupplicium ſumere vellet, ſeditione a ſociis ob non ſolutum ſtipendium excitata prohibitus eſt; quae eo evaſit, ut [k] Gallobelgae, qui pro imperatore ſuo ſtabant, in fugam ſint compulſi, ſupellectile omni argentea Mansfeldii direpta. Quo facto abrogata tribunis

ſuis

INTERPR. [a] *outre les ramparts & cavaliers, il y avoit deux ravelins.* [b] *les Nort-Hollandois.* [c] *Ramſdonck village.* [d] *Franc-Comtois.* [e] *de Mazieres.* [f] *Diſmas de Barges.* [g] *Auxy.* [h] *Artois.* [i] *Hedin.* [k] *Wallons.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

ſuis poteſtate [a] [a]Electum Joannem [b] Andream et Gambarellam majorem centurionem ſibi more ſolemni conſtituunt, ejuſque ductu Pauli-fanum occupant, in eoque loco ſe muniunt, et ſuperiorem in Atrebatibus regionem inter [c] Atiram, Audomarifanum, Bapalmas, Rigiacum, Bethuniam, Hedinum grandi pecuniarum collatione imperata vexant, duravitque ſeditio amplius anno. Eorum exemplo Gallobelgae et Itali ſub Camillo Capiſucco merentes, qui ad [d] Sambrae pontem in Hannonia erant, pariter tumultuati ſunt, vaſtato circum agro, eoque vecordia ipſorum evaſit, ut [e] Montes provinciae metropolim ad IↃ CCCC florenorum per ſingulos dies ſolutionem adegerint. Majore tumultu res acta Berkae ad Rhenum, ubi praeſidiarii commoditate loci ob tranſitum mercium illecti cum grande vectigal conſtituiſſent, exortis quotidie inter ipſos ſeditionibus novos ſubinde electos conſtituebant. Tandem Mansfeldius Bruxellis Antuerpiam venit, ubi ex [f] comitis Fontani ſententia exercitum inſtruxit, Carolo filio jam reverſo, et Italis, Hiſpanis, Germanis, et Helvetiis auxiliaribus, qui ad [g] Argentinenſe bellum miſſi fuerant. Convocari praeterea provinciarum delectus. In eo erant XIIII CIↃ peditum, IIII CIↃ equitum cum XVIII machinis, ſcaphis, alioque bellico inſtrumento. Praemiſſus cum aliquot legionibus Varambonius [h] Turnohutam, quo Mauritiani equites [i] Bredae, Hueſdae, et Bergis ad Somam impoſiti continuo excurrebant. Ibi certatum V Eid. Jun. [k] Riſorio, Marcello [l] Baxio, Edmundo tribuno in regios incumbentibus, et Barlaimontius comes cum IↃ equitibus loco pulſus, et cum jactura in arcem ſe recipere coactus eſt. Ubi Mansfeldius propius acceſſit, munitionem in Stelloviano aggere ſtruit, unde Ordinum caſtra conſpicatus, cum munitiora viſa eſſent, quam ut ea adoriri poſſet, [m] Oſterhutam ac mox [n] Waësbecam et Capellam pagos ad ortum, propius Hohenloi caſtra conceſſit, rei gerendae occaſionem opperiens. Itaque Hohenloo ſtatim auxilio ſummiſſus Franciſcus [o] Veerus cum IↃ Anglis et CIↃ circiter Friſiis; miſſo tum forte a Mauritio tubicine, cum Mansfeldius eum interrogaret, qui herus ipſius in illo adoleſcentiae fervore, quo bellicae laudis decus ambirioſius in animis generoſiorum hominum ebullit, ſe caſtris tanta cura munitis contineret, neque ultro ad prolium aperte conferendum egrederetur? jocoſe et acute reſpondit tubicen, Mauritium juvenem, dum circumſpecte omnia facit et nihil temere tentat, oſtendere id ſe velle, ut in ſenem ac veteranum ducem, qualis ipſe ſit Mansfeldius, aliquando evadat. Summiſſa ſub id a Fontano nova peditum et equitum auxilia, cum IIII tormentis, et magna pecuniae vi ad militis prope jam tumultuantis ſtipendium, crebriſque interim velitationibus inter tam vicina caſtra per XX amplius dies certatum fuit; ac praecipue IX Kal. Jun. quo Hohenlous et Veerus acriter Mansfeldianos ſpectantibus obſeſſis et nequicquam ex alta turri ignem oſtentantibus pepulere, occiſis pleriſque et XL. captis, in iiſque III ordinum ductoribus. Poſtridie, quo beati Joannis Baptiſtae feſtum celebratur, et uſu recepto ignes ubique accendi ſolent, cum auxiliares jactarent fore, ut eo die in oppido liberato publicae laetitiae ignem accenderent, ex [p] Haëni Tornacenſis cohorte miles ſtrenuus ſub meridiem tranſmiſſa ſummo ſilentio foſſa in objectum portae Bredanae propugnaculum crebris tormentorum ictibus ſemidirutum enitendi impetum cepit. Igitur ſuperata ruina cum ſtationes hoſtiles contemplatus, alios milites cibo capiendo intentos, alios ſomno jacentes, cunctos omnino ſecuros videret, ſociis ipſum eminus obſervantibus ſignum dat, ut gradum

VAR. LECT. [a] Electum *deeſt* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *Eletto.* [b] *Andrea, & Gambarella ſergent major.* [c] *Aire, S. Omer, Bapaume, Arras, Bethune, & Hedin.* [d] *Pont ſur Sambre.* [e] *Mons en Hainaut.* [f] *le Comte de Fuentes.* [g] *de Strasbourg.* [h] *Turnhout.* [i] *Breda, Hueſden, & Bergen-op-zoom.* [k] *le Sr de Riſoire.* [l] *Baex, & le colonel Edmonds.* [m] *Ooſterhout.* [n] *Waesbeck, & Capelle.* [o] *Vere.* [p] *Haen de Tournay.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

gradum accelerarent; continuoque illi cum Haëno duce, et [a] Beverius cum ſua cohorte confertis ordinibus in foſſam deſcendunt, et propugnaculum ſuperantes ſtationariis partim caeſis, partim in urbem compulſis occupant: cumque ad ſtrepitum Geſanus urbis praefectus cum delectis accurriſſet, ictu mortarii in capite accepto interfectus eſt, et major centurio graviter ſauciatus. Quo caſu perculſi obſeſſi uno et altero praefecto jam occiſis, et adempta omnino auxilii poſt tot dierum irritos conatus, ſpe, foſſam, qua parte Scoti impetum facturi erant, prope jam repletam cernentes, ſuſtinendae oppugnationi, quae tot locis fieri poterat, impares, ad Mauritium mittunt delegatos, in iiſque centurionem, ut erat, ſaucium, qui cum eo his conditionibus tranſegerunt, ut milites et Hiſpaniae regis miniſtri nec non eccleſiaſtici libere ac citra moleſtiam cum gladiis, equis, et impedimentis dimitterentur, quo vellent in tutum deducendi, ad idque currus et naves a Mauritio commodarentur, de quibus reſtituendis illi idonee caverent. Obſides item darentur, qui in oppido manerent, donec omnia archiva, inſtrumenta, et chartae urbis ad Naſſoviorum jura ſpectantes ſine fraude traderentur. Conceſſum item, ut complicata vexilla humeris efferre uſque ad ultimum oppidi pontem poſſent, quo loco ea Mauritio conſignaturi eſſent. Excepti, qui urbis prodendae ante triennium auctores fuerant, aut operam dederant, ex quibus tres deprehenſi, curru forte everſo, in quo ſub palea latebant, ad patibulum ſtrangulati ſunt. Egreſſi IↃ CC praeſidiarii, qui incolumes [b] Antuerpiam deducti ſunt, miſſa [c] Hagam ſigna: mox ignes in caſtris et in oppido accenſi, et diſploſa ubique tormenta publico gaudio teſtando, deditionis adhuc ignaro Mansfeldio, qui eodem die aliquot delectos in caſtra Hohenloi immiſerat, a [d] Cloëto tribuno et Veero cum ſua equitum ala incumbentibus caeſos. Urbi praefectus Henricus Fridericus Mauritii junior frater, eique vicarius datus [e] Duvenvordius, qui ſtatim ſumma diligentia foſſas et vallum caſtrorum complanari curavit.

IX. MANSFELDIUS aegerrime ferens ante oculos [f] Gertrudis-fanum captum, et obſeſſis tanto tempore ſuccurri non potuiſſe, copias [g] Silvam-ducis verſus promovet, et ad [h] Crepacordium munimentum ad [i] Moſam in faucibus [k] Diſae caſtra ponit. Id ſtructum initio ab Hiſpanis, ut civitates Moſae impoſitae ad officium reducerentur, magno Batavorum incommodo et animi dolore, unde loco nomen, ac praecipue Dordracenſium prohibito commercio navium, [l] Leodico et aliis civitatibus ſupra poſitis eo deſcendentium. Poſtea cum ab Ordinibus receptum eſſet, eadem ratione Silva-ducenſibus ex eo incommodabatur, omni libero commercio inter eam civitatem, et [m] Hueſdam, Gorcomium, et Dordraeum adempto. Mauritius cognito Mansfeldii conſilio, [n] Florum Brederodium Cloëtingenum cum ſua legione mittit, ſubſequi mox juſſis navibus bellicis, pontonibus ac tormentis, qui flumine ſecundo et aſpirante aura delatus incolumis Crepacordium appulit, jactiſque anchoris utramque ripam, nequicquam contra Mansfeldio obnitente, occupavit. Cum Mansfeldius jam ad verberationem cuncta inſtruxiſſet, ipſe Mauritius cum reliquo exercitu obſeſſis praeſto futurus venit, et in Bommelenſi inſula caſtra munivit ad [o] Hoëlum pagum ex adverſo Crepacordii, eumque ſummiſſis tormentis firmavit. Ejus adventu animati praeſidiarii cum ſtrenue rem gererent, et inundationibus ac ſcaturientibus in vallo et foſſa aquis Mansfeldius ſumme infeſtaretur, caſtra movet, et ad ſemileucam locis editioribus transfert: nam canali a Gorcomienſibus obſtructo, et aquis, quae ex [p] Dummela et Aa amnibus per Silvam-ducis fluunt, repreſſis, ſubjectum ſolum late reſtagnabat. Itaque poſt aliquot dierum inutilem moram, lupuletis, quae cerviſiae conficiendae inſerviunt, magno regionis incommodo late vaſtatis,

tandem

INTERPR. [a] *de Bevery.* [b] *Anvers.* [c] *la Haye.* [d] *le colonel Cloët, & le chevalier Vere.* [e] *le Sr de Duyvenvoorde.* [f] *Gertruydenberg.* [g] *Boiſleduc.* [h] *Crevecœur.* [i] *la Meuſe.* [k] *la Dieſe.* [l] *Liege.* [m] *Hueſden, Gorcum, & Dort.* [n] *Floris de Brederode Sr de Cloetinghen.* [o] *Heel.* [p] *le Dummele, & Aa r.*

tandem vaſa conclamat, et Silvam-ducis verſus tendit, ſi forte ex occaſione tam vicini hoſtis praeſidium in urbem poſſet introducere, quod oppidani conſtantiſſime recuſarunt, et ſacro ordini addictis ob id ſuſpectis arma ademerunt, et Mansfeldium ut et prius [a] Fontanum per urbem tranſitum petenteis tam probroſis conditionibus onerarunt, ut illi parum decorum aut etiam tutum urbem his legibus intrare exiſtimarent. Cum vero Mansfeldius munimentum inter civitatem et [b] Crepacordium ad fraenandos, ut aiebat, Mauritianorum impetus exſtruere vellet, illi operas interturbarunt. Itaque parte copiarum in Friſiam miſſa, ipſe cum reliquo exercitu Bruxellas nullo operae pretio facto rediit, Hiſpanis veterano duci et omnium maxime Hiſpano nomini addicto ſuccenſentibus, atque adeo prudentiam ejus deſiderantibus, qui cum Fani-Gertrudis obſidionem ſolvi non poſſe cerneret, ad avertendas hoſtium vireis vicinum momenti alicujus oppidum eodem tempore non oppugnaverit. Mauritius contra re feliciter geſta praeſidia per [c] Bommelenſem inſulam distribuit: et Gulielmo Ludovico Naſſovio Friſiae praeſidi jam ante in provinciam miſſo partem copiarum ſummiſit. Tum Georgium Eberardum [d] Solmenſem comitem in Flandriam ire jubet, ut ruſticos circa [e] Hulſtum et Axelam pecuniae collationem recuſanteis imperata facere cogeret. Ille igitur cum IↃ CCC equitibus, III CIↃ peditum et IↃ foſſoribus [f] Waſianam ingreſſus IX Kal. Sextil. caſtra ad [g] Joannis-fanum ponit, quod Hiſpani, ut et [h] Waërtum ad [i] Scaldis ripam muniverant; et, ad [k] Nicolai-fanum XX C circiter equitibus caeſis, mox munimenta illa Hiſpanis diffugientibus, nec non et [l] Jacobi-fanum occupat; et Waſianae provincialeis ad pecuniae collationem, quam incendii incuſſo ab Hiſpanis metu detrectabant, compellit. Poſtea cognito Chriſtophorum Mondragonium Antuerpianae arcis praefectum cum II CIↃ peditum, et VI equitum vexillis adventare, mature ſine damno ſe recepit, IIII CIↃ jumentorum aut pecorum ſecum abductis. In Friſiam jam ante miſſus Lud. Gul. Naſſovius cum exiguis, quas penes ſe habebat, copiis, [m] Oſtohorna [n] Reidam e regione [o] Emdae profectus, ad [p] Bellinkvordezielam caſtra poſuerat Eidibus Aprilis; quam et munire inſtitit, ut aditum ad [q] Boëretangam praecluderet. Cumque ſub id Fran. [r] Verdugus Groëningae praefectus cum II CIↃ IↃ tam peditibus quam equitibus ſuperveniſſet, ut opus impediret, munimentem jam ad eam altitudinem, ut hoſtium impetus ſuſtinere poſſet, perductum conſpicatus retro ceſſit, et mox acceptis III CIↃ peditum et VIII equitum turmis rurſus ſe obvium tulit Naſſovio in [s] Neovortiana munitione II a Groëninga leucis quieſcenti; atque, dum copiae, quas ad Mauritium miſerat, remitterentur, opperienti; quae cum Verdugus ad vim faciendam ſe pararet, Fano Gertrudis capto, commodum reverterunt; eae erant XX peditum cohortes, et XII equitum vexilla, quibus firmatus jam digreſſo Verdugo [t] Grambergam cum VI tormentis adoritur, eamque et circumpoſitas munitiones Sextili menſe capit. Tum annona [u] Coëvordam et Otmarſumam illata, ad munitiſſimum [w] Wedae caſtellum caſtra ponit, quod admotis ſtatim tormentis deditione recepit, nec non et vicinam munitionem, qua fluvius tranſmittitur. [x] Winſcotena ſtatim deſeritur, totaque Boëretangana potitus Naſſovius munitionem quinquangularem in ea exſtruere coepit, et opus ſumma diligentia feſtinavit, muro ad ſariſſae altitudinem perducto, et foſſa XXC pedum latitudine excavata. Tum armamentarium et tuguria in eo aedificavit, aperto ad annonam ex Weſtfalia comportandam itinere; quod non niſi magno militum numero hoſtis impedire poterat: et ſi tentaret, per Benthemienſem

ditionem

INTERPR. [a] *le Comte de Fuentes.* [b] *Crevecoeur.* [c] *de Bommel.* [d] *de Solms.* [e] *Hulſt, & Axele.* [f] *Païs de Waes.* [g] *S. Jean Stein fort.* [h] *Fort de Waert.* [i] *l'Eſcault.* [k] *S. Nicolas.* [l] *Fort S. Jacques.* [m] *Ooſthorn.* [n] *Rheyde.* [o] *Embden.* [p] *Bellingwarder-ziel.* [q] *Boerentanghe.* [r] *Verdugo gouverneur de Groeningen.* [s] *Fort de Neuwort.* [t] *Gransberg.* [u] *Coevorden, & Ootmarſen.* [w] *Chateau de Wedde.* [x] *Winſchoten.*

ditionem regredi neceſſe habebat. Loco, V peditum ſigna impoſita, duce [a] Gerardo Friderico Junio. Id eo conſilio inſtitutum, quod proculdubio eſſet, ſi eam munitionem aliquandiu contra hoſtem Ordines tueri poſſent, quin brevi Groëningam ad extremas anguſtias adductam eſſent recepturi. Diverſa parte [b] Fridericus comes Bergenſis II CIↃ CCCC peditibus, IↃ CCC equitibus a Mansfeldio ſummiſſis firmatus, et acceptis VIII tormentis per [c] Bocholtam facto itinere [d] Lingenam Nonis Septembribus venit, majores [e] Namurco copias, quae jam [f] Ruremondam pervenerant, opperiens. Quo cognito Ordines Fran. Veerum Zutfaniam cum IIII peditum ſignis, et II equitum turmis mittunt, ad omnem in [g] Veluvam impetum arcendum praeſto futurum. Inde Fridericus Boëretangam tendens, cum omnem aditum occluſum videret, in [h] Twentam deſcendit, et caſtra ad [i] Otmarſumam poſuit, quam VI tormentis poſtquam tota die pulſavit, vallo occupato tandem his conditionibus in fidem accepit, ut milites ſine armis et impedimentis incolumes dimitterentur, fide data intra ſemeſtre in Friſia non militaturos; ordinum ductores, aliique munus aliquod in exercitu habentes captivi manerent. Id actum Eidibus ejuſdem menſis. Otmarſuma capta Fridericus ad [k] Nortlaram cum Verdugo ſe conjunxit, et fruſtra petitis a Groëningenſibus tormentis Wedam vi expugnavit, occiſis in ea CXVII militibus. Capta eodem impetu [l] Auverzielae ad Diepam [m] Caprae comitis ductu, [n] Schlocterae, Griſemnikenae, et Grambergae munimenta duce Cornelio Gaſparino Lucenſi, et trucidati praeſidiarii. Poſtea ad Coëvordam admota caſtra, quam cum vi expugnare non poſſet; ſtructis circum propugnaculis, lenta obſidione premere inſtitit. Groëningenſes inſtabant, ut [o] Reidam et Bellinkvordezielam duceretur, atque ita acceſſus ad commeatum Boëretangam importandum impediretur; ad id VI tormenta inſtructa offerentes. Verum Verdugus, et Hermannus [p] Bergenſis, qui eum eo erat, veriti ne Naſſovius Schlocteram praecurrens via Groëningenſi inſeſſa, quo minus ea ſubvehi poſſent, prohiberet, conditionem non acceperunt, ſed pronunciato verſus Groëningam itinere ſtatim ex improviſo Naſſovii caſtra adoriri ſtatuunt, quibus ille auxiliareis a Mauritio, duce Veero, exſpectans ſe continebat. Id tentatum ineunte Octobri, nec fortaſſe exitu res caruiſſet, niſi a milite ex propinquo accurrente monitus Naſſovius cuncta ad defenſionem in tempore paraſſet. Certatum ibi acriter, ſed pejore Verdugi conditione, qui cum diu nequicquam Naſſovianos ad apertum proelium prolectare conatus eſſet, tandem cum damno Groëningam ſe recepit. In eo VI horarum conflictu ad veſperam uſque protracto, ipſo S. Michaëlis feſto Alexander [q] Gerardius Mediolanenſis, qui primam ſeloppetariorum aciem ducebat, graviter vulneratus fuit. Ex Mauritianis [r] Balfurius Scotorum tribunus in pede ictu ſcloppeti ſauciatus; vulnerati et alii, et multi interfecti. Inde utrinque diſceſſum apperente hyeme, et dilabentibus fere ob coeli et loci incommoditates regiis, quibuſdam etiam ad hoſtem transfugientibus. Itaque ad ſupplendum exercitum Franciſcus [ſ] Saxo Lauemburgicus legionem juſſus eſt ſcribere; quibus dum Verdugus Lingena profectus obviam iret, antequam propior fieret, [t] Dotecomi, Lochemi et vicinorum locorum praeſidiarii eos in [u] Sicambris adorti ceciderunt, ac in fugam verterunt, ſummo legionis vicario [w] Dieſtelingo capto. Vario et eventu aliis in Belgii partibus certatum fuit. Nam Bredani praeſidiarii dum commeatum convehunt, Sextili proximo ab Hiſpanis juxta [x] Moſae Trajectum caeſi ſunt; et mox [y] Bergoſomenſes equites II Germanorum ſignis obviam facti, et loci opportunitate freti, eos

INTERPR. [a] *le capitaine Gerard Frederic de Jonghe.* [b] *le Comte Frederic Vanden Berghe.* [c] *Bocholt.* [d] *Linghen.* [e] *Namur.* [f] *Ruremond.* [g] *la Veluwe.* [h] *la Twente.* [i] *Ootmaerſen.* [k] *Noortlaren.* [l] *le fort d'Auwaerderziel ſitué ſur le Groeningher-diep.* [m] *Capres.* [n] *Schloſteren, Griſemincken, & Granſbergbe.* [o] *Rheyde, & Bellingworderziel.* [p] *le Comte Vanden Berghe.* [q] *Gherardi.* [r] *Balfour.* [ſ] *de Saxe-Lauenbourg.* [t] *Doetecom, & Lochem.* [u] *Gueldre.* [w] *le colonel Diſtling.* [x] *Maeſtricht.* [y] *de Bergen-op-zoom.*

eos aſſultu violento ſolutos poſtremo diſſipant, captis ducibus, qui Bredam ducti ſunt, ſignis [a] Hagam ad Mauritium perlatis. In Sicambris et Guntherus Schuartzenburgus comes, qui IↃ CC Germanos equites collegerat, et Erneſti Auſtrii ad provinciarum ſummam praefecturam deſtinati adventum opperiebatur, magna cum jactura caſtris exutus eſt ab Ordinum praeſidiariis; qui eodem tempore in Limburgenſem agrum crebras excurſiones faciebant, et late regionem vaſtabant. Septembri menſe P. Ern. Mansfeldius delectam militum manum ablegaverat, ſpe [b] Caleti tentandi, quod poſt Giraldi [c] Mauleoni Gurdani, qui ſumma cum virtutis et fidei laude locum diu tenuerat, obitum, a Franciſco [d] Sanpaulo Bidoſſano non ita frequentibus cuſtodiis teneri intellexerat; ſed re detecta et ſummiſſis Anglia et Zelandia proxima auxiliis conatus fruſtra fuit. Oſtendani quoque cum ſibi ab obſidione metuerent, ſummiſſis [e] Neuſtria Anglis, et Gallicis aliquot cohortibus firmati ſunt. In [f] Zirixeam poſtea et [g] Tergoëſam Zelandiae inſulas verſa conſilia, ante XXI annos a Chriſtophoro Mondragonio tentatas; ad quas ex hac occaſione Mansfeldius animum adjecit. Captus noctu fuerat Joannes [h] Antonianus ruſticus praedives et aggerum inſulae praefectus, a quo cum major ſumma, pro libertatis pretio, quam aut poſſet aut vellet ſolvere, minis et tormentis exigeretur, ad extremum homini ad rem domeſticam attento et cruciatibus laſſato ſpes injecta, ſi viam ad invadendas inſulas per vada monſtraret, fore, ut libertati reſtitueretur; quam ille conditionem accepit: et cum ſemel atque iterum ex ſuſpicione ob id in vincula conjectus fuiſſet, totieſque probationibus deficientibus dimiſſus, tandem ab Italo transfuga accuſatus; ſub id tempus, cum rem exequi vellet, et indiciis convictus, [i] Mildeburgi ſecuri percuſſus eſt; ejuſque morte conſilium de inſulis adoriendis evanuit. Nec felicior Mauritii conatus fuit, qui Brugarum nocturno aſtu intercipiendarum ſpe concepta, prope [k] Willemſtadium, ea nova urbs eſt de Wilielmi Arauſionenſis nomine dicta, coactis copiis, et apparatu bellico inſtructo cum CCL navibus noctu inter [l] Sluſas et Blacenbergam ad Flandriae litus cum Philippo Naſſovio appulerat, exeunte Novembri. Inde praemiſſus Solmenſis comes cum delecta manu, qui primam aciem ducebat, et jam [m] Damam pervenerat, cum alii aliam viam ingreſſi ſive a ducibus itinerum decepti, ſive ipſi per noctis obſcurum oberraverunt, vixque tota nocte incedentes ſemimilliare confecerunt. Itaque Mauritius, qui et ipſe ſubſecutus, et, paulum abfuit, aquis ſummerſus fuerat, albeſcente die pulſu tympani ſuos in naveis in tempore revocat, cum jam praeſidiarii re detecta in armis eſſent, et palanteis magna clade afficere potuiſſe putarentur. Inde re infecta in Zelandiam reditum, ubi repente foeda et immani tempeſtate ſuborta pleraeque naves quaſſatae ſunt, et in iis CXL egregie inſtructae, quae ſeptentrionem verſus navigaturae inter [n] Texelam et Nielantiam inſulas in anchoris ſtabant. Nam coorto vento admodum infeſto ac nuſquam ponente, naves inter ſe et ad ſcopulos illiſae, ac ſurſum verſum a fluctibus agitatae, et nequicquam nautis omnem operam adhibentibus, ut periculum evaderent, laceratae atque omnino contuſae ſunt. XL aquis hauſtae cum CIↃ amplius nautis ſeu militibus. Magno ea tempeſtas conſtitit, non ſolum in ipſo diſcrimine verſantibus, ſed longe ab eo poſitis mercatoribus, qui ob cladem communem illo caſu acceptam ſolutiones differri aequum eſſe vix tandem creditoribus ſuis perſuadere potuerunt.

X. APUD nos hoc anno longe maxima rerum mutatio ſecuta eſt, citra armorum violentiam, et praeter utriuſque partis ſpem votumque: cum foederati comitiis indictis et colloquio cum regiis inſtituto res ſuas confirmari, et regem contumaci adverſus

INTERPR. [a] *la Haye.* [b] *Calais.* [c] *Mauleon de Gourdan.* [d] *S. Paul de Bidoſſan.* [e] *Normandie.* [f] *Zirickzee.* [g] *Tergoes.* [h] *Antoine.* [i] *Middleburg.* [k] *Willemſtadt.* [l] *l'Eſcluſe, & Blanckenberghe.* [m] *Dam.* [n] *Texel, & Nielandt.*

adverſus ſuorum preces animo hactenus obfirmatum in odium adduci poſſe ſperarent; regii contra regis cauſam tueri certi, tamen de ejus voluntate ambigentes, bello finem per pacem quaererent; quam poſtremo in adverſariorum aſtu, cum minus putabatur, repererunt. Philippus jampridem et pontifex ab eo inſtigatus comitia regi Catholico creando urgebant; Meduanius autem nihil minus quam de regis creatione cogitabat, quippe qui dignitatem, quam ipſe habere non poſſet, in alium conferri nollet; tamen cum utriuſque opibus et auctoritate niteretur, temere committere nolebat, ut ipſorum voluntati aperte obniti videretur. Cumque electionis negotium adeo perplexum videret, providebat fore vir prudentiſſimus, ut exitum haud facile ſortiretur. Itaque quanquam ſummopere ab electione abhorreret, non dubitavit rem comitiorum aleae committere, quorum longe alium fructum, atque illi putabant, ſe conſecuturum ſperabat; eum nimirum, ut cum provinciarum delegatis coram ageret; et tepeſcentem in multorum animis priſtinum factionis henoticae ardorem renovato regis odio accenderet. Ita ſiquidem ſive innata moderatione, ſive cunctatione toto magiſtratus tempore ſe geſſerat, ut nunquam ad extrema conſilia, quo illum impellebant Hiſpani, deſcenderet, ſed mediam viam incedens commiſſum ſibi negotium non lethaliter vulneraret; occaſionem ſcilicet opperiens, qua ſe dignitate ſalva ac rebus integris, factionis tot difficultatibus impeditae nexibus aliquando exſolveret. Nec ignorabat, quam non belli ſermones de ſe inter Hiſpanos, in legati pontificii familia, et inter pleroſque e ſuis ſpargerentur; ad quorum leniendam invidiam et demerendam delegatorum benevolentiam, ex conſilio eorum, qui circa ipſum erant, edictum ſuperiore anno exeunte propoſuerat, cujus haec ſumma fuit.

XI. Hoc Franciae florentiſſimum regnum in tantam magnitudinem excreviſſe ob praecipuum religionis cultum, et reges ejus, Chriſtianiſſimos et eccleſiae primogenitos propterea cognominatos, longinquas expeditiones contra Chriſtianae religionis hoſtes, atque adeo adverſus eos, qui aliam ab avita doctrinam introducere conabantur, ſuſcepiſſe; huic gloriae participaſſe regni nobilitatem, quae neque privatis opibus, nec labori aut ſanguini pepercerit, ut reges ad haec bella prompto animo ſequeretur. Ardens illud pietatis ſtudium et in regibus, et in nobilitate Gallica ſemper hactenus viguiſſe uſque ad haec calamitoſa tempora, quo ſectaria peſtis orbem Chriſtianum infeſtare coepit; eaque tandem factum, ut Catholici, quos charitatis et idem in religione ſentientis doctrinae unio conjungere debebat, non ſolum ſeparati ſunt invicem, ſed poſtremo ad internecinum bellum deſcenderint, aſtu Sectariorum, qui bellum hoc non propter religionem, ſed ad regnum occupandum cauſantur ſuſceptum. Id peſſimo ac perniencioſiſſimo longe conſilio regis defuncti auribus inſuſurratum funeſtiſſimo bello cauſam dediſſe, nec non et morti ipſius, qui ictu coelitus vibrato, et manu homuncionis, nec ullius alterius ope, et inſciis iis, qui juſtiſſimam alioqui id faciendi cauſam habebant, occiſus eſt. Ab eo tempore ſe ſemper teſtatum non aliud ſibi propoſitum, quam religionis cauſam, et regni ſalutem ac quietem, jura antiqua ac conſuetudines tueri. Itaque cardinalem Borbonium, quem rex defunctus proximum in ſucceſſionis jure declaraverat, inſtrumentis ea de re confectis et in regni curiis promulgatis, regem pronunciaſſe, eique obſequium ac reverentiam deferre communi conſenſu cunctos ſtatuiſſe, ſi per ejus captivitatem licuiſſet; eundem honorem Navarro ipſi delaturo, ſi prout debebat, naturalem patrui mortem exſpectare, intereaque inſtrui in religione et ad majorum ſacra redire, et eccleſiae reconciliari, quam cuncta armis miſcere maluiſſet. Nunc cum eodem in errore perſeveret, minime decere, aut licere, ſi quidem ipſi in Catholica apoſtolica Romana eccleſia remanere cupiunt, ut ei qui ab ea excluſus et omni regni ſucceſſione proinde indignus eſt, tanquam legitimo ſucceſſori obediant. Nam id legibus regni

adverſari,

adverſari, in quo conſtat a Clodovei temporibus neminem admiſſum, qui non CIↃ IↃ XCIII.
Catholicus fuerit, qui non in ea ſe eccleſia vivere et mori velle, eamque religionem HENRICUS IV.
tueri, et contrarias ei ſectas extirpare jurejurando confirmaverit. Id Bioeſenſibus comitiis anno CIↃ IↃ LXXVI magna omnium Ordinum conſenſione ſancitum, et ut lex illa deinceps tanquam certiſſimum fundamentum religioni conſervandae ſubſterneretur, decretum. Itaque et miſſos ad Navarrum et Condaeum tunc in vivis agentem delegatos, qui periculi eos, in quod ſe contumacia ſua conjicerent, admonerent, et ut ſe reſpicerent, ac mature ad bonam mentem redirent, hortarentur. Idem nuper edicto [a] Rotomagi pnblicato anno CIↃ IↃ XXCVIII ſtatutum, et mox alteris comitiis [b] Bloeſenſibus confirmatum; et regem ipſum defunctum tam ſalutari decreto non ſolum ſubſcripſiſſe, ſed fidem jurejurando ad illud ſervandum interpoſuiſſe, ſumpto etiam in id ſacroſancti corporis Dominici viatico, idemque jusjurandum poſt immaniter patratam fratrum ſuorum caedem repetiiſſe; cum et mortuos amplius non timeret, et ſuperſtites contemneret: his rationibus ſe confirmatum arma ſumpſiſſe, ac ſperaſſe, ut Catholici, qui regi ſacramenro devincti erant, eo mortuo in religionis defenſione, quae potentiſſimum ad animos conſtringendos vinculum eſt, ſe conjungerent. Sed contrarium eveniſſe; nam eos deſerta religionis cauſa in caſtris manſiſſe, mortis, ut aiunt, regiae horrore, cujus cauſam falſo in ſe rejiciunt, cum de ea nunquam ſibi in mentem venerit. Ejus autem ultionem cum promitteret Navarrus, et intra trimeſtre ſe Catholicam religionem profeſſurum, eapropter illos ei fidem ſuam et operam ſumma imprudentia addixiſſe; hactenus ſe fruſtra obſecraſſe illos ad vitanda belli tam exitiabilis mala, nt ſecum capita de republica conferrent, conditiones etiam perquam honorificas Navarro obtuliſſe, ſi errorem ejeraret, ſi eccleſiae et ſummo pontifici reconciliaretur, fore, ut ei obedientiam cuncti deferrent. Ad quas illum uno verbo reſpondiſſe, cogi ſe a ſubditis ſuis nolle; atque huic reſponſo adjunxiſſe, poſtquam ei cuncti obedientiam praeſtitiſſent, tunc ſe in libero et univerſali concilio inſtructioni per otium operam daturum. Quaſi in errore toties ab eccleſia damnato auctoritate ſynodorum opus ſit, praeſertim cum is Tridentina, omnium quae unquam actae ſunt, celeberrima improbatus ſit. Poſtea cum Dei voluntate factum eſſet, ut victoria ad Enriacum potiretur, eaſdem conditiones repetitas, non a ſe, nam id decorum pro tempore non fuiſſet, ſed per homines dignitate praeditos et publicae tranquillitatis ſtudioſos, nec non et mox in Pariſienſi obſidione; ſed non propterea illum propoſiti mntati ullum evidens ſignum dediſſe. Itaque cum regis Catholici ope, cui ob praeſentiſſimum tam juſtae cauſae patrocinium cuncti ſummopere devincti ſunt, et Parmenſis ductu obſidio ſoluta eſſet, paulum animis illum concidiſſe; ſed mox diſceſſu copiarum auxiliarium priſtinos ſpiritus reſumpſiſſe, et rurſus petiiſſe, ut ante omnia poſitis armis ſibi fidei ab univerſis ſacramentum diceretur, ac poſtea de religionis cauſa ſe cogitaturum. Enimvero ſi ea in re jubenti paruerint, et pontificis imperium, Catholici regis, aliorumque principum monita, et auxilia neglexerint, cui dubium relinqui, quin religio in apertum periculum devocetur? ſi ille ſolus cum ſuis Sectariis armatus, ipſi inermes ac tantum ſupplices ſe ipſius voluntati ad omne obſequium ſubjecerint? Nec juſte improperari poſſe, quod ei legitima ſucceſſione ad regnum vocato pro majorum religione aſſerenda armis reſtiterint; nam contra meminiſſe ipſum debere, quoties bellum in Gallia moverit, nt novam doctrinam in regnum inveheret, ſparſis paſſim libellis famoſis, quibus et bellum illud juſtum eſſe, et pro religione ac conſcientiarum libertate magiſtratui reſiſtere licere contendebat. Atqui iniquiſſimum eſſe, ut quod illi in nova ſecta condenda, idem ipſis in majorum religione propugnanda non liceat; et neminem ignorare,

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *Eſtats de Blois.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

ignorare, quam periculoſum ſit, ei ſe principi ſubjicere, cujus vitam, mores, atque adeo de religione ſenſum populi ſere ſequuntur, nobilitas vero ſeu metu ſive gratia imitatur. Ejus rei fidem facere, quod multi licet profeſſione Catholici jam ejus partes tutantur, quorum parentes, fratres, cognati, amici ab ipſo vita et bonis per haec bella ſpoliati ſunt; monumenta majorum paſſim in templis ſumma impietate revulſa: nec ſolum ab eo periculum eſſe, quem conjuncti Catholici poſſent fortaſſe inflectere, verum a Sectariis ipſis, qui praeter quam quod magno numero ſunt, tanti regis idem in religione ſentientis favore ſubnixi, nihil non contra Catholicos molituri, nihil non auſuri ſunt; jamque calumniis ubique exagitari Catholicos, et aſtu Sectariorum quaſi ſeditioſos et inobedienteis apud principem ſuum in civitatibus accuſari. Quin et S. Patrum Gregorii XIIII et Clementis VIII bullas, quibus Catholicos ad unionem hortabantur, obtentu immunitatum et privilegiorum eccleſiae Gallicanae contumelioſe rejectas, et ſummo contemptu quaſi pedibus conculcatas fuiſſe a magiſtratibus ac proceribus, qui ſe Catholicos profitentur. Fruſtra igitur adverſarios criminari regis Catholici patrocinium, quod dum objectant, id profecto agunt, ut nos inermeis et indefenſos opprimant. Nos ad religionis periclitantis defenſionem extrema neceſſitate coactos, potentiſſimi principis Galliae foederati opem imploraſſe, qui nulla pactione interpoſita libentiſſime eam detulerit; quo nomine illi cunctos Catholicos, atque adeo univerſum regnum multum debere, tantumque beneficium praedicare et grato animo ejus memoriam conſervare in poſterum teneri. Proinde orare et obteſtari eos, qui in adverſis caſtris militant, per Dei miſericordiam, et ejuſdem eccleſiae, in qua utraque pars ſe mori et vivere paratam proteſtatur, viſcera, ut Sectariorum partes deſerant, et ſecum conſilia ac vires conjungant. Sic enim aſpirante Dei gratia fore, ut remedia deploratis malis opportuna reperiantur, et finis bello internecino imponatur. Ac ne quis principum regii ſanguinis, aut aliorum principum, procerum, ac regiorum miniſtrorum, aut ſe non vocatum, aut non eo honore qui dignitati eorum debetur, in comitiis acceptum iri cauſari poſſit, fidem et decus ſuum obligare ad omnia facienda, quae et ad ſecuritatem ipſorum et dignitatem tuendam requirentur; ſed ea conditione, ut ab haereticis abſtineant, nec ulla longiore mora rem differant, et nodum publicae calamitatis ſine tergiverſatione diſcindant. Videant autem ſolvi illum non poſſe, niſi omnia abjiciant, ut Deo et ipſius eccleſiae ſerviant; ſicque ſtatuant, omnibus charitatibus et affectibus religionem praeponderare debere; neque veram illam prudentiam cenſendam, qua fit, ut officii noſtri ea in re obliviſcamur. Mittant igitur ſuos delegatos ad comitia propediem in urbe celebranda, de conditionibus pro religionis cauſa et pace publica ſecum acturos, quibus et idonee cavebitur, et ſanctis eorum deſideriis, quantum in ſe erit, ſatisfiet. Ni faciant, et neceſſitate cogente foederati ab illis derelicti praeter votum ac voluntatem ad extraordinaria remedia confugiant, ſe coram Deo et hominibus de malis, execrationibus et calumniis, quae inevitabilem regni vaſtitatem ſequentur, hoc diplomate proteſtari, ut ea in ipſos non in ſe deriventur, qui nullas aequas conditiones unquam recuſaverint, et nunc aequiſſimas proponant, atque adeo hujuſmodi, ut ſi eas illi accipiant, extra dubium ſit, quin Catholici conjunctis viribus et animis, de haereticis, quos vincere conſueverunt, plenam victoriam brevi ſint reportaturi. Hoc ſcriptum a Meduanio ſubſcriptum et regni ſigillo, quod in antica parte thronum regium vacuum pro effigie regis coelatum habebat, firmatum, in curia, poſtulante cognitore regio, promulgatum fuit Nonis Januarii ac mox typis mandatum, ut in omnium manus pervenire poſſet.

XII. ADDITA cardinalis Placentini grandi et verboſa epiſtola ad eos qui ab haeretici partibus ſtabant, decimo poſt die ſcripta, qua ſuum egregium in munere ſibi a pontifice commiſſo ſtudium teſtabatur, ad reſtituendum cum majorum religione

Catholica

Catholica ſcilicet-Apoſtolica et Romana florentem quondam regni Franciae ſtatum, quem haereticae ſuperſtitionis furor miſerandum in modum labefecit ac paene convulſit. Tum addebat, ab una ſolaque haereſi, ut omnium ſentina malorum, profectam eſſe illam caliginem, quae ipſorum oculos praeſtringit; idque artibus ac fraudibus Sectariorum fieri, ut eos lectiſſimam vereque genuinam eccleſiae ſobolem, a pietate ac obedientia, quam ſupremo illius capiti ac ſedi apoſtolicae ad hoc tempus perpetuam illibatamque praeſtiterunt, abducant. Ejus nomen propterea ab illis apud ipſos in odium et contemptionem adduci, quod ex ea re ſatis intelligant, vi quadam ac neceſſitate, ut Catholicae fidei cladem perniciemque importari, ſic ſuam pariter perfidiam ac ſuperſtitionem conſtitui; cui alioqui nullus uſquam gentium locus relinquatur, ubi ſuus beati Petri ſolio honos ſartus tectuſque ſervetur. Falſo Sectarios in crimen pontificem vocare, quaſi ad Chriſtianiſſimi regni diſſipationem auxilia vel conſenſum praebeat. Nam quid ea ex re emolumenti ſperare, aut contra quid non incommodi timere potuit? Atqui haud diu eſſe, cum ipſi pontificum paternum in Galliam animum in coelum ferebant, cum ampliſſimis, quae in ſedem Romanam a regum Chriſtianiſſimorum pietate, munificentia, fortitudine olim profecta ſunt, meritis, gratis animis paribuſque officiis pro virili pontifices reſponderent. Sic cum grati animi teſtificatione exceptas ſuppetias a Pio V ad Carolum IX contra Sectarios tranſmiſſas; mirificam inter ipſos et reges Franciae voluntatum conſpirationem, opportuna, crebraque pecuniae et copiarum ſubſidia, legatorum ad illos frequentem miſſionem abunde teſtari perpetuam illorum conſtantiam, et ad tuendam regni ſalutem atque dignitatem promptum ac paratum ſemper ſtudium; ſed eam nimirum vim Sectarii veneni eſſe, ut corruptis judiciis id nunc vitio vertant, quod antea tantopere laudabant; ex cujus etiam contagione quotidie proficiſci tot abſurda totque pugnantia, quae inter ipſos audiuntur, conſtet: nam propalam jactare, eo eccleſiae Gallicanae privilegia et immunitates pertinere, ut haereticus, et in haereſim relapſus et ab eccleſiae corpore excisus, pro rege haberi debeat, quid aliud eſſe, quam inane phrenetici ac inſani hominis ſomnium, ex eadem contagione generatum? Inde nimirum factum, ut cardinalis Cajetanus tam indigne habitus ſit, qui tanquam pacis Angelus in Galliam a Sixto V miſſus fuerat, non ut priſcis moribus legibuſque antiquatis novas pro illis reponeret, ſed veram avitamque religionem ſua pietate ac conſilio conſtitueret. Eum cum illis fruſtra expoſtulaſſe, quod avitae pietatis ac exiſtimationis, patriae periclitantis, et publicae ſalutis obliti ad illius ſe partes adjunxiſſent, quem nemo ignoraret, ab eccleſiae pridem corpore ſecretum, quem ipſi olim hoc eodem nomine et in publicis comitiis indignum eſſe, qui in Chriſtianiſſimi regni ſolio ſederet, ſanxiſſent; cujus arma non alium unquam hauſiſſent ſanguinem, quam Catholicorum; qui denique omnia divina humanaque jura violaſſet; et qui idem ad extremum optimum principem cardinalem Borbonium patruum ſuum, ſub ſacrilega impuri haereticique hominis cuſtodia moerore tabeſcentem extinxit. Mortuo dein Sixto, et Urbano, cum Gregorius XIIII ſedem teneret, [a] M. Landrianum Martio inſequenti miſſum, qui ad literas, quas a pontifice habebat, amantiſſimas hortationes addidit; quibus quod aureis minime praebuerint, inprimis grave crimen fuiſſe, ſed multo gravius eſſe, quod calumnia pro gratulatione repenſa eſt: at vero tam contumelioſe, quam cunctis notum eſt, adeoque indignis modis tractaſſe, non illam quidem membranam ſenſus expertem, in qua pontificis voluntas perſcipta erat, ſed in ea ſupremi eccleſiae capitis nomen et auctoritatem; id demum ejuſmodi eſſe, ut in uno crimine tot novas ſcelerum formas comprehendat, quot adulterinum utrumque

[a] Turonenſium

INTERPR. [a] *Marſilio Landriano.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

CIƆ IƆ XCIII. [a]Turonenſium et Catalaunenſium conventiculorum [b]ſenatuſconſultum voces includit. Atqui horrenda ſtupendaque haec crimina ab iis aure ſurda praeterita, qui eorum ſuo optimoque jure poenas repoſcere potuerunt; ut illa etiam, quae deinde eccleſiaſtici nonnulli perpetrarunt, qui [c]Conventui Carnutenſium interfuerunt. Eandem de communi Galliae ſalute ſolicitudinem attuliſſe Innocentium IX paucorum dierum pontificem. Hujus in locum mox ſuffectum Clementem VIII, in quem, ut primum in ſupremum apoſtolatus faſtigium aſcendit, omnium mentes oculique converſi ſunt, ut in ſplendidiſſimam clariſſimi ſolis lampadem, quam terris luminum Parens, omniſque Deus conſolationis oſtendit, denſiſſimis aerumnoſi hujus ſaeculi tenebris diſſipandis; et cum certiſſimam quiſque ſpem concepiſſet, neminem fore, qui non tantum ad excipiendos tam ſalutaris lucis radios ſinum mentis aperiret, ſed etiam tanto auctore et auſpice ſub Catholicae religionis ſigna ſe reciperet, adulterinum aliud ſenatuſconſultum emerſiſſe in apoſtolicas de ſua legatione literas Catalauni excuſſum; et haec tamen hactenus excuſari ab iis, qui interim haeretico parent, quod ſperent fore, ut ille ad meliorem frugem redeat, ſi quidem vinculis poeniſque a pontifice expediatur. Nunc igitur cum videant, illum in haereſi pertinaciter animum obſirmare, reliquum eſſe, ut eum omnibus toto regno Catholicis pronuncient, nihil ſibi prius eſſe debere, quam ut Chriſtianiſſimo, vereque Catholico regi conſtituendo, cui pareant, in commune conſultent; hoc ſentire prudentiae eſſe, facere fortitudinis, ſimul ſentire et facere perfectae cumulataeque virtutis. Ad id autem perficiendum nullam aequiorem aut honeſtiorem iniri poſſe rationem, quam comitiorum convocationem; hortari igitur, ut in ea re pontificis conſiliis ſua conſilia jungant, et quod eccleſiae, quod religioni, quod patriae debent officium omni procul cunctatione exſolvant. Inprimis eum Meduanio votis animiſque conſpirent, qui cum admirabili pietatis, conſtantiae, magnique animi laude in hoc laborat, ut nobiliſſimum Franciae diadema intactum, integrumque ſervet, et Catholicam una religionem, veramque eccleſiae Gallicanae libertatem propugnet, in eo praecipue ſitam, ne quando illi haereticus jugum imponat. Proinde ab haereticis ſejuncti fidem publicam, ceteraque flagitent, quae ipſis opus eſſe videbuntur, ut ire libere ac redire, dicere ac depromere, quae ad negotii tanti explicationem ſuccurrent, opportuna liceat; Meduanium, in id ſe ſuam fidem obſtringere, ipſoſque adeo in fidem ſuam, hoc eſt, ſacroſanctae et apoſtolicae ſedis tutelam recipere. His ſcriptis, Autricum Carnutum, ubi rex erat, allatis, varie affecti ſunt animi; cum alii riderent, indignarenturque homines deploratae factioni addictos, alieno arbitrio ad omnem auram circumagi, et otio abutenteis inter media bella, quaſi ad ſpectacula ſederent, ludos facere; non comitiorum, ſed armorum tempus eſſe, quorum exitus potius ſpectari deberet, quam quid in ludicris illis conventibus decerneretur. Alii, quanquam omnem de creando rege conſultationem intempeſtivam exiſtimarent, et irritum fore, quicquid in tumultuaria illa deliberatione conſtitueretur; tamen ſic judicabant, id Philippi aſtu et pontificis Hiſpanorum libidini ancillantis inſtigatu fieri, ut obligata ſemel populorum fide, diſſidium, quod olim componi poſſe ſperabatur, irreconciliabile redderetur, et Hiſpani qui ex diſſidii occaſione precariam tantum poſſeſſionem in regno obtinebant, omni reconciliationis ſpe praeciſa neceſſarii auxiliares efficerentur.

HENRICUS IV.

XIII. ERAT in aula tunc Gaſpar Schombergius [d]Nantolii comes, vir ſumma animi ſimul magnitudine ac moderatione praeditus, charitate erga Galliam praecipuus, cum Jac. Auguſto Thuano, a rege ob alia negotia evocato, arcta amicitiae neceſſitudine et voluntatum

INTERPR. [a] *de Tours, & de Chaalons.* [b] *Arreſt.* [c] *Aſſemblée du Clergé à Chartres.* [d] *Nanteuil.*

voluntatum conſenſione conjunctus: cumque pro conſuetudine invicem de republica ſermones ambo ſererent, et programma ipſum a Meduanio publicatum prae manibus haberent, Schombergius vicem regni florentiſſimi dolere teſtatus, valde vereri ſe dixit, ne belli continuatione tandem illud diſſipatum ad Hiſpanorum et aliorum externorum hoſtium injurias et invaſionem pateret. Eapropter cum nullum armorum finem videat, jampridem expetiiſſe, ut aliqua concordiae ratio ineatur; quod cum per ſecreta ſingulorum cum [a] Meduanio et ipſius emiſſatiis colloquia nequicquam antea tentatum ſit, videri ſibi publico conventu opus eſſe, in quo adverſae partis primarii viri de republica palam et libere capita conferant, et mutua charitate imminentem perniciem a cervicibus ſuis avertant. Eum averſari Meduanium ſibi privatim metuentem; neque ab eo ſperari poſſe, ut aſſentiatur. Itaque univerſorum, finem publicis miſeriis quaerentium, conſenſione ad id cogendum eſſe, quorum auctoritatem, velit nolit, defugere non poſſit. Haec dicentem Thuanus excepit, et rem haud difficilem ſibi videri ait: etenim Meduanium, quem vero ſimile ſit, hoc programma ad amoliendam invidiam invitum publicaſſe, ſeipſum in neceſſitatem induiſſe, cum principes regii ſanguinis, alioſque, necnon proceres ac praeſules, qui in regis comitatu ſunt, ad comitia ut venirent, invitavit, et iis libere de rebus ad religionem et regni ſalutem pertinentibus ſententiam dicendi poteſtatem fecit. Igitur ex ultima programmatis clauſula occaſionem arripiendam eſſe, et ut in occurſu infeſtarum claſſium manu ferrea injecta naves ad conſerendam pugnam, ſic illum impoſita colloquii neceſſitate ad pacem cogendum. Nam ex eo id regem conſecuturum, ut utriuſque partis proceres, qui ſe tanquam hoſteis infeſtis animis huc uſque proſecuti ſunt, nunc tanquam fratres complectantur; et vel invito ipſo aliiſque belli ducibus, qui ex calamitate publica privatum compendium captant, aut alioqui pacem metuunt, per colloquium reconciliatis animis concordiae ineundae rationes ineant. Sed videndum, ut id ſalva regis dignitate et cum bona ejus gratia peragatur. Ante omnia videndum, ut de obſequio ac fide ei ſervanda caveatur, [α] quippe quam niſi cum certiſſimo reipublicae, qua religionis cauſa continetur, exitio [β] fallere poſſumus: quod facile ab optimo et clementiſſimo principe impetrari poterit, qui et belli civilis mala ſemper deteſtatus eſt, et a conſiliis pacem eccleſiae ſpectantibus nunquam ſe alienum praebuit. Adhibitus et in colloquium fuerat Ludovicus [b] Revolius unus ex quatuorviris a ſecretis epiſtolis, integritate et prudentia inſigni praeditus; qui cum conſilium probaret, ſupereſſe dicebat, ut id regi approbaretur, quo mature res confici poſſet. Id negotii ſibi ſumpſit Schombergius, vir miri ac nervoſa eloquentia ac regi percharus, qui eo in arcanum ſeducto, Tempus venit, Chriſtianiſſime rex, inquit, ut aut remedium ingraveſcenti malo opportunum adhibeatur, aut ſi id negligatur, tuam regnique cauſam divinae providentiae praejudicio damnatam omnes intelligant. Henoticae factionis principes, quanquam ſe falſo religionis praetextu muniant, atque ut unus ex iis non infacete nuper dixit, ex religionis pallio penulam Hiſpanam faciant, tamen ſic exiſtimare debes, tot opulentas civitates, quae a deceſſore tuo defecerunt, et in eadem rebellione poſt ejus mortem contra te perſeverant, ſerio religionis cauſa niti, potiuſque vitam quam ejus defenſionem depoſituras. Cum illorum ambitione, et cum horum conſtantia acre ac dubii eventus tibi certamen eſt. Etſi aſpirante Dei gratia armorum tuorum conſtans ubique felicitas ad hoc tempus fuit; tamen is exitus tot proeliorum, certaminum, obſidionum fuit, ut potius hoſtes te victorem ſenſerint, quam principem ſuum legitima ſucceſſione ad regnum vocatum agnoverint. Illi fortunae, quae in dies mutat, et nunc ad nos,

nunc

VAR. LECT. [α] ac fidem niſi *Ed. Gen.* 1620. [β] falli poſſe. Quod *Ed. Gen.* 1620.

INTERPR. [a] *le duc de Mayenne.* [b] *de Revol.*

Digitized by Google

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

nunc ad illos tranſvolat, tribuunt, quod divinae prnvidentiae juſtam regum cauſam praecipuo favore ſemper protegenti merito omnes, qui tua victricia ſigna ſequimur, aſcribimus. Itaque a propoſitn prnpterea non dimoventur, intus conſcientia, ut ſibi videntur, tuti, extra tot aemulorum principum, qui huic regno inhiant, armis et npibus defenſi, et eoſdem tandem ſneceſſus a variante ſnrtuna exſpectantes, quos huc uſque expertus es. At enim tuae prudentiae eſt, ſecundis adverſa reputare, et fragilitatis humanae meminiſſe, cujus nimia in prnſperis rebus nblivio eſt. Noſti breveis et mutabileis rerum viceis, et fortunam nunquam ſimpliciter indulgentem: quae licet uſque feliciter tibi aſpiraverit, verendum eſt, ne virtuti aſſidue in periculis verſanti ad ultimum ſufficiat. Quam interim faciem rerum futuram? Cave enim putes, ſi quid humanitus tibi contingat, ſnre, ur ordo legitimus in regni ſucceſſione ſervetur, et hoſtes, quibuſcum hndie tibi bellum eſt, quieſcant: puerum cum patruis ad regni perniciem digladiaturum relinques. Aut tu regnum inſtaurabis, aut idem regni, qui tibi, vitae finis erit: hoc bonos metu futurnrum attonitos habet; hoc malos in ſpem novorum tumultuum erigit. Ut nihil tale accidat, quod vnvemus et ſperamus, quem alium belli hujus utramque partem atterentis finem putas, niſi ut illi, quibus inſtigantibus inter nos malum alitur, mutua laniena confecto regno, ſive auxiliares ſive arbitri inrervenientes, jus, quod nterque nbtendit, potintes viribus, ſibi aſcribant; et dum de religione dimicamus, regnum et cum regno religionem evertant? Igitur ad regni inſtaurationem non armis, quae ad mutuam perniciem vergunt, ſed pace, quae diſſidenteis conjungat, opus eſt. Ejus expediendae quo minus rationes idnneae huc uſque reperiri potuerint, multa in cauſa fuerunt. Hinc animorum ad extrema nitentium alienatin; inde dulce initio inexpertis bellum. Ab altera parte opum et virium fiducia, ſucceſſus felices; tum recentibus odiis et viribus civitatum integris potentiſſimum ad ciendas ſeditiones telum religin; nunc odia poſuerunt, et poſt ſedatas iras lux veritatis animis rediit, expertoſque belli mala populos temeritatis poenitet, et exhauſtis nb commercium tot annos intermiſſum civitatibus, nobilitate ipſa, belli, quo ſinguli quotidie miſerabiliter carpuntur, pertaeſa: acerbum antea negotium quodammodo cum tempore maturuit, ejuſque aggrediendi tantum ab utraque parte occaſio quaeritur, quae tibi nunc per Meduanium ipſum, ſi npportunitate uti voles, commodiſſima offertur: multi circa te, qui jam malo aſſueti de futuro nimis ſecuri ſunt, bellum inchoatum perſequi, quam rem tot difficultatibus implicatam tentare potius habent; et temporibus ſuſpectis verentur ne pacis mentinne apud te injecta, arma tua damnare, hoſtem excuſare, bellique tam diuturni invidiam in te rejicere, et charitatibus denique privatis tuam ſalutem ac dignitatem poſthabere videantur; hoc praeſertim rerum ſtatu, quo non ſolum factionibus ubique regnum ſectum videmus, ſed aulam tuam iiſdem in dies ſubſecari experiris. Scis melius ipſe quid velim, et te domeſtico jampridem malo, quae tua prudentia eſt, quam externo plus angi animadverti: quippe quod nnn ſnlum vireis tuas ſenſim debilitat, ſed conſilia, conatus, expeditinnes retardat, et opportunos rerum tranſitus, in quibus magna victoriae momenta ſunt, inutiliter elabi ſinit. Ego Saxo et ortu hoſpes, ceterum affectu et charitate Francus, extra has ſupiciones, ut mihi videor, poſitus pacem tibi ſuadeo, non ſolum honorificam et in praeſens utilem, ſed etiam neceſſariam. Quid enim magnn principi, qualem te Deus naſci voluit, ad decus et famam illuſtrius, quam in eo regno, ad quod legitima ſucceſſione vocatus es, quietem, quam cuncti optant, nec optatam ſperant, conſtituere, et per eam ſacerdotibus templa ſua, unde per belli rabiem dejecti fuerunt, nobilitati pacatos lares, civitatibus liberum commercium reſtituere? Quid vero utilius, quam pace conſtituta per armorum violentiam confuſa ordinare, hoc eſt, ſingulis ad obſequium revocatis legitimum in univerſos

imperium

imperium tibi ſumere? Hunc enim pacis fructum ſperare debes, quam ut habeas, nullis non conditionibus tibi ſtandum cenſeo; quae quamvis in ſpeciem iniquae, poſtremo in commodum tuum vertent. Principis et populorum diſſidentium ea conditio eſt, ut eorum per bella civilia poteſtas aequetur. Pace facta, qualeſcunque ad jus aequabile inter partes conſtituendum leges dictae fuerint, ita pares efficiuntur, ut princeps ſuperiorem locum per arma amiſſum protinus recuperet, illi inferiores in imo maneant: armis poſitis quicquid illis juris per ea competebat, perit, et tibi accreſcit. Itaque parum prudenter mea ſententia faciunt, qui de pace mentionem injicere reformidant, ne in ſuſpicionem veniant, quaſi imminutam tuam dignitatem et auctoritatem cupiant. Ipſe inter patria arma enutritus, iiſque ex quo in Galliam migravi, gratiam et honores conſecutus, pacem tibi ſuadere non dubitabo; quam poſtremo neceſſariam dixi, quod animo provideam, quod et ipſe ſcis, bellum hoc, quod cum inſanis populis et adverſa factione a pontifice et Hiſpanis adjuta jampridem geris, et cui inſueviſti, brevi aliud, quod adhuc in viſceribus haerens, atque adeo in aula tua latet, in apertum prolaturum, cui ferendo non tu adverſis invictus, ſed ne regnum omne tuum, alioqui potentiſſimum, in tot factiones diviſum par erit. Quid plus a cruenta victoria cum certo periculo exſpectas, quam ut populos nunc rebellanteis in poteſtate habeas? Atqui id tibi citra diſcrimen per pacem licet. Nam populi, qui cum principe ſuo tranſigunt, eum victorem faciunt. Igitur pacem, quam dare debes, omiſſis ſpe et ira fallacibus auctoribus, occupa. Te prudentiſſimum principem, et ſecundis atque adverſis rebus plene a Deo eruditum, rationem potius quam fortunam ſequi decet; et pacem certam, quam victoriam ſperatam malle. Ad nos pertinet, quorum conſilia ſemper utilia expertus es, ne quid in eo negotio majeſtate tua et fide, quae tibi debetur, indignum admittatur; de qua ſi videbitur, ante omnia proteſtabimur, ut qui de pacis colloquio ad hoſteis nuncius mittetur, permiſſu atque adeo juſſu tuo miſſus intelligatur, et obedientiae tibi juratae inſigne extet monumentum. Dicentem interfatur rex, et pacem, quam ſuades, inquit, ſemper optavi, et laetor eam occaſionem dari in meliore mea fortuna, animo reputans, maximae fortunae minime credendum eſſe: nec tam aut inſidiae meorum, aut eventus dubii, quos nuſquam minus quam in bello reſpondere ſcio, terrent, quam me patriae charitas et tot populorum ſub intolerando diuturni belli pondere gementium calamitas angit, cui finem vel cum vitae meae periculo imponi cupio. Religionem, quam objiciunt, ſcis quam minime pertinaciter defendam, qui doceri et ad ſalutem, ſi in errore ſum, viam aperiri per ipſos, qui me oppugnant, ſemper petii; aliis, quos in occulto conſcientia remordet, ſuccenſeo; aliis, qui vere religione ducuntur, facile ignoſco; utroſque in gratiam recipere paratus, ſi non potius fortunae adverſae taedio, quam quietis deſiderio bellum deteſtantur. Sed videndum, ne inter colloquia noſtrorum animi relangueſcant, illorum vires per hoc reſpirandi intervallum colligantur, nec tam ipſe pacem dare, quam petere ab iis videar; quanquam ſic tecum exiſtimo, in bellis civilibus pacem qui dat, petitque, dando et petendo accipere, ejuſque potiorem eventu conditionem eſſe, qui jure potior eſt. Quicquid id eſt, prudentiae tuae committo, ut cum aliis mihi fidis videas, ne homines pravis conſiliis exitum circumſpicientes, dum ad bene conſulendum invitantur, ex eo male faciendi occaſionem capiant, et in omnibus ſalva mea auctoritas non ſolum cum illis, ſed inter meos maneat. Initio placebat, ut aliquis e regis conſiliariis fide a Meduanio interpoſita Lutetiam mitteretur, qui principum, praeſulum ac procerum Catholicorum, qui in regiis caſtris erant, nomine, rem coram in foederatorum conſeſſu diſceptaret. Sed rex veritus, ne plus juſto ſe demittere, ac nimis pacem velle videretur, ex eoque illi inſolentiores redditi aut legatum

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

minus digne acciperent, aut duriores in pacis conditionibus ſe praeberent, ſcripto rem explicari voluit, quod VI Kal. Feb. captata ex Meduanii programmate occaſione in haec verba conceptum eſt: Principes, praeſules, ac proceres, alioſque, qui circa Regem ſunt, ita cum Meduanio judicare; belli tam calamitoſi continuationem ſecum regni ruinam trahentem religionis quoque Catholicae perniciem allaturam, idque magno ſuo cum dolore providere illos, qui regem legitimum a Deo datum, prout jure naturali obligantur, colunt, eoque animo ſemper ei operam navaſſe, ut regnum ab exitio defenderent, et cum regno religionem alioqui periclitantem tuerentur; praeſertim cum viderent, exteros nominis Francici hoſteis per civile diſſidium in Galliam introductos, ad eam diſſipandam et bello nuſquam deſituro vaſtandam, certo ſacri ordinis, nobilitatis, civitatum exitio, quod ſecum religionem quoque traheret. Eapropter cunctos bene erga patriam animatos Francos totis corporis et animi viribus conniti debere, ut regni diſſipationi, et religionis Catholicae periculo praevertant; id autem non alia ratione fieri poſſe, quam ſarta inter partes conciliatione; ſic enim fore, ut majorum religio inſtauretur, ſacro ordini ſua dignitas ac praerogativa ſervetur, juſtitia reſtituatur, nobilitas priſtinum vigorem ad regni defenſionem recuperet, civitates commercio reſtituto et opificio, quibus plebs alitur, diteſcant, et ſtudia literarum refloreſcant, agri ubique ſentibus horridi ac ſitu ſqualentes colantur, quiſque per pacem munere ſuo fungatur, Deus in ſpiritu ac veritate adoretur, et populus ea felicitate laetus omnia fauſta precetur tanti boni auctoribus; ut contra merito eos execratur, qui ambitione ſeu pervicacia ſua quominus quiete a cunctis expetita fruatur, impedimento ſunt. Quapropter cum Meduanius ſcripto illo, tam ſuo quam ſuae factioni addictorum nomine profiteatur, conventum, qui Lutetiae celebratur, pro religionis et publicae tranquillitatis bono indictum eſſe, quod tamen minime ſperari poſſit, cum ceteris ad illum liber acceſſus non pateat, principes, praeſules, ac proceres, qui in aula ſunt, vieiſſim tam ſuo quam aliorum Catholicorum, qui regis partes ſequuntur, ut in cauſa religionis, ſic in obſequio, quod regi debent, unanimiter perſeverantium nomine, regis permiſſu, Meduanio aliiſque ejuſdem familiae principibus, praeſulibus, ac ceteris, qui Lutetiae convenerunt, denunciare, ſi delegatos e ſuo numero viros egregios loco inter urbem et [a] Dionyſii-fanum commodo miſerint, ut de religione et regni ſalute in commune conſulatur, fore, ut et ipſi ſuos tempore condicto mittant. Quod ſi illi facere recuſent, et potius ducant ad extrema contra regni leges deſcendere, et cum regno religionem manifeſto periculo objicere pergant, a majorum virtute degenerantes, et Hiſpanorum de Francorum dementia ſuperbe triumphantium libidini patriam exponentes, proteſtari de innocentia ſua, ac culpam tot calamitatum in eos merito rejicere, qui ambitione caeci, omni concordiae abjecta ratione, gloriae Dei et regni ſaluti privata commoda praetulerint. Per tubicinem ſcriptum a [b] Revolio ſubſcriptum Lutetiam mittitur.

XIV. BIDUOQUE poſt rex, cujus juſſu id actum fuerat, edictum proponit Meduanii ſcripto contrarium, quo de egregia ſua erga rempublicam voluntate quaedam honorifice praefatus, Dolere ſibi dicit, quod in ea tempora inciderit, quibus plerique a priſtina conteſtatae veterum Francorum erga reges ſuos fidei gloria degenerantes, conſilia ſua ac vireis ad regiam auctoritatem oppugnandam verterunt, quaeſito religionis, quam falſo mentiuntur, colore. An enim bellum nefarium, quod beatae memoriae Henrico regi ſemel atque iterum intulerunt religioni aſſignandum? Cum ille Catholicam religionem ſummo ſtudio ſemper amplexus ſit, et ab ejus inſtitutis devios, tunc cum eum [c] Caeſaroduni obſederunt, armis perſequeretur. Nunc vero idem illos contra ſe bellum eodem praetextu perſequi; quam id falſo, jam luce

clarius

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *de Revol.* [c] *Tours.*

clarius ab omnibus cerni, quantoque tectius ac ſtudioſius velatur, tanto magis emi-nere ſcelus et apparere; jamque omnibus conſtare, hunc, quem intuentur et ſentiunt, conſpirantem in patriae exitium ſceleratorum conſenſum, non religioni, ſed tribus cauſis tribui oportere; nimirum improbitati eorum, qui incredibili regni occupandi ac diſſipandi ardore flagrantes, ſe perditae factioni duces praebuerunt; deinde exteris regni hoſtibus, qui hanc idoneam magis, quam antea evertendi imperii occaſionem nacti pro inveterato odio ſe iis auxiliareis ultro adjunxerunt; poſtremo ex infima plebe perditis hominibus, qui a fortunạ derelicti et aliorum ſecundas res malignis oculis intuentes, opum parandarum deſiderio ac impunitatis ſpe, ſe ad eorum partes aggregarunt. Cum autem ita fere divinae providentiae in omneis partes admirandae ratio comparata ſit, nt ex deteſtandis quibuſque ſacinoribus etiam quod ſuam gloriam illuſtret, eliciat, et exprimat, nullo illuſtriori id exemplo probari poſſe, quam Meduanii, qui nefaria ſua conſilia, ſcripto de habendis Lutetiae comitiis edito, quaſi propria confeſſione prodidit ac patefecit: nam eum ejus oratio omnis in hoc potiſſimum laboret, ut probitatis ſimulatione boni viri ſpeciem tueatur, nihilque praecipui ſibi arrogare videatur, nullam tamen ſuae̦ in patriam impietatis clariorem teſtificationem dare potuiſſe, quam cum edicto condito ac ſigillo regio firmato regni comitia indixit. Id enim ad ſolos reges pertinere. Videri quippe in arcem regii faſtigii invadere et crimine majeſtatis teneri, quicunque principatus inſignia ſumit, et regia jura uſurpat. Quae vero poſtea ſubjicit, quis tạm rudis et imperitus, qui non falſa protinus pronunciet? Nimirum Salicam legem, ne debitum ſibi obſequium deferant, obſtare, legem regno ſalutarem, quae cum regno coepit, ad quam Franci non facti ſed nati, non docti ſed educati ſunt, cui ſecundum Deum acceptam ferunt perpetuam et tot ſaeculorum ſerie florentem imperii ſui incolumitatem. Hujus legis praeſcripto ac Dei voluntate ad regnum capeſſendum accedenti injuriam fieri, cum res jam inde a conſtituto regno certa, nunc in contentione ponitur. Salicae legis eam eſſe vim, ut nullo jure ei derogari poſſit, nec reges ipſos, qui legibus ſoluti ſunt, in eam jus ullum habere. Itaque fruſtra objici Bloeſenſe decretum anni CIↃ IↃ LXXX VIII; nam legis eſſe, non regis, de regni ſucceſſione decernere. Deinde quis ſanus ea comitia pro legitimis habeat; in quibus libere ſentiendi et ſententias dicendi facultate erepta, cuncta ad proximi regis auctoritatem convellendam, et conjurationem, cujus nunc mala cuncti experiuntur, adverſus eum ineundam, comparata, nemo eſt qui neſciat? Quid quod regi ipſi vim allatam illo conjuratorum hominum conciliabulo conſtat? An enim par eſſe credere prudentiſſimum principem eam legem violare voluiſſe, quae Franciſco avo ad regnum patefeciſſet aditum? Quid quod nec ipſi illius violandae auctores decreto ſteterunt? [a] Nam ſi Meduanius illud non iniquum, imo irritum judicaſſet, cur ſe vacantis regni, non cardinalis Borbonii vicarium indigetabat? Cur non regium nomen ipſi cardinali deferebat? Cur poſt injurioſe abrogatum regi defuncto imperium, aut ſtatim atque immani parricidio interfectus eſt, non eum regio nomine inſignivit? et plus trimeſtre elabi paſſus eſt, uſurpatis interim regiis titulis, anteqnam ejus nomen actis publicis inſerendum curaret? Id indicio ſatis eſſe, decretum Bloeſenſe ipſos, qui illud tantopere venditant, pro ludibrio habuiſſe, et Meduanium interim ſe alieno nomine muniviſſe, ut ſuas opes firmaret, et ſenſim pedem in dignitatem regiam inſerret, inque ſummae dominationis poſſeſſionem veſtigium poneret. Quod vero ſacra inaugurationis tantopere in ſe deſiderant, non eſſe cur propterea quiſquam bene erga Franciscum nomen affectus a fide et obſequio diſcedat; regiam majeſtatem per ſe ſtare, ſuis viribus

VAR. LECT. [a] Nam ſi Meduanius illud violandae auctores decreto ſteterunt: Nam ſi *Haec typographi errore* Ed. Gen. 1620. *inſerta, poſterioris* Ed. Gen. 1626. *auctoritate ducti, delenda cenſuimus.*

CIϽ IϽ XCIII. HENRICUS IV. viribus niti, nec quaeſitis aliunde praeſidiis egere; quippe poſt dignitatem adeptam cum multa contingere poſſint, quae moram et impedimentum conſecrationi adferant, quae minime fraudi eſſe debent, quominus illo temporis intervallo reges cenſendi ſint, et populi eorum dicto obedientes eſſe debeant. Nihil, ne minimum quidem, inter regem regiamque poteſtatem eſſe, nec regiam dignitatem ſeparatum quiddam extra regni adminiſtrationem dici aut fingi poſſe. An enim ipſum primum eſſe, qui ante inaugurationem regnum capeſſiverit? Neque verò recuſare, quod ſaepius profeſſus ſit, ſi erroris coarguatur, quin meliora in religione amplectatur, et ſacris ſolemnibus ac ceremoniis, quae in conſecratione veteri majorum inſtituto uſurpari ſolent, ſi quando res poſtulabit, defungatur, eaque omnia faciat, quae ad populi ſui promerendam gratiam et ſolvendos ſcrupulis animos requirentur. Sed Catholicorum in eo aequitatem deſiderare, quos aequi bonique conſulere par ſit, ſi ab ea religione, quam cum lacte ſuxerit, ſtatim deficere, aliaque commutare, niſi quam melius edoctus veram eſſe compertum habeat, perſuaderi non poſſit, eaque in re majorem cautionem cenſeat adhibendam, quod ſumma ſalutis aeternae in eo verſetur, et ipſe plures ſuo exemplo in eundem ſenſum ſit pertracturus. Itaque ſaepius de concilio adverſarios interpellaſſe, non ut conciliorum auctoritatem, quod perduelles jactitant, convelleret, ſed ut in eo cum iis, qui eandem doctrinam amplectuntur, de errore edoceatur. Alioqui, ſi concilio denuo retractari, quae aliis conciliis deciſa ſunt, vitioſum eſſet; ſequeretur, omnia poſteriora concilia, quae priora confirmarunt, vitio celebrata eſſe. Quod ſi expeditior ad inſtitutionem via commonſtrari poſſit, eam ſe minime aſpernaturum, ejuſque rei ſatis clarum documentum dediſſe, cum principibus, praeſulibus, aliiſque qui a ſuis partibus ſtant, legationem ad pontificem mittendi poteſtatem fecit, et ipſos adverſarios toties hortatus eſt, ut per otium, nam inter armorum ſtrepitum non licet, de ſe ad Catholicam religionem informando ratio iniretur, eaque de re colloquium inſtitueretur. Sed illos ſe ab hoc conſilio non abhorrere tantiſper demonſtraſſe, dum Hiſpanos pacis ſuſpicione injecta ad conditiones quas vellent, pertraherent. Nihil vero minus illos velle, ac ſummopere id reformidare ex eo apparere, quod nunc ſcripto eam rem pro deſperata haberi volunt, quam ne quidem unquam in medium propoſuerunt, et ſimulatque Piſanii marchionem virum ut natalibus, ſic pietate ac fide inſignem ſuo permiſſu Romam legatum intellexerunt, contrarium legatum eodem miſiſſe, ut communicatis cum Hiſpana factione conſiliis, ne ille a pontifice admitteretur, omni ratione impedirent. Ea fiducia quoties ſermo de ſua ad Catholicam religionem converſione incidit, ſpecioſe palam jactare, ſe in pontificis poteſtate futuros, et quicquid ille ea in re ſtatuerit, ei obtemperaturos. Atqui non deſperare, quin pontifex aſtus illorum, qua prudentia eſt, pervideat, et de re omni pro ſua aequitate quod rectum erit decernat. Et vero fruſtra ſperare illos, ut his artibus ac fraudibus Catholici a patriae propugnatione abducantur, et cum ipſis impietatis ſocietatem contrahant, conſultum utique factuos, ſi ad Catholicorum et vere Francorum, qui regiae cauſae ſtudent partes tranſeant, et ſe tanquam membra reliquo corpori adjungant. Nam exceptis Lotaringicae familiae, qui exteri ſunt, principibus, regii ſanguinis principes, praeſules, proceres, magiſtratus, omnemque fere nobilitatem, qui univerſum rei Gallicae corpus conſtituunt, a perduellium cauſa alienos ſecum ſtare; quippe qui non propriam, ſed regni cauſam defendant; ac meminiſſe debere eos, qui nunc id agunt, ut cineribus patriae ipſos incendii auctores Hiſpanos late dominos imponant; quantis animis et ſui majores et ipſi pro finibus contra illos certarint, quibus nunc ad regnum invadendum per ſummum ſcelus ac dedecus, auro ſcilicet externo corrupti, portam aperiunt. Sed eo minus id mirum videri, quod ullo recentis parricidii in regem patrati ſenſu non

ſolum

ſolum non tangantur, ſed etiam Numini tam immane facinus, quod perpetuam ignominiae notam genti Gallicae inurit, aſcribant. Neque vero ad tanti criminis purgationem ſatis eſſe, quod ſacti conſcientiam ad ſe pertinere negant; nam ſi hoc hominibus perſuadere voluiſſent, ob id publice laetari, Deo gratias agere, percuſſoris denique nomen honorifica memoria proſequi non oportuiſſe; quin potius commiſeratione patriae, quae illos aluit, educavit, benigne fovit ac complexa eſt, ex tenuibus et obſcuris in altiſſimum dignitatis faſtigium evexit, cum primariis aequavit, opibus cumulavit, commoveri et illachrimari debuiſſe, et a ſocietate cum feris gentibus, ut lingua ſic moribus a candore Gallico omnino alienis, abhorrere. Quibus rationibus ſi illi flecti non poſſent, at valituras eas in id, ut, contra quam perditis hominibus perſuaſum erat, ii, qui regiam cauſam huc uſque tutati ſunt, ad eam defendendam vehementius quam antea accendantur. Ipſum certe ſe illis ea in re exemplo ſuo praeiturum, non labori, non valetudini, non vitae ipſi parcentem. Notam ſuam eſſe erga Catholicos et ſacrum ordinem aequitatem ac moderationem, et quae regni auſpiciis promiſit, religioſiſſime ſervaſſe. Quod licet huc uſque ſumma fide praeſtiterit, tamen ad omnem ſcrupulum ex animis evellendum, ea ſe ad ultimum vitae ſpiritum conſtantiſſime porro ſervaturum, ex animi ſententia denuo jurare, idque coram Deo Opt. Max. teſtari, ac nunc confirmare, atque unice optare, quae in ſe deſiderentur, ea ut recte ordine et convenienti ratione impleantur, quod ejuſdem Dei gratia aſpirante fore ſpondeat ac recipiat. Interim de concilii ſententia, cui principes, praeſules, proceres, magiſtratus, aliique ſumma prudentia praediti viri interfuerunt, edicere, quod Meduanius regni Gallici comitia ſcripto publicato indicere auſus eſt, contra fas, rempublicam, ac regni ipſius leges feciſſe; ac proinde quicquid in iis dictum, ſtatutum ac decretum fuerit, irritum nulliuſque momenti habendum. Eodem edicto, quod in ſenatu recitatum, et in acta publica [a] Caeſaroduni Turonum relatum eſt, omnibus cujuſcunque conditionis ſint, civitatibus, univerſitatibus interdicitur, ad illa comitia proficiſci, mittere delegatos, conſilia ſociare, aut aliquid opis eo tendentibus aut redeuntibus impertiri; qui ſecus fecerit, atque adeo ipſe comitiorum actor primo capite legis majeſtatis teneatur: conceſſum quindecim dierum ſpatium a publicatione edicti, civitatibus, collegiis ac etiam privatis, intra quod ſi ad ſaniora conſilia redeant, ejuſque rei teſtationem apud acta ſenatus, cujus juriſdictioni ſubſunt, interpoſuerint, poenitentiae et impunitati locus ſit.

XV. Missa Lutetiam principum ac praeſulum denunciatio per tubicinem, poſtquam in arcano perlecta eſt, qui aderant, rem multis difficultatibus involutam judicantes, id inſigni aſtu factum interpretabantur, ad negotium, quod in comitiis agitabatur, diſturbandum, et odium publicum in delegatos derivandum, ſi pacis et conciliationis conditiones rejicerentur, ſtrata interim Navarro ad regnum via. Movebat eos, quod in ſermonis progreſſu, ſcripti auctores religionem quaſi regni appendicem faciebant, nihilque niſi permiſſu et cum regis venia ſe facere profitebantur, quem ſibi a Deo datum, et ad cujus obſequium jure naturae ſe devinctos dicebant, ſcriptumque ipſum a Revolio tantum, qui Navarro a ſecretis epiſtolis erat, ſubſcriptum eſſet. Itaque illud minime reſponſione dignum quibuſdam videbatur: et cardinalis Placentinus primo aſpectu pernicioſum et impietatis ac Sectariae pravitatis plenum pronunciavit; et ut evidentius de eo conſtaret, quandoquidem ad fidem pertineret, negotium dedit delectis theologis ſcripti examinandi, et de illo cenſuram ſuam publicandi. Id actum conventu in Sorbonica ſchola celebrato, ex cujus ſententia, adductis in

INTERPR. [a] *Tours.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

in medium multis argumentis, exemplis ſcripturae, ac patrum teſtimoniis, ſcripto publicato pronunciarunt, denunciationem illam abſurdam, haereticam, ſchiſmaticam, impietatis et contra eccleſiam rebellionis plenam; quippe aſſerentem haeretico relapſo, damnato, et extra eccleſiae communionem poſito, ad regnum Chriſtianiſſimum jus competere; eum a Deo datum, eique obedientiam jure naturali ac legitime deberi. Itaque ſuſpenſa ad aliquot dies fuit deliberatio, dum principes ac ceteri ordines, ad quos denunciatio inſcribebatur, conveniſſent. Tandemque VII Kal. Martias res frequenti coetu agitata fuit, multaque in eam rem utrinque graviter et acriter dicta; conſtare et experimento et conſtanti antiquitatis teſtimonio, colloquia de religione inſtituta ſemper funeſto ac periculoſo eventu fuiſſe; vinci quippe Sectarios, ſed convinci et perſuaderi non poſſe; et hujuſmodi collationes, ſicuti ad Theodoſium inquiebat Siſinnius, non ſolum non ſarcire ſciſſuras, ſed contentiones magis accendere; non ſedare ingenia, ſed irritare. Sed contra objiciebatur, non minus periculoſum ac invidioſum eſſe, collationem recuſare, in qua pacandorum motuum, et religionis ac imperii in tuto collocandi rationes inirentur: quod ſibi Navarreni propoſitum dicebant, proteſtatione adjecta, ſi ea rejicerentur, ut quaecunque in regnum calamitates deinceps incumberent, earum invidia a ſe in colloquium recuſantium culpam retorqueretur; jamque multos ſecus interpretari moram in eo negotio a foederatis interpoſitam, idque in invidiam ipſorum artificioſe ab aemulis verti, quaſi paucorum ambitione omnem conciliationis rationem rejicientium fiat, ne conſilia ſalutaria in tam praeſenti periculo capiantur. His accedere confuſum rerum ſtatum, populi egeſtatem, et inprimis civitatis Pariſienſis, et incertam de exercitu brevi venturo ſpem, ſine quo nihil dignum comitiorum auctoritate tentari queat. Praeterea programmate ſuo Meduanium ad id partis adverſae ſocios invitaſſe, quos cum audiendos cenſuerit, turpe illi eſſe, nunc colloquium detrectare; et fortaſſe ex eo hunc fructum longe maximum conſecuturum, ut Catholici a Sectariorum ſocietate divellantur, et Catholicorum unitorum partibus aggregentur: quod ſi non ſuccedat; at invidiam, quam in nos adverſarii derivatam cupiant, in ipſos retortum iri, conſtiturumque palam ac ſine fuco omnibus, pertinacia illorum fieri, ne religioni et imperii incolumitati conſulatur; ac porro foederatos cauſae ſuae jus cunctis approbaturos, ſi cum aliter non poſſent, neceſſitate victi ad extrema conſilia deſcendant. Secundum haec communi trium ordinum conſenſu decretum fuit, ne ullum cum Navarro aut alio haeretico directe vel indirecte de re, quae ad ipſius auctoritatem, ac dignitatem ſtabiliendam, aut de religione controverſiam ſpectaret, colloquium inſtitueretur; liceret, cum Catholicis ejus partibus addictis de rebus ad religionem, regni ſalutem, et ipſorum ad eccleſiam Catholicam apoſtolicam Romanam reconciliatione pertinentibus, capita conſerre, conſulto prius pontificio legato, et ad denunciationem temperatis verbis citra acerbitatem, quam fieri poſſet, reſponderetur: nihilominus tam in illa reſponſione quam in colloquio rationes adduci poſſent, quibus probaretur, nec haereticum, nec quempiam, qui aliam quam Catholicam apoſtolicam Romanam religionem profiteretur, in regem aſſumi poſſe.

XVI. ID cum per delegatos legato ſignificatum eſſet, et ipſe conſilium probaret, ſperans fore, ut Catholici, qui regi militabant, ab ejus partibus per illud colloquium alienarentur, tandem reſponſio quaſi in conventu confecta IIII Non. Mart. et ad principes, praeſules, proceres, nobiles, qui Navarri partes ſequantur, ſic enim titulus praeferebat, per tubicinem [a] Autricum Carnutum miſſa eſt; Meduanii ducis tanquam imperii ac coronae Franciae generalis vicarii, principum, praeſulum, procerum ac delegatorum Lutetiae convocatorum nomine, et ab amanuenſibus delegatorum e tribus

INTERPR. [a] *Chartres.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

tribus ordinibus ſubſcripta. Ea autem erat hujuſmodi: Accepimus literas veſtras per tubicinem ad nos ante aliquot dies miſſas; optamus, ut eae a vobis profectae ſint, eoque animi ardore, et erga religionem, eccleſiam, pontificem, et ſanctam ſedem ſincero affectu, qui ante has ultimas miſerias in vobis erat. Hoc ſi eſſet, facile in amicitiam coiremus, verſis contra Sectarios viribus, nec aliis armis ad frangenda et disjicienda nova altaria contra noſtra nuper erecta opus haberemus, et ad impediendum, ne haereſis altiores radices agat, quae nimium diu tolerata aut potius praemio et honore culta, tunc cum poena egebat, non ſolum hodie admitti et approbari petit, ſed domicilium ſub principe Sectario imperioſe ſibi arrogat. Quanquam autem a nemine eorum, quorum nomina praeferunt, literae ſubſcriptae ſint, ob idque merito dubitare poſſimus, a quo illae miſſae ſint, vel potius ex eo nobis certo conſtêt, eas aliena voluntate ſcriptas eſſe, neque jam libertatem apud eos, quibuſcum ſtatis, integram manere ad conſultationem eorum, quae ad religionem et ſalutem publicam pertinent, neceſſariam; non propterea tamen tamdiu reſponſionem diſtuliſſemus, niſi quia expectabamus, dum delegati e provinciis viri dignitate praecipui, qui in itinere erant, adveniſſent, quibus majorem partem appulſis, ne noſtrum longius ſilentium in malam partem accipiatur, nolumus ulterius dilatione uti, hiſque literis ante omnia coram Deo proteſtamur, poſt ſumptum Dominici corporis ſacroſancti viaticum et [a] benedictionem a legato acceptam, hoc ſolum nobis in omnibus conſiliis noſtris propoſitum eſſe, idque primum medium et ultimum ſemper fore, ut religionem Catholicam apoſtolicam Romanam, in qua vivere et mori parati ſumus, integram conſervemus. Sic enim a veritate, quae mentiri non poteſt, instructi ſumus, ut primum omnium regnum Dei nobis quaerendum intelligamus; ſic enim fore ſperamus, ut cetera humanae felicitatis in hac mortali vita dona nobis cumulate a Deo praeſtentur. Secundum religionem praecipua eſt imperii incolumitas, quam fruſtra quaerimus, ſi aliunde quam a divinae providentiae auxilio petamus; alia praeſidia ab humanae prudentiae conſiliis, tanquam injuſta et nomine Catholico indigna, prorſus omittentes. Nos igitur periculi, quod a Sectaria peſte imminet, metu ſoluti, nullas non rationes amplecti parati ſumus, quae laevandis aut omnino tollendis malis noſtris idoneae erunt: quippe qui periculo noſtro ſatis experti ſumus, quam damnoſum ſit civile bellum, et vulnera noſtra etiam nemine renudante acriter ſentiamus. Deo notum, qui tantorum malorum auctores ſint; ſufficitque nobis, quod ita ab eccleſia edocti ſimus, ut pacem in mentibus et conſcientiis aliter habere non poſſimus, niſi religione extra periculum et ſuſpicionem conſtituta; eoque magis reconciliationem, quam proponitis, utrique parti neceſſariam judicemus, a nobis ſincero corde et charitate Chriſtiana ſummopere expetitam, eamque ut nobis concedatis, enixe quantum poſſumus, omiſſis, quae in nos ab haereticis congeruntur, conviciis ac calumniis, a vobis flagitamus; nam quantum ad ambitionem attinet, in vobis eſt, ut nos introrſum inſpiciatis, et ſi religionis cauſa aut praetextu movemur, pervideatis; tantum ab haereticis recedite, quos ſequimini ſimul ac deteſtamini. Hoc facto, ſi manibus in coelum ſublatis nos Deo gratias agere, conſilia ſalutaria vobiſcum capere, vos colere, diligere, ut meriti eſtis, et debemus, ac revereri contingat, laudate integritatem noſtram ac moderationem, qui ſpretis omnibus periculis, religionis ac decoris ſimul noſtri praecipuam cauſam habuerimus: ſin contra eveniat, diſſimulationem noſtram incuſate, noſque tanquam improbos damnate, ea ratione coelum ac terram contra nos excitabitis, et tanquam victis arma e manibus eripietis, aut nos adeo viribus exhauſtos relinquetis, ut facilem de nobis victoriam ac citra diſcrimen reportare poſſitis; interea Sectarii veneni malum vobis cognitum deteſtamini, et potius carcinoma, quod in

dies

VAR. LECT. [a] S. S. benedictionem MS. *Samm.*

CIƆ IƆ XCIII. Henricus IV.

dies ſerpendo univerſos depaſcitur, metuite, quam vanam et imaginariam illam ambitionem, quam vobis falſo fingitis; et quae, ſi vera eſt, ea admodum infirma, ſimul ac religionis veſte ſpoliata fuerit, a cunctis deſeretur. Etiam calumnioſe nobis impingitur, quod externos in regnum introducimus; nam aut nobis de religione, dignitate, fortunis periclitandum eſt, aut haereticis vis opponenda, quibus nihil niſi exitium noſtrum placere poteſt. Extrema neceſſitate, atque adeo veſtris armis contra nos directis coacti auxiliarcis eos accerſivimus; a pontificibus et ſancta ſede haec ſubſidia miſſa ſunt. Et quamvis plures ad ſupremam hanc dignitatem per hos motus evecti ſunt, nullus eorum nos periclitantes deſeruit; egregio teſtimonio, cauſam, quam fovemus, juſtam eſſe: praeterea a Catholico rege huic regno foederato auxilia mutuavimus, qui ſolus hodie viribus et affectu defendendae religioni par, nullo praemio invitatus, ſed ſola benefacti gloria ac conſcientia contentus, nobis praeſto fuit; eaque in re exemplum ſuperiorum regum ſecuti ſumus, qui urgente neceſſitate contra eoſdem Sectarios rebelleis a pontifice et Catholico rege ſuppetias obtinuerunt: atque id nulla pactione interpoſita factum, quae regno praejudicet, aut decori noſtro probroſa ſit, quanquam longe majore neceſſitate urgeremur. Vobis quinimo proponite Anglos, qui conſtituendae haereſi apud vos operam impendunt, antiquos regni hoſteis eſſe, et in titulis ſuis veſtigia adhuc hodie ſimultatum priſtinarum uſurpare, et innocenti tot Catholicorum ſanguine, qui mortem ſub crudeli reginae ipſorum jugo conſtanter pro religione perpeſſi ſunt, manus cruentas ſervare. Deſinite igitur nos pro perduellibus habere, quia principi haeretico, quem regem noſtrum ſecundum naturae legem datum nuncupatis, obedire detrectamus; et cavete, ne dum oculis in terram demiſſis ad leges humanas reſpicitis, coeleſtium parum memores fuiſſe videamini: non lege naturae neque gentium jure ad reges noſtros agnoſcendos edocemur; id a lege Dei, ac ſuae eccleſiae regnique diſcimus, quae non ſolum ſanguinis proximitatem, ad quam ſolam attenditis, ſed etiam religionem Catholicam in eo principe, qui nobis imperaturus eſt, requirit. Huic legi tanquam fundamento firmiſſimo regnum ſuperſtructum eſt, a majoribus noſtris ſine ulla exceptione religioſe cultae ac ſemper ſervatae: cum altera, quae ſanguinem ſpectat, ſaepius mutaverit, integra manente regni potentia ac dignitate. Ut ergo ad illam adeo neceſſariam ac omnibus votis expetitam reconciliationem veniamus, colloquii conditionem a vobis propoſitam accepimus; modo inter Catholicos tantum, et de rebus ad religionem et regni ſalutem pertinentibus habeatur, eique celebrando locum inter urbem et [a] Dionyſii-fanum deſtinamus, ad [b] Mauri-fanum, aut in reginae aedibus [c] Challioto vico ſubjectis. Hae literae a conventus amanuenſibus ſubſcriptae ſunt, Michaele [d] Martello, Nicolao Pila, Joanne Jacobo Corderio, Seraphino Tielemano; cum jam Meduanius ad exercitum profectus eſſet in [e] Novioduni obſidione occupatum, et rex in [f] Turones excurriſſet, ut Catharinam ſororem e [g] Benearni pago venientem honorificentius exciperet.

XVII. Matrimonii inter eam et Carolum Borbonium [h] Sueſſionum comitem patruelem ante ſeptennium injecta mentio, cum ille deſerto rege ad Navarrum ſe contulit; poſtea non ſine occulta ejus offenſione abrupta, ab eo tempore per occultos nuncios renovata ac ſemper repetita eſt ſine fratris permiſſu, nec tamen eo omnino ignaro: Coriſanda [i] Andoina Guichia Philiberti [k] Grammontani comitis ante XIII annos ad [l] Faram Veromanduorum interfecti vidua, quod a regis gratia, in qua olim floruerat, excidiſſet, ſpretae formae ultionem quaerens, igniculos inter tanto locorum ſpatio diſſitos in arcano alebat, et ſuperiore anno Sueſſionenſi perſuaſerat, dum

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *S. Maur.* [c] *Chaillot.* [d] *Marteau, N. Piles, J. Jacques Cordier, Seraphin Tielman.* [e] *Noyon.* [f] *Touraine.* [g] *Bearn.* [h] *Soiſſons.* [i] *d'Andoins de Guiche.* [k] *de Grammont.* [l] *la Fere ſur Oyſe.*

dum rex ad [a] Rotomagi obſidionem haereret, ut captata ex matris morbo, quae [b] Caeſaroduni erat, occaſione, in Turones propere revolaret, et inde quam citiſſime, antequam rex de ipſius profectione poſſet cognoſcere, Benearni pagum veniret: quod cum ille feciſſet, res parum ab exitu abfuit, ſecretis pollicitationibus inter utrumque initis et utriuſque manu ſubſcriptis. Sed antequam nuptiae celebrarentur, ſupervenere qui a rege miſſi erant, qui, ſenatus provinciae intercedente auctoritate, eâs diremerunt, et Sneſſionem [c] Podio excedere coegerunt. Rex propterea ſororem ad ſe evocaverat, cui et obviam [d] Salmuriam uſque exeunte Februario profectus eſt; evocato pariter ex [e] Armorica Henrico Borbonio [f] Monpenſerio, quem maritum ſorori deſtinabat: ejus abſentia factum, ut Carolus Borbonius cardinalis, qui [g] Autrici Carnutum remanſerat, cum paucis arcani conſilii aſſeſſoribus ſerius ad literas foederatorum reſponderit: nam et eas prius ad regem mitti oportuit, et ſuper reſponſione voluntatem ejus explorare. Tandem ejus permiſſu cardinalis ceterorum nomine IV Kal. Apr. reſcribit, et excuſata praeteriti temporis mora, fore dicit, ut qui propter dilatum a foederatis reſponſum huc illuc ad belli neceſſaria dilapſi erant, rurſus [h] Medontae conveniant, et intra XV diem menſis proximi amplius reſpondeant: interim rogat, ut ad negotii accelerationem intra id tempus ipſi nomina et conditionem delegatorum ſuorum edant. Ad id ſcriptum foederati ſtatim reſpondent Nonis Aprilibus, petuntque ut ad XV menſis diem praeciſe, ſine ulla ampliore dilatione, amplius reſpondeatur: item ut delegatis idonee caveatur, ſecuritatis literis utrinque ita conceptis, ut ſpatium, in quo nomina delegatorum inſcribantur, vacuum relinquatur. Interea rex ubi de [i] Novioduni obſidione cognovit, cum Catharina ſorore ex Turonibus profectus in Carnuteis redit, et cum omni aulae comitatu Medontam tendit, eoque loco relicta ſorore cum delectis in Picardiam excurrit; ut ſi in tempore Novioduni obſeſſis praeſto eſſe non poſſet, rei cum Meduanio et Carolo Mansfeldio gerendae occaſionem caperet.

XVIII. PAULO ante delegati a foederatis provinciis ac civitatibus ad conventus a Meduanio indictos convenerant, ac plures ex praefectura Pariſienſi, et in iis Gilbertus Genebrardus profeſſione Benedictinus, olim Hebraicarum literarum regius profeſſor, et tunc archiepiſcopus [k] Aquenſis, non interveniente auctoritate regia, per has turbas creatus; vir multiplici doctrina excultus, qui et multa ſcripſit, ſed in quibus ſive odio partium, ſive quod eo ingenio eſſet, minus judicio valere pleriſque creditus eſt; Joannes [l] Bucerus magna et ipſe doctrina notus, ſed amarulentia dicendi ſcribendique vix ferendus, S. Benedicti curio; Jacobus [m] Cuellius theologus S. Germani item curio. Pro nobilitate Ludovicus [n] Hoſpitalius Vitrius, et Ludovicus Crocus Cheneverius. Pro juridico ordine, qui in ea praefectura locum habet, et plebeio Stephanus [o] Nullius, Joannes Magiſter, et Gulielmus Varius ſenator Pariſienſis. Ex Burgundia Jo. Ludovicus [p] Pontallerius Talmaeus, Stephanus Bernardus, Jo. Salnierus epiſcopus Auguſtodunenſis, Franciſcus Rabutinus Vallius; Cyrus Thiardus epiſcopus Cabilonis deſignatus, Claudius Languetus, Joachimus Damaſus Ruſſellus, Claudius Lenoncurius Lochius. Ex [q] Neuſtria Jo. [r] Dadraeus theologus, Antonius [f] Migneretus Hermanvilla, Gul. [s] Pericardus S. Taurini abbas, Franciſcus Pericardus [t] Avrincarum epiſcopus. Ex [u] Aquitania Gaſpar [v] Franeus ſacri collegii Auguſtoriti ſodalis,

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *Tours.* [c] *Pau.* [d] *Saumur.* [e] *Bretagne.* [f] *le Duc de Monpenſier.* [g] *Chartres.* [h] *Mante.* [i] *Noyon.* [k] *d'Aix.* [l] *Boucher curé de S. Benoiſt.* [m] *Cueilly curé de S. Germain de l'Auxerrois.* [n] *de l'Hoſpital Vitry, & L. du Croc de Cheuevieres.* [o] *de Nully, le Maiſtre, & du Vair.* [p] *de Pontallier Sr de Talleme, Eſtienne Bernard, J. Saulnier evêque d'Autun, F. de Rabutin Sr de la Vaux, Cyrus de Thiard evêque de Chalons ſur Saone, Cl. Languet, Joachim de Damas Sr du Rouſſel, Cl. de Lenoucourt Sr de Loches.* [q] *Normandie.* [r] *Dadré.* [f] *de Magneret baron d'Hermanville.* [s] *Pericard abbé de S. Taurin.* [t] *Avranches.* [u] *Guienne.* [v] *le Franc, Chanoine de Poictiers.*

CIϽ IϽ XCIII. HENRICUS IV.

ſodalis, Renatus [a] Dauxius Bornacus. Ex [b] Armorica Georgius [c] Darado Venetorum epiſcopus, Ludovicus Montinius. Ex [d] Campania [e] Odardus Hennequinus Trecenſis decanus, Nicolaus Pradelus Montolinus, Claudius Senallius Rimancurius, Anſelmus Mariſius. Ex [f] Senonenſi praefectura Robertus [g] Menarderius S. Colombae abbas, Hector Sanblaſius. Ex [h] Meldis Claudius [i] Coqueletus epiſcopus Dinienſis: ex [k] Laodunenſi praefectura Godofridus [l] Billius S. Vincentii abbas. Ex [m] Remenſi Nicolaus [n] Pellevaeus cardinalis urbis archiepiſcopus non interveniente auctoritate regia creatus, Pipemontius: ex [o] Sueſſionenſi Hieronymus Hennequinus urbis epiſcopus: ex [p] Ambianenſi Godofridus [q] Martonius urbis epiſcopus, Jacobus [r] Saguerius theologus, Franciſcus [s] Paillardus Chocuſa, Robertus Muchius Landronius: ex [s] Aurelianenſi Claud. [t] Caſtreus provinciae illius et Biturigum praeſes: ex [u] Andegavenſi et Cenomanis et Engoliſmenſi praefectura homines nullius nominis: ex [v] Lugdunenſi Petrus [w] Eſpinacus urbis archiepiſcopus, qui ſacro ordini in eo conventu praefuit, Marcus Saconaeus collegii ſacri camerarius et comes: ex [x] Seguſianis Annas [y] Urfeus Baugii marchio: ex [z] Delfinatu Hier. [a] Villarius ſacri collegii primarii Viennenſis ſodalis: ex [b] Provincia Eleazarus [c] Raſtelletus Regienſis epiſcopus, Gerardus [d] Berangerus Forojulienſis epiſcopus deſignatus, Bertrandus [e] Forbinus Bonvallius, Honoratus [f] Laurentius fiſci regii in ſenatu Aquenſi patronus, Jo. Jacobus [g] Corderius Maſſilienſis. Dicta dies inchoandis comitiis VIII Kal. Febr. quae converſioni beati Pauli dicata eſt; qua cum convenire delegati non potuiſſent, poſtridie beati Polycarpi feſto factum eſt initium in [h] Luparae arce, theatro ad id parato. Unius diei mora multum cardinali Pellevaeo incommodavit, qui orationem meditatus fuerat, occaſione ex converſione beati Pauli ſumpta, quam tranſlato in ſequentem diem conventu vix ac ridicule ad beati Polycarpi feſtum accommodare conatus eſt. Itaque poſtquam a Meduanio quaedam praemiſſa ſunt, cum orſus eſſet dicere, ſenili libertate multa praeter rem effutivit, quibus riſum potius aſtantibus movit, quam attentionem ſibi conciliavit; ut cum in Galliae laudes effuſus Neuſtriam terram, ex qua oriundus longo ordine avos numerabat, Neapolitano regno majorem et opulentiorem coram Didaco Ibàrra Philippi oratore, qui aderat, eſſe aſſeruit; et fortunae aliaque vitae valetudiniſque incommoda aeque ad principes viros ac infimae conditionis homines pertinere dixit, oculis in Meduanium et oratione converſa, idque exemplo ipſius confirmaret, quem cuncti nuper vix ex [a] morbo recreatum meminerant. Intempeſtivam hanc comitiorum convocationem, cum plerique eorum, qui in urbe erant, exitu carituram providerent, improbabant, et Hiſpanos, eoſque, qui iis favebant, operam ludere aiebant, et in utriſque prudentiam deſiderabant. Qui vero extra urbem erant, palam ridebant, et indignabantur, Meduanium virum uſu rerum expertum eo per factiones quaſi obtorto collo raptari, et quo dignitatem tueretur, Hiſpanorum, quos ſibi infeſtos ſciebat, libidini turpiter ancillari. Igitur confectum ea de re ſcriptum ingenioſe ridiculum [i] Satyrae Menippaeae nomine, quo apparatus et ſcena comitiorum graphice ad contemptum exprimebantur. In ea, poſt aulaea, in iiſque depictas ad rem accommodatas imagines et tabulas, orationes jocoſe ſeriae

pari

VAR. LECT. [a] morbo pudendo recreatum MS *Samm.*

INTERPTR. [a] *d'Aux Sr du Bournais.* [b] *Bretagne.* [c] *Daradon evêque de Vannes, & L. de Montigny.* [d] *Champagne.* [e] *Oudart Hennequin Doyen de Troyes, N. de Pradel Sr de Montholin, Cl. de Senailly Sr de Rimancour, & Anſelme de Mariſy.* [f] *Bailliage de Sens.* [g] *de la Menardiere abbé de Ste Colombe, & H. de St. Blaiſe.* [h] *Bailliage de Meaux.* [i] *de Coqueley evêque de Digues.* [k] *le Laonnois.* [l] *de Billy abbé de S. Vincent.* [m] *le Remois.* [n] *de Pellevé, & de Pipemont.* [o] *le Soiſſonnois.* [p] *Bailliage d'Amiens.* [q] *de la Martonie.* [r] *Sagnier.* [s] *de Paillard Sr de Choqueuſe, & Robert de Mouchy Sr de Landron.* [s] *Orleannois.* [t] *de la Chaſtre gouverneur de Berry.* [u] *Anjou, le Maine, & l'Angoumois.* [v] *le Lionnois.* [w] *d'Eſpinac, & le Sr de Saconay.* [x] *Forez.* [y] *d'Urſé marquis de Baugey.* [z] *Dauphiné.* [a] *de Villars.* [b] *Provence.* [c] *Raſtellet evêque de Riez.* [d] *Beranger evêque de Frejus.* [e] *de Forbin Sr de Bonneval.* [f] *du Laurens avocat du roy au Parlement d'Aix.* [g] *Cordier de Marſeille.* [h] *le Louvre.* [i] *le Catholicon.*

pari feſtivitate referuntur, Meduanii, legati pontificii, cardinalis Pellevaei, archiepiſcopi Lugdunenſis, Gulielmi [a] Roſae epiſcopi Silvaoctenſis, [b] Rieuſii, qui paulo poſt [c] Compendii ob latrocinia capite luit, cum [d] Petrofundium in Valeſio agro arcem a ſe occupatam reſtituere nollet, et Claudii [e] Aubraei. Scripti primus auctor creditur [f] ſacrificus quidam e [g] Neuſtria terra, vir bonus et a factione ſumme alienus, qui coram Borbonio cardinali juniore quotidie ſacrum celebrabat. Sed cum is tantum prima theatri veſtigia delineaſſet, ſuccedens alius ſcenam perfecte ſtruxit, in eoque argumento natura et arte excultam induſtriam mira ſelicitate exercuit; adeo ut nihil toto horum bellorum tempore in publicum emanarit, quod tam avide ab utriuſque partis elegantibus ingeniis acceptum, lectum, et probatum ſit. Poſt primum illum congreſſum nihil ulterius in comitiis peractum, ob Meduanii abſentiam, qui ſtatim ad exercitum auxiliarem e Belgio venientem profectus, poſt captum [h] Noviodunum, nec niſi exeunte Martio, ad urbem redire potuit. Eo reverſo conventus rurſus magna frequentia celebratus fuit, iisdem in [i] Luparae arce IIII Non. Apr. cui interfuerunt Meduanius, cardinalis Sega legatus pontificius, Carolus [k] Guiſius, Carolus Ellebovii dux, cardinalis Pellevaeus, alii ordine praeſules ac proceres illius factionis.

XIX. ADMISSUS fuit Philippi nomine Laurentius Suares [l] Figeroa Cordubenſis, Feriae dux, paulo ante a rege ſuo cum Inico Mendoza miſſus, et orationem lingua Latina habuit, cujus haec ſumma fuit: Poſt pacem inter regem Catholicum et Galliae regem Henricum II conventam, ad eamque firmandam ſecutas Eliſabethae ipſius filiae nuptias, cum omnia fauſta ſibi quiſque ab utraque parte fore polliceretur, irrepſiſſe in hoc regnum a multis ſaeculis Chriſtianiſſimum peſtilentiſſimas haereſes, ſerio ac pertinaciter a plurimis ſummae auctoritatis et ſagacitatis viris vi aſtuque propagatas et amplificatas. Regem vero Catholicum, cum illi ſoceri colendi, repentina mors occaſionem eripuiſſet, eundem cultum erga ſocrum ac cognatos ſervaſſe, nihilque omiſiſſe, quo pax jam facta maneret perpetua, ejuſque beneficio reſpublica Chriſtiana optimorum regum cura in pietate majorum perſeveraret. Itaque miſſas ex Hiſpania duce Carvajalo auxiliareis copias ſub Carolo IX. [m] Arenbergicum poſtea comitem ex Belgio cum delecto comitatu; ac denique comitem Mansfeldium cum praepotenti itidem exercitu miſſum, qui egregiam in bellis Gallicis operam navarunt; et quanquam hoc facto magnam laudem meruerit, longe majus et inſignius, et laudabilius eſſe, quod inter tot injurias patientiam ad extremum ſervaverit. Nam licet regina parens praeteritorum beneficiorum immemor bis cum claſſe inſtructa ad turbandas [n] Luſitaniae res eum laceſſiviſſet, et Alençonii dux ejus filius [o] Cameracum magnamque Belgii partem occupaſſet, et utrumque rex Henricus juviſſet, aut certe cum deberet ac poſſet, conata ipſorum non impediiſſet, nihilominus adverſus acerrimum toties repetitarum injuriarum ſenſum praevaluiſſe conſtantem in benevolentia Chriſtiana et amicitia ſimul contracta regis animum; et cum poſſet, quod toti orbi notum eſt, eas ulciſci, maluiſſe tamen quaſi ſibi deeſſe, quam reſipiſcendi occaſionem cognatis principibus praeripere. Poſt obitum autem Alençonii, cum princeps Benearni religioni noſtrae merito formidoloſus ad regni ſceptra coepiſſet aſpirare, eumque publica demonſtratione Henricus rex foveret, Guiſianos fratres nunquam ſatis laudatos principes de remedio tanti mali ſerio cogitaſſe, et cum res magnis viribus et opibus indigeret, initum foedus valde oneroſum cum rege Catholico, cujus exemplar deſcriptum ipſi conſulant: nam nihil in eo repertum iri, quod aliud quam meram pietatem redoleat, nihil quod a bonis et religioſis viris merito reprehendi poſſit. Voluiſſe nimirum

majeſtatem

INTERPR. [a] *Roſe evêque de Senlis.* [b] *de Rieux.* [c] *Compiegne.* [d] *Pierrefond en Valois.* [e] *d'Aubray.* [f] *le Roy prêtre, depuis chanoine de Noſtre Dame de Rouen.* [g] *Normandie.* [h] *Noyon.* [i] *le Louvre.* [k] *les Ducs de Guiſe, & d'Elbeuf.* [l] *de Figueroa y Cordoua duc de Feria.* [m] *d'Aremberg.* [n] *Portugal.* [o] *Cambray.*

CIϽ IϽ XCIII. HENRICUS IV.

majeſtatem Catholicam Gallis mature conſulere, ne ejus ope et conſiliis neglectis aliquando tandem, quod futurum omnino rebatur, perirent, ſuppeditataque numeroſa in id pecunia coegiſſe Henricum regem ad religionis aſylum ſe recipere; quod ſi ſincere et ex animo feciſſet, jampridem Sectariam flammam in hoc regno reſtingui potuiſſe. Sed daemone inſtigante noluiſſe illum, atque ita a meta horum malorum Catholicum regem ad carceres revocatum eſſe, novamque rurſus numeratam pecuniam, atque omni tandem contempto periculo res ad apertum bellum deveniſſe. Caeſas fuiſſe quidem copias Hiſpanas in Euriaco conflictu: verum Parmenſis cum potenti exercitu adventantis ductu effectum eſſe, ut inſignis Pariſienſium civitas inaudita conſtantia mirabilique virtute civium conſervata jamjam peritura ex manibus hoſtium erepta ſit. Idem Rotomagi factum, et raro ac forſitan inaudito benevolentiae exemplo, regem Catholicum ſua cum incredibili detrimento deſeruiſſe, ut Gallis opitularetur. Totoque hujus belli tempore ſuos miniſtros in Gallia habuiſſe, qui ſolatio et omni officiorum genere in his difficultatibus ſemper praeſto fuerunt. Adeſſe nunc et militareis copias ad extrema quaeque pro ſalute publica paratas, hiſque in rebus ſexagies centena aureorum CIϽ ad minimum conſumpta, nullo interim compendio ad ipſum derivato. Nec his contentum de regni ſalute magis ac magis in dies ſolicitum inſtitiſſe, ut conventus iſte celebraretur, et apud ſummos pontifices egiſſe, ut rem Gallicam amplecterentur, ſeque miſiſſe, ut quid ſui conſilii hac in re tam ardua eſſet, ſuo nomine explicaret; ſic vero illum exiſtimare, in eo Gallorum omnium ſalutem repoſitam eſſe, ut is rex Catholicus ab ipſis renuncietur, cui ad res componendas, tuendas et contra hoſtem conſervandas vires non deſint, et quo ſic renunciato, nemo dubitet, quin Deo aſpirante brevi ad priſtinum ſplendorem divinus cultus et publica res inſtauretur, et omnia in integrum in regno reſtituantur. Proinde inprimis orare atque obteſtari, ut abſque ulla cunctatione res tota ſemotis privatis affectibus perficiatur; alioqui maximum periculum in mora eſſe. Ut vero omnis dubitandi occaſio praecidatur, ejuſdem opes ac majores, ſi opus ſit, quam hactenus fecerit, pari animi propenſione benevolentiſſimum regem deferre. Reliquum eſſe, ut ipſi pro ſua pietate, nobilitate, virtute, ac prudentia toti in eam cauſam ſerio ac conſtanter incumbant. Tum, poſt delatam prolixe et ſuam ipſius induſtriam et operam, ad fidem pollicitis aſtruendam, literas ipſius Hiſpani profert Januario proximo [a] Madriti datas, quas [b] Pellevaeus comitiorum praeſes acceptas Nic. [c] Pilae Orbaſcienſi praeſuli, qui ſcribae munere fungebatur, legendas tradidit: iis, enumerata ſua erga regnum egregia voluntate, tot illuſtribus teſtimoniis confirmata, ordines convocatos hortatur, ne conventum diſſolvi patiantur, antequam rex Catholicus eligatur, qui in Franciae regno majorum religionem et priſtinum ſplendorem reſtituat, in eoque rationem meritorum ſuorum haberi, ac poſtremo, ut ad Dei gloriam cuncta conſilia ſua, ſicuti ab initio profeſſi ſunt, dirigant, enixe petit; quod ſuae voluntatis ſit, plenius ex ipſo Feriae duce intellecturi. Has literas, ſicuti et alia Philippi mandata, ut factioſi laetis auribus accipiebant, ita prudentiores, quibus aemulae gentis ſuſpecta merito ſemper fuerunt conſilia, ſic judicabant, Hiſpanos occaſionem ex calamitate publica captare, qua et res ſuas amplificarent, et veteres injurias ulciſcerentur, eodemque aſtu, atque adeo vafra urbanitate id agi, qua Philippus Macedo olim uſus dicitur; qui cum vellet Oricios hoſteis ſuos in poteſtatem redigere, et in hoc exercitum miſiſſet, ſcripſit miſſos a ſe milites, quod comperiſſet eos ſeditionibus vexari; et bonorum amicorum eſſe in tali tempore ſubvenire: quod a Thucydide et Trogo Pompeio ſive Juſtino memoratur.

XX. PELLEVAEUS

INTERPR. [a] *Madrid.* [b] *le Cardinal de Pellevé.* [c] *de Piles abbé d'Orbais ſecretaire de la chambre du Clergé.*

XX. PELLEVAEUS certe quamvis obnoxius, tamen ſuperbiae et exprobrationis plenas Hiſpanorum jactationes non ferens, pro dignitate Francici nominis quantum per tempora licebat, non inepte omnino ad [a] Feriani orationem reſpondiſſe viſus eſt. Ille igitur poſt gratulationes trium ordinum nomine factas pro literis Catholicae majeſtatis miſſis et aurea Feriani oratione explicatis mandatis, laudatumque ipſum Ferianum, quem ex cunctis Hiſpaniae proceribus ut maxime idoneum tantae legationi obeundae deſtinaſſet, a fumoſis majorum imaginibus, et ceteris egregiae nobilitatis ornamentis, tum a parente Angla, quae tanquam altera Helena Conſtantini mater, profugos religionis cauſa in Hiſpania Scotos, Hibernos, Anglos praecipua cura ac liberalitate ſemper ſublevavit; vices rerum eſſe, florentiſſimi quondam Galliae regni, nunc vero afflictiſſimi exemplo oſtendit: jam eam fuiſſe in regibus virtutem, quamdiu ſe acerrimos religionis vindices praebuerunt, ut variis nationibus jura darent, Sectas religioni verae adverſas evellerent, et victricia ſigna circumferentes Chriſtiani orbis terminos longe lateque proferrent; neminem latere CIↃ C ab hinc annis Clodoveum, qui primus ſacris Chriſtianorum initiatus eſt, et coelitus demiſſo unctus oleo pertinaciſſimos Arianae Sectae defenſores, Viſigothos, qui Toloſae regnum habebant, et quicquid [b] Ligerim [c] Pyrenaeumque interjacet imperio ſuo complectebantur, commiſſo in [d] Pictonibus proelio ſubegiſſe, et rege eorum Alarico propria manu interfecto cunctas illas provincias ad verae fidei cultum adduxiſſe; ea victoria gradum factum ad religionem in Hiſpania conſtituendam, quo ſe Almaricus Alarici filius receperat. Nam Childebertum Clodovei filium, qui Almarico pacem dederat, et Clotildem ſororem in uxorem conceſſerat, ea lege, ut Catholicam fidem ſuſciperet, cum videret, eum nihilominus in Sectaria pravitate perſeverare, uxoremque ob id injurioſe ab ipſo haberi non ferret, cum potenti exercitu contra ipſum ſemel atque iterum in Hiſpaniam profectum, et ipſum debellaſſe, et exſtirpatis Arianae peſtis ſeminibus, collapſam ac paene temporum injuria obliteratam, quam Jacobus apoſtolus in ea promulgarat, fidem priſtino ſplendori reſtituiſſe. Inde reverſum, ut memoriam tot feliciter geſtorum monumento ſanciret, monaſterium beato Vincentio conſecraſſe, quod nunc beati Germani in ſuburbio nomine indigetatur. Carolum item Martellum, qui torpeſcente regum Galliae virtute regni adminiſtrationem ſuſcepit, amotoque Childerico viam ad ſceptrum Pipino filio aperuit, innumeras Saracenorum copias, quae Africam et Hiſpaniam ſubegerant, memorabili ad Ligerim conſerto proelio profligaſſe, et Viſigothos iterum ac Saracenos conjunctis copiis ex Hiſpania in [e] Narbonenſem provinciam ingreſſos funditus deleviſſe. Cur vero Carolum Pipini filium inſigneis illos magni, ſancti, invicti titulos meruiſſe, niſi ob proelia feliciter pro religione facta, et Saracenos in Hiſpania perdomitos, et intra limites ſuos ad extremum compulſos? Tanti beneficii a Gallis accepti memorem Alfonſum Caſtum Gallaeciae et Aſturiarum regem ſe Caroli Magni proprium inſcripſiſſe. Cumque Carolus [f] Gymneſias inſulas in fidem acceptas contra Mauros ac Saracenos tutatus eſſet, Ludovicum Pium filium Aquitaniae regem creaſſe, ut Chriſtianis contra Saracenos ad omneis caſus praeſto eſſet. Nec praeteriri poſſe, quod de Bertrando [g] Gueſquinate equitum magiſtro Hiſpanici annales memorant, qui a Carolo V in Hiſpaniam miſſus Petrum Caſtellae regem ab Urbano V damnatum, et ob crudelitatem inviſum et Judaeis faventem ſolio deturbavit, ac in ejus locum Henricum de [h] Transtamara ſuffecit; ei vero Caſtellenſeis ac Legionenſeis Gueſquinatis juſſu eo lubentius fidem addixiſſe, quod dicerent, antiquo Gothici regni jure licere ſibi ab ejus obedientia diſcedere, qui in tyrannum degeneraſſet, aliumque ſibi conſtituere, nulla ſucceſſionis

INTERPR. [a] *le Duc de Feria.* [b] *la Loire.* [c] *les Pyrenées.* [d] *Poictou.* [e] *Languedoc vers Narbonne.* [f] *Majorque & Minorque.* [g] *le conneſtable du Gueſclin.* [h] *de Triſtemare.*

ſucceſſionis habita ratione. Adeo ut ſi quid tale hac tempeſtate incidat, id minime novum poſt tam illuſtre exemplum videri debeat. Ad haec propenſae voluntatis Gallorum erga Hiſpanos teſtimonia accedere et adfinitates ſaepius cum iiſdem contractas: nam Ludovicum in beatorum numerum relatum Blanca Caſtellenſi prognatum, Philippum item I et Auguſtum Hiſpanis matribus natos: noſtra aetate Franciſcum I Helionoram Caroli V ſororem in uxorem duxiſſe; Philippum vero hodie feliciſſime in Hiſpania regnantem Eliſabetham Henrici II filiam in matrimonio habuiſſe. Poſtea Carolum Henrici filium, Eliſabetham Auſtriam Maximiliani et Philippi ſororis filiam pietate et vitae ſanctimonia omnibus Gallis merito chariſſimam foeminam in uxorem duxiſſe; ab eoque tempore ſumma utriuſque gentis mutua officia fuiſſe, donec rex Catholicus labenti Galliae regno, vicem ejus inſita clementia miſeratus, auxiliarem ac ſalutarem ſuppoſuit manum, Catholici nomine digniſſimus princeps, qui Hiſpanis univerſe Catholicis imperat, quod vix Romanis olim contigit; qui fidem Catholicam ſuis non modo in ditionibus ſed etiam in externis regnis adverſus omneis Turcorum et Sectariorum impetus tutandam ſuſcepit; et primus omnium Chriſtianos, qua ratione ipſi Turcos ſuperare poſſent, ſuo exemplo docuit; qui ad extremas uſque orbis partes ante noſtram aetatem incognitas religionem Catholicam diſſeminandam curavit. His ex comparatione Trajani et Theodoſii Hiſpanorum imperatorum addita elogia. Quin et Ferdinando Arragonio et Maximiliano Caeſare abavis, atque adeo ipſi Carolo parenti praelatus Philippus, qui toties pro aris et focis, pro Chriſtiani nominis dignitate, pro antiquae ac vere Catholicae apoſtolicae et Romanae religionis auctoritate bella geſſit: qui regnum Galliae ab haeretici tyrannide duabus praecipue in obſidionibus, miſſo Parmenſi duce, viro manu et conſilio ſtrenuiſſimo vindicavit; qui ambitionem et regnandi cupidinem nunquam religioni praetulit, ſed quemadmodum Jovinianus poſt Juliani apoſtatae mortem, univerſi exercitus acclamationibus imperator ſalutatus, negavit ſe ullam pacis conditionem accipere aut iis imperare velle, qui religionem Catholicam non amplecterentur, ſic nec illum ullis unquam regnis aut provinciis praeeſſe voluiſſe, in quibus Chriſtus per fidem non regnaret. Eandem pietatem Franciſci I fuiſſe, qui a quibuſdam perſuaſus, ut vireis cum Germanis principibus contra Caeſarem ſociaret; ſic enim fore, ut cum exiguo negotio ſuperaret; noluit committere, ut dum privatas injurias ulciſceretur, religionem, quam ſartam tectamque cupiebat, in periculum devocaret. Poſtea Henricum II patris veſtigiis inſiſtentem et ejus virtutis aemulatorem, cum de pace cum Philippo facienda Cameraci ageretur, monitum, ut re diligentius inſpecta ſibi conſuleret, reſpondiſſe, ſatis ſibi conſultum, ſi quod ſperabat, ex eo foedere conſequeretur, ut naſcenteis in ſuo regno haereſeis poſſet evellere. Nec enim ſe regni amplitudinem tam numeroſa provinciarum populorumque multitudine, quam ſalute animarum metiri, idque unum ſibi praecipuum eſſe, ut integra et illibata religio conſervaretur. Hac pietatis laude inter ceteros, Lotaringicae gentis principes ſummopere excelluiſſe, qui quaſi alteri Maccabaei, quoties de fide ac religione actum eſt, ne quid ea detrimenti pateretur, ſuas non modo fortunas, ſed vitam ſanguinemque liberaliſſime profuderunt. Poſſe numerari VII vel VIII pontifices, atque inprimis Clementem VIII, cujus paternam benevolentiam magis ac magis in dies experiuntur Galli, qui, ex quo Sectario veneno vexari coepit hoc regnum, nihil reliqui fecerunt, ut ope ſua ac conſilio religionis cauſam adjuvarent; ſed eos omnes, ut potentia, ſic profuſa in Catholicos liberalitate ac munificentia Philippum longe ſuperaſſe, pro quo immortali ac prope divino beneficio Galliam, gratias non quantas par eſt, ſed quantas animis concipere poteſt, ampliſſimas agere, omneque viciſſim ſtudium et operam optime de ſe merito principi, atque adeo liberatori ſuo deferre. Ita dimiſſus eo die coetus,

non

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

non ſine quorundam murmure, qui de Franciſco I dicta ut vanitatis plena arguebant. Quae vero de Henrico II addita fuerant, non ad Henricum ipſum pertinere, ſed eo inſcio a Guiſianis cum Philippi miniſtris inita jam tum conſilia interpretabantur.

XXI. FACTO comitiis initio prima de concilio tridentino conſultatio fuit, quam praecipue urgebat legatus pontificius, ut qui, citra ejus in regno ſine conditione ulla promulgationem, religionem, cujus cauſa bellum gerebatur, poſſe conſtitui negaret; re in deliberationem deducta V Eid. Aprilis. Cum multi libertates ac jura et immunitates eccleſiae Gallicanae et regni cauſarentur, quibus factum eſſet, ut promulgatio concilii antea toties propoſita huc uſque dilata eſſet, negotium datum Joanni [a] Magiſtro, quem curiae praeſidem Meduanius creaverat, [α] et Gulielmo [b] Vario ſenatori, viris probis et a factione alienis, juris noſtri peritiſſimis, qui concilium inſpicerent, et quae in diſciplina, legibus ac moribus noſtris praejudicantia reperirent, adhibito judicio annotarent. Igitur haec ab illis obſervata, quae ſalvis juribus ac libertatibus noſtris admitti non poſſent. Primo, quod ſeſſione IIII ſancitum eſt, de auctoribus et impreſſoribus, quos vocant, librorum prohibitorum, ut ii tanquam temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii poenis per epiſcopos coerceantur, id adverſari edictis Henrici II, alteri quidem ad [c] Fontem-bellaqueum anno CIƆ IƆ XLVII, alteri ad [d] Briandi-caſtrum anno CIƆ IƆ LI conditis. Item Caroli IX in [e] Aureliani comitiis conſtitutioni factae anno CIƆ IƆ LX, et ſexto poſt anno [f] Molinii repetitae. Quod ſeſſione VI cap. I concilium epiſcopos inſtituendi poteſtatem facit pontifici in epiſcoporum contumacium locum, qui ad gregem ſuum aſſidui non ſunt, alios ſufficiendi, id nominationibus regiis, et [g] pactis inter Leonem X et Franciſcum I initis derogare. Quod ſeſſione VII cap. XV, ſeſſione XXI cap. VIII, ſeſſione XXII cap. VIII, ſeſſione XXV cap. VIII, epiſcopi tanquam a ſede apoſtolica delegati omnium tam in ultima voluntate, quam inter vivos piarum donationum executores, noſocomiorum, collegiorum, item fabricarum et confraternitatum laicarum ac ſcholarum inſpectores conſtituuntur, eiſque jus de iis cognoſcendi, fructus diſpenſandi, ac ſequeſtrandi, rationes exigendi, pravos adminiſtratores et in munere ſuo negligenteis abrogandi, alioſque in eorum locum ſubſtituendi tribuit. Contra, edictis regiis anni CIƆ IƆ XLIIII et anni ſequentis; CIƆ IƆ LX, et anni rurſus ſequentis, rationum exigendarum et hujuſmodi rerum cognitionem regiis judicibus tribui, ne regiae auctoritati derogetur, ad quam omnium rerum ſoli, quae ditioni ſuae ſubſunt, cognitio pertinet, cujuſmodi noſocomiorum, fabricarum, collegiorum, et ſcholarum bona ſunt. Quod ſeſſione XXIIII cap. V conſervatoriae literae ac conſervatores judices omnino abolentur, ſine diſtinctione, regii an eccleſiaſtici judices ſint: hoc caput regiae auctoritati, in eo, quod regios judices non excipit, derogare, et ſenatus decretis in eo, quod eccleſiaſticos conſervatores ſpectat, quorum juriſdictio ab illis confirmatur. Quod eadem ſeſſione cap. I animadvertendi in clandeſtina matrimonia contrahentes et teſteis, qui adfuerunt, epiſcopis facultas datur: id eſſe contra uſum inter nos receptum et ſenatuſconſulta, quae eccleſiaſtico judici tantum de foedere matrimonii cognoſcere licere decernunt; de aliis ut de dote, de damnis et intereſſe, de poenis infligendis non licere: nam de iis tantum judices regios pronunciare, idque [h] Bloeſenſibus comitiis caveri. Quod ſeſſione XXV capite IX, cognitio de patronatibus tam laicis quam ſacris epiſcopis attribuitur: pugnare hoc cum jure noſtro et ſenatuſconſultis, quae de patronatibus laicis cognitionem judici regio tribuunt, ſive de poſſeſſorio ſive de petitorio agatur: de ſacris, ſi de poſſeſſorio agatur, cognitionem item ei tribuunt,

VAR. LECT. [α] et quibuſdam aliis viris *Ed. Gen.* 1620. *ſed* Ed. Gen. 1626--30. *quae hic exhibetur, cum* MSS Reg. & Samm. Put. & Rig. *concordat.*

INTERPR. [a] *le Maiſtre, premier preſident.* [b] *Du Vair.* [c] *Fontainebleau.* [d] *Chateau-Briant.* [e] *Eſtats d'Orleans.* [f] *Moulins.* [g] *le Concordat.* [h] *Eſtats de Blois.*

tribuunt, de petitorio reſervata epiſcopo cognitione. Quod ſeſſione XXI capite IV edicitur, ut illis ſacerdotibus, qui de novo erunt eccleſiis noviter erectis praeficiendi, competens aſſignetur portio arbitrio epiſcopi ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus; et ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit, populum ea ſubminiſtrare, quae ſufficiant ad vitam ipſorum ſuſtentandam: id eſſe contra uſum in regno receptum, qui nullnm epiſcopo in laicos jus tribuit, niſi in iis, quae ad ſacramenta aliaſque res ſpiritualeis pertinent; non antem in rebus ſoli, cujuſmodi ſunt alimenta. Quod eadem ſeſſione cap. VIII mandatur epiſcopis, ut ſacerdotiorum aedificia inviſant, curentque etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut quae renovatione indigent, aut inſtauratione, reficiantur: id pugnare cum ſenatuſconſultis, quae ſaepius pronunciarunt, de aedificiorum hujuſmodi refectione, tanquam de re ſoli, ſolos judices regios cognoſcere ac ſtatuere poſſe; item cum uſu apud nos recepto, qui pignorum capiendorum aut ſequeſtrandorum fructuum jus eccleſiaſtico judici omnino interdicit, idque ſolis judicibus regiis aut aliis laicis concedit. Quod ſeſſione ſequenti cap. X jus tribuitur epiſcopis, ut poſſint in quoſcunque notarios, etiamſi apoſtolica, imperiali, aut regia auctoritate ereati fuerint, tanquam ſedis apoſtolicae delegati inquirere, et examinatione adhibita eorum peritiam ſcrutari, illiſque non idoneis repertis, aut quomodocunque in munere ſuo delinquentibus, ejus in negotiis, litibus, et cauſis eccleſiaſtieis ae ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo aut ad tempus prohibere: id auctoritati regiae ac magiſtratuum adverſari, ad quos ſolos nec alios pertinet, munere ſuo officialeis regios privare aut ad tempus ejus exercendi uſum prohibere. Quod ſeſſione XXIII cap. VI Bonifacii VIII conſtitutio confirmatur, qua clerici conjugati non bigami prima tonſura initiati juriſdictioni epiſcopi ſubjiciuntur, omnibus cauſis tam eivilibus quam criminalibus: hoc directo pugnare cum auctoritate regia, et ipſius juriſdictione, atque adeo uſu apud nos uſurpato; quo conjugati ac ſoluti laici, licet tonſura initiati, epiſcopi juriſdictioni minime ſubjacent, niſi de ſacramento aut re pure ſpirituali agatur. Quod ſeſſione ſequenti capite VIII coercitio contra concubinarios et adulteros tam viros quam foeminas epiſcopis ſive ordinariis tribuitur: id pariter regis auctoritati refragari, ejuſque magiſtratibus, penes quos ſolos de concubinatu et adulterio inter laicos cognitio eſt. Quod ſeſſione eadem cap. XIX indulta ſive nominationes collegiis, univerſitatibus, ſenatoribus, aliiſque perſonis ſingularibus conceſſae abrogantur: id in ſenatus Pariſienſis odium ac praejudicium decretum eſſe. Quod ſeſſione XXV cap. III conceditur omnibus monaſteriis et domibus tam virorum quam mulierum, et Mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Franciſci, et [a] Capucinorum, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia poſſidere eis liceat: caput illud Mendicantium ordinationi pugnare, compluribus curiae decretis approbatae ac confirmatae, cui derogari non poteſt, quantum ad res ſoli ſpectat, cujuſmodi immobilia ſunt, niſi de expreſſo regis mandato ac per ejus diplomata, in ſenatu promulgata. Quod ibidem cap. III ſynodus epiſcopis concedit, ut in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quacunque ratione pertinentibus, contra quoſcunque etiam laicos per mulctas pecuniarias, ſeu per captionem pignorum perſonarumque diſtrictionem per proprios aut alienos executores faciendam, etiam per privationem ſacerdotiorum aliaque juris remedia procedere et cauſas definire poſſint: pugnare hunc articulum directe cum nſu apud nos recepto innumeris ſenatuſconſultis confirmato, qui eccleſiaſticis judicibus, quod nullum territorium habeant, ſententiarum ac judiciorum ab ipſis latorum executionem contra condemnatos per captionem pignorum aut perſonarum diſtrictionem interdicit;

VAR. LECT. [a] Capucinorum et eorum qui Minorum de obſervantia, quibus MS *Samm.*

interdicit; adeo ut cum his remediis uti volunt, brachii ſaecularis opem implorare neceſſe habeant. Quod eodem capite edicitur, ut excommunicationes illae, quae monitionibus praemiſſis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubſtractis rebus ferri ſolent, non alias quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per epiſcopum examinata decernantur; nec ad eas concedendas, cujuſvis ſaecularis etiam magiſtratus auctoritate adducatur; ſed totum hoc in ejus arbitrio et conſcientia ſit poſitum: —item nefas ſit ſaeculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet: id auctoritatem ſenatuum evertere, qui eo jure utuntur, et poſſunt, cum a ſententia excommunicationis quaſi abuſiva a judice eccleſiaſtico lata appellatum eſt, mandare ac jubere, ut pendente appellatione excommunicatus ad cauteiam abſolvatur, ad idque faciendum et abſolutionis beneficium impertiendum, epiſcopus ſive ejus vicarius per pignorum captionem cogatur. Nec in eo auctoritatem ſenatuum in dubium revocari debere ab eccleſiaſticis judicibus, cum partium jnta cenſuris adjuvari poſſe pronunciarunt. Quod eadem ſeſſione cap. XIX ſynodus regem excommunicat et privat ea civitate ac loco, in quo duelli committendi copiam fecerit: id regis auctoritati pugnare, qui nulla ditionis ſuae parte privari poteſt, quia quantum ad ea pertinet, nullum ſuperiorem ullatenus agnoſcit. Quod capite ſequenti ſynodus decernit ac praecipit, ut ſacri canones et concilia generalia omnia, nec non aliae apoſtolicae ſanctiones in favorem eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis eccleſiaſticae, et contra ejus violatores editae, quae omnia praeſenti decreto innovat, exacte ab omnibus ſerventur: late nimis hunc articulum conceptum eſſe; nam ſi locum haberet, ex eo ſequeretur, ut cunctae decretales conſtitutiones, totus liber VI a Bonifacio VIII additus, cunctae extravagantes, atque adeo regulae cancellariae Romanae omnes ſervarentur, quarum pleraeque tamen nunquam in Francia ſervatae ſunt; ſicque juriſdictio regia penitus enervaretur, et per immunitatem, quam ſacer ordo per eas ſibi vindicat, omne tributorum et ſubſidiorum ad regni tutelam a regibus impoſitorum onus in ordinem plebeium recideret. Quod ibidem cap. XXI edicitur, ut omnia quae de morum correctione atque ſacra diſciplina in ea ſacra ſynodo ſtatuta ſunt, ita decreta ſint, ut in his ſalva ſemper auctoritas ſedis apoſtolicae et ſit et eſſe intelligatur: id pugnare cum ſenatuſconſultis, quae ſaepius pronunciarunt, non licere ſummo pontifici gratiam facere eccleſiaſticis, in iis, quae ſanctis decretis et conciliis ſancita ſunt; et quotieſcunque ab executione diplomatum pontificiorum tanquam ab abuſu, quod contra concilia lata eſſent, appellatum eſt, ea nulla et abuſiva declaravit: ſicque ſanctorum decretorum et conciliorum auctoritatem in Francia conſervatam fuiſſe, tum hoc articulo appellationum ab abuſu remedium tolli, atque una ſancta conciliorum omnium decreta, et hujus ipſius, quod ita receptum eſſet, aboleri. Quod vero ſeſſione XIII cap. VIII, et ſeſſione XXIV cap. V edicitur, cauſas epiſcoporum criminaleis coram pontifice referri, ac per ipſum terminari debere, etiam cum de concubinatu agitur: id auctoritati provincialis ſynodi et metropolitanorum adverſari, ad quos jure competit de cauſis epiſcoporum cognoſcere, ſaltem in criminibus, in quibus minime requiritur, ut a munere ſuo deponantur: item adverſari regis et ejus magiſtratuum auctoritati, quibus jus eſt inter hujuſmodi perſonas de caſu privilegiato cognoſcere, excluſo ſummo pontifice et aliis eccleſiaſticis, etiamſi epiſcopi vel archiepiſcopi fuerint. Quod eadem ſeſſione XXIIII cap. XX dicitur, quaſdam cauſas eſſe, quae juxta canonicas ſanctiones apud ſedem apoſtolicam ſint tractandae; alias item, quas ex urgenti juſtaque cauſa judicaverit Romanus pontifex per ſpeciale reſcriptum propria manu ſubſcribendum committere, aut evocare: id vero pugnare

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

contra libertatem eccleſiae Gallicanae et contra decretum *de cauſis* in ſanctione pragmatica, quod ex Conſtantienſi et Baſileenſi conciliis tranſcriptum eſt. Quod ſeſſione VII cap. VI, ſeſſione XXIIII cap. XIII, ſeſſione XXV cap. IX ſynodus poteſtatem facit pontifici uniones ſacerdotiorum, quanquam nullas nec rite factas confirmare; item gratioſas diſpenſationes concedere, et ultimarum voluntatum vota commutare. Haec duo contra conciliorum auctoritatem et ſenatuſconſulta ſtatuta fuiſſe, quae uniones, extra caſus in jure poſitos factas, gratioſas item contra concilia diſpenſationes, nullas et abuſivas, et poteſtati ſupremae regis ac magiſtratuum ejus intra regni limites ex adverſo repugnanteis ſaepius declararunt. Praeterea ſynodum multa epiſcopis peragenda committere auctoritate apoſtolica, quae illi facere poſſunt, et debent auctoritate ordinaria; ut in ſeſſione V cap. I et II, ſeſſione VII cap. VI et VIII, ſeſſione XXI cap. III, ac ſequentibus uſque ad VIII. Seſſione XXII cap. V, VI, VIII, ſeſſione XXV capite IX. Hoc etiam ſenatuſconſultis repugnare, quae hujuſmodi executiones auctoritate apoſtolica factas abuſivas pronunciarunt, et ipſis eccleſiaſticis oneroſas; quorum cauſae, ſi quidem poteſtate ordinaria ferretur ſententia, per appellationem ad archiepiſcopum tantum devolverentur. Per haec autem verba, auctoritate apoſtolica, cogi illos ire aut Romam mittere, ut judices delegatos habeant; id etiam non mediocriter metropolitanorum juriſdictionem labefactare. Poſtremo iis ac pleriſque aliis locis ſynodum omneis omnino ab epiſcopalibus judiciis appellationes tollere. Quod contra appellationum ab abuſu in Francia ſemper uſurpatarum libertatem conſtitutum eſt, quae tribus in caſibus locum habent, quando ſacroſanctis conciliis et conſtitutionibus regiis aliquid contrarium decernitur, aut juriſdictioni regiae praejudicium affertur. Haec cum Joannes [a] Magiſter [α] et Gulielmus [b] Varius in publico conventu ſibi comperta dicerent, quae eccleſiae Gallicanae libertatibus et regni juribus ac immunitatibus adverſarentur, magna gratulatione a quibuſdam accepta, ab aliis, qui numero vincebant, in offenſionem verſa ſunt. Pontificius legatus, quicum res communicata eſt, cum vereretur, ne contentione ob id inter delegatos excitata conventus turbaretur, offenſionis ſenſum ad tempus preſſit, et opportuniorem occaſionem opperiens negotium urgere deſiit; jam enim voces paſſim audiebantur, libertatem publicam per Tridentini concilii promulgationem opprimi quaerentium, et colloquii condicti tempus inſtabat, per quod prudentioribus inter eos periculoſum videbatur, rem tot difficultatibus implicatam aggredi.

VAR. LECT. [α] et alii in publico *Ed. Gen.* 1620.
INTERPR. [a] *le Maiſtre.* [b] *Du Vair.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

TEMPORE colloquii appetente mittuntur qui locum inſpiciant. Utrinque delegati ad Surenam conveniunt. Prima de Nic. Angeneo Rambulieto mota eſt controverſia. II. Reginaldi Belnenſis Bituricenſis archiepiſcopi habita mane oratio, qua cunctos ad mutuam erga patriam charitatem hortatus, rationes, ob quas regii in obſequio remanſerunt, petitis e ſcriptura et antiquitate teſtimoniis ac exemplis demonſtrat, et ineundae pacis rationes proponit. III. Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis poſt meridiem verba fecit, et longa ac vehementi oratione ſectarium malum deteſtatus ante omnia religionis ſecuritati proſpiciendum eſſe demonſtravit: IV. Tum rurſus Bituricenſis de priſcae eccleſiae patrum erga principes cultu praecipuo et ſubditorum obedientia dixit: V. Poſtridie Lugdunenſis exempla et teſtimonia a Bituricenſi allata refutavit. VI. Inter altercationes et mutuas exprobrationes dies exacta, et Schombergius cum Belnio ad urbem profectus eſt, ut Meduanium ſalutaret, eumque a creatione regis dehortaretur. Inde petitum a noſtris ſpatium, quo plenius de regis voluntate ac conſilio illos edocerent. Interea ſupplicationes magna pompa in urbe celebratae. Schombergius cum Revolio ad regem proficiſcitur. VII. Per literas cum Henrico Turrio Bullionii duce agere juſſus Thuanus, ut quamvis Proteſtantium doctrinae addictus aequitatem in eo negotio ſervaret, et quo minus rex ſibi regnoque utile conſilium caperet, auctoritate ſua non impediret. Sub id ſyngrapha ſecreta ab iis, qui in comitatu regis erant, majorum religioni addictis, cautum Proteſtantibus de edictis in ipſorum gratiam ſervandis: VIII. Rex declarat apud animum ſuum conſtituiſſe vocatis epiſcopis et theologis inſtructioni, quam ſemper expetiverit, omni alia re omiſſa vacare; interim placere, ut induciae ad aliquot menſeis pangantur. Ea re converſa ubique populorum ſtudia. IX. Re ad concilium a Lugdunenſi relata in aedibus legati conveniunt delegati, et a Feriae duce, qui aderat, an ampliora a Philippo mandata haberet, petunt; X. Quo rurſus petente ut colloquium abrumperetur, et in creatione regis ratio ſereniſſimae Infantis haberetur, Gul. Roſa Silvanectenſis epiſcopus ſurgens interfatur, et petitioni ut legi Salicae adverſanti praefracta oratione interceſſit. De conditionibus cum ad Ordines, ſicuti Feriae dux petierat, relatum eſſet, eodem reditum nono poſt die, et Inicus Mendoza auditus, qui jura Infantis ſcholaſtica oratione executus eſt. In eam alienatis ſubito animis multa in urbe jactata. A factioſis et eodem tempore exagitata declaratio: XI. Poſtremo ad reſponſum dandum Rochettae utrinque primo ab urbe lapide conventum: cum Lugdunenſis de voluntate regis merito dubitari diceret, et quouſque de ea conſtaret, et pontifex auctoritatem ſuam interpoſuiſſet, ultra in pacis aut induciarum negotio pergi non poſſe oſtenderet, Bituricenſis excepit, et de ſincera regis voluntate ipſos ſecuros eſſe juſſit, ceterum quoad regium jus, pontificis auctoritatem minime expectandam. Interim urget ut pacis negotium inchoetur: cetera dies inter contentiones exacta.

XII. Ad

XII. *Ad Villétam demum conventum, et induciae a rege oblatae:* XIII. *Quas factioſi per cardinalem Segam et Pellevaeum cenſurarum minis additis impediunt, et regis Catholici electioni inſtant. Induciarum negotio dilato Erneſtus archidux Infanti vir deſtinatus rex eligendus ab Hiſpanis proponitur. Ordines actis Philippo gratiis ab Erneſti electione ſe excuſant. Dum deliberant Hiſpani, plebs ob rejectas inducias in urbe tumultuatur, ac vix tandem placatur.* XIV. *Hiſpani aſſentiuntur, ut rex is quem Philippus ex regni principibus nominaverit, eligatur, Infantem in uxorem accepturus. Intercedunt delegati regni per literas. Caſtreus inſtat, ut quem Philippus intelligat, ſine more nominet.* XV. *Senatuſconſultum factum quo Meduanius rogabatur, ne per foedus regnum in exterum principem transferri pateretur, et leges regni fundamentales ſerventur.* XVI. *Id per Joannem Magiſtrum praeſidem Meduanio addita gravi oratione, ſignificatum.* XVII. *Meduanius cum Magiſtro poſtridie expoſtulat.* XVIII. *Senatus in tutando decreto conſtantia.*

Ex auctoribus,

Ephemeride urbana M. S. Actis publicatis, Actis colloquii ab Honorato Laurentio ſcriptis, Reginaldi Belnenſis archiepiſcopi Bituricenſis adverſariis.

LIBER CENTESIMUS SEXTUS.

CIƆ IƆ XCIII.
Henricus IV.

TEMPORE colloquii appetente, miſſi qui locum idoneum inſpicerent. Pleriſque circa urbem deſtructis per bella praediis ac praetoriis, Surenae pagus delectus, in quo hoſpitia delegatis per metatores diſtributa ſunt XI Kal. Maias. Biduo poſt principum et ordinum nomine delegati P. [a] Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, Franciſcus Pericardus Avrincarum epiſcopus, Godofridus Billius S. Vincentii Laudunenſis abbas, Andreas Brancatius, qui in [b] Rotomagi obſidione ſuſtinenda egregiam operam navaverat, ob id maris praefectus a Meduanio creatus, Franciſcus [c] Avertonus Serilliacus Belinii comes Lutetiae praefectus, Petrus Janinus ſenatus Divionenſis praeſes, Joannes Ludovicus Pontallerius Talmaeus, Ludovicus Montinius, Nicolaus Pradelus Montolinus, Joannes Magiſter Pariſienſis, Stephanus Bernardus Divionenſis, Honoratus Laurentius in Aquenſi ſenatu fiſci patronus; qui omnes ſexto abhinc die beato Petro martyri ſacro poſt ſacrum celebratum, et acceptam a legato pontificio benedictionem, et egregias ab ipſo ac cardinali Pellevaeo admonitiones, ad locum condictum venerunt, hora altera a meridie; quo jam a rege delegati venerant Reginaldus [d] Belnenſis archiepiſcopus ac patriarcha Bituricenſis, Franciſcus [e] Regius Chavinius jam caecus dux veteranus et fidei ac virtutis vir perſpectae, Pomponius [f] Bellevreus ante aliquot dies domo, quo a rege defuncto amandatus fuerat, in aulam revocatus, Nicolaus [g] Angeneus Rambulietus, Gaſpar [h] Schombergius Nantolii comes, Godofridus [i] Camuſius Poncarreus, Jacobus Auguſtus [k] Thuanus Emerius, Ludovicus [l] Revolius; qui omnes nullos titulos ſibi ſumpſerant. Itaque et ab adverſae partis delegatis petierunt, ut ipſi ſua tantum nomina ſine titulis, ne praejudicium alterutris

INTERPR. [a] *d'Eſpinac archevêque de Lyon, F. Pericard evêque d'Avranches, G. de Billy abbé de S. Vincent de Laon, & de Brancas de Villars.* [b] *Rouen.* [c] *de Faudoas dit d'Averton Sr de Serillac & de Belin gouverneur de Paris, P. Jeannin preſident de Dijon, J. L. de Pontallier Sr de Talleme, L. de Montigny, N. de Pradel Sr de Montbolin, J. le Moiſtre de Paris, Eſtienne Bernard de Dijon, & Honoré du Laurens avocat du roy au parlement d'Aix.* [d] *de Beaune archevêque de Bourges.* [e] *le Roy Sr de Chavigny.* [f] *de Bellievre.* [g] *d'Angennes Sr de Rambouillet.* [h] *de Schomberg comte de Nantueil.* [i] *de Camus Sr de Pontcarré.* [k] *de Thou Sr d'Emery.* [l] *de Revol.*

alterutris ea re fieret, apponere contenti eſſent; quod et obtinuerunt. Venerat cum regiis Dominicus [a] Vicus Fani Dionyſii praefectus, mandato regio minime comprehenſus, qui coetui interſuit, adverſa parte minime repugnante; modo idem et Nicolao [b] Neovillo Villaregio, qui non aderat, neque mandato itidem Meduanii comprehenſus fuerat, a noſtris conceſſum intelligeretur. Prima de Rambulieto controverſia fuit, quem [c] Henotici admittere ad colloquium recuſabant, quaſi caedis Guiſii conſultor aut conſcius fuiſſet: nam eandem ob cauſam Gulielmum [d] Roſam epiſcopum Silvanectenſem ab Ordinibus ſuis delegatum, quod ſe inviſum ſciret, ab eo munere excuſaſſe. Sed cum reſponſum eſſet, hoc in delegatorum poteſtate ſitum non eſſe, et ad regis defuncti injuriam, ac praeteritorum memoriam refricandam, quam potius ſepultam mallent, pertinere; tantum ea die fides utrinque data de ſecuritate, quam et proprio ſanguine obſignari cum ſe paratos dicerent, in craſtinum colloquium remiſſum eſt: quo cum rurſus delegati foederatorum convenisſent, nam regii ſemper [e] Surenae remanſerunt, rurſus de Rambulieto mota eſt controverſia. Ille vero, ut ſe hac moleſtia liberaret, non petito a collegis conſilio, in arcanum quoſdam alterius partis ſeducit, et ſe a ſuſpicione memorata purgat, multaque in eam rem addit, quae Guiſium ejuſque matrem ſcire ſua intereſſe exiſtimabat. Actum et de loci ſecuritate; ac triduo poſt cum Lugdunenſis propter aegritudinem adeſſe non poſſet, ceteri delegati nihilominus eodem convenerunt; et cum cognoviſſent a rege impetrari non potuiſſe, ut Rambulietus a colloquio abſtineret, mandata utrinque proferri placuit, nam nullum majorem defectum eſſe, quam poteſtatis, cum ampliora regiorum eſſent, aliorum contra audiendi tantum et referendi facultatem continerent; tamen eam delegatorum dignationem eſſe Bituricenſis ſe putare dixit, ut minime dubitet quin quod illi aequum cenſeant ac decernant, ab iis, a quibus delegati ſunt, approbetur et ratum habeatur: poſtea de armorum ceſſatione intra certos fineis a [f] Vico et Belinio deſignatos ac conventos eadem ſeſſione tranſactum eſt, ac diplomata utrinque confecta ad vicinos praefectos miſſa, ut ſervarentur.

II. POSTRIDIE cum [g] Lugdunenſis cum collegis eodem veniſſet, actioni initium factum, et [h] Bituricenſis poſt actas Deo gratias, quod pro ſua ineffabili bonitate ac miſericordia ad calamitates Galliae reſpexiſſet; et ut de turbis componendis ageretur, animos utriuſque partis inflexiſſet; iique delegati eſſent, de quorum egregia voluntate in cauſa religionis et erga patriam minime ambigeret: poſt deploratum miſerum regni ſtatum, et privata odia, ſimultates, ambitionem, avaritiam, atque ultionis deſiderium, quae tot malis cauſam dediſſent, et exteris ac juratis Francici nominis hoſtibus ad invadendum ac veluti in partes lacerandum florentiſſimum quondam regnum portam aperuiſſent, multis ſed temperatis verbis perſtricta; et contra pacis ac concordiae bona ad vitam feliciter ac pie degendam neceſſaria ac charitati Chriſtianae convenientia longo item, ſed exquiſito ſermone, laudata, cunctos ad mutuum, qui inter conciveis eſſe debet, amorem hortatus eſt; ſuperbiam, ſpes iniquas, vindictae ſenſum, deponerent, et privatas inimicitias publicae tranquillitati condonarent; ex caeco veluti furore, qui divulſos huc uſque tenuerat, tandem excitati, quod rectum eſſet, clarius perſpicerent, et communi malo depellendo conjunctis viribus ac conſociatis ſtudiis ſtrenuam operam impenderent; quodque a propheta dictum eſt, pacem inquirerent, eamque perſequerentur. Ad haec Lugdunenſis magnifice proteſtatus, non aliam foederatis fuiſſe armorum ſumendorum cauſam, quam juſtam religionis Catholicae apoſtolicae Romanae periclitantis defenſionem, mox

INTERPR. [a] *de Vic gouverneur de S. Denis.* [b] *de Neufville Sr de Villeroy.* [c] *les Liguers.* [d] *Rose evêque de Senlis.* [e] *Surene.* [f] *de Vic, & de Belin.* [g] *l'Archevêque de Lyon.* [h] *l'Archevêque de Bourges.*

CIↃ.IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

mox ſubjecit, paratos ſuos, ubi idonee ſecuritati ejus proſpectum fuerit, bellum tam juſte ſuſceptum deponere; alioqnin prius vitam quam tam laudabile propoſitum relicturos, aut religionis periculum neglecturos, in qua nati reges eſſent, adoleviſſent, et imperium in tantam magnitudinem extuliſſent; pro qua denique majores toties pugnaſſent, et quam proinde illibatam ab iis acceptam, vel cum ſanguinis diſpendio, ad poſteros tranſmittere tenerentur. Fruſtra mala noſtra adeo exaggerari; ea in omnium oculos incurrere, nec lentiores ipſos, quam qui illa compoſitis ad invidiam verbis tantopere extollunt, in proprio dolore ſedere; ſed ad eorum originem ac cauſam primariam inſpiciendum, Sectariam peſtem videlicet, quae templis demoliendis, aris ubique evertendis, ſacerdotibus injuria afficiendis, agris vaſtandis, urbibus diripiendis occaſionem dederit; quae quanquam graviſſima ſint, tamen multo acrius illos pungere tot animarum de ſalute aeterna periclitantium jacturam, quam aut penuriam publicam, aut ſuburbiorum foedas aſpectu ruinas, aut rerum cuivis interitui obnoxiarum damnum. Pacem optabilem eſſe, ſed eam, quam Deus eccleſiae ac vere ſuis dederit, qua proculdubio quies publica Imperiorum continetur: eam prae illa, quam vulgo homines otio ac voluptatibus dediti tam ardentibus votis conſectantur, optandam; ut quae cultum divinum ſpectet, pro quo Deus ſe veniſſe dixit, ut patrem a filio divideret, omnia abjicere praecipiens, parentes, amicos, adfinitates, ut ei ſerviremus. Bella ob id ſuſcepta ſi deteſtemur, pariter et eorum memoriam ac cultum ab eccleſia commendatum nos deteſtari oportere, qui ſanguine ſuo veram fidem obſignarunt. Igitur ante omnia diſpiciendum, ut religio in tuto collocetur; et quanquam ad comitia delegati nulla de pace mandata a provinciis, a quibus miſſi ſunt, habeant, ut quibus de hoc colloquio in mentem venire non potuerit, tamen ea eſſe et dignitate et erga patriam ac tranquillitatem publicam charitate, ut nullas conditiones, modo aequas et ad religionem conſervandam tutas, ſint recuſaturi. Ceterum diſſimulare non poſſe, ad jacienda ſolidae ac tantopere expetitae pacis fundamenta non aliud ſolidius ſubſterni poſſe, quam firmam inter Catholicos concordiam, et conſiliorum ab haereticorum conſortio ſeparationem. Hunc ſe hujus colloquii fructum ſperaſſe, ac Deum orare, ut mentes Gallorum ad id inflectat, quo priſtinae majorum gloriae in aſſerenda religione decus illuſtriore quam antea laude in nobis refloreſcat. His dictis Bituricenſis, cum ſeductis collegis in proximum conclave aliquantum conſultaſſet, ad colloquium redit, et quaedam de pacis neceſſitate rurſus praefatus, non aliam ejus conſtituendae rationem eſſe dicit, quam certa legitimi magiſtratus auctoritate conſtituta, cui univerſi pareant, et quo tanquam vinculo divulſa membra conſtringantur. Nec vero aliter religioni conſuli poſſe, quae ſciſſo factionibus regno et graſſante belli pluſquam civilis licentia ubique deſpecta jaceat, templis deſolatis et ſine paſtoribus ad ſpurcos uſus ſummo piorum dolore expoſitis. Nam eccleſiam etſi dignitate praecellentem, tamen tanquam imperii partem republica contineri. Itaque in religione fruſtra laborari incerto rege ac principe. Eum vero nec alium ſumi poſſe, niſi ex gente regia per tot ſaecula certa nec in controverſiam revocata ſerie a beato Ludovico deductum. Praeceptum eſſe divinae legis praecipuum, ut parentibus obediamus. Eorum nomine non ſolum naturaleis ac legitimos, ſed patriae patres, principes, reipublicae adminiſtratores ac magiſtratus venire, omnem quippe poteſtatem a Deo proficiſci, adeo ut qui iis non pareant, Dei ordinationi reſiſtere dicantur ab apoſtolo; et juſtitiam in eo conſiſtere, ut jus ſuum cuique tribuatur, tributum cui debetur pendatur, hoc eſt, principi, qui juxta beatum Petrum imaginem Dei inter nos refert. Eapropter principes, praeſules, et proceres ac reliquos Catholicos, a quibus miſſi ſunt, in fide, quam regi debent, conſtanter permanſiſſe; quippe qui ſic ſentiant, ſalva conſcientia ab

ejus obedientia non poſſe diſcedere. Eum non idolorum cultorem aut Mahumetanum eſſe, ſed in Chriſtiana eccleſia regeneratum, et idem quod nos fidei ſymbolum profiteri; tantum erroribus quibuſdam teneri; quod ei ad religionem deeſt, id recta inſtitutione, quam ille ſe amplecti paratum ſemper profeſſus eſt, et concordi univerſorum obedientia ab ipſo exorari poſſe. Tantum vota ac preces jungant, efficiantque ut is intelligat, non ſe ad exitium peti, ſed errorem ſuum a proceribus ac populis, qui contra eum bellum gerunt, improbari. Ea in re ſi ipſi ſecum conveniant, facile in ceteris, quae ad religionis ſecuritatem et pacis in regno inſtaurationem pertinent, inter partes conventurum. Hanc certiſſimam eſſe concordiae farciendae rationem, nec aliam ſe videre.

III. PERORANDO cum dixiſſet Bituricenſis, appetente jam prandii hora utrinque diſceſſum eſt, et poſt meridiem eodem reditum: et Lugdunenſis poſt habitam cum ſuis conſultationem orditur, proteſtatione jam facta, quam deouo repetit, et non inficiari dicit, quin ad pacem firmandam principis et legitimi magiſtratus conſtitutio requiratur; ſed ante omnia religioni proſpiciendum, in qua ſi diſſidium ſit, fruſtra de concordia inter populos conſtituenda laborari. Id xxx annorum Galliae funeſtiſſimorum experientia conſtare. Nam quomodo pacem poſſe conſiſtere, ubi diſcrepat fides? Nihil magis homines conciliare, quam conſpiranteis in religione ſententias. Hinc nimirum ſperandam concordiam, cum in unitate fidei conſentientibus ſtudiis pax et juſtitia obviae ſe oſculabuntur; ante omnia quaerendum Dei regnum, ſic enim fore, ut cetera nobis adjiciantur. Qui aliam ad pacem faciendam inſiſtunt viam, corpore omiſſo umbram conſectari. Religionem in omni bene ordinata republica principem locum tenere, et tanquam animam in corpore imperare; ita intelligendum, quod dicitur, eccleſiam in republica eſſe; proinde ipſos ardentibus quotidie a Deo votis ſibi principem dari optare, ſed re et nomine Chriſtianiſſimum, et a pietate majorum minime degenerantem. Fruſtra in contrarium afferri prave detorta a Sectariis antiquorum Chriſtianorum exempla; fruſtra illud apoſtoli in medium produci, obediendum eſſe praepoſitis etiamſi dyſcolis: nam refragari jus divinum et humanum, ſacros canones, concilia oecumenica, uſum eccleſiae, priſcas regni ac fundamentaleis leges. Primum lege divina prohiberi, ne rex ullus eligatur, niſi de fratrum numero, hoc eſt, qui eadem ſacra colat, ne videlicet populum rurſus in Aegyptum reduceret, hoc eſt, in perfidiam et Sectariam pravitatem praecipitaret. Eapropter in Iſraëlitico imperio ſacerdotes ac ſacrificos, qui plus inter alios ſapiebant, ab Jeroboamo defeciſſe, et ad Judam tranſiiſſe. Edomam et Lobnam urbeis ſacerdotum patrimonialeis eandem ob cauſam a Joramo ſeceſſionem feciſſe; ipſum autem magna populi laetitia miſerabiliter vitam finiviſſe, nec in majorum monumentum illatum. Amaziam autem, cum initio verum Dei cultum amplexus eſſet, ac poſtremo defeciſſet, juſtam populorum rebellionem paſſum ad Lachidem vix perfugium habuiſſe, ibique a populo Hieroſolymitano profligatum, ac poſtremo ex concilii ſententia occiſum. Athaliam denique reginam juſſu et auctoritate ſummi pontificis throno dejectam et poena juſta affectam fuiſſe. Idem praecepto evangelico confirmari, eum, qui eccleſiae obedire detrectat, pro ethnico et publicano haberi, jubente. Quomodo igitur in regem aſſumi poſſe eum, qui ab illa jam reſectus eſt; praeſertim cum beatus Joannes eum ſalutari, quod comitatis officium eſt, et domo excipere, et cum eo conſortium habere prohibeat? Beatum Paulum acerbe Chriſtianos increpare, quod coram judicibus paganis litigarent, innuentem a vera fide alienos eſſe indignos, qui inter Chriſtianos ac Catholicos jus dicerent. Sectariam quippe peſtem arctiſſima vincula, atque adeo foeminam a jugo mariti, ſolvere. Concilia plena eſſe ſanctionum hujuſmodi contra Sectarios decretarum. Laterenenſi ſub Innocentio

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

Innocentio III tanta praeſulum frequentia celebrato praeſcriptum fuiſſe regibus ut haereticos ab eccleſia denunciatos ad perniciem perſequerentur; ni facerent, ab eccleſiae communione excluderentur, et ipſorum ſubditi omni obedientiae ſacramento ſolverentur. Huic ſanctioni, ut eam in Gallia receptam appareat, jusjurandum, quod a regibus cum inaugurantur, ſolemni ceremonia praeſtatur, conforme eſſe; et * Toletano concilio IIII praecipi, ne princeps ullus ad regnum admittatur, niſi ſacramento prius praeſtito, ullum in regno a fide devium ſe minime paſſurum; quod niſi ſervaret, execrabilis et ab eccleſia diris devotus cenſeretur: nec debere objici, quod id in Hiſpania decretum ſit; nam pudendum eſſe, ut quod ſancte ab Hiſpanis decretum eſt, a Francis non obſervetur, et ipſi, qui in rebus religionis ceteris populis antiſtant, Hiſpanis ea in parte cedant. Ad jus divinum accedere uſum et veterum patrum ac Chriſtianorum exempla. Nam Mattathiam et Machabaeos ejus filios ob id laudari, quod Antiocho morigerari generoſe recuſaſſent. Sic populos in Licinium et Maxentium jure rebellaſſe, quod illi a religione Chriſtiana defeciſſent, et utrumque a Conſtantino meritae morti traditum. Quid Conſtantium Conſtantini filium? An non eum ille labe Ariana infectus beatum Athanaſium ſede epiſcopali dejeciſſet, a Conſtante fratre in ordinem redactus eſt? Porro ſi in beata illa eccleſiae priſcae columina inſpiciamus, Athanaſium, Hilarium, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum, quanta libertate ac vehementia in Sectarios principes invectos illos comperietur? Nota eſſe luporum, canum, ſerpentum, tigridum, draconum, leonum rapacium, atque adeo antichriſtorum nomina, quae apud Luciferum Calaritanum epiſcopum, contra Conſtantium ſcribentem, legere eſt. Humanis legibus, hoc eſt, imperatorum conſtitutionibus, puta Conſtantini, Theodoſii, Marciani, Juſtiniani ſancitum eſſe, ut haeretici eorumque fautores ab omnibus publicis muneribus tanquam indigni arceantur: in regno Franciae, ut S. Remigii teſtamentum, ut antiqua regum edicta ac ſanctiones taceantur, nonne vel ſolo ſacramento, quo reges inaugurandi adiguntur, conſtare, eos ad religionem Catholicam apoſtolicam Romanam tutandam, haereſeis exſtirpandas obligari, vicissimque ſubditos nec alia lege regibus obedientiae ſacramentum praeſtare? Primis comitiis, quae Bloeſis celebrata ſunt, Navarrum et Condaeum eapropter ex ordinum decreto, accedente regis conſenſu, monitos ut haereſim abjurarent: ni facerent, jure ſucceſſionis omni privarentur. Ultimis vero quam religioſe et quoties quantoque omnium piorum applauſu eadem lex fundamentalis jurata eſt? Et quanquam multa tunc inciderint, quippe tam tragico ac funeſto eorum comitiorum exitu, ob quae illa minus legitima quis cauſari poſſit, tamen ad extremum delegatos in ea ſententia perſeveraſſe, et regem eam ipſam ſolemni edicto confirmaſſe. Porro quam periculoſum ſit, ſe alterius religionis principi ſubjicere, exemplis et argumentis luce clarioribus apparere; hiſque maxime rationibus, quod veriſimile ſit, cum omnem operam daturum, ut haereſim ſuam propaget, veram religionem quovis pacto opprimat, idque facile ei factu eſſe exemplo. Sic enim Davide, Ezechia, Joſia regibus populum Iſraëliticum veram fidem amplexum; ſub Jeroboamo pravis cultibus addicto mox defeciſſe: Conſtantino imperante cunctos Chriſtianorum ſacris ſecundum rectam fidem nomen dediſſe: poſtea ſub Conſtantio ad Arianiſmum inclinaſſe. In Anglia proxima quot Sectatores ſciſſurae a ſe factae Henricum VIII habuiſſe? Qua facilitate Edvardum ejus filium religionem antiquam regno ſuo eliminaſſe? Quam parvo tempore veram reſtituerat Maria, nonne tam brevi ſpatio rurſus Eliſabetham ejus ſororem falſam repoſuiſſe, et tot annis retinuiſſe? Sic in Saxonia Lutheraniſmum a Jo. Friderico, Mauritio, * Auguſto ſeptemviris plantatum, a Chriſtiano Auguſti

INTERPR. * *de Tolede.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

Auguſti filio Calviniſmum in ejus locum repoſitum, ac mox eo mortuo a tutoribus Lutheraniſmum reſtitutum? Quid in Gallia, ubi conſtat omneis ſe ad regis inſtar componere, atque adeo ipſorum ſimias eſſe? Nam quot jam regis exemplo a majorum ſacris defeciſſe, ac quotidie deficere? Quid ſi vim adhibeat, ſi honorum, dignitatum praerogativa, ſi muneribus publicis ac praemiis contraſentienteis eximat, gratiam et beneficia ad ſolos Sectarios contrahat? Vix enumerari poſſe mala quae orthodoxi ſub Conſtantio, Valente, Genſerico, Hunnerico, Thraſimundo, aliiſque Arianis principibus paſſi ſunt; quorum niſi S. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Rufinus, Victor Uticenſis, ſuis ſcriptis memoriam conſervaſſent, vix fidem iis, quae de immanitate illa prodita ſunt, habituram fuiſſe poſteritatem. Quem vero crediturum olim, quae Catholici ſub Eliſabetha in Anglia tulerunt, et quotidie patiuntur? Nec memoria excidiſſe, quanta ſaevitia primis horum bellorum initiis in Gallia Sectarii bacchati ſunt, cum illi reges adverſarios haberent. Quid illos facturos, ſi regem eadem labe infectum et ab eccleſia reſectum habeant? Cui mirum igitur videri debere, ſi Catholici vireis, animos, conſilia jungant, ut tantam peſtem a cervicibus ſuis arceant? Dici non poſſe, Gallos regi hujuſmodi, naturae vinculo, ad parendum obligatos eſſe; cum in omni regno Chriſtiano, quicquid juris naturalis, juris gentium, et humanarum conſtitutionum eſt, Dei gratiae, qua reges regnis potiuntur, cedere debeat, et Chriſto naturali regnorum terrae regi, qui populum Dei pro hereditate ſortitus eſt, eumque poteſtatibus ſubalternis ſubjecit, ad amplificandam Dei gloriam et eccleſiae ſuae incrementum. Nam alios reges, qui nec ab ipſo inſtituti ſunt, nec a miniſtris ſuis ac vicariis adprobati, minime legitimos eſſe: has leges proximitate ſanguinis et ſucceſſionis jure nuper commemoratis potiores eſſe: fidem ſanguini praeferri debere; qui Sectaria lue infectus omni ſucceſſionis jure indignos effecit. An beatum Ludovicum, ſi in vitam redeat, pro ſuis agniturum eos, qui religionem, quam ipſe adeo generoſe olim tutatus eſt, nunc tam pertinacibus animis oppugnant? Succeſſorem verum eſſe, qui in fide non in throno ſuccedit. Quod vero rogentur, ut vota ſua ac preces conjungant, multas ob cauſas impediri, quominus id faciant. Fidem eſſe donum Dei, eamque non proteſtationibus aut interpellationibus, ſed Sancti Spiritus impulſione ac ſupremo motu dari. Navarrum invitatum in comitiis Bloeſenſibus, legatione ad ipſum decreta, ut ad ſacra majorum rediret; mortuo rege ultimo ipſum ſuis fidem dediſſe, fore, ut intra ſex menſeis Catholicorum votis ſatisfaceret. Quomodo fidem hoſtibus ſervaturum eum, qui datam ſuis fefellit? Quin et per interpoſitas perſonas ea de re ſaepius Meduanium cum illo egiſſe, nullo profectu. Quod ſi id nunc palam faciant, id in obedientiae argumentum tractum iri, quam ipſi deferre neque velint, neque poſſint: obſtare juriſjurandi toties repetiti religionem, neque id citra offenſionem ſummi pontificis fieri poſſe, qui eum ab eccleſiae communione publico diplomate excluſit, et cum eo agere aut conſortium habere prohibuit. Quod de reſipiſcentiae ejus indiciis jactetur, ea infirma eſſe, neque digna quibus reſpondeatur: nam quod ad marchionis Piſanii legationem attinet, eam non Navarri, ſed eorum, qui ipſum ſequuntur, nomine decretam eſſe: neque hoc eſſe obſequii, quod ſanctae ſedi debetur, idoneum documentum, ſed multa contraria afferri poſſe; datam ab ipſo fidem, nunquam a doctrinae ſuae profeſſione diſceſſurum; in ea conſtantem perſeverationem; manifeſtum erga ejuſdem profeſſores favorem; munerum publicorum inter ipſos diſpenſationem; locorum munitorum eis creditam cuſtodiam; ſtipendia paſtoribus toto regno attributa: Januarii et Julii edictorum renovatam promulgationem; et quod nuper edicto propoſitum eſt, ne de religione in magiſtratuum inaugurationibus in poſterum anquireretur. His accedere literas legatorum in Angliam interceptas, quibus de Navarri in

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

religione nutantis ac diſſimulantis conſiliis plena fides fiebat. Proinde viciſſim rogare, ſe excuſatos habeant, ſi deſideriis ipſorum non poſſint ſatisfacere, ne ſi aliter faciant, in tam juſta cauſa praevaricari videantur. Quinimo hortari ipſos, ut tandem Catholicos oppugnare deſinant, et ab Sectariorum partibus diſcedant, Moyſis dicto obtemperantes, ſuos monentis, ut ab impiorum tabernaculis recederent, ne ſe ipſorum peccatis involverent. Deſinentem excepit [a] Chavinius paulum commotior, et ſe minime Catholicam religionem oppugnare, ſed hactenus eam inviolatam ſervaſſe teſtatus eſt; ſed pro ſalute regni, quod alii oppugnatum eant, arma cepiſſe, quibus freti et illud et cum illo religionem majorum ad ultimum uſque vitae ſpiritum tueri ſint parati.

IV. POSTHAEC habito cum collegis colloquio cum eodem reditum eſſet, Bituricenſis laetari ſe dixit, quod Lugdunenſis confirmaverit, in eo laborare ſuos, ut religionem Chriſtianam ac Catholicam ſartam tectam tueantur. Nam commune id utriuſque partis votum eſſe, nec alio tendere eorum, qui regem ſequuntur, conſilia: et ut ad ejus argumenta reſpondeat, non inficiari divinae vocis oraculo Iſraëlitis praeceptum eſſe, ne regem alienigenam aſciſcerent, ne populum in Aegyptum, hoc eſt, ad pravum cultum reduceret, eapropter Joſiam de manu Elciae ſummi ſacerdotis librum legis recepiſſe, eaque perlecta cunctos ſacerdotes, Levitas, et univerſum populum ad illam ſervandam ſacramento adegiſſe. Verum XI annis ac ſemeſtri poſt, cum Nabuchodonoſorus bellum Judacis indixiſſet, Hieremiam a Deo juſſum monuiſſe Joachimum ſive Jechoniam regem, ut ſe ejus imperio ſubjiceret, cumque Dei decreto obtemperantem ſe uxorem, liberos, ac ſubditos populos Nabuchodonoſoro, in poteſtatem dediſſe. Sedechiam autem in ejus locum ſuffectum, cum contra Nabuchodonoſorum rebellaſſet, neque contra monenti Jeremiae aurem praebuiſſet, haud diu tardaſſe divinam ultionem. Nam proprios liberos in ipſius conſpectu interſectos, erutoſque mox ei oculos, templumque et palatium regium urbemque totam incendio deſtructam, populum in miſeram captivitatem abductum. Atqui Regem, neque Nabuchodonoſori neque gentilium errori aut idolorum cultui addictum eſſe; non eum electione in regem aſſumptum, quod inter populi Iſraëlitici reges primos obtinebat; ſed a regibus prognatum, lege naturae ac legitimae ſucceſſionis jure ad regnum a Deo vocatum, neque vero illud deceſſoris ſui morte, aut quaſi ab ordinibus delatum, ſed pleno jure creviſſe. Quod ſi quibuſdam erroribus a recta fide alienis teneatur, ſpem ſubeſſe, ut eos relinquat, id cunctos, qui ei parent, in dies exſpectare. Nam petere ipſum, ut melius doceatur et inſtituatur, paratus ab errore ſuo, quamprimum eum agnoverit, diſcedere. Ceterum excuſationi ac veniae locum ſupereſſe, quippe cum nulla alia doctrina a puero imbutus ſit, et tantum ignorantia, ſicut beatus Paulus, peccaverit. Non eum haereſiarcham aut pravae doctrinae repertorem eſſe, ſed eam, quam profitetur, cum lacte matris ſuxiſſe; proinde exiſtimare pro haeretico non poſſe haberi, quippe cum veritatem cauta quaerat ſolicitudine, corrigi paratus cum invenerit. Ita ſentire beatum Auguſtinum, ejuſque ſententiam in decretum Gratiani relatam eſſe, qui eum minime inter haereticos deputandum eſſe cenſet, qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam nulla pertinacia defendit, praeſertim quam non audacia praeſumptionis ſuae peperit, ſed a ſeductis atque in errorem lapſis parentibus accepit. Quod de familiaritate ac convictu cum haereticis ab apoſtolo prohibito affertur, idem et de manifeſte vitioſis et in peccato perſeverantibus praeceptum eſſe, eorumque colloquia interdicta eſſe, ne per ea boni corrumpantur, et offenſionis cauſam praebeant. Id vero ſevere primis eccleſiae temporibus ſervatum, cum Chriſtiani exiguo numero eſſent, ne ſe aliqua contaminatione polluerent,

INTERPR. [a] *le Roy Sr de Chavigny.*

polluerent, religioſe ſervantes. Sed eum nune Chriſtiana fides ubique per Europam propagata ſit, compluresſque Sectaria lue in ea inſecti ſint; qui praeceptum illud ſervari poſſe? Alioqui neceſſitatem juxta apoſtoli dictum impoſitam videri, e mundo exeundi; idque ita diſputare Martinum Aſpilcuetam magni nominis inter cunctos, qui de conſcientiae caſibus ſcripſerunt, doctorem. Proinde licere in Germania, nbi major pars, et in Francia, ubi complures eodem vitio laborant, libere et citra conſcientiae morſum cum iis verſari, multo magis cum rege, cujus alloquium vitare aut detrectare imperium, citra grande crimen ac publicam offenſionem non poſſit. Chriſtum cum foeneratoribus et mulieribus impudicis verſatum, ut eos ad bonam frugem reduceret. Idem et nobis licere, ſed ea lege [1] ab apoſtolo praeſcripta, ut videlicet ita picem attingamus, ne ab ea inquinemur. His rationibus effici, ut ei obſequium, ſicuti aliis regibus denegati non poſſit; nam legem aeternam eſſe et immutabilem, nec diſtinctionem aut conditionem, in iis quae ad obedientiam regibus praeſtandam pertinent, admittere. Neque vero aut regis perſonam aut ſubditorum robur debilitatemve, heic conſiderandam eſſe, quando reges lege ad regnum vocantur. Neque exemplis doceri poſſe, quiequid contra jactetur, in priſca lege populum Iſraëliticum ob religionem, a regibus ſuis defeciſſe, quamvis majorem partem illi pravis cultibus addicti eſſent. Nam nec ipſos Deo fretos vates, quanquam acerbe increparent, ab eorum latere poſtea diſceſſiſſe: imo precibus ac conſilio ipſos aſſidue juviſſe. Sic Eliam Achabo ſemper praeſto fuiſſe. Sic prophetam Achabo proelii cum Benadad, qui Samaritas oppugnabat, quamvis praevalidis viribus ſubnixo conſerendi auctorem fuiſſe. Contra, Micheam bellum cum rege Syriae diſſuaſiſſe; nec vero niſi ad tempus, ut Jeſabelis furorem vitaret, Eliam ab Achabo diſceſſiſſe. Quod de Lobna exiguo oppido objicitur, minime in exemplum trahendum; quippe quod cetera Levitarum oppida minime ſecuta ſint. Jeſabelem autem, quod prophetas Dei ad exitium perſequeretur, multos ex iis interfeciſſet, Nabothum immerita morte affeciſſet, debitas Deo ultori poenas dediſſe, ipſiuſque ſobolem omnino extinctam, et Jehu in ejus locum ſucceſſiſſe. At Regem longe ab ea immanitate alienum minime Catholicos inſectari, non innocentium cruore manus commaculaſſe: ſe benignum ſemper ac munem erga Catholicos praebuiſſe, ipſoſque conſtanter tutatum eſſe. Nec plus ad rem facere, quod de Amaſia dicitur, ut a rege deficiendi neceſſitas ex eo inferatur. Nam non ob religionem populos contra eum rebellaſſe in libris ſacris tradi, qui ut oſtenderent motum illum nulla juſta de cauſa excitatum, conjurationis nomine eum indigetant; adduntque Amaſiae mortem poſtea expiatam fuiſſe, ejuſque corpus honorifice ex Lachide Hieroſolyma relatum, et in majorum monumentum reconditum, ac Oziam ſive Azariam ejus filium poſt patrem regnum tenuiſſe. Non ergo ob religionem populos a regibus ſuis defeciſſe, ſed totum id Deo dijudicandum reliquiſſe, in cujus manibus corda regum ſunt, quae et ille pro arbitrio quo vult inclinat. Ob tributorum gravitatem, aliaque intoleranda x tribus a Roboamo defeciſſe, et Jeroboami imperio ſe ſubjeciſſe, quanquam is pravis cultibus addictus eſſet. Nec plus valere Machabaeorum exemplum Antiochi jugum detrectantium: nam ille non legitimus ipſorum princeps, ſed externus, et violenta poſſeſſione in alienum regnum invadens populum Dei ad deteſtandos cultus adigere conabatur. Itaque Mattathiam illum vero Dei amore incenſum manu propria occidiſſe eum, qui primus coram falſis diis genu flectere, et rem ſacram facere paratus erat. Quid in Chriſtiana eccleſia? Nonne Chriſtum generis humani Redemptorem, ejuſque beatiſſimam matrem nomina ſua apud cenſum Auguſto imperante gentilium ſacris addicto profeſſos eſſe? Nonne Caeſari, ſuo et Petri nomine,

NOT. [1] a ſapiente, *Ecclus.* xiii. 1. *Put.*

CIↃIↃXCIII. HENRICUS IV. nomine, tributum pependiſſe? Nonne praecepiſſe, ut Caeſari quae Caeſaris eſſent, redderentur, quae Dei Deo? Imo Pilati itidem geotilium erroribus addicti tribunal minime defugiſſe, ſed contra pronunciaſſe, potentiam illum minime in ſe habiturum fuiſſe, niſi ei a coelo datum eſſet. Chriſti apoſtolos ac diſcipulos coram legatis et proconſulibus Romanis reſpondiſſe; et Tertullianum in Apologetico ſatis oſtendere, Chriſtianorum hanc praecipuam virtutem fuiſſe, ut ſupremis poteſtatibus ſumma animi patientia obedirent, neque ſeditionem aut motum ullum in repoblica excitarent: pro ſalute quippe imperatorum Deo ſupplicare, in cujus ſolius poteſtate ſunt, a Quo ſunt ſecundi, poſt Quem ſunt primi, ante omneis et ſuper omneis deos, homines: idque eo facere, quod vim maximam univerſo orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſaeculi acerbitates horrendas comminantem, Romana Imperii diuturnitate ſcirent retardari. Quod ſi qui objiciant, id locum habuiſſe in primis eccleſiae naſcentis initiis, quouſque illa per ſanguinem Chriſti exemplo et patientia martyrum adoleſceret; ea vero ſemel fundata ſub imperatoribus Chriſtianis, populos, cum ab Arianis premerentur, minime eandem patientiam ſervaſſe; quaeri merito poſſe, cur pro temporum ratione diverſum ſtatui debeat. An non enim perpetuam et conſtantem inter Chriſtianos, quam de cruce ſert beatus Paulus, ſententiam eſſe? Cur ergo in Gratiani decreto tantopere celebrari beatorum Ambroſii et Auguſtini diſtinctionem de obſequio, quod principibus debetur: Chriſtianos milites Juliano infideli militaſſe; qui ubi veniebant ad cauſam Chriſti oon agnoſcebant niſi illum, qui in coelo erat. Iidem, ſi quando juberet ille, ut aciem producerent, ſtatim obtemperabant, ac diſtinguebant Dominum aeternum a domino temporali; et tamen ſubditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali. Beatum Athanaſium tam admirabili pietate praeſulem olim ab Arianis calumnioſe accuſatum fuiſſe, quod ſolicitato per literas Magnentio tyranno, qui Conſtantem interfecerat, tumultum excitare conatus eſſet. At quibus illum verbis in apologia, quam ea de re ad Conſtantium Imperatorem Arianorum fautorem ſcripſit, tantam calumniam diluere, niſi iſtis, talia a Chriſtianis conſuli et ſcribi non coosueviſſe? Cum vero Syriano ad perniciem veſtigaretur, quid aliud feciſſe, quam latebras quaeſiiſſe, modo in cavernis, modo in patris ſepulchro occultans ſe, ubi a conſcio uno ex domeſticis clanculum alebatur? Et hoc exemplum ad firmandam hanc de obſequio principibus debito ratam ſententiam ſufficere. Quod ſi quando booi illi patres pietatis ardore accenſi acerbius contra imperatores a fide devios invecti ſint, et libertate priſcis prophetis permiſſa licentioſius uſi ſint, noo tamen propterea populos ad defectionem ſolicitaſſe. Ipſum Athanaſium in exilium abire juſſum a Conſtantio, quanquam ope procerum et Catholicorum populorum favore adjutus imperium ejus eludere potuiſſet, tamen ſumma modeſtia paruiſſe, neque id infirmitate feciſſe: aut alios Chriſtianos, qui in perſecutionibus minime contra principes ſuos rebellarunt: id claris Cypriani et Tertulliani ejus praeceptoris teſtimoniis comprobari, et inſigni inprimis optimi illius epiſcopi Samoſateni Euſebii exemplo, qui cum a Valente edicto proſcriptus eſſet, nuncio accepto, rem tegi imperavit, et poſtquam veſpertinis precibus defunctus eſt, eodem die ſummo ſilentio, clam populo, a quo impenſe diligebatur, ſe ad iter cum uno famulo accinxit, et Euphrate tranſmiſſo Zeugma perrexit. Mane vero cognita re, cum amici velis, remis, ut eum reducerent, eo accurrerent, ipſum, beati Pauli loco de obedientia poteſtatibus debita recitato, ſe excuſaſſe, et proſpera inimicis precatum, quo jubebatur, iter intendiſſe, et in Thraciam ſponte in exilium profectum eſſe. Quid? Nonne et Procopli contra eundem Valentem, et Maximi contra Valentinianum juniorem conatus, quamvis illi Ariani eſſent, triſtem exitum ſortitos eſſe? Et Procopium et Maximum poſt mortem hoſteis reipublicae ac tyrannos

declaratos

declaratos fuiſſe? Si quid contra forte per corruptos ſaeculi mores dictum factumve fuerit, id ad praecepti divini normam et ſanctorum patrum communem ſententiam corrigendum et exigendum eſſe. Sed et poſterioribus temporibus cum Theodoricus ejuſque ſucceſſores Romae et in Italia rerum potirentur, aliique Vandalorum reges viribus paſſim pollerent, ſanctos illos patres, Felicem, Anaſtaſium, Symmachum, Ormiſdam, Joannem, Agapetum, Silverium, Gothorum regibus licet Ariana labe infectis dicto ad omnia obedienteis fuiſſe: et Agapetum quidem, ut caedem Amalaſuntae reginae excuſaret; Joannem autem, ut Juſtinianum erga Arianos communi eccleſiae alioqui periclitantis bono placaret, inſignem legationem ſuſcepiſſe; hoc addito, qui eccleſiae praeſunt, paſtorum non perſecutorum vicem fungi oportere: conſtare et antiquorum monumentorum fide, S. Germanum [a] Papiae epiſcopum regis Ariani eleemoſynas per Burgundiam diſpenſaſſe ad redimendos captivos: recenſendis tot exemplis diem vix ſuffecturum. Quod ad concilium Toletanum attinet, id obligare potuiſſe Hiſpaniae reges, quorum plerique in pleriſque fidei articulis a recta via longe aberrarunt; non etiam reges Franciae, qui minime Toletano, ut nec Lateranenſi, ſe ſubjecerunt. Nam Lateranenſis decreta, quae ad doctrinam ſpectant, in Francia quidem adprobata ac recepta; ſed non ut ex eo ſequatur, regem potentiae ſuae, in iis quae ad juriſdictionem temporalem pertinent, jure excluſum, qui nec in ea ſuperiorem agnoſcit, et ſanctione ipſa canonica id juris habere perhibetur. Neque vero diſerte et expreſſe concilium de imperatoribus ac regibus loqui, quod oportuit; ſed in genere de poteſtatibus temporalibus; ac praecipere tantum, ut moneantur; et exigere, ut cenſurae in eos decernendae ab archiepiſcopis, habito epiſcoporum dioeceſis concilio, proficiſcantur, antequam ſubditi ab obſequio ſolvantur. Quod vero de legibus civilibus et imperialibus conſtitutionibus affertur, quibus Manichaei et Ariani a dignitatum, magiſtratuum, ac publicorum munerum participatione excluduntur, id intelligi de magiſtratibus inferioribus, non de principatibus, qui niſi cum excidio populorum et reipublicae everſione jure ſuo privari poſſunt; de quibus decernere ad ſolius Dei omnipotentis juriſdictionem pertinet. Nam principes verbi divini efficacia et moderata adhortatione, melius quam vi plerunque eccleſiae exitioſa, inflecti, et ad bonam mentem reduci. Sic Agapetum cum Juſtiniano egiſſe, ut eum ab errore Eutychiano abduceret; ſic Gelaſium praecipere; ſic beatum Auguſtinum in illa decantata ad Bonifacium epiſtola; qui et alibi ſeparationis ac ſciſſurae conſilia pernicioſa, crudelia ac ſuperba vocat, et exitu fere carere dicit. Fruſtra ex Bleſenſibus comitiis vim ab adverſa parte fieri: nam ſcire omneis, quo aeſtu, contentioneque res in iis tranſacta ſit: ſcire ipſum, qui magna earum pars fuerat, quarum memoriam ſepeliri non ſolum aequum, ſed ad concordiam, quae ex hoc colloquio ſperatur, neceſſarium exiſtimet. Nec metum injici debere populis, ne vel exemplo Anglorum aut aliorum vera ac Catholica religio in Francia periclitetur, ſi is rex admittatur, qui ab ea alienus ſit: nam potentiores dignitate, viribus, opibus in Gallia Catholicos eſſe, quam ut a tam exiguo numero cogi poſſint. His rationibus adductos, qui regis partes ſequuntur, ut in ejus obſequio conſtanter perſeverarent, idemque quod tanquam ſibi ſalutare ſumpſerunt, conſilium concivibus ſuis darent: reliquum eſſe, ut eodem Chriſtianae charitatis ac neceſſitudinis patriae vinculo invicem devincti, conjunctis votis ac precibus regem exhortentur, rectam doctrinam capeſſat, et antiquos errores deſerat, quo ad gremium Catholicae eccleſiae aggregatus, ceteros, qui ab ea deerrarunt, eodem redeundi exemplo ſuo

volnntatem

INTERPR. [a] *Pavie.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

voluntatem injiciat: quod vero expetant ipſorum conjunctionem, ideo ſe facere, quod ſciant eos Romae et apud pontificem multum auctoritate et gratia valere, cupiantque eorum interventu fieri, ut Piſanius benignius audiatur, et aequum, quod a ſancta ſede petit, ferat, nec in ſua legatione ullum ab ipſis impedimentum patiatur.

V. INCLINATA jam die ſolutus conventus, et Lugdunenſis ob podagrae dolores Surenac pernoctavit: poſtridie eodem reditum, et poſt prandium circa ejus lectum, nam ſurgere non poterat, cum delegati utrinque conſediſſent, ille ad Bituricenſis dicta ſic reſpondit, et Sedechiae exemplum diluit, cum diceret, ſacramenti religionem, qua ad parendum regi Aſſyriorum neceſſario obligabatur, interpoſitam fuiſſe; at nullam regi Navarro parendi ſubeſſe obligationem. Imo et jurisjurandi comitiis Bloeſenſibus toties repetiti religione, quo minus id facere ſalva conſcientia poſſint prohiberi, et inſuper auctoritate ſummi pontificis, qui Chriſtianorum propheta et angelus Dei, ejuſque ſpiritus plenus, id enixe vetuit; neque is unus, ſed VI ordine pontifices, Gregorius XIII, Sixtus V, Urbanus VII, Gregorius XIV, Innocentius IX, et Clemens VIII, qui nunc in Petri cathedra feliciter ſedet, totque jam ſuae pietatis ac juſtitiae documenta dedit, ut de ejus aequitate nemo merito queri poſſit. Eum Florentia oriundum, ac putaſſe multos, atque adeo jactaſſe, ob inſitam genti naturalem prudentiam, hoc in negotio aliam a deceſſoribus ſuis viam inſtituturum fuiſſe; ſed illos ſpe ſua falſos eſſe. Exempla aliorum prophetarum in medium adducta, qui precibus et hortatibus, non vi contra reges a vero cultu devios graſſati ſunt, aliter habere. Nam Eliam ordines regni contra Bahalis prophetas coëgiſſe, miſſos a rege interemiſſe, ob idque in Eccleſiaſtico laudari, quod reges ad perniciem dejeciſſet. Tantumne hortatus, aut preces cenſendas, cum Eliſaeus mandat Jehu, ut Achabum et Jeſabelem de medio tollat? Et cum Joramo pacis conditiones offerente, reſpondit, adhuc durare fornicationes Jeſabelis et veneficia ejus vigere multa? Sed et ſumma libertate priſcos patres de principibus, qui a fide recta deſciverant, locutos. Idque beatum Hilarium non temeritati ſed fidei; non inconſiderationi ſed rationi; non furori ſed fiduciae; non contumeliae ſed veritati tribuiſſe; nec ad exempla Lobnae et Edomae et Machabaeorum idonee reſponſum eſſe. Quod ad beati Pauli ad Corinthios locum, de vitando perverſae mentis hominum conſortio attinet, an eo intelligi gentileis, qui nullum Chriſtianae veritatis ſenſum habebant? (nam id et difficile fuiſſe, et alioqui minore cum periculo fieri potuiſſe.) An potius eos, qui Chriſtianorum ſacris ſemel initiati, ſi poſtea ab iis defecerant, omnino vitandi, et ab eccleſiae communione arcendi ſunt? Nam plus periculi in eorum familiaritate eſſe. Idem de imperatoribus ac principibus, quibus primi Chriſtiani adeo morigeros ſe praebuerunt, dicendum. Nam illos a fide defeciſſe dici non poſſe, quam nunquam ſuſceperant. Quod vero ſe eadem moderatione in ſubeundo principum Sectariorum jugo, ut Conſtantini et Valentis Arianorum, Juliani Parabatae, Anaſtaſii, qui Eutychis errore ſe polluit, Heraclii, Conſtantini Copronymi, et ſimilium, geſſiſſent, nihil propterea juri eccleſiae derogaſſe; verum id tunc feciſſe, cum potentioribus pares eſſe non poſſent; cum eccleſia in cunis adhuc eſſet, et potius ſanguinis proprii effuſione fidem obſignare, quam vi aperta principibus reſiſtere parata eſſet. Verum ubi poſtea viribus crevit, et vim cum eccleſiae utilitate, et citra populi Catholici detrimentum adhibere potuit, poteſtate ſibi conceſſa tempeſtive uti coepiſſe. Quid enim aliud facere potuiſſe Chriſtianos, cum Oſtrogothi Italiam, Viſigothi Hiſpaniam, Vandali Africam tenerent, niſi cum Davide voce lamentabili exclamare, *Quare fremuerunt gentes, et reges terrae aſtiterunt?* At poſtea in iiſdem fuiſſe completum vaticinium, *reges eos in virga ferrea.* Nec

vero

vero tantas eſſe Navarri vireis, ut ei iniqua imperanti obedire neceſſe habeant, quin CIↃ IↃ XCIII.
et animorum et opum ſibi ſatis eſſe, ut ei generoſe reſiſtant. Quod de Ambroſio HENRICUS IV.
objicitur, pro ſe facere. Nam ex eo apparere, Juliani milites, cum jubebantur contra Chriſtianos pugnare, minime dicto imperatoris ſui audienteis fuiſſe. Quod tamen hodie Catholici faciunt, qui ultro contra proprios fratres praecepto Dei obtemperanteis et Sectariorum conatibus ſe opponenteis arma ſumpſerunt. Lateranenſem ſynodum monere principes, ut Sectarios in ditionibus ſuis ad internecionem deleant; ni faciant, in poenas per eam declaratas incurrere. At heic non ſolum eccleſiae denunciationem ſubeſſe, ſed condemnationem. Non hortati tantum eam univerſos fideleis, ut haereticos fugiant, ſed declarare, ut Navarrum pro capite et propugnatore ipſorum reputent. Berengarium ſaepius quidem judicio eccleſiae damnatum, ſed tot concilia, quae ejus doctrinam improbant, non illius cauſa ab eccleſia fuiſſe congregata. Nec enim eſſe ex uſu eccleſiae, ut ſingulos haereticos condemnet, ſed tantum ſufficere, ut eorum errores publice et in genere condemnentur. Itaque in omnibus conciliis, quae ejus aetate celebrata ſunt, Romae, [a] Vercellis, ſub Leone IX, [b] Caeſaroduni Turonum ſub Victore II, altero Romae ſub Nicolao II, ejus errorem, quem poſtea Calvinus renovavit, ſemper cum deteſtatione damnatum fuiſſe. Ipſum vero ſponte errorem abjuraſſe, et igne accenſo libros de eo a ſe compoſitos exuſſiſſe; poſteaque iterum ad vomitum rediiſſe. In Sectario crimine, quo divina Majeſtas laeditur, omne privilegium et perſonarum immunitatem ac dignitatem ceſſare, et in principibus gravius id eo eſſe, quod ipſi ad eccleſiae defenſionem maxime teneantur, et plus in publica quam in privata perſona ſubſit periculi. Multo minus in dubium revocari debere, an is qui erroris tanti convictus ſit, pro haeretico haberi debeat: nam haereſim, poſtquam ſemel publico judicio damnata eſt, ſine pertinacia et animi obſtinatione defendi non poſſe; eumque vere haereticum eſſe, qui fidem Catholicae apoſtolicae Romanae deciſioni contrariam amplectitur. Id non ſolum facere Navarrum, ſed et armis pravam opinionem tueri, et Sectariis jamptidem ſe ducem praebuiſſe. Quod ad inſtitutionem, quam ille expetere prae ſe fert, ſpectat, nunquam defuiſſe illi, aut nunc deeſſe doctores, a quibus de errore ſuo melius inſtrui queat. Quod dicitur, leges civileis et canonicas contra haereſiarchas latas eſſe, non etiam principes continere, id contra ipſa legum verba pugnare, quae non ſolum auctores, ſed fautores et complices complectuntur, et iiſdem poenis principes obnoxios declarant, ut in quibus majus ſit periculum, et eo caſu ſubditos jurejurando ſolvunt. Religionis Catholicae apoſtolicae Romanae in hoc regno conſervationem ſupremam legem eſſe, cui illud innixum in tantam magnitudinem excrevit, et cui proinde ceterae leges cedere debeant, praeſertim cum praeceptum divinum annexum habeat. Quod vero recuſarint vota et preces conjungere, ideo id facere, ne mandata ſummi pontificis parvi facere videantur, quibus cauſae ſuae jus praecipue nitebatur: alioqui merito ipſis exprobratum iri, quod ea ut ſibi commodum videbatur, aut probarent aut improbarent. Deinde ne jurejurando a ſe interpoſito contra irent, ſi cum Sectario de pace agerent, eaque re ipſum in regem agnoſcere quodammodo viderentur; quod ſe non poſſe ſemper antea et nunc proteſtentur. De legatione [c] Piſanii, quod addatur, orare eos, ita ſibi perſuadeant, nihil adjumenti, ſic nihil impedimenti a ſe in hoc negotio allatum iri, et mandata [d] Lexovienſi epiſcopo et [e] Portae data nihil iſtiuſmodi in ſe continere. Quod in ea re factum eſſet, id pontificem de religionis cauſa ſolicitum pro ingenti, quo in rebus pietatis afficitur, affectu et eximia prudentia ſua feciſſe, exemplumque cunctis Catholicis dediſſe, quanta cura ac ſolicitudine religionis periculum vitari debeat.

INTERPR. [a] *Verceil.* [b] *Tours.* [c] *le Marquis de Piſani.* [d] *de Liſieux.* [e] *des Portes.*

CIƆ IƆ XCIII. HENRICUS IV.

debeat. His dictis Bituricenſis cum paulum cum ſuis ſeceſſiſſet, reſpondit, diverſa hinc inde exempla afferri, ſed verum eorum uſum a Deo, prius invocato ejus Spiritu, qui rectum intellectum dat, petendum: ceterum conſtantem eſſe Chriſti et ejus apoſtolorum ſententiam, in iis, quae ad obedientiam principum pertinent; Deum timendum, regem honorificandum; quae Dei ſunt, Deo reddenda, et Caeſari, quae Caeſaris ſunt. Omnem animam ſubjectam eſſe debere poteſtatibus, quique iis reſiſtat, Deo reſiſtere, et publicam tranquillitatem turbare: nec diu unquam tardaſſe juſta Dei judicia et ultionem coeleſtem contra hujuſmodi turbones. Sed miſſa haec facere, et ad eum locum licet aegre devenire, quem tanquam ſcopulum hactenus devitarit, pontificiam videlicet auctoritatem, quam toties ſibi objectam ſine reſponſione praetermittere non poſſit. Se quidem, qui loquitur, quanta poteſt demiſſione beatiſſimos ſanctitatis ſuae pedes deoſculari, ceterum ſibi dolere, pontifices hodie in Hiſpanorum poteſtate eſſe, qui licet bono animo ſint, tamen metu Hiſpanorum ſe ad ipſorum libidinem circumagi ſinunt. Id patere ex diplomatis non ſervato juris ordine contra regem, et eos, qui regis partes ſequuntur, in Hiſpanorum gratiam emiſſis. Eam non eſſe legitimam principum, qui a recto eccleſiae tramite deflexerunt, in viam reducendorum rationem. Priſcos pontifices aliam prudentiſſime inſtiriſſe, ultro obviam profectos, et omni honore ipſis delato. Ea ſe moderatione geſſiſſe Anaſtaſium erga Juſtinum, et Joannem erga Juſtinianum, ut eum ab Eutychiano errore revocaret. Auſteritate nimia et implacata ſeveritate quid aliud profectum, niſi ut diſſidiorum incendiis regna Chriſtiana arderent, ut in Anglia et Pannonia accidit, et provinciae vaſtarentur: verum bona ſpe eſſe, ut pontifex recuperata olim auctoritate ſe medium et communem parentem in hoc negotio gerat, eandemque quam deceſſores ſui erga Franciae regnum tam bene de ſancta ſede meritum ſervarunt, benevolentiam egregio documento teſtetur. Regem praepotentem ac generoſum principem eſſe annis florentibus, et in ea aetate conſtitutum, quae adminiſtrando tanto regno ſufficiat. Hunc non ſolum adverſus externos hoſtes tuendo parem, ſed vicinis formidabilem; ac iis virtutibus egregie a natura cumulatum, ut ſi quod illi deeſt, ſuppleatur, magno eccleſiae tutamento eſſe queat. Contra, in Hiſpanis viribus praeſidium ponere, quid aliud eſſe, quam parieti inclinato et corruenti maceriae inniti? Regem illum effoetum vicinam ruinam quotidie minari; et qui periculo expoſitos ſperato auxilio proculdubio ſit fruſtraturus. De diplomatis vero illis poſſe affirmare ea nuſquam idonee intimata, aut ipſi ſibi viſa; ſed et ſcire libertates et immunitates regni ad ea opponi poſſe, quibus non ſolum ipſi reges, ſed proceres, magiſtratus, ac populi, qui eis obediunt, a cenſurae fulmine ſpeciali beneficio tuti ſunt. Literas autem ad Anglos interceptas, quae jactantur, inſigni calumnia ab inimicis eſſe fabricatas, ad conflandam Piſanio apud pontificem invidiam: quod vero ipſorum interventum rogent, id ſe eo conſilio facere, ne diu negotium trahatur; ſed cum hodie conſtet, hodie agatur: quod cum ipſi recuſent, nolle amplius huic petitioni inſiſtere. Tum exempla quaedam a Lugdunenſi adducta diluit; et cum replicare vellet Lugdunenſis, non amplius opus eſt verbis, inquit Bituricenſis, ſed tandem ad rem veniendum, et ſalutaria in hoc negotio conſilia, omiſſa omni diſputandi contentione, adhibenda. Heic rurſus ſed tumultuario excitata nova de regum a cenſuris immunitate, eccleſiae Gallicanae libertatibus ac privilegiis, magnoque animorum aeſtu agitata quaeſtio; cum foederati nulla ejuſmodi regum privilegia eſſe dicerent, et Martini et Eugenii bullas et Clementis papae extravaganteis nihil tale continere aſſererent: contra exemplis doceri poſſe, eam ſemper fuiſſe pontificum in reges Franciae poteſtatem. Quibus a regiis breviter reſponſum, quaeſtionem hanc per ſe arduam, nunc ſciſſo factionibus regno valde controverſam eſſe,

eſſe, quae tamen majoribus noſtris bene concordibus nunquam in dubium revocata fuit. Ceterum Deum optime regni incolumitati proſpexiſſe, qui proceribus ac populis, qui regis partes ſequuntur, hanc bonam mentem in fide et obſequlo ejus conſtanter permanendi immiſerit, quibus niſi longe aliud, quam quod ipſi hac in re ſentiunt, perſuaſum fuiſſet, his ultimis temporibus plane de regno actum eſſet, incerta ſucceſſione, et regno in partes diſtracto, et ad externorum, atque adeo Hiſpanorum, libidinem in praedam expoſito. Regnum Franciae hereditarium eſſe, et Hugonem Capetum, hujus auguſtiſſimi ſtemmatis, a quo Rex recta ſerie deſcendit, principem, non pontificum beneficio, quod de Carlovingis vulgo jactetur, qui tamen beneficium illud uberiore longe foenore Romanae ſedi rependerunt, ſed procerum ac ordinum favore regno inauguratum, nemini, niſi Franciae ipſi, gratiam tantam debere. Fruſtra rege ſuperſtite ſperari, ut alius in locum ejus regno inauguretur: ac proinde ſe confidere, non temere commiſſuros eos, qui Lutetiae congregati dicuntur, ut electione illegitimi regis turbas, de quibus componendis non deſperant viri boni, ad irreconciliabile bellum adducant. Quod a Schombergio additum, ut obiter eos officii ſui ac periculi admoneret, ſi, quod urgeri a legato pontificio et Hiſpanis ſciebar, de novo rege creando conſultationem inſtituerent. Heic et ab adverſa parte de ſenatuſconſultis contra auctoritatem pontificis et ſanctae ſedis [a] Catalauni et Caeſaroduni factis querela renovata. Non auream illam Francorum pietatem, et erga ſanctam ſedem obſervantiam tantopere olim celebratam nunc vigere, a qua longe illi degeneraverunt, qui conviciosis adeo contra Numen ipſum verbis uſi ſunt. Nec minore piaculo ſe obligaſſe; qui [b] Autrici Carnutum conventiculum habuerunt, et ſcriptum, licet temperatioribus verbis, adverſus diplomata pontificia evulgarunt. Contra regii ſic differebant; rem non carere exemplo, et hujuſmodi in diſſidiis eadem libertate majores noſtros ſaepius uſos, praeſertim cum de legitimo rege excludendo, et tyranno in ejus locum ſufficiendo agatur, et ad id pontificia auctoritas interponatur. Quid enim hoſtile magis a ſancta ſede proficiſci potuit? Quid porro mirum, ſi cum hoſte tam infeſto hoſtiliter agatur?

CIↃ IↃ XCIII.

HENRICUS IV.

VI. HAS inter contentiones dies exacta, et Schombergius regis permiſſu, accepta cautione cum [c] Belinio ea nocte ad urbem profectus eſt, ut cum Meduanio, qui nuper ab exercitu venerat, ageret, et cum a periculoſo juxta ac temerario regis creandi conſilio dimoveret; injecta de Guiſio ſuſpicione, in quem, ſi, quod Hiſpani non bono Guiſii ſed odio Meduanii ipſius moliebantur, ſors caderet, providebar, fore, ut illi novi regis ac beneficiarii ingenio ad ipſius perniciem abuterentur. Meduanius perbenigne acceptum Schombergium, quanquam viri ſibi jam pridem amici candorem et prudentiam perſpectam haberet, et vera eſſe in parte, quae ille diceret, minime ignoraret, tamen homo natura lentus et animi anceps, cum omnia conſilia, quae a regi addictis venirent, ſuſpecta haberet, parum ſe monitis viri optimi commoveri oſtendit, et cum ambiguo reſponſo a ſe dimiſit. Itaque quatriduo poſt, hoc eſt, VI Eid. Maias eodem reditum, et cum noſtri urgerent, ut adverſae partis delegati amplius animi motum declararent, et pacis, quam ſe expetere dicerent, conditiones pleniores proponerent, Lugdunenſis retulit, quantum in ſe eſſet, plene ipſorum petitionibus ſatisfactum eſſe; cetera ex arbitrio ſummi pontificis pendere, cui parere et obſequi ad omnia parati eſſent; et quia ſpes facta erat de rege ad Catholicam religionem reducendo, idem quoque ſe optare teſtatus eſt, modo id ſincere ac ſine fuco fiat, ſuamque ille poenitentiam ita pontifici approbet, ut de ea minime dubitari poſſit. Tum Bituricenſis: Atqui malis urgentibus, inquit, praeſentiore opus

INTERPR. [a] *Chaalons, & Tours.* [b] *Chartres.* [c] *le Sr de Belin.*

opus remedio; ſi Romam ablegamur, terreſtri itinere tendentibus valde impediti montes ſuperandi interjacent; per mare multae remorae occurrent, quae curſum retardaturae ſint; moram utrique parti noxiam eſſe; quare agerent, ne vultus renidentiam illam, quam in illis cernerent, aliter quam pro propenſi ad tranquillitatem animi teſtimonio interpretari paterentur. Cum tamen in propoſito perſtaret Lugdunenſis, nec amplius quidquam a ſe impetrari poſſe oſtenderet, Bituricenſis poſtquam cum ſuis paulum ſeceſſit, aliquot dierum ſpatium ſuorum nomine petiit, intra quos de re omni ad eos, a quibus miſſi erant, referrent, et conſultatione cum illis habita plenius reſponderent. Suſpenſio armorum intra idem tempus prorogata. Interea celebratae in urbe inſigni pompa ſupplicationes pro proſperando conventu, et regis Chriſtianiſſimi ac vere Catholici electione; quibus interfuerunt legatus pontificius, [a] Lugdunenſis, Glaſcuenſis, Aquenſis archiepiſcopi, [b] Viterbienſis, Ambianenſis, Redonenſis, Regienſis, Silvanectenſis, Auguſtodunenſis, Abrincenſis, Sueſſionenſis, Venetenſis et Forojulienſis epiſcopi, capſas et feretra ſanctorum martyrum ferentes. Sequebantur in purpura ſenatores, qui in urbe remanſerant, quorum XIII capſam beati Ludovici humeris geſtabant. Aderant e rationalium curia et cunctis urbis ordinibus plerique. Sacrum peregit in majore templo cardinalis Pellevaeus; orationem admodum virulentam habuit Joannes [c] Bucerus e collegio Sorbonico theologus, homo regiae familiae infeſtus, et qui rabie efferata contra Henricum III in concionibus et paſſim debacchatus fuerat. Miſſus a noſtris Schombergius cum [d] Revolio, qui quid actum eſſet, Regem edoceret, et tempus veniſſe diceret, ut tandiu expetita animi ſui in religionis cauſa declaratione ſuis ſatisfaceret, ac per hoc hoſtium conſilia infringeret.

VII. ERAT in aula Henricus [e] Turrius Bullionii dux, vir praeter natalium ſplendorem magni animi et fortis induſtriae, penes quem olim ſumma armorum in [f] Aquitania fuerat, qui in regis gratia tunc maxime florebat, et quod Proteſtantium doctrinae addictus eſſet, regem aut dehortaturus ab hoc conſilio capiendo, aut retardaturus putabatur: quod ſi accideret, vel tantula mora, magnum ad animorum in hujus colloquii exitum toto regno intentorum inclinationem momentum afferebatur. Itaque diligenter ad eum perſcriptum a Thuano, uno ex delegatis; hiſque rationibus praecipue cum eo actum, quod cum pro ſua prudentia videret, niſi quamprimum pacis rationes inirentur, de regno actum eſſe, ex eo quoque animadverteret, pacem cum diſſidentibus a rege Catholicis neceſſario habendam eſſe: eam autem aliter haberi non poſſe, quam ſi iis in cauſa religionis a rege ſatisfiat, et ſpem conceptam exitus colloquii minime fruſtretur: nam irriti ejus invidia, in utramvis partem incumbat, magnam ex eo adverſus illam animorum converſionem ſecuturam. Porro rem non ſolum nobis, qui ſub armorum pondere gemimus, ſed et univerſae reipublicae Chriſtianae, cujus intereſt regnum Franciae integrum conſervari, ſalutarem fore; nec Deo non placere poſſe, quicquid ad ſedandas confuſiones et impietates, quae per bella civilia impune paſſim graſſantur, a rege legitima ſucceſſione ad regnum vocato, fiet, idque charitati erga patriam potius, quam ambitioni aut diſſimulationi tribui debere. Porro optandum eſſe a Proteſtantibus, ut is Catholicus rex ſit, qui aequitatem eam, quae hactenus adhibita non eſt, ad religionis cauſam adferat, et pace inter omneis regni ordines conſtituta, paci eccleſiae ad Dei gloriam ſerio ſtudeat. Nam quid magis omnibus piis deſiderabile eſſe, quam ut, qui Deum et quem miſit Jeſum Chriſtum credimus, in eoque vitam aeternam reponimus, in eadem fide conſentiamus, et, quaſi in terra unius labii, ut concordiam inter nos ſectamur, ita bene in religione

INTERPR. [a] *les Archevêques de Lyon, Glaſgow, & Aix.* [b] *les evêques de Viterbe, Amiens, Rennes, Riez, Senlis, Autun, Avranches, Soiſſons, Vannes, & Frejus.* [c] *Boucher.* [d] *de Revol.* [e] *de la Tour duc de Bouillon.* [f] *Guienne.*

religione concordes paeem cum Deo omnium bonorum datore habeamus? Id ur facilius ſine Proteſtantium offenſione fieret, fide ſeripto interpoſita cautum a principibus, primariis concilii aſſeſſoribus ac officialibus, qui tune in comitatu regis erant, in colloquio Surenae inſtituto nihil in praejudicium edictorum a regibus deceſſoribus conditorum conſtiturum iri, rebus in ſtatu, in quo ſunt, manentibus, uſque ad convenrum [a] Medontae XIII Kal. Sextil. proxime celebrandum; ſed amicitiam et concordiam, quae inter Catholicos regis partibus adhaerenteis hactenus fuit, ſartam tectam conſervatum iri, idque ſignificandum delegatis ſuſcepit Schombergius. Scripto ſubſcripſere Franeiſeus [b] Aurelianus Fani-Pauli comes, Philippus [c] Huraltus cancellarius, Carolus [d] Momorantius Meruvius, Rogerius [e] Bellagardius, Franeiſeus [f] Chabotius Brionius, [g] G. Schombergius, Joannes [h] Levius Mirapicenſis. Id actum XVII Kal. Jun.

VIII. INTELLECTIS delegatorum mandatis, cognitoque ſingillatim quid Surenae actum eſſet, Rex, conſultatione cum primariis et intimis habita, tandem declaravit, Quanquam non niſi gravirer ferre poſſit, verborum de ſe jactatorum acerbitatem ac petulantiam, tamen ut oſtendat ſibi charitatem Franeiae privatarum injuriarum ſenſu propiorem eſſe, querimoniis omiſſis et omni praeteritorum memoria depoſita, apud animum ſuum conſtituiſſe, vocatis epiſcopis ac theologis, inſtructioni, quam ſemper antea, ſi per adverſariorum malevolentiam licuiſſet, ſe amplecti paratum teſtatus fuerat, vacare; idque non ratione colloquii Surenae inſtituri, ut conditionem ab adverſariis in obedientia regi praeſtanda adjectam impleat, ſe facturum: ſed ut omnem ſcrupulum et occaſionem ignorantibus ac malignis praecidat, quaſi minus de propria ſalute, quae cum publica regni tranquillitate conjuncta eſt, ſit ſolicitus, id jubere, ut adverſae partis delegatis in conventu, Regis nomine ſignificetur, et ne vanis ſe ac incertis promiſſis deludi querantur, velle, ut ſciant jam miſſas ad epiſcopos ac theologos hac de re literas; item ad principes ac proceres abſenteis, atque ad regni curias, ut delegatos e ſuo ordine mittant, ex quorum conſilio, quod rectum eſt in religione amplectatur, et ſalutaria de republica conſilia capiat, tempuſque, quo univerſi Medontae conveniant Eidibus Quintilibus praefixiſſe. Interim ne tempus pereat, cupere, quo calamitatibus, quae belli tam exitiabilis continuationem neceſſario ſequuntur, finis imponatur, ut de pacis conditionibus agatur, ſuſpenſa ejus, quouſque videbitur et inter partes conveniet, definitione ſeu promulgatione: quod ſi delegati ſeu defectum poteſtatis ſive alia impedimenta cauſati facere recuſent, ne rurſus per belli renovationem alienatis a pacis conſiliis animis res exacerbentur, induciae legibus, de quibus inter partes conveniet, toto regno pangantur, intra quas poſtquam Rex conditiones ultro oblatas, et ſibi a ſeipſo impoſitas impleverit, de pace agatur: ſi utrumque recuſent, proteſtationes a delegatis fiant, earumque documenta publica toto regno evulgentur, quo non conventae pacis odium et invidia a Rege, qui nullas non aequas conditiones ſemper propoſuerit, aut oblatas ſe accipere paratum oſtenderit, derivata, in adverſarios rejieiatur. Id actum Medontae XVII Kal. Junias. Poſtridie Schombergius et Revolius Surenam reverſi ſunt: quo eodem die delegati adverſae partis cum veniſſent, Bituricenſis re prius cum collegis communicata orditur, et excuſata diutius dilati, quam putabat ipſe, propter abſentiam cardinalis Borbonii, et inopinatam ipſius Schombergii aegritudinem, conventus mora; eſſe dicit, quod laetentur, quod ea non mediocri foenore penſata ſit. Nam de praeclara Regis in religionis negotio et votis ſuorum reſpondente voluntate allatum a collegis conſignatum teſtimonium; qui nihil amaritudine verborum licentioſe

INTERPR. [a] *Mante.* [b] *d'Orleans comte de S. Paul.* [c] *Hurault de Chiverny.* [d] *de Montmorency Sr de Meru.* [e] *de Bellegarde.* [f] *de Chabot de Brion.* [g] *Gaſpard de Schomberg.* [h] *de Levi marquis de Mirepoix.*

CIƆ IƆ XCIII. licentioſe nimis fortaſſe, quod tempori condonandum putet, contra majeſtatem ſuam prolatorum permotus, in medio victoriarum curſu ſe vinci paſſus eſt, et quod jampridem animo meditabatur, id propediem exequi decrevit, hoc eſt, doctrina ſalutari imbui: qua in re quanquam et ipſe et praeſules aliique principes ac proceres, qui in ejus comitatu ſunt, valde cupiverint, pontificis auctoritatem intervenire, tamque memorabili ad omne aevum facto ejus factum magiſtratum inſigniri, tamen ſic tempora hodie eſſe, ut propter praevalidas in aula Romana, quod omnes norunt, factiones, id tam cito quam mali in dies apud nos ingraveſcentis neceſſitas poſtulat, ſperari nequeat. Itaque reſervato ac ſalvo, qui ſanctae ſedi debetur, et poſtea deferetur, honore, ſcripſiſſe ad epiſcopos ac theologos, ut ad ſe veniant, quo ab illis melius inſtitutus majorum ſacris, a quibus pueritiae errore defecit, det nomen. Hoc aureo nuncio illos beare, ac rogare, ut interim ſine ſcrupulo cum principibus ac proceribus, a quibus miſſi ſunt, de pacis conditionibus agere velint. Fruſtra enim colloquium ipſos ab initio expetiviſſe, niſi plenam poteſtatem de pace agendi ab iis, qui illos miſerunt, habeant; alioqui in longiore mora periculum ſubeſſe. Nam externas vireis undique confluere, quarum adventu pacis conſilia turbari ſi contingat, non facile in eam poſtea conventuros utriuſque partis animos. Poſſe ſuſpendi executionem in iis, quae ſpectant regem, donec ipſe Catholicae eccleſiae reconciliatus fuerit: ac ne belli occupationibus ipſe a tam laudabili incepto revocetur, aſſentiri, ut induciae, licet eas rebus ſuis maxime praejudicaturas minime ignoret, ad trimeſtre per univerſum regnum pangantur, quibus per otium meſſis utrinque colligatur, et in horrea recondatur. Quo tempore ſi contingat, quod boni ſperant, ut de pace interim conveniat, cuncti habeant, quo ſe in agro ac civitatibus ubique exhauſtis anno ſequenti alant, quod graſſante armorum licentia vix ac ne vix quidem ſperari poſſit. Hac inopinata oratione valde perculſum Lugdunenſem conſtat, nam ſumma fide caverant noſtri, ne quid ex ſecreto illo ad adverſarios antequam ad colloquium hujus diei veniretur, emanaret: qui tamen, ne confuſum hoc nuncio animum proderet, antequam cum collegis de reſponſo conſultaret, laetari ſe dixit, tam ſuo quam illorum nomine, quod Navarrus tam laudabile ad ſacra majorum redeundi conſilium cepiſſet, modo quod moliretur, ex animo et citra fucum ac diſſimulationem faceret. Dein poſtquam cum ſuis ſeceſſit, praeſcriptum illi fuit, ne longiore oratione in reſpondendo uteretur, et referendi ad legatum pontificium, principes, oratores Philippicos, aliosque Ordinum delegatos ſpatium peteret; tantum quod jam praefatus fuerat, repeteret, et nihilominus iis oſtenderet, quo minus tam bona ſpe eſſe poſſent, obſtare diplomata in Proteſtantium gratiam de paſtorum ſtipendiis regio ſigillo nuper conſignata, eaque cum promiſſis tam egregiis pugnare, neque facta verbis reſpondere argueret. Quod cum ille feciſſet, et magna vehementia contra illa diplomata, eosque, quorum ex conſilio facta et obſignata eſſent, peroraſſet; reſponſum a Bituricenſi fuit, ea ante biennium in medio belli aeſtu, cum nihil petentibus negari poſſet, obſignata eſſe, et cum ſimilia hoc anno peterentur, ipſum et cardinalem Borbonium interceſſiſſe; neque tamen ipſos ea re ad invidiam permoveri, aut propterea de recta ac ſincera regis voluntate debere dubitare: quin eo magis accendi oportere ad capiendam occaſionem eum ad eccleſiae gremium reducendi; quo confecto, nihil tale in poſterum metuendum eſſet: poſtremo a Lugdunenſi poſtulavit, ut exemplum eorum, quae regis nomine pronunciaſſet, ſcripto comprehenſum dignaretur accipere, et ad ſuos perferre; nihil interim de collationis actis, niſi de iis inter partes prius conveniret, ne calumniandi occaſio praeberetur, utrinque evulgaretur. Cum exemplum a Revolio porrectum Lugdunenſis delegatorum nomine accipere recuſaret, ne ſemel acceptum,

HENRICUS IV.

acceptum, antequam de illo ad eos, a quibus miſſus erat, relatum eſſet, approbare videretur, Bituricenſis petiit, ut aliquis ſaltem e delegatorum numero tanquam privatus illud acciperet; idque ab iis vix tandem impetratum. De altero capite, quod acta collationis ſpectabat, itidem aſſenſi ſunt. Verum Honoratus Laurentius, unus ex adverſae partis delegatis, non exſpectato, dum cum regiis, contra quam convenerat, actum eſſet, ea nihilominus Lutetiae typis mandanda curavit, in quibus multa ad invidiam admiſcuit, multa artificioſe ſubtecuit, quae partium conſenſu adhibito ſuppreſſa aut amplius expreſſa, aut aliter denique fuiſſent concepta. Non omnium, qui aderant, eodem modo affecti ſunt animi. Nam Joannes [a] Magiſter aliique qui pacis conſilia ſectabantur, avide orationem [b] Bituricenſis hauſerunt, et ſcripto comprehenſam cupidiſſime exceperunt. Cumque poſtquam foederati in urbem redierunt, exemplum ejus unicum in urbem perlatum a factioſis ſuppreſſum eſſet, et eam regis declarationem calumnioſe plerique interpretarentur, quaſi ad diſſipandam inter ſuos exorientem Tertianorum factionem, et ludificandos populorum pacem ſitientium credulos animos, ambiguis verbis artificioſe fabricata eſſet, Magiſter, qui aliter rem habere ſciret, ſtudioſe ad Thuanum ſcribit, ſcriptique traditi exempla quam multa fieri poſſet, ad ſe mitti petiit; compluraque ipſe ex miſſis ad ſe deſcribenda nocte proxima, et per urbem ut factioſorum mendacium ac vanitatem apud populum convinceret, publicandá curavit. Triduo poſt [c] Lugdunenſis ad concilium retulit, in quo erant Meduanius, legatus Sega, cardinalis Pellevaeus, alii, ſcriptumque a regiis traditum recitari juſſit, adhibita ad ſingula ejus capita peculiari explicatione; cumque fama ejus jam ante ſparſa et recenti recitatione varie affecti animi eſſent, tum maxime commoti ſunt factioſi, qui omnem rerum componendarum cum regiis ſpem praeciſam cupiebant; ex iiſque reperti ſunt, qui confuſo murmure hujus colloquii tam pernicioſi fructum eſſe dicerent, ut ſpe de regis cum eccleſia reconciliatione facta, populi initio tam bene contra Sectarios affecti, a belli ſtrenue deinceps perſequendi ratione revocarentur. Ad quae verba non mediocriter excanduit Lugdunenſis, et regem non colloquii ratione, ſed ut Tertianae factionis inter ſuos nuper exortae et in dies creſcentis prima incendia reſtingueret, id feciſſe dixit. Neque tamen id tam colloquio tribuendum, aut inutilibus querimoniis tempus terendum, quam ſerio et matura deliberatione de idonea reſponſione cogitandum. Cum Meduanius nihil niſi ex munere ac digne a delegatis ea in re factum pronunciaſſet, laudariſque prolixe gratias egiſſet, conventum rogavit, in commune conſuleret. Ipſe tempus ad deliberandum cum principibus, ſenatu, et arcani concilii aſſeſſoribus popoſcit, ac ſore dixit, ut diem, quo convenire poſſent, brevi ipſis denunciandum curaret. Re a concilio in vulgus jactata, factioſi ſic judicabant, non ſolum colloquium infructuoſum, ſed Unioni magnum praejudicium afferre, alienato per illud praepotentis principis, cujus viribus ipſorum opes nitebantur, animo, et plebe pacis illecebris per temporarias inducias ineſcata, ita ut aegre in bellum tam juſtum ac neceſſarium poſtea conſenſura eſſet. Regiorum eo ſpectare conſilia, ut Navarrum omni ratione in regno conſtituerent, prudentiam humanam adverſus lucis filios praevalere. Quod cum maxime Meduanii animum ureret, qui praeter ſpem colloquii eventum in ſuae partis exitium inclinare cerneret, Hiſpani ad omneis caſus intenti re cum legato pontificio communicata, occaſionem, quae ſe in manus dabat, minime praetermittunt, et nutantem Meduanium proprio periculo impellunt, ut de rege creando in comitiis agi pateretur.

IX. IGITUR

INTERPR. [a] *le Maiſtre.* [b] *l'Archevêque de Bourges.* [c] *l'Archevêque de Lyon.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

IX. Igitur delecti VI ex omni delegatorum ad comitia numero, qui conſiliis, quae cum legato pontificio, et Philippicis oratoribus haberentur, intereſſent. Ii fuere e ſacro ordine Lugdunenſis archiepiſcopus, et Gulielmus [a] Roſa epiſcopus Silvanectenſis; ex nobilitate Claudius [b] Caſtreus, et Montolinus; ex tertio ordine ſive plebeio [c] Michaël Martellus mercatorum praefectus, et Stephanus [d] Bernardus Divionenſis, qui XIII Kal. Jun. in aedeis legati profecti ſunt, quo [e] Meduanius cum Aumalio et Ellebovio patruelibus ac Pellevaco cardinali jam venerat. Aderant Feriae dux, Jo. Baptiſta Taxis, Didacus Ibarra. Heic ex compacto, cum ab iis, an alia a Philippo ampliora mandata haberent, delegati percontarentur, Feriae dux effuſa in Infantis Clarae Eugeniae Eliſabethae laudes oratione, quam a pietate, aequitate, humanitate, liberalitate potiſſimum commendavit, in Philippi patris munificam pietatem, qui ſexies decies centena aureorum CIↃ pro religionis in regno Franciae conſervatione, nulla praeterea acceſſionis ad imperia paterna et avita ex eo ſpe, tam propenſa voluntate expendiſſet, optaſſe ſe dicit, ut ex colloquio Surenae inſtituto is fructus ad communem religionis cauſam rediiſſet, ut qui Sectariorum partes ſequuntur, gravibus Lugdunenſis archiepiſcopi ac doctis adhortationibus inſtructi ad eccleſiae obedientiam cum ceteris Catholicis ſe aggregarent. Nam id charitatem Chriſtianam a nobis exigere, ut videamus ac curemus, ne quis, ſi fieri poſſit, de fratrum numero pereat. Verum quando id ſedulo ac ſtudioſe ſine ullo evidenti emolumento factum eſt, videndum, ne quod charitate fit, in pietatis ipſius perniciem vertat, et nimia erga Sectarios eorumque fautores propenſione religio detrimenti aliquid accipiat. His accedere, quod non niſi cum manifeſta ipſius offenſione fieri poſſit, qui tot beneficiorum vinculis conſtrictum hoc regnum tenet, ut quo tempore ab eo tanquam perſpecto amico auxilia petuntur et exſpectantur, et ipſe ultro pro miſero rerum Gallicarum ſtatu opes ſuas quaſi in holocauſtum offert, eodem cum declaratis regni hoſtibus de pace agatur. Eapropter aequum et juſtum videri, ut colloquium tanquam religioni inutile ac damnoſum omnino interrumpatur, et de veris remediis cum veris regni amicis contra illius apertos hoſteis in commune ſerio conſultetur. Nullum autem Philippo expeditius videri, quam ſi Infans ipſius filia ex Iſabella Henrici II grandiore natu filia prognata, poſt omneis Henrici liberos ſine prole exſtinctos ſuperſtes, cui proinde regni ſucceſſio et divino et humano jure debetur, accedente ordinum electione regina declaretur; nam id pontificem juſti aequique ſervantiſſimum proculdubio probaturum, cum videbit per eam feliciſſimam inaugurationem religionem in tuto collocatam, et regno ſecuritatem ſuam redditam. Nec Lotaringiae ducem, et excellentiſſimos ejuſdem familiae principes ac reliquos proceres, et nobilitatem dubitare debere, quin ſummum in ea praeſidium, benevolentiam, gratiam, favorem ſint experturi. Si conditio ipſis placeat, petere, ut ad eam quam primum diſerte reſpondeatur, ſe alioſque Philippi oratores, qui adſint, paratos de conditionibus agere: nam ſibi ea de re ſpecialia mandata data. Jam in limite eſſe VIII CIↃ peditum, et II CIↃ equitum, cum omni apparatu bellico, eos totidem Septembri proximo ſecuturos; quibus omnibus toto biennio ſtipendia ex regis aerario procedent. His ſi accedant X peditum CIↃ et III CIↃ equitum Gallicorum a Meduanio ſuppeditanda, ex eodem aerario C aureorum CIↃ ſingulis primis anni menſibus ſuffectum iri: Quippe ſpem ſubeſſe, ut tanti progreſſus lectiſſimarum copiarum ope fiant, ut ſequenti anno ex amplificatis regni vectigalibus bellum in parte ali poſſit; praeterea ex eodem aerario ad Gallicarum copiarum ſtipendium IↃC aureorum CIↃ erogatum iri. Haec et ampliora Philippum promittere, dummodo

INTERPR. [a] *Roſe evêque de Senlis.* [b] *de la Chaſtre, & de Montholin.* [c] *la Chappelle Marteau prevoſt des marchands.* [d] *Bernard de Dijon.* [e] *les Ducs de Mayenne, d'Aumale, & d'Elbeuf.*

dummodo Infans ipſius filia aut proprio jure aut electione, aut his duobus cumulatis juribus quamprimum regina pronuncietur.

X. HEIC praeter ſpem accidit, ut Ferianum perorantem exceperit Silvanectenſis, qui, quo ſpititu incitatus incertum, ſtatim politicos recte ſubodoratos dixit, qui religionis cauſae ambitionem admiſtam blaterabant: quod cum ipſe aliique concionatores bene erga ſacram Unionem animati, paſſim antea ad raucedinem uſque exploſiſſent, quaſi calumnioſe a Sectariis confictum eſſet, magno tamen cum ſuo animi dolore nunc contigiſſe, ut ex ore ipſorum Hiſpanorum idem intelligere cogerentur. Eos ſi in propoſito pergant, proculdubio apud ſe ac bonos Catholicos pro politicis in poſterum futuros. Regnum Franciae jam CIϽ CC annis exemplo Judaici regni reges maſculos feliciſſime imperanteis ex legis Salicae praeſcripto habuiſſe; ſi nunc, violata lege Salica per electionem, foemina ad regnum vocetur, periculum ſubeſſe, ne illa per matrimonium ad exteros principes ſceptrum transferat, et ex eo, temporis tractu, regni tanto tempore per eam legem ſervati diſſipatio ſequatur. Mirante legato et Hiſpanis hominis non ſuo loco loquentis intempeſtivam libertatem, Meduanius factum excuſavit, et de epiſcopo fidei in hac cauſa perſpectae non debere ipſos laborare dixit, qui alioqui mentis non bene compos manifeſto per intervalla furore tentaretur, multaque effutiret, quorum poſtea illum poenitebat, et poenituiſſe ipſum libertatis nimiae poſtea ferunt. Ferianus autem tunc petiit, ut de propoſitis a ſe conditionibus ad Ordines referretur, et amplius oratores Philippici audirentur, atque in iis [a] Inicus Mendoza juriſconſultus, quem homines militares a literis alieni, literatum per ludibrium vocabant. Huic nono poſt die ſenatus datus, et cum Jo. Baptiſta Taxis quaedam praefatus eſſet, ad amoliendam invidiam, quaſi Hiſpani Gallicas leges ſubvertendas ſibi propoſuiſſent, non aliud in praeſentiarum communibus malis remedium eſſe dicit, quam ſi a Philippo, penes quem hodie ſunt orbis Catholici vires, tam pretioſum ac chariſſimum patri pignus accipiant, et ita ipſum devinctum ad tuendam in Gallia religionem in perpetuum teneant. Petere interim a circumſtantibus, ut Inicum Mendozam, qui amplius ipſius ac Infantis jura ſit explicaturus, benigne audiant; neque tamen dicta ejus ita interpretentur, quaſi litem aut controverſiam de regni ſucceſſione intentaturus huc venerit, ſed potius ſibi perſuadeant, conſultatione in commune facta, quod utriuſque partis judicio utilius et temporum neceſſitati accommodatius videbitur, Philippum, qui omni re alia religionis cauſam potiorem habeat, libentiſſime et aequiſſimo animo amplexurum. Tum literatus Mendoza meditatam orationem ſcholaſtico apparatu pronunciavit, in ſeptem tractatus, et unicum corollarium diſtinctam, qua jus in regno et legitima ſucceſſione extinctis Henrici II prioribus ordine liberis Infanti competere oſtendebat, et electione, quam fieri debere contendebat, confirmari petebat; praeſertim cum ii, qui agnatione alioqui proximi cenſebantur, aut haeretici, aut haereticorum fautores manifeſti eſſent, et ſive jure ipſo, ſive publica pontificis hac in cauſa ſupremi judicis declaratione omnino excluderentur; in eam rem legibus, canonibus, capitulis et doctorum utriuſque juris auctoritatibus undique ad nauſeam conſarcinatis. Qua in diſputatione homo Hiſpanus heri ſui, a quo vireis ſoederatorum pendere ſciebat, fiducia, de cetero rerum Gallicarum rudis mire peregrinatus eſt. Obſervatumque a curioſis, argumenta, quae ille tam impudenter congerebat, ſi locum habuiſſent, Inſante excluſa ad veteres et obſoletas Anglorum contentiones viam per illa praemuniri. Itaque non inſacete a quodam aſtantium dictum eſt, haud mirum eſſe, ſi Angla prognatus Hiſpanus, Feriae ducem intelligebat, in alieni regni ſucceſſione tam impudenter luderet, et Anglorum cauſae in ea cauſa favere videretur. Id bibulis auribus

factioſi

INTERPR. [a] *Inigo Mendoza.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

factioſi auro Hiſpano corrupti hauſerunt; prudentiores riſu exceperunt; plures indignati. Quidam etiam ſcripto certis locis publice affixo reſponderunt, et [a] Laurentii Suaris Hiſpano-Angli ac illiterati Inici argumenta ſubverterunt, his ferme rationibus; quod cum non ſolum execrando ac impio perduellionis crimine Franci caput obligarent, prodita hoſti patria ac nominatim Hiſpano, et violata imperii Franco-Gallici lege fundamentali, ſed etiam extremae ſe dementiae infamia traducerent, ſi religionis ſecuritatem genti infideli, majorem partem Maranae, et quae neſcire Deum inter vulgaria peccata aeſtimat, crederent; et uxores, liberos, ac quicquid charitatum, ac bonorum ſupereſt, Maurorum alborum libidini ac ſaevitiae, quorum mores ipſi ſubjecti populi ferre non poſſunt, avare et crudeliter vexandos traderent; et ita juſtiſſimum odium, ultionem, arma vicinorum populorum ac principum contra ſe provocarent, quibus merito Hiſpanorum ambitio ſuſpecta et ſumme inviſa eſt; nihil aliud ſcilicet quaerentium, quam ut religionis obtentu tyrannicam dominationem ubique uſurpent; eoque praetextu ſimplicibus ad tempus illudant, improbis impune graſſandi licentiam concedant. Denique quod inſanabilis imprudentiae eſſet, in arundinem jam fractam aut parietem caducum inclinare, et in principe moribundo praeſidium reponere, qui ſua ac propria tueri ac conſervare nequit; cujus opes in dies imminuuntur, et ditiones huc illuc diſperſae, cum proxima ejus morte certam ruinam ac inevitabilem converſionem minantur. Elogium reſponſo ex ſacra ſcriptura additum, LILIA NON LABORANT NEQUE NENT. Quo ſignificabatur, in regno Franciae, quae per lilia denotabatur, foeminas ad regni ſucceſſionem non admitti.

XI. INTEREA poſt tot dierum moram minime ignari noſtri, quid Lutetiae ageretur, [b] Surena [c] Fanum-Dionyſii migraverant. Et inde quotidianis interpellationibus ac literis, quae et in urbe ad invidiam foederatorum evulgatae ſunt, reſponſum urgebant. Igitur re in conſultationem deducta IIII Non. Jun. poſt varias altercationes tandem vicit ea ſententia, ut niſi ſe victos fateri vellent, ſcriptum illud a regiis datum ſine reſponſione minime praetermittendum exiſtimarent. Exagitata interim regis quaſi artificioſa et diſſimulationis plena declaratio, et jactata in illam ex Hieremia, beatis Epiphanio, Hieronymo, Cypriano, Beda, [d] Bernardo Clarevallenſi, et [e] Ivone Carnotenſi varia dicteria, Aethiopem pellem ſuam et pardum varietates ſuas mutaturum, qui poſſet recte facere, cum didiciſſet male: fidei quippe perverſitatem paene incorrigibilem eſſe, et aegre ſanari, niſi donum et gratia ex ſuperis accederet. Et ut plus de regno Franciae, quam de corona coeleſti eum cogitare oſtenderent, praetextati dictum ingerebant, qui beato papae Damaſo illudens ſolebat dicere, facite me Romanae urbis epiſcopum, et ero protinus Chriſtianus. Atqui plus nocere falſum Catholicum, quam verum haereticum: proinde conſultius videri, ut negotium integrum ad pontificis arbitrium remitteretur, tanquam ad tutiſſimum portum, ad quem religio naufragium facere non poſſet; dignum ibi reſarciri damna fidei, ubi non poterat fides ſentire defectum. Perfidiam quippe non habere acceſſum ad cathedram Petri, eccleſiam Romanam praeſtigias contra fidem non recipere, nullam haereſim fovere, ſemper immaculatam permanſiſſe: hanc eſſe hujus praerogativam ſedis; pontificem pro ſua prudentia, et ſibi et ipſis cauturum, ut ille, qui ſe poenitentem dicit, ſemper clavibus Petri fortiter teneatur; et ſi forte abſolutus fuerit, et ad vomitum, ſicut jam contigit, reverſus fuerit, e veſtigio iiſdem clavibus recludatur, iiſdem eatenis religetur. Quod ad inducias ſpectat, ne negotium vulneretur, de iis agi non poſſe, antequam pontifex de eo decreverit. Triduo poſt [f] Rochettam, quod erat praetorium Cevernii comitis cancellarii patrimoniale, haud longe

INTERPR. [a] *Lorenzo Suarez Eſpagnol Anglois, & ſon illiterado Inigo.* [b] *Surene.* [c] *S. Denis.* [d] *S. Bernard abbé de Clairvaux.* [e] *Ives de Chartres.* [f] *la Roquette.*

longe a [a] Santantoniana porta noſtri mane venerunt, ac paulo poſt Lugdurienſis ac ceteri delegati; et ille quidem ad regis declarationem; et propoſitas a noſtris de pace et induciis conditiones praefracte reſpondit, Eam ſibi valde ſuſpectam eſſe; et ſi quidem Navarrus ex animo ad Dei eccleſiam redire cogitaret, tot moras interpoſiturum non fuiſſe. Dilationes illas affectatas et intempeſtivas re adeo urgente procraſtinationes non niſi pro ſimulatione ac tergiverſatione poſſe interpretari; potius Eunuchi a Philippo in via ſacro lavacro abluti, et Pauli in ipſa Chriſtianorum perſecutione ad Deum converſi exemplum imitari, et fructum ſuae poenitentiae edete, debuiſſe. Verum pontificis eſſe de poenitentia ejus ac fidei profeſſione, verane an ficta ſit, pronunciare. Interim de pace ipſos agere non poſſe, ne judicium atque adeo auctoritatem ſanctae ſedis anticipare videantur; aut quidquam facere, quo Navarrum regem agnoviſſe, antequam pontifex eum in gratiam receperit, dici poſſint. Ad inducias quod attinet, poſtquam his duobus capitibus ſatisfactum fuerit, plenius reſponſuros. Heic Bituricenſis laudata adverſariorum egregia voluntate, qui de religione in tuto collocanda tantum ſoliciti ſunt, ſuſpiciones eorum de regis ſincera fide ac voluntate diluit, et non carere exemplo oſtendit, ut qui tam laudabile propoſitum habuerint, propter alias atque alias rationes id diutius, quam a multis optabatur, diſtulerint, et tandem exitu felici perfecerint. Sic Conſtantinum, licet in arcano Chriſtianus eſſet, in erroris gentilium publica profeſſione diu haeſiſſe. Sic Clodoveum noſtrum, poſtquam jam a Sancto Spiritu illuſtratus eſt, non tamen ſacris Chriſtianorum tam cito initiatum fuiſſe; in mora modici temporis nullum fore periculum, et re non praecipitanter, ſed mature peracta, fore, ut plures tanti principis ſponte non coacta voluntate orthodoxam fidem profitentis exemplum ſequantur. Decreviſſe quidem illum ad pontificem mittere, eique eundem ſive etiam majorem, quam deceſſores ſui fecerint, ut omnem ſimulationis ſuſpicionem apud eum purget, honorem deferre: ceterum ſic exiſtimare, ipſos tam bene erga nomen Francicum affectos eſſe, ut non facile commiſſuri ſint, in iis, quae regni ſtatum ſpectant, ut pontifex cenſurarum ratione, et ob connexam earum cauſam ad declarandum regem regni capacem aut incapacem, ullam ſibi auctoritatem arroget. Neque enim Externorum haec notionis aut juriſdictionis eſſe; et obſtare jura ac leges regni, et libertates eccleſiae Gallicanae: alios vicinos principes diligenter ſervare, ne pontifices per ſuas ditiones in iis, quae imperium ſpectant, ullam poteſtatem uſurpent; ac ne longe petantur exempla, regem ipſum Hiſpaniae, cum ſucceſſio regni Luſitani nuper controverteretur, nunquam adſentiri voluiſſe, ut pontifex, qui jus in eo regno ſibi vindicat, negotio tanto interveniret, et legatos ab eo miſſos nec in conſpectum admiſſos re infecta remiſiſſe. Nec vero id in odium aut invidiam tanti principis dicere, quem et potentiſſimum ſciat, nihilque illi ad tantopere expetitum occidentis imperium deeſſe, praeter Franco-Galliae regnum, quod jam ſpe devoraverit. Nam etſi nunc hoſtis ſit, poſſe fieri, ut brevi frater et ſoederatus, ſicuti antea fuit, ex hoſte evadat; de pace, quo minus interim agatur, non videre quo ſcrupulo retineantur. Nam non cum rege, qui propediem Catholicae fidei nomen daturus eſſet, idque certius certo confirmaſſet; ſed cum Catholicis principibus ac proceribus negotium inchoari poſſe, qui non minus de religione in tuto collocanda, quam ipſi, ſint ſoliciti; et ſi quo ſcrupulo attineantur, poſſe a legato pontificio eum auctoritate ſua interpoſita eximi. Iis accedere, quod ſemper ab initio proteſtati ſunt, quicquid tandem inter partes convenerit, non aliter locum habiturum, quam ſi rex fidem datam impleret. Quod ad inducias attinet, eas non mediocre regis rebus praejudicium afferre; et tamen ipſum eas obtuliſſe, ne inchoatum

INTERPR. [a] *Porte S. Antoine.*

inchoatum de pace negotium, quod non niſi pacate tranſigi poteſt, animis per arma reſumpta exacerbatis diſturbaretur. Ad ultimum ſubjicit, quandoquidem quod hactenus in eo colloquio per altercationes et contentiones agitatum eſſet, et nunc agitaretur, magnum ad publicam utilitatem momentum haberet, id ut ſcripto ex utriuſque partis conſenſu fideliter mandaretur, ſaltem per ſumma capita perſcriberetur; nam nihil agi, niſi de quo agitur, inter partes conveniret. Ad haec Lugdunenſis, factam de regis propoſito ſpem rurſus convellit. Nam excuſationes de eo huc uſque protelato quorſum pertinere; niſi ut omnes intelligant, regem in cauſa religionis plus Anglorum reginae et hujuſmodi Sectariis principibus, quam Catholicorum juſto deſiderio tribuere? Ad exempla Conſtantini et Clodovei quod attinet, reſponderi poſſe, illum pravum gentilium cultum, cum primum tuto potuit, aboleviſſe; hunc a Clotilde uxore ſaepius monitum, ut Chriſtianae religioni nomen daret, cum ſemper recuſaſſet, poſt ingentem illam victoriam reportatam, in qua ſe praeſenti veri Dei numine ſervatum agnoſcebat, ſtatim ſacris Chriſtianis initiari voluiſſe, ut ex Gregorio Turonenſi conſtat; qui et addit, Avitum epiſcopum, cum videret Gundobaldum Burgundionum regem in arcano conſecrari velle metu populi, qui magnam partem gentilium errori addictus erat, eum acerbe increpuiſſe his verbis, Si vere credis, quod Chriſtus docuit, exequere, et quod corde te dicis credere, ore profer in publicum. Placere quod de honore ac obſequio pontifici deferendo dictum eſt, modo id ſincere, et ut filium erga patrem decet, fiat, et totum hoc negotium ad eum pure et ſimpliciter remittatur, non ſub modo aut conditione; alioqui viam pernicioſiſſimae ſciſſurae aperiri. Francogallicum imperium in iis, quae ſaecularem juriſdictionem ſpectant, a Deo ſolo pendere, neque ſuperiorem agnoſcere minime inficiari ipſos, quippe in terra Francia natos et legibus regni innutritos. Verum ea quae fidei ſunt, ut reconciliationem cum eccleſia, abſolutionem a cenſuris eccleſiaſticis, et hujuſmodi res ad ſolius paſtoris, qui univerſali eccleſiae praeeſt, cognitionem pertinere; cum enim eſſe, cui Jeſus Chriſtus eccleſiae ſuae adminiſtrationem credidit, qui poteſt ſolvere ac diſſolvere, qui hac divina gaudet praerogativa, ut fides ejus nunquam deficiat. Quod vero deinceps ſcripto agi petatur, in ea ſententia ſemper ipſos fuiſſe, et ab initio petiiſſe ac cupere, ut nunc duobus ab utraque parte id negotii detur. Inde confuſi de pontificis poteſtate ſermones jactati, et utrinſque poteſtatis diſcrimine in adminiſtrationibus publicis, de libertatibus eccleſiae Gallicanae, de cenſurarum diplomatibus, quando noſtri ea tantum monitiones ac ſimplices declarationes eſſe contendebant. Poſt prandium, quod exquiſita lautitia a Lugdunenſi et natura munifico et ad oſtentationem opulentiae urbis, quae ſumma harum rerum penuria tunc laborare putabatur, apparatum fuerat, Dominicus Vicus et Belinius aliquandiu ſeorſim a collegis de republica ſermones conſeruerunt, ſtatimque Belinius ad ſuos, qui conſultabant, ingreſſus, ex Vico ſe didiciſſe retulit, niſi aliud inter partes ſtatueretur, fore, ut colloquium eo die omnino abrumperetur. Rogare, ne in malam partem accipiant, ſi ipſe, qui quibus in anguſtiis urbs verſetur, ſciat, de ejus levamento cogitet. Nam quo animo putare illos, plebem hodie in urbe fore, ſi ſpem de hoc colloquio conceptam omnino praeciſam videat, praeſertim cum a regiis ultro induciae ſint oblatae? Quibus dictis delegati in conſilium abeunt, et expeditum cenſent, ut cum regiis rurſus colloquerentur. Ibi Lugdunenſis repetitis breviter, quae jam dixerat, addit adverſus noſtrorum obteſtationes, viderent ipſi, qui Catholici eſſent, ſi qua in iis eſſent pietatis viſcera, ne in illa praecipue terra ſchiſma fieret, in qua ſolent ſciſſurae aliae reſarciri. Quae verba ex beati Bernardi noſtratis epiſtola CXIX, uſurpata ſunt. Ad quae Bituricenſis jam praedixiſſe reſpondit, regis conſilium eſſe legationem ad ſanctam

ſedem

ſedem adornare; ſed nolle affirmare, ſi ante vel poſt reconciliatiooem id facturus CIↃ IↃ XCIII.
eſſet; ceterum conſultum ſibi videri, quod nec improbaturos collegas ſuos putet, HENRICUS IV.
ut rex ad ſuturam cautelam petat abſolutionem, et Miſſae ſolemnibus ioterſit, et poſt impertitam abſolutiooem Romam legatos mittat ad obedieotiam praeſtandam. Quo verbo, quia in curia Romana ita uſurpatur, et ipſe utanr. Verum ut ingenue, quod ſentit, loquatur, non eſſe regis, neque eorum, qui regi aſſident, conſilium, ut de ſumma rerum judicii externorum aleae ſe ſubjiciat, qui connexam regni cauſae excommunicationem praetexentes de ſtatu ejus, capax necne ſucceſſionis ſit, ſententiam ferant. Nam excommunicationem minime illam eſſe, ſed declarationem; et ſuppetere remedia ordinaria domi, ut minime opus ſit ad extraordinaria et exteros confugere: nec deeſſe argumenta ac exempla, quibus oſtendi poteſt, licere jure communi per epiſcopos regni in regno ipſo id exſequi. Notas eſſe omnibus eccleſiae Gallicanae libertates. Quid enim futurum, ſi pontifex regem a limioe judicii repellat, cauſatus eum relapſum, impoenitentem, condemnatum? Quod ſi cootingat, quid non conſiliariis ejus improperatum iri? Quam vero regni faciem ſore, in quo nemo rex legitimus, cuncti arcium praefecti ac belli duces, quaſi tot tyranni, omnia ſus deque ferent, agentque. Itaque ſciant, non commiſſurum regem aut ſuos, ut de ſtatu ejus aut ſucceſſionis jure trans montes compromittatur. Cum adverſarii nihilominus in propoſito perſtarent, inſtarentque, ut noſtri canones ac exempla proferrent, quibus vinceretur, licere epiſcopis, quae a ſancta ſede decreta eſſent, et a VI pontificibus confirmata, revocare: ea eſſe totidem Sancti Spiritus ſupremas ſententias, quarum proinde interpretatio aut cognitio tantum ad ſanctam ſedem pertineret, eoque magis, quod pontifices ſibi de iis cognoſcendi facultatem ſervaſſent, eamque quibuſcunque aliis judicibus interdixiſſent, ut ex ipſorum diplomatis patet; quae non declarationem ſimplicem, ſed expreſſam excommunicationis denunciationem continebant. In crimine autem haereſeos nullam perſonae praerogativam conſiderari; et principes in eo ceteris pares eſſe, io quibus pares ſunt in haereſis pravitate. Ad haec Schombergius vir alioqui prudens ac moderatus cum adverſariorum pertinaciam non ferret, ſtomachoſior infit, Nimirum vultis, ut Rex decuſſatis brachiis ſedeat; Meduanius interim vacuam imperii ſedem armatus teneat, et tanquam curator bonis datus vacantis hereditatis ratiooes ounquam diſcuti patiatur. Plura dicturum interfatur Bituricenſis: Et quid nos ad noſtros referre tandem jubetis? Quis hujus colloquii fructus? Adjungite vos ad ooſtras partes, et efficite, ut Meduanius, qui multum poteſt, operam ſuam non deneget, quo communibus ſuffragiis a pontifice impetremus, mandata det illuſtriſſimo Placentiae cardinali, qui heic eſt, ut vice ſua tantae molis opus tantopere a cunctis expetito fine conſummet, et religione conſtituta pacem Franciae conciliet. Heic rurſus Lugdunenſis, non hanc ad ſe petitionem pertinere; habere ipſos, ad quos preces ſuas dirigant, nimirum ſanctam ſedem, quae nemini claudit gremium, et ſeptuagies ſepties peccanteis ad poenitentiam admittit. Meduanium, qui ſciat quantum pontifici et ſanctae ſedi deferre debeat, non temere commiſſurum, ut quidquam in pontificiae auctoritatis praejudicium feciſſe, aut ejus ſupremam juriſdictionem antevertere voluiſſe, dicatur. Ipſum, qui ſe et ſua pontificis arbitrio jam pridem reſignavit, probaturum ac ſecuturum, quicquid ille pro ſumma poteſtate ac prudentia ſua in hoc negotio ſtatuerit. Sub id exacerbatis utriuſque partis animis, et acriore verborum exorta contentione, cum colloquium omnino abruptum crederetur, Bituricenſis magna moderatione conſurgens, Ergo cum bona venia veſtra hinc diſcedemus. Quem ſecutus Bellevreus, poſtquam cum aliquibus in arcano colloquutus eſt, confuſa aſtantium vox exorta; non Deus ſinat, ut ita re infecta diſcedatur; placere, ut Schombergius

Medontam

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

[a] Medontam rurſus proficiſceretur, et eum iis, a quibus miſſus eſt, agat; ipſi proxima Veneris die ad ſuos referent; et quia ſuſpeoſionis armorum tempus jam exivetat, petitum, ut illud prorogaretur. Cum noſtri reeuſarent, idque ſibi diſerte interdictum affirmarent, nam tempus quotidie extrahi ad externas copias in regnum introducendas, et multa in fraudem pactorum admitti, commeatuque urbem interea firmari: tandem non ſine verborum utrinque acerbitate conventum, ut per triduum ab armis ceſſaretur, et quia ſcriptum regii alterius partis delegatis tradiderant, viciſſim petierunt, ipſi curarent, ut ſi oon univerſorum nomine, ſaltem tanquam a privato ex eorum numero aliquo ſcriptum pro reſponſione traderetur. Idque ab iis impetratum fuit. Scripto illo primorum conſeſſuum repetita actione foederati, et arma ſua pro religionis defenſione ſuſcepta tanquam Catholicorum et pontificis auctoritate innitentium tuebantur, et regis cauſam exagitabant, tanquam Sectarii, et proinde regno indigni: tum ſacta ſpes de ejus ad eccleſiam redeundi enixa voluntate multis verbis et argumeotis coovellebatur, et ſingula verba a Bituricenſi de ea re ſparſim jactata ab ipſis artificioſe collecta mordaciter carpebantur; et legatio Piſanii non Regis oomine, ſed principum, praeſulum, ac procerum, qui in ejus comitatu ſunt, tanquam imprudenter ſuſcepta, neque pro dignitate, quae ſanctae ſedi debetur, arguebatur; ad extremum additum, laetari ipſos ac optare, ut quod Navarrus molitur, id ſineere et non fucate exſequatur. Verum id noo niſi interveniente pontificis auctoritate ac cooſenſu fieri oportere; ad quod nihil aliud ipſi conferre poſſent, quam ſi per legatos miſerabilem regni ſtatum apud pootificem exponant, quem tamen parvi faciant, prae religionis periculo, cui omnia ſemper poſthabituri ſint, et ſoper ea re ejus imperia ac mandata reverenter exſpectaturi. Quo in negotio ea fide et integritate ſe officio defuncturos promittunt, ut omnes intelligant, ſibi quietem ac tranquillitatem publicam praecipuo ſemper loco futuram. Antequam id fiat, de pacis conditionibus agi neque juſtum, neque aequum contendunt, et poſtquam pontifex reconciliationem Navarri probaverit, amplius petunt, ut ſibi cum eo, antequam cum ipſis aut Navarro agatur, de pacis cooditionibus ac religionis ſecuritate agere liceat. Ad extremum, priuſquam ad haec duo capita reſpondeatur, non poſſe de induciis agi oſtendunt. Scripto tradito utrinque diſceſſum eſt, et quinto poſt die tantum ad concilium a Lugdunenſi relatum, ubi quod ab illo actum erat, fere probatum, tantum de ſcripto tradito a quibuſdam queſtum fuit, quod per illud Navarro ad reconciliationem apud pootificem nimium facilis acceſſus praeberetur, et quantum in ipſis eſſet, ad eum viam quodammodo praemunire viderentur. Verum id a collegis excuſatum, quod non delegatorum ac multo minus comitiorum nomine, ſed tanquam a privato traditum eſſet. Et nihilominus placuit, ut rurſus ad colloquium rediretur, et ultimum reſponſum a regiis exſpectaretur.

XII. ITAQUE cum Schombergius et [b] Revolius interim Medontam ad regem excurriſſent, tandem III Eid. Jun. qui dies beato Barnabae feſtus eſt, ad [c] Villetam vicum tertio ab urbe lapide delegati utrinque convenerunt, et extra ordinem [d] Villaregius, ac mox Claudius Caſtreus, et Chriſtianus [e] Savinius Ronaeus. Ibi quoniam ita proximo conſeſſu placuerat, [f] Bituricenſis ſcriptum promit, quo ſuperiorum conſeſſuum actio fideliter ac breviter repetebatur, et quid rex vocatis epiſcopis ac theologis facere decreviſſet, exponebatur, et ad extremum induciae toto regno pangendae offerebantur; additis, niſi eas adverſa pars admitteret, proteſtationibus. Cum paulum ſeceſſiſſent ad conſultandum foederati, tandem hoc reſponſum datum, Se ſcriptum accipere, quanquam illud non uſquequaqoe tranſactis inter partes rebus cooveniat, ſed multa aliter quam pronunciata ſunt, in eo concepta legantur; cupere,

INTERPR. [a] *Mante.* [b] *de Revol.* [c] *la Villette.* [d] *de Villeroy, & de la Chaſtre.* [e] *de Savigny Sr de Roſné.* [f] *l'Archevêque de Bourges.*

cupere, ut acta integra ſcripto mandarentur, quae dietim ipſi fideliter perſcripſiſſent. CIϽ IϽ XCIII. HENRICUS IV. Ad inducias quod attinet, non videre, cur tantopere eae urgeantur, cum interim [a] Drocum tam arcta prematur obſidione, et Meduanius nihilominus ad Mansfeldium comitem ſcripſerit, ut exercitum ex Gallia deduceret, et ab obſidione caſtellorum in limite poſitorum omnino abſtineret; ceterum quod rectum juſtumque univerſae reipublicae ſalutare fuerit, id ſe diligenter facturos; interim non poſſe praetermittere, quoſdam exiſtere inter eos concionatores, qui publice ex ambone Sectarium virus evomerent: de paſtoribus Proteſtantium minime ſe loqui, ſed de iis, qui Catholicam fidem profitentur, quos ſub lineo habitu turpia blaterare inter Catholicos, et ad publicam offenſionem pertineat, et diſſimulare ſit probroſum. Ad quae Bituricenſis retulit, ſufficere ut ſumma capita in colloquio actorum perſcriberentur. De Drocenſi obſidione jam actum eſſe. Ad concionatores quod ſpectaret, ſi teſtes producerentur, curaturos, ut diligenter in delatos anquireretur, et rei peracti digna poena plecterentur. Dimiſſo coetu cum foederati ad ſua reverſi eſſent, Lugdunenſis ad concilium biduo poſt retulit, et poſt peractum ſacrum, traditum a noſtris ſcriptum publice recitatum fuit; cui nihil aliud reſponderi placuit, quam acta colloquii ex fide Honorati [b] Laurentiani jam typis mandata, ſicuti ad regios foliatim miſſa fuerant, publicari. Quod tamen contra fidem in colloquio datam factum, qua cautum fuerat, ne quid niſi ex partium conſenſu ederetur. Ibi exagitatum ſcriptum illud, quo per eos, qui in comitatu regis erant, Proteſtantibus cautum fuerat, cujus exemplum quibus artibus incertum nacti erant; eo religionem, cui noſtri ſe conſultum velle profitebantur, in periculum vocari, et Sectariam peſtem in regno confirmari aiebant, et verbis ad invidiam compoſitis rem in majus exaggerabant; nec attendebant, niſi pacatis Proteſtantibus per totum regnum pacem haberi non poſſe.

XIII. De induciis poſtrema conſultatio fuit, in qua diſſentiebant ſententiis Caſtreus et Ronaeus. Nam res haec utpote ad militareis viros praecipue ſpectans inter eos agitata fuit; et Caſtreus hoc rerum ſtatu, populis fatigatis, et aegre in bellum niſi deſperata pace conſentientibus, exhauſtis urbibus, nondum paratis externis copiis, inducias utileis ac neceſſarias dicebat; nam per eas colligi animos, populos ex continua bellorum moleſtia recreari poſſe, et ſi regii in propoſito pertinaciter maneant, rurſus ad bellum alacriores redituros. Urbeis interim commeatum, quo maxime egent, recepturas, et adventurum auxiliarem exercitum. Contra Ronaeus induciis factis animos ad quietem inclinaturos, nec belli labores ulterius ſponte ſubituros. Praeterea id directo pugnare cum ſacramento de non facienda pace aut induciis cum Sectariis inconſulto pontifice ac Philippo, et occaſionem creandi Catholici regis, cujus cauſa regni ordines convenerint, per eas amitti; nam tantae molis negotium, in cujus exſpectationem non ſolum in Gallia, ſed per omnem Chriſtianum orbem ſuſpenſi ſunt omnium animi, neque tuto, neque cum certo fructu inchoari, et ad optatum exitum perduci poſſe, niſi praepotenti exercitu firmatis partibus, qui tamen per inducias inſtrui non poteſt. In hoc ſententiarum conflictu, cum natura cunctatior Meduanius haereret, popularis ordo et nobilitas ad Caſtreum accederet, ſolus ſacer ordo arma quam pacem mallet, intervenit legati pontificii auctoritas, cujus literas, nam ex morbo decumbebat, Pellevaeus cardinalis eodem die ad ipſum ſcriptas in concilium attulit ac recitavit: iis ſuadebat, quando colloquio nihil hactenus actum eſſet, et Catholici, qui Navarri partes ſequuntur, Sectarios deſerere, et conſilia ac vires cum ceteris Catholicis, qui fructus ejus ſperabatur, conjungere recuſant, ut ab omni deinceps cum iis actione abſtineatur, nec in conſeſſibus ipſorum, ulla Sectarii ac ejus fautorum fiat mentio; qui aliter facerent, in

INTERPR. [a] *Dreux.* [b] *du Laurens.*

in cenſuras eccleſiae ſe incurſuros ſcirent, et rem maxime diſplicituram facturos pontifici; qui licet nunquam tam juſtam cauſam ſit deſerturus, tamen tanta injuria irritatus merito eos, qui ſpreta ejus auctoritate cum Sectario et relapſo de pace aut induciis agere in animum induxerint, deſerere ad extremum non dubitabit. Se quo dignitati ſanctae ſedis ac ſuae conſulat, et mandatis, quae a pontifice habet, ſincere ac bona fide fungatur, ſi quid contra haec monita fiat, ſtatuiſſe ab urbe aut etiam extra regnum diſcedere. Proinde Pellevaeum rogabat, ſuae ſanctitatis et ſuo nomine intercederet, et ſacrum ordinem hortaretur, in fide et reverentia, quam pontifici debent, manerent, ac religionis cauſam vita potiorem ſemper exiſtimarent. Alios ordines itidem obteſtaretur, in conſtantia priſtina perſeverarent, neque virtutis ac pietatis tot periculis partam laudem praecipitata deliberatione ſibi eripi paterentur. Ad extremum regis vere Catholici ac reliquis ingenii ac corporis dotibus ad defenſionem religionis ac regni neceſſariis egregie ornati electionem urgebat; id unum eſſe dictitans, quod ante omnia ab ipſis pontifex deſideret, et in quo regni ſalutem ac religionis ſecuritatem reponat. Parum his moveri viſa nobilitas, tamen ut aliquid legati precibus tributum videretur, deliberatio de induciis in aliud tempus dilata. Interim cum Erneſtus Auſtrius Belgii praeſes a Philippo deſignatus et brevi venturus ab Hiſpanis propoſitus eſſet, ut in regem eligeretur, accepta in uxorem Infante, eodem die reſponſum eſt, et poſt honorificam de Erneſti laudibus praemiſſam praefationem, ordines ſe excuſant, quod Philippi deſiderio ea in re ſatisfacere non poſſent: obſtare regni leges, ac Franco-Gallorum mores, qui in regem alterius linguae ac nationis quam ſuae, nunquam ſint conſenſuri. Quod ſi facerent, nobilitatis animos ac populorum voluntates a ſe proculdubio alienarent, et adverſae partis vireis, deficiente ad eam majore ſuorum robore, firmarent. Tamen ut gratum animum erga Catholicam majeſtatem teſtentur, oſtendantque cui multum jam debent, eidem plurimum velle debere, petere, ut cum bona ejus gratia ſibi aliquem e ſuis principibus in regnum eligere liceat, eique ipſe Infantem filiam in uxorem tradere dignetur: quod ſi placeat oratoribus Philippicis, et poteſtatem ea de re ſecum agendi a rege Catholico habeant, ſe paratos de conditionibus quamprimum tranſigere. Cum ſe ita ordines excuſaſſent, dum Hiſpani deliberant, varie agitata induciarum cauſa; et cum poſtridie urgentibus reſponſum noſtris de iis ageretur, Gilbertus Genebrardus, qui ſe pro archiepiſcopo [a] Aquenſi gerebat, ex altercatione in verba contumelioſa contra Hieronymum [b] Hennequinum Sueſſionenſem epiſcopum exarſit, eum et Aemarum ipſius fratrem [c] Rhedonum epiſcopum tepentem et in bona cauſa praevaricatorem dictitans. De quibus cum poſtea illi conqueſti eſſent, Genebrardus quam temere verba protulerat, tam turpiter ſchida etiam tradita propria manu ſubſcripta poſt aliquot dies recantavit. Fama de interceſſione legati, quo minus induciae fierent, ſparſa, plebs facto agmine publicas aedeis circumſtitit, et Gulielmus Aubertus in ſupremo vectigalium tribunali patronus regius nomine ejus orationem habuit, qua belli neceſſitatem, ſi induciae rejicerentur, ita ſuppliciter deprecabatur, ut niſi ſupplicum juſto deſiderio ſatisfieret, ad tumultum res inclinaturas oſtenderet. Dilatum nihilominus negotium, procraſtinante [d] Martello, et ad Meduanium remiſſum, qui morbum cauſatus, dein et alias occupationes, ac inprimis legati offenſionem, tempus ducebat. Jam induciae pactae exierant, et reſponſum foederati differebant. Itaque tumultuante plebe miſſus primum [e] Belinius [f] Dionyſii-fanum, et mox Ludov. [g] Hoſpitalius Vitrius, et [h] Pontalerius Talmaeus, ut X dierum inducias a noſtris impetrarent. IIII conceſſae. De ulterioribus rex conſultus eſt, qui in [i] Droci obſidione adhuc haerebat; miſſuſque Jacobus Auguſtus Thuanus, qui alia mandata ad illum habebat.

INTERPR. [a] *l'Archevêque d'Aix.* [b] *Hennequin evêque de Soiſſons.* [c] *Rennes.* [d] *la Chappelle Marteau.* [e] *d'Averton Sr de Belin.* [f] *S. Denis.* [g] *de l'Hoſpital Vitry.* [h] *de Pontallier Sr de Talleme.* [i] *Dreux.*

habebat. Rex eas prorogandas cenſuit, dum ſoederati de generalibus deliberarent, et ipſe coetum epiſcoporum et aliorum theologorum proximo menſe indictum pacata circum regione melius et per otium celebraret. Sub id a rege ad [a] Renatum Benedictum S. Euſtochii curionem allatae ſunt literae [b] Medontae ſcriptae v Eid. hujus menſis, quibus ut ad ſe veniret, ſerio de meliore in religione inſtitutione cogitantem, jubebat. Quas cum Benedictus legato ex Meduanii conſilio, quem primo adivit, exhibuiſſet; ille fidem ſe quidem ipſius laudare reſpondit, ceterum, quando a ſe conſilium peteret, ſic conſulere Navarro reſcriberet, non poſſe niſi petita a pontifice venia ad ipſum proficiſci. Magnam id invidiam legato apud plebem jam belli pertaeſam et malis urgentibus remedium quaerentem conciliavit; cum diceret, nunc manifeſto apparere, illum non tam ſe pro parente communi ac arbitro gerere, ſed ad Hiſpanorum arbitrium res moderari. Quippe nec boni paſtoris exemplum ſequeretur, ovem a grege aberrantem humeris reducentis, ſed alios, ne officio defungerentur, impediret. Interim induciarum negotium calebat, et unus ex [c] Aureliani delegatis mandatum ſe habere a civitatis ordinibus affirmavit, ipſumque exhibuit, quo Caſtreo negotium dabatur, cum Meduanio ageret, ut per inducias aut pacem publicae calamitati levamentum quaereretur; alioqui fore, ut ipſi ſibi per ſe conſulerent. Nihilominus legatus minime inflectebatur, et factioſis auſcultans diſſenſiones in urbe ferebat, ſparſis libellis in eos qui colloquium probabant; de quibus cum quererentur boni cives, impudenter reſponſum eſt, id aſtu Politicorum confictum, ut bene concordes foederatorum voluntates diſſociarentur; a Meduanio tamen impetratum, ut de auctoribus lege anquireretur; verum ut juſta ea perſecutio eluderetur, crimini quibuſdam datum eſt pacis ſtudioſis, et in iis Carolo [d] Ellinio et Bonardo, quod ultimo conſeſſu, qui ad Villetam habitus fuit, magno plebis Pariſienſis concurſu facto, cui ſe duces illi veluti praebuerant, ab alterius partis delegatis ſeditioſa voce pacem aut inducias petiiſſent. Id cum illi excuſarent, et non potius ab adverſae partis delegatis, quam a ſuis, quos permixtim confuſo ordine in conclave ingredienteis affectabantur, petitum dicerent, tamen a Pariſienſi praetore mandatum fuit [e] Jaqueto et Baſino commiſſariis, quos vocant, hominibus factioſis, et adhuc ſanguine [f] Briſſonii, Arcerii, et Tardivi, quod illis in ſenatu exprobratum eſt, madentibus, ut in ſeditionis ad [g] Villetam ſeu coeptae ſeu tentatae reos anquirerent. Eodem mandato comprehenſi, qui indigne ac contumelioſe de pontifice et ejus legato ac principibus locuti eſſent: cunctis frementibus Inquiſitionem Hiſpanam per hujuſmodi calumnioſas lites ſenſim introduci, et Pariſienſium animos tentari, quatenus ulteriora ferre poſſent. Igitur re ad ſenatum perlata increpitus eſt praetor, qui ſuſpectae fidei hominibus de civium capite cognoſcendi poteſtatem feciſſet. Tum concurſu claſſium [h] Inquiſitoriarum in magnam cameram facto, urbem in periculo verſari, et reipublicae interpoſita ſenatus auctoritate ſubveniri oportere vociferantium, decretum, ut probationes jam confectae ad cognitorem regium afferrentur; ab aliis conficiendis ceſſaretur, interdictumque ipſi, ne contra urbis civeis in cauſa capitali alios judices ſubdelegaret. Id actum XIII Kal. Quintil. de quo per duos a ſenatu delegatos certior factus eſt Meduanius; eodemque die edicto prohibitum, capitis addita poena, ne ex populo plus quam VI numero convenirent.

XIV. CUM in ſenatu decretum eſſet, ut intra triduum ſolemni more claſſibus convocatis, de republica conſultatio haberetur, Hiſpani occupandum rati, novas conditiones proponunt, et dum ſuper iis deliberaretur, ſenatus conſultationem ſuſpendi petunt: itaque miſſus a Meduanio Belinius, qui deliberationem ad aliquot dies inhiberet. Interea ut aliquo ſpectaculo otianteis paſceret, [i] Ronaeus magna corona tribuni

INTERPR. [a] *René Benoiſt curé de S. Euſtache.* [b] *Mante.* [c] *Orleans.* [d] *Elin, & Bonard.* [e] *Jacquet, & Baſin.* [f] *Briſſon, Larcher, & Tardif.* [g] *la Villette.* [h] *les Enqueſtes de la grand' Chambre.* [i] *de Savigny de Roſne.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

tribuni equitum [a] ſacramentum in ſenatu dixit; cum Caſtreus ejuſdem dignitatis ante quatriduum publice inſignia ſuſcepiſſet. Id mane actum: poſt prandium coetu in Luparae arce coacto coram Meduanio, legato, cardinali Pellevaeo, ac XII ordinum delegatis, Feriae dux per Jo. Bapt. Taxim, Hoc ab initio Philippo propoſitum fuiſſe dixit, ut periclitanti in Francia et [b] Benearnenſis principis armis oppreſſae religioni ſubveniret, et quanquam ipſi merito doleat, quod tot exantlatis laboribus, tot ſumptibus in eam rem factis, ab regni ordinibus mereri non potuerit, ut ſibi aliqua in parte gratificarentur; tamen cum religionis cauſae cuncta alia chariſſima poſthabeat, id eis ſignificatum velle, dummodo confeſtim declarent reges in ſolidum Infantem Iſabellam, et ex principibus Franciae, eo in numero Lotaringicis comprehenſis, quem majeſtas ſua Catholica nominaverit, fidem jam nunc obligare, fore, ut illa ei a parente in uxorem detur; ſi nuptiae non ſequantur, quae in gratiam Infantis ab ordinibus ſacta fuerint, pro irritis habeantur; reſponſum intra bimeſtre Philippi exſpectetur, id ſi fiat, poſt menſem ab electione regum exactum, priorem exercitum promiſſum in limite compariturum, et poſt bimeſtre alterum ſecuturum, atque ita ceteros deinceps, ſicuti ab initio convenit; quanquam conditionibus, quae petebantur, multum delibatis, aliquid ex promiſſis auxiliis, detrahi aequum videretur. Additae ad has conditiones enixae obteſtationes, quibus coram legato, cardinali Pellevaeo ac ceteris principibus ac proceribus, qui aderant, Deum conteſtabantur, de ſinceritate ſua, et egregia erga Franciam et religionis cauſam voluntate; periculum utriuſque non amplius ad ſe pertinere dictitans, niſi ſine mora conditiones tam juſtae acceptarentur. Perorantem legatus excepit; et excuſato morbo, quo factum eſſet, ut praeteritis diebus coetui non interſuerit, ab Hiſpanis ſe rogatum dixit, ut conditionum ab his proponendarum teſtis eſſe dignaretur: id ipſis negare non potuiſſe, et ſuper his animi ſui ſenſum hactenus expromere diſtuliſſe, quod videret eas multis difficultatibus involutas, et regni legibus ac libertatibus in multis pugnare. Nunc iis intellectis et attente penſitatis, non potuiſſe ſibi temperare, quin quod ſentiat, aperte declaret; ſuae ſanctitatis, a qua miſſus ſit, eam mentem ac conſilium eſſe, ut regnum et in regno religio Catholica apoſtolica Romana ſarta tecta conſervetur; id non aliter fieri poſſe, quam ſi rex Catholicus quamprimum communi omnium conſenſu eligatur: hujuſmodi autem eſſe, quae nunc propoſita ſunt, ut ea citra ſummam imprudentiam et deſertae quaſi religionis crimen rejici minime debeant; quapropter hortari, monere, et per viſcera miſericordiae pontificis nomine obteſtari, conditiones accipiant, ne cum nihil eis deſit, quod a pio et vere Catholico rege deſiderari poſſit, ipſi ſibi defuiſſe videantur. His verbis claſſicum Hiſpani et legatus canere inter principes ac proceres ſibi viſi; ſciſſis ſtudiis, dum in incerto eſt, quis tanto fortunae beneficio dignus a Philippo judicandus ſit. Jampridem Carolus [c] Sabaudus Nemetoſii dux adoleſcens impiger et ambitione immodica ardens, [d] Theniſſaeo Lutetiam miſſo, cum Meduanio uterino fratre de electione egerat, et prolixe opera ſua ad ejus electionem in comitiis promovendam delata, viciſſim petierat, ſi ita judicaret Hiſpanos in ipſum minime conſenſuros, daret operam, ut quod ipſe ſibi ſuiſve parare non poſſet, cum bona ejus venia in Nemoroſium transferri pateretur. Eandem dignitatem flagrantioribus partium ſtudiis ambiebat Guiſius, nominis praerogativa, et recenti adhuc paternae gratiae memoria fretus, in quem poſtremo Hiſpanorum vota inclinarunt. Sed Meduanius, quanquam ſe maxime Hiſpanis ſuſpectum, ac proinde inviſum non ignoraret, tamen ſupremo magiſtratu, quem obtinebat, confiſus, non deſperabat, ſi ad electionem deveniretur, quin ipſius ante alios ratio haberetur: eaque ſpe ſibi blandiens ſenſim eo ſe perduci paſſus eſt, ut ſerio de rege creando ageretur; fama interim ſparſa, quaſi in arcano jam quatuor

ex

INTERPR. [a] *Serment de mareſchal de France.* [b] *le Prince de Bearn.* [c] *de Savoye duc de Nemours.* [d] *le baron de Theniſſay.*

ex Lotaringica familia nominati eſſent, ex quibus quem vellet Philippus eligeret. CIↃ IↃ XCIII.
Noſtri, qui ad [a] Dionyſii-fanum reſponſum delegatorum exſpectabant, ad eos prolixas HENRICUS IV.
dant literas VIII Kal. Quintil. qui beato Joanni Baptiſtae ſacer eſt, eo conſilio, ut illae in vulgus emanarent, et inſtitutae electioni remoram afferrent. Iis conſilia Hiſpanorum electionem urgentium, ut omnem reconciliationis viam praecluderent, praecipue exagitabant; et perinde eſſe demonſtrabant, nominationem regis Philippo tribuere, ac ſummam poteſtatem in Franciae regno ſtatuendi, cujus juratus hoſtis ſemper extitiſſet, ei concedere; tum ad concordiam hortabantur delegatos; ſummum in diſſidio, ſi perſeveraretur, periculum, non ſolum regno, ſed religioni impendere; fruſtra aliam pacis rationem ſpectari, quam ſi regis legitimi et jure ſucceſſionis ad ſceptrum vocati ſe imperio ſummittant. Infirma in Hiſpanis praeſidia eſſe, qui multa et ampla polliciti nihil fere praeſtent, tantumque id agant, ut odia accenſa ac ſimultates ſpecie auxiliarium et religionis afferendae praetextu inter Gallos aemulos alant, ut mutua peſte nomen Francicum ad extremum perdant. Seorſim ad Lugdunenſem literas adjunctas dederant, qui priores eum ſuppreſſiſſet, tamen ſparſis per urbem earum exemplis, fruſtra fuit. Re ad comitia relata, factioſi conditiones ab Hiſpanis oblatas tanquam regno utileis amplectendas cenſebant: plures eas captionis plenas arguebant. Cur enim regem creandum in incerto relinqui? Aut cur non liberam ejus electionem ordinibus concedi? Nimirum id agi, ut acceptis ſemel conditionibus, neque poſtea impletis, ad pacem cum iis, qui Navarri partes ſequuntur, non ſit regreſſus. Atqui ſi Hiſpani quod tam magnifice pollicentur, praeſtare non poſſunt, ſatius eſſe rebus adhuc integris, cum Navarro aequis conditionibus tranſigere, quam bello inexpiabili, haud dubia Francici nominis pernicie, ac certiore Hiſpanorum lucro ſe involvere. Et ita cenſuit Caſtreus, eoque Hiſpanos adegit, ut re non ulterius dilata regem nominarent.

XV. INTEREA conſultationem in ſenatu indictam, et aliquot dies Meduanii rogatu dilatam, perſequi placuit; et IV Kal. Quintil. cum eodem die Villaregius urbe exceſſiſſet, extremo, ut jactabatur, Meduanio vale dicto, multique ex eo male augurarentur, quaſi Hiſpanorum factio adverſus Gallici nominis ſtudioſos praevaleret, de ſumma reipublicae graves dictae ſunt ſententiae, tandemque ſenatuſconſultum factum, quo curia teſtata ſuam in tutanda religione Catholica apoſtolica Romana, et imperio Francico ſub regis Chriſtianiſſimi et natione Franci patrocinio, conſtantem voluntatem decrevit, ut verba faciente Joanne [b] Magiſtro praeſide cum idoneo ſenatorum numero, coram principibus ac proceribus, qui nunc in urbe ſunt, Meduanius rogetur, ne quod foedus ad transferendum regnum in externum principem ſeu virum ſeu foeminam fiat, leges fundamentales regni ſerventur, et ſenatuſconſulta pro regis Catholici ac natione Franci electione facta executioni demandentur; ipſe videat, pro auctoritate quae illi commiſſa eſt, ne religionis praetextu regnum in externam domum contra regni leges transferatur; populo afflicto et extremae neceſſitatis vi preſſo quam citiſſime fieri poterit, levamentum quaerat. De cetero omnia foedera ac pactiones aut jam factas aut deinceps faciendas ad conſtituendum externum principem ſeu virum ſeu foeminam, tanquam in legis Salicae praejudicium et alias fundamentaleis regni leges factas, irritas ac nullius momenti pronunciavit.

XVI. POSTRIDIE ad [c] aedeis Nivernianas, in quibus Meduanius diverſabatur, nam eo die ſe excuſaverat, itum eſt; ubi admiſſus Magiſter orditur, Duo eſſe, de quibus eum ipſo agere juberetur; ac primum quidem intercedere, ne in creando rege Infantis ratio habeatur; id legi Salicae pugnare in hoc regno jam a temporibus Clodovei feliciter juxta et religioſe ſervatae, qua foeminae a regni ſucceſſione omnino

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *le Maiſtre.* [c] *Hotel de Nevers.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

omnino excluduntur. Eam duas praecipue ob cauſas a majoribus noſtris prudentiſſime conditam, ne videlicet, regnum ad externam familiam transferretur; quod ſequi neceſſe eſſet, ſi foeminae ad ſucceſſionem admitterentur: deinde, ne Franci ſupra alias orbis univerſi nationes generoſi ac bellicoſi muliebri imperio ſubderentur, et per foeminarum dominationem a maſcula virtute degenerantes tandem et ipſi effoeminarentur. Ad haec experimento conſtare, foeminarum ſive dominationem ſive adminiſtrationem ſemper Galliae funeſtam fuiſſe, et ſeditionibus ac bellis civilibus cauſam praebuiſſe, ut Fredegondis, et Brunechildis, in prima regum noſtrorum ſtirpe; in ſecunda Judithae Ludovici Pii uxoris; in tertia Blancae Ludovici IX parentis, genere Hiſpanae, ac nuper Catharinae Mediceae, quae tot tragoedias recenti adhuc memoria in hoc regno excitavit. Id ipſum diplomate ſuo ante paucos menſeis in curia recitato, et per tubicines in urbis plateis promulgato, Meduanium verbis diſertis ſanxiſſe, cum conſtitutum ſibi profeſſus eſt, regnum ac regni leges conſervare; et ſenatuſconſulto eodem tempore claſſibus univerſis convocatis XI Kal. Dec. facto, et per tubicines itidem in plateis urbis publicato, ut cunctis innoteſceret, et pro lege eſſet, nominatim cautum eſſe, ne conventus ordinum de rege creando indictus regnum in externam familiam transferre poſſet. Infantem Hiſpaniae proinde reginam Franciae declarari non poſſe, ſalvis regni legibus; lege Salica ſtante; ipſius Meduanii diplomate et ſenatuſconſulto citra perniciem imperii bello inextricabili per eam electionem involvendi; id ex eo amplius liquere, quod nobilitatem, qua praecipue hoſtis pollet, nulla res magis Navarri partibus huc uſque devinxit, quam quod in gratiam Hiſpanorum, et eorum arbitrio, bellum hoc geri exiſtimaret. Quid nunc eam facturam, cum ſuſpicionem ad effectum perductam viderit? Quod nobilitatis reliquum eſt, [a] Unionis partibus addictum, civitates et oppida ad hanc electionem contra regni leges factam mox conſurrectura, et, quod abſit, ad hoſtem facto agmine transfugitura; et dubio procul eſſe, quicquid contra jactetur, ipſum pontificem, ac ceteros Italiae alioſque orbis Chriſtiani principes id moleſtiſſime laturos. Provincias autem regni, quae legatos non miſerunt, veluti [b] Septimanos, Delfinates, Arvernos eam electionem minime probaturos; qui vero miſerunt in id, ut rex Catholicus et genere Francus crearetur, quomodo in foeminam externam ſine novo ſpeciali mandato conſenſuros? At enim id potentia ac magnitudine Philippi, qua ſola vires S. Unionis conſtant, excuſatum iri. Quid vero tantum praeſidii in decrepito ſene, quemve huc uſque toto quinquennio ex ejus auxiliis profectum ſenſiſſe foederatos? Quid porro ab eo ſperandum, in alieno militaturo, qui in ſuo rotis XXX annis nullo ſucceſſu militem et opes conſumpſit? Cum autem ſe univerſa regni nobilitas externum dominatum pertaeſa ad Navarri bellicoſiſſimi principis partes applicaverit, quid in Hiſpanis viribus ſubſidii ſuperaturum? Nec inficiari magna eſſe erga foederatos et Unionis cauſam Philippi merita, ob auxiliareis copias nuper ſummiſſas; ſed aequum eſſe viciſſim reputare, quid Francis Hiſpani debeant, ob gentilium errores, atque adeo Sectariam peſtem beneficio ac virtute noſtrorum olim depulſam. Et ut plura Philippo debeantur, quam regni Franciae, cum hac gratiae debitione comparationem fore? Itaque adduci non poſſe, ut credant, quod per oratores Hiſpanos tam ambitioſe petitur, id a conſilio et voluntate Philippi proficiſci, principis Catholici ac moderatiſſimi, et qui ad famam et ad exiſtimationem ſuam, qua prudentia eſt, pertinere minime ignorat, ne potius ad amplificandam potentiam, quam ad Dei gloriam hoc bellum pro religionis defenſione in hoc regno periclitantis ſuſcepiſſe videatur. His de cauſis, et quod citra ignominioſam perfidiae ac infamiae perpetuae conſilii tam foedi auctoribus ac conſciis inurendae notam regnum in externam familiam transferri non poſſe ducerent, patres cenſuiſſe, ut ipſe rogaretur,

INTERPR. [a] *la Ligue.* [b] *Languedoc, Dauphiné, & Auvergne.*

rogaretur, auctoritatem ſibi commiſſam interponeret, impediretque ne praetextu religionis in rege Catholico creando Infantis Hiſpanae ratio haberetur; ac nihilominus jam nunc omneis pactiones ea de re factas aut porro faciendas irritas pronunciaſſe. De calamitate publica, et miſeriis, quas per belli continuationem in urbe plebs et paſſim populi pati cogantur, non eſſe, quod pluribus cum ipſo agat, qui eas plane perſpectas habeat, iiſque ſaepius vere et ex animo doleat: tantum monere, ut pro ſua prudentia mature communi anguſtiae proſpiciat, ne populorum nihil non ob religionis cauſam facere paratorum patientia ad extremum in furorem vertat. Scire ſenatum ob eas cauſas Meduanium conditiones de induciis generalibus oblatas initio non improbaſſe, ut [a] Droci praeſidiariis ad extremas anguſtias redactis ſubveniret, in ejuſque ſententiam nobilitatem ac plebeium ordinem pedibus iiſſe: ſed quo minus tam ſalutare conſilium ceperit, obſtitiſſe legati pontificii interceſſionem. Atqui non veroſimile fieri, id illum ex pontificis mandatu facere, quem pro aequitate ſua inducias minime improbaturum ſciant, cum et ipſe in ſuo eaſdem neceſſarias judicaverit, ut cum [b] Diguierio pro [c] Avenionis principatu durante hoc bello per interpoſitas perſonas prudentiſſime tranſegerit; quod ſi legati pontificii interceſſioni nihilominus tantum deferatur, magnam ſibi, magnam auctoritati commiſſae, magnam concilio circa ſe inſtituto injuriam facturum Meduanium, qui in re, quae regni ſtatum et militare munus ſpectat, poteſtate ſibi attributa non utatur. Praeterea id ſacramento ab ipſo praeſtito pugnare, quo regni leges, jura ac libertates ſe ſervaturum religioſe promiſerit, quae in eo maxime conſiſtunt, ne in iis, quae eccleſiaſtici fori non ſunt, ut cum de pace et induciis agitur, pontifici ejuſque legatis parendi neceſſitatem ſibi impoſitam arbitretur. Itaqne quoties in hnjnſmodi rebus pontifices regibus noſtris ſententiae ſuae ſtandi neceſſitatem interponere voluerunt, generoſe a majoribus noſtris contra dictum eſſe; et in regio conſiſtorio anno CIↃ CCXXII magno principum ac procerum conſenſu, cum pontifex inter Philippum Auguſtum et Henricum III Angliae regem de induciis inter ipſos controverſis arbitrium ſibi ſumpſiſſet, pronunciatum fuiſſe, nullam in iis rebus pontificis auctoritatem eſſe, et proinde ad parendum minime regem obligari. Sic Philippum Pulchrum, anno CIↃ CC XXCVII, cum cum Bonifacius VIII ad inducias cum Alberto Auſtrio Romanorum et Edvardo I Anglorum regibus faciendas cogere vellet, imperium ejus eluſiſſe. Has ob cauſas hortari ac rogare ipſum, populi extrema neceſſitatis vi oppreſſi levamento conſuleret, et omiſſa legati aliorumque malis publicis in occulto laetantium interceſſione Ludovici XII proavi materni pietatem aemularetur, qui ob ſingularem erga populos ſibi commiſſos charitatem pater populi inſigni ad omne aevum praeconio dici meruit. Ad haec Meduanius, qui ſenatuſconſultum nulla ſua auctoritate intercedente factum indigniſſime ferret, et hortationibus illis ac monitis poteſtatem ſuam in arctum cogi cerneret, tamen dolore ad praeſens compreſſo, paucis reſpondit, Praecipuam ſuam religionis Catholicae conſervandae ac imperii tuendi, ex quo regni gubernaculis admotus ſit, curam fuiſſe: in neutro hactenus eam merito deſiderari poſſe; ac pro ea, quam obtinet, dignitate, cupiiſſe, ne ſenatus de re tanti momenti, niſi prius ſe conſulto, ſtatuiſſet. Quod ad populi levamentum attinet, de induciis conſilium ſibi placuiſſe, ſed ut principem Catholicum decebat, pontificii legati reverentia rem hactenus diſtuliſſe. Porro quod poſſit, et aequum cenſuerit, de utroque ſe decreturum. Haec coram frequenti illo coetu acta.

XVII. POSTRIDIE in Lugdunenſis archiepiſcopi aedibus proximis, in quibus prandium ſumpſerat Meduanius, [d] Magiſter cum Stephano [e] Floro et Petro [f] Amorio ſenatoribus a Belinio evocatur. Ibi Meduanius dolorem ex ſenatuſconſulto nuper facto,

INTERPR. [a] *Dreux.* [b] *le Sr de Leſdiguieres.* [c] *le Comtat Venaiſſin.* [d] *le Maiſtre.* [e] *de Fleury.* [f] *d'Amours.*

facto, conceptum aperte teſtatus, quandoquidem inſigni contumelia ſibi illuſum eſſet, ferre noo poſſe injuriam tantam, ac revocate illud apud animum ſuum conſtituiſſe dixit; ob juſtas ac graveis cauſas a [a] Lugdunenſi amplius explicandas, quas ſe ipſis probaturum confidat. Tum Lugdunenſis ſermonem perſequi juſſus; cum juſtam Meduanii querimoniam multis exaggeraſſet, cujus praeſeotis neque in re tanti momenti a ſenatu conſulti auctoritatem foeda illuſione ſpretam aiebat, Magiſter verbum illuſionis ab archiepiſcopo repetitum non ferens, cum gravitate ſenatoria interfatur, Quod in Meduanio, propter praecellentem ejus dignitatem ſilentio diſſimulaverit, in ipſo pati oon poſſe, non ſua privatim cauſa, qui quidvis alioqui ab ipſo pati paratus ſit, ſed ubi praeter jus et aequum de ſenatu cootumelioſa verba proferuntur, id vero ferre non poſſe. Senatum ſcire jus ſuum cuique tribuere, illuſiones ac fraudes neſcire. Se ſemper antea Lugdunenſis eximiam doctrinam admiratum; nunc re cognoſcere, ipſum quidem pleraque alia ſcire; ceterum cultum, qui ſenatui debetur, ignorare. Tum ſecutae crebrae confuſo murmure ſive expoſtulationes ſive exprobrationes, cum Magiſter ſaepius rem, quando periculum urgeret, rogatu Meduanii dilatam diceret, ulterius differri noo potuiſſe, ac praedictum id ipſi fuiſſe, ut ſe ignaro deliberationem inchoatam jure queri nequeat. Meduanius contra, niſi ſe praeſente ac vocatis principibus ac regni paribus de re tanta deliberari noo debuiſſe, idque ad ſeditionem ac ſeceſſionem ſpectare contenderet: exprobratum interim Magiſtro, quod eum praeſidem creaſſet, oeque eſſet tanti beneficii memor: quod vir bonus ac ab omni ambitiooe alienus minime ſine reſpooſo praeteriit, Suam quidem ab ipſo dignitatem auctam; ceterum magnopere res ſuas domeſticas per illam accisas, nihilque ex ea acceſſione praeter odium ac invidiam reportaſſe, pluſque oneris quam honoris inde ſe conſecutum. Ad extremum praefracte addidit, Nihil niſi juſte et rite a ſenatu factum eſſe, ipſum ſe ſemper erga Meduanium hooorifice geſſiſſe, nihilque dignitati ejus per ſenatuſconſultum illud praejudicatum eſſe. Catholicorum unionem, quae per exoticas artes et prenſationes ſenſim ſolvitur, per illud decretum ſublata ſeditionum materia firmatam, et quaſi vinculis arctius in poſterum conſtrictam: et quia a [b] Ronaeo, qui aderat, objectum fuerat, facta de populi levamento in ſenatuſcooſulto mentione induciarum, ſiquidem eas fieri contingeret, ſeu gloriam ſeu gratiam Meduanio quodammodo praeceptam videri; Nihil de ea re cogitaſſe ſenatum reſpondit, et ab hujuſmodi vanitate longe alienum eſſe, eique abunde eſſe, ſi fidem ſuam liberet, et dignitati ac auctoritati legibus commiſſae ad Dei gloriam, regni ſalutem, et ſingulorum quietem juſtitia aeque diſpenſata ſatisfaciat; quantum ad ſe attineret, ſe potius moriturum, quam ut Hiſpanis aut Sectariis fidem addicturum.

XVIII. Re deinde ad ſenatum relata, laudata fuit Magiſtri conſtantia ac magno aſſenſu probata; cumque rumor increbuiſſet, Meduanium a ſuis perſuaſum, quaſi aliter de auctoritate ſua actum eſſet, ſenatuſconſultum revocare ac reſcindere decreviſſe; cuncti ſenatores fidem obſtrinxerunt, potius ſe vitam depoſituros, quam paſſuros, ut quidquam in eo ſenatuſconſulto mutaretur, aut novaretur. Quod per Stephanum [c] Nullium, Jacobum [d] Berengerum et Dionyſium [e] Deheram Meduanio mox ſignificandum curarunt; addito, ut de ſua conſtanti erga ipſum fide et cultu conteſtarentur, rogarentque ipſum, quod in ſenatu actum eſſet, in bonam partem interpretaretur. Id enim eſſe hujuſmodi, ſi rejectis factioſorum inſuſurrationibus cum aequitate rem aeſtimaret, ut potius excuſare quam damnare debeat; eo conſilio ſcilicet decretum, ne ipſe importunis prenſationibus victus, quidquam ſe et ſummo magiſtratu indignum contra animi ſententiam deinceps facere cogatur.

INTERPR. [a] *l'Archevêque de Lyon.* [b] *de Savigny de Roſne.* [c] *de Nully.* [d] *Berenger.* [e] *de Here.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

REX, dum colloquio tempus extraheretur a foederatis, VI *Eid. Junias caſtra ad Drocum in Carnutibus admovet. Tandem oppidum, cum auxilia non comparerent, deditur. Monpenſerius in ea obſidione graviter ſauciatur.* II. *In urbe Feriae dux, qui, incerta regis creandi nominatione in Philippum collata, multos offendi cerneret, concilio in arcano habito Guiſium nominat. Meduanius, qui aderat, cum adſentiri ſe ſimularet, Baſſompetra Caroli Lotaringiae ducis procurator intercedit. Caſtreus aperte contradicit.* III. *Concurſu ad Guiſium facto, Meduanius ad ſolitudinem redactus, diſturbandae electionis occaſionem quaerit. Villarium Rotomagum mittit, qui Carolo cardinali Borbonio tertiae factionis duci, qui Gallione erat, praeſto ſit. Cardinalis conſilia antiqua jam detecta reſumere detrectavit.* IV. *Per Michaelem Hugueriam commentarium artificioſe conficiendum curat Baſſompetra, quo periculum ex regis creandi, ſi a Philippo fieret, nominatione impendere, longa et accurata narratione demonſtrabat.* V. *Meduanius, ultimum ad electionem regis impediendam telum potentiſſimum ſtrinxit, induciarum mentione repoſita; quas Cl. Caſtreus tanquam utileis ac neceſſarias ſuaſit. Meduanius ex Caſtrei conſilio a creatione regis ut intempeſtiva ſe excuſat.* VI. *Serio de regis ad eccleſiam reconciliatione agitur. Cardinalis Borbonius Gallione Fanum-Dionyſii venit, et regem non, niſi conſulto ac conſentiente pontifice, ad eccleſiam admitti poſſe dictitat; quod tamen ut locum haberet obtinere non potuit. In eam rem ſcriptum evulgatum. S. Genovefae abbati rebus regis in occulto faventi creatum periculum.* VII. *Ritus et ceremoniae in regis reconciliatione obſervatae.* VIII. *Eodem die Meduanius inducias controverſas multum refragante legato ſanxit. Is utcunque placatus novum contra regem diploma evulgat irrito ſucceſſu. Contra edictum a Meduanio propoſitum, ne quis urbe exiret, perruptis portis effuſa per vias multitudo Fanum-Dionyſii ad ſpectaculum confluit.* IX. *Dominica ſequenti peracta ceremonia, debacchantibus interea in urbe nequicquam concionatoribus.* X. *Bucheri in eam rem habitae conciones typis poſtea cuſae. Ut legatus pontificis aliqua ratione placaretur, concilium Tridentinum, concurſu factioſorum facto, pure et ſine conditione promulgatur, et Unionis jusjurandum denuo repetitur. S. Genovefae abbatis cauſa retractatur, quae tandem ex Meduanii conſilio omiſſa eſt, et abbas cuſtodia ob morbum liberatus ad regem profugit.* XI. *Facta reconciliatione ad curias et regni praefectos datae literae. Nivernius legationis ad pontificem decretae onus ſuſcipit. Eodem tempore ab adverſae partis ſociis Romam miſſi, cardinalis Jouſa et Claudius Belloſremontius Seneſcaeus. Hiſpani nihil non agunt, ut pontificem a regis partibus alienent.* XII. *Conſalvi Pontii Legionenſis ſcriptum, quo regi relapſo gratiam a pontifice poſſe fieri multis detortis argumentis pernegabat. Ad quod moderatiore ſcripto ab Arnoldo Oſſato reſponſum eſt. De induciis agitur.* XIII. *Dum rex Meloduni eſſet, percuſſor Petrus Barrerius nomine captus, et*

extremo ſupplicio affectus. XIV. *Nemoroſius, qui Lugduni erat, excitata ſeditione comprehenditur, et in Petrae Inciſae arce includitur.* XV. *In aliis provinciis eo anno geſta. Iu Cenomanis hoſtes juxta Lavallum ab Anglis caeſi. Aumontius Condatum Rhedonum venit, et fruſtra tentata urbe Mercurianus Moncontum obſidet, et induciarum occaſione ab eo tandem diſcedit.* XVI. *Monmartinus a rege ad Eliſabetham legatur.* XVII. *Sablatum interceptum. Auguſtoritum Pictonum fruſtra cinctum. Ad Blaviam infelix Matignoni obſidio. In Cadurcis, Lemovicibus et Petrocoriis, a Theminio et Albaterrano geſta.* XVIII. *In Allobrogibus Diguierius initio anni contrariis excurſionibus Sabaudi incurſiones refraenat. Briqueraſcum venit* III *Kal. Maias. Vagi ab Amadeo Tarnavaſio de egregia Sabaudi voluntate cum Diguierio habiti ſermones.* XIX. *Sabaudus cum valido exercitu Ocellos obſidet, et tandem deditione capit.* XX. *Rodericus Toletanus ad Salebertranum pagum juxta Oliſiam a Diguierio caeſus. Tandem Sabaudus induciis a Meduanio cum rege pactis comprehendi voluit. In Provincia contra Eſpernonium res turbant.* XXI. *In Aquitania ruſticorum motus, ob militis licentiam, ubique graſſantium, qui, quod omnia devorarent, Crocani dicti.*

Ex auctoribus,

Ephemeride regia, Diario urbano M. S. Michaelis Hugueriae commentario, Cl. Caſtrei adverſariis auctori communicatis, Actis publicatis, B. Clavaſino J. C. Ambroſio Morale, Comitiorum Pariſienſium actis, Conſalvi Pontii aſſertione, et contraria Arnoldi Oſſati conſultatione, Monmartini commentariis, Theminii relationibus, Diguierii Ephemeride, Annalibus Gallicis.

LIBER CENTESIMUS SEPTIMUS.

CIↃ IↃ XCIII.
Henricus IV.

COLLOQUIO inter partes inchoato, cum rex videret eo tendere foederatorum conſilia, ut per illud temporis beneficio uterentur, et variis protelationibus auxiliaris exercitus adventum opperientes ipſum ad extremum ludificarent, interim rei gerendae occaſionem minime praetermittendam cenſuit; et exercitum, qui [a] Paſſiacum et Nonancuriam circum diverſabatur, [b] Drocum contendere jubet, oppidum in [c] Carnutibus ſitum, ex quo copioſus commeatus Lutetiam importabatur, et continuae excurſiones in regios [d] Neuſtria in [e] Belſiam tranſeunteis fiebant. VI Eidus Junias admota caſtra ſub meridiem, tam feliciter, ut ſine ulla noſtrorum jactura ſuburbia occupata ſint, et incendium, quod ab hoſte injectum fuerat, mox reſtinctum. Tantum quaedam domus in S. [f] Theobaldi et S. Joannis ſuburbiis prorſus regiis inutiles exuſtae. Petri [g] Eſcodecae Boëtii, et Ludovici [h] Petrobuferii Cambareti legiones ad [i] Martini-fanum, ubi et Bironus hoſpitium quaſi in media acie ſumpſit, collocatae; Picardica legio, Caroli [k] Rupifortii Santangeli, et Joannis [l] Gardae legiones ad [m] Dionyſii-fanum, [n] Aſpenanus, Poeminetus, Beruta, Furnelius cum ſuis ad Joannis-fanum, [o] Colongius, [p] Virodunus, Florinius, Luſerna cum ſuis itidem ad Theobaldi-fanum conſederunt. Angli, Helvetii, ſcloppetarii equites, ac equitatus quod reliquum erat, per vicinos pagos diſtributi erant. Poſtridie IV foſſae ductae. Prima a Martini-

INTERPR. [a] *Paſſy, & Nonancourt.* [b] *Dreux.* [c] *Pays Chartrain.* [d] *Normandie.* [e] *Beauſſe.* [f] *Fauxbourgs de S. Thibaut, & de S. Jean.* [g] *d'Eſcodeca Sr de Boiſſe.* [h] *de Pierrebuſſiere Sr de Chambaret.* [i] *St Martin.* [k] *de Rochefort de St. Angel.* [l] *de la Garde.* [m] *S. Denis.* [n] *Aſpenan, Poiminet, Beroute, & Fournil.* [o] *de Coulonges.* [p] *de Verdun, Fleurigny, & la Luſerne.*

Martini-fano ad [a] portam Carnotenſem pertinebat, cujus curam ſuſceperat Bironus. Secunda a Dionyſii-ſano ad majus templum a Franciſco [b] Angeneo Monlueto, qui caſtrorum praefecti munere in exercitu fungebatur, perducta. Tertia ad portam Pariſienſem tendebat. Quartam Angli a porta [c] Pariſienſi perduxerunt. Tantaque diligentia operarum fuit, ut Eidibus Juniis ad labrum foſſae undique vallum productum ſit. Biduo poſt verberatio facta IV tormentis ad propugnaculi majoris portam, editaque modica ruina, [d] Berutus et Anglus ordinum ductor quiſque cum XXX delectis juſſi vim facere, ſi forte propugnaculum expugnare poſſent, moniti in occulto, ſi defenſores acrius, quam putabatur, reſiſterent, impetum inhibere. Sed in oppugnatione incaleſcentibus animis duces obliti monitorum rem gerunt, et plerique e nobilitate injuſſi confuſo ordine ſe immiſcuerunt, victoriamque cruentam feſtinatione ſua fecerunt. In iis deſideratus Carolus [e] Gueſlaeus magnae ſpei juvenis jam in ſummum enixus, aliique ad L; totidem vulnerati. Interius propugnaculi, quod a forma coleum vulgo appellant, latus tandem poſt obſtinatum certamen captum; in eoque nocte ſuperveniente noſtri ſe protinus muniverunt, et cataractis laxatis aquam, quae per eas in foſſa retinebatur, omnino evacuaverunt. Poſtridie hoſtes propugnaculum deſeruerunt. Itaque ad portam verſus impetus, valloque Anglorum et altero Picardiae ac [f] Santangelianae legionis ad labrum foſſae eo uſque perducto, ut ſe in concurſu tangerent, tormenta regis juſſu in ipſo labro ſiſtuntur; dumque dolia viminea collocantur, haud longe ab ipſo rege [g] Gadancurius ictu ſcloppeti interfectus fuit. VI tormentis ex adverſo portae Pariſienſis ad laevam facta verberatio: II longius a tergo majoris templi directa erant, quae porrecta verberatione quatuor turreis proximas pulſabant, et IV ſupra S. Joannis ſuburbium, quae turrem et murum ad dextram porrectum infeſtabant. Juſſi ante pulſationem dedere ſe obſeſſi, id in XIII Kal. Quintil. incidit, cum reſponſum diu differrent, et VI dierum ſpatium ad extremum popoſciſſent, nulla arcis mentione facta, poſt CCC circiter ictus diſploſos haud lata edita ruina, jam nullis defenſoribus pro muro comparentibus, tentatur oppugnatio, cum jam ſe praeſidiarii et oppidani ex compacto in arcem recepiſſent, aſportata omni ſecum ſupellectile. Id inſtigatu cujuſdam, qui fiſci patroni munere fungebatur, factum, qui invitos oppidanos et ad deditionem inclinanteis, praeſidiariorum praeſentia fretus, oppugnationem coegit ſuſtinere, magno ipſorum damno; quippe cum recedentes ignem in proximas arci domos immiſiſſent; qui diſcurrente ad praedam milite neglectus vireis tantas ſumpſit, ut totum paene oppidum depaſtus ſit; vix tandem commiſeratione regis per Helvetios reſtinctus. VI legiones in oppido contra arcem diſpoſitae, totidem extra oppidum; repertaeque intus ſubterraneae cellae, quae per anfractuoſos meatus ſub foſſa ad arcem pertingebant. Inter arcem et [h] Turrem vinearum vulgo dictam, quam et illi muniverant, ſeptum interjacebat, quod valido praeſidio firmaverant, ut ex arce ad illam commeari poſſet, in eoque greges et armenta et ruſticum vulgus depoſuerant. Ad illud Bironi juſſu admotum noctu crepitaculum, et per exiguum foramen miles, non exſpectato dum vis crepitaculi repeteretur, praedae deſiderio ſeriatim ingreſſus haud magno certamine ſtationarios pepulit; ex quibus pauci caeſi aut capti, reliqui tenebris defenſi in arcem cum armentorum parte ſe receperunt. Magna ibi praeda parta, qua abacta, Birono, qui ipſe intraverat, ut arcis foſſam commodius coram introſpiceret, jubente, locum deſeruerunt, quippe inter arcem et Turrem ad ictus inevitabileis expoſiti. Hoc caſu territi obſeſſi jam tunc de deditione agere voluerant, et cautione a rege accepta in eo erant, ut delegatos mitterent; cum annitente eodem illo fiſci patrono,
ſuborta

INTERPR. [a] *Porte Chartrine.* [b] *d'Angennes Sr de Monlouet.* [c] *Porte Pariſi.* [d] *Beroute, & le capitaine Anglois.* [e] *de la Gueſle Sr de la Chaux.* [f] *de St Angel.* [g] *Guadancourt tué à travers une barrique.* [h] *Tour des Vignes.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

ſuborta inter praeſidiarios et oppidanos de conditionibus contentio, qua effectum, ut conſilium exitu caruerit. Itaque ad vineas juſſu regis valida ſtatio collocata; et rurſus in ſeptum facta vis ab Anglis et Gallis delectis, qui locum rurſus occuparunt, et puteorum, aut aqua derivata, aut injecto frumento corrupta, obſeſſis uſum ademerunt: poſtremo inter turrem et arcem vallum duxerunt, ita ut hinc inde obſeſſi amplius commeare non poſſent. Res peracta Odeó [a] Gobionis Matignoni Torigniae comitis diligentia, haud citra jacturam: nam [b] Boëtius graviter in brachio, [c] Meno ex provinciali nobilitate in femore læti. Tandem dum vallum ad arcem ducitur, per ſcalas in foſſam turris exſcenſione facta noſtri ſuffodere murum aggreſſi ſunt IV Kal. Quintil. Juſſi dedere ſe qui eam tenebant; inconſultis praeſidiariis, qui in arce erant, quidquam ſe facere poſſe negarunt. Id reſponſi ab illo fiſci patrono factum, qui ut obſeſſis animos faceret, in eam ſe poſt captum oppidum incluſerat. Dum ſuffoſſio perficeretur, rex morae pertaeſus, ac veritus, ne Meduanius, quod obſeſſi jactabant, et ipſe literis a rege interceptis promiſerat, cum recenti equitatu adveniret, ad duces, qui a caſtris diſceſſerant, ſcribit. Continuoque Annas [d] Anglurius Givrius, Renatus, [e] Viutius Chanlivotius cum CCC equitibus egregie inſtructis venerunt, ut et plerique ex [f] Franciae inſula, Belſia, et proxima Neuſtria. Obſeſſi in arce a ruſtica plebe, foeminis et imbelli ſexu promiſcuo magna incommoda ſentiebant: itaque eos in ſeptum ejecerant, quo capto cum illos rurſus intra arcem nollent admittere, miſere in foſſa ſolis ardore, a quo defendi non poterant, toſti et excrementorum graveolentia infeſtati diſcruciabantur, moriebanturque crebri quotidie, aeque a ſuis atque a noſtris immiſericorditer habiti: nam nec in arcem intrare a praeſidiariis, neque e foſſa egredi a regiis permittebantur: diroque filiorum ante parentum oculos emorientium ſpectaculo obſtinatiores frangi poſſe ratus rex, eos crebro monebat, ne in ſuos tam ſaevi eſſe pergerent, ſe poſtremo ipſos reſpicerent: Foſſoribus ſemper opus interim urgentibus, quod dum poſt coenam luſtrat, Monpenſerius qui eum comitabatur, per vallum interpoſitum incedens ictu ſcloppeti graviter ſauciatus eſt, per mentum in inferiorem maxillam deſcendente, quo juvenis vita longiſſima digniſſimus tunc pro deſperato habitus, poſtea diu ac repetitis vicibus ſemper languit. Id accidit III Kal. Quintileis. Quarto poſt die ſuffoſſo turris pede, et IↃC pulveris nitrati libris in cuneum inditis, poſt fruſtra monitos praeſidiarios, ignis ſubjectus eſt; moxque turris nutare coepit, pluribus locis aperta, et parte in foſſam prolapſa, quo multi abſorpti ſunt. In ruinam regii enixi ſpe praedae, dum periculum contemnunt, ſubſidente turris parte una obruti ſunt. Capti in ea IX ſuperſtites, qui ad regem adducti ut temeritatis ſuae poenas luerent, et obſeſſis in arce terrori eſſent, actutum laqueo in ipſorum conſpectu ſtrangulantur; in iiſque procurator ille fiſci, et pictor quidam infameis in regis nuper defuncti contumeliam tabulas feciſſe convictus. Dum turris ſuffoderetur, per cryptas illas, quas memoravi, cunei ad arcem acti fuerant: quod licet minime ignorarent obſeſſi, tamen qua parte id fieret, contrariis ſaepe fruſtra actis nondum reperire potuerant. Itaque ſociorum exemplo territi, cum inanem promiſſi auxilii ſpem viderent, ut periculo praeverterent, ſerio de deditione agere coeperunt, [g] Sallio et Foſſeo ex vicina nobilitate et praefecto juridico oppidi ad regem legatis, qui cum XV dierum inducias peterent, quibus ad Meduanium mitterent, extemplo in arcem remiſſi ſunt, mandato addito, ut intra ſemihoram conditiones deditionis afferrent; alioqui ſcirent, nullum miſericordiae poſtea locum fore. Mandato paruerunt illi melius conſulti, et capita a ducibus ſuis ſubſignata ad regem attulerunt, ad quae rex reſpondere in perendinum diſtulit.

Tandem

INTERPR. [a] *de Goyon de Matignon comte de Thorigny.* [b] *de Boiſſe.* [c] *de Menou gentilhomme du pays.* [d] *d'Anglure de Givry.* [e] *de Viouſt Sr de Chanlivaut.* [f] *Iſle de France, Beauſſe, & Normandie.* [g] *de Sailly, & du Foſſé.*

Tandem conventum III Non. Quintil. ut [a] Talmonſterus [b] Viepontii legatus, nam is toto obſidionis tempore abſuerat, [c] Vernolium profectus, unde auxiliorum ſpem fruſtra hactenus oſtentaverat, intra triduum ſub meridiem arcem cum tormentis apparatu bellico et commeatu traderet; interea ad Meduanium mitteret, qui ſi regem proelio decertare aut ab obſidione diſcedere cogeret, fide data liberatus intelligeretur: ſecuta deditione miles cum ſignis, armis, equis et impedimentis incolumes dimiſſi in tutum deducerentur; oppidani oblivione praeteritorum ſancita et regi fide addicta bonis ac domibus reſtituerentur; qui publicis muneribus fungebantur, nova a rege diplomata acciperent; dati dein VIII obſides regis arbitrio. Cumque intra praeſcriptum tempus minime Meduanius cum auxiliaribus promiſſis compareret, nec Viepontius ſuis, uti ſaepius receperat, praeſto fuiſſet, facta deditio VIII Eid. ac praeſidiarii Vernolium verſus deducti. Arci impoſitus [d] Maleſtabilis olim Franciſci [e] Doi ſignifer cum [f] Palueli et Favolii cohortibus ex Gaſparis [g] Valirodi legione. Urbi [h] Foreſtus, qui jam annum [i] Firmini-curiam haud longe ab oppido contra ſoederatos ſumma virtute tutatus fuerat, eorumque excurſiones refraenabat, cum L levis armaturae equitibus. Inde rex cognito Carolum Mansfeldium in limite [k] Valerici-ſanum cepiſſe, et in eo eſſe, ut [l] Spiritus-ſanum obſideret, protinus exercitum e [m] Carnutibus deductum ad [n] Vernonium et Medontam amnem tranſmittere jubet; ſed poſtea contrario nuncio accepto mutavit, et in [o] Belſiam exercitum amandavit, ejuſque ducendi, dum abeſſet Bironus, regem Dionyſii-fanum tendentem comitatus, cura Carolo Momorantio Danvillae attributa eſt.

II. NEC ceſſabant interea in urbe Hiſpani eorumque factioni addicti, qui cognito incertam principis natione Franci, qui maritus Infanti deſtinabatur, et in Philippi arbitrium collatam nominationem, a pleriſque, ac praecipue a [p] Caſtreo, cujus ſumma in comitiis et re militari auctoritas erat, in malam partem accipi, conſilium ſecretum cogunt; in quo legatus pontificius, cardinalis Pellevaeus, Meduanius, archiepiſcopus Lugdunenſis, Caſtreus, [q] Ronaeus, aliique ab ordinibus delegati erant. Ibi Feriae dux Guiſium proponit; quem et patris avique egregie pro religionis defenſione facta commendabant, et liberatio ipſius recens miraculo propior Deo charum probabat, petebatque, ut is rex in ſolidum cum Infante uxore ei a Philippo deſtinata a comitiis eligeretur, eamque electionem Meduanius auctoritate ſua confirmaret. Meduanius, qui ſpeciale de Guiſio mandatum Hiſpanos a Philippo non habere crederet, a Lugdunenſi aliiſque, qui circa ipſum erant, deceptus, ſumma diſſimulatione pro tam honorifica in familiam ſuam Philippi declaratione gratias agit, et laetari ſe atque adeo gratulari Guiſio fratris dilectiſſimi filio dixit, pro tanto honore ei ob patris merita delato; et ſi mandata ea de re haberent oratores, ſe de conditionibus tranſigere paratum. Tum Feriae dux, et mandatum, inquit, ſpeciale habeo, et de conditionibus tranſigere paratus ſum; prolataque charta et in manus legati pontificii ex compacto conſignata, atque ita infra, ſupraque complicata, ut tantum caput de Guiſio aſcriptum legentibus pateret; Meduanius licet inſperata re attonitus, tamen ne conſtantiae in diſſimulando laudem, ſi negaret, intempeſtiva levitate amitteret, aſſentiri coactus, conditionem ſe accipere reſpondit, et de conditionibus primo quoque die acturum. Aderat Chriſtophorus [r] Baſſompetra negotiorum Caroli Lotaringiae ducis primarius procurator; qui aegre feciſſe Meduanium videns, ut aſſentiretur, ipſe interceſſit, et laturum moleſte herum ſuum dixit, ſi, ſe inconſulto nec conſentiente, electio

INTERPR. [a] *Talmouſtier.* [b] *de Vieuxpont.* [c] *Verneuil.* [d] *de Maleſtable.* [e] *D'O.* [f] *Paluel, & Favols.* [g] *de Valiros.* [h] *de Selves.* [i] *Firmincour.* [k] *S. Valery.* [l] *St. Eſprit de Rue.* [m] *Païs Chartrain.* [n] *Vernon, & Mante.* [o] *Beauſſe.* [p] *de la Chaſtre.* [q] *de Savigny Sr de Roſne.* [r] *de Baſſompierre.*

electio perageretur; ac periculum ſubeſſe, ne ipſe in his bellis deinceps pro neutris partibus faciat: qua de re jam cum ipſo injectum ſermonem. Id vero non parvi momenti fore, ſive ad bellum Belgicum ſpectetur, ſive ob tranſitum externarum copiarum, quas nihil a Lotaringo metuens Navarrus non exiguo numero cum vellet, citra periculum habere poſſet. Idem [a] Bullionio ad res in limite illo gerendas adjumento magno futurum. Tum conſiderari debere, Lotaringum ea re irritatum de Maria Medicea, cum magno Etruriae duce genero, in uxorem Navarro danda, quod huc uſque impedivit, ſerio acturum, ea ſpe, ut Catharina Navarri ſoror Henrico filio [b] Muſſipontis marchioni viciſſim uxor detur. Ad haec additum, res in Germania turbare, et Turcum cum Perſa pactis induciis arma propediem in [c] Pannoniam verſurum. Per [d] Sueviam in Wirtembergici ditione, et in [e] Cattis delectus haberi: quae omnia quaſi aſtu conficta ad retardandam electionem propoſitam cum riſu eluſerunt legatus et oratores Hiſpani. Ne tamen Lotaringiae dux de contemptu expoſtulare merito poſſet, licere Baſſompetrae dixerunt, de re omni ad eum ac cardinalem filium perſcribere: nam Philippo conſtitutum eſſe, nihil citra ipſorum voluntatem ac conſenſum facere. Id incidit in tempus, quo ſenatuſconſultum, de quo ſupra dixi, factum fuit. Poſtridie quam de Guiſio actum eſt, propoſitae utrinque conditiones: et a Meduanio quidem, ſe deceptum in occulto indignante, hujuſmodi, ut a Philippo et Guiſio impleri non poſſent; quanquam legatus pontificis nomine, et cardinalis Pellevaeus ultro ſe vadeis conſtituerent, et Sorbonici theologi apud legatum inſtarent, ne conditionibus Meduanii terreretur, nihilque non fidenter promitteret; nam non propterea eum ad praeſtandum obligatum iri, quippe dolum in re futurum, quo ſalva conſcientia ſe excuſare poſſit. Petebant Hiſpani, ut Infans in ſolidum cum Guiſio regina pronunciaretur; citerioris Britanniae noſtrae principatus ei tanquam proprium patrimonium addiceretur. Si contingat Guiſium maritum ſine liberis maſculis decedere, Infans principi natione Franco nubat. Si uterque ſine liberis maſculis decedat, Guiſii frater proximus in regnum ſuccedat; conditiones hae in comitiis ſanciantur, et in regni curiis publice approbentur. Nulla earum nomine promulgatio ante nuptias conſummatas in regno fiat, intra quadrimeſtre ſecuturas; quo eodem tempore exercitus promiſſi cum pecunia ſint compariturі. Meduanius viciſſim, qui nullas non difficultatum occaſiones quaerebat, ſuas per [f] Lugdunenſem et petrum [g] Janinum propoſuit, ut Burgundiae, Campaniae, et Briae praefecturae ſibi ſuiſque liberis alterna ſucceſſione deſtinarentur, [h] Jonvillae principatus, [i] Vitriacum et Deſiderii-fanum proprietatis titulo cederet, CC aureorum CIↃ praeſenti pecunia, IↃC certis penſionibus exſolverentur, L aureorum CIↃ annui reditus aſſignarentur. Fama de Guiſio rege creando ſparſa, magnus ad eum concurſus factus, domi foriſque adſectantium; plures mirabantur, prudentiores indignabantur, quippe per illam electionem ad bellum inextricabile via aperta. Ei ex gentilibus favebant [k] Ellebovius, Aumalius, qui aberat, et Monpenſeria amita: Lugdunenſis in occulto, [l] Ronaeus, et qui turbas quam quietem malebant. Nam [m] Caſtreus, qui ad pacem inclinabat, etſi olim Guiſii patris intimus, et nuper filio in libertate recuperanda egregiam operam navaverat, Hiſpanorum forte odio, ſemper ſe ab electione alienum praebuit; et cum animo reputaret vir profundae prudentiae, Philippicos oratores ab initio Erneſtum in regem creandum propoſuiſſe, et cum Galli peterent, ut Infans alicui ex Francis principibus uxor daretur, id Philippum nec poſſe, nec debere multis adductis tunc in contrarium rationibus, oſtendiſſe. Nunc vero tam cito mutare, et tam pugnantia ſimul ex eodem ore proficiſci animadverteret,

dona

INTERPR. [a] *le Duc de Bouillon.* [b] *le Marquis de Pont à Mouſſon.* [c] *Hongrie.* [d] *la Souabe.* [e] *Pays de Heſſe.* [f] *l'Archevêque de Lyon.* [g] *Jeannin.* [h] *Joinville.* [i] *Vitry, & S. Diſier.* [k] *les Ducs d'Elboeuf, & d'Aumale.* [l] *de Savigny de Roſné.* [m] *de la Chaſtre.*

dona et promiſſa Hiſpanorum tanquam ſibi ſuſpecta averſatus eſt, et Guiſium ſupପliciter hortatus, ne ſe ambitione tranſverſum agi fineret, hominum arbitrio, qui Franciae perniciem, non ipſius fortunae amplificationem quaererent. Et eum quidam eo res redactas diceret, ut aut eum Navarro agere, quod viri pii ac vere boni non poſſent, aut ſe ſuaſque res Philippi patrocinio committere neceſſe haberent; ille audacter pronunciavit, ſe quidem ſic exiſtimare, eum Navarro, quamdiu haereticus eſſet, citra impietatem ac ſummum dedecus agi non poſſe: ceterum ſi melius inſtitutus religioni Catholicae nomen daret, potius cum eo, quam cum Hiſpanis impoſtoribus ſe tranſacturum.

III. Ut magna in Guiſii comitatu quaſi jam imaginaria ſe in regia jactantis frequentia, ſic circa Meduanium ſumma ſolitudo erat; treſque tantum ex omni nobilitate numerati, qui ipſum non deſeruerunt, ceteris ad Guiſium transfugientibus, in iiſque Ludovicus [a] Moncellus Villarius Udencus adoleſcens ſtrenuus, qui caſtrorum praefecti jam in illa aetate munere fungebatur. Cum nullam aliam diſturbandae ab Hiſpanis inſtructae ſcenae rationem videret Meduanius, eum delecto equitatu Rotomagum ſub id Villarium mittit, ut Carolo Borbonio cardinali [b] Gallione haerenti, et ſe tertianae factioni caput oſtentanti, praeſto eſſet. Cardinalis jam tum ex morbo ad extremum lethali aegrotare coeperat, cujus occaſione et quod ſua conſilia jam videret detecta, et quos ſibi addictos putabat, initio nutanteis, nunc poſt ultimam regis profeſſionem in fide conſtanter manere, ſe tunc excuſavit.

IV. Ea tamen ſpe, qua ſuos ſubinde artificioſe implebat Meduanius, effectum, et imparatis ad bellum acriter gerendum rebus, ut nihil temere novari placeret, et ex Baſſompetrae conſilio, qui Meduanio ſemper aſſidebat, quo Philippicis oratoribus de regno Franciae aut parte ejus in familiam Auſtriacam oblique transferendo omnis in poſterum ſpes praeciderctur, per Michaëlem [c] Hugueriam, quem poſt proditam Proteſtantium cauſam ante ſeptennium, et auxiliarem exercitum manifeſto exitio expoſitum, ad Lotaringiae ducem transfugiſſe diximus, commentarium prolixum excuſationis loco artificioſe conficiendum curavit. Eo, rerum externarum, ac praecipue Germaniae homo gnarus, laudata regis Catholici pietate, qui bellum acerrime in Belgio ad exſtirpandas haereſeis ſemper geſſerit, neque in pacem, niſi ex Lovanienſium theologorum ſententia, cum iis unquam conſenſerit; nuper autem Gallos eodem morbo laboranteis conſilio, pecunia, milite tam conſtanter juverit, eo res rediiſſe dicit, ut poſt fruſtra tentata omnia remedia ad reſectionem membrorum putridorum tandem deveniendum fuerit; et quod in prima regum noſtrorum ſtirpe ob Childerici libidines, et ob ignaviam alterius Childerici ultimi Merovingiorum, in ſecunda ad propenſum in Germanos favorem olim factum eſt, id in tertia ob execrandas libidines, adulteria, inceſtus, cum haereticis coitiones, ob importatas ex eo tantas in regnum calamitates, ob initas cum Germanis in religionis perniciem ſocietates aut foederationes, ob arctam denique cum Anglis antiquis Francici nominis hoſtibus, et Sectarii veneni hac aetate praecipuis fautoribus amicitiam, tradito a majoribus exemplo, nunc faciendum ſit; eo conſilio ordines regni conveniſſe, ut eum regem eligant, qui pietate, prudentia, aequitate, ſolertia praeſtans pacata Gallia religionem et juſtitiam per funeſta tot annorum bella collapſas inſtauret. Qua in deliberatione cunctos quidem in regem Catholicum oculos conjicere ob tot nuper collata beneficia, adeo de Francico nomine bene meritum, alioqui pietate ac prudentia inſignem, viribus praepotentem; et quem vel eo nomine in regem aſſumere teneantur, ne eum, quem beneficentiſſimum ſemper experti ſunt amicum, repulſa irritatum, deinceps infeſtiſſimum hoſtem habere

INTERPR. [a] *de Monceaux Sr de Villars Oudan.* [b] *Gaillon.* [c] *la Huguerie.*

CIↄ Iↄ XCIII. HENRICUS IV. habere cogantur. Praeterea ei multos, ac praecipue eos, qui religioni Catholicae in tota Europa conſtituendae vere ſtudent, totius orbis monarchiam optare, tanquam digniſſimo principi, ſi rerum praeſens ſtatus id ferre poſſet. Sed rem altius reputantibus multa in contrarium tam in regno quam extra ipſum occurrere, quae praecipitem communium votorum impetum ſiſtant; totque difficultatibus ac periculis negotium involvant, ut verendum ſit, ne id tentanti idem, quod Carolo V Caeſari ejus parenti contingat, qui cum in Germania a Sectario malo purganda tam feliciter laboraſſet, tantae victoriae fructum momento amiſit, ob ſuſpicionem ab Imperii principibus, qui ei militabant, conceptam; quaſi quod religionis et conſtituendi Imperii cauſa feciſſet, ad amplificationem privatam et Imperium in familiam ſuam jure hereditario transferendum ſpectaret. Id ſi ob ſuſpicionem ſolam in Germania accidit, quid putandum facturos alios ubique principes, cum ipſum Franciae regem electum, et tanta acceſſione cunctis formidabilem videbunt? Annon ad arma aperte concurſuros, et hoſtem, quanquam Sectarium, omni ope defenſuros? Quid enim aliud in cauſa fuiſſe, ut tot principes res ejus in Belgio clam et aperte conturbaverint, niſi ut ſuſpectam ejus potentiam deprimerent? Reginam Angliae, quae nihil alioqui in his provinciis ſibi vindicat, XV ab hinc annis, recuſato earum principatu, tamen patrocinium conſtanter ob id ſuſcepiſſe; et regem Scotiae ob eandem cauſam ab amicitia Hiſpanorum bene de ipſo meritorum paulatim abduxiſſe, et ad contrahendam non cum ipſis aut Gallis, ſed cum neutrarum partium principe, hoc eſt, [a] Daniae rege adfinitatem adegiſſe. Ob eam cauſam Succiae regem, quanquam nihil ab Arauſionenſi ſperare poſſet, tamen ſpretis ingentibus Philippi promiſſis, ei immanium ſuorum navigiorum, quibus abundat, uſum et commoditatem denegaſſe. Ob id jam ſemel atque iterum Auſtrios a comitiis Poloniae rejectos, ne videlicet accedente ad Bohemiam et Hungariam tam late patenti regno, ejus beneficio [b] Gedani potentes interdicto commercio Batavos ad officium cogerent. Quid vero Helvetios in ea occaſione facturos? Quibus et ſuſpectum nomen Auſtrium, et [c] Mediolani principatu in Italia, in Germania, Suevia, Conſtantienſi ditione, [d] Briſgoia, [e] Ferretenſi comitatu, et Alſatia undique cinctis, Francia denique et Sabaudia, nihil non a tanta potentia metuendum eſſet? Suſpectam Auſtriorum potentiam Germaniae principibus multa facere, tum illud imprimis, quod Ferdinandus archidux ſine prole maſcula conſenuerit, ac tantum Carolum [f] Burgovii marchionem et Andream cardinalem, qui legitimi in Imperio non habentur, ſit relicturus. Adhuc indiviſas ampliſſimas ditiones, quas et ille, et Caeſariani fratres poſſident, inter ipſos jacere, certiſſimo argumento, eas uni deſtinari, eoque tendere ipſorum conſilia, ut ex ampliſſimis illis ditionibus, quas in Germania habent, juxta Imperii leges inter plures dividendis, monarchiam tandem conſtituant. His accedere, hinc in Clivenſi ſucceſſione, inde in Wirtembergica, quae propediem obventurae ſunt, jura praetenſa. Quae ſi univerſae conjungantur, ex iis conflatum principatum toti Germaniae formidoloſum fore. Itaque ſemper optaſſe Imperii principes, ut eorum opes per hereditatum diviſiones minuerentur. Nec Saxonem ſeptemvirum, quod multi ſibi perſuadent, eorum creſcenti in dies magnitudini aequiorem futurum. Nondum enim obliteratum ex hominum memoria in ea familia exemplum Mauritii, qui recenti adhuc beneficio ob levem ſuſpicionem auctoritatem et vires a Caeſare acceptas in ipſum Caeſarem vertit; et Auguſtum ejus fratrem quanquam teſtamento cultum et obſequium erga Auſtriacam familiam liberis enixe commendaverit, tamen eodem diſerte regnum Franciae excepiſſe, quod experimento didiciſſet, in illo ſemper principibus Germaniae et Imperii libertatibus

INTERPR. [a] *Dannemarck.* [b] *Dantzick.* [c] *Duché de Milan.* [d] *Briſgaw.* [e] *Comté de Ferrette.* [f] *Burgaw.*

libertatibus praeſidium praeſentiſſimum ac patrocinium fuiſſe; fruſtra metum ex liberatione Joan. Friderici, quem Maximilianus et Rodolfus tot annos captivum tenuerunt, intentari: nam tenaciorem injuriae, quam ſeri beneficii memoriam eſſe. Itaque praecepti paterni reverentia, nec metu Joannis Friderici, qui liberatus plus Auſtriacis, a quibus tot injurias accepit, formidoloſus, quam agnatis futurus eſt, adduci potuiſſe Chriſtianum ſeptemvirum, quin anno ſuperiore auxiliarem exercitum duce Chriſtiano Anhaltino principe in Galliam mitteret. Quod vero fecerit Chriſtianus, ejus filios et ceteros principes, Palatinum ſeptemvirum, Brunſvicum ducem, et Heſſum, propter antiquas familiarum ſubſtitutiones inter ſe foederatos proculdubio facturos. Ad Baioarum quod attinet, etſi moderatiſſimum principem et cultus erga Auſtriacos adfinitatis et aliarum neceſſitudinum ratione conjunctiſſimum, tamen extra dubium eſſe, ſi illi in eam, quae in Germania metuitur, potentiam excreſcant, quin eodem animo erga ipſos futurus ſit, quo majores ejus fuerunt; cum Ulricum Wirtembergicum ab illis ipſis ſpoliatum icto foedere in avitam patrimonii poſſeſſionem vi reduxerunt. Eccleſiaſticos principes Philippo, ut jactatur, ob cauſam religionis addictos, in ea cauſa libertatem Imperii potius, ac aliorum principum, a quibus rationes ſeparatas habere non poſſunt, exemplum ſecuturos, quam commiſſuros, ut ſalutem propriam externae gentis et Germanis inviſae magnitudini poſthabuiſſe videantur: et niſi faciant, nobilitatem ipſorum beneficiariam, quae majorem partem Proteſtantium doctrina imbuta eſt, ab iis defecturam. Nunc ſi trans Alpeis inſpiciatur, quid magnum Etruriae ducem non facturum, quanquam Auſtriae familiae beneficiarium, ut ſe magnitudini Hiſpanorum opponat, hinc Sicilia, regno Neapolitano, Sardinia, et Genua, quae in aere Philippi eſt, undique per mare, inde Mediolano per terram circumdatum? Venetos proculdubio ad hunc caſum prudentiae ſuae fineis egreſſuros, et cum ſe in Hadriatico mari, regni Neapolitani vicinia, in Longobardia Mediolani principatu, in Germaniae et Pannoniae limite, Tirolenſi comitatu, Croatia, Carinthia quaſi obſeſſos viderint, et ſciant multas ſe in Italia civitates, in [a] Forojulio et Dalmatia poſſidere, quas Auſtrii ſibi ademptas queruntur, alienum animum, quem hactenus diſſimulaverunt, et occultum favorem, quo Navarrum jam proſequuntur, ſumptis armis aperte renudaturos. Ad eorum exemplum ob eaſdem cauſas Ferrariae et Mantuae duces res ſuas compoſituros. Ipſum pontificem quanquam religioſe admodum Philippi amicitiam colat, ab hoc metu immunem non fore, recenti adeo captae ac direptae urbis memoria, et quod Clemens VII ſub Borbonio olim paſſus eſt, Clementem VIII jure reformidaturum; praeſertim cum minime ignoret, nihil tam ſanctum eſſe, quod regnandi cauſa non violetur. Extra Chriſtianum orbem quid Turcum interim non tentaturum, qui nuper Croatiae metropolim vi cepit, et in Pannonia tam acriter bellum gerit? Henricum VIII Anglorum regem Carolo Caeſari foederatum, et Gallorum hoſtem, poſt cladem [b] Ticinenſem repente mutatum et ex amico repente inimicum magnitudinis Caroli ob id factum quis neſcit? Eliſabetham vero Henrici filiam nunc bellum cum Philippo Caroli filio gerentem, quod raptim nunc facit, tunc totis viribus facturam. Idem et facturos Proteſtantium Imperii principes. Quid quod Caeſar ipſe, qui hodie eſt, quanquam Philippici imperii heres, tamen cum videat Erneſtum fratrem ſereniſſimae Infanti maritum deſtinatum, livore occulto foederationem [c] Landsbergae inchoatam, ad prohibendos per Germaniam auxiliareis in Galliam delectus, ſua auctoritate impedivit? Nec dubium eſſe, quin Lotaringica domus, licet Auſtriae multis nominibus obnoxia, id ſi contingat, in magno metu ſit futura, quippe paene

CIↃ IↃ XCIII.
Henricus IV.

INTERPR. [a] *Frioul.* [b] *de Pavie.* [c] *Landsberg.*

CIↃ IↃXCIII. HENRICUS IV.

paene olim ſpoliata a Carolo [a] Burgundione, a quo praecipua familiae ſuae incrementa ceperunt Auſtriaci, et ad primos impetus bellorum ſemper expoſita, nec amplius perfugium in Francorum regibus habitura. Haec non ab Philippi nunc ingenio, qui ſua magnitudine contentus facile alieno carere poteſt, ſed ejus miniſtrorum, qui Chriſtiani orbis monarchiam ipſi deberi putant, proficiſci, prudentiores perſuaſum habere. Verum enimvero quis ſcit, an Philippus olim commoditate invitatus, ne per aliena toties iter facere cogatur, cum copias auxiliareis in Galliam immiſſurus erit, non Lotaringum ad compenſationem aliarum ditionum in Italia et Hiſpania accipiendam adiget? Nec enim rem exemplo domeſtico carere; nam Carolum parentem ejus, bello inter ipſum et Franciſcum ardente, ob eaſdem cauſas cum Sabaudiae duce egiſſe de permutandis ſuis ditionibus, ne quid inter Franciam et Auſtriacum limitem ab ea parte eſſet medium. Et ſane optabile eſſe, ut monarchia, quae tamdiu parturitur, in ea familia conſtituatur; ſed eam eſſe prudentiam ac aequitatem Philippi, ut mature perpendere debeat, id tentari non poſſe, quin protinus hinc Italiae principes aperte Mediolani principatum et regnum Neapolitanum oppugnent, hinc Helvetii et Imperii principes vireis contra ipſum vertant, et Saxo Friſiam, Palatinus ſeptemvir [b] Bataviam Zelandos et Hannoniam, invadant; eodemque tempore Turcus per mare Tyrrhenum claſſibus ejus ditiones infeſtet, et per Pannoniam gentileis ſuos adoriatur; ac poſtremo regina Angliae navibus praepotens Luſitaniam oppugnet. Nec ceſſaturum inter haec Sigiſmundum Poloniae regem, qui irritatus, quod Maximilianus adhuc Poloniae inſignia retineat, et Caeſar ejus frater contra datam fidem in eo negotio diſſimulet, occaſionem proculdubio obviam arrepturus eſt, ut [c] Quados et Marcomanos Polonici regni clientelareis armis repetat. Contra tot conjuratorum principum vireis, quas opes ſuffecturas? An Indiae fallaces theſauros, quibus aut tardantibus aut interceptis ubique creditores lamentabiliter queri, tum ſaepe militem ſtipendii defectu tumultuare audiat? Unde tot ruinas farciri poſſe? An ex noſtro damno levamentum ſperandum, et a Gallis exſpectandum, quod fruſtra illi a patrocinio ejus exſpectant? Nec melius nobis futurum, cum publicae invidiae et communi omnium nationum odio expoſiti, tanquam Chriſtianae tranquillitatis perturbatores, tam ignominioſe cogemur ipſum deſerere, quam imprudenter cum eo contraximus. Verum contra objici, multis clientelis ac foederationibus ſubnixum Philippum nihil tale metuere debere, quippe in regni Luſitaniae occupatione nihil ſimile expertum. At enim nondum omnino cum fortuna de eo regno tranſactum eſſe, et facile fuiſſe regi, totius alioqui Hiſpaniae potenti, hunc angulum, diſſidente nobilitate, debilem, ad ceteras provincias adjungere: ſed ſupereſſe adhuc inſulas et Indicas provincias praecipuum regni illius robur, quarum poſſeſſionem illi ambiguam faciunt praepotentes in oceano Anglorum et Batavorum claſſes. Et haec quidem eſſe, quae juſtis alioqui Philippi ac ejus faventium votis obſtitura extra Galliam videntur. Quid in regno ipſo? Senatuſconſultum paucos ante dies in ea ipſa urbe, quae ceteris toto regno urbibus ad religionis defenſionem exemplo ſuo praeivit, tam conſtanter extrema omnia toleravit, ab iis denique, qui prudentia, gravitate, juris noſtri peritia, aliis excellere creduntur, factum, documento eſſe, quid aliae deinceps curiae in ea cauſa ſint decreturae. Nam quid aliud verba illa ſibi velle, *Regem Catholicum natione Francum ſecundum fundamentaleis regni leges eligi debere*, quam Philippum et ſereniſſimam Infantem ejus filiam omnino ab eo excludi? Quod ſi ad delegatos ordinum inſpiciatur, repertum iri, eos delectos eſſe, qui prorſus ab Hiſpano nomine alieni ſunt; et ad electionem magnum momentum habere ipſam urbem, quae periculo ſuo et incommodo didicit, quid a viribus Hiſpanorum ſit ſperandum,

INTERPR. [a] *le Duc de Bourgogne.* [b] *Hollande, Zelande, & Hainaut.* [c] *Sileſie, & Moravie.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

ſperandum, eum ad exiguum praeſidium alendum, quod ipſa vix tandem admiſerat, deficiente ſtipendio magnas a milite lieentioſo ealamitates nupet pati coacta eſt. De nobilitate certiſſimum eſſe, nunquam eam in hanc electionem conſenſuram. Et ſi ralis electio fieret, protinus defectionem facturam; nam quid gravius hoſtis hodie habet, quod foederatis exprobret, quam quod ex Franeis in Hiſpanos degeneravimus? quod coronam capiti majeſtatis ſuae Catholieae imponere volumus? Praeterea nobilitatem noſtram belli expertam ex praeteritis de futuro ſie exiſtimare, ſupra Philippi vireis eſſe, ut auctoritatem ſuam in regno alieno, in quo tam potenteis adverſarios habet, olim conſtituat, et exſtirpato Sectario malo, quod ab eo ſperamus, tandem aliquando voti compos evadat; eum totis xxx et amplius annis, quibus in ſuo cunctis opibus, ae omni undiquaque collecto robore bellum acerrimum gerit, non ſolum nihil egerit, ſed potiorem Belgii partem ſine ſpe ejus recuperandae amiſerit. Si qui ſint ex ſacro ordine, qui eum, aut Infantem reginam, velint, eos paucos eſſe, nam ipſum Sorbonieorum theologorum collegium, quod ejus veluti ſeminarium eſt, petere regem moribus et lingua Francum. De juribus ſive ipſi Philippo ſive Infanti in regni ſucceſſione competentibus fruſtra quaeſtionem moveri. Neque ſperandum Gallos unquam ad foeminarum imperia agnoſcenda flecti poſſe. Et ut juris utriuſque ratio habeatur, ſi Philippus ſuum a Maria Philippi Burgundionis, qui poſtremus ex Joannis ſtirpe fuit, pronepte reperat, ex Ludovici [a] Andini grandioris nanı fratris ſtirpe prognatos jure potiores eſſe. Si Infantis jus conſideretur, quod nuper in eadem ſucceſſione praejudieatum eſt, ut patruus fratris grandioris natu filio praeferretur, id et nune uſurpari debere, et Margaritam licet natu minorem Eliſabethae filiabus praeferendam eſſe. Quid igitur, alienis ab hae electione omnium ordinum tota Gallia animis, ex ea, ſi fiat, ſecuturum, niſi erebras defectiones, ſeditiones, confuſos ubique motus, magno Catholicae religionis detrimento; ac contra hoſtium, qui eam oppugnant, inremento? Semel tantum pernicioſiſſimo longe errore in ſimili cauſa apud nos peccatum eſſe, eum Franei deteſtandas Childerici libidines exoſi Gildonem Romanum, qui tune [b] Auguſtae Sueſſionum erat, in regem aſciverunt, rati Romanos mores eum in regnum allaturum: ſed mox intempeſtivae mutationis ipſos poenituiſſe, et regis ejecti ex Germania, quo confugerat, revocati ſe dominationi ſubjeciſſe. Henricum VI Henrici V et Catharinae Franeiae filium, minime in exemplum adducendum. Nam licet multa in eo cum his temporibus ſimilia occurrant, tamen eauſas horum atque illorum motuum longe diverſas fuiſſe. Non enim Henricum ab ordinibus regni electum, ſed a rege mente eapto, non eonſilio et poſt maturam deliberationem, ſed praecipiti foeminae ingenio, non religionis aut boni publici cauſa, ſed ultionis impotenti deſiderio; et pravis principiis dignum exitum fuiſſe, Henrico non ſolum regni uſurpati violenta poſſeſſione dejecto, ſed ampliſſimis provinciis, quas in Gallia jure hereditario tenebat, penitus ſpoliato. Proinde mediam viam tutiorem videri, ut electio regni ordinibus libera relinquatur, et a prenſationibus ambitioſis ae ſuffragiorum corruptione omnino abſtineatur; alioqui fore, ut occaecato ipſius a conſiliariis praepoſtera ambitione animo, nobis illi etiam ipſi oculos configant, et ita caeco eaecum ducente, ambo in foveam imprudentia utriſque exitioſa praecipitent. Meminiſſe adhuc Philippum, quomodo ſe ob eandem cauſam vinci paſſus ſit, in imperio paterno ambiendo, quod Carolus in Ferdinandum fratrem tranſtulerat. Nam cum ejus mentio facta eſſet, Maximilianus Ferdinandi filius adeo commotus dicitur, ut praetextu viſendi Auguſti ſeptemviri foedus ſecretum cum ceteris Imperii principibus magno religionis praejudieio icerit, fidemque dederit de confeſſione Auguſtana amplius in Imperio conſtituenda.

INTERPR. [a] *d'Anjou.* [b] *Soiſſons.*

conſtituenda. Itaque Philippum licet ſero errorem a ſe admiſſum in petitione illa tandem agnoviſſe, atque ab ea ambitioſe ſuſcepta prudentiſſime deſtitiſſe, nec Maximilianum ſororium, ſi ipſe ſine liberis decederet, heredem deſtinatum ulterius irritare voluiſſe. Eandem prudentiam ac moderationem in ipſo nunc deſiderari, ne regnum, quod ſalvum cupit, ex deſperatione cum religionis periculo detrimentum patiatur. Igitur ex ſupradictis conſtare, praeſentem rerum ſtatum non ferre, ut ipſe de regni adeptione cogitet; nec proinde de patrocinio. Nam cum primarium totius orbis Chriſtiani regnum ſit, alterius inferioris patrocinium non admittere, dignitati enim id ejus ac praerogativae derogare; et ſi aliena ope indigeat, non hujus aut illius patrocinio, quod Francis non niſi ſumme odioſum eſſe poteſt, ſe commiſſurum: ſed cum univerſorum mundi regnorum ſocietate inita defenſionis cauſa foederationem contracturum fuiſſe, qualem fere cuncti Chriſtiani principes pro regno tutando adverſus Carolum v, dum Franciſcus in Hiſpania captivus detineretur, ſuo ipſorum bono contraxerunt. Patrocinium illud ad finem ſecum dominationem trahere: ſic enim Bohemiae et Hungariae regna, quae per electionem deferebantur, ſic nuper rempublicam Genuenſem ſpecie protectionis, ſub jugum miſſa. Patrocinium inferioris inutile eſſe, aequalis infructuoſum, ſuperioris ſuſpectum ac periculoſum: atqui Franciam nec aequalem nec ſuperiorem agnoſcere; nec niſi magna cum ſua injuria fieri poſſe, ut per conditiones inferiori ſubjiciatur. Ceteras autem nationes, ſi dominationem Hiſpanorum in Gallia ferre non poſſunt, quomodo patrocinium illud interpretaturas? Praeſertim cum ſciant Philippi miniſtros ad regni occupationem nuper aſpiraſſe, idque nunc quod aperte facere non audent, vana defenſionis oſtentatione indirecte moliri; nimirum ut dum filius ejus adoleſcat, bellum in Francia alant, et per belli exitialis continuationem, nobilitatem inter ſe commiſſam, paulatim conficiant, plebem moribus externis aſſueſcant, et languidum ac paene exhauſtum regnum quaſi corpus ſanguine ac ſucco detracto ad extremum in poteſtatem redigant. Vix eam ex Gallorum animis ſuſpicionem evelli poſſe; et ſi qui ſint, qui aliter Philippo perſuadeant, ſi quidem externi ſunt, in rebus noſtris hallucinari, et Francorum ingenium ignorare: ſi Franci, ſuae majeſtati Catholicae imponere, et alio quam prae ſe ferant, conſilia ſua dirigere, Francos ſine rege eſſe non poſſe; per interregna ſeditionibus, factionibus, turbis portam aperiri, et hoſti contra ad majores vireis colligendas facultatem dari. Haec cum ita ſe habeant, reliquum eſſe, ut per regis Catholici ac ejuſdem linguae liberam electionem malis tantis, quibus Francia affligitur, remedium quaeratur; iſque eligatur, qui opibus ſuae majeſtatis adjutus religionem majorum ſartam tectam ſervet, et pacem in regno conſtituat. Ad id Philippum et jure divino, naturali et civili obligari, quippe cum de religionis cauſa agatur, et boni principis ſit, in tali occaſione vicinis populis afflictis ſubvenire, et idem auxilium ab eo exſpectare, quod majores ipſius quondam a regibus noſtris acceperunt. Ita futurum, ut ceteri principes, poſtquam viderint nihil aliud Philippum in hoc bello ſpectare, quam Dei gloriam, Sectarii mali exſtirpationem, et regni florentiſſimi, ad quod perfugium duris temporibus ſemper habuerunt, conſervationem, omni livore ac ſuſpicione vacui, quam ab initio ob id ſe ab hac tam juſta alioqui cauſa alienos oſtenderunt, tam ſtrenuam deinceps in illa adjuvanda operam navent, conjunctis viribus et opibus, et deſertis hoſtium partibus, quas occulto favore hactenus texerunt. Ita etiam futurum, ut foederati Proteſtantes Imperii principes in poſterum placatiores habeant, alioqui parcos et otii amanteis. Id patuiſſe ultimo bello Colonienſi, in quo cum illi Gebbardum [a] Truchеſium foederatum ſibi et multis ipſorum cognatione conjunctum, ob cauſae etiam conjunctionem multis promiſſis oneratum ad arma ſumenda

INTERPR. [a] *de Truchſes.*

ſumenda praecipiti conſilio impuliſſent, tamen ubi ſuam majeſtatem Erneſti [a] Baioari patrocinium ſuſcepiſſe viderunt, et ceteros eccleſiaſticos principes ad eandem cauſam protegendam ſolicitaſſe, ad extremum turbarum paſſim per Imperium exorientium pertaeſos deſerto collega ab armis deſtitiſſe. Quod illi in cauſa Gebbardi tot neceſſitudinum vinculis ſecum conjuncti fecerunt, quin in principis ſibi ignoti, et erga quem multis nominibus minus bene affecti ſunt, idem faciant, proculdubio eſſe: et quanquam eo rege conſtituto etiam religionem, quam profitentur, conſtitui ſperare poſſint, tamen eam ſpem adverſus conceptam de cauſa Gebbardi opinionem minime praeponderaſſe; ut eo ſcilicet conſtituto, ſeptemviratus Colonienſis ab epiſcopatu ſeparari, et ejus exemplo alii duo ſeptemviratus epiſcopales una quoque dividi poſſint. Quod ſi ad liberam regis Catholici electionem ſuae majeſtatis benignitate haec gratia addatur, ut ei, qui eligetur, ſereniſſima Infans detur; ita unitis Franciae et Auſtriae viribus non ſolum nobiſcum, ſed cum univerſo orbe Chriſtiano, cumulatiſſime actum iri: ſed nimium illud et alienae ab hoc tempore ſuſpicionis plenum eſſe votum; ac verendum eſſe, ne ut alii principes ambitionem Hiſpanorum ſuſpectam habuerunt, ſic Hiſpani jure metuant, ne contra per eam adfinitatem Francia Auſtriam ſecum trahat. Tamen leges et conditiones apponi poſſe, quibus Auſtriae familiae in eum eventum conſuli poſſit.

V. HIS rationibus cum ſibi viam ad excuſationes munitam putaret Meduanius, ut temerariae credulitatis errorem tempeſtiva poenitentia emendaret, nunc conditionum difficultate propoſita, nunc tertianae factionis mentione injecta, qua res Navarri citra foederatorum periculum maxime turbari credebantur, nunc Baſſompetrae interceſſione et defectionum periculo propoſito; ad extremum, potentiſſimum ad electionem impediendam telum, induciarum neceſſitatem adhibuit, quae a nobilitate et plebeio ordine jam ante propoſitae, nec a Meduanio tunc nimium rejectae, nunc rurſus reponuntur, Caſtreo praecipue auctore, qui inter nobiles principis loco fungebatur; is eadem, qua nuper Hiſpanorum aſtuta conſilia inſectatus fuerat, libertate inducias ſuaſit, eas et utileis et neceſſarias affirmans. Nec legati pontificis nomen obtendentis interceſſione moveri debere Meduanium, quippe cum pontifex, ſi adeſſet, minime eas improbaturus eſſet, quandoquidem et ipſe illas ad [b] Avenionis et Venaſcinenſis principatuum conſervationem neceſſarias judicaverit; et vero ſacrum ordinem proculdubio acceſſurum fuiſſe reliquis duobus, niſi legati reverentia prohibitus fuiſſet. Quare ad Meduanium pertinere, ut partes ſuas in hoc negotio interponat, et quod pluribus placuit, pro ſua auctoritate decernat. Alioqui quam caecitatem fore, ſi Navarro ad majorum ſacra propediem redituro, ex eoque magna dubio procul converſione ſecutura, rebus contra foederatorum ab omni milite ac pecunia imparatis, tam alieno tempore rex novus creetur, qui cauſam jam debilitatam ipſe debilior tueri non poſſit? Quid vero inde eventurum, niſi ut qui rebus adhuc integris conditiones dare poſſunt, poſt electionem omni ſpe reconciliationis cum hoſte praeciſa, belli neceſſitate Hiſpanis ſe ſine conditione dedere cogantur? In eam ſententiam poſtremo itum eſt: ne tamen Hiſpanorum opem rejicere videretur, placuit, ad ultima eorum poſtulata ita reſponderi, ut electionis in praeſens intempeſtivae ſpes non tam omnino praecideretur, quam in commodius tempus rejiceretur, et publicae calamitatis neceſſitate dilatio excuſaretur. Itaque vocato ad [c] Luparam concilio IIII Non. Jul. poſt ſacrum a [d] Dinienſi epiſcopo celebratum, et a [e] Venetenſi concionem habitam, Meduanius ſalutato Feriae duce ſcriptum ſinu prompſit, et

INTERPR. [a] *de Baviere.* [b] *Seigneurie d'Avignon, & comtat Venaiſſin.* [c] *le Louvre.* [d] *de Digne.* [e] *l'eveſque de Vannes.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

et legendum ipſi rradidit, obſequium et voluntatem porro Philippo prolixe déferens. Eo ordines gratias regi Catholieo ob tam honorificas conditiones, atque adeo petitioni ſuae XI Kal. Jul. factae conſentaneas tam benigne oblatas agebant; ceternm quod Feriae dux aliique Philippici oratores nunc petant, ut praeſenti die rex creetur, id ipſos exiſtimare temporum rationi minime convenire, et religioni ac regno ſumme detrimenroſum fore, cum nullas vireis inſtructas habeant. Verum in eadem voluntate Catholicae majeſtati hac in re ſatisfaciendi perſeveranteis amplius de ea deliberandi ſpatium ſibi petere, cum videlicet exetcitum paratnm habebunt, cujus potentia freti quod in conciliis ſuis deliberatum ae decretum fuerit, manu armata exſequi poſſint. Igitur Catholicam majeſtatem ac ipſius oratores orare, ut vireis promiſſas feſtinare jubeant, ne hoſtis eontra imparatos temporis beneficio utatur. Accepto ſcripto Philippici oratores fore dicunt, ut mox reſpondeatur; ac poſtridie Joh. Bapt. Taxis ſcripto reſponſum complexus eſt, Dolere ſibi dictitans, quod coeptam de regis electione deliberationem in praeſens ſuſpenderint: nam eam rot calamitatum ûnicum remedium eſſe adverſus ſucatam principis [a] Benearnenſis de religione Catholica amplectenda profeſſionem. Sed quando ita ipſis ſir viſum, ſolari ſe, quod nihil omiſerint, Catholici regis nomine cuncta prolixe polliciti, quo reſtitanteis ad tam ſalutare conſilium eapiendum incitarent; hoc etiam addito, ſine regis creatione Catholicam majeſtatem non poſſe in auxiliis ſuppeditandis ultra progredi. Nam ſic exiſtimare, abſque hoc remedio praeteritos labores omnino evaneſcere, et ſumptus inutiliter in poſterum fieri. Ur tamen oſtendanr, ſe propria commoda ſalute communi poſteriora ducere, ſubſidia, quantum per bellum Belgicum licebit, conſueta ſummiſſuros, quouſque de re omni majeſtatem Catholicam certiorem fecerint, et ſpecialia ab eo mandata acceperint; quod eo alacrius ſint facturi, ſi interea ab induciis cum hoſte paciſcendis abſtineatur, et ſenatuſconſultum nuper ſactum revocetur. Nam utrumque publicae eauſae pernicioſum eſſe, et cum ſincerirate, qua hactenus cum ipſis uſi ſunt, pugnare, auctoritatemque eorum omnino evertere. Ita Meduanius inextricabileis Hiſpanorum nodos, in quos illi eum tanquam alterum Protea vultus, ut aiebant, mutantem induerant, petrupit; et Hiſpani alios ludificare ſoliti, contrario aſtu ipſi ludificati, ſpe creandi regis, hoc eſt, belli irrevocabilis inter Gallos excitandi, prorſus exeiderunr.

VI. AB eo tempore varia colloquia [b] Villetae, Capellae, Haubervilleriae, in via ipſa S. [c] Dionyſii, in curru plerumque ut magis fallerent, inter Schombergium, [d] Bellevreum, Thuanum, [e] Revolium, et Baſſompetram, [f] Belinium, Seb. Zametium, ac ſemel cum [g] Caſtreo de induciis habita. Rex e caſtris cum Dionyſii-fanum veniſſet IIII Eidus, et poſtridie cum Joanne [h] Chaviniaco theologo S. Sulpitii curione, qui Lutetia ad eum evocatus fuerat, diu collocutus eſſet, quippe fratrem ejus, virum ſtrenuum, diu inter nobileis domeſticos habuerat; nuncio accepto de ingraveſcente Monpenſerii morbo, periculum veritus, [i] Medontam admodum triſtis revolat, gentilem de ſe optime meritum, et quem ſoroti unicae virum deſtinabat, poſtremo inviſurus; qui tamen poſt regis adventum melius ex vulnere habuit. Tandem XII Kal. Sextil. cardinalis Borbonius, qui crebro a Meduanio ſolicitatus, oblata [k] Auguſta Sueſſionum aliiſque oppidis ſecuritatis cauſa, ut ſe tertianae factionis aperte ducem praeberet, res ſuas labeſcere cernens, [l] Gallione Medontam rediit; et cum [m] Cevernio cancellario, aliiſque ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus Fanum-Dionyſii venit, ut quod aperta defectione ſacere non potuerat, ut regis res turbaret, praeſentia ſua efficeret, et deliberationi de reconciliatione ejus inſtitutae exquiſitis difficultatibus impedimentum afferret.

INTERPR. [a] *de Bearn.* [b] *la Villette, la Chapelle, & Aubervilliers.* [c] *S. Denis.* [d] *de Bellievre.* [e] *de Revol, & de Baſſompierre.* [f] *les Srs de Belin, & de Zamet.* [g] *de la Chaſtre.* [h] *de Chavignac curé de S. Sulpice,* [i] *Mante.* [k] *Soiſſons.* [l] *Gaillon.* [m] *le chancelier de Chiverny.*

afferret. Et quanquam qui ei tam pernicioſi conſilii, cum exitum habiturum illud ſperabatur, auctores fuerant, mutata rerum facie, utendum diſſimulatione ſuaderent; tamen impotens animi juvenis ſibi temperare non potuit, quin cum praeſulum evocatorum concilium in ſuis aedibus haberetur, ubi aderant [a] Renatus Benedictus S. Euſtochii, Claudius [b] Morena S. Mederici curiones, et is, quem dixi, Chaviniacus, palam contradiceret, et niſi conſulto pontifice et ex ejus auctoritate regem ad eccleſiae gremium redeuntem admittendum negaret. Sed re in deliberationem deducta, paucis exceptis, qui cardinali ſuffragabantur, vicit ea ſententia, quae cenſebat regem jam nunc, idoneo fidei ac poenitentiae documento prius edito, ad eccleſiam debere admitti; et poſtea pontificem adiri poſſe ac rogari tam ipſius quam eccleſiae Gallicanae nomine, ut ei ſupremae gratiae beneficium impertiretur; his maxime rationibus, quae fuſe a viris juxta piis et doctiſſimis ac quietis publicae ſtudioſiſſimis explicatae ſunt. Primo, quod contra quam a [c] Placentino cardinali jactatur, pontificio decreto ipſi minime obligentur; quippe quod more majorum nec receptum aut promulgatum ſit in hoc regno, in quo hujuſmodi mandata nullius momenti habentur, antequam approbata, et examinata fuerint, an aliquid in ſe habeant quod regum auctoritati, regni juribus et eccleſiae Gallicanae libertatibus praejudicet. Quod et idem in Belgio Auſtriacis ſubjecto obſervatur, ut patet ex conſtitutionibus Philippi anni CIƆ CCCC XCVII, et Caroli V ejus filii CIƆ IƆ XXX. Secundo, quod habita ratione et negotii et perſonae, de qua agitur, commonefactione opus fuerit, antequam ad excommunicationis ſententiam deveniretur. Id enim jure pontificio requiri, et ita Innocentium IIII ſtatuiſſe, qui hujuſmodi ſententias abſque competenti monitione praemiſſa promulgatas, injuſtas declarat. Ex eoque ſequi, cenſuram non recte denunciatam non impedire, quo minus valeat quod ratione publici muneris factum fuerit. Sic juris pontificii interpretes unanimiter cenſere in explicatione reſcripti Innocentii III. Adde quod in Bulla anni CIƆ IƆ LXXXV potius declaratio decreti contra haereticos facti continetur, quam nova excommunicatio decernitur. Et ut recte promulgata ſit, tamen negari non poſſe, quin excommunicatio ob haereſim decreta ad epiſcoporum juriſdictionem pertineat, ſicuti Lateranenſis concilii decreto conſtitutum eſt. Et licet pontifex ejus cognitionem ſibi ſervaſſet, quod negatur, tamen id minime obſtare, quo minus abſolutio ab ordinario concedi poſſit. Nam ſic in concilio Tridentino deciſum fuiſſe, ac licere epiſcopis in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſanctae ſedi reſervatis, delinquenteis quoſcunque ſibi ſubditos per ſe vel per vicarios in dioeceſi ſua, in foro conſcientiae, abſolvere; nec non et in haereſis crimine, ſed per ipſos tantum, non etiam per vicarios. Denique explorati juris eſſe, excommunicatum ex quacunque cauſa, etiam ad ſedem apoſtolicam reſervata, poſſe ab epiſcopo abſolvi, ſi juſto impedimento prohibeatur ne ſe coram pontifice poſſit ſiſtere; data cautione, fore, ut ceſſante impedimento, prout juſtitia ſuadebit, ſatisfaciat. Inter impedimenta autem legitima ſcitum eſſe, capitaleis inimicitias et itinerum pericula numerari. Excipi et ab ea lege magnates, ſicuti ab Alexandro III reſcriptum eſt: quod, addita negandi particula, a quibuſdam nuper depravatum arguit [d] Clavaſinus, ubi de excommunicatione diſputat; et Ant. [e] Auguſtinus, et concilia Coloniae et Venetiis edita, idem comprobant. His de cauſis juſtum et aequum videri, ut abſque dilatione regi poenitenti ac ſupplici abſolutionis beneficium concedatur, idque epiſcopos poſſe et debere, ea lege, ut a pontifice eorum, quae geſta ſint, mox confirmatio petatur, ea demiſſione, qua decet ac debet: alioqui periculum eſſe in mora. Quid enim ſi interim rex a congregatis Lutetiae ordinibus

INTERPR. [a] *René Benoiſt curé de S. Euſtache.* [b] *de Morene curé de S. Mederic.* [c] *de Plaiſance.* [d] *Clavaſin.* [e] *Agoſtini.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

ordinibus inſtigatu Hiſpanorum eligatur, et per eam electionem nova belli irreconciliabilis ſemina ſpargantur regno et religioni aeque exitioſa? Si rex in religionis cauſa nunc bene animatus, abſolutione denegata, mutet, et ad extrema conſilia deſcendat? Si ad ſciſſuram neceſſitate deveniatur? Nam quicquid Lutetiae fiat, quicquid Romae decernatur, Gallos, ac nobilitatem praecipue priſtinos animos ad libertatem ſervaturam, potiuſque, retenta majorum religione, quod initio in Anglia factum eſt, ſeceſſionem a ſancta ſede facturam, quam jugum Hiſpanorum ſubituram. Igitur habendam temporum et locorum rationem, ut prudentiſſime Honorius III reſcripſit, et pro perſonarum qualitate aliquid ſeveritati detrahendum. Ita [a] Ivonem Carnotenſem epiſcopum monere Paſchalem pontificem, ut cauſam Philippi temperaret, ne contingat de eo illud Salomonis dici, qui [1] multum emungit, elicit ſanguinem. Diſpenſationis modum nulli unquam diſplicuiſſe; ſic beatum Cyrillum ad Gennadium presbyterum praecipere, exemplo eorum, qui navigantes, tempeſtate urgente ac navi periclitante, quaedam exonerant, ut cetera ſalva maneant. Ita et nos cum non habeamus omnium negotiorum ſervandorum certitudinem, dejicere ex his quaedam debere, ne cunctorum patiamur diſpendium. Nec exemplo carere, ut in ſimili negotio ad vitandum majus periculum, ſanctae ſedis non exſpectetur auctoritas. In Hiſpanorum hiſtoriis, referente Joanne [b] Vaſaeo, perſcriptum eſſe, anno Salutis IƆ LXXXVI Flavium Ricaredum adjuvante Dei gratia ex Ariano factum eſſe Catholicum, et habito cum ſacerdotibus Sectae Arianae prudenter conſilio, ratione potius quam imperio eos ad fidem Catholicam reduxiſſe, gentemque omnem Gothorum et Suevorum ad Chriſtianae eccleſiae pacem et unitatem revocaſſe. Haec initio ejus regni acta, anno quarto poſt concilium Toletanum IIII, VIII Eid. Maias ab epiſcopis Hiſpaniae et Galliae [c] Gothicae numero LXII celebratum, quibus praefuerunt Manſona [d] Emeritenſis et Leander [e] Hiſpalenſis, tanquam metropolitani: in eo Ricaredum cum regina Badda uxore, et omnibus Gothis abjuraſſe Sectam Arianam, et in publico patrum concilio fidem Catholicam et aequalitatem Perſonarum in Sancta Trinitate profeſſum eſſe, CCXIII, poſtquam labe illa infecta fuerat Hiſpania, anno. Et quanquam Lucas [f] Tudenſis tradat Leandrum tanquam a pontifice delegatum concilio praefuiſſe, tamen contrarium apparere ex concilii actis Coloniae et Venetiis editis; et multis verbis refellere Tudenſis ſententiam Ambroſium [g] Moralem Cordubenſem ſpectatae prudentiae ac diligentiae ſcriptorem. Haec inter praeſules a rege evocatos tunc agitata ac decreta: cognito autem quid in conſeſſu eorum actum eſſet, nam euncta perfidia quorundam ad hoſteis ſtatim emanabant, Sorbonici collegii [h] ſodales conſilia inter ſe legato inſtigante agitarunt, de [i] Benedicto, Chaviniaco, et Morena a communione et ſua et eccleſiae removendis, quod non ſolum quaſi transfugae ad hoſtem migraſſent, ſed ab eccleſiae unione deficientes aperte Sectariorum cauſae faverent. Nec [α] deerant vultures famelici, qui in abſentium ſacerdotia involare geſtientes multa crimenoſe in eos cumulabant, quaſi publice in concionibus contra veram fidem perperam quaedam aſſeruiſſent; quae ſcrupulum in ſimplicibus, in aliis offenſionem peperiſſent. Verum inter eos prudentiores praecipitatae deliberationis curſum inhibuerunt, et tempori ad praeſens cedendum, nec niſi certis probationibus contra viros perſpectae doctrinae laude inſigneis temere decerni debere cenſuerunt. Eodem tempore interceptae ſunt Joſephi [k] Fullonis S. Genovefae abbatis literae ad Ludovicum [l] Seguierium eccleſiae Pariſienſis decanum; qui licet primarium locum per cardinalis Gondii urbis epiſcopi abſentiam in ea teneret, a Joanne fratre Pariſienſi [m] praetore monitus et a rege evocatus

in

VAR. LECT. [α] deerant ex illa faece vultures MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*
INTERPR. [a] *Ives evêque de Chartres.* [b] *Vaſeo.* [c] *Languedoc.* [d] *de Merida.* [e] *de Seville.* [f] *de Tuy.* [g] *de Moralez de Cordoue.* [h] *les Docteurs de Sorbonne.* [i] *Benoiſt, de Chavignac, & de Morene.* [k] *Foullon abbé de Ste Genevieve.* [l] *Seguier.* [m] *Lieutenant Civil.*
NOT. [1] Prov. xxx. 33.

in aulam venerat, ut regi in tam memorabili actione operam navaret. His literis devotum ſuum erga regem animum Fullo teſtabatur, et laetari ſe dicebat, quod rex ſerio de reconciliatione ad eccleſiam cogitaret, additis ad extremum ambiguis verbis, quibus occulti conſilii ſuſpicionem faciebat. Nuſquam illuſtriore exemplo paruit, qnam periculoſum ſit, amico reconciliato ſe credere. Has literas Joſephus cuidam e ſuo coenobio ſodali [a] Colleteto nomine, quem olim domeſtica diſciplina coërcitum, qualis in hujuſmodi ſactis collegiis exigi ſolet, in amicitiam rurſus admiſerat, tanquam ſibi fido perſerendas dederat: quas ille tempus ultionis veniſſe ratus, inſigni perfidia ad Meduanium deſert, et mox juſſu ejus ad legatum: reque inter eos communicata placuit, ut exemplum retineret; literae ipſae Colleteto ad Seguierium perſerendae darentur: ſic enim fore, ut accepto Seguierii reſponſo, quicquid erat ſecreti melius noſceretur, et Joſephus geminatis probationibus facilius proditionis convinceretur. Verum acceptis literis Seguierius, quo inſtantius lator reſponſum urgebat, eo magis ſraudem ſubodoratus reſponſum dare recuſavit. Itaque ſpe ſua deluſus Meduanius, quanquam literas amplius in poteſtate non haberet, inſtigante legato Joſephum ſevocatum, et, tradito literarum exemplo, an non eas ſcripſiſſet, interrogatum, cum conſtanter pernegaret, et literas ipſas repraeſentari peteret, Mathurino [b] Forceo principi centurioni cuſtodiendum dedit.

VII. JAMQUE dies appetebat, quo rex praeſulibus a ſe vocatis ad meliorem inſtitutionem copiam ſui ſacturus erat. Igitur XI Kal. Sextil. rex, cum jam melius Monpenſerius haberet, [c] Medonta rediit magno plauſu exceptus, non ſolum ſuorum, ſed etiam Pariſienſium, qui inſolita turba ad rei famam urbe exierant; quantumvis Meduanius graviſſimis poenis vetuiſſet, ne qui ex urbe Dionyſii-fanum commearent. Magnus et noſtrorum concurſus ſub urbis uſque portas fuit, quibus occurrebant parentes, ſratres, amici, neceſſarii, in amplexus ruentes, ac gratantes invicem quaſi ex longinqua peregrinatione reditum, multis lachrimas non tenentibus, ſive triſtium recordatione, ſive inſperato gaudio. Vix poſt longum ſilentium inter eos pauca ſingultim verba facta, et rurſus cum ab amplexu divellerentur, obortae lachrimae praeterita reputantibus et futuri anxiis. Poſtridie, qui in Veneris diem incidebat, admiſſi ſummo mane in ſecretum colloquium Reginaldus [d] Belnenſis Bituricenſis, Philippus [e] Becus Namnetenſis, Nic. [f] Thuanus Carnotenſis, Claud. [g] Angeneus Cenomanenſis epiſcopi, Jacobus [h] David Ebroicum epiſcopus deſignatus. Cum cardinalis Borbonius eodem veniſſet, rex, quem occultae machinationes ab eo initae minime latebant, cum actioni intereſſe noluit; quaſi non tanquam teſtis, ſed explorator veniſſet: hoc etiam per ludibrium addito, ſi res inter ipſos duos diſceptanda eſſet, ſore, ut ipſe, quanquam theologicis ſtudiis minime innutritus, cum illo licet cardinali commiſſus ex certamine victoriam reportaret. Ibi rex ab hora ſexta ad undecimam epiſcopos patientiſſime audivit, verba faciente Bituricenſi, viro doctiſſimo ac moderatiſſimo; et cum ſurrexiſſet, gratias habere iis ſe dixit, a quibus quae huc uſque ignoraſſet, ſe didiciſſe laetabatur, ampliuſque ſe de iis cogitaturum, Spiritu Dei invocato, ut ex piis ipſorum praeceptionibus ſalutare ſibi ac regno utile conſilium caperet.

VIII. EODEM die Meduanius, quo omnem electionis ſpem tolleret, ex procerum et ordinum conſilio induciias ſanxit, multum ſremente legato, qui per Pellevaeum cardinalem rurſus interceſſit, et quo impedimentum deliberationi afferret,

ſi

INTERPR. [a] *Colletet.* [b] *le Sr de Forcez ſergent major.* [c] *Mante.* [d] *de Beaune archevêque de Bourges.* [e] *du Bec evêque de Nantes.* [f] *de Thou evêque de Chartres.* [g] *d'Angennes evêque du Mans.* [h] *Davy du Perron evêque d'Evreux.*

CIↃ IↃXCIII. ſi ulterius pergeretur, ſe ab urbe diſceſſurum interminatus eſt: nam ita ſibi a pon-
Henricus IV. tifice praeſcriptum eſſe. Verum delegati mox ad eum honorifice ſemel atque iterum miſſi, qui rogarent, ut quod ab armis laxamentum peteretur, non ita interpretaretur quaſi cauſam tam juſtam desererent, ſed temporum neceſſitati dum novae vires colligerentur, et feſſi in agro et per oppida populi paulum reſpirarent, id condonaretur; de cetero ſic ſibi perſuaderet, ipſos in ejus ac pontificis poteſtate futuros, et ſacroſanctis ejus monitis ac imperiis ſemper obedienteis fore. Legatus pro tanta demiſſione laetari viſus, cum videret fruſtra ſe contra niti, et pertinaciori contentione nihil aliud profici, quam imprudenter imbecillitatem ſuam fateri, pro minis gratias addidit, et ut in priſtina diſſimulatione perſeveraret, ſe poſt primam denunciationem alia mandata a pontifice accepiſſe retulit, iiſque ſibi pleniorem in urbe manendi poteſtatem factam. Itaque eorum precibus obſecutum ſe cum illis manere decreviſſe, et iis ad omnia, in quibus opera ſua egerent, ut antea, praeſto eſſe. Ne quid autem intentatum relinqueret, quo regis reconciliationem impediret, eodem die diploma evulgandum curat, quo Henricum Borbonium ſe pro rege Franciae ac Navarrae gerentem, a Sixto v nominatim haereticum, relapſum, impoenitentem, caput et fautorem ac defenſorem manifeſtum haereticorum declaratum, ab alio quam a pontifice a poenis contra haereticos relapſos impoenitenteis decretis abſolvi non poſſe contendebat; ac proinde quicquid a praeſulibus ob id evocatis, utpote poteſtatem non habentibus, contra fieret, irritum ac nullius momenti futurum, et eos, qui Navarri deinceps rebus favebunt, non minus propterea cenſuris obnoxios fore. Quapropter Catholicos, qui ad hanc diem in fide et obſequio eccleſiae catholicae apoſtolicae Romanae conſtanter perſtiterint, ne ſibi in re tanti momenti illudi patiantur; eos vero, qui huc uſque partes Navarri ſecuti ſunt, per miſericordiae viſcera monere, ne errorem novo errore cumulent, et ſciſſurae pernicioſiſſimae portam aperiant. Et quanquam perſuaſum habeat, praeſules Catholicos ab illo evocatos ad urbem a Sectariis occupatam non eſſe venturos, officii ſui eſſe duxiſſe, eos monere ac enixe prohibere, ne ad illud conventiculum accedant: ſi contra faciant, ſciant ſe in cenſuras incurſuros, et ſacerdotiorum ac dignitatum ſacrarum, quas obtinent, jacturam facturos. Hoc ultimum legati telum adverſus praeſulum noſtrorum fidem et ceterorum ordinum alacritatem admodum invalidum fuit. Itaque quanquam ſeveris adeo ac ſaepius repetitis edictis, ne quis urbe exiret, prohibitum eſſet, plebs gaudio laſciviens nihil poenas conſtitutas metuens facto agmine ſub veſperam diei, Dominicam regis reconciliationi dictam praecedentis, libere [a] Dionyſii-fanum venit, non impetrato liberi commeatus diplomate: ſic enim rex juſſerat, pluresque ex Pariſienſibus quam ex regiis celebritati illi poſtridie interfuerunt.

IX. Rex mane ſub octavam amictu candido, magno principum, procerum ac nobilitatis comitatu, Helvetiis ac Scotis aliiſque ſtipatoribus egregie inſtructis cinctus, ad majoris templi valvas acceſſit, ubi eum Bituricenſis in cathedra ſtragulis candidis velata, inſignibus Franciae et Navarrae hinc inde propendentibus, ſedens, et ſacroſancta evangelia manu tenens, cum cardinali Borbonio, [b] Namnetenſi, Sagienſi, Dinienſi, Maleacenſi, Carnotenſi, Cenomanenſi, Andegavenſi, Renato [c] Dallonio Baiocaſſium, et [d] Ebroicum epiſcopis deſignatis, [e] S. Euſtochii, S. Sulpitii, S. Mederici, S. Gervaſii curionibus, exſpectabat. Cum quaeſiiſſet ab eo, quis eſſet, et quid peteret, et ille, ſe Regem eſſe, et in eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae gremium recipi petere reſponderet. Rurſuſque interpellaſſet eum, an id ex animo vellet, et ille ſe velle et optare diceret; mox in genua procumbens Rex coram

Deo

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *les evêques de Nantes, Seez, Digne, Maillerais, Chartres, le Mans, & Angers.* [c] *de Daillon evêque de Bayeux.* [d] *Evreux.* [e] *les Curés de S. Euſtache, S. Sulpice, S. Mederic, & S. Gervais.*

Deo optimo maximo proteſtatus eſt, velle ſe in religione Catholica apoſtolica CIↃ IↃ XCIII. Romana vivere ac mori, eam contra omneis tutari vel virae periculo paratum, ac HENRICUS IV. ultro cunctis haereſibus eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae contrariis renunciare. Tum poſt fidei profeſſionem charta comprehenſam et manu propria ſubſcriptam Bituricenſi porrectam, ab eo et cardinali Borbonio in pedes erigitur, et vix tandem ope ſtipatorum perrupta incurſante utrinque turba, per navem templi ad majus altare deducitur, et inter feſtas populi gratantis voces idem jusjurandum ac proteſtationem repetivit, et ab iiſdem ſurrectus ſigno crucis prius edito altare ipſum deoſculatus eſt. Inde ad papilionem poſt altare exſtructum conceſſit, ubi ſupplicem ad ſacrum colloquium admiſit Bituricenſis, eique poſt ſecretam confeſſionem abſolutionis beneficium impertivit. Dum interim a Symphoniacis beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus decantaretur, poſtea ſub uraniſcum floribus liliorum aureis diſtinctum deductus, ſacrum ſolemne, quod a Namnetenſi celebratum eſt, magno cum aſtantium applauſu audivit, perſonantibus toto templo vocibus vitam diuturnam regi comprecantium. Sparſa et in vulgus miſſilia. Sacro demum peracto, eadem pompa rex ad aedeis Sandionyſianas perrexit, ubi ſpreto omni periculo, quod a ſicariis illi in horas imminebat, cunctos admitti voluit tanto concurſu ruenteis, ut parum abfuerit, quin coenaculo ampliſſimo, in quo cibum ſumebat, completo, menſam, ad quam ſedebat, dejecerint. Poſt prandium rex ſacrae concioni, quae a Bituricenſi habita eſt, interfuit, et veſpertinas preces audivit. Portas interim Lutetiae nequicquam claudi juſſerat Meduanius, et dum rex ſacris concionibus intereſſet, Pariſienſes theologaſtri caput epiſtolae beati Pauli ad Romanos, quae de obligatione carnis loquitur, Sandionyſianis, vt aiebant, relinquentes; capta ex evangelii loco occaſione, qui a falſis prophetis cavendum monet, inſano furore in regis reconciliationem bacchati ſunt, exemplis undiquaque corraſis, ut Conſtantii, qui a Vitaliano ſcilicet ad eccleſiam admiſſus urbem poſtea diripiendam militi dedit; dein et Georgii Bohemiae regis, qui poſt profeſſionem fidei traditam jam regni potens legatos pontificis in carcerem truſit: tum praecipue in pſeudoepiſcopos invehebantur, qui offenſionis cauſam praebuiſſent, cornu contra eccleſiae auctoritatem et ipſius ſupremum caput erecto, et lacerata per teterrimam ſciſſuram inconſutili Dei veſte, profanato miniſterio, diviſo populo et ad Bethelem ad adorandum deducto, eccleſiaque Gallicana primogenita a matris uberibus, quae eſt eccleſia univerſalis, ſumma impietate divulſa: praecipere apoſtolum, ut omnia ordine in eccleſia fiant: haereticos in coena Domini quotannis a pontifice diris devoveri, et extra eccleſiae communionem poni; proinde ab ipſo neque alio poſſe reſtitui; praeſertim cum de magno principe agatur. Nam graveis cauſas ad ſedem apoſtolicam referendas. Ipſos, qui a cenſuris eum ſolverint, cenſurae laqueis irretiri, et omni poteſtate legitima deſtitutos eſſe; ut perinde ſint, atque caeci, qui caecos ducunt. Conventus eorum conjurationes, orationes contra Numen dejerationes eſſe, benedictiones anathemata, abſolutiones cenſurarum geminationes; ſacrificia panem luctus, quae qui manducant, contaminari neceſſe ſit. Eapropter Petrum apoſtolorum principem veridica voce pronunciaſſe, ſi quis eum his fuerit, qui Clementi reconciliati non ſunt, et locutus fuerit his, quibus ipſe non loquitur, unum eſſe ex ipſis, qui exterminare Dei eccleſiam volunt, et eum corpore nobiſcum eſſe videantur, mente et animo contra nos ſint. Fruſtra ad cautelam id factum dici, quod in foro occulto et interiori locum habere poſſit. Verum heic non cautelam ſed ſinceritatem, ſimplicitatem non aſtus ac fraudes, pias de ſalute conſiderationes non imperii arcana et alia hujuſmodi conſilia, quae vitae hujus tranſvolantis commoda tantum reſpiciunt, adhiberi oportuiſſe; per viam regiam ad eccleſiam adeundum

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, hoc eſt, per formulam a ſacris conciliis ac decretis perſcriptam; non per feneſtras, ſed per portam intrandum, cum venia ejus qui claveis coelorum gerit. Igitur populos hortari ne commoverentur, ſed in fide conſtantiam ſervarent, et judicium ejus exſpectarent, qui poteſtate a Deo in animas ac conſcientias commiſſa a S. Spiritu illuſtratus tanquam lucidum ſidus per opaca tenebrarum a recta via erranteis directurus, et de re omni ſapientiſſime decreturus eſſet.

X. INTER eos vero unus repertus eſt Joannes [a] Bucherus S. Benedicti curio, qui maledicendi rabie efferatus cum in defunctum regem contumelioſus fuiſſet, in hunc injurioſus eſſe voluit, et IX longas conciones ad Mederici-fanum habuit de ſimulata Henrici Borbonii [b] Benearni principis ad eccleſiam reconciliatione, et irrita abſolutione, quas anno proximo Kalendis Martiis cardinali Placentino inſcriptas ac typis in urbe excuſas, poſtea cum ab ea exularet, [c] Duaci in Attebatibus recudendas curavit, furore nondum per ſecutam rerum converſionem aut locorum ac temporis intercapedinem domito. Poſtea et Joannes [d] Guarinus profeſſione Franciſcanus, natione Allobrox, eo impudentiae provectus eſt, ut poſt virulentam declamationem eadem de re habitam ad preces Deo faciendas aſtanteis hortatus fuerit, ne pontifex, qui Spiritu Dei regitur, et in fide errare non poteſt, Navarri precibus ſe facilem praeberet, eique abſolutionis beneficium elargiretur. Portae toto eo tempore clauſae, fremente paſſim plebe, quae mobili ad odium amoremque ingenio, quo ſeverius coercebatur, tanto propenſiore in regem favore inclinabat, ad ejus nomen gaudio exiliens, ut quem nuper deteſtata fuerat, in pectore, in ore, et oculis geſtare videretur. Tandem Kalendis Sextilibus pactae per trimeſtre generales induciae in urbe publicatae ſunt, a quibus Sabaudiae dux exceptus eſt; qui tamen ſi vellet, illis comprehendi poſſet. Sexto poſt die, factioſorum coitione, annitente legato, conventus tumultuario cogitur, ipſo transfigurationis die feſto, poſt veſperas, in quo in puram Tridentini concilii, antea ſemper, dum res in regno pacatae erant, rejecti, et nuper certis conditionibus approbati, promulgationem conſenſum eſt, dilata publicatione in frequentiorem conventum, qui biduo poſt habitus eſt. Et ante omnia Meduanius, ut legato induciarum pactione irritato vel in ſpeciem gratificaretur, ac ſimul ſuam potentiam firmaret, Unionis jusjurandum repetendum cenſuit: ipſe aliis poſt meditatam orationem praeivit, et ordinum conventum in Octobrem proximum rejecit, quo rurſus delegati reverti tenerentur, et de iis, de quibus decerni non potuerat, commodius ageretur; facta interim iis, qui vellent, domum abeundi poteſtate. Poſtea admiſſo legato, qui ex compacto venerat, diploma de recipiendo Tridentino concilio ordinum auctoritate ſine ulla conditione publice recitatur, factoque a cunctis ſilentio legatus verba fecit; regnumque Franciae navi, adverſa diu tempeſtate jactatae, comparans, prudentis eſſe gubernatoris dixit, mari irato obliquare ſinus, vela deducere, anchoram jacere, quouſque ponentibus fluctibus priſtina ſerenitas redierit; tunc rurſus velis ad antennas ſuſpenſis curſum inſtitutum perſequi. Ita feciſſe illuſtrem illum conventum a S. Spiritu gratia ſua illuſtratum, et Sectariae violentiae ventis ſaevientibus ac factiones paſſim excitantibus, quo naufragii periculum vitarent, ad tempus cedendum prudenter cenſuiſſe, ut navem illam magnam, quae alveo ſuo religionem ſimul et imperium complectitur, ad ſalutarem portum ſubducerent; jactis interim duabus anchoris ad eam fundandam, hoc eſt, recepto S. concilio Tridentino, et Unionis ſacramento repetito. Eo facto laudem immortalem poſteritati depraedicandam meruiſſe illum coetum. Se vero tam pontificis quam ſuo nomine gratias eis ob id agere, et induſtriam ſuam ad navem dirigendam communi cum Meduanio

opera,

INTERPR. [a] *Boucher curé de S. Benoiſt.* [b] *Bearn.* [c] *Douay en Artois.* [d] *Guarinus cordelier Savoyard.*

opera, qni-clavum ejus hactenus feliciſſime tenuiſſet, ultro deferre. Ex ſpecula ſe, aut in pergula ſedentem, et fluctus ingruenteis ex alto proſpicientem commune cum aliis periculum partiti conſtituiſſe, quouſque ſuperata tempeſtate ſalutares ignes appareant, ad quorum ſplendorem ipſi vireis et animos reſumant, et portum, quo cuncti vere Catholici tendunt, aſpirante divina aura teneaht: ſi non omnia ex voto confertim cadant, tamen ferendum aequo animo, et interim pro beneficiis a Deo collatis gratias ei agendas, et pro dilatis in commodius tempus aſſidue orandum eſſe. Proinde hortari ipſos, ut ſecum in templum proximum ad preces pro ſalute publica concipiendas concederent. Heic cardinalis Pellevaeus ſenili vitio loquax et partes ſuas interpoſuit, et ineptire quam laudi de concilii publicatione non participare vel inſulſa oratione maluit. Inde ad Fanum-[a] Germani Antiſſiodorenſis itum, et magna frequentia decantatus beatorum [b] Ambroſii et Auguſtini hymnus. Protinus abbatis S. Genovefae cauſa repetitur. Primum per delegatos a Meduanio judices interrogatur, legato inſtante; poſtea ad legatum ipſo flagitante nec aegre aſſentiente Meduanio remittitur. Is judices Gilbertnm Genebrardum archiepiſcopum [c] Aquenſem, [d] Silvanectenſem, et Venetenſem epiſcopos, qui de cauſa cognoſcerent, delegavit. Verum Aquenſis, quod literis ad Philippum, regnum Franciae ei deferens, ſubſcripſiſſet, a judicio rejectus fuit, et Joannes [e] Vivarius ſenator et academiae Pariſienſis cancellarius ei ſubſtitutus eſt. Juſſus ab his reſpondere abbas, ante omnia a quo delegati eſſent, petiit; tum mandatum exhiberi, et delatoris atque inſtigatoris nomina edi poſtulavit. Cum judices teeuſarent, abbas tanquam ab abuſu appellavit, et libelli appellatorii exemplum Venetenſi et Silvanectenſi per apparitorem tradendum curavit, die per eum dicta, qua illi ſuo nomine ad appellationem in ſenatu reſponderent. Libello, cum ſigillo regio firmaretur, clauſula appoſita fuerat, ut ſine ſtrepitu juxta concilium Tridentinum cauſa agitaretur. Sed epiſcoporum patronus cauſam comperendinari petiit, neſcio quae Impedimenta cauſatus, re vera ut cum legato prius ageret: nam auctoritatem ejus in ea cauſa verſari. At legatus occaſione inde ſumpta hoc unum ſatagebat, ut appellationes ab abuſu, quod eſt contra curiae Romanae licentiam ac intemperiem ſalutare a majoribus noſtris inſtitutum remedium, omnino abolerentur; quod ſi obtinebat, non minorem quam de rege creato gloriam ſe Romae conſecuturum ſperabat. Itaque apud Meduanium inſtabat, ut ſenatui cognitio cauſae interdiceretur. Is vero animi anxius, cum inde ex alieno gratificari legato cuperet, inde moneretur appellationum hujuſmodi exoleſcente uſu regiam poteſtatem labefactari, ſuamque, quae vice regiae erat, omnino collabi, tamen cum tempori ſerviendum putaret, ſic rem temperavit, ut minis territo abbate eum a perſequendo contra epiſcopos appellationis judicio revocaret: epiſcopos vero, ne de ejus cauſa interim cognoſcerent, impediret. Cauſa ita ſufflaminata, cum ſemper in cuſtodia eſſet abbas, valetudinis adverſae obtentu, quam et medicorum atteſtatione probabat, poſtremo obtinuit, ut libertati priſtinae reſtitueretur, cautione, cum opus eſſet, in jure ſiſtendi ſe data. Tandemque libertatis beneficio uſus ex urbe ad regem profugit, periculo, quod illi ab Henoticis vulturiis imminebat, devitato, et Meduanio a moleſtia, quae illi propterea a legato fiebat, liberato.

XI. Rex, poſt reconciliationem, ad tegni curias, ac praecipue [f] Caeſarodunnm Turonum et Catalaunum, ac provinciarum praeſides, et arcium praefectos, literas dederat, quibus eos rei certiores faciebat. Mox et de honorifica ad pontificem legatione mittenda conſultatum eſt, eique praepoſitus Ludovicus Gonzaga [g] Nivernius, principali

INTERPR. [a] *S. Germain de l'Auxerrois.* [b] *le Te Deum.* [c] *d'Aix.* [d] *de Senlis, & de Vannes.* [e] *du Vivier.* [f] *Tours, & Chaalons.* [g] *le Duc de Nevers.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV. principali familia in Italia natus, et adfinitatibus ac clientelis in ea potens, et ingenii dotibus egregie inſtructus ad tantum munus obeundum; multum fremente Franciſco [a] Lucemburgo, qui aderat, et quod belli initio a principibus ac proceribus Romam legatus fuerat, et de regis ad eccleſiam reconciliatione ſpem excitarat, eam legationem ſibi deberi contendente. Attributi Nivernio Claudius [b] Angeneus Cenomanenſis epiſcopus, vir doctrina et pietate inter omneis Galliae epiſcopos praeſtans; Ludovicus [c] Seguierius eccleſiae Pariſienſis decanus; juſſi et cum eo ire Jacobus [d] David Ebroicum epiſcopus deſignatus, et Claudius [e] Goinius eccleſiae Bellovacenſis decanus, probitate et juris pontificii ſcientia clarus; verum hic ob aetatem ingraveſcentem, ille alia cauſatus ſe excuſavit. Viciſſim Romam a Meduanio cum ampliſſimis mandatis miſſi Franciſcus [f] Jouſa cardinalis et Claudius [g] Belloſremontius Seneſcaeus; miſſus et eodem tempore Henricus [h] Pratenſis Monpeſatus Meduanii uxoris filius in Hiſpaniam cum N. [i] Peliſſerio. Et Meduanius jam ante literas ad [k] Rondinellum Ferrarienſis res in illa aula procurantem dederat, quibus excuſare conabatur impeditam a ſe Guiſii electionem, culpa in Hiſpanorum minime in hoc negotio ſincere verſantium importunas molitiones, diſſimulationes, tarditatem, et cunctis ſuſpectam ambitionem rejecta, et increpita ipſius Rondinelli credulitate, qui tam facile calumnioſis de ſe ſparſis ſermonibus fidem habuiſſet, neque eos refelliſſet; praeſertim cum ingenii ſui perſpectum candorem haberet, et nihil in hoc bello niſi Philippi benevolentiam et obſequium, ſalva religione et ſua, regnique ſibi commiſſi dignitate, ſe quaeſiviſſe sciret. Nivernius, petito a rege commeatu, ut ſe ad profectionem pararet, [l] Noviodunum Heduorum, quod hodie Nivernium eſt, unde principi familiae nomen, perrexit, condicta Cenomanenſi et Seguierio die, qua ad [m] Lingonum civitatem omnes convenirent. Praemiſſus Iſaias [n] Brochardus Cliella cum literis xv Kal. Sept. datis, quibus rex pontificem de reconciliatione ſua ad eccleſiam, Dei inſpiratione, et ex conſilio epiſcoporum et theologorum ſincere ac ſine fuco facta, certiorem faciebat, ac brevi ampliorem legationem miſſurum ſe ſignificabat. Ubi Cliella Romam venit, varii ſtatim rumores per urbem ſparſi: multi mirabantur, quidam etiam in occulto laetabantur, et ut in nova re ac inexſpectata de exitu anxii probabant; improbabantque Hiſpani, qui tot annorum conſilia ſua per eam reconciliationem irrita cadere moerebant, nihil non agebant metu pontifici injecto, hinc ſpe regis brevi arbitrio ipſius creandi facta, ut eum ad omneis conditiones, quae a rege proponerentur, rejiciendas obſtinarent.

XII. Ex iiſque unus [o] Conſalvus Pontius Legionenſis pontificis cubicularius, vir non indoctus et ſcriptis aliquot editis non omnino ignarus, commentarium, Scholaſticae aſſertionis pro diſciplina eccleſiaſtica titulo, Romae promulgavit, quo relapſum auctoritate apoſtolica ad regnum diſpenſari non poſſe probare conabatur. Typis hic liber editus eſt hoc anno, ad quem Arnoldus [p] Oſſatus vir optimus a nobis ſaepius honorifice nominatus, et tandem dignos integritate ſua honores adeptus, contrario ſcripto reſpondit, quod, ſine nomine manu privata ſcriptum nec typis editum, per manus hominum volitabat, haud occulto illinc favore et hinc odio. His autem rationibus nitebatur: Relapſum poenitentem ſine ulla gratia poſſe et debere in conſcientiae foro abſolvi a pontifice, quantumcunque et quotieſcunque peccaverit. Si quis enim ad ſummum pervenerit malorum, tamen cum velit ad virtutis viam reverti, Deum ſuſcipere eum et libenter amplecti: et Deum medicum ſe vocare; quomodo autem corpus, quod vilius eſt, et ipſi diſſimilius ſaepe ſanaret, animam vero digniorem et redemptam non

INTERPR. [a] *de Luxembourg duc de Piney.* [b] *d'Angennes evêque du Mans.* [c] *de Seguier.* [d] *Davy du Perron evêque d'Evreux.* [e] *Gouin Doyen de Beauvais.* [f] *de Joyeuſe.* [g] *de Beauffremont de Seneſſay.* [h] *des Prez Sr de Montpezat.* [i] *Peliſſier.* [k] *Rondinelli.* [l] *Nevers.* [m] *Langres.* [n] *Brochard Sr de la Clielle.* [o] *Gonçalez Ponce de Leon.* [p] *D'Oſſat.*

non toties liberaret? idque de qualicunque peccatore intelligi, etiam haeretico, apoſtata, et quavis alia labe foedato. Nam Deum crimen nullum excipere, qui peccata condonavit omnia, et quamdiu peccator fuerit, etiamſi per quadraginta annos et ad ultimum vitae ſpiritum perſeveraverit; impium quippe eſſe de bonitate Dei deſperare, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, et redimere hominem periclitantem ſub onere peccatorum, quo ſe expedire deſiderat: nec obſtare Lucii III conſtitutionem de iis, qui poſt Sectarii erroris abjurationem, vel poſtquam ſe proprii antiſtitis excommunicatione purgaverint, deprehenſi fuerint in abjuratum errorem recidiſſe, latam. Nam eam non intelligendam de conſcientiae foro, nec de iis, quae ad animae ſalutem pertinent; ſed de vita, bonis, honoribus ac dignitatibus, ſicuti eam interpretatur Thomas Aquinas, et Alexander IIII lib. VI Decretal. quae omnia pontificis gratia ac diſpenſatione indigent. Ceterum circa hanc quaeſtionem duo quaeri, prius utrum pontifex poſſit, alterum utrum debeat, relapſo poenitenti eorum gratiam facere: quod poſſit, indubitati juris eſſe; nam Lucii conſtitutiones et ſimileis juris conſtituti vim tantum obtinere: pontificem autem de jure ſecundum poteſtatis plenitudinem ſupra jus diſpenſare poſſe; et errare ſummopere qui aliter docent, et contra traditas eccleſiae a Chriſto claveis diſputare. Sed in facto potius quam in jure verſari, an pontifex cum relapſo diſpenſare debeat: Nam generaliter verum eſſe, in hujuſmodi rebus juris ſeveritatem ſervandam, nec ſine maxima cauſa laxandam. Ad propoſitum, videndum an Clemens VIII cum Henrico Borbonio quamvis relapſo ad Franciae regnum diſpenſare debeat: certiſſimum eſſe in eo, nihil ſine ingenti rei Chriſtianae bono vel malo ſtatui poſſe; et optandum quidem eſſe, ne rex vel minima hujus labis ſuſpicione aſperſus ad tantum regnum admittatur, ſi quidem id ſine certa religionis Catholicae et regni Chriſtianiſſimi pernicie poteſt fieri. Sed conſideratis rebus omnibus ac ſubductis rationibus, e re Chriſtiana videri, ut pontifex, juris rigore temperato, in hac cauſa ſe miſericordem praebeat. Praecipuam ac validiſſimam, et ad quam ceterae referuntur, diſpenſandi cauſam merito cenſeri, maximam eccleſiae utilitatem ac neceſſitatem. Inter utilitates ex ea ad eccleſiam redundaturas numerari poſſe, pacificationem ac regni Chriſtianiſſimi conſervationem, Catholicorum a ſe invicem et a ſummo pontifice diſſidentium reconcilationem, atque eorundem a Sectariis alienationem ac ſeparationem; religionis Catholicae apoſtolicae Romanae per hanc ſciſſuram periclitantis inſtaurationem, diſciplinae ſacrae in omnem deformitatem prolapſae emendationem; bonorum eccleſiaſticorum a profanis hominibus magna ex parte occupatorum recuperationem; plurimarum eccleſiarum ac monaſteriorum a multis annis vacantium ac ruinam minantium reſtitutionem ac refectionem; cultus divini in pagis et aliis locis, in quibus per violentiam armorum extinctus eſt, reſtitutionem; a ſceleribus innumeris et per impunitatem ubique magna cum divini Numinis contumelia, et charitatis Chriſtianae detrimento graſſantibus, ceſſationem. Nec inter utilitates ultimum recenſendum, quod conſervato Franciae regno, quod laboranti eccleſiae ſemper tutiſſimum perfugium fuit, nunc autem ſibi et aliis inutile ac paene noxium eſt, patebit ad illud ſanctae ſedi et reliquis principatibus, cum auxilio adverſus potentiorum oppreſſionem egebunt, temporibus turbatis acceſſus: opes autem et vireis, quae tamdiu in illo regno ſine ullo fructu, imo cum religionis pernicie conſumuntur, ad Chriſtianae rei uſus melius ſervari poſſe; veluti ad Turcorum repellendos impetus, qui nunc in Chriſtianum orbem ſeditionibus debilitatum ex occaſione irruunt; et pontificem hac acerrima cura et inſanis ſumptibus et factionum prenſationibus importunis liberatum, animo ſoluto ac largiore manu in alias neceſſitates incubiturum; idemque facturos ceteros Chriſtianos principes qui belli hujus impenſis gravantur.

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

Neceſſitatem cum ob eaſdem cauſas ſubeſſe, tum maxime quod fruſtra tentatis aliis remediis, nulla alia regni pacificandi, et religionis in eo conſtituendae ratio ſupereſt. Nam ſi Henricus, qui Franciae plus quam beſſem, nobilitatis, quae plus quam dodrantem tenet, cum haereticus eſſet, et hoſteis haberet potentiores et alacriores, debellari non potuit; qui hodie, cum Catholicae religioni nomen dedit, vinci poterit, hoſtibus debilioribus ac lentioribus redditis? In percuſſoribus autem ac veneficis, qui a diverſis ſubornati, hujus principis vitae inhiant, ſpem reponere, praeterquam, quod ſcelus eſt Deo et ſanae mentis hominibus, ac eccleſiae inſtituto, ethnicisque ipſis ſemper abominandum, rem eſſe valde difficilem, nimis longam, et ut plurimum fallacem, atque etiam patrato facinore pernicioſam, non ſolum malefico et auctoribus ac complicibus periculoſam; viliſſimo ac nequiſſimo cuique in regem, imperatorem, papam dato vitae neciſque arbitrio. Alium vero regem creare, praeterquam quod jam id fruſtra conati ſunt, quibus ea res cordi erat; nihil eſſe aliud, quam bello inextricabili et rabie inſanabili Franciam miſcere, et in ea cum regno religionem prorſus evertere. Ob eas utilitates, et tam urgentem neceſſitatem, juris ſeveritatem ad majora bona conſequenda et majora mala vitanda e re videri temperandam eſſe. Nam diſpenſationes, juxta Cyrilli dictum, nonnunquam cogere parumper a debito exorbitare, ut majus aliquod lucrum faciant. Cum igitur manifeſtum ſit pontificem in hac cauſa ſimul juris ſeveritatem retinere, et religionem Catholicam regnumque Chriſtianiſſimum conſervare non poſſe, laxandum eſſe aliquid de juris rigore potius, quam committere, ut regnum et cum eo religio pereat. Nec inficias iri, ſi res per ſe, non habita temporum ratione, in genere ſpectetur, quin periculoſum ſit, relapſum quamvis in viam reverſum regno praeeſſe; qua in quaeſtione diſcutienda ac probanda, multi multis libris editis operam perdiderunt. Sed longe periculoſius ac pejus eſſe, per bellorum civilium continuationem regnum et in eo religionem Catholicam ſubverti. Praeterea inter juſtas diſpenſandi et de ſeveritate remittendi cauſas, multitudinem delinquentium numerari. In tumultibus Gallicis magnam atque adeo innumerabilem utrinque peccantium eſſe multitudinem, et in utra factione gravius peccetur, a rerum Gallicarum gnaris et aequis aeſtimatoribus haud facile diſcerni poſſe. Interea quicquid hi vel illi delirant, potiſſimum religionem Catholicam plecti, diſciplinamque ac bona eccleſiaſtica diſperdi; neque tantum in Francia, ſed etiam apud exteras nationes tumultuum Gallicorum occaſione graviſſime delinqui; neque rurſus ſolum in Anglia, Germania, et apud Helvetios; ſed etiam in Hiſpania, Italia et in ipſa alma urbe, ubi aures ſummi pontificis quotidie aeſtu factionum pulſantur. Etiam perſonam ejus, cum quo diſpenſatur, ſpectandam jure canonico praecipi: Henrici autem vita in erroribus huc uſque acta licet potius gratia egeat, quam eam promerita ſit; tamen quia non ſolum merita, ſed potentia et ſublimitas perſonarum in hujuſmodi cauſis ſpectatur, videndum eſſe, num majus in ſeveritate quam in diſpenſatione ſubſit periculum et offenſio. Nam Henricum quicquid antea ſenſerit, dixerit, feceritque, principem eſſe ex regia ſtirpe omnium nobiliſſima prognatum, regi defuncto proximum agnatum: ſi ipſe ſpectetur, fortem ac potentem, qui cum a foederatis cogi non poſſet, ipſe ſponte ſua reſipuit; et nunc licet ob praeterita puniri aut regno exui non poſſit, ſe tamen ac ſua pontifici ac ſanctae ſedi ultro offert ac ſummittit; et quo gravius ac diutius antea erravit, eo deinceps ferventius ſe Catholicam fidem tutaturum ac amplificaturum pollicetur, et cavere ſe paratum oſtendit. Itaque etiam atque etiam videndum eſſe, ne praeteritorum aut perſonae odio, ſi tale ac tantum munus, quod offertur, deſpiciatur, regnum et in eo religio amittatur, ſancta ſedes brachio ſuo dextro mutiletur, praecipuoque firmamento et ornamento privetur, ac toti denique rei Chriſtianae

clades

clades funeſtiſſima importetur. His addi poſſe, tot ſupplicum pro illo tam in regno CIↃ IↃ XCIII. quam extra regnum deprecantium conjuncta ſtudia ac deſideria. Nam potentiorem HENRICUS IV. ac nobiliorem regni partem Catholicae religioni addictam, et ſub Carolo IX, et Henrico III, cum de religione, non de imperio ageretur, adverſus Sectarios et contra ipſum Henricum, non ſpe regni, ſed pro religionis cauſa, fortiter pieque proeliatam, nunc pro eodem Henrico reconciliato pontifici aperte ſupplicare. Adverſae vero partis fere cunctos, ſi pauci excipiantur, quos vel ambitio vel ſcelerum conſcientia vel inſania caeca rranſverſos agit, rem totam in pontificis arbitrium conferre, et ab eo ſe pacem adeo expetitam exſpectare, hoc eſt, tacite pro gratia Henrico impertienda et ipſi ſupplicare: neque tantum populos Galliae, ſed exteros etiam principes omneis, uno tantum excepto, Franciam pacatam optare, ac cupere ut Henricus a pontifice in gratiam recipiatur; quippe qui ejus periculum ad ſe pertinere exiſtiment: quorum omnium diſcrimina, preces et vota aſpernari, neque pium, neque utile, neque tutum eſſet. Cur igitur Dei vicarium principi poenitenti tot populorum ac principum cauſa gratiam non impertiturum, cum Deus ipſe decem juſtorum in gratiam tot impiorum et in malitia obſirmatorum peccata condonare juſtum exiſtimaverit? Et ut hoc ceſſaret, at regni perturbationis habita ratione juris rigorem laxari debuiſſe: bellum hoc, quo Francia adfligitur, pro religione ac regni ſalute ſuſceptum dici ac vulgo jactari; ceterum dignam rem eſſe, quo in ſtatu religio atque regnum ipſum nunc ſit, conſiderare. Nam turpe eſſe iis, qui hanc cauſam dijudicaturi ſunt, in tanta re labi ac decipi. Quid igitur tot annorum funeſtiſſimo bello profectum, niſi ut truculenta inter Catholicos ſciſſura et internecio per illud ſecuta ſit; Sectariis autem quies et ſecuritas parta? Ejuſdem religionis praetextu vi et armis oppugnatum jam ab anno CIↃ IↃ XXCV Henricum III vere Catholicum regem, ac tandem per inſidias crudeliter necatum, et haeretico ad regnum, illo interfecto, aditum patefactum; hoc colore ſacrilegia, dejerationes, templorum ac monaſteriorum direptiones, incendia, raptus, inceſtus, parricidia et hujuſmodi ſcelera paſſim impune perpetrata; diſciplinam eccleſiaſticam corruptam et abolitam; bona ſacra profanis hominibus ac mulieribus etiam donata, ac per documentorum interverſionem pleriſque locis uſurpata: Divinum denique cultum ac Numen ipſum e pectoribus excuſſum. Atqui tunc jactatum a conjuratis, ad ſupplendam Henrici III negligentiam ac conniventiam, inſtaurandoque imperio et aureo ſcilicet reducendo ſaeculo, arma tunc fuiſſe ſumpta; quibus tamen regia majeſtas non ſolum laeſa et imminuta, ſed prorſus proſtrata eſt, horribili omnium rerum confuſione in regnum univerſum invecta: nam magiſtratus legitimos abrogatos, et ab iis, a quibus juſtas poenas expetiverant, immaniter jugulatos; potentiam legitimam ab illis ad audaciſſimos ac perditiſſimos tranſlatam; civium innocentium capita, fortunas, uxores, liberos, facinoroſorum libidini, furori, ac violentiae expoſita; ſtudia bonarum artium, mercaturam, commercium, opificia prorſus extincta; juſtitiam, civilem ordinem, leges, jura, judicia, diſciplinam tam civilem quam militarem, bonos mores, humanitatem, omneque diſcrimen honeſti turpiſque ſublata: et haec agminatim et uno ictu. Poſtea cum rabies paulum deferbuiſſet, tum pro vario gentium atque locorum ingenio ac natura conſtitutas novas dominandi inter populos aut pauculos rationes; in pluribus locis teterrimos tyrannos exortos, provincias regni, arces, caſtella praeſidum ac praefectorum fidei commiſſa, ac veluti in depoſitum credita uſurpari, ac tanquam propria poſſideri coepta; et per uſurpatores filiis et haeredibus deſtinata; ac per eas arces quaſi compedes provinciarum ac civitatum libertati injectas, et pro ſperata illa aurea felicitate ferreum ſaeculum ubique natum, vaſtitate, fame, exilio, damnatis agris; adeo ut qui tantopere de Henrico III rege querebantur, plus malorum uno

CIↃ IↃXCIII.
HENRICUS IV.

die ab iſtis inſtauratoribus perpeſſi fuerint, quam tota vita ſub regibus fando vel audiendo acceperint. Itaque bella, bellorumque auctores aperte deteſtatos. Qui vero inter eos aequiores ac moderatiores habentur, quanto pacis deſiderio tenerentur, ſatis nuper declaraſſe, cum illuſtriſſimo legato induciarum pactioni intercedenti contumelioſis adeo verbis reſtiterint, deque ipſius ac pontificis officio jure ac poteſtate diſputare coeperint. Nunc autem deguſtato per paucorum menſium inducias tamdiu expetitae quietis otio, quomodo adduci poſſe, ut aliorum ad libidinem arma contra ſeipſos expediant? Quin et ducibus ipſis, quanquam perpetuo dominandi libidine accenſis, tamen conſumptis retinendorum populorum et principum externorum artibus, cum facultate ſpem quoque defuturam, et Henrico reconciliato etiam magna ex parte praetextum. Et conſtare, nunquam bene jam ab initio inter ipſos conveniſſe, et non ſolum mutuo concurſu, ſed etiam conſilio ſibi invicem obſtitiſſe; ob idque populis inviſos, principibus exteris ſuſpectos, inter ſe infeſtos, ſpe, quae primo blandiebatur, deluſos ac futuri anxios, quando quod cupiebant, aſſequi ſe non poſſe vident, id quod poſſunt, velle coepturos, et conditionibus pacis, quae opimae offeruntur, tandem auſcultaturos; tantum pudore ac reverentia eorum, a quibus adjuti ſunt, prohiberi; ſed voluntatem non deeſſe, et opportunitate ac facultate data proculdubio futurum, ut niſi mature ſua ſanctitas auctoritatem ſuam interponat, depoſito tandem illo pudore ac reverentia, etiam ſine diſpenſatione pax ſequatur. Proinde nullius magis quam ſuae ſanctitatis intereſſe diſpenſationem concedi, ut ſcilicet vitata ſciſſura ei ſalva maneat in regno ſua auctoritas, reverentia, obedientia, majeſtas; et Henricus certis pro religionis ſecuritate atque conſervatione conditionibus ac cautionibus coerceatur, et in officio contineatur, minuſque ei per gratiam factam liceat, quam ſi abſque diſpenſatione rerum potiatur. Alioqui ſi exercitus novus ab Heſperia et Belgio, ſicuti jam ſcribi dicitur, in Franciam immittatur, et exeuntibus induciis bellum recrudeſcat, multa nova mala exoritura, quorum minima pars ad Henricum pertinebit; principem in armis educatum, qui proelia, pugnas, omnia militaria munia pro ludo habet, ac pro laeta laudis ac gloriae ſegete pericula reputat. Exercitum vero illum quanto numeroſior fuerit, tanto plus ad ſciſſuram atque ad Catholicorum perniciem, et ad Sectariorum ſecuritatem et amplificationem additurum; data nova materia Gallis aliiſque execrandi eos, qui religionis ſpecie ipſam religionem in diſcrimen vocant, et paternam charitatem ſummi pontificis ſugillandi; qui cum poſſet, non fuerit dignatus uno verbo regnum Chriſtianiſſimum pacare, et tot ac tantis malis, quae religioni et regno a ſancta ſede ruinam minantur, prudentia ſua praevertere. Poſtremo videndum eſſe, quam in arctum ſuae ſanctitatis auctoritas et opes hodie redactae ſint, Aſia atque Africa atque majore Europae parte ſive a Turcis ac Mahumetanis, ſive a Sectariis occupata ac ſubſtracta; adeo ut in Italia et Hiſpania ſola pontifici ſua obedientia integre conſtare videatur, tamque, utinam ſincera intus, quanta in ſuperficie apparet, et principes eam vere et ex animo ad ſanctae ſedis reverentiam potius, quam ad ſuam ipſorum magnitudinem et privatum emolumentum referant. Quae cum ita ſint, non eſſe, cur nobis tam delicatis et faſtidioſis eſſe liceat, ut poenitentem tam late regnantem, et tantum regnum, tot principes, proceres, nobiles ac populos ſupplices negligamus. Et ut ab illa longinqua peregrinatione ad propiora animum reflectamus, aut adeo ad curiam Romanam, non indignum pontificis prudentia eſſe, videre, an temporum conditio tantam ſeveritatem ferat adverſus eos, qui longe abſunt: ſi enim oculos intenderit, facile animadverſurum eum, ab illa minime exulare luxum, vanitatem, faſtum, ambitionem, invidiam, odia, ſimulationes, fraudes, ceteraque vitia, quae in aliorum principum aulis ſtabulantur; nec dignam principibus eccleſiae ſanctitatem, caſtitatem, doctrinam, modeſtiam,

modeſtiam, charitatem, rerum terrenarum contemptum, in iis excellere. In agendis rebus etiam cum pontifice ipſo, non eum candorem, integritatem, ſimplicitatem, ac bonam fidem, quae apoſtolorum ſucceſſoribus convenit, reperiri: non tantam opum vim, quanta ex eccleſiarum ac monaſteriorum vectigalibus corraditur, in earundem uſus ac pauperum alimoniam, magis quam ad locupletandos agnatos diſpenſari. Cum igitur tam multa extra normam offenderit, quae partim diſpenſatione, partim conniventia et multa patientia indigeant, quaeque corrigi ſine ſumma et intolerabili violentia non poſſint, ejus prudentiae eſſe cogitare, an canonum ſeveritas, quae ne in urbe quidem, et in ipſius oculis obſervatur, erga eos, qui procul ſunt, pro ſummo religionis ac totius rei Chriſtianae bono temperari atque relaxari debeat. Dum haec Romae agitarentur, rex cum toto aulico comitatu XII Kal. Sept. [a] Fano-Dionyſii proficiſcitur, et facto per [b] Gornaeam munitionem, Creſciacum, Briam comitis Roberti itinere, quarto poſt die venationibus ſubinde ſe oblectans [c] Melodunum venit, de [d] Fontis-Bellaquei arce palatina per haec bella foedis minis deformata ac fere ad maccrias redacta vel inter arma inſtauranda ſerio cogitans. Toto eo tempore de controverſiis ob inducias pactas exortis, inter Schombergium, Thuanum, [e] Revolium, et Villaregium, Belinium, P. Janinum, ſaepius et ex occaſione induciarum de pace actum eſt; primum ad [f] Pontem Eſiae; dein [g] Andreſii, et poſt regis a Dionyſii-fano diſceſſum [h] Milliaci et Floriaci, quae eſt Henrici [i] Clauſſae magni Franciae ſaltuarii arx in [k] Gaſtinenſi agro. Quibus colloquiis interdum rex intervenit ſummum pacis deſiderium prae ſe ferens, tanta verborum ad commiſerationem compoſitorum efficacia, ut ipſis adverſae partis delegatis plerumque lachrimas eliceret.

XIII. Sub id captus Meloduni percuſſor Petrus [l] Barrerius ex genere ferocium hominum qui naviculariam [m] Aureliani exercent, olim a Guiſio ad Margaritam Navarri uxorem, dum a Marco [n] Bellofortio Canilliaci marchione regis fratris juſſu captiva teneretur, liberandam furtim ſummiſſus. Is liberata hera cum puellae cujuſdam, quae ei intima erat, amore ſuccenſus, ejuſdem in matrimonio habendae ſpe excidiſſet, deſperati conſilium cepit, et vitam abrumpere cupiens, interficiendi regis provinciam, quae paſſim tanquam ſanctum ac plurimi apud Deum meriti opus ſtudioſe in occulto venditabatur, veſano ſpiritu incitatus ſuſcepit. Ea mente ex [o] Avernis et Velaunis [p] Lugdunum venit, et re cum archiepiſcopi vicario, is Carmelita erat, cum Franciſcano ex ordine Capucinorum, et uno atque altero paris amentiae ſacerdotibus; poſtremo etiam cum [q] Dominicano quodam Florentino, a Ferdinando magno Etruriae duce in Galliam, ut putatur, clam introducto, quo foederatorum per eum arcana ſcrutaretur, agere voluit. Is vero ſe mature cogitaturum reſpondit, et eum cum ut mane ad ſe reverteretur, monuiſſet, interim cuidam e nobilibus Aloiſiae defuncti regis viduae domeſticis, nomine [r] Brancaleoni, quem regi fidum ſciebat, horam condicit, qua hominem ei oſtenderet, ut eum quocunque poſtea loco nactus eſſet, notato diligenter oris ac totius corporis habitu poſſet agnoſcere, atque etiam aliis, ſi opus eſſet, deſignare. Poſtridie Seraphinus Bancus, id erat Dominicano nomen, utrumque in aedes ſuas excipit, et poſt ambiguum reſponſum percuſſori datum, miſerum hominem dimittit, peſtem dum alii parat, ſibi quaerentem. Tum cujus ergo homo iſte veniſſet, Brancaleoni aperit, monetque quam citiſſime poſſet, ad exercitum, quo ſicarius ibat, proficiſceretur, et ſceleratum ejus propoſitum

re

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *Fort de Gournay, Creſſy ou Crecy, & Brie-comte-Robert.* [c] *Melun.* [d] *Fontainebleau.* [e] *de Revol, & de Villeroy, de Belin, & le preſident Jeannin.* [f] *Pontoiſe.* [g] *Andreſy.* [h] *Milly, & Fleury.* [i] *de Clauſſe grand maiſtre des Eaux, & Foreſts.* [k] *le Gaſtinois.* [l] *Barriere.* [m] *Orleans.* [n] *de Beaufort marquis de Canillac.* [o] *Auvergne, & Velay.* [p] *Lyon.* [q] *Banchi.* [r] *Brancaleon.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

re detecta anteverteret. Ille ſubito Noviodunum Heduorum provolat, quo jam [a] Nivernius venerat, veritusque, nondum publicatis ac firmatis induciis, ne in itinere caperetur, hominem ſibi oſtenſum a pictore deſignandum curat, et imagine alteri ad regem alio itinere tendenti data, ipſe Nivernii juſſu, pretium, ſi caperetur, ſe luiturum promittentis, Melodunum tendit. Tantum temporis inter haec effluxerat, ut Petrus Lugduno pedes Lutetiam interim venerit, et ad Chriſtophorum [b] Aubrium S. Andreae in arcubus curionem [c] Eſſuorum oppido, quod ad Henricae [d] Cliviae Guiſii viduae ditionem pertinet, natum, eoque factioni addictiorem, introductus, quid ab initio mente agitaverit, retegit; ſcrupulo ſe attineri dicens, quia poſtea reſciverit, Navarrum Catholicae religioni nomen dediſſe, an in eodem propoſito perſeverare debeat: ille vero nutantem erigit, et regis profeſſionem quaſi ſimulatam elevans, non aliter, quam ſublata ea peſte religionem in tuto collocari poſſe multis verbis confirmat, laudataque ejus egregia in Dei cauſam voluntate, quo magis in illa hominem alioqui impavidum confirmaret, ad [e] Varadam tunc Jeſuitici ſodalitii rectorem deducit, qui eaſdem ob cauſas ſcrupulo omni adempto ipſum ad facinus perficiendum denuo animavit, in idque illum per ſacerdotem ex eodem ſodalitio rei ignarum ſacra confeſſione et ſumpto viatico muniendum curavit. Ita inſtructus Petrus cultrum ſibi emit, eumque ad cotem ſic acuit, ut utrinque ſecaret: tum Fanum-Dionyſii, ubi rex adhuc erat, pergit, ipſumque turba circumfuſa poſt ſacrum peractum templo majore exeuntem forte offendit, et factus venienti obvius, tamen quaſi fune per praecordia circundato a tergo retraheretur, ut poſtea confeſſus eſt, a facinore perpetrando revocatus fuit; inde regem per [f] Gornaeum, Creſciacum, Campos ad Matronam, et Briam, ubi item a ſacerdote confeſſione et ſacro viatico procuratus eſt, iter facientem [g] Melodunum uſque ſequitur, eandem commoditatem ſaepius nactus: nec ea paulo melius Deo ita volente uſus, quouſque Brancaleo Melodunum tandem advolavit, et hominem ſibi notum per magni praefecti ſatellites comprehenſum ſub arctam cuſtodiam detruſit: mox cum Brancaleone commiſſus Petrus, cum eum videret eſſe, qui cum Dominicano erat, tunc cum ab illo conſilium peteret, ſe quidem ab initio cum Lugduni eſſet regis interficiendi impetum cepiſſe confeſſus eſt: ceterum poſtquam reſcivit regem ad eccleſiam rediiſſe conſilium omiſiſſe, et ob eas, quas memoravi, cauſas vitae ſolutae pertaeſum, in Capucinorum aſtrictiorem diſciplinam ſe dare voluiſſe, ob idque Lutetiam veniſſe; ſed cum Aurelianum, unde natus erat, remiſſus eſſet, in itinere Fanum-Dionyſii divertiſſe, ut ſtipem et literas commendatitias a Franciſco [h] Balſaco Interamnate olim Aureliani praefecto acciperet. Ita rem primo narrabat, magnam fiduciam prae ſe ferens, et cum culter utrinque caedens, cum quo deprehenſus erat, ei oſtenderetur, non ſe alios in uſus eum comparaſſe dejerabat, quam ut eo in pane et eſculentis ſecandis uteretur; multa contumelioſa in Sectarios, et judices ipſos, qui a rege delegati erant, evomens, et mortem crudeliſſimam a carnificibus, ſic eos vocabat, decretam, ſubire ſe paratum ſubinde dictitans: ut eum eum propoſito regis interficiendi veniſſe, idque niſi Deus prohibuiſſet, patraturum fuiſſe, nemini dubium relinqueretur. Itaque magno judicum conſenſu ad mortem damnatur, addito, ut prius tormentis ſubjiceretur, ad indicandos ſuaſores ac complices et conſcios. Dilatum in ſequentem diem ſupplicium, quod eum ſacerdotem, qui cum Briae in arcana confeſſione ſermonem conſeruerat, ante comprehendi placuiſſet. Summiſſi interim, qui reum ſententiae adhuc ignarum erroris admonerent, et ad principes interficiendos qui hortantur, ſempiternae damnationis retibus irretiri oſtenderent; in iiſque Olivarius [i] Berengarius

et

INTERPR. [a] *le Duc de Nevers* [b] *Aubry curé de S. André des Arcs.* [c] *Eu.* [d] *de Cleves.* [e] *Varade.* [f] *Gournay, Creſſy, Champ ſur Marne, & Brie-comte-Robert.* [g] *Melun.* [h] *de Balſac d'Entragues gouverneur d'Orleans.* [i] *Berenger.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

et ipſe profeſſione Dominicanus, qui regias partes toto hoc bello ſecutus fuerat, feliciter admodum operam navavit: nam poſtridie Petrus ante judices delegatos productus, ut in tormentis interrogaretur, repente mutatus apparuit, et recitata ſententia funcis, ad quos alligatus erat, ſolvi petiit, errorem ſe agnoſcere ſuum elamitans, ac ſubinde ſe beatum praedicans, quod deteſtandum facinus a ſe ſuſceptum non perfeciſſet, et potius in judicum manus incidiſſet, quorum judicio, ſi vitam hanc amiſſurus eſſet, ſaltem alterius longe potioris diſpendium non eſſet facturus. Tum erectis in coelum oculis propoſitum ſuum et ſuaſores ſceleris deteſtatur, qui ipſum tanto periculo cum aeternae ſalutis jactura conjuncto objeciſſent, affirmantes, ſi in conatu moreretur, fore, ut anima ejus protinus ab angelis ſuſcepta in coelum ad beatudinem ſempiternam cum Deo fruendam evolaret; ac monentes, ſi capi eum ac tormentis cruciari contingeret, ne quenquam eorum, qui id ſuaſiſſent, nominaret, alioqui aeternae damnationis poenam ſe ſciret promeriturum. Pridie in decernenda poena cenſuerant judices, rei convicti pertinaciam videntes, poſtquam partibus carnoſis forcipe candenti concerptis, et pugno ambuſto, ac membris fractis rotae impoſitus eſſet, in ea vivus deſtitueretur; ut diritate ſupplicii, quod in tormentis minime eum facturum putabant, ad confeſſionem pleniorem adigeretur: ſed cum tam ingenue omnia etiam extra tormenta confeſſus eſſet, et ſeria poenitentia ſe duci oſtenderet, ſeveritas poenae remiſſa eſt, et poſt membra fracta, cum duos adhuc ſacerdotes ad idem ſcelus Lugduni auctoratos forma deſignata cavendos monuiſſet, juſſu unius e judicibus, qui torquendo reo praepoſitus fuerat, ſtatim ſtrangulatus eſt: quod calumnioſe a quibuſdam delatum, rex non ſolum minime improbavit, ſed et factum laudavit, et reo adeo poenitenti, ſi in conſpectum ſuum, quod ille ſaepius petierat, adductus fuiſſet, gratiam omnino poenae facturum ſe fuiſſe confirmavit. Id actum pridie Kalendas Septembreis. Cum de conſciis in tormentis interrogaretur, nemine a delegatis nominatim expreſſo, ultro reſpondit, ſibi a ſceleris inſtigatoribus ante omnia praeceptum, Lugduni ne Nemoroſio, Lutetiae ne Meduanio, quicquam de conſilio capto retegeret: nam illos paria veritos, et plus de propria quam publica ſalute ſolicitos, rem diſſuaſuros. Quod ad regem in arcano relatum, in actis minime perſcriptum fuit; ne ad illos, de quorum reconciliatione minime deſperabatur, emanaret, ab ea alieniores futuros, ſi regem quicquam tale de ſe ſuſpicatum eſſe, aut in caput ſuum ſicarios captos interrogari juſſiſſe credidiſſent. Hujus judicii occaſione invidia in Jeſuitas renovata, qui non ſolum belli hujus exitialis incentores primi fuiſſent, ſed etiam ſacroſancta principum corpora, ſive profanis ſuis concionibus, ſive pravae doctrinae veneno clam per confeſſiones ſecretas in furentium animos inſtillato, ad caedem promiſcuam expoſuiſſe jactabantur; longe pernicioſiſſimo exemplo, et quod divina ultione mox vindicatum eſſet. Nam licet Sixtus v Navarrum et Condaeum diris devoverit, id tamen potius neceſſitate muneris, quo ad deceſſoris ſui a Jeſuitis decepti acta confirmanda obligabatur, quam propria voluntate ac conſilio feciſſe, ac deinceps poenituiſſe, ipſumque Claudium [a] Matthaeum Henotici foederis per Italiam et Hiſpaniam veredarium ob eam cauſam [b] Lauretum relegaſſe, ubi ſumma in miſeria perierit. Alterum item factionis in urbe anteſignanum nomine Odonem [c] Piginatem, dum Corybanti ſimilis turbulentis concionibus nullum inſaniendi modum facit, vero furore correptum vexatumque, tandem inter dejerationes ac cruciatus exſpiraſſe. Haec tunc libris etiam editis in eorum odium evulgata.

XIV. Post

INTERPR. [a] *P. Matthieu.* [b] *Laurette ou Loretto.* [c] *Pigenat.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

XIV. Post publicatas inducias, a quibus exceptus erat Sabaudus, cum videret Meduanius cum illis comprehendi nolle, et [a] Nemoroſium ejus gentilem multa facere, quae merito illum Henoticis ſuſpectum redderent, de Lugduni ſecuritate anxius eſſe coepit. Nam ex oppidanis cognoverat, poſtquam Lutetia Lugdunum profectus erat, eum urbis feliciter defenſae gloria tumentem, ſic ſe geſſiſſe, ut res ſuas cum Sabaudo communes, cum Henoticis atque adeo cum Meduanio ſeparatas, in poſterum habere vellet. Et quanquam initio mandata de rege creando per [b] Teneſſaeum ad Meduanium dediſſet, tamen quod comperiſſet, nullam ſui in comitiis Lutetiam indictis rationem habitum iri, noluiſſe, ut delegati ex provinciis ſibi ſubjectis ad ea mitterentur. Interim abrogata civitatis magiſtratuum auctoritate, novum ex hominibus ſibi addictis ac fere externis concilium inſtituiſſe; arces, quas urbi imponere nondum poterat, locis idoneis circumdediſſe; [c] Toſſaei, Tiſiaci, ad Caroli-locum, Bonetiae-fanum, Monbriſonium, Bellam-villam, Viriacum, Coindrium, Viennam, Pipetum, exſtructis munitionibus, et valido praeſidio firmatis; nunc de duabus arcibus in ipſa urbe aedificandis cogitare: nam unam, quam rex habuerat, impotenti ejus deſiderio ſatis non eſſe; mandata et edicta Meduanii ſpernere; nihil aliud quam Machiavelli principem in ore habere; has in adminiſtratione publica leges tenere, religioſum videri, non eſſe; fidem promiſcue dare, datam, quamdiu intereſt eam non violari, ſervare; cum magnum ex ea violata emolumentum ſperatur, impune frangere; eo pertinere clandeſtinas de [d] Matiſcone, Lordonio, [e] Cluniacenſis praeſulis licet ſibi cognati arce, de [f] Burgo denique in Sebuſianis, quod Sabaudi ipſius gentilis eſt, intercipiendis ſuſceptas, ſed irrito conatu, expeditiones. Cum vero gubernatoris titulum in provinciis, quas tenet, uſurpare in mandatis ac edictis ſuis negligit, quid aliud velle, quam ad ſupremam dominationem ac legibus denique ſolutam pleno gradu tendere? Auxit ſuſpicionem, quod cum Claudius [g] Bellofremontius Seneſcaeus [h] Axonae in Burgundia praefectus Alſonſum Ornanum in bello captum paulo ante ſecum abduxiſſet, et pretium grande pro ejus libertate accepiſſet, ea re Nemoroſius exacerbatus filios Seneſcaei captos ſub arcta cuſtodia [i] Petrae Inciſae arce incluſerat, non jam pretium ab Ornano extortum repoſcens, ſed Axonam ſibi dedi flagitans; ni pareret, minis additis, fore, ut ad ipſum imperia ſua detrectantem filiorum capita perferri mandaret. His ad ſe allatis et diligenter quo ſpectarent perpenſis, Meduanius cum mature nimiis Nemoroſii conſiliis obviam eundum cenſeret, archiepiſcopo Lugdunenſi negotium dat, ut, capta induciarum occaſione, quo magis falleret, Lugdunum proficiſceretur, et confirmatis in obſequio civibus, praeſentia ſua animos iis ad Unionem tuendam faceret, et qua meliore poſſet ratione pernicioſos Nemoroſii conatus publicam libertatem oppreſſum euntis diſturbaret. Rem commiſſam ſtrenue executus eſt Lugdunenſis, alioqui Nemoroſio in arcano ſuccenſens ob ſpretam ſuam multis in rebus auctoritatem, [α] cujus retinendae ambitioſiſſimus, ereptae ultor acerrimus erat. Quaeſita tamen occaſio, ne injuriam potius feciſſe, quam illatam propulſaſſe videretur. [k] Dizemium ſibi fidum Nemoroſius Viennae a Scipione Maugirono ſumma perfidia ante annum deditae praepoſuerat, quem cum delectis venientem praeſtolabatur XIIII Kal. Oct. ejuſque ope et aliorum e nobilitate, quos penes ſe habebat, urbem in poteſtatem redigere decreverat. Re cognita Lugdunenſis portam Rhodanenſem diligenter a civibus cuſtodiri curat; qui Dizemium audacter ad portam ſe cum armatis oſtentantem repulerunt, poſt modicum

VAR. LECT. [α] cujus homo ambitioſus retinendae ad inſaniam avidus MSS *Reg.* & *Samm. Put.* & *Rig.*

INTERPR. [a] *le Duc de Nemours.* [b] *le Sr de Teniſſoy.* [c] *Toiſſey, Tiſey, Charlieu, S. Bonnet, Montbriſon, Belleville, Virieu, Coindrieu, Vienne, & Pipet.* [d] *Maſcon, & Lourdon.* [e] *l'Abbé de Clugny.* [f] *Bourg en Breſſe.* [g] *de Beaufremont de Seneſçay.* [h] *Auſſonne.* [i] *Pierre-enciſe.* [k] *Dizemieu.*

modicum conflictum, in quo unus e cuſtodibus occiſus, et ipſe Dizemius captus fuit. Ad motus ſubiti famam tota urbe ad arma conclamatum, et ut ante quinquennium Lutetiae factum fuerat, ex doliis tumultuariae munitiones excitatae; ipſe Nemoroſius, cum ſuis laborantibus in equo ſubveniret, in imo ponte a civibus ſiſtitur, et ad aedeis ſuas reducitur, ſtatione valida impoſita. Poſtridie, qui in Dominicam incidebat, ot priſtinae dignitatis inſignia ſervaret, cum paucis ſtipatoribus ad ſacrum audiendum ad majus templum ivit, ſed incaleſcente plebis furore mox peracto ſacro non ſolum ſtipatoribus et comitatu ſolito exutus, ſed in arctiorem cuſtodiam truſus eſt. Capti et eodem impetu plerique in urbe ſuſpecti, quod ei addicti eſſent, et in iis Claudius [a] Rubius, qui contra regium nomen efferatus voce et ſcriptis rebellionem fovebat; capti et plerique e nobilitate. Haec toto biduo acta. Archiepiſcopus jam urbis potens ad Petrae-inciſae arcem primo motus die captam perrexit, et libertati reſtituto Carolo [b] Colinio Andeloto, quem paulo ante Nemoroſius ob occultas cauſas ſibi ſuſpectum ea incluſerat, ipſum eo deducendum ſub veſperam mandavit ſub valida Helvetiorum et oppidanorum cuſtodia ſervandum. Quod ubi cognovit et juſſu Meduanii factum intellexit Anna [c] Ateſtina, quae Lutetiae erat, et Nemoroſium ex alteris nuptiis ſuſceptum impenſe diligebat, ultra modum excanduit, impietate Meduanio in os exprobrata, qui fratrem uterinum tam indigne habuiſſet, et probris oneratum ad perniciem perſequeretur. Contra ille factum negare, et culpae in plebis furorem potius derivandae invidiam deprecari; tum curaturum ſe recipere, ut ſuſpicionem falſo de ſe conceptam contrario facto officioſe purgaret. Itaque jam tum de Nemoroſii libertate cum Lugdunenſibus agi coepit, et archiepiſcopus, qui interim praefectus urbis ab iis creatus, et a Meduanio confirmatus erat, per illos conditiones proponit. Eae autem erant, ut loca, quae ipſe circa urbem, et in [d] Arvernis Henricus [e] Sanſorlini marchio ejus frater tenebat, ante omnia reſtitueret, et in manus quorundam e nobilitate, de quibus conveniret, conſignaret: ipſe praefectura idonea, quae e, ad minus xxc leucarum ſpatio a Lugduno abeſſet, a Meduanio donaretur. Poſtea Meduanius ei [f] Aquitaniam deſtinavit, ut eam eodem titulo et amplitudine, qua olim Navarrus, teneret, et locis quibuſdam, quae foederati in [g] Novempopulonia tenebant, praeſidia arbitrio ſuo poſſet imponere. Haec acta Lugduni x Kal. Decembreis; poſtea Meduanius anno ſequenti pridie Nonas Januarias Lutetiae rata habuit. Sed res eventu caruit, ſive affectata ipſius procraſtinatione, ſive difficultatibus novis ſubinde exorientibus; quo uſque Lugdunenſes praeteritorum pertaeſi a foedere diſceſſerunt, et Nemoroſium captivum regi, ut de eo ſtatueret, dediderunt. Interea prolatae induciae ab extremo Octobri, in quem exiturae erant, ad extremum Decembrem. Per illud tempus confuſa Lutetiae omnia, praeſidiis a Meduanio jam ſibi metuente e [h] Meldis evocatis, et plebe praeſeotium pertaeſa ad res novas inclinante. Magnae altercationes ob aucta vectigalia excitatae, et querelis convitia admiſta, libellique ea de re porrecti potius expoſtulantium quam ſupplicum fuere: quae omnia mutationis propediem ſecuturae prudentiores tanquam ſigna certiſſima interpretabantur.

XV. In aliis vero provinciis ante pactas inducias varie res geſta. Dum Jo. [i] Aumontius [k] Armoricae deſtinatus adveniret, praemiſſus fuerat Franciſcus [l] Spinaeus Sanlucius cum duabus peditum legionibus in [m] Pictonibus nuper conſcriptis, ſua equitum ala, [n] Bordeti ac Podii levis armaturae alis, et aliis ſcloppetariorum equitum, adjunctis Anglorum copiis; ad [o] Rangardi portum qui Meduana alluitur, et leucam a Lavallo, quod a foederatis tenebatur, abeſt, tranſmiſſi ccc Angli per aggerem,

qui

INTERPR. [a] *du Rubis.* [b] *de Coligny Sr d'Andelot.* [c] *d'Eſte.* [d] *Auvergne.* [e] *St Sorlin.* [f] *Guienne.* [g] *Gaſcogne.* [h] *Meaux.* [i] *le mareſchal d'Aumont.* [k] *Bretagne.* [l] *d'Eſpinay Sr de S. Luc.* [m] *Poictou.* [n] *du Bordet, & du Puis.* [o] *le port Raingeare.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV. qui molatrinae ſervit. Hoc conſpicati hoſtes, qui diviſas regiorum copias aggredi, quam conjunctas tutius putabant, exiguum numerum facile loco pellunt, et ad [a] Meduanae ripam rejiciunt; ſed mox Sanlucio et Norriſio ſupervenientibus additi recedentibus animi, ac redintegrato proelio hoſtes funduntur, et Lavallum uſque fugientes caeduntur. Deſiderati amplius cc, ab Anglis ſtragis ad [b] Aubrieram ſuperiore anno acceptae memoribus interfecti. Haud hinc longe VII a [c] Condato Rhedonum leucis [d] Guerchiam paulo ante moenibus nudatam feſtinatis operibus muniebat [e] Mercurianus, locumque IIII CIↃ praeſidio, dum munitiones exſtruerentur, firmaverat, qui continuis excurſionibus omnia circum infeſta faciebant; exoratus a Rhedonenſibus Sanlucius, qui [f] Interamnii et Poancaei adhuc haerebat, Aumontium operiens, rurſus Meduana ſuperato cum expeditis copiis eo ducere ſtatuit, evocatoque Monmartino, qui [g] Vitreaci erat, et cum ſua equitum ala, ac loci praeſidio II colubrinas inſtructas juſſo adducere, ad Guerchiam caſtra ponit. Spe citius re confecta, qui Guerchiam tenebant, vitam ſalvam pacti, deditionem fecere: arma et impedimenta capta, miles cum puro ſcipione dimiſſus. [h] Ratonus, qui rei tormentariae praeerat, dum amnem tranſmittit, gravi vulnere in capite ictus eſt. [i] Loterius legionis tribunus in ea obſidione occubuit. Sanlucius inde Interamnium redit, ubi impedimenta ac gregarias copias reliquerat, et Monmartinum cum II colubrinis ab eo adductis Vitreacum remittit. Paulo poſt Aumontius [k] Sablatum in Cenomanis venit, quo mox ad eum copiae confluxere, et quia jam de induciis fama percrebuerat, aliquot dierum mora facta eſt circa [l] Guntheri caſtrum et vicina loca [m] Sartae ac Meduanae impoſita. Sed cum Mercurianus Condato propinquaret, veriti oppidani, ne ſecreti conſilii fiducia copias admoveret, ad Aumontium ſcribunt, rogantque, ne ſe tam neceſſario tempore deſerat, ac provinciae, cui deſtinatus erat, caput hoſti ad praedam expoſitum relinquat. Habito ducum concilio placuit, ut Sanlucius quamprimum Condatum cum expeditis copiis proficiſceretur. Itaque [n] Lupi-fano infra Sablatum movet, et tranſmiſſo Meduana, nuſquam intermiſſo itinere Vitreacum, quod VII leucis hinc abeſt, ſub veſperam venit, ac mane eadem diligentia iter perſecutus Condatum in hoſtis conſpectu, nemine ex ſuis deſiderato intrat XV Kal. Quintil. et copias in ſuburbio locat. Mercurianus haud hinc longe [o] Fontenaci, quae eſt Briſſaci arx, caſtra muniverat. Inter vicinas adeo copias aliquoties pugnatum, nulla re memorabili geſta: tantum aliquot ex noſtris capti. Poſtea Mercurianus cum videret ſuos contra Condatum irritos conatus, decimo quinto poſt die movet, Lamballam verſus tendens, et ad [p] Moncontourium caſtra ponit, quo ſe [q] Saroëtus vir ſtrenuus juſſu Sanlucii incluſerat, locumque nec foſſa nec moenibus ſatis firmum contra hoſtilem exercitum diu gnaviter tutatus eſt; crebris adeo eruptionibus et ſcloppetorum diſploſionibus hoſtem laceſſens, ut vallo ducendo, et collocandis tormentis ei vix tempus vacuum reliquerit. Adjuvabat eum [r] Pleſſius Sanlucii ſignifer cum XXC cataphractis et C ſcloppetariis equitibus delectis arci proximae impoſitus, ex qua aſſiduis incurſionibus Mercurianos inceſſebat. Tandem Aumontius cum robore exercitus [ſ] Monfortium venit, quod IV CIↃ peditum conſtabat, et IↃ equitibus ex provinciali nobilitate. Id incidit in tempus pactarum induciarum, quas Mercurianus, qui de Moncontourii expugnatione deſpetabat, occaſionem honeſte ab obſidione diſcedendi quaerens, ratas habuit XIX Kal. Sept. eaſque religioſe ſervavit; ſed non eadem fide Hiſpani, qui eas rebus ſuis officere putantes, nullam occaſionem praeteribant, quae animos belli pertaeſos rurſus animare

INTERPR. [a] *la Mayenne.* [b] *Aubriere.* [c] *Rennes.* [d] *la Guerche.* [e] *le Duc de Mercœur.* [f] *Entraives, & Pouancé.* [g] *Vitré.* [h] *Ratou.* [i] *le Sr de la Lotriere.* [k] *Sablé au Maine.* [l] *Chateau-Genthier.* [m] *la Sarte.* [n] *S. Loup.* [o] *Fontenay.* [p] *Moncontour,* [q] *de Sarrouette.* [r] *du Pleſſis la Roche.* [ſ] *Monfort.*

animare et exacerbare poſſet. Itaque permulti e nobilitate, qui ad reficiendas ex laboribus vireis domum conceſſerant, capti; et repoſcente Aumontio, ac inſtante Mercuriano, ut libertati reſtituerentur, a Jo. [a] Aquila Hiſpanorum duce alia atque alia cauſante, nihil impetrari potuit. CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

XVI. CUM vero literis ac nunciis monitus Aumontius, ut provinciae ſecuritati conſuleret, nam cum Meduanio et Mercuriano de pace injectos ſermones fruſtra hactenus fuiſſe, et cuncta exeuntibus induciis ad bellum, ut antea infeſtum inclinare, et in provincia ipſa quaerendum belli ſubſidium; Condati comitia ordinum congregantur Decembri menſe, in iiſque, ſi ita regi placeret, ad Eliſabetham Angliae reginam et Belgii ordines legatio decernitur, cui praepoſitus eſt Monmartinus; eique attributi [b] Piglaeus, Maboulerius, et Lauretus. Conſulto rege, qui tum Medontae erat, Monmartinus ad Aumontium redit, et inde mox in Angliam cum ceteris delegatis tranſmittit. A Joanne [c] Lafinio Bellovaſio, qui iſtic regis orator erat, ad reginam introductis legatis, Monmartinus poſt actas de ſummiſſis ſubſidiis, et regis et provinciae nomine, gratias, de provinciae ſtatu quaedam praefatus, ejus periculum cum Anglia eſſe commune oſtendit. Nam ei inhiare Hiſpanos, ut confirmatis in ea viribus et portu commodo occupato exſcenſionem commodiorem ex eo in Angliam deinceps habeant. Hoc ſcilicet nuper defuiſſe immani tot annorum claſſi, quae terrore ſui cuncta compleverat, ne ingenteis conatus ad exitum ſperatum perduceret, quae cum mari et ventis potius quam cum Anglis luctata ac poſtremo victa, portus vicini, in quem ſubduceretur, commoditate deſtituta, miſere periit. Orare igitur reginam, ne copias, quas in [d] Armorica habet, domum revocet, ſed ſupplementa mittat, ita ut numerum IV CIↃ bellatorum expleant. Tormenta, pilas, pulverem et apparatum bellicum ſubminiſtret, ad expugnanda loca maritima, quae foederati et Hiſpani in litore tenent; ſe viciſſim paratos regis permiſſu, cujus et ſpecialia ea de re mandata exhibebat, provinciam obligare ad aes omne illud luendum, ad quod ſumptus in hoc bellum ab ipſa faciendi excreverint. Ad haec regina reſpondet, nolle ſe dilectiſſimum fratrem in communi cauſa tam neceſſario tempore deſerere. Itaque velle ac jubere, ut Angli, qui in Armorica ſunt, eo uſque maneant, donec [e] Norriſius ſummus praefectus ad ſe evocatus venerit, et cum eo de ſupplemento militum, tormentis ac ceteris, quae petantur, mature conſultaverit; petere interim, ut aegris ac fauciatis Anglis locus commodus pro receptu detur: uam [f] Pimpolium, quod datum eſt, ſive ob anguſtiam ſive ob coeli inſalubritatem incommodaſſe ſuis potius, quam profuiſſe. Hoc accepto reſponſo ex Bellovaſii ſententia Monmartinus ad regem revertitur, ut ab eo mandata ad Aumontium perferenda acciperet. Ceteri delegati in Bataviam perrexerunt, ut Ordines de auxiliis coram ſolicitarent.

XVII. PAULO ante in [g] Cenomanis [h] Sablatum, quod praeſidio a [i] Landebrio tenebatur, nocturno aſtu amiſſum eſt; non tam regii nominis odio, quam oppidanorum deſperatione, ob intolerandas praefecti vexationes, qui uno ex ejus domeſticis corrupto arcem interceperunt, et ipſum interfecerunt. Ante pactas inducias et in [k] Pictonibus [l] Auguſtoritum, quo ſe Carolus Coſſaeus Briſſaci comes incluſerat, munitionibus ad loca idonea poſitis undique cinctum eſt; ita ut intercluſo commeatu et undique ad urbem amplam acceſſu, eam ad deditionem compelli poſſe ſpes eſſet. Expeditionis duces erant Joannes [m] Surchius Malicornius provinciae praeſes, Claudius

Tremollius

INTERPR. [a] *del Aguila.* [b] *de la Piglaie, de la Maboulière procureur du roy au ſiege preſidial de Rennes, & le Sr de Lauret treſorier du Taillon en Bretagne.* [c] *de la Fin Sr de Beauvoir la Nocle.* [d] *Bretagne.* [e] *Norris.* [f] *Pimpol.* [g] *le Maine.* [h] *Sablé.* [i] *le Capitaine Landebris.* [k] *Poictou.* [l] *Poictiers.* [m] *de Chourſes Sr de Malicorne gouverneur de Poictou.*

[a] Tremollius Thoartii dux, Ludovicus [b] Caſtaneus Abenoius, Gaſpar [c] Rupichuartius Mortemarius, Joannes [d] Baudeanus Paraberus Malicornii legatus, Petrus [e] Chuppius, alii. In eam grandis pecunia provinciae imperata, iſque tantae obſidionis, ac poſtremo irritae fructus fuit, ut pecunia illa, quae tam cito, atque adeo ante inducias cogi oon potuerat, poſt inducias licet in alios uſus deſtinata in aerarium regis illata ſit. Sub id in Biturigibus [f] Cellae ante biennium a Franciſco Borbonio Contii principe vi captae, a [g] Boſio quodam ordinum ductore, qui Cl. [h] Caſtreo provinciae praeſidi militabat, nocturno aſtu interceptae ſunt, magno circumpoſitorum locorum detrimento, quae ille continuis excurſionibus ab eo tempore vexavit. Nec multo poſt David [i] Bocardus Albaterrae vicecomes Petrocoriorum praeſes feliciter contra foederatos pugnavit. Per inducias a Jac. [k] Matignono equitum tribuno Aquitaniae praeſide pactas, dum ad Blaviae obſidionem ſederet, Henricus [l] Ptatenſis Monpeſatus occaſione capta coactis in [m] Cadurcis et Aginnenſi agro copiis in Petrocorios, qui induciis non comprehendebantur, deſceodere nunciabatur. Cum vicecomes ei occurſurus inter [n] Vezeram et Duranium ad itet ſe accingit, cum II tormentis, III legionibus peditum, quas [o] Riniacus Sanſenacus et Meſctius ducebant, et equitatu, quem penes ſe habebat, cui ſe vicina oobilitas regiis partibus addicta, cum ſua, item Jacobi Nompatis [p] Caumontii Forcei, cui Petrus [q] Eſcodeca Boetius praeerat, et [r] Benaci reguli equitum alis: cognitoque hoſteis ad [ſ] Fontenillam munitionem juxta [s] Villam-fraocam caſtra poſuiſſe, gradum accelerat cum [t] Pontio Lauzetia Theminio; ſed jam dedito loco et hoſte ad [u] Govionacum retro ſe recipiente fruſtra fuit. Mox recepta Fontenilla, quam hoſtis deſeruerat, copias [v] Belevam teducit, ubi municipes ioter ſe diſſidere intellexerat: tum ad eum telatum, hoſteis Carennacum verſus ſumma diligentia incedere, ut locum munitum occuparent, coque defenſi Duranium commodius tranſmitterent. Itaque praevertendum ratus, ut eadem opera nobilitatem foederatam ex [w] Petrocoriis et Lemovicibus ad Monpeſatum magnis itineribus contendentem interciperet, Theminio negotium dat, ut fluvium ad [x] Domum tranſmitteret; ipſe ad [y] Sivracum copias traducit VIII Eid. Apt. ſimulanſque [z] Quintinifanum, munitionem juxta [a] Sarlatum, ſe petere, relicta in ejus obſidione Meſetii legione [b] Salignacum praetervectus [c] Bortezam tendit, et Theminio, qui [d] Calignaci erat, evocato, et Benaco, qui cum tormentis ſequebatur, iis relictis ad ſe venire juſſo, ac denique tevocato Meſerio, qui ad Quintini-fanum haerebat, Carennacum ire inſtitit, et juxta [e] Turenam ad [f] Noſocomium aciem inſtuit. Ibi cognitum hoſteis paene oniverſos fluvium tranſmiſiſſe, et Veraci lociſque vicinis hoſpitium ſumpſiſſe: ſed io incerto adhuc erat, [g] Tetraſonem ao Mootiniacum peterent, ut ibi Vezeram tranſvadarent. Itaque paulum ſubſiſti placuit. Interimque Monpeſati literae ad [h] Bellovisum et Reſtiniacum interceptae ſunt, quibus ille ſignificabat, ſe a [i] Ligneraco monitum, ut Turenae vicecomitatum tanquam ioſeſtum vitaret, et ad [k] Lemovices iter flecteret, ac proinde [l] Cotnelium cogitare, locum duobus caſtellis firmum, haud longe a [m] Gimello, quo illos, ut ad ſe intra biduum contendetent, rogabat; iter in contrarium flectente hoſte vicecomes et iter convertit, praemiſſo Theminio cum L delectis equitibus et totidem ſcloppetariis, quem rurſus [n] Burſolius cum XX praeibat.

INTERPR. [a] *de la Tremoille duc de Thouars.* [b] *de Chaſteigner Sr d'Abin.* [c] *de Rochechouart Sr de Mortemart.* [d] *de Baudean Sr de Parabere.* [e] *de Chauppes.* [f] *Celles en Berry.* [g] *le Capitaine du Bois.* [h] *de la Chaſtre.* [i] *Bouchard vicomte d'Aubeterre gouverneur de Perigort.* [k] *le mareſchal de Matignon gouverneur de Guienne.* [l] *des Prez de Montpezat.* [m] *Quercy, & Agenois.* [n] *Vezere, & Dordogne r.* [o] *les Srs de Rignac, de Sanſenac, & de Mezieres.* [p] *de Caumont Sr de la Force.* [q] *d'Eſcodeca Sr de Boiſſe.* [r] *le Baron de Benac.* [ſ] *Fontenilles.* [s] *Villefranche.* [t] *Pons de Lauſieres Sr de Themines.* [u] *Govionac.* [v] *Belevez.* [w] *Perigort, & Limouſin.* [x] *Domme.* [y] *Sivrac.* [z] *S. Quintin.* [a] *Sarlat.* [b] *Salignac.* [c] *Bourreze.* [d] *Calignac.* [e] *Turene.* [f] *l'Hoſpital.* [g] *Terraſſon, & Montignac.* [h] *de Beauregard, & de Reſtignac.* [i] *de Lignerac.* [k] *Limouſin.* [l] *Cournil.* [m] *Gimel.* [n] *Bourſoles.*

praeibat. Ipſe aciem ducebar cum [a] Boëtio, Boſeojordano, aliiſque ad c e nobilitate, et ſub quintam veſpertinam ad [b] Caſtinum pagum veniunt, cum hoſtis [c] Piſcario Cornelium tenderet. Is ſecum IↃC delectos pedites in [d] Septimania et Novempopulonia ſcriptos trahebat, qui ad noſtrorum conſpectum intra pagum ſe receperunt. Eos praetervectus [e] Theminius ad Cornelium uſque pergit. Et ſub id fere tempus equeſtre robur eo appulerat. Inter duo caſtella ſuperius et inferius medium municipium ſubeſt; ad alterum caſtellum, ad quod vim faciebat Theminius, per anguſtam ſemitam inter rupeis aditur, eamque hoſtes ſcloppetariis utrinque diſpoſitis muniverant. [f] Maurellus, qui levi armaturae praeerat, ab illis defenſus extra progreditur, et cum Theminio ſemel atque iterum, tertioque conflixit, et quanquam repulſus non ſine noſtrorum damno ad ſuos ſe recepit; nam Theminius aliique e nobilitate complures in eo conflictu equos amiſerunt. Mox vicecomes cum robore equitatus advenit, in municipium impetum facturus, in quo erat Monpeſatus, qui cum ad defenſionem ſuos inſtruere crederetur, ſolerti conſilio ſe per averſum collem ſubduxit. Ad municipium tribus locis aditus patet; medio incedens [g] Albaterranus Maurellum cum Theminio confligentem avertit, et in fugam poſtremo conjicit: cum ad ſuperius caſtellum receptum habuiſſet, eum ſub portas uſque inſecutus eſt vicecomes, eodemque tempore Theminius vi facta ceteros per municipium palanteis in caſtellum inferius compulit, occiſis qui intercepti ſunt. Quo facto ad peditatum, quem Caſtini adhuc haerere arbitrabantur, duces vim vertunt, jam nocte obſcura, relictis ad caſtellorum obſidionem [h] Montagrio Chermanio, [i] Mauriaco, Boſcojordano cum L loricatis et idoneo ſcloppetariorum numero. Verum jam [k] Vernia peditatum diviſerat, et partem cum machina bellica per averſam viam [l] Carennacum verſus praemiſerat. Ipſe eum cccc circiter per confragoſa et impedita iter emenſus alterum caſtellorum poſtico ingreſſus eſt, quod ab ea parte ſcloppetariorum penuria cingi non potuerat; quo cognito vicecomes fugienteis tota nocte perſequi inſtitit; Theminio poſt curata ſuorum corpora ſtatim remiſſo, ut caſtella arctiore obſidione premeret. Capta machina in via a recedentibus relicta: vicecomes poſtridie Cornelium revertitur, cum jam Maurellus et Vernia, qui in inferiore caſtello erant, cum Theminio colloquium popoſciſſent; lex deditis dicta, ut ipſi Maurellus et Vernia et alii ordinum ductores vita ſalva dimitterentur, ceteri, qui IↃ numerati ſunt, ſe vicecomitis arbitrio permitterent, qui tamen omnes incolumes dimiſſi ſunt: qui ſuperius caſtellum tenebant, eum toto eo die animum obſirmaſſent, ſequenti iiſdem conditionibus deditionem fecerunt; in iis erant Boſcojordanus, [m] Vallorius, Legardius, et xxx circiter cataphracti equites ac totidem ſcloppetarii. Capti omnino cccc equi militares, ſigna omnia et impedimenta; capta et Monpeſati ſcrinia, quibus et de legationis ipſius ad Philippum arcanis, et de auxilio ad ſolvendam [n] Blaviae obſidionem deſtinato conſtitit. Haud multo poſt menſe Quintili eum idem Albaterranus [o] Inſulam oppidulum in Petrocoriis obſideret, pila plumbea ictus eſt, ex eoque vulnere nono poſt die deceſſit, relicto ſui incredibili deſiderio: vir ingentis animi, ingenio ac virtute praeſtans, Genevae natus erat, quo pater Proteſtantium doctrinae addictus, quae tunc in Gallia ubique exagitabatur, cum uxore ſe contulerat, relictis ampliſſimis ditionibus, quas Jacobus [p] Albo Santandreanus equitum tribunus donationis titulo a facili principe acceperat, graſſante tunc alieni per confiſcationes invadendi inter magnates exemplo, caſque, patre in [q] Allobrogibus defuncto, vix uxor ejus, beneficio edictorum in Galliam reverſa, ab [r] Achoniis, qui avunculi hereditate delatas

INTERPR. [a] *de Bois, & de Bois-Jourdain.* [b] *Chaſtain.* [c] *Puech d'Arnac.* [d] *Languedoc, & Armagnac.* [e] *le Sr de Themines.* [f] *la Morelie.* [g] *le Vicomte d'Aubeterre.* [h] *Montagrier Sr de Cherman.* [i] *de Mauriac.* [k] *la Vergne.* [l] *Carennac.* [m] *de Valloire, & Legardie.* [n] *Blaye.* [o] *Liſle en Perigort.* [p] *d'Albon mareſchal de S. André.* [q] *Savoye.* [r] *d'Achons.*

delatas tanquam ſuas poſſidebant, poſt complura ſenatus decreta et diplomata recepit. David inter haec adolevit, qui majorum religionem, a qua parentes defecerant, cum fratribus profeſſus, et conſtantiſſime ſuperioribus bellis in Aquitania tutatus eſt, uxoreque ducta Renata [a] Burdellia ex ea ſusceptam filiolam reliquit, nobiliſſimae et opulentiſſimae illis locis familiae unicam heredem. Superiore anno exeunte Matignonus equitum tribunus caſtra ad Blaviam poſuerat, occupatis ſuburbiis, quae ſemper poſtea tenuit; primo eruptionibus certatum, in quibus [b] Berneſcutus et Baralius ejus nothus frater ex hoſtibus deſiderati ſunt. [c] Paulus Eſpervesius Luſſanus, qui locum ſervabat, auxilia undique petebat. Franciſcus [d] Mota Caſtelnovus Marmandae praefectus, Jacobi ante XXXIII annos [e] Amboſiae ſupplicio affecti gentilis, obſeſſis miſit C ſcloppetarios, et XX fariſſophoros ducibus Joanne [f] Guſto Liuſio, Riverio et Jacobo Gilleto, qui [g] Pregnaco ſolventes, ac [h] Burdigalam praetervecti, ubi Anglicanae naves regi ſubſidio miſſae excubabant, ad [i] confluentem Garumnae et Duranii in quaſdam regias et Anglicanas inciderunt, quas exſcenſione ſtatim in terram facta, relictis in ripa navigiis, quibus portabantur, cluſerunt, et terreſtri itinere caeſis obviis ruſticis [k] Blaviam incolumes pervenerunt. Primus eorum contra ſtationem proximam regiam impetus fuit, quam et disjecerunt. Interea naves XVI Hiſpanae a Philippo miſſae Aprili menſe appulerunt, et Anglicanas ad confluentem recedere coegerunt. Ibi acriter certatum, iſque pugnae exitus fuit, ut hinc inde una et altera navibus crematis nutante victoria diſceſſum ſit. Nec ceſſabat Matignonus, qui Jo. Roberto [l] Limallia ex Santonibus evocato, ut cum X navibus egregie inſtructis aeſtuarium [m] Garumnae intraret, ipſe cum XV a ſe armatis et Anglicanis Hiſpanas aggredi ſtatuit; et proculdubio magno in periculo verſabantur Hiſpani undique circumventi: ſed ſeu Limalliae culpa ſive aeſtu ac ſecundo vento adjuvante, quod excuſationi ſuae praetexebat Limallia, noſtrorum undique incurſantium impetus evaſerunt, ac ſe in tutum poſtremo receperunt. Poſtea XVI Kal. Sextil. ex Hiſpania VI naves comparuerunt, quae milite, commeatu, et bellico apparatu Blaviam abunde firmarunt. Utrinque aliquoties eruptionibus rurſus certatum fuit, in quibus Bertrandi [n] Balleoli Poianae et Paniſſautii legiones damno affectae ſunt, ac Antonius [o] Gurgus, Dominici illius Indica expeditione famoſi gentilis, interfectus eſt, magno ſui relicto deſiderio, quippe qui paulo ante eodem anno [p] Caſtellionem in Medulis ſumma virtute ex hoſtibus receperat. Matignonus vero, qui res contra ſpem ac votum ſuccedere videret, et auxiliis promiſſis deſtitueretur, ſubductis in tutum tormentis ac impedimentis ad extremum obſidionem ſolvit. Durante obſidione regii a [q] Fontana quodam ordinum ductore multum incommodi acceperunt, qui [r] Verniam munitionem haud hinc longe loco paluſtri, ad quam tantum anguſto admodum calle aditus eſt, ſitam, valido praeſidio tenebat; ex qua aſſidue excurrebat, et parvis navigiis per canaleis interpoſitos commeatu et aliis rebus neceſſariis obſeſſos juvabat.

XVIII. [ſ] DIGUIERIUS in Delfinatu initio hujus anni a [s] Gratianopolitanis evocatus, ut [t] Allobrogum, capto nuper [u] Moretelo in Griſivodana valle, omnia circum infeſta facientium excurſiones fraenaret, totum Januarium contrariis in hoſtico excurſionibus contrivit. Dein Februarius ac totus fere Martius nulla re bello geſta abiit: tantum in re monetaria laboratum eſt, quae [v] Septimanorum licentia multum depravata magnas in commercio cum vicinis provinciis difficultates afferebat: in

annona

INTERPR. [a] *de Bourdeille.* [b] *Berneſcut, & du Barrail.* [c] *Paul d'Eſparbes Sr de Luſſan.* [d] *la Mote baron de Caſtelnau gouverneur de Marmande.* [e] *Amboiſe.* [f] *de Gouſt Sr de Lioux, la Riviere, & Jacques Gillet.* [g] *Bourg de Pregnac.* [h] *Bourdeaux.* [i] *Bec d'Ambez.* [k] *Blaye.* [l] *le Capitaine la Limaille.* [m] *la Garonne.* [n] *de Bailleul Sr de Poyane, & le Sr de Paniſſaut.* [o] *de Gourgues.* [p] *Chaſtillon en Medoc.* [q] *le Capitaine la Fontaine.* [r] *Fort de la Vergne.* [ſ] *le Sr de Leſdiguieres.* [s] *Ceux de Grenoble.* [t] *Savoiards.* [u] *Moretel au Greſivaudan.* [v] *Ceux de Languedoc.*

annona item militari diſpenſanda, ac poſtremo in cogcodis provinciae viribus ad Moreteli expeditionem tentandam, quae tamen minime ſuſcepta eſt, annonae penuria, quam provinciales ſubminiſtrare recuſarunt; tum miſſus Abelus Berengarius [a] Morgius, ut comitia per Diguierii abſeotiam [b] Valentiae celebraret. Allata et ſub id ex aula diplomata ad rem pecuoiariam expediendam, et in ſenatu promulgata ſunt. Sub finem Aprilis a ſuis monitus Diguierius, ſi Alpeis ſuperaret, fore, ut cum Sabaodo pacificationis rationes iniret, nam id eum expetere, [c] Mauri-podio, quo paulo ante conceſſerat, cum Ludovico [d] Blanio Poeto, et Hectore [e] Foreſto Blacono, profectus, et, facto per [f] Ebrodunum, Brigantionem, Seſanam et Feneſtellas itinere, [g] Briquerafcum venit III Kal. Maias. Moxque ad eum venit Amadeus [h] Tarnavaſius Sabaudi nothus frater cum [i] Purpurato tribuno; cumque vagos tantum et incertos de coixa Sabaudi cum rege cooveniendi voluntate ſermones ſereret, neque quidquam nominatim de reſtitutione locorum ante denunciatum bellum occupatorum adjungeret, ſuſpicionem Diguierio injecit, oon id agi, quod ſimulabatur, ſed tempus artificioſe duci, dum copiae undique evocatae Vigonem convenirent, et imparatos regios opprimerent: biduum commorati legati diſceduot; ipſe Diguierius, qui hoſtium aſtum provideret v Non. Maias Briqueraſco proficiſcitur, et primis caſtris Feneſtellas venit, miſſis, qui de rebus hoſtium cognoſcerent; extemploque acceptis ab Henrico Momorantio equitum magiſtro literis, quibus eum rogabat, ut [k] Belloquadrum ſe propere conferret, quo [l] Eſpernonius, Ornanus, aliique e [m] Provincia et Septimania proceres ac belli duces venturi erant, ut de republica in commune capita conferrent, ipſe eo ire decrevit. Sed incumbente eum totis viribus Sabaudo conſilium mutare coactus eſt. Is a ſocero impetraverat, ut in [n] Inſubribus delectus haberentur, et [o] Borſus Acerbus tribunus XI ſigna peditum ſcripſerat. Praeterea IIII CIↃ Helvetiorum duce Sebaſtiano [p] Cunio, XXIV Neapolitanorum duce [q] Trivici marchione, III cohortes ex Mediolanenſi legione, ducibus Gabriele [r] Manrice Lara, Petro Camaccio, Alfonſo Pimentello, inſuper legionem Italicam, cui praeerat B. [ſ] Barbovius, circa ſe habebat; praeterea in ejus caſtris erant IX equitum alae, ductoribus [s] Vaſtii marchione, Hercule Gonzaga, [t] Troilo Sanſecundo, Rogerio Marliano, Caeſare Litta, Roderico Veneto, Alfonſo [u] Caſato, Bernardino Velaſco, Conſalvo Olivara; et I ſeloppetariorum equitum ala, quam Jo. Jacobus [v] Belli-jocus comes conſcripſerat, in Belgium cum Littae ala deſtinata, ſed quae io hac expeditione Sabaudo militavit.

XIX. His viribus ſubnixus, quae X CIↃ peditum et CIↃ IↃ equites conficiebant, antequam Briqueraſcum tentaret, Sabaudiae et [w] Suſioois faucibus milite inſeſſis, ad [x] Ocellos caſtra ponit, [y] Columbani-fano, quod exiguum ſupra Ocellos ſacellum eſt, occupato. Quo cognito Diguierius Seſana profectus, relicto Brigantione, quo impedimenta praemiſerat, eo tendit, locumque jam a ruſticis undique cinctum reperit, primoque conflictu [z] Prabaudus in lumbis gravi vulnere ictus eſt, ex quo poſt horas paucas deceſſit. Diguierii adveotu confirmati regii obſidiooem urgent, tandemque ſacellum expugnatum eſt, LX hoſtibus occiſis, et XXX circiter captis. Inde Diguierius Ocellos cooteodit, et rebus pro tempore conſtitutis Brigantionem revertitur, ubi intellexit ſtare hoſti Ocellis impoſitam arcem adoriri; ſtatimque ad praeſidia vicina et amicos

INTERPR. [a] *de Berenger Sr de Merges.* [b] *Valence.* [c] *Puy-more.* [d] *de Blain Sr du Pouet.* [e] *de la Foreſt Sr de Blacons.* [f] *Embrun, Briançon, Sezanne, & Feneſtrelles.* [g] *Briqueras.* [h] *de Ternavas.* [i] *le colonel Purpurat.* [k] *Beaucaire.* [l] *le duc d'Eſpernon, & le colonel d'Ornano.* [m] *Provence, & Languedoc.* [n] *le Milanois.* [o] *Borſo Acerbo.* [p] *Cuni.* [q] *Trevico.* [r] *Manrique de Lara, & P. Camaccio.* [ſ] *Barbovo.* [s] *del Guaſto.* [t] *il conte Troile Sanſeconde, & Rugier Marliani.* [u] *Caſate, Bern Velaſco, & Gonçalez Oliveira.* [v] *Belgioioſo.* [w] *Pas de Suſe.* [x] *Exilles.* [y] *Petite Egliſe nommée S. Columban.* [z] *de Prabaud.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

amicos ſcribit, ſibi in tali occaſione praeſto eſſent. Necnon et ad Momorantium dat literas, et quibus anguſtiis Ocelli conflictentur oſtendit, et auxilia poſcit. Interea Columbani-fanum a Sabaudis et rurſus captum, et omnes aditus inſeſſi, tormentis etiam ad arcem pulſandam adductis. Quod ut vidit Blaconus, vi facta cum aliquot e nobilitate et delecta militum manu perrumpit Eidibus Maiis, et arcem defendendam ſuſcipit. Diguierius ut hoſtium conſilia exploraret, ad [a] Oliſiam caſtra ponit. Quo eodem die coepta verberatio cum IIII muralibus machinis, et biduo poſt cum IIII alteris, qua die XXX auxiliares rebus neceſſariis onuſti obſeſſis ſummiſſi. Poſtridie N. [b] Bona Auriacus ope [c] Pragelatenſium, ad montem cui [d] Crepaſiae nomen, munitionem ſupra arcem extruit. Demum XIII Kal. Jun. tribus oppugnationibus locus tentatus, quas obſeſſi fortiter repulerunt, multis hoſtium occiſis. Poſtridie ſub horam nonam quarta oppugnatio facta, cum damno hoſtium pariter a praeſidiariis repulſa: ſub veſperam cum hoſtes extremam vim facturi crederentur, conſpecto noſtros in [e] pomoerio paratos ſuppreſſo impetu ſe receperunt. Tandem cum ſumma omnia feciſſent obſeſſi, et inſeſſis aditibus nulla ſpes auxiliorum eſſet, tormentiſque ex altiore loco directis graviter infeſtarentur, jam multis ſuorum amiſſis, pleriſque vulneratis, de deditione agi placuit, datis utrinque obſidibus. Poſtridie conventum, ut regii vita, armis, et rebus ſalvis, ad tympani pulſum, ſignis explicatis, fune accenſo et pilis in ore exirent, et machinas ac apparatum bellicum et annonam ſecum aſportarent; vulnerati in tutum deveherentur. Locus hoſti a Blacono traditus X Kal. Jun. poſt III CIↃ CC LX tormentorum ictus diſploſos; reliquum menſis aditibus [f] Genebrae montis firmandis, et in [g] Oliſiana valle ſtruendo munimento ad hoſtium fraenandas excurſiones, inſumptum.

XX. VII Eid. Jun. Rodericus Toletanus, qui vicarii generalis auxiliarium copiarum munere in exercitu hoſtili fungebatur, cum delectis [h] Inſubrum, Neapolitanorum, et Hiſpanorum copiis Oliſiam procedit, ubi Diguierius caſtra muniverat, et [i] Salebertranum pagum praetergreſſus ſero ſenſit ulterius ſe juſto provectum, declivi itinere et propterea equiti incommodo. Verum ut hoc incommodum vitaret, equitatum per vallem interjectam, qua [k] Duria labitur, immittit, infra viam regiam, per quam reliquae copiae incedebant; quas noſtri praemiſſo ad inchoandum certamen peditatu a via deflectentes antevertere ſatagebant, ut hoſtem a tergo et fronte invaderent. Quo conſpecto Rodericus magna in anxietate verſabatur, ſi manus conſereret, omni receptus ſpe adempta, ſi pedem referret, regiis victoria tradita. Nam interim equites noſtri aditum occupabant. Tandem conſilium de receptu placuit, ſervatis initio ſtrenue ordinibus. Hoſtes ſcloppetis pugnantes ad Salebertranum uſque ſe gnaviter tutati ſunt: ſed acriter incumbente pedite noſtro, et ſuperveniente delecto ex alis ſingulis equitatu, tandem ceſſere, et fuſi fugatique ſunt, abjectis paſſim armis, ut expeditiores ad receptum eſſent. Tum inſequentibus noſtris caedes promiſcua facta. IↃ ex hoſtibus cecidere, in iiſque Rodericus ipſe deſideratus. Capti circiter C, in iiſque [l] Garſias Miedes caſtrorum praefectus. Pauci ex regiis deſiderati ac nullius nominis. Quidam vulnerati, plures ut in loco anguſto equi amiſſi. Sub finem certaminis Baltazar [m] Flotta Rupis comes, et Antonius [n] Autunius Balma cum aliquot ordinibus advenerunt, gradu accelerato, [o] Brigantione alis equitum relictis. Poſtridie munita ad Oliſiam caſtra a Diguierio dirui juſſa, qui Seſanam inde contendit, variiſque de hoſtium inceſſu acceptis nunciis totum triduum incertus conſumpſit, ac Eidibus Junii [p] Sanvincentium juſſit Salebertranum uſque progredi, ubi, aliquot

INTERPR. [a] *Oulx.* [b] *de Bonne Sr d'Auriac.* [c] *ceux de Pragelas.* [d] *Crepaſſe.* [e] *logez en veue de la breſche.* [f] *Mont Geneure.* [g] *Val d'Oulx.* [h] *Milanois.* [i] *Village de Salebertran.* [k] *la Doire.* [l] *Don Garſia de Miedes mareſchal de camp general.* [m] *de Flotte comte de la Roche.* [n] *de la Baume d'Autun.* [o] *Briançon.* [p] *le Sr de S. Vincent.*

aliquot ex hoſtibus caeſis, comperit Sabaudum tormenta et omnem apparatum [a] Ocellis deduxiſſe, ac ſe trans Alpeis omnino receepiſſe. Moxque cognitum eſt, hoſtem diverſa parte [b] Griſivodanam vallem, in qua [c] Gratianopolis ſita eſt, munitis in faucibus ejus caſtris, infeſtare; quod ut impediretur, iter [d] Oſanum-Burgum pronunciatum eſt. [e] Diguierius ſeptimis caſtris facto per [f] Ebrodunum et Gratianopolim itinere [g] Buſſeriam venit, et hoſtem ſe vallo continentem fruſtra laceſſitum cum ad pugnam prolectare non poſſet, tandem VII Kal. Quintil. [h] Tovetum conceſſit, ubi cognito [i] Moreteli arcem fulgure fortuito conflagraſſe, et cum ea pulverem omnem nitratum conſumptum, ruinamque tota arce ingentem editam ac complureis praeſidiarios occiſos, aut armis exutos, oblatam loci tentandi occaſionem minime praetermittendam ratus, illuc vireis vertit, et [k] Iſara tranſmiſſo [l] Goſſelini et Domenae hoſpitia copiis deſignat. Verum ubi in Moreteli conſpectum venit, jam ſartas ruinas et novo ſupplemento locum firmatum reperit. Itaque exeunte Junio ſe Gratianopolim contulit, dimiſſis copiis, ut ſe ex tot menſium labore aſſiduo recrearent. Dicta dies Alfonſo Ornano, ut conjunctis viribus IIII CIↃ Helvetiorum venientibus obviam proficiſcerentur. Captum in itinere [m] Geneſii-fanum a [n] Peliſſone, et [o] Mondragonii arx in poteſtatem redacta VII Kal. Sextil. et mox [p] Murſia arx ad Rhodanum ſita e regione [q] Sebuſianorum crepitaculo admoto intercepta, firmando fluminis tranſitu opportuna. Itaque die ſequenti munitio in citeriore ripa exſtructa, arci oppoſita, et funis ducendo et reducendo pontoni, ſicuti illis regionibus fieri conſuevit, utrinque trajectus; poſtea VIII Eid. Sextil. [r] Sanvincentius cum delecta equitum et peditum manu excurrere in hoſticum juſſus [ſ] Bellenſem uſque civitatem penetravit, quo paulo ante [s] Treſortii marchio venerat, relicto ad [t] Arvae-pontem exercitu, locum Genevae vicinum, quem IV tormentis pulſabat. Sed cum nuſquam hoſtes comparerent, et Helvetiorum adventum adhuc incertum exſpectare militi taedioſum ac damnoſum videretur, dimitti rurſus copias placuit, et ipſi duces diverſi [u] Ornanus [v] Moranum, Diguierius [w] Chirenam retro abierunt. Demum XIII Kal. Sept. duces rurſus convenerunt, et diverſis expeditionibus propoſitis ſatius viſum, in [x] Subalpinam regionem deſcendere, ut [y] Cavortio, quod ab hoſte peti intelligebatur, in tempore ſubveniretur. Igitur acceptis ab Ornano ſubſidiariis copiis Diguierius Ebrodunum venit V Kal. Sept. ibique IIII ſigna ex [z] Septimania a Momorantio miſſa et circa [a] Vapincum omnes copias jam conveniſſe cognovit. Sabaudus poſt captam Ocellorum arcem, acceptis III CIↃ Hiſpanorum, duce Auguſtino Mexia, in [b] Peroſiana valle [c] Fanum-Benedicti muniverat, ut ab illa parte aditum venientibus noſtris occluderet: inde promotis Luſernam verſus caſtris locum vacuum praeſidio reperit, et Cavortium iter intendit, in cujus arce expugnanda cum ſpe majus negotium fore animadverteret, et Diguierium ſubito venturum ſciret, occaſionem honeſte ab obſidione diſcedendi ex induciis generalibus Sextili proximo a rege cum Meduanio pactis ſumpſit; quibus tamen cautum erat, ut exceptus intelligeretur, niſi iis comprehendi vellet, quod intra menſem declarare teneretur. Monitus igitur ab [d] Auriaco et [e] Villario delegatis Diguierius Sabaudum induciis comprehendi velle, deinceps ab armis temperatum fuit; iis cautum, ut inter regem et Meduanium conventa ſervarentur, exceptis capitibus, quae ſuam celſitudinem minime ſpectabant; intra triduum copiae dimitterentur, et in praeſidia diſtribuerentur; pecuniarum collationes ab utraque parte, ſicuti belli tempore impoſitae fuerant, citra popularium vexationem exigerentur;

novae

INTERPR. [a] *Exilles.* [b] *Vallée de Greſivaudan.* [c] *Grenoble.* [d] *Bourg d'Oyſans.* [e] *le Sr de Leſdiguieres.* [f] *Embrun.* [g] *la Buiſſiere.* [h] *Touvet.* [i] *Moretel.* [k] *l'Iſere.* [l] *Geuſelin & Domeine.* [m] *S. Genies.* [n] *de Peliſſon.* [o] *Mondragon.* [p] *Murs ſur Rhone.* [q] *Breſſe.* [r] *le Sr de S. Vincent.* [ſ] *Bellay ville epiſcopale en Breſſe.* [s] *Trefort.* [t] *le pont d'Arve.* [u] *le colonel d'Ornano.* [v] *Meras.* [w] *Chirene.* [x] *Piedmont.* [y] *Cavours.* [z] *Languedoc.* [a] *Gap.* [b] *Val de Perouſe.* [c] *St Benoiſt.* [d] *de Bonne Sr d'Auriac.* [e] *de Villars.*

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

novae induciarum tempore non imponerentur. Id actum in [a] Levinia valle, id pago nomen, pridie Kalendas Septembreis. Diguierius uſque ad VI Kal. Oct. Briquerafci commoratus, militem morbis, vulneribus aliaque peſte, valde imminutum ſupplevit; Cavortii munitiones tormentorum ictibus et imbre plerisque locis collapſas inſtauravit, et amplius de induciarum capitibus cum Sabaudi delegatis egit, ut collationum ratio exacta iniretur, quarum reſiduum ad XL CIƆ aureorum excurtebat: poſtea induciae ad annum uſque exeuntem prorogatae ſunt. In id tempus Lugdunenſis motus et magna in Provincia animorum converſio ſecuta eſt, Eſpernonii odio ſeu taedio, pleriſque ut ſe contra praepotentem inimicum tuerentur, regium nomen profitentibus: iis auxiliares Octobri exeunte miſſi, [b] Torneſio ductore: Diguierius et Ornanus cum de republica [c] Gratianopoli in commune contuliſſent, conſultum viſum, ut ad regem diligenter de Provinciae motibus perſcriberent, et quid voluntatis ſuae eſſet, plenius per fidos ad eum miſſos cognoſcerent. Poſtea cum rurſus [d] Tullini conveniſſent, etiam ad Momorantium ſcribunt Nonis Decembribus, qui Eſpernonio ob proximam inter ipſos adfinitatem favere credebatur, et ante cognitam regis voluntatem, ne eum ope ſua juvet, plurimum rogant.

XXI. Hoc et anno longe periculoſiſſimus motus in [e] Aquitania exortus ex hac occaſione. Cum praeteritorum bellorum tempore populares a diſcurſationibus militum omni libidinis ac licentiae genere graſſantium ſummopere vexati eſſent, neque vexari deſinerent, cum ubique, tum praeſertim in Petrocoriis, Lemovicibus, ac Pictonibus ruſtici ex deſperatione tandem arma capiunt, ad defenſionem primo, mox ut numero crevere, audacia creſcente, tribunos ac duces inter ſe creant, et forma juſtae militiae inſtituta ab injuriis, quibus a ſe propulſandis ſumpta arma initio excuſabant, minime poſtremo temperavere; arcium et aliorum locorum praefectis, a quibus ſe indigne admodum habitos querebantur, bello denunciato; et vectigalium regiorum negata quaeſtoribus penſitatione; prorſuſque [f] Gualteranorum in agro Faleſiano ante quadriennium a Monpenſerio deletorum exemplo, per illas provincias locorum gnari vias et aditus cum armis inſidebant, vicinae nobilitati formidoloſi; et jam ubique ſaevientes, atque obvia cuncta devorantes, ut vulgari dicterio [g] Crocani vocarentur. Per biennium et amplius tumultus duravit, primum neglectus, rege majoribus curis diſtricto; dein adverſus eos miſſi Joannes [h] Surchius Malicornius Pictonum praeſes, et poſt eum Ludovicus [i] Caſtaneus Abennius, qui aliquot certaminibus palanteis in provincia fudit; mox ſolutos et per homines idoneos officii amice admonitos, facta melioris in poſterum per regem conditionis ſpe, arma ponere coegit: idem ab Henrico [k] Burdelliae vicecomite Petrocoriorum praeſide, in [l] Lemovicibus, Petrocoriis, Aginnatibus, ac Santonibus, extrema belli neceſſitate factitatum; cum nulla ratione populi natura feroces adduci poſſent, ut jugum ſemel excuſſum liberis cervicibus reciperent. Itaque major ex iis numerus varia peſte abſumpti. Huic ſimilem agreſtium motum anno CIƆ CCLI Ludovico IX rege in Aegypto bellum procul ab domo gerente memorant annales noſtri. Nam poſt infelicem ſucceſſum paſtorum ingens manus, cognito regem a Saracenis captum, arma cepere, a [m] Biturigibus et Aurelianenſibus poſtremo caeſi. Poſtea in [n] Arvernis, Lemovicibus, Pictonibus, temporibus Caroli VI excitatam ſeditionem iidem annales tradunt, circa annum CIƆ CCCXXCIV ab agreſtibus, qui in nobilitatem ac ſacerdotes duce [o] Petro Bruierio arma ſumpſerant, quos item Joannes [p] Biturigum dux regis patruus varia peſte profligavit, aliis gladio, aliis laqueo interfectis; ita ut pauci evaſerint, qui ad agros colendos redierunt.

INTERPR. [a] *fait au lieu du Vaux de Levene.* [b] *de Tournet.* [c] *Grenoble.* [d] *Tullins.* [e] *Guienne.* [f] *les Gaultiers à Falaiſe en Normandie.* [g] *Crocquants.* [h] *de Chourſes de Malicorne gouverneur de Poictou.* [i] *de Chaſteigner Sr d'Abin.* [k] *Bourdeille.* [l] *Limouſin, Perigort, Agenois, & Saintonge.* [m] *ceux de Berry, & Orleannois.* [n] *Auvergne.* [o] *Pierre de Bruyeres.* [p] *Berry.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

N*IVERNIUS, legationis ad pontificem miſſae princeps, ad Poſchiavum obvium habet Antonium Poſſevinum cum pontificis mandatis: ad Urbem* XI *Kal. Dec. ubi venit, ſtatim ad pedum deoſculationem admittitur, et* X *dierum praeſcriptam moram et interdictum cardinalium colloquium deprecatur.* II. *Biduo poſt ad colloquium admiſſus longa ac vehementi oratione potentiam regis et magnitudinem virium ejus extollit.* III. *Foederatos contra ut ambitioſos et regni everſores ſumma libertate in invidiam, detectis eorum pernicioſis conſiliis, adducit.* IV. *Dein de Cenomanenſi et Seguerio injecta mentione, petitum ut ii ad pedum deoſculationem admitterentur, et reconciliationis regis, cui interfuerant, rationem redderent. Id negatum.* V. *Nivernius demum poſt decem dies elapſos admiſſus, ad pedes pontificis proſtratus benedictionem ſibi impertiri regis nomine petit: quod et negatum.* VI. *Cum nulla reconciliationis ſpes eſſet, Nivernius acta legationis copioſo ſcripto complexus eſt, addita ſub finem vehementi expoſtulatione et proteſtatione ſuo privato non regis nomine.* VII. *Per Venetias facto itinere, Cenomanenſis, quem ad colloquium admittere noluerat pontifex, ſcriptum publicat, quo reconciliationis regis a praeſulibus celebratae rationes et neceſſitatem demonſtrabat.* VIII. *Seneſcaeus, et, Guiſii nomine, Orbaſius abbas, ad pontificem veniunt, et quid Lutetiae in comitiis actum ſit exponunt. Cum exiguam in pontifice auxiliorum ſpem ſupereſſe comperiſſet Seneſcaeus, Meduanium monet, ut ſibi conſulat.* IX. *Monpeſatus in Hiſpaniam a Meduanio miſſus cum Philippo agit. Ad ejus petitiones per procraſtinationes reſponſum.* X. *Edictum a rege jam reconciliato propoſitum exeuntibus induciis, quo omnes in gratiam admittuntur.* XI. *Primus Ludovicus Hoſpitalius Vitrius Meldorum praefectus a foederatorum partibus diſcedens exemplo ſuo ceteris praeivit, edito ſcripto, quo facti rationem exponebat.* XII. *Plebs Lutetiae tumultuatur. Belinium ab urbis praefectura remotum ſenatus indigne fert. Liberae dicuntur ſententiae. Quidam boni cives urbe exacti.* XIII. *Praefectura urbis Briſſaco attribuitur. Irrita regis ad Firmitatem-Milonis obſidio.* XIV. *Lugduni boni cives ab Hiſpanis, qui urbem in poteſtate habere cupiebant, ſibi metuentes, cum Alſonſo Ornano, qui in proximo erat, agunt, ut ille ad Guilloteriam cum delectis accederet. Condicta dies* VII *Kal. Febr. protinus ad libertatem Francicam tota urbe conclamatur. Alſonſus in urbe magna laetitia admiſſus, et creati novi urbani magiſtratus.* XV. *Ante motum Lugdunenſem Aquis Sextiis Carſius comes, cum ab Eſpernonio arctius in dies obſideretur, ſenatui ac civitatis ordinibus auctor fuerat, quo ſe belli anguſtiis eximerent, regi jurata obedientia, Eſpernonium hoſtem ſuum, regis, cui cum haud ita bene conveniebat, hoſtem facerent. Inconſulto ſe factum indigniſſime tulit Meduanius.* XVI. *Villaregius per Allincurium filium cum rege clam de Eſiae ponte tranſigit. De Perona item, Deſiderii monte et Roia cum Michaele Eſtrumelio*

Sanlucii ſororii interventu conventum. Durocortori Remorum, propugnaculum majus urbis arcis vice a Sanpaulo munitum oppidani clam intercipere, et ſe in libertatem vindicare conantur. Quod apud Guiſium excuſant. XVII. *Cum Claudio Caſtreo, qui Aurelianum et Avaricum Biturigum tenebat, itidem tranſigitur.* XVIII. *Autrici Carnutum celebrata regis inauguratio, Nicolao Thuano urbis epiſcopo ſacra faciente. De loco cum controverſia eſſet, non certo loco neceſſitatem impoſitam multis et gravibus rationibus, et ex hiſtoria noſtra petitis exemplis, oſtenditur.*

Ex auctoribus,

Nivernii legationis actis, Seneſcaei legationis actis, Diario urbano M. S. Lugduni recepti ad regem relatione, Actis publicatis, Caſtrei programmate, Nicolao Thuano Carnutum praeſule.

LIBER CENTESIMUS OCTAVUS.

CIↃ IↃXCIII.
Henricus IV.

NIVERNIUS jam in viam ſe dederat, cum praeſulibus ipſi attributis, et facto per [a] Lingones, Sequanos, Rauracos, Tigurinos ac Rhaetos itinere [b] Poſchiavum venerat, cum III Eid. Oct. obvium habuit Antonium Poſſevinum e ſodalitio Jeſuitico, virum multis legationibus, ac praecipue Moſcovitica, rerum gerendarum expertum, ac patria Mantuanum, cum literis fiduciariis pontificis, inſuper mandatis, Laetari quidem eum de reconciliatione regis ad eccleſiam, ac optare, ut ea talis eſſet, qualem eſſe oporteret: ceterum non poſſe ſuam ſanctitatem ipſum ut legatum regis, quem nondum talem agnoſceret, ad colloquium admittere; alio nomine ei gratum fore [c] Nivernii adventum. Qua re ille ultra modum perculſus, quod ex negotii ſuſpecti inauſpicato principio male etiam de exitu ejus ominaretur, tamen iter perſequitur, et Mantuam venit, ut Vincentium ducem Gulielmi fratris filium ſalutaret, remiſſo Romam Poſſevino, cujus interventu ſperabat, ut pontifex ſententiam mutaret. Sed poſtea cum ex literis Sangeorgii cardinalis ad Poſſevinum datis VIII Kal. Nov. cognoviſſet pontificem in ſententia perſtare, ac ita velle, ut ad urbem cum exiguo comitatu veniret, ne privatus ad ipſum accedens legati ſpecie venire videretur; quanquam aegerrime reſponſum hoc ferret, tamen ire perrexit, ſenatu Veneto, Ferrariae et Etruriae et Urbini ducibus in itinere minime ſalutatis, portaque [d] Angelica non [e] Flaminia, qua principum oratores ingredi ſolent, urbem introivit XI Kal. Dec. Eodemque die ad pedum deoſculationem admiſſus, ante omnia decem dierum moram ſibi praeſcriptam, ut nimis brevem ad tanti negotii, cujus ergo venerat, diſcuſſionem, ac interdictum cardinalium, ad quos a rege literas habebat, colloquium, multis verbis deprecatur; rogatque, ut coram Philippico oratore et foederatorum, qui adſunt, delegatis, cauſam regis regnique ſibi agere liceat, palamque vel ipſis fatentibus facere, quanta impudentia per impoſturas artificioſe confictas deceſſoribus pontificibus ac ſanctae ſedi hactenus in hoc negotio illuſum ſit.

II. Cum iis de rebus amplius cum cardinalibus ſe deliberaturum reſpondiſſet Clemens, biduo poſt rurſus Nivernius ad colloquium admittitur: et Cupere ſe dixit praeſentibus

INTERPR. [a] *Pays de Langres, Franche-Comté, Baſle, Zurich, & les Griſons.* [b] *Poſchiavo.* [c] *le Duc de Nevers.* [d] *Porta Angelica.* [e] *Porta del Popolo.*

præſentibus Philippi oratore ac foederatis agere, ut eos vanitatis coram pontifice ac cardinalibus arguat, oſtendatque res Gallicas non eo ſtatu eſſe, quo ab ipſis Romae et per Italiam jactetur. Sic enim ſperare non ingenii fiducia, ſed adverſariorum confeſſione, ut cauſam regis ipſe adprobaret. Regem non ita debilem eſſe, ut illi blaterant, nec tam facile regno exui poſſe, ut nonnulli ſuae ſanctitati perſuadere conati ſunt: nam in poteſtate ejus eſſe duas et amplius regni trienteis ex nobilium flore, quod robur regni eſt praecipuum, multas et civitates eſſe, quae nullum pro religione Catholica et regis ſalute periculum ſint detrectaturae: inſuper omnes paene principes, non ſolum regis gentileis, ſed alios omneis magiſtratus tam militareis quam ceteros in regni [a] curiis et rationalium tribunalibus jus dicentes, antiquos provinciarum praeſides ac praefectos regis partes ſequi. Contra ſolos e Lotharingica familia et Sabauda factionis duces regi reſiſtere; nec praeterea quenquam ex praeſidibus ac praefectis, Gul. Joiuſa equitum tribuno nuper defuncto; ex VIII regni curiis majorem partem in ejus poteſtate eſſe; ſolum ex VI praeſidibus Pariſienſis ſenatus Briſſonium Lutetiae remanſiſſe a Sexdecimanorum factione poſtremo ſtrangulatum, non ſine juſta Dei ultione, quod in injurioſam regis defuncti abdicationem conſenſiſſet, a quo primaria dignitate auctus erat. Ex curia Rotomagenſi primarium praeſidem, et ſaniorem partem initio tumultus [b] Franciſcopolim et inde [c] Cadomum migraſſe, quo nunc ſenatus provinciae habetur. Ita [d] Divione factum eſſe, praeſideſque et majorem conſiliariorum numerum, ne rebellioni participarent, [e] Semuriam conceſſiſſe. Toloſae vero quid actum ſit, ſcire omneis, ubi Joannes Stephanus [f] Durantius ſenatus princeps, non ſolum de regno ſed de re Chriſtiana optime meritus, et Joannes [g] Daſiſius inaudita crudelitate a furente plebe perditorum hominum inſtigatu mactati ſunt, ἐam ſolum ob cauſam, quod rebellioni adhaerere recuſarent, et fidem regi ſervaſſent. Itaque pleroſque ex ampliſſimo illo ordine ſenatores factum tam horrendum deteſtatos, urbem ſponte reliquiſſe, et cum Momorantio ſe conjunxiſſe; idem feciſſe pleroſque ex [h] Aquenſi ſenatu in Provincia. Quod ad [i] Gratianopolitanum attinet, integrum eum, ut et [k] Burdigalenſem in Aquitania, et [l] Rhedonenſem in Armotica in fide permanſiſſe. Nunc vero quo ſtatu Lutetiam eſſe, undique cinctam et ad extremas miſerias factioſorum obſtinatione redactam? [m] Aurelianum ipſum, primariam regni urbem, et quae veluti ceteris ad rebellionem facem praetuliſſe putatur, ſummis in anguſtiis verſari, [n] Ligeri, qui ipſum et mediam Galliam dividit, ſupra et infra ad [o] Condivicinum uſque Namnetum a regiis ptaeſidiis fraenato; inde conſtare, contra quam ab adverſariis jactetur, et auctoritate et viribus regem in Gallia praepollere; contra ſoederatos per ſe debileis, et ſine Hiſpanorum et pontificum auxiliis vix ad menſem propriis viribus poſſe conſiſtere: id liquere confeſſione ipſius Meduanii, cujus ad Philippum literas interceptas tunc Clementi exhibuit, et rem ipſam clamare: nam quorſum Meduanium [p] Faram Veromanduorum Parmenſi Mercurianum in Armorica [q] Blavetum [r] Joanni Aquilae tradidiſſe, niſi ut viciſſim illi auxiliis eos juvarent, ſine quibus regi pares eſſe non poterant? Quorſum Meduanium tam ſerviliter Parmenſi ancillatum, nec familia inferiorem et dignitate in regno praecellentem, tamque indigna paſſum eſſe, ut plerumque cum ad ipſum ventitaret, in atrio exſpectare cogeretur, et renunciante [ſ] cubiculario herum ſuum occupatum eſſe, etiam excluderetur? Id cum caeci viderent, ad vanitatis plenas jactationes deventum eſſe, ſi rex Catholicus eligatur, et validis auxiliis juvetur, fore, ut brevi rex profligetur, et regno legitima ſucceſſione delato exueretur.

At

INTERPR. [a] *les parlemens, & chambres des comptes.* [b] *Havre de grace.* [c] *Caen.* [d] *Dijon.* [e] *Semur.* [f] *Duranti premier preſident.* [g] *Daffis.* [h] *Parlement d'Aix en Provence.* [i] *de Grenoble.* [k] *de Bourdeaux en Guienne.* [l] *de Rennes en Bretagne.* [m] *Orleans.* [n] *la Loire.* [o] *Nantes.* [p] *la Fere ſur Oyſe.* [q] *Blavet.* [r] *Don Juan de l'Aguila.* [ſ] *un de ſes cameriers.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV. At in eo ſuae ſanctitati impudentiſſime imponi. Nam potius ex eo ſecuturum, ut populus Catholicus omnino profligetur, monaſteria ac religioſa loca paſſim toto regno deſtruantur, et eccleſiaſtica diſciplina penitus ſolvatur. Nam regem jure eligi non poſſe gente extraneum, excluſis regii ſanguinis principibus, qui legitimi regni haeredes ſunt ac ſucceſſores. Id a reliquiis ſenatus Pariſienſis, qui Lutetiae eſt, nuper pronunciatum fuiſſe, cum illi vocem electionis in mandatis cardinali Placentino datis ſunt interpretati. Decreto autem IIII Kal. Jul. facto, quid aliud ſibi eoſdem voluiſſe, cum de Infantis Hiſpanae electione cum Erneſto archiduce, et poſtea Guiſio in ſolidum a Feriae duce ageretur, idque nomine ſuae ſanctitatis cardinalis Placentinus urgeret? Nimirum, ne extranei in regnum ſuccederent, et lex Salica ſervaretur, et nomine extraneorum omneis comprehendiſſe, qui ex ſanguine regio prognati non eſſent, licet in Gallia nati, etiam bona ac fortunas in ea collocaſſent. Et ut de electione agere liceat, id niſi convocatis univerſis regni ordinibus fieri non poſſe; atqui regem duos trienteis regni tenere: qui igitur univerſos cogi poſſe? Rurſus, ut ii, qui foederatorum partibus addicti ſunt, conveniant, tamen in comitiis defuturum, quod legitime cogi non poſſunt. Nam regis ſolius eſt comitia indicere, aut regentis; qui alius eſſe non poteſt, quam princeps regio ſanguine prognatus, et qui jus ſuccedendi in regnum habet; cui locus eſt, ſi quando rex carcere detineatur, aut liberos minores annis reliquerit. Id juris cuiquam eorum, qui Unioni addicti ſunt, minime competere, qui nec regio ſanguine prognati ſunt, nec regni dignitate ulla ornati; idque annotatione dignum videri, quod nulli inter eos ſint, publico munere aut dignitate a rege deceſſore donati: Meduanii autem auctoritatem cum regente comparari non poſſe. Nam LIIII numero, a quibus illam accepit, et quos ipſe ante in conſilium legerat, rerum agendarum ignaros, utpote inſtitores, trapezitas, cognitores, curiones ac Sorbonicos theologos, homines factioſos et libidini ſuae pro tanto beneficio ancillaturos. Atenim ſenatum hanc dignitatem ab hujuſmodi hominibus in Meduanium collatam confirmaviſſe. At quem ſenatum? Miſeras priſtini decoris reliquias, meticuloſos ſenatores, auctoritate legitima a rege privatos, qui [a] Clerici ſervi publici, qui paulo ante, concitata per ſeditionem plebe, veros ſenatores in carcerem armata manu duxerat, metu nihil hiſcere audebant, et ſi quid agebant, id tanquam ſimul judices et actores agebant. Quam vero ea poteſtate male uſus ſit Meduanius, ex donationibus, confiſcationibus, largitatibus ab eo temere, et praeter jus in homines indignos ac facinoroſos factis liquere. Exemplo eſſe, ut alia omittantur, [b] Retelenſem principatum ab ipſo in A. [c] Sanpaulum manipularem militem Februario menſe inaudita liberalitate collatum, cujus parens domum ſtipula tectam juxta [d] Gaucherii Firmitatem in Bria tantum poſſidebat, et ſoror altera egeno operario, altera miſero textori juxta Nangium nupſerat. Igitur legitimam defuiſſe Meduanio ad cogenda comitia, aliaque regentis obeunda in regno munia poteſtatem: non item ad bellum regibus movendum, ut cum ſuburbia [e] Caeſaroduni in Turonibus invaſit, cum ſe adeo ſtrenue geſſit, ante Lutetiae a rege, qui nuper deceſſit, obſeſſae, moenia. In [f] Arcuenſi juxta [g] Dieppam proelio, in ſuburbiis Lutetiae, [h] Euriaci, in [i] Neuſtria, Belſia, Perticenſi agro et aliis paſſim locis ſub hoc rege, ac nuper ad [k] Drocum, quod dum Lutetiae otiatur, expugnari paſſus eſt. Verum in eo excuſari debere, ſi legitima poteſtate deſtitutus et viribus adverſus potentiſſimum regem impar, ſuorum votis minime ſatisfecit. Nec vero diſſimulandum, quod Meduanius ſibi uſurpat, ut ad ſacerdotia inſtituendos ſuae ſanctitati nominatim commendet; nam id juris ſolis regibus tributum per pacta inter

Leonem

INTERPR. [a] *Buſſy le Clerc.* [b] *Duché de Rethelois.* [c] *de S. Paul.* [d] *la Ferté Gaucher en Brie.* [e] *Tours.* [f] *d'Arques.* [g] *Dieppe.* [h] *Ivry.* [i] *Normandie, Beauſſe, & le Perche.* [k] *Dreux.*

Leonem x et Franciſcum i facta. Ut vero in his comitiis contra jura ac leges regni convocatis rex eligatur, quid inde ſecuturum, niſi ut immenſis ſumptibus ſeſe inutiliter mergat, amicis principibus, hoc eſt, Philippo et ſuae ſanctitati moleſtus, ſuis damnoſus, regno exitioſus, ac poſtremo hoſtibus ſui ludibrium debeat? Nam idem prorſus ipſi eventurum, quod Anglis ſub Carolo vii, qui tandem regno exacti ſunt, Francis poſt exſatiata odia ſub legitimi principis dominatum tranſeuntibus. Nec vero totas Philippi vires, quae tanta jactatione promittuntur, ad regulum illum conſtituendum ſatis futuras; et ſi quidem Philippo jam annoſo, ac proinde brevi morituro adhuc quinquaginta anni addantur, vix ad parrandum cum rege legitimo, qui nunc eſt, bellum vitam ei ſuffecturam. Neque vero ſimile fieri ipſum principem prudentiſſimum tantam animo ambitionem coquere, jam inclinata aetate, ut de orbis Chriſtiani monarchia cogitet; eamque ut adipiſcatur, tot impietatibus ac immanitatibus, quae bellum hujuſmodi ſequi amant, cauſam praebeat, ac tandem coeleſtis regni jacturam faciat. Melius ejus parentem feciſſe, qui diu ante mortem de morte cogitans omnem terrenarum rerum curam abjecit, ut coeleſtia meditaretur; et tamen id a Philippicis miniſtris agitari, conſtare ex literis Feriae ducis interceptis. Sed magis mirandum, quomodo cardinalis Placentinus rerum noſtrarum et innata prudentia et uſu longo gnarus, ſuae ſanctitati perſuaſerit, per regis electionem religionis cauſam in Francia conſtitui poſſe, et non potius de ſalutaribus remediis adhibendis ipſum commoneſecerit, ut ex ejus literis ad oratorem pontificium, qui nunc in Hiſpania eſt, Sextili proximo ſcriptis ferrum flammamque ſpirantibus conſtat. Eundem ſuperioribus literis ſuae ſanctitati electionem Infantis aut externi principis ſuaſiſſe, excluſis regiae ſtirpis principibus, et de aliis principibus, praeſulibus, proceribus Catholicis ab eccleſiae communione removendis conſilium dediſſe, quaſi eorum conſilia ad Sectarium malum ſovendum, et non potius ad regni, ne in particulas diſſiliat, conſervationem ſpectarent: verum Hiſpanorum ſeu metum ſeu reverentiam in cauſa eſſe, ne ille ſuam ſanctitatem de ſacrilegiis et impietatibus foederatorum, ob quas potius illi diris devovendi eſſent, commonuerit. Quam vero debiles per ſe ſint foederatorum vires, praeter jam memorata documenta, ex eo probari, quod foedera et hujuſmodi ſocietates facile ſolvuntur. Id in foedere contra Turcam inter principes Chriſtianos a Pio v inito paruit. Jamque creſcere inter foederatos diſſidia et occulta ſimultatum ſemina, ipſoſque belli duces ſibi invicem inſidiari, eaque re civitates, quae praeſidiis non tenentur, tot tyrannorum intolerandum dominatum peroſas quaſi ex profundo veterno expergefactas ſe reſpicere, et de libertate priſtina ſeu conſervanda ſeu recuperanda ſerio conſultare; eo referendum, quod nullis precibus Meduanius adduci potuit, ut [a] Seureum oppidum in Burgundia Nemoroſio fratri uterino ademptum reſtitueret; nec lachrimis communis matris flecti, ut Lugdunum ad liberandum fratrem proficiſceretur; nam ita ſperaſſe Meduanium, ut munita loca, quae ille his in provinciis tenebat, reciperet, et ſpoliato omni auctoritate ac potentia ſuſpecto fratre, eo magis ſuam conſtitueret. Antea Nemoroſium ob eam cauſam [b] Urſeum marchionem [c] Monbriſonio in Seguſianis, Carolum [d] Colinium Andelotum [e] Brivato in Arvernis exuiſſe. Idem [f] Matiſcone, ſed nullo exitu, conatum. [g] Theniſſaeum vero regulum nuper [h] Caſtellionem ad Sequanam, Sanpaulum alia pleraque loca uſurpaſſe; at nihil ſimile inter Catholicos, qui regis partes ſequuntur, conſpici; quod ut eorum ex concordia robur adprobat, ita adverſariorum ex diſſenſionibus debilitatem arguit.

III. HAEC

INTERPR. [a] *Seurre.* [b] *D'Urfé.* [c] *Montbriſon en Forez.* [d] *de Coligny Sr d'Andelot.* [e] *Brioude en Auvergne.* [f] *Maſcon.* [g] *le baron de Teniſſoy.* [h] *Chaſtillon ſur Seine.*

CIↃ IↃ XCIII.
HENRICUS IV.

III. HAEC primo colloquio acta; ſequenti cum pontifex apette declaraſſet, regem in foro conſcienriae ſe abſolvere non poſſe, contraque ad ſoederatorum patrocinium obligari, ut qui Catholicam religionem conſtantiſſime ſemper tutati eſſent; Nivernius originem motuum Gallicorum orditur, et oſtendit non religionis cauſa foederatos, ſed privatae ambitionis aut ſimultatum ſtimulis incitatos arma ſumpſiſſe, quippe non contra Hugonotos, qui dicuntur, in Delphinatu et Pictonibus, ſed contra regem ipſum optime de religione meritum ad extremum ea convertiſſe; quanqnam non ignorarent, quid a concionatoribus paſſim Sectariae rurbae exprobratum fuerat, non licere ſubditis ulla de cauſa contra principem privata auctoritate arma ſumere. Id magis clarum fieri, incredibili illa de deteſtando regis ſumme Catholici paricidio concepta laetitia, publice paſſim teſtata, et tergiverſatione moroſa in declarando rege eo, quem ei ſucceſſorem legitimum deſignaverant, cardinali Borbonio; nam non niſi quarto poſt menſe eum in carcere interea tabeſcentem ſalutaſſe regem, interregnum ſcilicet, quam regem optantes, cum videlicet poſt capta ſuburbia omnem transferendi in ſuam familiam regni ſpem amiſiſſenr; nimirum haec eo tendere, ut regiae ſtirpis amor, cultus, reverentia ex Francorum animis omnino evellantur. Eo conſilio Infantis electionem ab iis propoſitam, cjuſque defectu Erneſtum archiducem ſubſtitutum; idem ambiviſſe Guiſium, ea ſpe a Meduanio ipſo, qni ſibi non fratris licet natu grandioris filio ſummum imperium parabat, depulſum: idem et Nemoroſium tentaſſe, datis ea de re Theniſſaeo regulo ad Meduanium fratrem uterinum mandatis. Lotharingiae autem ducem, cum idem expeteret, aegre tuliſſe nullam filiorum rationem in comitiali illo conventiculo haberi. Interea magno religionis Catholicae detrimento de Argentinenſi epiſcopatu cum ſenatu urbis et Proteſtantibus principibus tranſegiſſe. Atque licere ipſi, ſi pacem nobiſcum faciat, et ſua recuperare, et parte eorum, quae ex regia ditione uſurpavit, praefecturae ſeu ſecuritatis nomine retenta ſibi conſulere, et a [a] Bullionii, qni eum miſere vexat, aliorumque regiorum ducum armis ſe redimere. Cunctos veluti a foederatis ad praedam vocatos, ut partem quiſque opulentiſſimi ſimul ac potentiſſimi, dum integrum ſtabat, regni ſecum ſerat, quas divulſas poſtea Hiſpani nullo negotio ab iis ſunt repoſcituri. Sabaudum in Provincia ſibi, necnon et in Delfinatu, jus eſſe contendere: [b] Mercurianum [c] Armoricam ut dotalem totam vindicare. Solos Catholicos, qui a regis partibus ſtant, tam pernicioſis conatibus ſe opponere: et fide et obſequio apud ipſum meruiſſe, ut ſe in religione Catholica melius inſtituendum traderet; quo nomine eam de orbe Chriſtiano, imo de ipſo pontifice, et ſancta ſede gratiam iniiſſe, ut non adeo contumelioſe haberi vel rex ipſe, qui ſupplex ad beati Petri limina nnnc accedit, vel illi, qui ei tam ſalntaris conſilii anctores fuerunt, pietate ſua meruerint. Fruſtra objici, debuiſſe Catholicos, qui cum rege ſunt, poſt mortem deceſſoris ſui, ad ſoederatorum partes confeſtim ſe applicare, ut communi conſenſu regem Catholicum eligerent. Sed inſame illius paricidium ſatis eos excuſare, nec aequum dignumve aut juſtum fuiſſe, tot regiae ſtirpis alioſqne principes, proceres, et primariis regni dignitatibus ornatos viros ad eos ſe adjungere, ex qnorum caſtris impins ille regis percuſſor prodierat, quem et ipſi inter divos veluti retulerunt, eiqne marmoream ſtatuam in majore urbis templo erigere decreverunt: nec ferendum fuiſſe, ut tot dignitate praecellentes principes ac proceres ſe Meduanio poſtremo ex ſtirpe Lotharingica ptincipi ſummitterent, et ejus auſpiciis vexillum rubrum ſequerentur; hoc eſt, dirum Hiſpanorum nominis Francici hoſtium jugum ſnbirent. Haec eo a ſe dicta, ut intelligat ſua ſanctitas, quid interſir inter eos, qui regis partes ſequuntur, et nomen Francicum contra publicos hoſteis tuentur, ac

foederatos,

INTERPR. [a] *le Duc de Bouillon.* [b] *le Duc de Mercœur.* [c] *Bretagne.*

foederatos; eoſque non religionis Catholicae ac coronae tibicines, qualeis ſe jactant, regios contra deſertores ac everſores utriuſque eſſe; tantumque alteros alteris praeſtare, hoc eſt, regios virtute, meritis, nobilitate foederatos ſuperare, quantum Roma inter vicina caſtella excellit. Proinde enixe ſuam ſanctitatem rogare, Catholicorum regiorum nomine, ne ipſos tanquam ſpurios ac deſertores rejiciat, adverſarios tanquam legitimos et religionis ac regni fulcra amplectatur. Sufficere debere, quod ipſi huc uſque in laudabili regni religioniſque defendendae propoſito perſeverantes, ignominiam et probra a pontificibus deceſſoribus praeter jus inflicta conſtanter pertulerint: nam verendum eſſe, ſi ulterius pergatur, ne patientia ſaepius laeſa ad extraordinaria conſilia deſcendatur; quae illi hactenus quantum potuere, ut unitatem ſervarent, vitavere, et quae tamen extrema neceſſitate victi poſtremo capturi ſunt. CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV.

IV. His dictis decem dierum terminum ſibi praeſcriptum prorogari petiit Nivernius, et cum deliberaturum ſe ac reſponſurum dixiſſet pontifex, literas regis porrexit, repetitaque alterarum, quae illi ab Iſaia [a] Brocardo Cliella allatae fuerant, memoria, ſuam ſanctitatem demiſſe rogavit, ſe tanquam regis legatum ac procuratorem benigne reciperet; et tanquam Chriſti vicarius, qui non ſolum bene valenteis, ſed infirmos ſanaturus in mundum venit, et beati Petri ſucceſſor, qui ter in die Chriſtum abnegavit, ut in exemplum eſſet ſucceſſoribus ſuis infirmitati animarum, ſi quando accideret eas a recta fide deerrare, benigne ſubveniendi; regi ſupplici et obedientiam ſanctae ſedi a regibus Chriſtianiſſimis praeſtari ſolitam deferenti, ſuam benedictionem impertiri dignaretur; et praeſules, quos ſecum adduxerat, ut reconciliationis regis, cui ipſi interfuerant, rationem ei redderent, ad beatiſſimorum pedum deoſculationem admitteret, et eadem benignitate audiret. Ad haec pontifex per [b] Camerae magiſtrum quarto poſt die reſpondet, decem dierum terminum non poſſe prorogare, ne diuturniore mora alienatae voluntatis erga eos, quos tutandos ſuſceperat, ſuſpicionem faceret. Proinde ſe ad diſceſſum compararet. Neque vero diuturniore mora, ut ſecum agat, et in cardinalibus ſalutandis ſe fatiget, opus eſſe. Nam non ut legatum, ſed tanquam privatum ad ipſius colloquium admiſſum eſſe. Ad praeſules autem quod attinet, non poſſe eos ad pedum deoſculationem admittere, antequam ſe coram Sanſeverino cardinali ſacroſanctae Inquiſitionis praeſidi, et magno poenitentiario ſiſtant. Quod admodum impatienter tulit Nivernius, quippe qui indigne praecipitari diſceſſum ſuum, et de tantae molis negotio cum cardinalibus agendi commoditatem ſibi eripi videret, praeſuleſque, quos penes ſe habebat, inextricabilem in labyrinthum indui. Miſſo deinde Franciſco [c] Toleto cardinali eadem Nivernio inſinuata, inſuper addente, quod ad praeſules ſpectabat, aequum non eſſe, eos ad pontificis conſpectum venire, antequam cum Sanſeverino egiſſent, ne reconciliationis regis ad [d] Dionyſii-fanum factae rationem reddituri coram ipſo altercari cogerentur. Cum peteret Nivernius, ut reſponſum ſcripto comprehenſum ſibi daretur, negavit Toletus, neque hoc neque aliud quod ad ejus petitiones daretur a pontifice reſponſum, ſcripto comprehenſum datum iri. Aeſtuabat indignatione Nivernius, ſe tantae dignationis virum et poſt regiae ſtirpis principes in aula primarium a rege, ut dignitatem legationi conciliaret, delectum, et de tantae molis negotio, ex quo Chriſtiani orbis quies pendebat, ad pontificem miſſum, nihilominus non admitti, et praeſules fidei ſuae commiſſos in diſcrimen vocari. Itaque inſtabat, ut ſibi liceret eos ad pontificem adducere. Nam proculdubio futurum, ut illi cauſam ſuam ipſi approbarent, oſtenderentque, nihil ea in re actum, quod ſanctis decretis, ſacris conſtitutionibus, et ſanctae ſedis inſtitutis pugnaret; et honorem, qui pontifici ac ſanctae ſedi debetur, ubique

INTERPR. [a] *Brochard Sr de la Cliellc.* [b] *Maeſtro di camera.* [c] *de Tolede.* [d] *S. Denis.*

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV. ubique ſervatum. Niſi probarent, paratos erroris veniam cum ſumma obedientia ab ipſo petere: tantum abeſſe, ut ſibi quidquam arrogent, aut praeter rationem ſuae ſanctitati quaeſtionem eſſent moturi. Cum nihil impetraret, et Tolerus contra urgeret, ut praeſules Sanſeverinum adirent, nihil incommodi ab ipſo paſſuri, Nivernius ſuſpicatus eos ad decipulam peti, praefracte reſpondit, praeſules curae ſuae creditos, nec quidquam illis licere injuſſu ſuo facere: ſe vero nihil imperaturum, quod illis probroſum, ſibi ignominioſum eſſet; potiuſque vitam amiſſurum, quam paſſurum, ut ii ad injurias expoſiti quaſi dederentur. Quod hactenus tam multa indigna patienter tuliſſet, hoc feciſſe, ut teſtaretur, quanta demiſſione rex gratiam pontificis ac ſanctae ſedis demereri cuperet. Proinde deprecari ignominiam cenſurae, quam nullo pacto eſſet laturus, quippe qui decus vita potius duceret.

V. INTER has contentiones cum aliquot dies effluxiſſent, miſſo [a] Nivelono interim et Alexandro [b] Delbenio, qui colloquium cum pontifice peterent, nam jam decem dies exierant, ad Nonas Decembreis facta colloquendi copia; et cum pontifex nulla ratione praeſules ante examen admittere ſe velle diceret, et ſi vultum Sanſeverini adeo exhorreſcerent, eos ad [c] Inicum D'avalum Arragonium cardinalem factionis Hiſpanae hominem remittere; [d] Nivernius, qui putaret hoc illi ultimum cum pontifice colloquium fore, proſtratus ad terram ac junctis manibus petendae abſolutionis officio defungi voluit, cumque obteſtatus eſt per Chriſti nomen et pretioſum ejus ſanguinem in ara crucis pro generis humani, atque adeo Gentilium et infidelium redemptione effuſum, exemplo paſtoris propoſito, qui ad centeſimam ovem relicto grege indagandam abiit, et patrisfamilias, qui filio prodigo obviam profectus eſt, per Clementis nomen, quod ipſe ſibi ſumpſiſſet, ut beneficium abſolutionis regi ſupplici ac poenitenti, et per ſe eam petenti, prolato procurationis inſtrumento, impertiretur. Quod illi a pontifice conſtanter negatum, et ſurgere juſſo eo, additum, de regis ſincera reconciliatione ſibi perſuaderi non poſſe, niſi angelus de coelo lapſus id in aurem inſuſurraſſet. Id non ſine lachrimis Nivernius ex ore pontificis excepit, mediamque viam pro praeſulibus propoſuit, ut poſtquam ipſe illos ad pedum deoſculationem admiſiſſet, illi ſe coram Aldobrandino ejus nepote, Arragonio, aliiſque, quos ipſe vellet delegare, cardinalibus ſiſterent. Sed cum, ſoluto colloquio, per Toletum pontifex ei renunciandum curaret, conditionem ſe accipere, ut illi ſe coram memoratis cardinalibus ſiſterent, verum ita, ut ad colloquium non admitterentur, antequam ſe ad rationem reddendam ſtitiſſent; Nivernius, qui ſe pro legato gereret, et illos tanquam legatos ſecum adductos tanquam privatos ad injuriam exponi nollet, in propoſito manſit, ut non prius ſe coram cardinalibus ſiſterent, quam a pontifice admiſſi eſſent. Ab eo tempore aliquot dies rurſus effluxerunt, quibus cum pontifex diſceſſum noſtrorum legatorum minime urgeret, in ſpem venerat Nivernius, ut ille melius conſultus a priore pertinacia deſiſteret. Sed poſtea intellexit pontificem in conſiſtorio XIII Kal. Jan. celebrato, jurejurando interpoſito cardinalibus confirmaſſe, ſe beneficium abſolutionis petenti regi non impertiturum, et Montorium a cardinali Placentino et Meduanio miſſum id pontifici conſilii dediſſe; ut quando apud animum ſuum conſtituiſſet, regi quod peteret, obſtinate pernegare, interim Nivernium vanis promiſſis lactatum in urbe diſtineret; ne ſi ſtatim remitteretur, rex de pontificis conſilio certus, ejus opera in bello tam neceſſa-

CIↃ IↃ XCIV. rio uteretur; tandem ad colloquium admiſſus Nivernius IIII Non. Jan. actionem a primordio repetit, et priores regis literas a [e] Cliella allatas Eidibus Septembribus et alteras a ſe VII Kal. Dec. libelloſque per magiſtrum camerae ſuae ſanctitati porrectos

INTERPR. [a] *le Sr de Nivelon.* [b] *Delbene.* [c] *Don Inigo Davalos cardinal d'Arragon.* [d] *le Duc de Nevers.* [e] *le Sr de la Cliella.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

porrectos Nonis Decembribus, et x Kal. Jan. memorat, ad quae ſcripto reſponderi petit. Contra pontifex id negare, ne idem ſcripto dato accideret, quod bullis ac diplomatis deceſſorum ſuorum [a] Caeſaroduni Turonum et Catalauni ignominioſe combuſtis. Ita cum regis Hiſpaniarum oratoribus agere ſolitum, nec illos ſcripto reſponderi ſibi unquam petiiſſe; et eum ipſe in Polonia legati munere fungeretur, nunquam aliter, quam voce cum rege et proceribus regni egiſſe. Contra Nivernius, in communibus conſultationibus ita agi non inficiari; verum in tantae molis negotio, in quo regni potentiſſimi ſalus verſatur, aliam rationem ſervandam; et cum a rege potentiſſimo miſſus ſit, ut obedientiam ſanctae ſedi debitam deferat, et gratiam ejus ſibi ſupplici impertiri petat, ſi quae difficultas obſtet, quominus ſperatum beneficium conſequatur, non poſſe officio deeſſe, inſtando, urgendo et expoſtulando, ut ad regem rediturus, habeat, quo negati beneficii rationem reddere, et quid amplius a majeſtate ſua ad fidem poenitentiae ſuae faciendam deſideretur, conſignato ſcriptis documento, poſſit oſtendere. Ad haec cum pontifex replicaret, habere regem penes ſe theologos, quos poſſet conſulere, neque ſuum eſſe, aut vero teneri id amplius declarare; Nivernius ſubjecit, opus miſericordiae eſſe, ignarum et a via errantem docere; et peccato mortali teneri, qui viam ad ſalutem petenti conſilium ſalutare deneget. Et eum videret pontificem in propoſito manere, quaeſivit ab eo, ſaltem id declararet, An probaret, ut rex eccleſiae reconciliatus recte Miſſali ſacrificio, ſicuti quotidie faceret, porro intereſſe pergeret; et qui ante eum celebrabant, et ſacro cum eo intereſſent, id ſine conſcientiae ſcrupulo et citra offenſionem facere poſſent. Inſuper quaeſivit, quid in epiſcoporum nominationibus faciendum cenſeret. Nam in civitatibus, quae a rege tenentur, pleraſque ſedeis vacare paſtoribus deſtitutas, magno ſalutis animarum diſpendio; et verendum eſſe, niſi mature proſpiciatur, ne pragmatica jam aliquoties propoſita, et ad vitandam ſciſſuram huc uſque non tam rejecta quam dilata, ad exttemum recipiatur, eaque recepta citra pontificis auctoritatem diſciplina in eccleſia Gallicana conſtituatur; jam enim oeconomos auctoritate concilii publici inſtitutos, ſub Gregorii XIV pontificatu, ſed ad tempus, quo uſque ille ab Hiſpanis faſcinatus de ſeveritate ſua erga regem remitteret. Heic pontifex cum ſe poſſe inaugurare epiſcopos, ab eo, quem minime regem agnoſcat, nominatos negaret; ampliuſque deliberandi ſpatium ſumpſiſſet, colloquium ſolvitur: et quinto poſt die cardinalis Toletus ad Nivernium revertitur, et pontificem nihil ſcripto reſponſurum retulit, quippe qui eum eo non tanquam legato, ſed tanquam privato et veluti in familiari colloquio egiſſet. Quod ſupra quam diei poteſt indigne tulit Nivernius, et ſecum tanquam cum Capitolinae aut Vaticanae juriſdictionis cognitore, non ut cum potentiſſimi ac bellicoſiſſimi regis legato agi actum queſtus, ſibi praeſtabilius fuiſſe dicit, ut ſacco inſutus cum filio, aliiſque, quos ſecum adduxerat, in profluentem mergeretur, quam cum tali reſponſo in Franciam redire, atque adeo optabilius, antequam Romam veniret, ut crure fracto domi reſediſſet; nam providere animo, ut tale reſponſum, atque adeo repulſam tam indignam, ſciſſura non minus lamentabilis, quam in Germania conſequatur. Quid enim iniquius, quam accedenteis ad communem paſtorem ac Chriſti vicarium tam injurioſe ob ovili repelli? Cum reſpondiſſet Toletns, Chriſtum non teneri ad devios reducendos, ſed praecepiſſe, ut ad diſcipulos ſuos accederent, qui eos ad ſe introducerent, ſic enim cum Gentilibus ab Andrea actum; Nivernius memoriae lapſum ilicet in eo exemplo arguit, et Andream pro Philippo ſumptum; et ſingulare illud in evangelio exemplum exſtare, cum alioqui aliis pleriſque conſtaret, ad Chriſtum devios

INTERPR. [a] *Tours, & Chaalons.*

CIↃ IↃXCIV. Henricus IV.

devios recta introductos fuiſſe. Toleto heic ſubſiſtente, et nihil aliud, quo honeſtis ipſius deſideriis ſatisfaceret, ſe poſſe renidente vultu teſtante; Nivernius excandeſcens, Rideamus nunc, inquit, nam mox erit ut abunde fleamus, et flentium ſtridor ad vos uſque perveniat. Tum Toletus, non ridere ſe Galliae mala dixit, quin ea ex animo veris lachrimis intus deplorare.

VI. Biduo poſt, cum nullum aliud a pontifice reſponſum veniret, ludibrio ſe haberi videns Nivernius, et tempus inutiliter duci ex [a] Montorii conſilio, ut tantiſper retardaretur ſuus in Galliam reditus, poſtremo petiit, ut ſibi ultimus ad pontificem aditus pateret, quo commeatum ſibi, filio, aliiſque e nobilitate ab ipſo impetraret. Quibus peractis, cum nihil ſupereſſet, niſi ut convaſatis rebus ſuis quam primum urbe diſcederet; antequam proficiſceretur, hujus legationis acta copioſo ſcripto complexus eſt, addita ſub finem expoſtulatione vehementi, quod non pro merito perſonae ſuae, et regis, cujus nomine venerat, acceptus eſſet, inſuperque a Poſſevino monitus eſſet, ut quam minimo cum comitatu ad urbem veniret, nec ultra x dies in ea morari liceret, ac denique quod regis ſupplicationem rejeciſſet; id non feciſſe Sixtum v, qui Fr. [b] Lucemburgum Pinei ducem, a principibus et proceribus qui cum rege erant, non a rege, miſſum, tam honorifice excepiſſet, reconciliationis regis tantum ſpem, non etiam confectae laetum nuncium afferentem; nuper vero Gregorium xiv Moſcoviticos legatos eadem benignitate et honore excepiſſe, licet a principe ſectario et ſchiſmatico miſſos, et in ejus gratiam ad Poloniae regem prolixe ſcripſiſſe, quanquam nullam reconciliationis cum eccleſia Catholica et ſancta ſede ſpem facerent. His addebat, marchionem Piſanii anno integro poſt varias interpellationes nunquam admiſſum, et cum religionis ergo in Picenum proceſſiſſet, injurioſe juſſum recedere. Poſſevinum ipſum, quod ipſi favere, atque adeo regis cauſae diceretur, tanquam politicum Urbe exulare itidem juſſum. Interdictum cum cardinalibus colloquium, interdictoſque ipſos cardinaleis, ne ad Nivernium ſalutandum accederent, qui tamen ſanctae ſedis nati conſiliarii in tanti momenti negotiis pontificis loco veluti ſedent, et qui proinde potius, quam regis Hiſpani oratores aut procuratores in hac actione conſuli debuerunt. Tum de magna circa oratores Philippicos frequentia, circa ſe ſolitudine ob pontificiae indignationis metum, multa conqueſtus; etiam eorum inſtigatu factum dicit, ut a [c] Paulianis fratribus, qui natione Franci ſunt, et eſſe debent, et nihilominus a paucis annis Hiſpanos admiſtos habent, cum Natalitium feſtum apud eos celebraturus eſſet, coenobii ingreſſu ſit prohibitus. Poſtremo ſuam ſanctitatem rogat, ne cardinali Placentino, ut erga ſe male affecto, fidem adhibeat; nam calumnioſe multa illum de ſe ſparſiſſe, ac pontifici ſcripſiſſe; detrectaviſſe ipſum illius colloquium, cum nomine pontificis ab eo invitaretur; literas ad ipſum pontificis et ipſius ad pontificem hinc inde miſſas in itinere intercepiſſe; et nuper ipſum a Guiſio in Campania caeſum fugatumque, et a [d] Chabliſio intra [e] Noviodunum Heduorum compulſum. At neutrum verum eſſe: quippe et colloquium Placentini expetiviſſe, et cum ad locum et horam condictam venturus eſſet, Placentinum per Jacobum [f] Harlaeum Chanvallonium ſe excuſaſſe: literas vero non a ſe, ſed a praeſidiis regis interceptas. De cetero ſic rem habere; ante Chabliſium, quod a Novioduno xxx leucis abeſt, nuper Aprili ineunte inſtructam a ſe aciem, et Guiſium ad pugnam provocatum; at illum quippe viribus inferiorem certamen detrectaſſe, et [g] Antiſſiodorum atque inde [h] Auguſtobonam Tricaſſium ſe contuliſſe. Placentinum vero in his turbis non ſe tanquam patris communis vicarium, ſed veluti partium ducem geſſiſſe, documento eſſe, quod cum de Guiſio in regem eligendo nuper in comitiali conventiculo ageretur, quod quam periculoſum juxta ac detrimentoſum regno eſſet, ſupra oſtenſum eſt, partes ſuas et auctoritatem

INTERPR. [a] *Monſignor Montorio.* [b] *de Luxembourg duc de Piney.* [c] *Minimes.* [d] *Chablis.* [e] *Nevers.* [f] *de Harlay Chanvallon.* [g] *Auxerre.* [h] *Troyes.*

auctoritatem ſuae ſanctitatis nomine interpoſuit, ut eam electionem adjuvaret, hoc eſt, ut Galliam ferro flammiſque univerſam miſceret. Heic interfatus pontifex, cum mirari ſe dixiſſet, vixque credere, ut Placentinus, qui nullum tale a ſe mandatum haberet, eo provectus eſſet, ut propoſitae Guiſii electioni auctoritatem ſuo nomine interponeret; pergit Nivernius, et multa alia adducit, quibus conſtare dicebat Placentinum non ſolum a ſe, ſed a regni cauſa et tranquillitate publica alieno eſſe animo, et Hiſpanorum libidini ſerviliter ancillari. Tum ad humileis preces revolvitur, et eadem quae ſupra enixioribus et ad miſericordiam compoſitis verbis repetit, obſecrans et obteſtans, ne malevolorum, calumniatorum et regni hoſtium commentitiis ſermonibus fidem haberet: ſupplicis regis vocem exaudiret, cujus cauſa cum regni potentiſſimi jure, quod integrum ſervari orbis univerſi Chriſtiani, ac inprimis ſuae ſanctitatis interſit, conjuncta eſſet: periculum ejus proinde reſpiceret, et Germanicae calamitatis meminiſſet: longe minorem ob cauſam concilia generalia olim fuiſſe congregata. Id nunc minime peti, quod toties antea rebus adhuc incertis flagitatum erat; tantum peti a victore rege, et de Italis, Hiſpaniſque, de Sabaudis et Lotharingicis viribus triumphatore, ut jam ad eccleſiam Catholicam admiſſus, a ſuae ſanctitatis gratia non excludatur: quod citra ſummam injuriam, et ad omneis redundaturam perniciem recuſari non poſſit. His dictis, cum nihilominus pontifex in propoſito perſtaret, Nivernius accepto commeatu Carolum Retelenſem ducem filium, et ceteros e comitatu ſuo nobileis, ad pedum oſculationem introducit. Pontifex, ut repulſae invidiam aliquo facto mitigaret, filium Nivernii aurea cruce CCC aureorum, pretioſis reliquiis plena, donavit; quam pater aegre paſſus eſt, ut filius acciperet, ne poſt tantam injuriam tam exili munere placari potuiſſe videretur. Tamen ne quid feciſſe vel ab invidis dici poſſet, quo gratiam pontificis ſpreviſſe, aut aliquo facto offenſionis cauſam ei praebuiſſe videretur, poſtremo aſſenſus eſt; et poſtquam a conſpectu pontificis diſceſſit, totius legationis acta dietim prolixe deſcriptae ad eum miſit, addita praeterea proteſtatione privato ſuo non regis nomine, qua pontificem de calamitatibus eam repulſam indignam ſecuturis commonefaciebat. Nam fore dicebat, ut re in Gallia intellecta ad funeſtum bellum animi nunc in ſpeciem moderatiores magis quam antea inflammarentur; iſque ejus exitus ſit, ut ſoluta eccleſiae diſciplina, ſacro patrimonio licentioſe uſurpato et dilapidato, templa deſtruantur, coenobia ſine paſtore jaceant, paſſim in agro divinus cultus et publica ſecuritas aboleatur, et per impietates ac crudelitates Catholica religio ſordeſcat; Sectarium contra malum augeſcat; legum amor, magiſtratuum auctoritas vileſcat; ac tandem ipſius pontificis nomen antea cunctis piis venerabile, poſtremo odioſum et inviſum reddatur, cum videbunt illi, neceſſitate belli continuandi per hanc repulſam impoſita, tot malorum ſeriem necti. Nam Franciae principes ac proceres poſtquam ſe officio defunctos putabunt, ad extrema conſilia proculdubio deſcenſuros, et ipſos praeſules ſpreta ſanctae ſedis auctoritate ſacram diſciplinam in regno ſancituros. Tunc pontificem periculo ſuo cogniturum, quam imprudenter pravis ac violentis Montorii et Placentini conſiliis auſcultaverit, damnoſis adeo ſumptibus in hoc bellum factis, cujus putatis diligenter rationibus comperiet, ſe temere virium ſuarum periculum, et cum iis potentiae ſuae ſpiritualis jacturam feciſſe, et praeſenti pecunia nobilitatis Gallicae adeo florentis, numeroſae, ac toto Chriſtiano orbe bellicoſae defectionem, et foederatorum ingratitudinem ſimul redemiſſe. Nam illos parvi facturos, quod in ipſorum gratiam factum erit, tantum eorum, quae omiſſa fuerunt, rationem habituros. Proinde denuo orare, ut regis ſupplicis ac totius regni preces audiat, et ſiquidem de illius poenitentia abunde ipſi non conſtat, quid praeterea ab eo fieri deſideret, benigne perſcribat, et documentum ſcriptis conſignatum, quod ſecum in Galliam ferat, ea de re tradat: quod ſi facere

recuſet,

recuſet, univerſorum Catholicorum, qui regis partes ſequuntur, nomine, coram Deo paſtorum Paſtore, patrum Patre, judicum Judice, coram beatis Petro et Paulo, ad quorum limina acceſſit, quicquid inde malorum conſequetur, non poenitentis culpae imputandum, quamlibet conditionem juſtam et aequam accipere parati, aut Catholicorum, qui de reconciliatione ad eccleſiam ipſum ſolicitaverunt, et ipſi parati ſunt, cuncta ad eam juſta et aequa, quae a ſanctitate ſua praeſcribentur, ſedulo exſequi, idque fidei interpoſitae vade et obſide oblato proprio filio ſe praeſtiturum juravit.

VII. ITA rebus convaſatis Nivernius valde triſtis et confuſus ad diſceſſum ſe comparat; et quia inaudiverat, apparitores paratos, qui pontificis mandatu praeſules, qui cum eo venerant, ad cauſam in Inquiſitionis tribunali dicendam citarent; ni parerent, poena cenſurae impoſita; ipſe dum ad portam Flaminiam tenderet, praeſules illos ad utrumque latus ſuum juſſit incedere, interminatus, ſi apparitores comparere auſi eſſent, fore, ut illos vel vitae periculo coram populo in media via interficeret: ita incedens urbe exivit (nuſquam comparentibus apparitoribus, ſive metu, ſive pontificis mandato revocato) et profectionem ſuam tanquam inauſpicatam moerens, et per Florentiam et Ferrariam itinere facto Venetias perrexit, ubique honorificentiſſime exceptus. [a] Cenomanenſis epiſcopus, qui ad pontificem admitti non potuerat, ut ipſi eorum, quae in regis reconciliatione ab epiſcopis Gallicis facta fuerant, rationem redderet, ex Italia diſcedens Venetiis ſcriptum publicandum curavit, quo nihil in ea actione niſi rite et recte ac ſalva ſanctae ſedis auctoritate factum fuiſſe oſtendebat. Nam omnes a communione eccleſiae remotos quacunque de cauſa, etiam ſedi apoſtolicae reſervata, ſi legitimo impedimento prohibeantur, quo minus pontificem adire queant, abſolvi poſſe ab alio, cautione adhibita, ut ceſſante impedimento ad beati Petri limina accedant, mandatum ſanctae ſedis humiliter ſuſcepturi; idque locum habere tam in excommunicatione a judice, quam a jure decreta; idque petitis ex jure pontificio teſtimoniis confirmabat, quorum licet quaedam de iis loquantur, qui ob violentam in perſonas ſacris initiatas manuum injectionem diris devoti ſunt, tamen plura eſſe quae in genere loquuntur: nam idem jus ac judicium eſſe; nec uſpiam in tali caſu excipi excommunicationem ob haereſim, ſicuti Martinus ab Aſpilcueta, et Didacus Covartuvias, ambo Hiſpani et magni nominis juriſconſulti, reſponderunt. Neque vero eum, qui ire non poteſt, ad mittendum procuratorem obligari, licet poſſit mittere. Nam ſi abſolvi vult, ſufficere, ut cautionem eundi interponat, cum impedimentum ceſſaverit, ſicuti idem Martinus itidem reſpondit. Inter impedimenta autem primum numerari, ſi poenitens morti proximus fuerit; nam tunc vel a ſacerdote poſſe abſolutionis beneficium impertiri. In aliis impedimentis abſolutionem debere ab epiſcopo proficiſci, quanquam ſi nec tunc adiri poſſit, etiam ſacerdos epiſcopi vice legitime fungatur. Porro aliquem in articulo mortis eſſe non tantum intelligi, cum in eo eſt, ut moriatur, ſed cum mortis periculum imminet. Nam ita interpretari Martinum mortis articulum, non ſolum periculum mortis ex gravi infirmitate, ſed etiam quodlibet periculum morti vicinum; idque ex juris civilis auctorum ſententia Pauli, Gaii, Ulpiani; qui mortis cauſa donare licere aiunt, non tantum infirmae valetudinis cauſa, ſed periculi etiam propinquae mortis, vel ab hoſte, vel a praedonibus, vel ab hominis potentis crudelitate aut odio, aut navigationis ineundae, aut cum quis aetate feſſus, aut per inſidioſa loca iturus eſt; haec enim omnia inſtans mortis periculum demonſtrare. Et a juriſconſultis recentioribus addi, hujuſmodi mortis periculum aeſtimari arbitrio boni viri; et quanquam impedimentum in jure expreſſum non ſit, pro legitimo habendum, ſi arbitrio boni viri aequale, vel etiam majus aliquo in jure expreſſo

INTERPR. [a] *du Mans.*

expreſſo cenſeatur. Igitur epiſcopos Gallos, qui Henrico abſolutionis beneficium impertiverunt, nihil niſi legitime feciſſe; quippe eum ſibi conſtitiſſe dicant, eum fuiſſe et eſſe in periculo mortis, et ita ſe arbitratos eſſe, non ſolum propter obſidiones urbium et quotidiana proelia, in quibus ille acrior et praecipitatior eſſe ſolet, ſed multo magis propter multitudinem percuſſorum et veneficorum, qui ingentibus praemiis ab hoſtibus ſolicitati aſſidue ejus vitae inſidiantur; quorum nonnulli cum ſicis deprehenſi ultro confeſſi ſunt, ſibi in animo fuiſſe illum etiam in ſtipatorum ſuorum medio necare; et eſſe alios, quibus idem ſit propoſitum; et extare eorum confeſſiones et probationes de ea re confectas: proinde epiſcopos tanquam bonos viros Henrico periculum mortis impendere eſſe arbitratos, nec abſolutionem ultra differendam, ne idem illi accidat, quod de aliis principibus olim dictum eſt, quibus de inſidiis nunquam niſi mortuis creditur. Secundo, inter impedimenta numerari capitaleis inimicitias, quibus Henricum Borbonium peti minime inficiari poſſe illos, qui abſolutionem hanc omni ratione impediunt; ipſos quippe ſibi abunde conſcios eſſe, quoties caput ejus diris devoverunt, et quot mala eidem quotidie imprecari ſoleant. Eos quoque, qui magnae potentiae ſunt, ne tuto terras ac populos, quibus praeſunt, poſſint relinquere, tanquam ob legitimum impedimentum a profectione excuſari; at viros illos magnae potentiae jure cenſeri habere perpetuum impedimentum, ac proinde minime eſſe eis injungendum, ut ceſſante impedimento papam adeant; et cautionem parendi conſilio vel reſponſo papae, quae ab illis exigitur, non eo pertinere, ut reſervetur papae judicium, an vir magnae potentiae necne mittendus ſit, nam id melius conſtare epiſcopo: ſed ideo illam interponi, quod convenientius ſit, ut eminentibus perſonis eminentis dignitatis praeſul det mandata. Neque tamen epiſcopos, quod ſui eſſet officii, omiſiſſe, etiam ante conceſſam abſolutionem. Nam ex ipſorum et regii ſanguinis principum, aliorum principum ac magnatum conſilio, ad pontificem miſſum Piſanii marchionem, qui totum annum in Italia commoratus, factione hoſtium regni, nunquam impetrare potuit ut admitteretur, quo laudabile Henrici propoſitum ei declararet, demiſſeque, quantum poſſet, oraret, ut conſilium ſuper re tanti momenti ſuum ac mandata dare dignaretur, ut in ejus reconciliatione omnia ex ſanctae ſedis voluntate ac praeſcripto fierent, nihilque praetermitteretur eorum, quae ſuae ſanctitati placuiſſent; cum fruſtra ejus et tot Catholicorum tamdiu preces fuiſſent, et interea periculum eſſet in mora, abſolutionem quidem conceſſam, ſed cautione adhibita de legatione ad pontificem mittenda, et mandatis ejus accipiendis. Secundum ea miſſum illuſtriſſimum principem Nivernienſium ducem cum aliquot praeſulibus, ut eum de tota re et ordine in ea ſervato edocerent, et quid amplius ei placeret, ex ipſo cognoſcerent. Sed praeter mortis periculum alia in cauſa fuiſſe, cur praeſules Galli in abſolutione concedenda ulterius non eſſe differendum exiſtimarint; ne videlicet, ſi pontifex Catholicis pro Henrico deprecantibus pertinaciter audientiam denegaret, anima poenitentis principis, quem haeretici interim ab hoc tam ſancto propoſito arte omni avertere conabantur, ſalutari remedio diutius indigeret; et tam ampla ac felix occaſio per illam moram amitteretur, de religione Catholica et regno Chriſtianiſſimo bene merendi, eo principe ad unionem et fidem reducto, quem non tantum jus agnationis, ſed etiam neceſſitas regni Franciae defendendi Catholicis Henricum III ſecutis, eo necato ducem quaſi impoſuerat: quibus in occaſionibus ſemper ex eccleſiae re exiſtimatum eſſe, tempus contrahi debere. Alterum et ad periculum reſpexiſſe epiſcopos, nempe ad innumeras Catholicorum animas, propter neceſſariam cum Henrico participationem in communi illa regni defenſione, et ſuae cujuſque dignitatis ac bonorum vitaeque propugnatione, periclitanteis: nam tanti id fuiſſe apud prudentiores et pietate inſigniores

CIↃ IↃ XCIV.
Henricus IV.

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

doctores, ut tradiderint, ab excommunicatione, quae excommunicato non proſit, et multis propter participationem noceat, etiam non poenitentem et invitum abſolvi oportere. Has ob cauſas [a] Cenomanenſis contendebat, nihil ab epiſcopis omiſſum eſſe, quod ad ſanctae ſedis apoſtolicae dignitatem et auctoritatem pertineret; ſuae ſanctitatis conſilium ac voluntatem et prius petitam, et diutius exſpectatam, quam in tam manifeſto morae periculo a jure praeſcriberetur. Abſolutionem vero veriſſimis ac juſtiſſimis de cauſis impertitam fuiſſe, et ideo de ejus vi ac efficacia dubitandum non eſſe; eoque magis, quod abſolutio etiam injuſta atque ex falſa cauſa tenet, dummodo qui abſolvit, animum abſolvendi habuerit; etiamſi peccet, qui ſic abſolvit, et qui abſolutionem hujuſmodi ſibi procurat: atqui in poenitente defectum repertum non fuiſſe, quo abſolutio impediretur; ſive idonea inſtitutio, et poſt inſtitutionem ingenua erroris confeſſio, et deinceps publica abjuratio et fidei Catholicae apoſtolicae Romanae profeſſio, ac poſtremo cautio parendi conſilio pontificis ac mandatis eccleſiae, ſpectetur: nullam denique cauſam fuiſſe, cur epiſcopi dubitarent, principem poenitentem ac ſupplicem ab excommunicationis vinculo exuere, et ſacramentis eccleſiae ac fidelium communioni et unioni reſtituere.

VIII. SUB id Franciſcus cardinalis [b] Joiiſa, Claudius [c] Bellofremontius Seneſcaeus, et Nicolaus [d] Pila Orbaſius ſeorſim Guiſii nomine miſſus, ad urbem venerunt. Joiiſa et Seneſcaeus ad colloquium admiſſi v Kal. et v Eid. Febr. et repetita a tempore declarationis a Meduanio factae rerum geſtarum memoria, eo conſilia ejus omnia ſpectaſſe oſtendunt, ut pontificis auctoritate, cui in omnibus ſe ſemper morigerum praebuerit, et regis Catholici viribus, quibus religionis cauſam niti ſciat, ſubnixus, regnum ſibi commiſſum et cum regno religionem Catholicam apoſtolicam Romanam contra Sectarios et Sectariae peſtis fautores a pernicie tueretur; id ſedulo illum feciſſe. Et quia de rege creando inter legatum et Philippicos oratores convenerat, regni comitia jam ante dicta poſtremo Lutetiae convocaſſe, declaratione illa publicata, qua regiae ſtirpis alioſque principes, praeſules, proceres, nobileis, ut in commune de religionis et regni conſervatione conſultaturi eo venirent, hortabatur, ne quid officii ſui in tantae molis negotio a ſe praetermiſſum eſſe, vel iniquiſſimi cauſari poſſent. Sic enim prudentioribus, qui circa ipſum ſunt, viſum, ut qui non venirent, tanquam contumaces odium populorum incurrerent; alii partes, quas huc uſque ſecuti fuerant, deſerendi, et ſe Catholicis conjungendi ex eo occaſionem caperent. Poſtea ſecutum colloquium cum Navarrenis, quod citra publicam invidiam et manifeſtam partis ſuae infamiam detrectare nec potuerit nec debuerit; quo durante cum de ſimulata Navarri reconciliatione primo per rumores, dein ex ore ipſorum delegatorum cognitum eſſet, Hiſpanos conſilium de creando rege contra procerum omnium, qui aderant, voluntatem intempeſtive praecipitaſſe, in eoque multifariam peccaſſe, nunc Infante, nunc Erneſto archiduce, ac poſtremo Infantis et Guiſii matrimonio propoſito, et in ſolidum corona regia ac ſucceſſionis jure utriſque attributo. Qua variatione effectum, ut ordinum delegatis nequaquam perſuaderi potuerit, ſerio id agi, quod ſimulate concipiebatur. Sed Hiſpanos ob falſas et imaginarias ſuſpiciones a Meduanio aliiſque, qui ſummae rerum praeerant, alienatos, omnia miſcere conſtituiſſe, et Guiſio ſpe vana impleto, ipſum cum patruo aliiſque de republica ſentientibus, et alioqui ab ejus gloria et amplificatione non alienis, quaſi ad mutuam peſtem digladiaturum componere; tamen Meduanium, ne temere tanti principis, cui multum ſe debere agnoſcat, et quem proinde ſemper unice coluerit, voluntati obluctari videretur, conditionem accepiſſe, monito amice Guiſio, ne beneficii tanti

INTERPR. [a] *l'eveſque du Mans.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *de Beauffremont baron de Seneſçay.* [d] *de Piles abbé d'Orbais.*

tanti a fortuna oblati aviditate caecus ſe tranſverſum io perſecutione ejus agi ſineret, ſed plus amicis, quam ſibi ipſi de eo crederet. Tantum honorem in familia ſua nunquam ab Hiſpanis ſperaſſe; delatum inſani eſſe recuſare, modo ita deferatur, ut eitra periculum, atque adeo perniciem ejus cauſae, quam tuendam ſuſceperunt, haberi poſſit. Poſtea re in deliberatiooem cum delegatis comitiorum et primariis belli ducibus deducta, placuiſſe eam tentari non debere, niſi duos praepotentes exercitus, quibus in plures annos ſtipendia procederent, prius in Gallia haberent; alioqui fore, ut ultimum malis noſtris remedium, quod ſperabatur, inutiliter conſumeretur: rege debili cum certiſſima ſua familiaeque bene de regno ac religione meritae pernicie adverſus potentem et ſucceſſibus exultantem hoſtem commiſſo. Cum igitur vires tam cito non comparerent, et ad regis reconciliati famam ubique civitates belli pertaeſae nutareot, etiam multorum defectiones metuerentur, conſultum viſum eſſe, ut dum ſua ſanctitas et Hiſpaous per legatos conſulerentur, et vires promiſſae idoneo numero in limite convenirent, ad retinendos in officio populos, defectiones impediendas, et urbes commeatu exhauſtas, ipſamque Lutetiam omni re neceſſaria firmandam, induciae ab hoſte oblatae in menſeis aliqoot pangerentur; comitia interim regi creando indicta non tam omnino dimitterentur, quam in commodius tempus, poſtquam exercitus adveniſſent, differrentur; culpa malorum ſucceſſuum in vanas Hiſpanorum promiſſiones, et ſera nimis auxilia, ac debiliora quam temporum neceſſitas requirat, rejecta. Nam poſt Petri Janioi praeſidis ad Philippum legationem nihil eorum, quae prolixe adeo de pecunia ae milite promiſſa fuerant, ab ipſius miniſtris in tempore repraeſeotatum eſſe. Ea re multos turbatos cum in poſterum de fide eorum magis dubitarent, quo belli irreconciliabilis neceſſitatem vitarent, cum Navarro de pacis conditionibus agendum ſerio cenſuiſſe. Id vix multis laboribus et anxia eura ne fieret, Meduanium impediiſſe, ut tanti momenti negotium integrum, neque ollo praejudicio vulneratum, ſoae ſanctitatis arbitrio relinqueretur. Nunc ipſius eſſe, quid velit, imperare, ſolam obſequii gloriam penes Meduanium manere. Cum pontiſex Meduanii fidem ac prudentiam ſibi probari oſtendiſſet, poſtremo ſobjecit, non poſſe ſe de rebus Gallicis ſtatuere, quippe longe ab iis poſitum, niſi ab eo ipſo, qui eas tam prudenter hactenus adminiſtraſſet, ſalutarium remediorum, quae petantur, rationes explicentur. Tum introduci juſſo [a] Orbaſio, ut ipſe Guiſii cauſae diſceptator eſſet, et res coram eo agitaretur, Joiſa pergit, et Meduanio propoſitam ab Hiſpanis de Guiſio rege creando conditionem ſumme placere confirmavit, ut ſibi familiaeque ſuae perhonorificam; tantumque ſupereſſe, ut pootiſex eam probet; qua probata, petere ipſum, ut de quibuſdam rebus ipſi caveatur: primum ut pontiſex certam Philippi voluntatem ita exploret, ut de ea dubitari oon poſſit, et Infantis ac Guiſii matrimonium oiſi ſola morte ſolvi nequeat; et nbi ita eſſe comperiet, ipſe publieo programmate conſilii ſe auctorem profiteatur, rationibus adductis, quibus Heotici in Gallia adverſus calumnias ſe tueri poſſint. Deiode videat, ut auxilia ae ſubſidia ad tantam expeditionem neceſſaria, de quibus large adeo Hiſpani loquuntur, certa ſint ac parata. Poſtremo auctoritatem ſuam interponat apud Catholicos principes tam in Germania quam in Italia, et praecipue apud Helvetiorum Catholicorum pagos, ut opes ſuas ac vires in bellum tam juſtum conferant; quod ſi non poſſiot, ne hoſtem iis jovent. De iis cum amplius conſultaturum ſe retuliſſet pontiſex, et vero niſi conſulto rege Catholico ad ea reſpondere non poſſe, Orbaſius poſt longum ſermonem habitum poſtremo ipſum rogavit, Ut Guiſii in patrocinium ejus ſe dantis cauſam ſuſciperet, et miſſo quamprimum in Hiſpaniam cardinali legato aut oratore aliquo Philippi mentem exploraret. Poſtea pontiſex

INTERPR. [a] *de Piles abbé d'Orbais.*

pontifex quid cum Nivernio egerat refert. Nulla verae poenitentiae ſigna cum in Navarro videat, non eſſe, cur beneficium abſolutionis ei impertiretur. Atqui poſt publicata contra eum pontificia diplomata, de quorum auctoritate ii dubitare non debent, qui cum pontifice acturi veniunt; non deſiiſſe illum Franciae regnum invadere, cujus jure per illa exciderat, et nihil dum in [a] Benearni pago in religionis cauſa mutaſſe: non bona eccleſiaſticis adempta reſtituiſſe, et nunc arctiorem quam antea cum Proteſtantibus principibus, et Angliae regina, amicitiam colere: in ipſo palatio regio conciones coram ſorore haberi, nihilque illum facere, quo ſe vere Catholicum approbet, niſi cum ſe cruce ſignat: his de cauſis Nivernium re infecta dimiſiſſe. Poſtea cum, re ad Catholicum regem relata, quotidianis ſermonibus impenſas in bellum Pannonicum cauſari pontificem audiret [b] Seneſcaeus, ad Meduanium ſcribit, et nullam in pontifice ſpem ſubſidii, in Philippo, ad quem res remittuntur, exiguam eſſe oſtendit, et ut ipſe per ſe ſibi conſulat, monet. Paulo poſt Petrus Gondius cardinalis, qui jam totum bimeſtre [c] Racanati deſederat, pontificis juſſa opperiens, tandem cum permiſſu ad urbem venit pridie Eidus Februarias; de cetero tanquam ſuſpectus de Galliae rebus agere prohibitus.

IX. EODEM tempore [d] Monpeſatus in Hiſpaniam a Meduanio cum [e] Peliſſerio miſſus [f] Mantuae Carpetanorum cum Philippo egit, et ſucceſſus belli hactenus minus ſecundos et Infantis electionem dilatam praecipue excuſavit, quam et ſemper ab initio Meduanium expetiiſſe, deque ea cum Parmenſi [g] Rotomagenſis obſidionis tempore egiſſe confirmavit. Quod vero Philippici oratores poſt Erneſtum nominatum, neque ab ordinibus approbatum ei maritum deſtinaverint Guiſium, magno id pleroſque cum gaudio intellexiſſe, et Meduanium inprimis; ſed paucos fidem dictis habuiſſe, quippe qui meminiſſent, Hiſpanos ſaepius praedixiſſe, Philippum nunquam alii quam Auſtriae ~~familiae principi filiam deſponſaturum~~: itaque amplius de ejus voluntate certiores eſſe voluiſſe. Interim cum vires idoneae non ſuppeterent, et [h] Droco nuper in oculis foederatorum capto animi multis concidiſſent; ad colligendas vires et annonam in urbes inferendam conſultum viſum eſſe, ut induciae fierent, et negotium integrum ipſius arbitrio ac pontificis ſervaretur. Non invidiſſe patruum fratris filio tantum honorem non ſolum ipſi, ſed toti familiae ſuae ab Hiſpanis delatum; ſed quouſque de Philippi voluntate certius conſtaret, cavere voluiſſe, ne nuda matrimonii injecta mentione, nec eo ſecuto, ipſe ſtatim auctoritate omni, quam obtinet, et armorum imperio exueretur: quod non ſolum ei probroſum, ſed etiam regno ac religioni periculoſum fuiſſet, tot palmarum duce a gubernaculis et belli adminiſtratione haud citra ſuum dedecus remoto, ut tantum onus in juvenem et adhuc per aetatem belli inexpertum transferretur: magna in eo virtutum omnium, quae in ſummo principe requiruntur, lumina ſplendeſcere, et dignam patre avoque ac majoribus ſuis indolem quotidie ſe prodere; verum communis cauſae periculum ipſi charitate omni domeſtica propius eſſe, ac merito vereri, ne ſibi poſteritatique ſuae diras accerſat, ſi iſtius aetatis vir in primis prudentiae elementis tam pueriliter peccet, et ab omnibus rebus imparatus tantae molis conatum temere aggrediatur. In hoc igitur ſe a Meduanio miſſum dicit Monpeſatus, ut ex ipſius Philippi ore diſcat, quid ſuae voluntatis ſit, ſi matrimonium Infantis cum Guiſio contrahi placeat, quantam bellatorum vim, quantam pecuniam, in quot annos, ad novum regem ſtabiliendum ſit ſubminiſtraturus; petere, ut ad id diſerte coram reſpondeat, nec ad miniſtros ejus, qui Lutetiae ſunt, ea de re acturus deinceps remittatur. Poſtremo poſtulat laborum pro religione exantlatorum et egregie

in

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *le baron de Seneſſay.* [c] *Recanati.* [d] *des Prez Sr de Montpezat.* [e] *Peliſſier.* [f] *Madrid.* [g] *de Rouen.* [h] *Dreux.*

in hac cauſa navatae a Meduanio operae, ratio habeatur. Nam ſi res ex Philippi voto ſuccedant, ad alterius, non ad ſuum id commodum redundaturum; ſi ſecus, ſuum cum aliis commune ſore periculum et exitium. Proinde aequum eſſe, ut antequam potentiam et auctoritatem ſibi commiſſam deponat, ſecuritati ipſius et privatis commoditatibus caveatur. Ea autem ſibi concedi petere, quae cum conditionem accepit, ab Hiſpanis ipſis periit; quae quanquam meritis ſuis deberi putet, tamen ſi concedantur loco ſummi beneficii a majeſtate ſua ſit accepturus; ſicuti contra, ſi negentur, juſtiſſimam querendi cauſam ſemper ſit habiturus. His dictis cum tempus ad reſpondendum popoſciſſet Philippus, et ante omnia pontificem et Erneſtum, qui jam in Belgio erat, conſulendum diceret; dum pontifex in Hiſpaniam, Philippus Romam et in Belgium oratores mittit, tantum temporis abiit, ut ſecuta interim multarum civitatum ac procerum cum rege reconciliatione, et Lutetia regni metropoli recepta, artes Hiſpanorum et excogitata ad ludificandos Gallorum animos commenta per ipſorum diſſimulationes ac procraſtinationes evanuerint.

X. Dum haec Romae et in Hiſpania geruntur, rex [a] Meloduno [b] Medontam, exeunte anno ſuperiore, venerat, condicta Proteſtantibus die, qui paulo ante in Pictonibus poſt regis reconciliationem, coacto [c] Niortii concilio de conſtituendis rebus ſuis conſultaverant: ibi iis datam a principibus ac proceribus, et primariis regni magiſtratibus fidem ſolemni jurejurando firmavit, nihil in edictis in gratiam eorum factis innovatum iri. Poſtea cum induciae propediem exiturae eſſent, venit ad eum Meduanii nomine [d] Villaregius, ut earum prorogationem impetraret; cui reſponſum, regem de induciis conventurum, quae toto Januario proximo durarent, ſi Meduanius interim Lutetiae maneret; regi liceret Helvetios, quos nuper conſcripſerat, per [e] Lingones in regnum accipere; hiſque de rebus ei vel ſcripto vel per virum dignitate praeditum, cujus verbis fidem habere poſſet, idonee caveret. Re ad Meduanium perlata, [f] Ronaeus cenſuit, non amplius cunctandum, idque reſponſi pro belli denunciatione accipiendum; ſe paratum oſtendens, quam primum ad limitem Belgicum proficiſci, ut quid ibi virium eſſet, coram inſpiceret. [g] Briſſacus palam contradicere non auſus, laudata Ronaei ſententia, tamen differendum ſtatuit, et dum copiae in limite convenirent, induciarum prorogationem pro tempore neceſſariam dixit, et [h] Belinium ad regem mittendum, ut de iis cum ipſo ageret. Miſſo Belinio hae leges a rege dictae, ut ipſi liceret Helvetios in regnum introducere; vectigal, quod capitatim toto regno impoſitum eſt, regis nomine exigeretur; ita tamen ut ex eo praeſidia hoſtium alerentur; civitatibus interea liberum eſſet, ſe regis imperio ſummittere, neque propterea induciae violari intelligerentur: quas conditiones cum legatus et Philippici oratores omnino rejicerent, caſque Meduanius ad ſuam ignominiam pertinere arbitraretur, cuncta ad bellum parari coepta. Rex de eo jam certus edictum proponit valde prolixum, cum adhuc incertum eſſet, quid Nivernius Romae egiſſet, quo incredibile de reconciliatione ſua gaudium teſtatus, ejus cauſam divinae gratiae et ſuorum enixis ad Deum precibus attribuit; iiſque factum dicit, ut cum hoſteis prope pedibus ſubjeciſſet, ſe ipſum vicerit: tum probata ejus ratione, ut ex conſilio theologorum et poſt idoneam inſtitutionem factae, ante eam miſſum [i] Piſanii marchionem ad pontificem dicit, ut de tam egregia ſua voluntate fidem ipſi faceret; ſed factione Hiſpanorum libertatem publicam Romae oppugnantium factum, ut non admiſſus fuerit; itaque non diutius differendum cenſuiſſe, et poſt profeſſionem ſolemni ritu factam Nivernium Romam rurſus miſſum, ut reconciliationis ſuae jam

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Mante.* [c] *Niort.* [d] *de Villeroy.* [e] *Langres.* [f] *de Savigny de Roſne.* [g] *le comte de Briſſac.* [h] *le Sr de Belin.* [i] *le Marquis de Piſany.*

jam peractae rationem pontifici redderet; ac ſperare, ut is per virum tantae dignitatis fidei ac prudentiae melius de rebus Gallicis inſtructus, et quae rite facta ſunt, probaturus ſit, et ſalutare malis publicis remedium pro pietate ac ſapientia ſua allaturus. Interea nihil non egiſſe cum adverſae partis ducibus, ut pacis adeo neceſſariae rationes inirentur, et cum de ea agere illi recuſarent, antequam, ut aiebant, pontificem conſulerent, inducias cum iis pepigiſſe, atque in quintum menſem prorogatas etiam ulterius prorogare voluiſſe, modo de pace interea ſerio ageretur: quod cum illi aperte recuſent, et externas copias, atque adeo regni hoſteis in Franciam immittere cogitent, ſe quoque bello agere cum iis decreviſſe, denunciatione prius facta iis, qui ipſorum partes religionis cauſa huc uſque ſecuti ſunt, praeſulibus, principibus, nobilibus, aliiſque cujuſcunque ordinis ac conditionis ſint, ut eos intra menſem deſerant, et ſibi obedientiam, quam debent, praeſtent; ſi pareant, dignitates, bona, fortunas priſtinas, ſancita praeteritorum oblivione, conſecuturi. Edictum exeunte anno factum, et ſerius nec niſi Kalendis Februariis [a] Caeſaroduni Turonum in ſenatu recitatum fuit; addito, ut ab ea gratia excluſi intelligantur, qui deteſtandi parricidii contra regem Henricum III perpetrati rei, aut de rege, qui nunc feliciſſime regnat, interficiendo conjuraſſe convicti fuerint.

XI. Inter haec Ludovicus [b] Hoſpitalius Vitrius Meldorum praefectus, qui jam ante regi fidem fecerat, quamprimum ipſe majorum religionem profiteretur, fore ut foederatorum partes deſereret, idque Meduanio praedixerat, exeuntibus induciis, re prius cum [c] Caſtreo avunculo communicata, in Meldorum civitate concilium oppidanorum cogit, et quid ſui ſit conſilii iis aperit: nihil cauſae ſubeſſe, quare ulterius foederatorum partes ſequatur; nam ob religionem ſub principe a fide Catholica alieno periclitantem id hactenus feciſſe; ceſſante autem per regis reconciliationem ea cauſa, non videre, cur ~~diutius cum iis maneat~~, et non potius ad regis legitimi ac nunc Catholici partes quamprimum ſe applicet: id ſcire ipſos voluiſſe, optime ſuo quidem judicio ſibi conſulturos, ſi idem conſilium ſequantur: tum convaſatis rebus ſuis ſignum alae ſuae equitibus ad profectionem dat, et urbe exit, relicta uxore et liberis ipſum mox ſecuturis: verum oppidani annitentibus urbis magiſtratibus hinc ſumpta occaſione ſtatim concilium majus cogunt, magnoque votorum concurſu ac feſto plauſu regi vitam comprecantium legatio ad eum decernitur, cum mandatis, ut ſe ejus imperio ſummitterent: tum Vitrii uxorem cum familia in rhedam compoſita exeuntem ſiſtunt, et Vitrium ipſius maritum, qui jam abierat, in urbem revocant, continuoque ad Pariſienſeis ſcribunt, multaque de ſua erga religionis cauſam voluntate egregia et opera his bellis impenſa praefati; quod primi Unioni nomen dediſſent, poſt [d] Silvanectenſem ſtragem victoribus regiis fortiter reſtitiſſent, nihil [e] Euriaca victoria territi conſtanter fidem ſervaſſent, Parmenſem cum auxiliari exercitu venientem ultro excepiſſent, omniaque ſumma feciſſent, ut religio incolumis ſervaretur; periculo ejus ceſſante ad extremum ſe regi legitimo, ut pacem haberent, ſponte ſubjeciſſe: idemque ut ipſi faciant, et ita funeſtiſſimo bello finem imponant, multis verbis hortantur: ipſe Vitrius, qui ſibi ſuccenſere propterea Meduanium ſciret, pridie Eidus Januarias ut manifeſtam conſilii ſui rationem faceret, ſcripto ad nobilitatem directo, Se a puero in aula regia educatum dicit, ut nobili proſapia ortum decuit ſemper in fide ac poteſtate regum manſiſſe, nullamque aliam ob cauſam, ab eo, qui nunc eſt, diſceſſiſſe, quam quia a majorum religione alienus erat: de cetero neque beneficio, neque re alia Lotharingicis obnoxium, tamen ex quo Unioni nomen dedit, nullum vitaſſe periculum, nullamve denique occaſionem

Interpr. [a] *Tours.* [b] *de l'Hoſpital baron de Vitry gouverneur de Meaux.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *de Senlis.* [e] *d'Ivry.*

occaſionem praetermiſiſſe, aut decoris jam parti virtute augendi, aut opera ſua cauſae communi inſerviendi: in memorabili illa Lutetiae obſidione cum CXX levis armaturae, et LX equitibus ſcloppetariis, quos propriis ſumptibus aluerit, documentum dediſſe, quid in ea cauſa et vellet et poſſet: ſoluta obſidione nihil reliqui feciſſe, quod in belli duce partibus ſuis fido deſiderari poſſet. Itaque putatis rationibus ſtipendiorum, compertum, ſibi ſuiſque equitibus XXVII CIƆ aureorum deberi, de quibus cum diu apud Meduanium queſtus eſſet, et ab eo ad Hiſpanos remitteretur, poſtremo comperiſſe, pecuniam eam, ab Hiſpanis Vitrio numerandam, Meduanio traditam eſſe; illum vero acceptam in quos viſum eſt uſus convertiſſe: cum autem graſſante Lutetiae [a] Sexdecimanorum furore, [b] Briſſonius praeſes et [c] Archerius et Tardivius ſenatores immaniter ſtrangulati eſſent, ſe Meduanio haerenti cum ſuis ac paucis aliis praeſto fuiſſe, ac poſtremo perſuaſiſſe, ut omni alia re omiſſa ad urbem veniret, et perniciosis Hiſpanorum, qui per haec praeludia Francorum patientiam tentabant, conſiliis mature ſe opponeret: ipſum ſe ſceleris auctoribus capiendis ultro obtuliſſe, et vero ipſos cepiſſe, ac de extrema quaeque meritis juſtas poenas exegiſſe: poſtea Aumaliae, Ivetotii, ac Caudebeci fidelem operam et Meduanio et Parmenſi navaſſe; neque aliud operae pretium inde reportaſſe praeter duos equos a Parmenſi donatos eodem die, ſe pugnante, interfectos, cum XXIX antea ſe pugnante pariter interfectos iis certaminibus amiſiſſet. Nunc vero cum ob religionem arma foederatorum prius ſecutus ſit, rege majorum religionem profeſſo, quod ſemper exoptaverit, ad ejus pedes ſe ſtatim ſubjeciſſe, ac operam ſuam addixiſſe contra perniciosa Hiſpanorum Gallicae libertati inhiantium conſilia, ac ſperare, ut omnes viri boni ac decoris amantes, quibus illorum ambitio perſpecta erit, idem ſecum faciant: gloriari interim ac ſummo Deo gratias immortales agere, quod ceteris ad tam laudabile conſilium capiendum exemplo ſuo praeivit. Secundum haec rex ubi [d] Meldorum civitatem venit, edictum condit, quo juxta pacta ſecreta cum Vitrio, ut putatur, inita, gratiam praeteritorum oppidanis facit, nullamque aliam praeter Catholicam apoſtolicam Romanam religionem in urbe aut ſuburbiis admitti ſe paſſurum dicit; eccleſiaſticos a decimarum praeſtatione in praeteritum uſque ad Kalendas Octobreis proximas liberat; ſacerdotiorum collationes aliorumque officiorum a Meduanio factas, modo nova diplomata a majeſtate ſua accipiant, ratas habet; urbem omni praeſidio levat, ala tantum Vitrii in ea collocata; capitale tributum in novennium proximum remittit; de pecunia regia quicquid a Vitrio tranſacti belli tempore decretum fuerit, diplomatis ſuis ratum ſe habiturum declarat. Ad extremum privilegia antiqua, immunitates, libertates confirmat.

XII. INDE per [e] Dammartinum facto itinere [f] Dionyſii-fanum venit, ut ſi quid tumultus in urbe vicina Meldenſis converſionis occaſione ſuboriretur, ad omneis caſus praeſto eſſet. Nam turbabant admodum res, et Meduanius paulo ante ad placandos plebis in ſpeciem animos de vectigalibus publicis partem remiſerat: crebra murmura belli neceſſitatem deprecantium in urbe audiebantur, et in dies augebant. Itaque Meduanius cum ob eam cauſam contentionibus acerbitatis plenis cum Joanne [g] Magiſtro ſenatus praeſide altercatus eſſet, in ſenatum cum Guiſio ex compacto venit, ut bene inter ipſos, contra quam jactabatur, convenire oſtenderet, blandeque ad diſſimulationem compoſita oratione uſus, obtrectatorum invidiam deprecatur, et ſacramentum in ſenatu dictum religioſe ſe ſervaturum confirmat. Tum iis graves dictae ſententiae, et inter omneis, ſenatoria gravitate digna cenſuerunt Petrus [h] Amorius, Lazarus [i] Coqueleius, et Gulielmus [k] Varius: iſque deliberationis exitus fuit,

ut

INTERPR [a] *les Seize.* [b] *le preſident Briſſon.* [c] *Larcher, & Tardif.* [d] *Meaux.* [e] *Dammartin.* [f] *S. Denis.* [g] *le Maiſtre.* [h] *D'Amours.* [i] *Coqueley.* [k] *Du Vair.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

ur Meduanius per delegatos rogaretur, [a] Belinium, cujus ſummam moderationem ac prudentiam ſenatus et univerſi nrbis ordines experti eſſent, in urbe cum priſtina auctoritate relinqueret; et ſi temporum neceſſitare urbe abeſſe cogeretur, praeſidia externa ſecum abduceret, ne turbatis rebus, et ſuſpicionibus novis ſubinde exorientibus, pernicioſae per ejus abſentiam ſedirioni materia praeberetur; de cetero populi ſub diuturni belli mole laborantis commiſeratione tangeretur. Officio defuncti ſunt, [b] Andreas Haquavilla, et Stephanus Nullius praeſides cum delectis ſenatoribus, et cum ad externa praeſidia devenit, ſumma vehementia in Hiſpanos peroravit, tanquam ſibi ſuſpectos, quia, in electione Erneſtj et Infantis, ſe ipſorum conatibus ſtrenue oppoſuiſſent. Ad haec Meduanius, de Belinio, qui ſponte ſe praefectura abdicaſſet, decretum eſſe reſpondit. Quantum ad externa praeſidia deducenda ſpectaret, pro temporum ratione et poteſtate quam haberet, de iis ſe conſtituturum, et omnia ſumma facturum, ut populi nbique afflicti intelligerenr, ſibi eotum ſalutem propria vita chariorem eſſe. De induciis prorogandis ſe cum Navarro egiſſe, et ut levamentum populo per eas quaereret, tam probroſas ac enſe, quo cinctus erat, indignas propoſuiſſe conditiones, ut earum meminiſſe ipſum puderet. Ceterum ſibi perſuaderent, arma non prius poſiturum, quam res in tuto collocaſſet. Heic Antonius Hennequinus [c] Daſſius domeſticorum curiae praeſes, homo bonus, ſumma fiducia interfatur: ſi igitur res adeo in arcto ſunr, cur non hoſti portas aperimus? Meduanius dicentem increpuit, et ſilere juſſir, ac ſeductum in arcano Amorium rogavit, collegis confirmarer, ſe alieno quam maxime animo ab Hiſpanis eſſe, ut quorum quotidianas injurias ac contumelias pati cogeretur. De Belinio autem ultro diſcedente ſecuros eſſe debere, nam [d] Marinum ſororis ejus filium cum ſua legione ac CCC Germanis peditibus, quos ipſe pane ſuo aluiſſet, et loco filiorum haberet, in utbe manſurum, ad fortuita ſenatui ſemper praeſto futurum. Re ad ſenatum relata, rurſus ſeria ac longa conſultatione deliberatum fuit XIX Kal. Febr. et inter alios Coqueleius non mirum eſſe dixit, ſi tantum temporis in ea deliberatione conſumerent, nam totum triduum olim in cauſa proconſulis, qui [e] Celtiberiam unicam Hiſpaniae provinciam expilaſſe arguebatur, dicendis ſententiis Romae inſumptum. In cauſa Celtiberorum, qui non unicam provinciam, ſed totam Galliam populatum veniſſent, cur trium aut quatuor horarum ſpatium adeo longum videri? Protracta poſt meridiem deliberatione tandem patres cenſuerunt, capita quaedam ſcriptis mandanda, et in acta publica referenda; datumque eodem ſenatuſconſulto negotium Antonio [f] Hotomano fiſci patrono, et Edvardo [g] Molaeo cognitori regio, ut eodem die Meduanium adirent, eique curiae nomine ſignificarent, ſuo ſuper Belinio et externis praeſidiis reſponſo minime ampliſſimo ordini ſatisfactum eſſe; et quia addiderit, indignas a Navarro condiriones oblatas, mirum patribus videri, quomodo inconſulto ſenatu cum Navarro egerit, quum id ſe minime facturum, cum vicarii regni generalis jusjurandum in ſenatu diceret, tam religioſe promiſerit. Horridam illam libertatem tulit indigne Meduanius, ſuppreſſo tamen ad tempus dolore. Tnm miſeri cives occaſionem majora pro ſalute ſua audendi captantes, ſupplicem curiae libellum conſcribunt, quo Joannem [h] Lullerium mercatorum praefectum ac aedileis urbis saepius interpellaſſe ſe dicebant, partes ſuas apud ſenatum interponerenr, ut de populi levamenro in commune conſultaretur. Cum ei jam multi ſubſcripſiſſent, res emanavit, et Meduanius de auctoritate ſua actum putans, ſi libellum ſenatus acciperet, quaſi ſeditione flagrante arma cum Guiſio capit, inſtigatu Sexdecimanorum, et tota nocte cum fidis excubias agit; ſubinde monito ſenatu, qui juxta ſenatuſconſultum in

INTERPR. [a] *de Belin.* [b] *les preſidens André de Hacqueville, & Eſtienne de Nully.* [c] *D'Aſſy preſident des Requeſtes du Palais.* [d] *de Marins.* [e] *Arragon.* [f] *Hetman avocat du roy.* [g] *Molé procureur general.* [h] *l'Huillier prevoſt des marchands, & les eſchevins.*

in aedibus Joannis [a] Magiſtri praeſidis conveniebat, ut ab omni conventu abſtineret, CIↃ IↃ XCIV.
neque plebi per illas coitiones tumultuandi, et hoſti difficiliorem ſe in ferendis conditionibus praebendi occaſionem daret. HENRICUS IV.
Hoc cum a ſenatu ſeu minis ſeu prenſationibus impetraſſet, ut potentiam ſuam inſigni aliquo exemplo terribilem redderet, [b] Paſſarium et Mercatorem honeſta familia civeis, codicillo miſſo, urbe juſſit faceſſere, et ſingulari decreto Claudium [c] Aubraeum, virum probum et opulentum, qui in aedilitate urbis ſumma integritatis laude ſe geſſerat, ut domum ad tempus extra urbem concederet, mandat; quod non tam ille, qui id legati et Hiſpanorum ſuggeſtione fieri ſciret, prout debuit, graviter tulit, quam omnibus bonis ex ea occaſione juſta indignatio ſubiit, libertatem ſenſim infringi, et per illorum relegationem ad majora audenda ab exteris viam ſterni quiritantibus.

XIII. CRESCENTIBUS poſtea ſuſpicionibus, Belinius ipſe juſſus eſt urbe excedere; et cum multi ejus praefecturam ambirent, in iiſque Urbanus [d] Lavallus Boſcodelfinius, qui paulo ante tribuni equitum in ſenatu ſacramentum dixerat, tandem ea a Meduanio in Carolum Coſſacum Briſſaci comitem tranſlata eſt, ut ei damnum in Pictavienſi prafectura, a qua nuper ab [e] Ellebovio injurioſe dejectus fuerat, acceptum aliquo modo ſarciretur: magno et fatali errore: dum vir prudens ad famam et exemplum ſatius ducit, in Boſcodelfinio aliiſque ſibi fidis demerendis deeſſe, quam non viro inter ſuos primario de tanta injuria ſatisfacere. Briſſaeus in ſenatu ſacramentum dixit IX Kal. Febr. ceterum Belinii expulſionem graviſſime Pariſienſes tulerunt, et ſenatus partes ſuas interpoſuit. Verum utroſque fruſtra pro Belinio deprecanteis, verbis ad honeſtatem compoſitis, pariter ludificatus eſt Meduanius. Tunc in Meldenſium gratiam caſtra ad [f] Firmitatem-Milonis juſſu regis a Carolo Birono maris praefecto poſita, ſpe a quibuſdam facta, ut ad primum regiorum conſpectum praeſidiarii deditionem facerent. Itaque tantum promotum vallum et tentata ſuffoſſio, neque tanti oppidum viſum, ut in eo tormentis pulſando tempus tereretur. Itaque cum illi animos obfirmarent, et ante ruinam factam dedere ſe turpe exiſtimarent, rex, qui majora animo agitaret, obſidionem ſolvi juſſit pridie Nonas Februarias. Inde [g] Melodunum venit, quo ad eum de Lugdunenſi motu allatum eſt.

XIV. EODEM fere menſe, quo ante quinquennium civitas rebellaverat, ſub regis poteſtatem ſponte rediit, ex hac occaſione. Paulo ante interceptae fuerant Caroli [h] Arragonii Terrae-novae ducis, qui [i] Mediolanenſi principatui cum ſummo imperio praeerat, ad factioſos literae, quibus de auxiliis ſpem faciebat propediem mittendis ad arcendas [k] Sanſorlini marchionis incurſiones, quibus ille ob fratris [l] Nemoroſii captivitatem Lugdunenſibus infeſtus totum circa agrum vaſtabat; quod eo conſilio fieri ab Hiſpanis interpretabantur boni cives, ut ſpecie sociis et amicis ſubveniendi urbem occuparent. Ii igitur ſervitutis periculo vitam poſthabentes occulta coitione facta fidem dant, de urbe in libertatem aſſerenda; remque confectu non ita difficilem judicant, plebe belli pertaeſa et ad pacem anhelante. Tum ſecreta ad Alfonſum Ornanum, qui regis nomine bellum in propinquo gerebat, dant mandata, virum probitate ac virtute inſignem, ut eum delectis condicta die ad [m] Guilloteriam, quod eſt ſuburbium trans [n] Rhodanum, ſine ſtrepitu accederet. Re ita compoſita [o] Jaquetus conſilii auctor cum [p] Liergeo et Seva et delectis egregie armatis ante ſolis ortum VII Eid. Febr. in ſtationem, quae imum pontem ſervabat, cui [q] Theodoricus homo inter alios ſumme factioſus praeerat, impetum faciunt, et poſt acre certamen

INTERPR. [a] *le Maiſtre.* [b] *Paſſart, & Marchand.* [c] *Daubray.* [d] *de Laval de Bois-Dauphin.* [e] *le Duc d'Elbœuf.* [f] *la Ferté Milon.* [g] *Melun.* [h] *d'Arragona duc de Terra-nova.* [i] *Duché de Milan.* [k] *de S. Sorlin.* [l] *le Duc de Nemours.* [m] *la Guilloticre.* [n] *le Rhoſne.* [o] *Jacquet.* [p] *Liergue, & le Seve.* [q] *Thierri.*

CIϽ IϽ XCIV.
HENRICUS IV.

tamen loco pellunt. Ad hunc tumultum doliares tota urbe munitiones exſtruuntur, plebe [a] libertatem Francicam paſſim inclamante; nam de regis nomine altum ſileotium toto eo die fuit. Erat in urbe Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Nemoroſii capiendi auctor, et a regis partibus nihilominus alienus, qui ſtatim vix per munitiones tumultuario exſtructas cum Edmundo [b] Malinio Luxio et Chaſeolio ſororum filiis pontem [c] Arari impoſitum tranſgreſſus ad aedeis publicas pergit, coactoque concilio cives ad quietem hortatur; nihil temere tentandum aote cognitam pontificis voluntatem, de qua propediem per Nivernium certiores ſint futuri: et ut ejus reditus non exſpectandus quibuſdam videatur, at interim armis abſtinendum, potiuſque ſuadere decernendam legationem, ut aequas ac honorificas a rege conditiones ferant, quam praecipitato conſilio concivium cruore manus commaculent. Cum noo audiretur, et tota urbe rumor crebreſceret, ſe propere ad aedeis ſuas recipit. [d] VII aediles ſuſpecti mox capti, et armamentarium ab iiſdem receptum. Poſtridie confirmatis ad libertatem proclamantium rebus, ubique regis nomen ingeminatum, tanta vocum contentione, ut vix tintinnabulorum fragor exaudiretur, diſcurſante plebe, et [e] faſcias albas ſtatim cunctis ſumentibus, tanto rurſus concurſu ac alacritate, ut ſub veſperam nihil ſerici albi in cunctis officinis reliqui fuerit. Accenſi actutum tota urbe in laetitiae publicae ſignum ignes, et inſignia Hiſpaniae ac Sabaudiae et Nemoroſii captivi per laſciviam exuſta, factionis item Henoticae effigie ad id facta ſtrigis ſpecie publice et ignomioioſe combuſta: regis inſignia contra in portis et locis publicis certatim erecta, menſis per vias inſtructis, et amphoris vini effuſis. Continuo in urbem admiſſus Alfonſus [f] Ornanus pedes per ſepimenta licet adhuc ocreatus incedens cum Carolo [g] Colinio Andeloto, Jacobo [h] Miolano Cevrerio, [i] Forgeolio, Gulielmo [k] Vadagnio Botheono, [l] Liegua, Balma, Mureto, aliis. Tum coacto concilio aediles de prodenda urbe Hiſpanis ſuſpecti magiſtratu abdicati ſunt; et in iis Claudius [m] Rubius, homo et voce et facto contra regium nomen injurioſus, et qui virulento libello ante quinquennium defuncti regis memoriam proſciderat, et poſt Nemoroſii captivitatem tanquam ſuſpectus magiſtratu interdictus fuerat. Is quindecim poſt annis melius conſultus, rerum Lugdunenſium hiſtoriam edidit, qua ſe turpiter deceptum fuiſſe profitetur, Deoque gratias agit, quod ab ea haereſi, qua ſubditos adverſus regem aliqua ex cauſa bellum movere poſſe falſo ſibi perſuaſum fuerat, reſipuerit; ac populos ab regis ſui obſequio nulla pontificis auctoritate abſolvi poſſe aſſerit. Alii in eorum locum ſuffecti [n] Combelandius, Moomartinus, Henricus quaeſtor, [o] Pelletarius, Laurentianus, Pollallio, Morniellus, qui fide in regis obſequium adacti ſumma animorum alacritate magiſtratum inierunt: qui abdicati fuerant, urbe pulſi, et cum iis aliquot ſuſpecti, Platellus [p] Vallius, [q] Turbeo, [r] Auſtrinus, [f] Pratenſis, [s] Burgus, [t] Pignerius, Proſtus, Malevallius, Antonius [u] Teſta, Matthaeus [v] Balbanius, et duo [w] Poggii Lucenſes: [x] Barralio quaeſtor, [y] Janetinus Dallequius, et Reſinandus, obſoleto habitu, pejora veriti, ſe per tumultum periculo ſubduxerant. Nemoroſius, ut antea, interim diligenter aſſervatus, ut de eo rex arbitrio ſuo ſtatueret: archiepiſcopus, qui aegre ferret citra ſuam auctoritatem res in urbe mutatas, cum exire vellet, prohibitus eſt. Poſtea menſe Maio poſt receptam Lutetiam rex, edicto cum ad [z] Germani-fanum eſſet condito, multa de fide Lugdunenſium honorifice praefatus, qui exemplo ſuo obedientiam regi ſine conditione praeſtandam praeiviſſent, praeteritorum gratiam fecit, privilegia et libertates ac immunitates,

INTERPR. [a] *vive la liberté Françoiſe.* [b] *Maliu de Lux, & Chaſeuil.* [c] *la Saone.* [d] *les ſept Eſchevins.* [e] *Eſcharpes blanches.* [f] *le colonel d'Ornano.* [g] *de Coligny Sr d'Andelot.* [h] *de Miolans de Chevrieres.* [i] *de St Forgeuil.* [k] *Gadagne de Botheon.* [l] *la Liegue, la Baulme, & de Mures.* [m] *du Rubis.* [n] *Combellandes, & Montmartin.* [o] *de Pelletier, du Laurens, Poullaillon, & Mornieu.* [p] *le baron de Vaux Platel.* [q] *de Tourveon.* [r] *Auſtrain.* [f] *du Pré.* [s] *de Bourg.* [t] *Pignieres, Proſt, & Maleval.* [u] *Teſte.* [v] *Balbani.* [w] *Poggio de Lucques.* [x] *Barraillon.* [y] *Janette d'Allequi, & Reſinand.* [z] *S. Germain.*

immunitates, quibus ante bellum fruebantur, confirmavit, et rata omnia, quae ab Ornano ac regii nominis in urbe defenſoribus geſta fuerant, habuit. Quod edictum IX Kal. Jun. in ſenatu Lutetiae recitatum fuit.

XV. ANTE motum Lugdunenſem [a] Aquis Sextiis, quae primaria eſt Provinciae civitas, et in qua ſenatus ejus ſedem habet, magna mutatio ſecuta fuerat. Eam obſidione lenta premebat Eſpernonius, et dum ſub tentoriis eſſet, grande periculum adierat, ictu tormenti in proximum ſibi militem directo, diſcerptique militis oſſe fracto in Eſpernonii ipſius latus reſiliente. Gaſpar [b] Pontevеſius Carſii comes, qui urbem tenebat, cum Sabaudi dominationis pertaeſus, et de obſidionis eventu incertus, ad haec non ignarus, multa praeter regis voluntatem Eſpernonium in Provincia moliri, ſenatui ac civitatis ordinibus auctor fuerat, ut ſe regis imperio ſubjicerent; atque ita hoſtem ſuum Eſpernonium, regis hoſtem facerent: eaque de re in comitiis nuper in urbe celebratis, poſtulante nobilitatis ſyndico, capita perſcripta fuerant, quae ille per conſules urbis ſenatui obtulit VII Eid. Jan. et rata haberi petiit: igitur eo audito, conſulibus urbis, ſyndico nobilitatis, et cognitore regio, convocatis claſſibus, ſenatuſconſultum conditur, quo decernitur, ut capita illa, quae ad Provinciae et religionis Catholicae apoſtolicae Romanae in ea conſervationem ſpectabant, per delegatos ad regem perferrentur; eaque rata ut haberet ipſe curiae nomine rogaretur; jamque tunc omnia tam in ſenatu quam in inferioribus ſubſelliis Henrici IV regis nomine et auctoritate gerantur. Mandaturque cunctis e nobilitate et aliis, qui in Eſpernonii caſtris ſunt, ut ab iis quam primum diſcedant, et in ſuas quiſque domos concedant; ni faciant, in eos tanquam publicae tranquillitatis perturbatores animadvertatur. Id graviſſime inter alia tulit Meduanius, Carſii exemplum tanta ſecum neceſſitudine conjuncti, quippe filiam Henricae Sabaudae uxoris in matrimonio habentis, veritus, et ad injuriam revocans; eaque de re literas ad Maſſilienſeis expoſtulationis plenas Nonis Martiis ſcripſit, quibus et praeter ſpem et meritum id ſibi accidiſſe ab homine, de quo minus ſuſpicabatur, cumque defectione ſua Lugdunenſibus et Aurelianenſibus ac Biturigibus ad fidem fallendam, ſignum praetuliſſe, querebatur; ac proinde ipſos, ut in conſtantia priſtina perſeverarent, enixe hortabatur, magnifica et praeclara cuncta pollicitus; ſeorſim et ad [c] Caſaulium conſulem factionis Hiſpanae in urbe principem literas dederat, quibus magnam ſe in ejus fide fiduciam reponere teſtabatur.

XVI. EODEM tempore [d] Villaregius per Carolum [e] Alincurium filium cum rege de [f] Ponte-Eſiae tranſigit: induciis tamen res diſſimulata, quod rex ſperaret, per ipſum ſemper antea medium, quamdiu neutris partibus addictus crederetur, melius rem cum Meduanio poſſe confici: nec ille officio defuit, ſed literis, cum coram non poſſet, cum Meduanio egit, miſeram ejus conditionem, niſi mature cum rege conveniret, multis verbis oſtendens; nec obſcure, niſi quamprimum ſibi conſuleret, ſe multoſque alios ab eo defecturos ſignificans: per inducias itidem cum Michaële [g] Eſtrumelio tranſactum, interventu Fr. [h] Spinaci Sanlucii, cujus ille ſororem in matrimonio habebat. Is [i] Peronam, Montem-Deſiderii, et Roiam tenebat. Cum vero id clandeſtino foedere actum eſſet, [k] Longo-villanus Picardiae praeſes ad omnem occaſionem intentus rei ignarus Roiam aſtu intercipit: ſed querente de induciis ruptis Eſtrumelio mox regis juſſu reſtituta eſt. Sub id et res [l] Durocortori Remorum paulum turbavere, animis oppidanorum ad pacem inclinantibus, et [m] Sanpauli jugum exoſis. Addunt et quidam poſt regis cum eccleſia reconciliationem ſubiiſſe deſiderium hominibus priſci moris, quo priſtinam praerogativam conſervarent, ut rex potius apud ſe, more majorum, quam in alia civitate ob belli neceſſitatem regni inſignia caperet.

INTERPR. [a] *Aix en Provence.* [b] *de Pontevez comte de Carces.* [c] *Caſaus.* [d] *de Villeroy.* [e] *d'Allincour.* [f] *Pontoiſe.* [g] *d'Eſtourmel.* [h] *d'Eſpinay de S. Luc.* [i] *Peronne, Montdidier, & Roye* [k] *le Duc de Longueville gouverneur de Picardie.* [l] *Reims.* [m] *de S. Paul.*

CIƆ IƆ XCIV. HENRICUS IV. caperet. Sanpaulus in propugnaculo majore urbis quaſi arcem erexerat, excavata contra urbem foſſa, quae adducto ſublicio ponte claudebatur: id cum aperta vi impedire non poſſent oppidani, aſtum adhibent, et cum expeditionis ſecretae cauſa pars praeſidii exiiſſet, et Sanpaulus ipſe venatum abiiſſet, arma capiunt, arcem, ſi poſſent, milite vacuam intercepturi: ſed qui remanſerant in urbe praeſidiarii, in tempore ad propugnaculum ſe recipiunt; revocatumque ſtatim Sanpaulum per funem intra eam accipiunt; qui petito ex feneſtra colloquio eos aliquantum placavit, fore dicens, ut brevi Guiſius veniret, oranſque ut interim omnia integra in ejus adventum ſervarentur. Igitur illi ſupplices Guiſio obviam facti conatum excuſant, ſuſpiciones de Sanpaulo conceptas cauſati; quod fecerint, bono ipſius Guiſii factum, qui, Sanpaulo arcis potente, urbem in poteſtate habere non poſſit: proinde obſecrare, ut hoc jugum a ſuis cervicibus impedimentum auctoritati propriae oppoſitum removeat, oppidanos in libertatem, ſe praeſidiſque ſummi dignitatem contra Sanpaulum utriſque inſidiantem aſſerat. Supplices benigne audiit Guiſius, et de arce deſtruenda ſpem fecit, quam tamen potius ex ea occaſione ſibi a Sanpaulo tradi cupiebat; quod cum ille facere recuſaret, inde ortas inter eos ſimultates plerique credunt, Sanpaulo ipſi poſtremo funeſtas.

XVII. REX interim [a] Meloduno [b] Medontam petiit, ubi per delegatos cum Claudio [c] Caſtreo Aureliani et Biturigum praeſide tranſegit, edictis duobus ineunte Februario conditis, et ad Caſtreum miſſis, quibus eaedem conditiones, quae ſuperiori in gratiam [d] Meldorum facto in Aurelianenſium et Bituricenſium favorem appoſitae, et utraque praefectura denuo Caſtreo confirmatur, eidem in occulto promiſſum, ut [e] tribunus equitum crearetur, ingenti praeterea ſumma ob belli ſumptus aſſignata. Caſtreus acceptis clam a rege edictis, quaſi adhuc res integra eſſet, Vitrii exemplo, ut cauſam ſuam cunctis approbaret, [f] Aureliani ordines in aedibus ſuis convocat XIIII Kal. Martias, et compoſita oratione orditur: Inducias aliquot ante menſeis pactas eo majore omnium laetitia, quod inter partes convenerat, ut per eas de pace ageretur: nam regem alioqui in eas minime conſenſurum fuiſſe: jam illas exiiſſe, et fruſtra earum prorogationem exſpectari: bello autem continuato res in pejus ruere: itaque ſui officii duxiſſe, pro dignitate, quam obtinet, et rerum, quem in adminiſtranda republica a longo tempore contraxit, uſu et experientia, eos praeſentis ſtatus et periculorum, quae Franciae impendent, commonefacere: bellum hoc religionis cauſa ſuſceptum; in id pleramque nobilitatem, civitates ac populos ſummo voluntatum concurſu nomen dediſſe, et ſanctae Unionis foederi ex eo nomen inditum. Ad illud et opes Hiſpanorum acceſſiſſe, qui moribus et ſtudiis a nobis alieniſſimi, tamen initio ſic ſe nobiſcum geſſerunt, ut cum ſolam religionis conſervarionem et regni ſalutem, nihil praeterea proprium hoc in bello quaerere prae ſe ferrent, a populis pro amicis crediti ſunt; utinamque verbis facta reſpondiſſent. Nunc poſt quinquennium, quo miſere afflictata eſt utrinque Gallia, eo res deveniſſe, ut, occupatis a rege minoribus oppidis fere neglectis, magnae civitates, quas foederati tenebant, ad ſummas anguſtias ſint redactae, victoreſque paſſim regii volitarent: igitur conſultum viſum, quo foederi robur ac auctoritas ex regia dignitate adderetur, regem creari Catholicum et tantae moli parem. Ob id comitia Maio menſe Lutetiae Pariſiorum convocata, in quibus Hiſpanos profundam ſuam ambitionem tamdiu celatam renudaſſe tandem, prenſatis trium ordinum ſuffragiis, et quibuſdam delegatis auro Indico corruptis; tamen meliorem partem, quae leges et inſtituta majorum ſervare vel vitae periculo conſtituerat, adverſus externas artes ac machinationes praevaluiſſe, et ſe fortiter pernicioſis Hiſpanorum conſiliis oppoſuiſſe, ac conditiones

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Mante.* [c] *de la Chaſtre gouverneur d'Orleans, & de Berry.* [d] *Meaux.* [e] *Mareſchal de France.* [f] *Orleans.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

conditiones de Infante cum Erneſto Auſtrio archiduce matrimonio conjungenda propoſitas generoſe rejeciſſe. Verum illos ad exoticas artes ſuas rurſus confugiſſe, quoque facilius ſimplicibus animis imponerent, nomen Guiſii ſpecioſum, et ob merita paterna et egregiam filii, qui aderat, indolem, et ingentem de virtute ſua conciliatam omnium exſpectationem, favorabile quaſi ex machina in theatrum induxiſſe; quanquam nulla ſpecialia mandata de eo proponendo a Philippo haberent, quicquid illi per praeſtigias ſuas commenti ſunt: idque ex eo clarum fieri, quod ab eo tempore neque per legatos, neque per literas, ullo indicio rem ſe probare ſignificaverit Philippus. Itaque licet aſtantes ad Guiſii nomen gaudio exilirent, et Meduanius, pro tanto honore familiae ſuae a rege potentiſſimo delato, protinus legato et Philippicis oratoribus gratias egerit, tamen jam tum prudentiores aſtum Hiſpanorum pervidiſſe, ipſumque Guiſium, qui ſuſpecta haberet Hiſpanorum ingenia, impetum cohibuiſſe, et ſaniora monentibus amicis prudenter obtemperaſſe: mox patuiſſe Philippicorum artes, deprehenſis legati, eorum ambitioni ad omnia morem gerentis, literis; quibus poſt inducias Sextili menſe conventas, ſignificabat Hiſpanos ſpe de Infante et Erneſto regibus conſtituendis dejectos, tandem de Guiſii matrimonio mentionem injicere coactos, eaque re perſuaſum cunctis recte de republica ſentientibus fuiſſe, Hiſpanos per illam electionem nos irreconciliabili, et quod cum exitio regni tantum eſſet deſiturum, bello obligare voluiſſe; Guiſiique nomen mntuatos eos, id agere nt tempus ducerent, donec Erneſtus cum potenti exercitu in Belgium propediem venturus, quod illi nunc aſtu et dolis faciunt, vi aperta perficeret. Nihil magis exhorteſcere Hiſpanos, quam ne divulſa hujus regni membra compoſitis ad obſequium animis rurſus coeant ſub principe legitimo, et qui ab ipſis tanquam ſatrapa, Perſarum more, minime creatus ſit. Itaque cum viderent regem majorum religioni nomen dediſſe, et honorificam legationem ad pontificem adornaſſe, nihil non egiſſe, ut impedirent, ne oratores admitterentur; et Philippicum oratorem inſolenti et ad hoc aevum inaudita audacia pontifici interminatum eſſe; ſi illos admitteret, fore, ut Philippus ſuos revocaret, et omnem cum ipſo et ſancta ſede amicitiam abrumperet; et frumenti denique ſnbvectionem ex Sicilia et Neapolitano regno in populi Romani alimoniam juxta pacta concedi ſolitam prohiberet. Id vero tam graviter tuliſſe pontificem, ut prae aegritudine ex eo decubuerit, queſtuſque coram fidis cardinalibus fuerit, vim conſcientiae et libertati ſuae afferri: etiam monuiſſe Meduanium per literas, ne a ſe libera conſilia in poſterum exſpectaret, ſed ipſe ſibi pro prudentia ſua conſuleret. Guiſium vero nuper cum Lutetia diſcederet, ab Hiſpanis percontatum, quid ex conditionibus ab ipſis propoſitis ſperandum ipſi eſſet, et cur poſt ſemeſtre nullum a rege Catholico mandatum ſuper iis proferrent; id tantum reſponſi tuliſſe, Meduanium tam diuturnae morae cauſam dediſſe, quippe qui Philippum rogaſſet, nt nihil de rebus Franciae decerneret, antequam ex legatis, quos ad ipſum brevi miſſnrus eſſet, plene de publico rerum ſtatu edoctus eſſet. Id necne verum ſit, ſe in incerto relinquere: tantum hoc ſcire, Guiſium male de Hiſpanis, nec melius de patruo ſatisfactum ab urbe diſceſſiſſe. Diſſidere paſſim populos et civitates; alias pacem, alias inducias petere, quibuſdam neutras partes placere. Nec paulo melius inter principes convenire: [a] Mercurianum res ſuas ſeorſim ab aliis habere: [b] Nemoroſium ac [c] Sanſorlinum fratrem irreconciliabili ob recentem injuriam adverſus ſuos odio flagrare, et ultionis occaſionem undique circumſpicere: Lotharingiae ducem jam inducias pepigiſſe, et dimiſſis copiis in eo eſſe, ut pacem cum rege et [d] Argentinenſibus faciat, et a foedere diſcedens neutrum ſe his bellis ut antea gerat. Jam audiri paſſim,

Rotomagum,

INTERPR. [a] *le Duc de Mercœur.* [b] *Charles Emmanuel de Savoye duc de Nemours.* [c] *Henry de Savoye marquis de S. Sorlin.* [d] *ceux de Strasbourg.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

[a] Rotomagum, quod a [b] Villario, [c] Pontem-Eſiae, quod a [d] Villaregio, [e] Peronam, Deſiderii-Montem et Roiam, quae ab [f] Eſtrumelio tenentur, cum rege agere. Denique [g] Abbatis-villa et Samarobriga Ambianorum delegatos miſſos, et res Lugduni jam mutaſſe undique afferri. Ita animis ubique diſſidentibus, aiebat Caſtreus, et Hiſpanorum aſtu, excitatis per urbes factionibus, fieri, ut ſub ipſorum jugum tranſire, aut regi legitimo et nunc Catholico parere neceſſe habeamus: nam neutris eſſe non licet, et in interregno diuturniore ſummum periculum eſt. Verum objici, quid interim religioni fiet? Aut quis nos ſacramento ſolvet? His reſpondeti poſſe, bellum religionis Catholicae apoſtolicae Romanae cauſa ſuſceptum, quamdiu rex ab ea alienus fuit, conſtanter adverſus ipſum geſtum; nunc eo ad ſacra majorum reverſo, nihil prohibere, quo minus ei obſequium debitum praeſtetur. Nec obſtare jusjurandum: nam aliud longe religioſius huic opponi poſſe, quod ſummo conſenſu omnium hujus urbis ordinum juratum eſt, Cum exteris nullum foedus neque in regno neque extra regnum initum iri. Quod vero tandem belli, ſi longius trahatur, operae pretium fore? Nam ſi quidem Guiſius Infantem uxorem duxiſſet, et rex creatus eſſet, idque ordines regni, atque adeo Pariſienſis ſenatus adprobaſſet, id pro ſpecioſo praetextu fortean futurum multis eſſe potuiſſe, atque animos ad majora audendum et lineam ultimam tranſiliendam facturum fuiſſe. Verum Deo, qui cuncta pro voluntate ſua contra vota noſtra plerumque ordinat, aliter viſum; cujus raro beneficio Hiſpanorum conſilia univerſis patuerunt, eo collimantium, ut regnum magnitudinis ipſorum aemulum aut in Auſtriam familiam transferrent, aut ſi non poſſent perderent, ac membratim diſcerperent; interea credulos Gallos vana ſpe ingentium auxiliorum lactari. At quae illa tandem? XII CIↃ peditum, et III CIↃ equitum et C aureorum CIↃ in ſingulos menſeis ad alendam Meduanii familiam, aliorumque principum ac ducum, qui cum eo ſunt, ſtipendia perſolvenda, et totidem armatorum millia ſub ſignis retinenda. His copiis ſubnixum videlicet Meduanium, momento debellaturum? Si, conſerto proelio, cruentam proculdubio victoriam fore, principibus viris ac flore nobilitatis utrinque extincto; tum recentes Hiſpanos ſuperventuros et ſuperſtitem victorem nullo negotio ſuperaturos. Igitur cum eo res redierint, conſultum videri, ut prae Hiſpanorum jugo regis dominationem eligant, pacemque praeſentem quam bellum nunquam deſiturum malint; pacis beneficio patriam, dignitates, bona, fortunas, et ſecuritatem ſibi, uxoribuſque ac liberis recuperaturi. Nec dubium relinqui, quin eorum exemplum pleraeque civitates ac [h] Bituriges inprimis in regno ſequantur, coëuntibuſque in amicitiam populis commercium interruptum protinus inſtauretur, navigatione per [i] Ligerim ubique libera; et pontifex cum tantam animorum ad quietem conſpirationem videbit, male ſe de ſtatu rei Gallicae huc uſque edoctum ſentiens, quod unum deſideratur, ſalutare rebus noſtris remedium pro pietate ac prudentia ſua adhibeat. Tantum, ne ſibi feſtinatae cum rege reconcilationis laudem ab aliis eripi ſinant, id ſe conſilii illis dare. Quod ſi ſequantur, ſe in praefectura, quam obtinet, cum iis vivere ac mori paratum: ſi recuſent, ad regem, quo fides et decus eum vocant, e veſtigio tranſiturum. Peroranti [k] Caſtreo cuncti magno plauſu aſſeuſerunt, et conditiones acceperunt; moxque feſtae voces vitam regi comprecantium tota urbe auditae, et diſploſa in laetitiae ſignum ubique tormenta.

XVIII. DECIMO poſt die, qui in Dominicam incidebat, [l] Aurrici celebrata regis inauguratio eſt. Antea de loco, et a quo, et quo oleo rex conſecrari deberet, quaeſitum fuerat; et foederati quidem ante quinquennium in comitiis [m] Bloeſenſibus legem inter fundamentaleis, ſicuti eas vocabant, ferendam propoſuerant, ut nemo rex legitimus in poſterum haberetur, priuſquam [n] Durocortori Remorum ſacro

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *de Brancas de Villars.* [c] *Pontoiſe.* [d] *de Villeroy.* [e] *Peronne, Montdidier, & Roye.* [f] *d'Eſtourmel.* [g] *Abbeville, & Amiens.* [h] *Bourges.* [i] *la Loire.* [k] *de la Chaſtre.* [l] *Chartres.* [m] *Eſtats de Blois.* [n] *Reims.*

ſacrò oleo, quod in beati Remigii coenobio religioſe aſſervatur, more ſolemni inunctus eſſet. Id ut inſolens et aſtu Guiſianorum, qui urbem et inſignia regia in poteſtate habebant, ab emiſſariis ſuis propoſitum prudentiores arguebant; et iniquum eſſe dicebant, legitimam regni ſucceſſionem, quae proximo agnato lege regni defertur, loco certo includi. Itaque tunc magno conſenſu decretum fuit, nihil cauſae eſſe, cur minus ſolemnis inauguratio dici deberet, etſi minime Durocortori facta eſſet; nam exemplis conſtare id in imperatorum et regum conſecrationibus ſecundum tempora ſemper variaſſe: Pipinum ſiquidem a Moguntino archiepiſcopo primum, dein poſt Zachariae obitum a Stephano II pontifice, qui ſub id in Galliam venit, cum duobus filiis ſuis oleo proprio in villa Franciae [a] Cariſiaco inunctum: Carolum magnum autem et Ludovicum Pium ejus filium Romae inauguratos; Ludovicum et Carolum III Ludovici Pii filios [b] Moguntiae; Arnulfum Caeſarem [c] [1] Triburiae; Ludovicum IV [d] Forchemii; Henricum regem [e] Friſlariae; Othonem I [f] Aquiſgrani; Othonem II [g] Wormatiae Vangionum: Othonem III rurſus Aquiſgrani; Henricum I Caeſarem Moguntiae; Conradum I et Henricum II Aquiſgrani; Henricum III Caeſarem ab Hermano Colonienſi archiepiſcopo coram Leopoldo archiepiſcopo Moguntino; Henricum IV et Lotharium Moguntiae; Conradum II [h] Confluentiae; Fridericum [i] Ahenobarbum [k] Francofurti ad Moenum: alios alibi inauguratos. Quod vero plures Moguntiae inaugurati fuerint, in cauſa fuiſſe, quod Moguntinus Germaniae primas ſit, et ſupremi ac maximi pontificis titulos ſibi vindicet, licet archiepiſcopus Magdeburgenſis poſtea eoſdem titulos ſibi ſumpſerit: in Germanicis autem hiſtoriis perſcriptum eſſe, in ſciſſura illa duorum regum Philippi [l] Sueviae ducis et Henrici V, cum Conradus [m] Argentinae epiſcopus coronam, crucem, aliaque imperialia inſignia retineret, eo conſilio, ut Imperium in aliam familiam transferret, judicatum fuiſſe, ea tantum legitimis principibus non etiam uſurpatoribus prodeſſe poſſe: proinde alia ornamenta recte confecta ad Friderici, Henrici V bimuli filii inaugurationem. Idem agitatum in cauſa Ludovici Craſſi anno ſalutis CIↃ CX [n] Aureliani a [o] Senonenſi archiepiſcopo conſecrati: et Ivonem [p] Carnutum epiſcopum luculenta epiſtola factum defendiſſe, ac exemplis oſtendiſſe, tam ad Celticos quam Belgicos epiſcopos pertinere, regem, cui jure hereditario regnum competit, quique tam Aquitanis quam Belgis imperaturus ſit, conſecrare; ſiquidem regno inter Clodovei nepotes diviſo, Charibertum, qui Pariſiis ſedem fixerat, et uſque ad Garumnam regnum extenderat, Guntranum, qui Aureliani regiam conſtituerat, non a Remenſi archiepiſcopo, ſed a ſacerdotibus provinciarum, quas tenebant, conſecratos fuiſſe. Poſtquam regnum rurſus in unum coiit, Clodovei progenie extincta, Pipinum et ejus filios Carolum et Carolomanum minime Remis inunctos; dein Ludovicum Ludovici ſenioris filium apud Ferrarias in Senonenſi pago, et uxorem ejus, nullo praeſente metropolitano, a quibuſdam epiſcopis ab Hugone abbate, et ceteris primatibus miſſis, conſecratos et coronatos. Cum denique duo filii Roberti Andium comitis e Saxonia oriundi ſupereſſent, Odo videlicet et Robertus, Burgundiones Aquitanoſque proceres in unum congregatos, Odonem grandiorem natu, licet reluctantem, [2] Caroli tutorem conſtituiſſe, a Waltero archiepiſcopo Senonenſi inunctum: Rodulfum poſtea Burgundionem a Carolo Simplice tunc captivo regno praepoſitum, et III Eid. Quintil. IↃ CCCC XXV [q] Auguſtae Sueſſionum conſecratum fuiſſe: eo autem mortuo Ludovicum Caroli Simplicis filium a Willelmo archiepiſcopo ex Anglia reductum, et IV Kal. Quintil. quarto poſt anno, apud [r] Laodunum inunctum: regno demum in familiam Hugonis magni ducis tranſlato, Robertum ejus nepotem Aureliani in

INTERPR. [a] *Cariſi.* [b] *Mayence.* [c] *Tribur.* [d] *Forchein.* [e] *Fritzlar.* [f] *Aix la Chapelle.* [g] *Wormes.* [h] *Coblentz.* [i] *Barbaroſſa.* [k] *Francfort ſur le Mein.* [l] *la Souabe.* [m] *Strasbourg.* [n] *Orleans.* [o] *de Sens.* [p] *Chartres.* [q] *Soiſſons.* [r] *Laon.*

NOT. [1] Tribura. Locus hodie plane deſertus inter Moguntiam et Oppenheimum. *Put.*
[2] Caroli Simplicis.

CIↃ IↃ XCIV. Henricus IV. in regem conſecratum ac coronatum: hujus rurſus filium Hugonem juvenem [a] Compendii inſignia regni cepiſſe. His exemplis manifeſtum fieri; Francorum reges non omneis in Remenſi eccleſia vel a Remenſi archiepiſcopo regno inauguratos; atque adeo conſtare, Remenſem praeſulem extra Belgicam nunquam regem Francorum conſecraſſe: quippe eandem cujuſque metropolitani poteſtatem in metropoli ſua eſſe; nec eſſe, cur unus tanquam proprium jus ambiat vindicare, quod multorum eſſe commune conſtat: alioqui ex eo quoſdam inferre auſuros, majorem vim ſacramentorum eſſe apud illos, quam apud alios; quod eccleſiae unionem divideret. Neque vero in eo contra legem peccatum; nam nullam de ea re legem conditam, quae praecipiat regem praecipue Remis, aut alibi prohibeat, conſecrari: nec privilegiis Remenſem eccleſiam niti poſſe; nam ſi quae ſunt, nulla illa eſſe, utpote nec in conciliis generalibus coram aliis epiſcopis recitata, nec ad alias eccleſias tranſmiſſa; ac denique nulla illis familiari vel publica relatione propalata. His rationibus cum de loco ſatisfactum videretur, de oleo, quo rex inungendus eſſet, diſputatum eſt; neque multum poſt priorem deciſam quaeſtionem de altera pugnatum fuit. Nam ſi Remenſis eccleſiae cancellis minime concluſa eſt Francorum regum conſecratio, qua ratione dici poſſe, [b] Sanremigianum oleum ad eam neceſſario requiri? Nam praeterquam qnod a multis de eo ambigitur, quippe cum de illo ipſe S. [c] Remigius in ſuo teſtamento ſileat, nec Gregorius [d] Turonum praeſul, aliuſve ex veteribus fide dignus auctor, mentionem ejus faciat. Chriſma, quod ab epiſcopis conficitur, ad id ſufficere: et ſi coeleſte oleum, quo major veneratio conſecrationi concilietur, adhiberi oporteat, longe certioribus teſtimoniis de oleo coeleſti, quod [e] Majore in monaſterio Caeſaroduni Turonum religioſe aſſervatur, conſtare: quippe quo CXII annis ante Clodoveum ſacro lavacro a S. Remigio ſuſceptum, beato Martino per ſcalas forte prolapſo, cum exanimis jaceret in cellula, angelum nocte viſum tanquam ſalutari unguento ejus vulnera eluiſſe, et contuſi corporis ſuperliniſſe livores, tradit Sulpitius Severus; atque ita poſtero die reſtitutum ſanitati Martinum, ut nihil unquam pertuliſſe incommodi putaretur. Idem et a Venantio Fortunato [f] Pictavii, et Pontio Paulino Nolae epiſcopis tradi, et ab Albino ſive Alcuino Caroli Magni praeceptore, cum de beati Martini miraculis agit, confirmari. Itaque oleum illud ex Turonibus afferri placuit, ut cum chriſmate admiſtum ad unguendum regem adhiberetur. Id a religioſis monaſterii ſodalibus poſt ſupplicationes per urbem et toto itinere celebratas in curru advectum eſt, deducente eos Aegidio [g] Sovreo provinciae praeſide, regi ſumme fido; cum qno et venere a ſenatu delegati, ut inaugurationi intereſſent. Poſtremo a quo fieret, aliquandiu altercatum fuit. Reginaldus Belnenſis Bituricenſis archiepiſcopus, qui primarium locum non ſolum in aula, ſed in eccleſia Gallicana aetatis et meritorum praerogativa tenebat, hunc honorem ambiebat, eoque ſibi deferri debere contendebat, quod archiepiſcopus [h] Senonenſis jam tum deſignatus eſſet. Sed contradicebat Nicolaus [i] Thuanus urbis epiſcopus, et ſi quidem [k] Belnenſis in Senonenſem archiepiſcopum conſecratus eſſet, non pugnaturum ſe oſtendebat: quippe cum Senonenſi tanquam metropolitano cedere honeſtum judicaret; ſed Bituricenſis in [l] Carnotenſem jus nullum habentis mandatis parere, non ſolum ſibi probroſum, ſed contra diſciplinam eſſe contendebat. Nam ſcitum eſſe Calixti papae praeceptum, a Gratiano et ante eum a Burcardo et Ivone Carnotenſi repetitum, ut nullus primas, nullus metropolitanus, nulluſque reliquorum epiſcoporum alterius adeat civitatem, aut ad poſſeſſionem accedat, quae ad eum non pertinet, et alterius epiſcopi eſt paroechiae, neque quidquam ibi diſponat, ordinet, aut judicet, ſi ſui juris potiri voluerit. Tandemque tenuit Thuanus, ut quando inaugurationem in

INTERPR. [a] *Compiegne.* [b] *la Sainte Ampoulle.* [c] *S. Remi.* [d] *de Tours.* [e] *Marmouſtier.* [f] *Poictiers.* [g] *de Souvré gouverneur de Touraine.* [h] *de Sens.* [i] *de Thou.* [k] *de Beaune archevêque de Bourges.* [l] *l'evêque de Chartres.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

In ſua eccleſia fieri placuiſſet, ipſe iu ea inaugurationi praeeſſet, et archiepiſcopi [a] Remenſis partibus fungeretur. Id ſolemni more ex inſtituto majorum condicta die celebratum fuit. [b] Laodunenſis, Lingonenſis, qui duces; et [c] Bellovacenſis, Catalaunenſis, ac Noviodunenſis, qui comites ſunt; epiſcoporum ac Franciae Parium vice erant Philippus [d] Becus Namnetenſis, Henricus [e] Magnanus Dinienſis, Henricus [f] Eſcubleus Malcacenſis epiſcopi: Coſmus [g] Clauſſa, qui Catalaunenſis ipſe epiſcopus erat, Joannes [h] Albaſpinacus Aurelianenſis epiſcopus, [i] Burgundionis, Aquitani, Normaniae ducum; [k] Flandriae, Campaniae, Toloſae comitum, ac Franciae Parium loco ſedebant Franciſcus Borbonius [l] Contii priuceps, Carolus Borbonius [m] Sueſſio, Henricus Borbonius [n] Monpeuſerii dux, Franciſcus [o] Lucemburgus Pinaei dux, Albertus [p] Gondius Radeſiarium dux, qui [a] nuper recuperata valetudine cum Helvetiis magni ducis Etruriae pecunia conductis ex Italia venerat, et Annas [q] Levius Ventadurii dux. Jacobus [r] Gobio Matignonus equitum tribunus Aquitaniae praeſes magiſtri equitum officio fungebatut, et enſem ſtrictum regi praeferebat; poſt quem ſedebat Philippus [s] Huraltus Cevernii comes Franciae cancellarius purpurea veſte amictus, aliique ſuo ordine: olcum a [s] Martinianis ſodalibus allatum in ſancti Petri baſilica depoſitum fuerat. Summo mane miſſi IV e nobilitate primaria adoleſcentes cum vexillis, [t] Caumontius Lauſunius, H. [u] Halvinius Dinami comes, Henricus Huraltus Cevernii comes, Auguſtus [v] Bellogardius Thermus, qui obſides eſſent, poſt ceremonias peractas ſacram Ampullam, quod eſt vas quo oleum continetur, bona fide reſtitutum iri. Documento de ea re per urbis praetorem confecto, affertur in majus templum ampulla ſolemni pompa per vias aulaeis velatas. Peractis ceremoniis comparuere cum vexillis IV Barones, ſic vulgo vocantur, ut ampullam ſicuti promiſerant, ad beati Petri baſilicam relatam Martinianis ſodalibus rêſtituerent. Tum cantatum beatorum [w] Ambroſii et Auguſtini canticum, et miſſilia in vulgus ſparſa; [x] XIII Byzantinis, qui ſinguli XV aureis pendebant, epiſcopo ſacra peragenti inter alia donaria offerri ſolitis. Inſculpta erat in antica parte regis effigies anno adſcripto, in poſtica Hercules effigie ipſius regis coelatus erat, cum iuſcriptione, INVIA VIRTUTI NULLA EST VIA. Poſtea maguo paratu celebratum convivium fuit in epiſcopi aedibus. Secundum regem et infra eum ad dextram menſa ad id parata aſſedere [y] epiſcopus Carnotenſis ac V alii eccleſiaſtici pares cum pontificiis ornamentis ac mitris; alii VI pares ad laevam cum iiſdem itidem ornamentis, quae in templo habuerant, et circulis aureis in capite. Coena pari ſumptu inſtructa, in qua non paribus, ſed regi ac gynaeceo aulico miniſtrabant primarii aulaė principes ac proceres, ac Sueſſio magni Palatii magiſtri munere defunctus eſt. Poſtride, ne quid ſacri ritus praetermitteret, inſtitutae a deceſſore ſuo Sancti Spiritus Militiae, et poſt inaugurationem ex ejus inſtituto celebrandae, poſt veſpertinas preces decantatas, inſignia cepit, per epiſcopi manum, jurejurando prius ab eo ad majus altare in genua procumbente praeſtito, et Philippo Huralto cancellario jurisjurandi formulam praeferente. Quae omnia Nicolaus Thuanus epiſcopus Carnotenſis edito libro, additaque illa Ivonis epiſtola, complexus eſt; conſecrationis ritibus ac pompa, ut memoria tantae rei integra ad poſteritatem tranſmitteretur, diligenter annotatis.

JACOBI

VAR. LECT. [a] nuper, momento recuperata valetudine rebus in Gallia regi arridentibus, cum Helvetiis MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Reims.* [b] *de Laon, & de Langres.* [c] *de Beauvais, Chaalons, & Noyon.* [d] *Du Bec evêque de Nantes.* [e] *Magnan evêque de Digne.* [f] *d'Eſcoubleau évêque de Maillezais.* [g] *de Clauſſe.* [h] *de l'Aubeſpine evêque d'Orleans.* [i] *Bourgogne, Aquitaine, & Normandie.* [k] *Flandre, Champagne, & Toulouſe.* [l] *Conti.* [m] *le Comte de Soiſſons.* [n] *Montpenſier.* [o] *de Luxembourg duc de Piney.* [p] *de Gondy duc de Retz.* [q] *de Levi duc de Ventadour.* [r] *de Goyon mareſchal de Matignon gouverneur de Guienne.* [s] *Hurault comte de Chiverny en robbe violette.* [s] *les Chanoines de S. Martin.* [t] *de Caumont Sr de Lauſun.* [u] *de Halwin comte de Dinan.* [v] *de Bellegarde Sr de Thermes.* [w] *le Te Deum.* [x] *treize pieces d'or en medailles du poids de quinze eſcus d'or.* [y] *de Thou evêque de Chartres.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS NONUS.

EPITOME.

BRISSACUS clam cum rege agit de urbe tradenda. II. *Ultimum conventiculum Sexdecimanorum. Ad factionem denuo inſtaurandam ſupplicationes religioſae celebratae.* III. *Repreſſa Joannis Guarini Franciſcani petulantia. Senatuſconſultum contra coitiones et conventicula factum. Briſſacus ab P. Amorio gravitate ſenatoria increpatur.* IV. *Secretae Sexdecimanorum per urbem diſcurſationes, et in confeſſionibus per ſacerdotes appoſitos affectatae interrogationes.* V. XI *Kal. April. urbs a Briſſaco, Joanne Lullerio mercatorum praefecto, Martino Anglo aedili, patefactis Nova et Sandionyſiana portis, tradita, et admiſſi regii. Res tanto ordine peracta, ut a caedibus et direptione ſit temperatum. Emiſſi ſine injuria praeſidiarii. Placentinus bono animo eſſe juſſus, in conſpectum regis venire detrectavit. Cardinalis Pellevaeus aeger vix rei credens prae indignatione moritur. Baſtilia quinto poſt die a Burgo dedita.* VI. *Libelli injurioſi in regem undiquaque conquiſiti et aboliti. Datum et negotium P. Pithœo ut archiva curiae excuteret, et quidquid in iis in regem injurioſum reperiretur, itidem aboleretur. De reſtituendo dein ſenatu actum, et praeteritorum oblivione ſancienda. Non expectatis iis qui Caeſaroduni jus dicebant, praecipitatum negotium, et edictum ea de re a cancellario promulgatum frequenti corona. Celebratae a rege paſchales feriae magno populi confluentis applauſu.* VII. *Senatores qui Caeſaroduni erant, cum Achille Harlaeo magna gratulatione in urbe accepti: venit etiam ad aulam Sueſſio. Decretum Pariſienſis academiae de obedientia regi praeſtanda et precibus pro eo concipiendis. Urbe exacti pauci factioſi theologi et alii.* VIII. *Andreas Brancatius Villarius qui Rotomagum tenebat, regi reconciliatur. Cadomo evocati qui regis nomine jus dicebant, et in loco majorum deinceps ſenatus ſedere juſſus. Abbatis-villa, Monſtrolium in Morinis, Auguſtobona Tricaſſium, Agendicum Senonum, Rigomagus in Arvernis, Aginnum, Villa-nova, Marmanda in Nitiobrigibus, praeteritorum oblivione ſancita, ſe gratiae regis ſummittunt. Pictavium et regi reconciliatur, Scaevola et Ludovico Sammarthanis fratribus annitentibus. Conditum de eo edictum. Cardinalis Borbonius mox in urbem venit.* IX. *In Belgium Erneſtus Caeſaris frater venit, et triumphali pompa Bruxellis exceptus eſt. Actum ante omnia de populorum levamento. Carolus Mansfeldius Capellam deditione a Maliſio facta cepit. Erneſtus ad Ordines ſcribit, et eos ad pacis rationes ineundas hortatur. Auditi et legati, quorum oratio tota fuit in praeteritorum memoria ac diffidentia ex animis ipſorum delenda. Ad quam ab Ordinibus repoſita, quae a* XXX *annis inter Hiſpanos et Belgas bello et pace facta ſunt.* X. *Res in Friſia geſtae. Ad Groëningam Mauritius caſtra ponit. Groëningenſium, Maximiliano* I *Caeſare, ſtatus, et poſtea ſub Carolo* V, *cui ſe poſtremo ſummiſerunt. Poſt violentam pulſationem colloquium cum Mauritio inſtitutum, perſcriptiſque*

tandem

tandem conditionibus Unioni provinciarum foederatarum bona fide ſe contra Hiſpanos pro libertate publica acceſſuros promittunt. Petrus Furius Nigellanus de Mauritio interficiendo ſe ſolicitatum ab iis, qui circa Erneſtum erant, confeſſus, Bergis ad Somam ſupplicio adficitur. XI. *Regii milites Itali ob non repraeſentatum ſtipendium more ſolemni Araſchoti tumultuantur, et Sichenam tendunt. Iſſelſtenius dum militem in Weſtſalia legit, ex longiore mora provincialibus ſuſpicione injecta quaſi in ea hybernare vellet, interficitur.* XII. *Ordines novam per Tatariam in Indias orientales viam moliuntur, audaciore quam feliciore ſucceſſu.* XIII. *Sigiſmundus Poloniae rex in Sueciam profectus Upſalae inſignia regni capit. De confeſſione Auguſtana ſervanda a rege fides interpoſita. Stocholmiae regni comitia indicta.* XIV. *Jacobo Scotiae regi filius naſcitur, qui in luſtrico myſterio Henricus Fridericus dictus.* XV. *Comitia Imperii Maio menſe Ratiſponae celebrata. Erneſtus Badenſis oppida Edvardi Fortunati gentilis occupat.* XVI. *In Italia Turcicae claſſis metus. Fruſtra Syracuſis tentatis Cicada in fretum Mamertinum deflexit, et Rhegium in Brutiis aggreditur, et deſertum ab oppidanis diripit et incendit, crudeliter vaſtato circum agro. De ſubſidiis in bellum Pannonicum a principibus Italiae ferendis agitur.* XVII. *Hinc capta occaſione Alſonſus Ferrarienſis ut Mutinae, Rhegii Lepidi, et Carporum ditiones in Caeſarem gentilem conferrentur, magna auri vi depenſa, a Caeſare impetravit. Hyacinthus Polonus in divos ſolemni ceremonia refertur.* XVIII. *Mortes Franciſci a Foxio Candalae, Plauti ſeu Franciſci Bencii, Claudii Puteani, Gerardi Mercatoris, Orlandi Laſſi, Cornelii Bonaventurae Bertrami.* XIX. *Fons Bollenſis medicatus juxta Goepingam in Suevia frequentari coeptus.*

Ex auctoribus,

Ephemeride regia, Annae Ateſtinae relatione, Actis Curiae Pariſienſis, Actis publicatis, Edictis in gratiam praeſectorum ſactis, Scaevolae Sammarthani commentariis, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Caeſare Campana, Actis probatoriis, Navigatione Ordinum juſſu ſcripta, Jacobo Typotio, D. Chytraeo, Kalendario Romano, Mart. Cromero, Actis canonizationis ab Abrahamo Bzavio ſcriptis, Jo. Bauhino.

LIBER CENTESIMUS NONUS.

CAROLUS [a] Coſſaeus Briſſacus jam tum in arcano per CIↃIↃXCIV.
Antonium [b] Sillium Rupipotii comitem, arcta ſecum cognatione conjunctum, cum rege agebat, ut urbem regni HENRICUS IV.
primariam nuper fidei ſuae commiſſam citra ſanguinem ac direptionis periculum in manus ejus traderet; eaque de re cum Gaſpare Schombergio, Pomponio [c] Bellevraeo, et Jacobo Auguſto Thuano, interdum admiſſis Briſſaci domeſticis, colloquia aliquoties habita [d] Autrici fuerant; inſpectantibus Annae [e] Ateſtinae Meduanii parentis procuratoribus, quos illa in aula ob privata ſua negotia habebat. Inde ſuſpicio orta, et Anna certior facta per ſuos procuratores, quid in aula ageretur, alioqui pacis et tranquillitatis ſtudioſa, Meduanium filium prudenter monuerat, cum in eo ille eſſet, ut ad exercitum auxiliarem proficiſceretur, ut mature ſibi conſuleret, et ſerio de pace cum

INTERPR. [a] *de Coſſé comte de Briſſac.* [b] *de Silly comte de Rochepot.* [c] *de Bellievre.* [d] *Chartres.* [e] *d'Eſte.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

cum rege jam Catholico ageret. Quod eum illi, ſive inſita cunctatione haerenti, ſive ſpe melioris ſucceſſus decepto, perſuadere non poſſet, ad extremum ut monita ſua ſpernentem periculo proprio accenderet, ſubjecerat, providere ſe, niſi cum rege de pace colloquium inſtitueret, antequam urbe excederet, fore, ut feſtinato ſuo diſceſſu urbem amitteret, et praetermiſſa hac occaſione poſtea honorificis adeo conditionibus cum rege tranſigendi facultatem ſibi ipſe praeriperet; nam ſcire ſe, clam occulta inita de tradenda urbe conſilia, ipſis, qui poſſent, conſciis ac etiam auctoribus, et de quibus nimiam fiduciam ipſe cepiſſet. Tum ille matrem urget, et quaſi ei eſſet auſcultaturus, per commune periculum orat, quicquid ſciat, ne ſe celet: illa filium obteſtata, ne quid dicendorum revelaret, ſibi compertum refert, Briſſacum clam cum rege agere, et occaſionem tradendae urbis ex ipſius diſceſſu ſumpturum. Quo cognito Meduanius gratias matri agit, et ante diſceſſum ſuum amplius ſe deliberaturum reſpondet, atque e veſtigio Briſſacum adit, jam de profectione ſua certus; et ſive ſpretis matris meticuloſae ac pacis nimium, ut putabat, cupidae monitis, ſive ut ſe de fide Briſſaci minime dubitare oſtenderet, quod intellexerat, familiariter aperit; ei tanquam ſibi fido urbis cuſtodiam commendans: at ille poſt actas gratias, ob fiduciam de ſe conceptam pro tantae gratiae cumulo petiit, ut ex quo id reſciviſſet, aperire non gravaretur; et Meduanius parum memor, a matre ſe accepiſſe retulit: quo cognito, illa, cum rem ut incerto rumore ad ſe perlatam et filio per jocum detectam apud Briſſacum excuſaſſet, Meduanio in occulto ſuccenſuit; et paulum ſtomachoſior ei praedixit, fore, ut ſi ita rebus incompoſitis diſcederet, nunquam ad urbem ejus potens reverteretur. Quod rurſus ille neglexit.

II. ANTE Meduanii diſceſſum res magis quam antea in urbe turbarunt, Sebaſtiano [a] Zametio, qui regis conſecrationi interfuerat, ſub id ex aula reverſo. Nam VI Non. Mart. Sexdecimani in Carmelitarum coenobio pomeridianis horis convenerant, cum turba CCC circiter ſuae factionis hominum, qui reliqui ex illa colluvie erant; ceteris aut poenitentia, aut experimento ad meliora reſpicientibus. Heic Joannes [b] Bucherus theologus, ſeditioſorum anteſignanus, et permiſſu Meduanii coactum concilium dicebat, et diploma ad conſtituendum per ſuam abſentiam concilium ab eo impetratum in ſenatu propediem promulgandum affirmabat; ac Meduanii nomine aſſeverabat, nullam ipſi cum iis, qui ad Navarrum quotidie deficiebant, conſiliorum conjunctionem intercedere, quod calumnioſe a quibuſdam jactatur; ſed in juriſjurandi a ſe praeſtiti religione perſeverantem, cum iis pro Catholicae apoſtolicae Romanae fidei defenſione vivere ac mori decreviſſe. Id illos ſcire velle, atque hortari, ut per ſuam abſentiam Unionem ſervent, neque ſe ab illa praetextu ullo divelli patiantur. Poſt cum Petrus [c] Senaltius eadam Meduanii nomine confirmavit; mirantibus pleriſque, qui praeter Bucheri et factioſorum voluntatem ſe turbae immiſcuerant, et libertatem plura dicendi impediebant, auctoritate Meduanii rurſus [d] Sexdecimanorum potentiam ab ipſo nuper labeſactatam ſtabiliri, et perditis hominibus ad bonos cives oppugnandos animos addi. Sed poſtridie, ſive vere aut per ſimulationem id ageretur, Briſſacus in ſenatum venit, et eo conventu non mediocriter commotum Meduanium et praeter ejus voluntatem id actum dixit: tantum Buchero ab eo mandatum, ut Sexdecimanis renunciaret calumnioſa eſſe, quae de conſiliorum cum iis, qui ad hoſtem deficiebant, participatione contra ſe jactabantur; de cetero coitiones omneis ut turbis ac ſeditionibus occaſionem praebenteis ſemper deteſtatum eſſe et prohibuiſſe. Secundum haec biduo poſt Meduanius urbis tribunos in Briſſaci aedibus convocat, et de profectione ad exercitum ſua eos certiores facit, monetque Unionem ſervent, et quemcunque turbas ciere aut ſeditionem moliri comperient, confeſtim

INTERPR. [a] *Zamet.* [b] *Boucher.* [c] *Senault.* [d] *les Seize.*

confeſtim de medio tollant; [a] Briſſaco et [b] mercatorum praefecto tanquam legitimis magiſtratibus ſe ad omnia obedienteis praebeant, neque vero terrerentur crebris quae nunciabantur, transfugiis; ſatis ſuperque virium ſuperare, manente inter ipſos concordia: pignora, quae chariſſima habeat, uxorem et liberos in urbe relinquere: Nemoroſiam matrem inſuper ac ſororem Monpenſeriam, quarum ſecuritatem cum ipſorum ſalute conjunctam putet, et velit. Dicentem excepit Briſſacus, et poſt actas pro tam egregia voluntate gratias, urbem ut commendatam habeat, et populi levamento conſulat, rogat. Secutae dein de Carmelitano conventiculo confuſae inter tribunos altercationes, quas Meduanius utcunque pro tempore diremit; teſtatus nunquam ſibi hujuſmodi tumultuarias coitiones placuiſſe. His actis pridie Nonas Martias, qui in Dominicam incidebat, Meduanius ſummo mane in viam ſe dat, abducta ſecum uxore et liberis, contra quam promiſerat; et ſubitum diſceſſum ſuum inſalutato ſenatu per Briſſacum excuſavit. Eodemque die ſupplicationes ſolemnes, in quibus S. [c] Genovefae feretrum praecipue in urbe venerationis circumferendum eſſet, quaſi legato pontificio poſtulante ex ſenatuſconſulto in XVI Kal. April. edicuntur; monenturque omnes, ut recte procuratis mentibus ſe ad poenitentiam parent.

III. URBE Meduanii diſceſſu turbata, ex occaſione ſupplicationum ingens terror bonis additus, quaſi id legati operam Philippo navantis et Hiſpanorum aſtu fieret, ut occupatis religione animis Sexdecimani ultimum conatum in urbe ſub jugum mittenda facerent. Auxit ſuſpicionem, quod cum ſub id rex novendialium precum ad [d] Clodoaldi-fanum celebrandarum colore urbi propinquare diceretur, frementibus Hiſpanis, [e] Nova porta, Buſſiana, Dionyſiana, Marcellina doliis vimineis et terra aggeſta obſtructae ſunt. Et Joannes [f] Guarinus Franciſcanus Allobrox, homo notae impudentiae ac temeritatis, in concione publice plebem ad ſeditionem concitaſſe dicebatur; tempus veniſſe, quo vere Catholici de Politicis dignas poenas expeterent. Numero illos vincere, ſed cauſa ipſos potiores, proculdubio ex eis victoriam reportaturos; tantum occuparent, neque cuiquam eorum extrema commeritorum parcerent. His accedebant ſive veri ſive artificioſe ſparſi rumores; paſſim Hiſpanos arma undique cogere, et per loca religioſa diſtribuere; circulos igneos, lanceas, igneis Graecos parare, et Sexdecimani non jam civili modo, ſed armati et gladiis accincti, quaſi concivibus aut diffidentes, aut perniciem molientes, per urbem incedere conſpiciebantur. Itaque inſtigante Mercatorum praefecto partes ſuas ſenatus interpoſuit, vocatoque Briſſaco et Ludovico [g] Godeberto theologo, majoris templi poenitentiario, et cardinalis Gondii epiſcopi vicario, de ſeditioſis Guarini vocibus querelam inſtituunt; praecipiunt et Godeberto, ut illum intra modeſtiae cancellos contineat, tum Briſſacum ac Stephanum [h] Nullium rogant, legatum adeant, ut ipſe auctoritatem ſuam interponat, et Guarino, ſi temperare nolit, ſilentium imperet. Id ſe facturum recepiſſe legatum retulit ad ſenatum Nullius IV Eidus Martias: ſtatimque monitus a legato Guarinus interpretatione a ſe dicta mollivit, et in poſterum petulantiae linguae aliquantum temperavit. Tum ſenatuſconſultum fit, quo coitiones omnino prohibebantur, perduellionis addita poena, et ut aedes, in quibus illae fierent, diruerentur. Item vetabatur, ne quocunque praetextu armorum vis congereretur, aut ſermones ad ſeditionem ſpectantes, et in praejudicium Unionis aut adverſae partis gratiam ſpargantur. A Nullio petitum fuerat, ut adverſae partis loco regis Navarrae nomen exprimeretur; nam id libello ſupplici oblato poſcere Sexdecimanos: verum tenuit, ut ita conciperetur ſenatuſconſultum. Poſtremo a Briſſaco ambitioſe petitum fuerat, ut

ſuo

INTERPR. [a] *le comte de Briſſac.* [b] *Prevoſt des marchands.* [c] *Chaſſe de Ste Genevieve.* [d] *S. Cloud.* [e] *Porte Neuve, de Buſſy, de S. Denis, & de S. Marceau.* [f] *Guarinus Cordelier Savoyard.* [g] *Godebert chanoine penitencier & vicaire general de l'evêque de Paris.* [h] *le preſident de Nully.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV. ſuo nomine edictum proponeretur; ſic enim fore, ut majorem terrorem contra annitentibus incuteret: ſed reclamavit [a] Amorius, ſenatum jubendo vel vetando impatientem conſortis eſſe generoſe dictitans. Cumque Briſſacus replicaret, niſi ſuo nomine edictum promulgaretur, ſe certae ſeditionis periculum praeſtare non poſſe: ille rurſus inſurrexit, quaeſivitque ab eo, quam tandem in urbe auctoritatem aut potentiam haberet, quam non a ſenatu accepiſſet? An non memor eſſet, cum tribuni equitum, et praefecti urbis jusjurandum in ſenatu diceret, ſe decreta ejus ſervaturum ac diligenter executurum recepiſſe? Igitur aperte declararet, quid ſentiret, ut ſecundum ipſius reſponſum ſenatus ſine mora decerneret. Amorii increpatione non mediocriter offenſus Briſſacus, tamen ne in praefecturae limine impingeret, ſenſum injuriae preſſit, et, poſtquam praetexta calamitoſae tempeſtatis neceſſitate ſe excuſavit, ſumma modeſtia in ſenatus poteſtate ſe fore dixit. Igitur publicatum per urbis plateas ſenatuſconſultum citra tumultum, et magno cum bonorum plauſu, Sexdecimanis, qui palam fremere non audebant, ad occultas artes confugientibus.

IV. NAM mox compertum eos per regiones urbis diſcurrere, et notos ſibi prenſare ac rogare, ſi ſimilis motus, qualis ante quinquennium menſe Maio fuit, forte exoriatur, an non eandem fortunam ſequi parati eſſent? Quin et ſeditioſorum auditas voces; non triduum elapſurum, quin in ſenatores et Politicos ferro ſaeviretur. Nec non in ſacris confeſſionibus ſacerdotes appoſitos, qui poenitentes in arcano interrogarent, ſanctae Unioni, an Navarri partibus addicti eſſent? Quae tamen omnia prudenter diſſimulata ſunt. Tantum diligenter proviſum, ne quid factioſi per ſupplicationum occaſionem contra [b] ſenatores ac rationaleis ſibi ſuſpectos molirentur, ſtationibus firmata urbe, et Germanis, qui Meduanii ſtipendiis merebant, Gallicis cohortibus, ac urbanis ſclopp etariis, cum praefecto vigilum per loca idonea diſpoſitis. Itaque citra motum aut periculum ullum celebratae ſunt ſupplicationes. Nec ceſſabant qui regis partibus favebant, ſummoque ſilentio Briſſacus cum [c] Lullerio mercatorum praefecto et Martino [d] Anglo aedili de tradenda urbe convenerat; Anglus [e] Sanquintinum Belgicarum cohortium praefectum, virum alioqui generoſum et probum, longa familiaritate ſibi devinxerat, et ut ab Hiſpanis ſibi metueret, ſparſis artificioſe rumoribus, ac melius de regis gratia ſperaret, effecerat. At Hiſpani cum ob id in ſuſpicionem ſecretae cum Gallica factione conjurationis ab eo initae veniſſent, ipſum comprehendunt, et coram Feriae duce ad cauſam dicendam ſiſtunt. Quod praecipitandi Briſſaco conſilii neceſſitatem impoſuit: reſque ſub hoc tempus incidit, quae novas turbas in urbe excitavit. Captus a [f] Burgo, qui [g] Baſtiliam tenebat, quidam ſacrificus [h] Merula nomine, quod ab [i] Allincurio, qui paulo ante cum rege clam convenerat, inductus, ut ferebatur, centurionem quendam corrupiſſet, ut armatis ex flumine per foſſam appellentibus acceſſum ad arcem daret; id aſtu Sexdecimanorum et Hiſpanorum nomen Allincurii mentientium factum multi interpretabantur, ut civium animos periclitarentur, an in communis periculi propulſatione bene univerſi convenirent, aut vero, ut arcem ipſam in poteſtate haberent, et quantum externarum virium vellent, per eam in urbem immitterent: ſciſſis partium ſtudiis cum res aliter atque aliter jactaretur, Burgus vir prudens ac moderatus, ut calumniam vitaret, ſacrificum obſoleto habitu, in quo captus erat, judicibus tradit, ut eum interrogarent; qui reſpondere juſſus ſe fori exceptione tutatus eſt, et ad judicem eccleſiaſticum remitti petiit; quanquam et vita ſoluta et continua armorum tractatione per haec bella fori praerogativam amiſiſſet. Suſpenſis exſpectatione judicii animis majoris molis conatus latuit. Cum paulo ante Rex [k] Fanum-Dionyſii veniſſet, ut ſuſpicionem purgaret,

Silvanectum

INTERPR. [a] *D'Amours.* [b] *Conſeillers au parlement, & maiſtres des comptes.* [c] *l'Huillier prevoſt des marchands.* [d] *l'Anglois eſchevin.* [e] *le capitaine S. Quintin colonel des Wallons.* [f] *de Bourg.* [g] *la Baſtille.* [h] *la Merle.* [i] *d'Allincour.* [k] *S. Denis.*

[a] Silvanectum conceſſerat, relicto Franciſco [b] Spinaeo Sanlucio, qui Joannam [c] Coſſaeam ſororem Briſſaci in uxorem duxerat, et de dote ejus magnas lites cum eo habebat. Ea ſpecie aliquoties ad [d] Antonii-fanum primo ab urbe lapide ambo collocuti, adducto etiam a Briſſaco, ut magis falleret, ex urbe Renato [e] Choppino famoſo advocato partibus Henoticorum [α] nimium addicto, ordinem rei exequendae componunt.

V. IGITUR condicta die Sanlucius regem de re omni certiorem facit, qui XII Kal. April. Silvanecto profectus [f] Dammartini et in Momorantiana valle copias diſtribuit, fama ſparſa, quaſi Hiſpanos [g] Bellovaco venienteis et ad [h] Inſulam Adami [i] Eſiam tranſituros, navigiis ſecum aſportatis, intercepturus veniret. Sub veſperam Briſſacus in praefecti mercatorum aedibus tribunos urbis cogit, et multa de calamitate publica praefatus, veniſſe diem dicit, quo finis ei imponatur, tradita regi Lutetia: jam de religione in tuto collocanda et praeteritorum oblivione cum eo conventum eſſe; tantum ſupereſſe, ut quam minimo cum motu et citra direptionem urbis res conficiatur; quod regem velle et facturum ſciat, modo ita omnia ab urbanis comparentur, ut regiis gladios ſtringere minime ſit neceſſe. Re compoſita, conſciis, ut in armis tota nocte eſſent, imperatur; mandatis a mercatorum praefecto et M. [k] Anglo ſubſcriptis, et ad centenarios fidos miſſis, qui de facta pace fidem faciebant, et ne qui eam impedirent, bonos civeis arma capere jubebant. Secundum haec poſtridie ſummo mane Briſſacus cum mercatorum praefecto ad portam Novam accedit, eamque terreo aggere amoto reſerari jubet. Idem Martinus Anglus eodem tempore ad Dionyſianam portam facit. Apertis portis, quod nox imbribus foeda ac nubiloſa eſſet, aliquandiu a regiis tardatum, anxio Briſſaco et ad tintinnabulorum pulſum ſolicito: donec ſub horam quartam Sanlucius ad [l] Tuillerias comparuit, cui cum face accenſa obviam profectus Briſſacus poſt colloquium in urbem redit. Sanlucius ſuis, ut accelerarent, mandat. Eo ordine incedebant: Sanlucius cum ſuo agmine primus urbem ingreſſus eſt, e delectis hinc inde per [m] Caium juxta portam relictis, et impoſito ſupra portam [n] Fabato belli experto duce, cum delectis ſcloppetariis, qui eam ſervarent. Ipſe cum CCCC ex Sandionyſiano praeſidio, quos Dominicus [o] Vicus ducebat, Nicolai [p] Harlaei Sancii ala equitum, et altera [q] Marſilii, qui in pedes deſcenderant, flexo ad [r] Thomae-fanum itinere ad [ſ] Crucis quadrivium ſupplicio afficiendis ſontibus deſtinatum tendit: ſequebantur Carolus [s] Humerius, et Franciſcus [t] Avertonus Belinius, qui tum regi militabat, cum copiis [u] Creolio et Maxentii-ſano evocatis, quibus Carolus [v] Rupifortius Santangelus praeerat; et [w] Roletus Pontisarcuenſis praefectus item cum ſuis, qui ad S. Michaelis pontem tranſierunt, monito Sanlucio, ut quoniam ulterius provecti erant, ipſis firmandis, ſi quid inopinati accideret, recentes ſummitteret: iis [x] Marinus ſororis Belinii filius, qui in urbe erat, mox ſe adjunxit. Franciſcus [y] Dous urbis et Franciae peninſulae praefectus tertius incedebat, et cum eo Franciſcus [z] Guntaldus Bironus Salignacus caſtrorum praefectus, cum Franciſci [a] Inſulani Tragnii et Joachimi [b] Berengavillae alis, qui per pomoerium ad S. Honorati portam deflectere juſſi ſunt, et portam ſervare. Quartum agmen ducebat [c] Matignonus equitum tribunus; quod Odeti filii [d] Thorignii comitis ala equitum, ex Helvetiis quibus praeerat Joannes Lantanius [e] Heidus, legione [f] Gardae, et praeſidio Silvanectenſi cui praeerat Ludovicus Momorantius [g] Bottavilla, conſtabat.

Is

VAR. LECT. [α] nimium ad inſaniam addicto MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Senlis.* [b] *d'Eſpinay de S. Luc.* [c] *de Coſſé.* [d] *petit S. Antoine.* [e] *Choppin.* [f] *Dammartin.* [g] *Beauvais.* [h] *Liſle-Adam.* [i] *l'Oyſe.* [k] *l'Anglois.* [l] *les Tuilleries.* [m] *le Quay.* [n] *Favas.* [o] *de Vic.* [p] *de Harlay Sancy.* [q] *de Marſilly.* [r] *S. Thomas.* [ſ] *la Croix du Tirouer.* [s] *d'Humieres.* [t] *d'Averton Sr de Belin.* [u] *Creil, & S. Maixant.* [v] *de Rochefort de St Angel.* [w] *du Roulet gouverneur du Pont de l'Arche.* [x] *de Marin.* [y] *D'O.* [z] *de Gontaud de Biron baron de Salignac.* [a] *de l'Iſle Sr de Traigny.* [b] *de Berengueville.* [c] *le mareſchal de Matignon.* [d] *Thorigny.* [e] *de Heyde colonel des Suiſſes.* [f] *de la Garde.* [g] *le Sr de Bouttevillle.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

Is dum ingrederetur, Briſſaco forte ad regem ſalutandum longius provecto, in Germanos rei ignaros incidens, cum regis nomen inclamare recuſarent, xxx circiter ex eis interfecit, totidem in flumen proximum praecipitavere. Placato uteunque ſtrepitu, quanquam ante aedeis ſuas proprias in ovili foro conſiſtere decreverat, ad Sanlucium uſque ire perrexit, relicta ſub Caii arcu majore delectorum manu. Rogerius [a] Bellogardius cum regia ala levis armaturae ante [b] Luparae arcem in S. [c] Germani area ſubſtitit. Franciſcus [d] Aurelianus Fani-Pauli comes, cum vexillo praetorio, ala equitum Joannis [e] Longavalli Manicani quam Carolus [f] Eſtraeus Coeuvrii marchio ducebat, et [g] Carnotenſi praeſidio, proxime ſequebatur. Rex in fronte incedens mercatorum praefectum et aedileis cum copiis urbanis obvios habuit. Ultimum agmen ducebat [h] Radeſiarum dux cum reliquis Helvetiorum copiis, et legione [i] Campana. [k] Vitrius per [l] Dionyſianam portam, ubi cum Martinus [m] Anglus exſpectabat, urbem ingreſſus portam delecta peditum manu firmat. Eodem tempore [n] Corbolii et Meloduni praeſidia ſecundo flumine ad armamentarium devecta ſunt, a [o] Tiercellino Cevallerio admiſſa. Res de cetero citra ſanguinem peracta. [p] Sanlucius tantum obvium habuit [q] Congium cum aliquot Gallorum et Hiſpanorum manu, qui conſpectis regiis ſtatim dilapſi ſunt. Hiſpani, Neapolitani, Belgae ad ſua ſe receperunt. Miſſus e veſtigio ad Feriae ducem Briſſacus, qui Sanquintinum tribunum, quem illi paulo ante tanquam ſuſpectum vinxerant, dedi peteret: quo tradito, regis nomine honorificas eis conditiones obtulit, modo ſe ipſius gratia non indignos praeberent. Iis permiſſum, ſic enim occulta pactione cum rege convenerat, ut explicatis ſignis, fune extincto, ad tympanorum pulſum cum armis et omnibus impedimentis incolumes dimitterentur, Sanlucio et Salignaco attributis, qui eos [r] Borgetum uſque proſecuti ſunt. Exire recuſabat initio Alexander [f] Montanus Neapolitanorum tribunus, et, [s] Buſſiana porta per Horatium [t] Sunieam occupata, ad defenſionem ſe parabat; cum per Scipionem [u] Vinarolum, et poſtremo per Scipionem [v] Brancatium de [w] Feriani voluntate certus, morem geſſit, et per Dionyſianam portam poſt prandium cum ſuis egreſſus eſt. Continuo miſſi per totam urbem tubicines et feciales, qui Regem praeteritorum gratiam facere, et in religione Catholica apoſtolica Romana vivere ac mori decreviſſe publice renunciarent, ubique feſtis hominum regi vitam comprecantium vocibus excepti. Miſſi et ad cardinalem Placentinum; Monpenſeriam, et Nemoroſiam, qui ſecuras eas juberet eſſe, et de regis gratia bene ſperare, attributis tantum ſtipatoribus potius ad demendum eis metum, quam quod periculum ſubeſſet. Inde rex ad majus [x] templum magno comitatu perrexit, ut gratias Deo ageret, a ſacro eccleſiae collegio obviam cruce praelata prodeunte ſumma reverentia exceptus; dum beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus ſymphoniacis decantatur, ſub uraniſco ad id parato ſacris ſolemnibus interfuit. Mox apertae tota urbe officinae, mira ac vix credibili poſt tam repentinam mutationem omnium quiete, ut appareret pulſis regni hoſtibus et abolitis momento factionibus, regem legitimum ſolio reſtitutum, magiſtratum urbi redditum, libertatem et leges in ea inſtauratas eſſe. Cum Placentinus cardinalis quanquam honorifice invitatus in regis conſpectum venire recuſaret, datum negotium Jacobo [y] Davidi Perrono Ebroicum epiſcopo deſignato, ut eum [z] Montargirium uſque proſequeretur. Abiens ille cum bona regis gratia ſecum abduxit N. [a] Varadam e ſodalitio Jeſuitico, et Chriſtophorum [b] Aubrium S. Andreae curionem, conſilii percuſſori [c] Barrerio de rege interficiendo nuper dati convictos. Aegrotabat periculoſe

cardinalis

INTERPR. [a] *de Bellegarde grand ecuyer.* [b] *le Louvre.* [c] *Place de S. Germain.* [d] *d'Orleans comte de S. Paul.* [e] *de Longueville de Manican.* [f] *d'Eſtrées marquis de Cœuvres.* [g] *de Chartres.* [h] *Retz.* [i] *de Champagne.* [k] *le baron de Vitry.* [l] *Porte de S. Denis.* [m] *l'Anglois.* [n] *Corbeil, & Melun.* [o] *Tiercellin de la Chevalerie.* [p] *de S. Luc.* [q] *Congy.* [r] *le Bourget.* [f] *del Monte.* [s] *Porte de Buſſy.* [t] *de Zuniga.* [u] *Vinarolo.* [v] *Brancaccio.* [w] *Duc de Feria.* [x] *Noſtre Dame.* [y] *Davy du Perron evêque d'Evreux.* [z] *Montargis.* [a] *Varade.* [b] *Aubry curé de S. André.* [c] *Barriere.*

cardinalis [a] Pellevaeus in [b] Senonenſibus ſuis aedibus, homo et antiquo erga Lotharingos cultu, et natura ſua regi infeſtiſſimus; qui cum ad ſtrepitum quid eſſet, per vices a do.neſticis peteret, reſponſum eſt, nunc Navarrum urbem obequitare, nunc ad portam novam impetum facere, ac denique jam urbem intraſſe, et ad templum majus exſpectari: contra Pellevaeo ſumma fiducia replicante ſortiter reſtituros Hiſpanos et Catholicos Pariſienſeis; neque laturos ſacri collegii ſodaleis, ut homo diris devotus ac relapſus ſacrum limen inſiſteret; ſuperveniens quidam pacata in urbe omnia, et rege omni honoris ſpecie in templo acceptum renunciavit: quibus auditis Pellevaeus averſo in grabati ſpondam vultu indignâbundus obmutuit, neque quidquam ad mortem uſque poſtea mutire auditus eſt. [c] Burgus vir ſtrenuus et Meduanio ſumme fidus [d] Baſtiliam, quam praeſidio tenebat, dedere juſſus, cum initio recuſaſſet, etiam infeſta diſploſione hoſtilem animum teſtatus; rebus ad obſidionem comparatis, quinto poſt die deditionem fecit, et in equo ipſe, milites cum armis, dimiſſi, et in tutum deducti ſunt.

VI. VENERAT in urbem cum rege Joannes [e] Seguierius praetor Pariſienſis, qui belli tempore juriſdictionem [f] Medontae, dein ad [g] Fanum Dionyſii exercuerat. Prima ejus cura, vocatis librariis et typographis, ut ſeditioſi ac contumelioſi in Regem defunctum ac Regem feliciſſime Franciam nunc moderantem publicati libelli, qui aut penes illos eſſent, aut ipſorum opera colligi poſſent, omnes abolerentur, cavereturque in poſterum, ne hujuſmodi ſcripta fierent, capitis ac publicationis bonorum in receptatores jam editorum, aut auctores ſcribentium addita poena. Eodem tempore datum a Ph. [h] Huralto cancellario negotium Petro [i] Pithoeo, qui quanquam ab ea factione ſumme alienus toto rebellionis tempore in urbe privatus remanſerat, viro alioqui nunquam ſatis honorifice mihi doctiſque ac bonis omnibus nominando, ut curiae archiva diligenter excuteret, et quicquid iis injurioſum aut ad memoriam pernicioſum per haec bella decretum, ſcriptumve in iis reperiretur, ſeponeret, concerperetque; quod ille cum Gulielmo [k] Vario et Antonio [l] Oiſellio ſedulo fecit: poſtea de edicto in gratiam Pariſienſium juxta conditiones ſecretas cum Briſſaco ante urbis traditionem conventas facto, et ſenatu, qui jus in urbe Meduanii nomine dixerat, priſtinae auctoritati reſtituendo actum, et quibuſdam promulgationem ejus differri in adventum ſenatus [m] Caeſaroduni Turonum tranſlati placebat; deberi hunc honorem eorum fidei, qui bonorum amiſſione, et vitae periculo regium nomen conſtanter tutati eſſent; ſic melius conſtituturam regi auctoritatem, ſi bene meritis, in, iniquitate ſeu fatali temporum calamitate, lapſos, aliquid juris ſervaretur: verum aulici, qui omnia ex libidine ſua pendere volunt, et quantum meritis aliorum accedit, tantum de ſua gratia delibari putant, apud benignum principem et ad indulgentiam pleno gradu properantem, pervicerunt, ut edictum a cancellario, ſacri ordinis aſſeſſoribus et libellorum ſupplicum magiſtris in loco majorum promulgaretur; et de ſenatu reſtituendo diploma in eodem conſeſſu ſtatim recitaretur, ac ſinguli ſacramento praeſtito in regis fidem adigerentur; annitente Franciſco [n] Doo urbis praefecto, homine virtutibus infeſto, qui gratiam urbanorum aucupabatur, ut ſciſſo factionibus ſenatu adverſus regios iniquis ejus voluntatibus fere adverſanteis ſe tueretur. [o] Petri Amorii ad id opera uſus Dous, qui in conſiſtorio ſupplex collegarum nomine petiit, ne diutius reſtitutio eorum differretur: plenae gratiae jam a rege conceſſae majorem partem facere, ut virorum ſibi aequiorum auctoritate amiſſam auctoritatem ac dignitatem recuperent: pleroſque vultus aliorum truces, quaſi injuriae ſenſum et ultionem ſpiranteis, perhorreſcere; et in

INTERPR. [a] *de Pelleve.* [b] *Hotel de Sens.* [c] *de Bourg.* [d] *la Baſtille.* [e] *Seguier Sr d'Autry, lieutenant Civil.* [f] *Mante.* [g] *S. Denis.* [h] *Hurault de Chiverny.* [i] *Pithou.* [k] *du Vair.* [l] *l'Oyſel.* [m] *Tours.* [n] *D'o.* [o] *D'Amours.*

in illa trepidationis plena mora beneficium principis ſeneſcere, et gratiam ejus quodammodo praeflorari: facilius coalituram concordiam, ſi regia beneficentia et in fide conſtanteis et ex poenitentia ad obſequium alacriores miſceat. Atque ita regi a Doo, aliiſque Doo blandientibus perſuaſum fuit; frementibus pleriſque, qui ab eo principio iniquam deinceps beneficiorum diſpenſationem fore indignabantur, et nullo inter bonos maloſque diſcrimine crebras querelas, fluxam multorum fidem, et ad extremum conjurationes ſecuturas triſti augurio providebant. Igitur v Kal. April. cancellarius in ſenatum venit, magno coronae officialium, quos vocant, ducum ac Franciae Parium, conſiſtorialium aſſeſſorum et libellorum ſupplicum magiſtrorum comitatu, et edictum regis nomine promulgavit, poſtulante cognitore regio, cujus partes ſuſtinebat P. Pithoeus, et verba pro eo faciebat Ant. Oiſellius. Eo poſt prolixam praefationem, qua memoria praeteritorum repetitur, rex in gratiam recipit Pariſienſeis, bonis a judice annotatis liberam fruendi facultatem facit, modo fidei ſacramentum dicant; et juxta edictum a deceſſore ſuo anno CIↃIↃLXXVII in gratiam Proteſtantium factum, non aliam quam Catholicae apoſtolicae Romanae religionis profeſſionem x ab urbe leucis fore ſancit, eccleſiaſticos ab injuriis et vexationibus in poſterum immuneis declarat; ne quis in divini cultus celebratione aut fructuum ſuorum ac jurium perceptione turbet, poena in conſtitutionibus dicta prohibet; privilegia antiqua ac libertates et immunitates, tam quae urbem, urbanos magiſtratus, quam quae academiam ſpectant, confirmat. Praeteritorum oblivionem edicit, modo in poſterum ab omni foederatione, factione, ſocietate tam extra quam intra regnum diſcedant. Judicia inter volenteis et ejuſdem partis ſocios reddita, confirmat. Contra abſenteis et regiis partibus addictos decreta reſcindit; judiciorum capitalium infamiam eluit. Officiorum, quae vocant, conceſſiones a Meduanio factas tanquam nullas revocat: iis tamen, in quorum gratiam conceſſae fuerant, ut allatis diplomatis, quae a Meduanio habebant, et a cancellario conceptis, acceptoque novo a rege diplomate ea retinere poſſint, gratiam facit: Quod idem de ſacerdotiis non conſiſtorialibus locum habere intelligatur: ut eadem gratia frui poſſint, qui nunc abſunt, modo intra menſem in urbem redeant, et fidei ſacramentum dicant, decernit: ab ea excepti, qui latrocinio et ſine ducum permiſſu graſſati ſunt, in quos jure agere liceat: item in eos,.qui deteſtando contra deceſſorem regem parricidio, aut conjurationi contra ſe initae participaſſe comperientur, aut eorum denique criminum rei, quae inter ejuſdem partis ſocios publicae coercitioni ſubſunt. Eodem ſpiritu recitatum de reſtituendo ſenatu diploma, quo poſt laudatum ab iis factum pro legibus regni menſe Junio ſenatuſconſultum, edictorum a deceſſore ſuo in eos, qui Lutetiae poſt rebellionem remanſerant, conditorum appoſitam poenam remittit, eoſque jurejurando fidei a cancellario exacto, quouſque qui [a] Caeſaroduni ac Catalauni ſunt, domum redierint, jus in urbe cum eadem, qua antea auctoritate dicendi plenam poteſtatem facit; idem eodem die in [b] Rationalium camera, et in vectigalium curia a cancellario actum. Claudius [c] Falco Riſius et Godofridus [d] Camuſius Poncarreus eodem officio apud monetaleis defuncti ſunt; quod eo cancellario ac ceteris qui eum ſequebantur, ire infra dignitatem videretur. Quod de officiis, quae vocant, eo edicto decretum eſt, ubique poſtea ſervatum fuit; et cum in ſenatu de ſedendi praerogativa quaeſtio mota eſſet, inter eos, qui a rege Caeſaroduni ac Catalauni, et eos, qui Lutetiae a Meduanio inſtituti fuerant, tandem decretum fuit, ut qui a rege ante conditum edictum ordinati fuerant, alios licet tempore anteriores praecederent; ut quanquam regis clementia omnium aequata eſſet conditio, tamen ob fidei conſtantiam penes regios aliqua

maneret

INTERPR. [a] *Tours, & Chaalons.* [b] *Chambre des Comptes, & Cour des Aydes.* [c] *de Faulcon Sr de Ris.* [d] *de Camus Sr de Pontcarré.*

maneret honoris praerogativa, et aliis adempto per tempus jure quaeſito quadam veluti praeteritae offenſionis nota aſpergeretur. Poſtridie ſupplicationes magna pompa celebratae, quibus rex cum toto aulico comitatu interfuit: et circumlatae pretioſae, quae ſumma religione in [a] Palatino ſacello aſſervantur, reliquiae: concionem in majore urbis templo habuit Carolus [b] Myro epiſcopus Andegavenſis magna eloquentia vir; in epiſcopi aedibus ad id deſtinatis populum Auguſtinianus eremita allocutus eſt. Die ſequenti ſenatores, qui reſtituti fuerant, convenerunt, et diplomatis in ſenatu recitatis, quibus Jo. [c] Magiſter praeſes ſeptimus, Martinus [d] Anglus et Gulielmus [e] Varius ob egregie navatam [f] Juniano decreto condendo, et urbe regi tradenda operam, libellorum ſupplicum magiſtri creabantur: Briſſacus quoque equitum tribunus, et tanquam urbis hucuſque gubernator, conſiliarii ſacramentum dixit. Tum ſenatuſconſultum [g] Pithoeo referente ac poſtulante conditur in haec verba: Cum curia jam a XII Januarii proximi apud Meduanium inſtiterit, ut cum rege, quem Deus et regni leges dederunt, reconciliaretur, et de pace ageret; ille autem dolo et artibus Hiſpanorum ac fautorum deceptus, ut hoc faceret, adduci non potuerit, urbe interim ſingulari Dei beneficio a jugo exterorum aſſerta, et ſub regis naturalis ac legitimi imperium reducta, poſt actas pro tam felici ſucceſſu Numini gratias, ſupremae regni juſtitiae auctoritate ad religionis Catholicae apoſtolicae Romanae conſervationem uti, et, ne falſo ejus praetextu exteri turbatum regnum invadant, impedire, cunctoſque principes, praeſules, proceres, nobilciſque alioſque regni ſubditos ad gratiam ac clementiam regis vocare: praeterea quicquid licentia peccatum eſt, concordia et reſtituta legum dignitate inſtaurare cupiens, claſſibus convocatis, matura deliberatione habita, omnia placita, decreta, ſacramenta interpoſita a die XXIX Decembris anni CIↃ IↃ LXXXVIII in praejudicium auctoritatis regum noſtrorum et regni legum, tanquam nulla et per vim ac violentiam extorta revocat, abolet, ac ſupprimit, et nominatim quicquid contra Henrici III dignitatem tam eo ſuperſtite, quam poſt ipſius obitum contra ipſius venerandam memoriam factum decretumque eſt, irritum pronunciat, vetatque, ne quis de eo niſi perhonorifice ac ea qua debet reverentia loquatur. Statuit ut de deteſtando ejus paricidio probationes conficiantur, et extraordinario judicio in ſonteis animadvertatur. Auctoritatem ac poteſtatem vicarii regni generalis Meduanio ante attributam revocat, inhibetque cunctis cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſint, ei hac ratione parere, favere, opem ferre: qui ſecus fecerit, poena perduellionis plectatur; eademque poena propoſita Meduanio aliiſque Lotharingicae familiae principibus mandat, ut Henrico IV tanquam regi ſuo ac ſupremo domino debitam obedientiam praeſtent, aliiſque omnibus principibus, praeſulibus, nobilibus, civitatibus, univerſitatibus ac privatis perſonis, ut ab Henotico foedere, cujus ſe Meduanius caput jactat, diſcedant, et fidem, obſequium ac obedientiam regi ſuo praeſtent; ſi contra fecerint, principes, proceres, nobileſque, nobilitatis jure omni, poſterique eorum, priventur: bona in fiſcum redigantur, et domus, caſtella, munitiones ſolo aequentur: praeterea quae a delegatis falſo generalium regni comitiorum nomine decreta ac conſtituta ſunt nuper hac in urbe, tanquam a privatis perſonis et per factioſos ac Hiſpano nomini addictos nullamque poteſtatem legitimam habenteis facta revocat, et irrita declarat, inhibetque hujuſmodi delegatis, ne hos ſibi titulos ſumant, aut hac in urbe aliave regni ulla conveniant; ſi contra fecerint, in eos tanquam publicae tranquillitatis perturbatores; et laeſae majeſtatis reos animadvertatur; mandatque iis, qui adhuc in urbe eſſent, ut in domos quiſque ſuas diſcedant, in regis poteſtate futuri, et apud judices locorum, in quibus habitant, fidei ſacramentum dicant. Omneis ſupplicationes ac ſolemnitates

hujus

INTERPR. [a] *Sainte Chappelle.* [b] *Miron evêque d'Angers.* [c] *le Maiſtre.* [d] *l'Anglois Sr de Beaurepaire.* [e] *Du Vair.* [f] *Arreſt du mois de Juin pour la Loy Salique.* [g] *Pithou.*

hujus tumultus cauſa inſtitutas abolet, decernitque, ut illarum loco in memoriam receptae et ad regis obſequium redactae urbis in perpetuum ſolemnes ſupplicationes XI Kal. April. celebrentur, quibus in purpura ſenatus interſit. Eadem die ſingulari diplomate Joannes Lullerius mercatorum praefectus ob fidam in urbe recepta navatam operam praeſes rationalium extra ordinem etiam eſt creatus. Rex inter haec venatum profectus Fanum Germani excurrit, ut Catharinam ſororem inviſeret. Nam conſulrum viſum eſt, ne ad urbem ante ferias Paſchaleis veniret, quippe quae Proteſtanrium doctrinae addicta in aedibus ſuis frequenter conciones habebat, ad quas promiſcue cuncti admittebantur; et metus erat, ne Pariſienſium erga regem adeo bene affectorum animi ex ea occaſione offenderentur, et plebis per ſacram Hebdomadam devotionibus occupatae religio turbaretur. Rex tertio poſt die in urbem rediit, et abſolutionl publicae, quae poſt meridiem in majore urbis templo, habita prius gravi concione a [a] Bituricenſi, celebrata eſt, magno comitatu interſuit; ac poſtridie regum more coenam celebravit, et XIII pueris pedes abluit, ac cibum miniſtravit, et eleemoſynas manu propria dedit, magno plebis circumfuſae ſtupore, quae eum, quem nuper inſectata fuerar, tam inſolito cultu proſequebatur. Tum ipſo reſurrectionis Dominicae die poſt ſacrum peractum IↃCLX egenis ſtrumoſis publice in area, ac circiter XXX honeſtioris conditionis ſeorſim ab aliis in conclavi; quibus tactu mederi reges noſtros vetus religio eſt, manum impoſuit. Triduo elapſo Catharina ſoror ad urbem venit, et ad reginae aedeis divertit.

VII. POSTRIDIE ſenatores [b] Caeſaroduno profecti deducente Aegidio [c] Sovreo in urbem venerunt, quibus obviam regis juſſu profectus [d] Stampas uſque P. [e] Amorius, orationem etiam ad Achillem [f] Harlaeum ſenatus principem habuit, qua praeteritorum invidiam deprecatus ipſius conſtantiam laudavit, et mutuam deinceps in capeſſenda republica concordiam et cultum pollicitus eſt. Fr. [g] Dous [h] Longemellum uſque cum delecto equitatu ad eos excipiendos et in urbem deducendos progreſſus eſt, et praccipitatam ſenatus in urbe reſtitutionem ſe praecipue auctore factam, quaſi miſerorum hominum lachrimis a rege condonatam, aliiſque commentitiis rarionibus apud Harlaeum excuſavit. Nec mulro poſt Carolus Borbonius [i] Sueſſio magno comitatu ad regem venit: certatimque poſt tantum ſucceſſum ex eunctis regni partibus, qui regias partes ſemper ſecuti aut nuper reconciliati fuerant, ad aulam confluebant. Crebrae de ſacerdotibus aliiſque religioſis ordinibus querelae quotidie ad regem deferebantur, preces pro rege inter ſacra facere, et in ſacris confeſſionibus abſolutionem regiis partibus addictis impertiri recuſantibus. Itaque Bituricenſis coram [k] Namnetenſi, Maleacenſi, Andegavenſi, aliiſque praſulibus in epiſcopi, qui Romae erat, aedibus, curiones urbis et vicarios eorum vocat, et quae adverſus regiam potentiam fiant, refert. Tum auctoritate ſcripturae gravitet eos errare oſtendit, ſi qui ſorte ſint, qui haec faciunt: nam regem eccleſiae rite reconciliatum, et in eccleſia eſſe, etiamſi a pontifice abſolutionem nondum acceperit. Nam per eum non ſtetiſſe, aut nunc ſtare, quo minus acceperit. Interim ad preces pro eo fundendas hortatur; alioqui fruſtra ſperari, quod Paulus ſperandum docet, ut tranquillam vitam agamus. Secundum haec, ſolemnem conventum Jacobus [l] Amboſius rector Pariſienſis, academiae, theologiae, decretorum, medicinae ac artium doctores, in ſchola Campana ſive Navarraea celebrarunt, in iiſque LIV theologi de obedientia regi praeſtanda decretum facturi; ut a quibus aeſtu opinionum fluctuanribus defectionis tam foedae initium factum fuerat, ab iiſdem melius conſultis fidei in poſterum regibus ſervandae exemplum et publicum documentum extaret. Ii igitur invocato Dei Spiritu, virginiſque Deiparae

INTERPR. [a] *l'Archevêque de Bourges.* [b] *Tours.* [c] *de Souvré.* [d] *Eſtampes.* [e] *D'Amours.* [f] *de Harlay premier préſident.* [g] *D'O.* [h] *Longjumeau.* [i] *le Comte de Soiſſons.* [k] *les évêques de Nantes, Maillezais, & Angers.* [l] *d'Amboiſe.*

Deiparae et ſanctorum patrocinio, expendiſſe ſe dicunt quae apoſtolorum [1] ſapientiſſimi coryphaei praecipiunt, videlicet, ut Deum timeamus, regem honorificemus, ut ſubjecti ſimus omni creaturae humanae propter Deum, ſive regi quaſi praecellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad malefactorum vindictam et bonorum laudem. Tandemqne mature conſilio habito, poſt actas Deo et toti coeleſti curiae gratias ob tam manifeſtam regis reconciliationem et ferventem erga ſanctam matrem eccleſiam zelum, cujus ſe teſteis oculatos profitentur, nec non ob tam pacificam urbis ad obſequium reductionem, euncti uniuſcujuſque facultatis et ordinis unanimi conſenſu ac [a] minime diſcrepante in eam ſententiam deſcendiſſe aiunt, et Henricum legitimum ac verum regem, dominum naturalem et heredem regnorum Franciae et Navarrae ſecundum fundamentaleis ipſorum leges pronunciant, eique obedientiam ab omnibus illorum ſubditis ſponte ac libere praeſtandam cenſent, prout a Deo praeceptum eſt; etiamſi regni hoſtes obſtiterint, quo minus tanquam benemeritus et primogenitus ſanctae matris noſtrae eccleſiae Catholicae filius a ſancta ſede admitti et agnoſci potuerit. Quippe omnibus notum eſſe, neque ſtetiſſe per eum neque nune ſtare. Idcirco animo reputantes quod beatus Paulus ait, omnem a Deo poteſtatem eſſe, et eos, qui poteſtati reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtere, et ſibi damnationem acquirere, ſpe et divina aſpirante gratia in obedientiam Henrici IV regis Chriſtianiſſimi ut domini et regis legitimi cum omni ſummiſſione et reverentia ad ſanguinis uſque profuſionem pro ſtatus Gallici conſervatione et urbis tranquillitate corde et ore fidem adigunt; omni foederi et ſocietati tam intra quam extra regnum renunciantes, et obſecrationes et gratiarum actiones publicas ac privatas pro eo ac ipſius magiſtratibus faciendas decernunt: contra ſentienteis ut abortivos de gremio ſuo abſcindunt, academiae juribus indignos hoſteiſque publicos ac privatos declarant. Et ita tactis ordine ſacroſanctis evangeliis jurarunt, publicumque inſtrumentum ea de re confectum chirographo academiae appoſito firmarunt. Id actum x Kalendas Maias. Ex ſacro ordine ſoli in urbe reſtabant Jeſuiticae ſcholae ſodales, ac novi in Gallia Franciſcani Capucini, qui ſe juriſdictioni regiae exemptos eredentes, pontificis auctoritatem exſpectandam aiebant; interimque pro rege preces facere, aut ei fidem tanquam principi legitimo addicere recuſabant. Quod renovandae tot annos intermiſſae adverſus Jeſuitas litis academiae ordinibus, occaſionem praebuit. Carthuſiani vix bonorum mulctatione et theologorum Pariſienſium interventu ad bonam mentem reduci potuerunt. Ut urbis ſecuritati proſpiceretur, praeter Varadam et Aubrium, ſponte aut coacti exceſſere [a] Pelletarius S. Jacobi, Jacobus [b] Cullius S. Germani, Joannes [c] Hamiltonius S. Coſmae, Jo. [d] Bucherus S. Benedicti curiones, [e] Guarinus Franciſcanus, et Gulielmus [f] Roſa epiſcopus Silvanectenſis, qui coram cardinali Placentino ac Feriae duce in S. Andreae templo pridie quam rex urbem ingrederetur, probaturum ſe die ſequenti receperat, regem nothum, ac regni ſucceſſione indignum eſſe. Exacti et urbe [g] Senaltius, Solius, Santionius, Crucaeus, Joſſetus, Graeilis, Rolandi fratres, Gurlinus, Michael, et Nicolaus inferiorum ſubſelliorum cognitores. Renatus quoque [h] Choppinus in ſenatu antiquus patronus multae lectionis, ſoluſque fere ex eo ordine factioni illi addictus, qui libellos aliquot per has turbas contra regem et ſenatum Turonenſem nomine ſuo appoſito vulgarat, urbe abire juſſus, vixque

INTERPR. [a] *de Pelletier curé de S. Jacques.* [b] *de Cueilly curé de S. Germain.* [c] *Hamilton curé de S. Coſme.* [d] *Boucher curé de S. Benoiſt.* [e] *Guarinus Cordelier.* [f] *Roſe evêque de Senlis.* [g] *Senault, Soly, Sainction, Crucé, Joſſet, la Greſle, Roland, Gourlin, Michel, & Nicolas, procureurs au Chaſtelet.* [h] *Choppin.*

NOT. [1] viz. hoc loco B. Petrus in 1 Ep. Ch. 2. 15 lineis infra B. Paulus in Ch. 13. Ep. ad Rom. [a] *forſan* nemine.

[a] vixque tandem eruditioni ejus et amicorum precibus datum, ut decretum revocaretur. [a] Olivarius quidam homo ſuperbus, cui [b] Luparae arcis cuſtodia per has turbas credita fuerat, cum luxurioſo nepotatu rem omnem decoxiſſet, etiam ſupellectilem regiam, quae reliqua in urbe erat, heluavit, et cum initio ſancita praeteritorum oblivione ſe tutum exiſtimaret, poſtquam in ſe nihilominus inquiri cognovit, ſpontaneo exilio ſolum mutavit. Ad receptae Lutetiae famam multae urbes belli pertaeſae nutare coeperunt, ac praefectis auctoribus, aut ipſae per ſe, in regis poteſtatem conceſſere.

VIII. ANDREAS [c] Brancatius Villarius, qui [d] Rotomagum ante biennium magna ſua cum laude contra regem tutatus fuerat, ſub id cum rege Maximiliani [e] Betunii Ronii interventu tranſegit, praefecti maris dignitate, et Rotomagi ac Caletenſi [f] praefectura ab eo donatus, praeterea ingenti pecuniae ſumma, partim accepta, partim provinciae impoſita et ab ipſo exigenda. Is Rotomagum, [g] Franciſcopolim, Montemvillerium, Harflotium, Adaemari-pontem, et Vernolium tenebat. De quibus edictum a rege factum, iiſdem fere, quae in aliis, conditionibus repetitis; et Rotomagi in ſenatu recitatum fuit VI Kal. Maias; cum paulo ante Honflorium a Monpenſerio receptum eſſet, et Franc. [h] Martellus Fontanus, qui [i] Caſtrum-novum in Caletenſi agro tenebat, de eo conveniſſet. Revocati mox in urbem, qui toto belli tempore regis nomine [k] Cadomi jus dixerant, ſenatores; et Claudius [l] Grolardus ſenatus princeps gravem admodum et eruditam pro concordia orationem in curia habuit. Diverſa parte [m] Abbatis-villa in aeſtuario Somonae poſita, quae veluti compedibus conſtrictam [n] Samarobrigam Ambianorum tenet, ceteris quoque ad obſequium venientibus exemplum praebuit; [o] Maupino, qui eo anno urbis [p] Majorem agebat, ita popularem magiſtratum ab oppidanis creatum vocant, et [q] Teſio annitentibus, qui a Caroli Lotharingi Aumalii ſe pro provinciae praeſide gerentis factione alieni erant, et Nicolai [r] Franci cubicularii regii interventu, qui ad urbem, ex qua natus erat, a rege miſſus rem confecit. Nam ſtatim coacto concilio delegantur Teſius et rerum [f] capitalium judex, aliique ex oppidanorum numero, qui ſupplices a rege praeteritorum veniam peterent, et veterum privilegiorum, libertatum et immunitatum, prout iis antea rite recteque uſi fuerant, confirmationem impetrarent. Quae benigne a rege conceſſa, etiam laudata ipſorum fide, nullum praeterea in eorum gratiam factum edictum. Id actum Germani-fano VI Kal. Maias. Iiſdem conditionibus [s] Minutius pro [t] Monſtrolio oppido munito in Morinis ſito, cujus praefectus erat, pactus eſt, et regi reconciliatus gratiam eandem provincialibus ſine edicto impetravit. Sub id [u] Auguſtobonae Tricaſſium, cui Cl. Lotharingus [v] Jonvillae princeps Guiſii frater praeerat, tumultuatum eſt; et quia nullum in ea civitate praeter oppidanos praeſidium habebat, facile exactus, et Joachimus [w] Dintevilla provinciae legatus ab oppidanis, ut regis nomine praeeſſet, evocatus. Mox in eorum gratiam conditum edictum, in ſenatu promulgatum pridie Kalendas Maias, quo praeter conditiones fere in aliis appoſitas, immanis lanienae in urbe ac ſuburbiis ante quadriennium XIV Kal. Oct. qui beato Lamberto ſacer eſt, perpetratae, tam contra [x] Solturium, quam alios belli jure captivos, ac pleroſque innocenteis oppidanos, memoria omnis aboletur, et de ea perſecutionem in jure fieri vetabatur, regiis procuratoribus in perpetuum ſilentio indicto.

VAR. LECT. [a] vixque canorum reverentia et amicorum interventu decretum contra eum factum revocari potuit: quod ut obtineret, quam inepta ſcriptione publicam offenſionem in ſe concitaverat, tam turpiter recantavit edito contrario panegyrico, qui commiſerationem in riſum vertit. Olivarius MSS. *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Olivier.* [b] *le Louvre.* [c] *de Brancas de Villars.* [d] *Rouen.* [e] *de Bethune Sr de Roſny.* [f] *Amiral & lieutenant general ès bailliages de Rouen, & de Caux.* [g] *Havre de Grace, Montivilliers, Harfleur, Ponteau-de-mer, & Verneuil.* [h] *Fontaine Martel.* [i] *Neufchaſtel au pays de Caux.* [k] *Caen.* [l] *Groulard.* [m] *Abbeville.* [n] *Amiens.* [o] *Maupin.* [p] *le Maire.* [q] *de Theſy.* [r] *le Franc Valet de chambre du roy.* [f] *le lieutenant criminel.* [s] *de Migneux.* [t] *Montreuil ſur mer en Picardie.* [u] *Troyes.* [v] *Joinville.* [w] *de Dinteville lieutenant general en Champagne.* [x] *de Saultour.*

indicto. Eodem tempore cum [a] Senonenſi civitate tranſactum eſt, quam Gaſpar [b] Lentagius Bellanus ex provinciali nobilitate vir ſtrenuus hactenus tenuerat; et quanquam in gratiam eam rex a praefecto et praeſidio in poſterum immunem declaraſſet, tamen ipſis poſtulantibus ob temporum neceſſitatem, et quamdiu bellum durabit, eidem Bellanum praefectum cum idoneo ſtipendio impoſuit. Sub id et [c] Rigomagus Arvernorum, ubi primaria juriſdictionis regiae ſedes, ſponte in poteſtatem regis venit, edito ab oppidanis ſcripto, quo auctoribus Joanne [d] Bellofortio Canilliaci marchione, et Joanne Claudio Bellofortio gentili, [e] Poncaſtello vicecomite, ſolius religionis ergo Henotico foederi nomen dediſſe, et ceſſante ea cauſa regi ſe ſupplices ſiſtere teſtabantur; eoque magis, quod Arverni Borboniorum imperium ſemper feliciſſimum experti eſſent. Menſe inſequenti [f] Aginnenſes, [g] Villa-nova, Marmanda, aliaque in Nitiobrigibus oppida a foederatis occupata per delegatos cum rege egerunt, et eaſdem fere conditiones a rege impetrarunt, condito edicto, quod [h] Burdigalae in ſenatu recitatum fuit XVI Kalendas Quintileis: ac eodem rurſus menſe [i] Pictavienſes cum rege reconciliati ſunt ampliſſimis conditionibus, quae et civitatem et privatos reſpiciebant, interventu praecipue Scaevolae [k] Sammarthani Franciae quaeſtoris, viri optimi, et, praeter inſignem eruditionem et in pangendis verſibus felicitatem, rerum agendarum expertiſſimi, qui quam ab Henoticorum partibus alienus, tam eis addictum initio Ludovicum fratrem habuerat, regis beneficio tunc ob egregiam in ea recepta navatam operam praetorem urbis creatum. Ii a Pictavienſibus delegati [l] Laodunum, quod rex obſidione cingebat, venerunt, ut concivium nomine fidei ſacramentum praeſtarent, magna regis gratulatione excepti; qui tam longe tunc a ſe diſſitam urbem primariam ad obſequium rediiſſe admodum laetabatur. Igitur edictum in eorum gratiam conditum et in ſenatu promulgatum fuit IV Non. Julias; ab ejuſque gratia ſenatuſconſulto excepti, qui deteſtando regis defuncti paricidio participaſſe, aut regis, qui nunc feliciſſime regnat, vitae inſidias ſtruxiſſe convicti fuerint. Edicto illo Catholica apoſtolica Romana religio [m] Niortii, Fontenaii, Rupellae, aliiſque locis, quibus per haec bella in dioeceſi illa intermiſſa fuerat, reſtituitur. Nominatim deſtructi caſtelli memoria aboletur, et de arce nunquam conſtruenda fides interponitur; praeſes juridicus denuo creatur. Ellebovio de praefectura urbis ſecreta conventione fides data; verum id ad tempus ſuppreſſum, quod ille Meduanii edicto, ſi quidem intra certum tempus cum rege, ſicuti ſperabatur, conveniret, comprehendi vellet. Sed moras nectente Meduanio, poſtea conditiones accepit. Poſt regis in urbem adventum, Carolus cardinalis [α] Borbonius animo aeger, ex eoque lethali corporis aegritudine contracta, ne ſolus publicae laetitiae participare nolle videretur, [n] Gallione Lutetiam lectica deportatus eſt; et quia phthiſi laborare credebatur, quo liberiore aëre frueretur, in S. Genovefae coenobio hoſpitium ſibi ſumpſit, dum Sangermanae ſuae aedes ſumma magnificentia [β] a patruo nuper exſtructae ſupellectile et omni re neceſſaria exornantur; in quas mox migravit, et aliquot poſt menſibus deceſſit. Diverſa confuſaque rerum noſtrarum narratione fatigatis, antequam eas ad exitum anni perducamus, externa inſerere viſum eſt.

IX. ERNESTUS archidux Belgio regendo a Philippo deſtinatus, relicta Pannonici belli adminiſtratione, et commeatu a Rodolfo Caeſare fratre accepto cum ſe anno ſuperiore in viam dediſſet, [o] Norimbergae et Wirsburgi, et ubique a principibus Imperii

VAR. LECT. [α] Borbonius Sueſſionis frater MS *Reg.* [β] a cognomine cardinali patruo MS *Reg.*

INTERPR. [a] *Sens.* [b] *de Lentage Sr de Bellan.* [c] *Riom en Auvergne.* [d] *de Beaufort marquis de Canillac.* [e] *le Vicomte du Pontchaſteau.* [f] *ceux d'Agen.* [g] *Villeneufve, & Marmande.* [h] *Bourdeaux.* [i] *ceux de Poictiers.* [k] *de Ste Marthe treſorier de France.* [l] *Laon.* [m] *Niort, Fontenay, & la Rochelle.* [n] *Gaillon.* [o] *Nuremberg, & Wirtzburg.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

Imperii ac civitatibus ſumma gratulatione ac cultu exceptus, ac praecipue Coloniae ab Erneſto archiepiſcopo ſeptemviro cognato, tandem per Lucemburgicum agrum facto itinere XIV Kal. Febr. [a] Namurcum venit: ibi obvios habuit Carolum [b] Croium Cimaci principem provinciae regulum, Petrum Enricem [c] Acebedium comitem Fontanum, et Camillum [d] Caracciolum Avellini principem. Biduum Namurci commoratus iter perſequitur, et in Btabantiam deſcendens [e] Halae ſumma magnificentia a Cimacenſi exceptus. Pridie Kalendas Februarias Bruxellas triumphali pompa tanquam Belgii prorex, ac jam [1] princeps deſignatus, per arcus ad id paratos decora Auſtriae familiae referenteis, et variis inſcriptionibus ornatos ingreſſus eſt: aderant Edvardus Fortunatus Badenſis marchio, Philippus Croius [f] Araſchoti dux, Fontanus comes, P. Erneſtus Mansfeldius; Cimaei et Avellini principes; quae omnia ab aliis diligenter annotata et figurate deſcripta, ex iis, qui volet, petere licet. Triduo inter luſus ac convivia exacto recitata ſunt Philippi mandata ampliſſima Erneſto data, quibus lectis P. Erneſtus Mansfeldius, qui precaria poteſtate huc uſque ſummum imperium tenuerat, ſe omni auctoritate abrogat, et Erneſtus eam capeſſit. Poſtea de republica conſultatum inter proceres ac belli duces, de plebe continui belli vexationibus, quibus utrinque aeque premebatur, levanda, et pecuniarum collatione minuenda, aut ita imperanda, ut quantum confuſae res ferre poterant, aliquid laxamenti gementibus populis afferretur. Diſceptando negotio delegati Valentinus [g] Pardeus Mota, Avellini princeps, Emmanuel Vega, Didacus Pimentellus legionum duces, et Stephanus Ibarra ab epiſtolis, qui ſententiam ſuam ſcripto comprehenderunt: quam cum Erneſtus multum probaret, auctor fuit, ut Pimenrellus, qui conſilio interfuerat, ad Philippum, ut eam auctoritate ſua firmaret, mitteretur. Sed non niſi ſero remiſſus Pimentellus, ut nihil, aut parum levamenti ex tam ſeria deliberatione ad Belgium redierit. Interea inſtante apud Philippum Monpeſato, et pontifice eundem Philippum urgente datum negotium Erneſto, ut quantas poſſet copias ad limitem mitteret, foederatis in Gallia praeſto futuras. Conſcripti duo exercitus diviſis viribus debiles, quorum alter in Atuaticos miſſus, alterum Carolus Mansfeldius Landrecium duxit; ubi aliquandiu commoratus, poſtremo ad [h] Capellam ditionis Gallicae caſtellum haud longe a Guiſa in agro [i] Tiracenſi caſtra ponit. Locus eſt poſitu firmus, quippe in planicie, ex qua nullus in eum deſpectus eſt, ſitus, propugnaculis quatuor egregie munitus, muro, pomoerio, foſſa latiſſima ac profundiſſima cinctus, quem [k] Maliſſius defendebat. Labrum foſſae exterius, quod et ipſum egregie munitum erat, primo impetu captum. Tum oppugnatio facta ad munitionem, quae aquam ſummae altitudinis in foſſa retinebat, eaque vi capta aqua derivatur; magnoque hinc ad vallum propius ducendum allato adjumento, pulſatio contra munitionem inferiorem directa eſt, et latera utrinque vi tormentorum dejecta. Tum edita ruina cum plures ad explorandam eam miſſi eſſent, Hier. [l] Saibantes Veronenſis Mansfeldii centurio haud citra periculum officio defunctus eſt, ac poſtridie, qui in VIII Eid. Maias incidebat, violenta verberatione XII machinarum muralium in ruinam continuatis ictibus diſploſa, ita ut defenſores minime comparerent, ad tympani pulſum per errorem, ut Itali ſcribunt, editum, confuſis ordinibus tentata oppugnatio; in qua hoſtes repulſi, plerique occiſi, multi in tenaci foſſae coeno abſorpti ſunt: XIV ordinum ductores deſiderati, et in iis Joannes [m] Coſmae filius, [n] Decius Mormilius, Octavius [o] Thomae filius, et Jacobus [p] Raſtellus, qui Avellini principi militabant: ſed nec citra perniciem obſeſſorum

VAR. LECT. [a] deceſſit pridie Kal. Aug. MS *Reg.*

INTERPR. [a] *Namur.* [b] *de Croy prince de Chimay.* [c] *de Acevedo comte de Fuentes.* [d] *de Caracciolo prince d'Avellino.* [e] *Halle.* [f] *Arſchot.* [g] *Pardieu de la Motte.* [h] *la Capelle.* [i] *le Tirache.* [k] *Maliſſy.* [l] *Saibante Veroneſe.* [m] *de Coſma.* [n] *Decio Mormile.* [o] *di Tomaſo.* [p] *Raſtello.*

NOT. [1] ſpe forte privatorum, non ultra deſignatus. *Put.*

obſeſſorum res peracta, ex quibus multi occiſi, plures ſanciati. Foſſa ab ea parte fere ruinis complanata, metus obſeſſos inceſſerat, ſi oppugnatio repeteretur, fore ut locus vi caperetur. Itaque Maliſſius non ultra exſpectandum ratus eum Mansfeldio tranſigit, et vita ac impedimentis ſalvis omnes cum armis liberi dimiſſi. Caſum indigne tulit rex, quod diutius Capellam hoſti reſtituram ſibi perſuaſiſſet; ac tamdiu, quouſque Henricus [a] Turrius Bullionius equitum tribunus cum exercitu miſſus, in tempore ei ſubvenire poſſet. Dum res ad Capellam geritur, captata occaſione, ut de reconciliatione inter Mariam [b] Brimaeam Megenſem et [c] Cimacenſem maritum ſarcienda ageretur, acceptis ſecuritatis literis, ab Erneſto mittuntur ad Ordines Otho [d] Hartius et Hier. [e] Comanus juriſconſulti; quibus IV Eid. Maias datus [f] Hagae ſenatus. In eo recitatae Erneſti literae, quibus ille egregiam ſuam erga has provincias voluntatem et praecipuum affectum conteſtabatur; ea de cauſa ſe, relicto Caeſare clementiſſimo, ac reliquis fratribus, patria ipſa, et adminiſtratione ampliſſimarum provinciarum ſibi commiſſa, veniſſe, ut praeſentia ſua, ope, conſilio publicis calamitatibus, quae tot annos eos vexant, ſubveniat. Meminiſſe ipſos debere, a quo invidendae felicitatis faſtigio per haec diſſidia exciderint; quamque diverſa tot urbium florentiſſimarum nunc facies ab eo tempore ſit, cum ſub Burgundiae et mox Auſtriae familiae principibus, confoederationibus, commercio, navigatione in Luſitaniam ac reliquam Hiſpaniam libera, praepotentes, diſciplina, opulentia, claſſe, milite vicinos populos ac civitates provocarent. Quae omnia, paulum abeſt, per bella inteſtina eos amiſiſſe, quis ſiccis oculis recordari poſſit? Igitur ſolicitum ſe de ipſorum ſalute ac tranquillitate publica, rogare, ut amota omni diffidentia in id ſerio incumbant, ut pacis conſtituendae, et per eam priſtinae felicitatis recuperandae rationes ineantur, nec quo minus de iis quam primum cogitent, proſperis ſucceſſibus et momentanea ſortunae arridentis aura decepti retardentur; incertos eſſe belli eventus; Martem communem nunc ad hos, nunc ad illos tranſvolare. Nihil felicitate fallacius eſſe, quae quo major, eo ſuſpectior. Res bene poſitas ut pace legitima ſtare, ſic bellis inteſtinis everti. Potius ad pacis conſilia animos inflectant, ſicque ſibi perſuadeant, aequa ſi petant, ab aequiſſimo cauſae ſuae principe certius impetrari poſſe, quam a variantis fortunae arbitrio ſperari. Legati poſtea auditi, quod literis amplius de pace Erneſti nomine agendi iis facta poteſtas erat, in eoque tota ipſorum oratio fuit, ut diffidentiam omnem amoverent, efficerentque ne Ordines ex praeteritis de futurae pacis negotio, alienis ad concordiam animis, pronunciarent: omnium rerum tempus eſſe; ut diffidentiam interdum prodeſſe, ſic tandem tempeſtivam eſſe fiduciam, cum poſt diſſenſiones domeſticas ſeſſis aut poſt odia placatis animis quietis conſtituendae occaſio offertur. Ut in morbis ſic in humanis negotiis certos acceſſus et receſſus eſſe: quos periti rerum moderatores obſervare debent, et in tempore ſalutaria remedia malis applicare: eundem ſolem et aſtra interdiu noctuque lucere, non ita ingenium hominum eſſe, qui in horas turbant mutantque; nec in eodem ſtatu ſemper permanent. Itaque nunquam prudentes principes, nunquam populos ac civitates poſt bella et exſatiatam juſtam iram Numinis, aequas pacis conditiones recuſaſſe; et multum intereſſe a quibus petantur et accipiantur. Ipſis cum celſitudine ſua futurum negotium, qui familia potentiſſima et illuſtriſſima prognatus, tot Imperatorum non ſucceſſione, quae plerumque malos bonis aequat, ſed liberis ſeptemvirorum et ordinum Imperii ſuffragiis ad hoc ſupremum orbis Chriſtiani faſtigium evectorum claritudine inſigni. An animo excidiſſe memoriam Caeſaris Maximiliani, moderatione, et aequitate admirandi

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

nostro

INTERPR. [a] *de la Tour duc de Bouillon.* [b] *de Brimeu conteſſe de Megbera.* [c] *le Prince de Chimay.* [d] *Hertius.* [e] *de Coemant.* [f] *la Haye.*

CIƆ IƆ XCIV.
HENRICUS IV.

noſtro aevo principis, tor legationibus et colloquiis inſtitutis, quantum de harum provinciarum ſalute ſolicitus eſſet, abunde teſtati? Eandem a filio aequitatem et benignitatem exſpectare illos debere. Iraque ipſius nomine petere, ut matura habita deliberatione in commune conſulant, et quod ipſis, patriaeque fauſtum ac ſalutare ſit, tandem conſilium capiant. Ad haec ab Ordinibus ſcripto prolixo et acerbitatis pleno reſponſum. Poſt gratias more ſolemni actas, eo ſe conſilio, aut potius extrema neceſſitate victos arma cepiſſe dicunt, ut provincias, civitates, ordines ab Hiſpanorum conſcientiis, corporibus, ſortunis vim inferentium, tyrannide ac ſuperbo dominatu aſſererent; et priſtinam libertatem, privilegia, immunitates ſervarent: qua in re cum praeſentem benigni Numinis gratiam ſemper experti ſint, ſperare, ut Deus bellum, quod tam juſtas ob cauſas ſuſceperint, ad finem uſque ſit proſperaturus, vicinoſque principes, populos ac civitates confirmaturus, ut conſilio, armis, pecunia tam juſtam, atque adeo communem cauſam juvent. Dei ſe ac hominum fidem appellare, per ſe non ſtetiſſe, quo minus tantis malis ab initio in tempore obviam iretur: ob id decretas in Hiſpaniam legationes, ſed legatos jure gentium violato crudeliter habitos ac necatos: bello accenſo tantam Hiſpanorum et ſanguinarii ab illis inſtituti concilii crudelitatem fuiſſe, ut quicunque in eorum manus inciderent, nulla ſpe gratiae protinus jugularentur; ac praeſertim ii, qui ſe acriores patriae libertatis defenſores praebuerant. Poſtea eorum crudelitate contrario immanitatis exemplo revicta, cum viderent, non plus ſibi in Belgio perdendo, quam provinciarum ordinibus in conſervando animorum eſſe, ad artes ac fallacias confugiſſe; et poſt pacificationem anni CIƆ IƆ LXXIV Batavorum et Zelandorum ſimplicia ac rudia ingenia facile circumſcripſiſſe; ſecutam Antuerpiae direptionem, ac mox [a] Lugdunenſem obſidionem, quam Hiſpani Numinis metu perculſi potius, quam vi ulla humana depulſi turpiter, ac pariter Bataviam deſeruerunt. Irrito dein conatu ab ipſis tentatum [b] Ultrajectum. Cum prima pacificatio exitu caruiſſet, alterum inſtitutum Bredae colloquium, interventu Maximiliani Caeſaris, qui cum bona fide agi putaret, tandem opinione ſua ſe falſum ſenſit, tractatuſque illius non alium fructum fuiſſe, quam ut Hiſpani collectis interea viribus imparatos Belgas opprimerent, [c] Bura, Leerdamo, Aquiſveteranis, Schonovia et Bommea expugnatis, et Zirixea ad ſummas anguſtias redacta. Quos ſucceſſus cum inſolentia ipſis Belgii moderatoribus non ferenda eſſet inſecuta, concilii decreto Hiſpanos hoſteis pronunciatos eſſe; ac decretam Unionem et Gandenſem pacificationem menſe Novembri anni CIƆ IƆ LXXVI juratam, a Philippo Ipſo in Hiſpania, ſi Deo placet, in ſpeciem approbatam, ſed quam bona fide ac ſincere id actum ſit, ex literis Eſcovedi ſtatim patuiſſe. Itaque cum Joannes Auſtrius ſub id Belgium veniſſet, ſubito contra pacta bellum quam antea acrius recruduiſſe, et novis a regulo [d] Sellio ex Hiſpania allatis mandatis et [e] Mechliniae publicatis ſimulationes hoſtium majore perfidia detectas. Altero et ſequenti anno tractatum Lovanii inſtitutum, ex cujus actis quid mentis aut conſilii hoſtium fuerit, manifeſtum cunctis fieri. Quid vero aliud actum colloquio Colonienſi tanta legatorum frequentia celebrato, niſi ut interim [f] Hannoniorum et Atrebatum fides ſolicitaretur, et poſtremo [g] Trajectum ad Moſam expugnaretur? Eadem fraude, ac fallendi ſpe inſtitutum biennio poſt in Flandria de pace colloquium, etiam Eliſabethae Anglorum reginae delegatis ad id vocatis; dum interim claſſis illa formidanda adveniret, quam triumphum ante victoriam canentem Deus, cum humanae vires contra ejus potentiam impares crederentur, oris ſui ſpiritu diſſipavit, et res quidem uſque ad annum CIƆ IƆ XCI ita habere. Quo poſtea miſſos repetitis vicibus in Galliam exercitus, niſi ut inſatiabilem non ſolum

ſanguinis

INTERPR. [a] *de Leyde.* [b] *Utrecht.* [c] *Buren, Leerdam, Oudewater, Scoonhoven, Bommené, & Zirickzee.* [d] *le baron de Selles.* [e] *Malines.* [f] *ceux d'Hainaut, & d'Artois.* [g] *Maeſtricht.*

ſanguinis ſitim contra Belgas, ſed inexplebile contra Galliam odium ſive ambitionem proderent Hiſpani, idque unum agere ſe oſtenderent, ut bello ſemper gerendo ad omnes occaſiones intenti, orbis Chriſtiani monarchiam, quam tamdiu parturiunt, tandem aliquando eniterentur? Nam quo pertinere Infantis Hiſpanae cum tot maritis propoſita conjugia, et Franciae coronam tam impudenter quaſi haſtae ſubjectam? Eodem tempore excitatas in Scotia ſeditiones, et vanis promiſſis ad defectionem ſolicitatos quoſdam e proceribus, quorum quidam capite plexi ſunt. Eodem aſtu in [a] Argentinenſis epiſcopi cauſa et [b] Cliviae ac Juliacenſis ditione, atque [c] Aquiſgrani civitate imperiali actum; nec meliore fide cum Italiae principibus agi, quod ex interceptis Hiſpanienſis concilii literis ubique ſit manifeſtum. Etſi autem de Erneſti ſinceritate ac aequitate nihil inclementius quod ſuſpicentur, habeant, tamen qui poſſe ipſos verbis ac pollicitationibus ejus fidere, cum videant circa ipſum poſſe omnia homines ſibi valde ſuſpectos, [d] Fontanum comitem, Gulielmum a fano [e] Clementis, et Stephanum Ibarram, eorumque ingenio ipſum ſive ſponte ſeu coactum plus tribuere, quam ſuo? Neque vero de nihilo illos Ordinibus ſuſpectos eſſe. Nam nuper deteſtandam maxime conjurationem contra Angliae reginam detectam eſſe, corrupto a Fontano magna auri vi D. [f] Lopeſio medico, ut ei venenum propinaret, idque ipſum Lopeſium ultro confeſſum, et cum eo Emmanuelem Ludovicum [g] Tinocium, et Stephanum Erreram ejuſdem ſceleris complices extremo ſupplicio Londini ob id affectos. Quin et conſtare Fontani et Ibarrae promiſſis ſubornatum Emmanuelem Andradam, ut regem Franciae porrecto faſciculo ex variis floribus compacto, latente intus peſtiferi odoris toxico enecaret. Sed omnium id maxime patere ex deteſtando facinore a Michaële [h] Remichonio tentato, qui ſe ab Hiſpanis cum aliis ſicariis miſſum ante mortem confeſſus eſt, ut Mauritium ex inſidiis interficeret, et Henricum Fridericum puerum ejus fratrem, qui [i] Lugduni Batavorum literis operam dabat, aut pariter occideret, aut in miſeram captivitatem, ſicuti olim Arauſionenſem principem Lovanii captum, abduceret. His de cauſis merito ſuſpectos ſibi Hiſpanos et Hiſpanicum concilium. Nec videre, cur tam ſaeve ab iis habiti, toties decepti, toties armis et inſidiis appetiti, quos hoſteis collatis ſignis ſaepius vicerunt, eorum imperio ſe ſubjicere debeant. Quod de Lopeſio, Andrada et Remichonio his literis innuitur, amplius explicandum eſt. Lopeſius medicus Luſitanus cum diu in Eliſabethae aula verſatus eſſet, ab Emmanuele Andrada Bernardini Mendozae ſaepius a nobis commemorati familiari et Roderico [k] Marce ſolicitatus dicitur, praemiis ingentibus a Chriſtophoro Mora primario Philippi conſiliario propoſitis, ut Philippo operam navaret, hoc eſt, reginam veneno tolleret: nec ille abnuit, ab eoque tempore per Andradam et Emmanuelem Ludovicum Tinocium, qui hinc inde crebro commeabant, cum Fontano et Stephano Ibarra, qui Bruxellis erant, literas ſecreto commutabat. Qua in re et opera Stephani Errerae Gamae utebatur, qui quod Antonii regis partes ſecutus eſſet, omnibus bonis ſpoliatus in ſpem eorum recuperandorum venerat. Lopeſius, dum L CIↃ aureorum promiſſorum praemium repraeſentari ante facinus patratum cupit, negotium eo uſque extraxit, ut interim ex ſuſpicione interceptis prius Fontani et Ibarrae literis proximo Decembri datis, et ipſe captus ſit, necnon Errera et Tinocius, qui mox rem, uti retuli, confeſſi, tanquam proditores Londini ſupplicio affecti ſunt; libello publicato, quo confeſſiones eorum continebantur: ac praeterea addebatur, Stephanum Ibarram idem tentaſſe per Edmundum [l] Eboracenſem, ejus qui [m] Zutſanienſe propugnaculum hoſti perfide tradidit, patruelem, et Richardum [n] Willelmium, et quendam juvenem nomine Jacobum, eoſque a Gul. [o] Stanleio inſtigatos, necnon

INTERPR: [a] *de Strasbourg.* [b] *de Cleves, & de Juliers.* [c] *Aix la Chapelle.* [d] *de Fuentes.* [e] *de S. Clement.* [f] *le docteur Lopez.* [g] *Tinocio. Meteren le nomme Tinoca.* [h] *Remichon.* [i] *Leyde.* [k] *Marco.* [l] *York.* [m] *Fort de Zutphen.* [n] *Williams.* [o] *Stanley.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

non ab [a] Holtio e Jeſuitico ſodalitio, Thoma [b] Throckmortono, Hugone [c] Oweno, D. [d] [1] Giffardo, D. [e] Worthingtono, Carolo [f] Pageto, Edvardo [g] Garreto, Michaële [h] Moodio, [i] Tippingo; et promiſſa XL CIↃ aureorum percuſſoribus; ſicque rem omnem a Gul. Alano cardinali compoſitam, ut hoc perpetrato facinore Ferdinandus [k] Strangius Derbienſis comitis heres inſignia regia ſibi ſumeret: quod illi per Richardum [l] Hethum e Lancaſtrenſi nobilitate hominem notum perſuadere conari fuerant. Verum cum ſcelus abhorruiſſe, et Hethum comprehendi juſſiſſe, ob id poſtea capite plexum. Quod praeterea de Remichonio objectum eſt, ſic habet. Is pago Namurcenſi natus et [m] Boſſeriae vici curio, ſacrae profeſſionis pertaeſus, acceptis a [n] Floro Barlemontio comite literis, Bruxellis profectus, facto per [o] Lovanium, Dieſthemium et Herentaliam itinere, [p] Turnhoutum venit VI Eid. Mart. atque inde biduo poſt per praeſidiarium militem Bredam deductus eſt, ſimulans ſe de occulto intercipiendae Bredae conſilio nuncium afferre; poſtea ab [q] Heraugerio praefecto interrogatus cum variaret, ex ſuſpicione [r] Hagam Comitatenſem ductus, et in carcerem conjectus eſt, ubi cum ex deſperatione facto ex ligaminibus ſuis laqueo ſe ipſum ſtrangulare voluiſſet, adhuc collo cruento, et vocis impos deprehenſus, et diligenter tam in tormentis quam extra tormenta interrogatus, tandem confeſſus eſt, ſe a Barlemontio, non inſcio, ut aiebat, Erneſto archiduce, conductum, ut Mauritium ejuſque fratrem [s] Lugduni Batavorum literis operam dantem, alioſque conſiliarios [s] Santaldegondium, [t] Leoninum et [u] Barneveldium, ope aliorum ſicariorum brevi ſummittendorum, per inſidias interficeret; pro praemioque praeſenti pecunia numeratos CC taleros Philippicos, et promiſſa XV CIↃ aureorum, cum primum facinus perpetraſſet. Re cognita inſtabant legati nomine Erneſti, ut rei veritas plenius indagaretur: nam ad Erneſti exiſtimationem et decus id pertinere, nullumque tam deteſtandi ſceleris exemplum in familia ſua unquam fuiſſe, aut porro fore; e duobuſque alterum petebant, ut aut captivus ſub cuſtodia Bruxellas aut Antuerpiam cum delegatis mittatur, poſt cauſam examinatam loco et tempore, de quo partes convenirent, poſtea ſiſtendus, et Ordinibus reſtituendus; aut accepta cautione Barlemontio Bredam ire liceat, cum aliis a celſitudine ſua delegatis, ut mendacii et impoſturae reum coram ipſis refellat. Sed neutrum ab Ordinum conſilio impetratum, et Remichonius poſtea extremo ſupplicio affectus eſt pridie Kalendas Quintileis, ſententia publicata, quae probationes omnes continebat, et Erneſtum archiducem rei conſcium arguebat. Ita dimiſſi re infecta legati.

X. INTEREA res in Friſia acriter utrinque gerebatur, Fr. [v] Verdugo in [w] Covordae obſidione haerente; et [x] Groningenſibus, ut ſe moleſtia vicinorum praeſidiorum liberarent, ad omnem occaſionem intentis. Ii Delfezielam in aeſtuario Groningenſi ſitam aſtu nocturno aggreſſi pridie Eidus Februarias per aggerem foſſa carentem erepentes ad propugnaculum acceſſerant, et obvium [y] ſepimentum palis contextum, ſerra ſine ſtrepitu confregerant, propugnaculoque occupato jam ad manus cum praeſidiariis devenerant, ambiguo diu certamine, cum ex improviſo a nave, quae in ſubjecta ſtatione ſtabat, tormentorum ictibus petiti a certamine receſſerunt, abductis ſecum XXX amplius carris interfectorum cadaveribus onuſtis. Minus praeſidiariorum damnum fuit, centurione uno veterano amiſſo et XV tantum gregariis militibus. Diverſa parte Gulielmus Naſſovius Ordinum nomine provinciae praeſes [z] Soldicampi claſſem conſcenderat, ut arcem [a] Wedam amiſſam recuperaret, et novam in [b] Bortanga munitionem exſtrueret, necnon annonam Covordae inferret. Mauritius

quoque

INTERPR. [a] *Holt.* [b] *Throckmorton.* [c] *Owen.* [d] *Giffard.* [e] *Worthington.* [f] *Paget.* [g] *Garret.* [h] *Moody.* [i] *Tipping.* [k] *Stanley, appellé le lord Strange, fils du comte de Derby.* [l] *Heth.* [m] *Boiſſiere.* [n] *Floris comte de Berlaymont.* [o] *Louvain, Dieſt, & Herentals.* [p] *Turnhout.* [q] *Heraugiere.* [r] *la Haye.* [s] *Leyde.* [s] *de Ste Aldegonde.* [t] *Leonin.* [u] *le Sr Olden Barnevelt.* [v] *Verdugo.* [w] *Coevorden.* [x] *Groningue.* [y] *une paliſſade.* [z] *Zoltcamp.* [a] *Wedde.* [b] *le Boerentanghe.*

NOT. [1] *Camden met* Giffardo et Worthingtono ſacrarum literarum profeſſoribus.

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

quoque qui videret hoſtem diviſis viribus ubique debilem ſibi deeſſe noluit, et tentata primum irrito conatu [a] Silva-ducis, dein et [b] Wicho e regione [c] Trajecti ad Moſam, ubi tantum CC praeſidiarii Hiſpani erant, navigiis impoſito milite Friſiam verſus iter intendit; et praemiſſis [d] Arnhemium copiis, ut ibi ſe cum [e] Solmenſi, qui legionem nuper in Germania ſcriptam ducebat, conjungeret, [f] Swolam ire perrexit, quo omnes copias tam equeſtreis quam pedeſtreis convenire juſſerat. Franciſcus Verdugus, qui Philippi nomine provinciae praeerat, cognito tantam tempeſtatem in ſe incumbere, ſummopere animi angebatur; auxiliaribus e Germania venientibus ſe opponeret, an recta ad [g] Mauritium tenderet. Dum deliberat, non intercluſo in tempore ad [h] Lippam itinere, Solmenſis in tutum evaſit. Erneſtus de re omni certior factus per Verdugum ſtatim [i] Fontano negotium dat, ut exercitum in Brabantia ad fortuita ſepoſitum in Friſiam ire, et praeſto eſſe Verdugo laboranti juberet. Dum maturantur auxilia, Mauritius aſtu uſus, quaſi ad prohibendos Rheni tranſitu Hiſpanos ſe compararet, interea Gulielmum Naſſovium patruelem cum X CIↃ peditum et II CIↃ equitum ac CIↃ curribus [k] Covordam amandat, ut locum annona, pulvere ac re omni alia neceſſaria firmaret. Ii [l] Omenam pridie Nonas Maias conveniunt, et inde quadrata acie cum haſtis utrinque acutis quas vulgo equites Friſicos appellant, recta Covordam tendunt, ubi Verdugus cum Hermanno [m] Bergenſi comite a parte arcis, quae Hardenbergam ſpectat, aciem inſtruxerat. Sed cum mox reflexo itinere Mauritius cum ingenti viminum et faſciculorum copia nec-opinato adveniens in conſpectum Covordae veniſſet, Verdugus ſe undique circumventum cernens milite ubique longa obſidione debilitato et animis concidente, maturo receptu ſibi conſuluit, et nocte proxima cum veteranis ſuis, et Cimacenſis, Arenbergii, ac Bergenſium fratrum legionibus ſine ſtrepitu tympanis ſilentibus [n] Lingenam ſe contulit. Diſceſſu regiorum liberata Covorda et commeatu abunde firmata, Mauritius cum toto exercitu progreditur, et ad Groëningam Friſiae occidentalis metropolim caſtra ponit XIII Kalendas Junias, peditatu in auſtrali parte collocato, qua Drentham itur. In caſtris ejus erant praeter memoratas copias legio Anglicana, Franciſco Veero duce, et equitum Germanicorum turma nuper a Jo. Naſſovio conſcripta. Ea urbs ſive a viridantibus pratis, quibus circumdatur, amoeniſſimo oculis ſpectaculo, ſive undecunque nomen ſortita eſt, cum civibus et opibus potens diu libertatem patriis legibus tutata eſſet, nunc Ultrajectino epiſcopo, nunc Hollandiae comiti honorarium patrocinii ſpecie pendens, ad extremum exortis [o] Schieringerorum et Wetcooperorum in ea factionibus, quae certa rerum publicarum peſtis eſt; Maximilianus Caeſar, ut contagionem averteret, [p] Groëninganam rempublicam et [q] Tranſamaſanam Friſiam Alberto Saxonum duci tanquam Imperii vicario, cujus juriſdictioni illae provinciae ſubſunt, jure hereditario addixit. Sed cum Friſii Caeſaris mandatis parere recuſarent, poſtremo Albertus nobilitate conciliata imperium in eos arripuit, ejuſque ope acre bellum cum adverſae partis ſociis, hoc eſt, cum Wetcooperis, quibus ſe Groëningani conjunxerant, per [r] Foxum legatum geſſit, bellique is exitus fuit, ut Groëningani [ſ] Weſtergoae et Oſtergoae ac [t] VII Silvarum poſſeſſione cederent, et quotannis XXX CIↃ aureorum florenorum tributum penderent. Ceterae civitates, quarum [u] Leovardia caput erat, conditionibus primo ſubſcripſere. Sed mox poenitentia ductae deſciverunt, donec Saxo manu armata provinciam ingreſſus, eos rurſus imperata facere cogit:

Groëningani

INTERPR. [a] *Boiſleduc.* [b] *Wiick.* [c] *Maeſtricht.* [d] *Arnheim.* [e] *le Comte de Solms.* [f] *Swol.* [g] *le Comte Maurice de Naſſau.* [h] *la Lippe.* [i] *le Comte de Fuentes.* [k] *Coevorden.* [l] *Ommen.* [m] *le Comte Vanden Berghe.* [n] *Linghen.* [o] *Schyeringhers, & Wetcoopers.* [p] *de Groningue.* [q] *delà l'Ems ou Friſe Occidentale.* [r] *le capitaine Foix.* [ſ] *Weeſtergoo, & Ooſtergoo.* [t] *les ſept Foreſts.* [u] *Leeuwarden.*

[a] Groëningani paria veriti, Ultrajectini epiſcopi interventu inducias pepigerunt. Tertiò deſciſcentibus Friſiis, iterum renovata bella uſque ad exceſſum Alberti, qui Henricum juris paterni heredem reliquit. Eo mortuo cum ſibi omni metu vacui viderentur, ex praeteritorum ſucceſſu animos ſumunt, et Dammonam, quam Ezardus Ciſamaſanae Friſiae princeps Saxonis nomine tenebat, obſident; quos ut ab incepto revocaret, Hugo Leiſniici comes ad Groëningam caſtra ponit. Temeritatis ſuae ſero pertaeſi obſeſſi ad Ultrajectini interceſſionem confugiunt, ejuſque precibus impetrant quadriennaleis inducias, quibus exeuntibus cum Caeſareis mandatis ſtare nollent, Ezardus et [b] Vito Draëſcedorpius Henrici, qui in Miſniam conceſſerat, legati duobus ſtructis propugnaculis urbem arcte cingunt. Groëningani obſtinata obſidione, quam tota hyeme pertulerant, fracti, cum a Tranſiſelanis civitatibus auxilia promiſſa non comparerent, colloquium poſcunt cum Saxonibus tranſacturi, niſi caſus interveniſſet, qui contrariam viam quam ab initio putabant, eos inſiſtere coëgit. Nam cum ſub id Draëſcedorpius quoſdam captivos, quod pretium pro libertate ſolvere recuſarent, naribus ignominioſe truncatis Groëningam remiſiſſet, concivium injuria adeo exacerbati ſunt oppidani, ut omni cum Saxone conditione rejecta, cum Ezardo clam ſollicitato egerint, ut ipſe ſibi urbis patrocinium ſumeret, ea lege, ut eam ſub Saxonis jugum mitti nunquam pateretur. Conditione accepta Ezardus Groëningam cum ſuprema poteſtate ingreſſus eſt anno hujus ſaeculi CIƆ IƆ VI, oppidanis in fidem adactis, et arcem arbitrio ſuo in urbe exſtruxit. Tulit id indigne admodum Georgius Saxo Henrici frater, et Erici Brunſvici viribus ſubnixus in [c] Friſiam Ciſamaſanam propere deſcendit, injuriam ab Ezardo illatam ulturus, lateque regionem ejus vaſtavit. Is vero ut ſuis ſubveniret, continuo Groëningam reliquit, et cum Imperii decreto citatus ac mox proſcriptus Dammonam amiſiſſet, impar adverſus tot potenteis hoſteis patrocinium ſuſceptum ad extremum omnino deſeruit, et Groëninganos ſua ſibi habere juſſit. Deſerti illi mittunt ad Saxonem delegatos deditionem offerenteis: modo arx ab Ezardo impoſita deſtrueretur. Has ut ab hominibus ſuperbis profectas conditiones, et jam defectionem meditantibus cum Georgius accipere recuſaret, et ſine exceptione deditionem fieri vellet, delegati re infecta abeuntes ei praedixerunt, fore, ut nec ipſe, nec ullus ſuorum juris quidquam in Friſios unquam habiturus eſſet; ſtatimque ubi domum reverterunt, de alterius principis patrocinio ſibi conciliando conſultant. Is fuit Carolus Eemundanus Geldriae dux, qui ut ſe adverſus Burgundiorum potentiam tueretur, partes noſtras ſemper ſecutus fuerat, et tunc per Gul. [d] Ovenum et Wernerum Spiegelium urbis poſſeſſionem adeptus, deſtructa arce oppidanos in fidem Franciae coronae impulit. Inde varium et anceps inter Georgium Saxonem et Carolum diu bellum fuit, donec laborum et ſumptuum pertaeſus Saxo jus omne ſuum Carolo Hiſpanorum principi CC aureorum CIƆ acceptis conceſſit, et in Miſniam ad ſua ſe contulit. Ab eo tempore Carolo cum Auſtriis res fuit, [e] Floro Iſelſtenio rem pro Auſtriis, Ezardo Ciſamaſanae Friſiae comite pro Carolo rem gerente. Tandem Groëningani cum XX totis annis Carolo paruiſſent, XXX CIƆ florenorum vectigali penſitato, belli nullum finem videntes, creſcente jam Caroli Caeſaris in dies potentia, ceſſere, et deſerto Geldriae ducis infirmo patrocinio Margaritae Caeſaris materterae, quae Belgio praeerat, opem implorarunt; quae miſſo Georgio [f] Schenkio Tautenburgenſi civeis in verba Caeſaris nepotis adegit VI Eidus Junii, anno [a] CIƆ IƆ XXI. Ita Groëninga in Auſtriorum poteſtatem venit, tot factionibus jactata, totieſque mutato

diverſorum

VAR. LECT. [a] CIƆ IƆ XXVI. MS *Reg.*

INTERPR [a] *de Groningue.* [b] *Vito de Draeckſdorp.* [c] *Friſe Orientale.* [d] *Van Oyen, &* *Werner Spiegel.* [e] *Floris d'Iſſelſtein.* [f] *Schenck Sr de Tauttenbourg.*

CIƆ IƆ XCIV. HENRICUS IV.

diverſorum principum [a] dominatu. Ad obſidionem redeo. Juſſi dedere ſe Groëningani elate admodum reſpondent, minime decorum eſſe praepotenti civitati tam cito de deditione agere; poſt annum ſi ipſe in obſidione perſeveret deliberaturos. Ergo Mauritius cuncta ad obſidionem parat, cratibus, tabulis, aſſeribus ſectilibus, trabibus, aliaqne idonea materia diligenter comportata, qua loca paluſtria ad borealem partem conſtrata ac pervia reddita: tum munitiones ad vallum ubique exſtructae ad incurſiones hoſtium externorum fraenandas, et commeatum, qui partim per mare Germanicum, partim ex [a] Amaſo ſubvehebatur, intercipiendum. Equitatus [b] Covordae, Stenvicae, et per [c] Bortangam diſtributus, qui vias undiqtaque inſiderent. Interea Gulielmus Naſſovius cum VIII vexillis [d] Auvardezielam mnnitionem a regiis ad cataractam exſtructam corona cingit; erant in ea CXXX praeſidiarii viri delecti. Pontibus ſtratis et ſcalis admotis cum in eo eſſent V centuriae Naſſovianae ut impetum facerent, eoſque propugnatores comportata omni re ad defenſionem neceſſaria expectarent, aliae III centuriae ab altera parte per paludes et uliginoſos ſentes cratibus et aſſeribus ſtratos iter emenſae ad propugnaculum uſque, nihil praeſidiariis tale ſuſpicantibus, perveniunt, et per ſcalas enituntur, pulvere tormentario et vicinis domibus incenſis. Mox cum attonitis praeſidiariis cominus conſerta pugna, qui ad extremum ſupplices ab hoſte caedis recentis ab iis editae memori paucis exceptis trucidati ſunt. Id actum IV Kal. Junias. Inde ad Groëningam mnnitis egregie caſtris, VI propugnacula exſtructa, et peditatu et XII tormentis ſingula firmata. Tota vis ad partem occidentalem admodum munitam verſa, et humiliori propugnaculo et [e] tumulo ad pulſationem faciendam exſtructo ad turrem [f] Drentanam directae V machinae, ad portam [g] Orientalem X, ad alterius [h] Dominicae dictae pontem XII, contra [i] Aſinipaſſum vulgo dictum VI, et III contra tumulum. Oppidani nullum praeſidium in urbe habebant, viribus propriis confiſi. In ſuburbio portae oppoſito, cui [k] Scutendiepae nomen, qua [l] Dammonam ac Delfezielam itur, praeſidiarii excubabant, duce Georgio Laukema, qui cum viſum eſſet, ex eo intra urbem admitti poterant. Poſt continuam verberationem Drentana turre everſa et propugnaculis oppoſitis paſſim disjectis, per mortaria pyroboli, candenteſque pilae ubique in vicos ſubjectos, et per mediam urbem noctu immiſſae magnum obſeſſis terrorem incutiebant, domibus interdum incenſis. Jam labrum foſſae occupaverant Angli et Scoti, contra quos crebris eruptionibus certabatur, pari fere utrinque damno; niſi quod una nocte impreſſione facta Angli magna clade affecti ſunt, [m] Broko et Wraio ſtrenuis ducibus occiſis. Nec citra obſeſſorum ſanguinem res acta: nam filius unius ex urbis conſulibus, aliique oppidani deſiderati ſunt. Inde ad Dominicam portam acti cunei, quam in partem armorum vis praecipue incumbebat, crebra tormentorum fulminatione aſſidue detonante; quam contraria pulſatione obſeſſi repellebant, magna tormentorum et ipſi copia ae pulveris abundantes, acciditque res eventu raro mira, ut dum machina ex caſtris diſploderetur, eodem momento quo ignis admovebatur, pila ferrea ex urbe vibrata in os machinae ſubierit, et nullo damno machinae illato diſploſae pilae

contrario

VAR. LECT. [a] dominatu. Ex ea urbe duo magna lumina orta ſunt, quae ad literas et liberaleis diſciplinas tota fere Germania antea incognitas facem praetulerunt; Veſſelus Gransfortus et Rodolphus Agricola: quorum ille grandior natu trium linguarum ut erant tunc tempora valde peritus: cum philoſophicis ſtudiis primum operam dediſſet, poſtea totus in theologicis fuit, et poſt varias peregrinationes in Italiam, Graeciam et Galliam, ubi et academiae ordinandae ſub Ludovico XI praefuit, ſuſceptas, ſatur annis in patria placide obdormivit anno CIↃ CCCC XC; cum quadriennio ante Rodolphus Heidelbergae fatis conceſſiſſet aetatis anno XLII, obſcuris natalibus apud Batſloos ortus, ſed ingenio clarior, qui a Veſſelo ſive inſtructus ſive ejus aemulatione et linguarum et artium exactam cognitionem adeptus, in Germania magnam adeo ſibi famam conciliaverat: ut ex elogio illi a doctiſſimo ſua aetate viro Hermolao Barbaro tributo conſtat. Ad obſidionem redeo. MSS *Reg. & Samm.*

INTERPR. [a] *Ems r.* [b] *Coevorden, & Steenwijck.* [c] *le Boerenthanghe.* [d] *Auwaerdeziel.* [e] *Plateforme.* [f] *tour de Drentelaer.* [g] *Ooſter porte.* [h] *la Heere porte.* [i] *le pas d'Aſne.* [k] *Schuytendiep.* [l] *Damme, & Delfziel.* [m] *Broke, & Wray.*

CIↃ IↃXCIV. HENRICUS IV.

contrario impulſu in urbem remiſſa ſit. Interea Erneſtus Antuerpiam XVIII Kal. Quintil. ingreſſus magna pompa inter feſtos plauſus exceptus fuerat; ubi nuncio de arcta Groëningae obſidione allato ſtatim [a] Fontano negotium datur, ut laborantibus opem ferret. Verum ille, qui temere cum Mauritio congredi nollet, milite et pecunia deſtitutus, expeditionem minime ſuſcepit. Jamque cunei ad Dominicam portam multum promoti erant, et unus ex iis XX paſſus ſub propugnaculum oppoſitum actus fuerat, in quo Hiſpani bellorum initio arcem ſtruxerant, ab oppidanis poſtea deſtructam, cum diruto muro et quaſſatis ubique propugnaculis ſeditio inter obſeſſos exorta; nam alii pacem cum Ordinibus, quam bellum continuum cum Hiſpanis malebant; alii iique ſpectabiliores ex ſacro et patritio ordine, qui Hiſpanis favebant, durandum ſuadebant, et auxilia ab Erneſto exſpectanda: et cum jam delegati ab adverſa parte miſſi ad Mauritium veniſſent de conditionibus acturi, illi ut deditionem impedirent, [b] Lochumam, Verdugi legatum cum V ſignis, quae in ſuburbio erant, intra urbem accipiunt, et urbis potentes colloquium cum Mauritio inchoatum abrumpunt. Tandem ſpe conveniendi adempta Eidibus Quintilibus, cum poſt frequentem diſploſionem et VIII muraleis machinas, quae in propugnaculo erant, crebris ictibus confractas, Mauritiani inſtructa acie ſtarent, oppugnationem tentaturi, et praeſidiarii ad defenſionem parati in ruina ſe oſtentarent, admotus cuneo ſub propugnaculo excavato ignis, cujus vi ingenti ruina edita defenſores partim obruti, partim in ſubjectam foſſam praecipitati, quidam etiam in altum rotati, et in caſtra hoſtium abrepti ſunt. Perierunt in eo caſu CL delecti; mox oppugnatio a Mauritianis tentata, qui territis inſtantes poſt exiguum certamen muro potiti ſunt, defenſoribus in urbem per tectum poſticum confugientibus. Ex machinis quae in ruina erant, IV aeneae repertae integrae, II ferreae; tum vallum contra obſeſſos actum, quo conſpecto oppidani, qui ad extrema ſe redactos viderent, nulla praeterea auxiliorum ſpe, ad Mauritium mittunt, et colloquium poſcunt; quod ut honeſtius facere poſſent, petebant, ut iterum Mauritius deditionem per fecialem imperaret; quod cum ille recuſaret, obſeſſi XIV Kal. Sextil. acceptis obſidibus, Fridericum [c] Muſeum, Joannem Balenum urbis conſules; Albertum [d] Elſium, Ulgertum Ulgerſonis filium aedileis; Joannem [e] Gritum officialem, Janum [f] Aſſerdam Wirſumi commendatorem, Rodolſum [g] Certium, Janum [h] Malderum, Poponem Everardum ab epiſtolis, Henricum [i] Honinkium interpretem, Joannem [k] Lubertum, Sanderum Grotium Friderici comitis Bergenſis legatum, ad Mauritium legant; qui poſt aliqnot horarum altercationes, tandem in has conditiones conveniunt, Ut praeteritorum oblivio ſanciatur, Groëningani bona fide unioni provinciarum foederatarum accedant, deinceps contra Hiſpanos eorumque fautores libertati Belgicae inhianteis arma, opes, conſilia ſe conjuncturos recipiant. Salva illis et integra maneant ſua privilegia, libertates, jura, immunitates; civitas et circumpoſita regio, cum comitia Ordinum habebuntur, Ordinum generalium decretis ac ſententiis ſtare teneantur; Willelmo Ludovico comiti Naſſovio ab Ordinibus praeſidi impoſito pareant; litis inter urbem et [l] Ommelandos olim motae arbitrium Ordinibus generalibus permittant; in civitate nulla alia religio praeter eam quae paſſim ab unitis provinciis recepta eſt, recipiatur; ita tamen, ut nulli propter id fiat injuria, nec vis conſcientiis afferatur. Bona eccleſiaſtica, quo in ſtatu ſunt, maneant, donec ab Ordinibus, republica Groëningenſi et circumpoſita regione de iis decernatur. Praeſidium V aut VI ſignorum ad ſeditiones impediendas et ſecuritatem urbis imponatur, iiſque ſtipendium ex praeſidis, magiſtratus urbis, et

vicinae

INTERPR. [a] *le Comte de Fuentes.* [b] *Lockuma.* [c] *Muſey, & Balen, bourgmaiſtres.* [d] *Els, & Ulgerſen, eſchevins.* [e] *Griit official.* [f] *Aſſerda commandeur de Wirſum.* [g] *Certs.* [h] *Malder, & Poppo Everard ſecretaire.* [i] *Honinck truchement.* [k] *Lubert, & Sanders de Groot-velt.* [l] *les Ommelandes.*

vicinae regionis ſententia aſſignetur: propugnacula ac munitiones arbitrio Ordinum diruantur. [a] Groëninga et circumjectus ager in tributis aliiſque collationibus ad defenſionem unitarum provinciarum indictis deinceps penſitandis aequo jure cum ceteris cenſeatur. Exules bonis non alienatis reſtituantur; ſi alienata fuerint, antiqui domini ea intra quadriennium certis legibus luant. Eccleſiaſticis in urbe manere, aut ſi nolint, in alia loca neutri parti addicta, migrare, et ſuis bonis frui liceat; legatis Groëningae, qui in aula Bruxellenſi nunc ſunt, una cum ſuis domum redire, ac beneficio hujus conventionis, modo intra treis menſes revertantur, uti liberum ſit. Ex oppidanis quotquot obſidionis tempore capti ſint, redemptionis pretio prius perſoluto, liberi dimittantur. Urbis adminiſtratio ſit penes magiſtratum. Magiſtratus ac jurati cives hac vice a Mauritio et Willelmo Naſſoviis ex Ordinum ſententia creentur. Deinceps ſuffragia juxta priſcum morem ſint libera. Urbs ſubjectaque ei regio in poſterum abſque ſuo conſenſu ac voluntate in alios reges ac principes non transferatur, neque arx in ea aedificetur. Magiſtratus, cives, et incolae fidei ſacramentum, ſicuti aliae foederatae provinciae, Ordinibus generalibus dicant. Pecunia omnis, apparatus bellicus, annona, aliaque juſſu Philippi in urbem miſſa vel ad illum pertinentia in Ordinum poteſtate aut eorum legatis relinquantur. Dein et cum praeſidiariis conventum, ut ſummus eorum legatus Lochuma, cum urbis centurionibus, militibus ſuis, exceptis transfugis qui Ordinibus militaverant, uxoribus, impedimentis, et armis incolumes urbe et caſtris ſuis excedant, ſignis prius Mauritio traditis; inde per [b] Drentam ad Verdugum praefectum ubicunque ille caſtra habere competietur, utque inde trans Rhenum in tutum deducantur. Ii viciſſim caveant, ſe intra trimeſtre cis Rhenum regi non militaturos. Ad exportandos [c] Oetmarſiam aut [d] Oldenzielam infirmos ac ſauciatos xx c quadrigae commodentur, obſide a Lochuma relicto, donec quadrigae reverſae fuerint. Wingartus ordinum ductor, cum aes alienum, ob expenſas in captivitate factas diſſolverit, libertati reſtituatur. Quod et in ceteris militibus, annonariis, et aurigis bello captis locum habeat. Verdugo omnem ſupellectilem, quam in urbe habet, ac reliqua bona ſua, aliis item regis Hiſpaniarum praefectis, qui abſunt, equos, aliaque impedimenta repetere et abducere liceat. Omnes incolae cujuſcunque ſint nationis Groëningae commorantes, tam ſacri ordinis, atque inter eos duo patres e Jeſuitico ſodalitio, quam ſolutae conditionis, cum uxoribus, liberis, atque omni ſamilia, qui cum militibus abire volent, eodem beneficio ac ſecuritate qua illi fruantur: ſi quis aut morbo aut negotiis praepeditus in praeſentiarum non poſſit, intra vi menſeis ab hac die numerandos libere diſcedere, et quo volet ſe recipere facultas ſit. His tranſactis Lochuma ſummus vicarius, centuriones, ordinum ductores, ac gregarii milites nulla mora interpoſita, Groëninga ac Schutendiepae ſuburbio excedant. Haec acta xi Kal. Sextileis. Poſtridie Mauritius triumphali pompa armatus, Philippo et Gulielmo Naſſoviis patruelibus comitantibus, urbem ingreſſus, obviam habuit virginem holoſerico albo amictam aureo torque ac diademate ornatam, quae altera ramum laureum, altera clavem auream tradidit. Peracto triumpho omnes templorum ſublatae imagines et ſimulacra, et reformata quam vocant, religio inſtaurata eſt, novique magiſtratus ac centuriones per urbem creati a majorum religione ſere alieni. Tum ſartae ruinae, et vallum ac munitiones caſtrorum ubique complanatae. Fridericus comes Bergenſis acceptis, qui dimiſſi ſunt, militibus, Oldenziela Lingenam venit, et eos Grollae et per alia praeſidia diſtribuit. Aliae legiones et cum iis viii equitum turmae Rhenum trajecerunt, quos inſecutus Philippus aſſequi non potuit. Mauritius rebus in urbe conſtitutis in Bataviam perrexit,

INTERPR. [a] *Groningue.* [b] *pays de Drente.* [c] *Ootmaerſen.* [d] *Oldenziel.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

perrexit, et Amſterdamum pompa ingenti exceptus, eodem cultu [a] Hagam Comitatenſem ingreſſus eſt, ubique praeter cumulatos honores multis magni pretii donis oneratus. Temporius in hyberna miſſus miles, quod Ordines regi auxiliareis pactis promiſſos repoſcenti deeſſe nollent. Haud multo poſt [b] quidam ex praeſidio Nigellano miles nomine Petrus Futius, qui inter Mauritianos ſtipatores juxta Lilloam captus eſt, et [c] Bergas ad Somam ductus, ut ſententia in eum lata praefert, ultro confeſſus eſt, ſe cum in Erneſti aula eſſet, et de Bergis aſtu intercipiendis mentionem injeciſſet, ab Erneſti ſecretario ſolicitatum, ut ſuae celſitudini operam navaret, et facinus coelo dignum aggrederetur, hoc eſt, Mauritium ex inſidiis interficeret; hoc conſilio Bruxellis profectum, ut ex occaſione rurſus in familiam ſe Mauritii insereret, et commoditate uſus rem exſequeretur. Additum erat, cum Bruxellis diſcederet, Erneſtum ore proprio ipſum ad facinus perpetrandum hortatum fuiſſe, et Chriſtophorum Aſſonvillam primarium conſiliarium, ut hominem magis incenderet, ſpem feciſſe, ut Miſſae, quam in ſacello Bruxelliani palatii audiviſſet, virtute et efficacia, poſt patratum facinus ex aſtantium conſpectu eriperetur; monitum tamen fuiſſe, ſi forte capi eum contingeret, ne Erneſti, aliorumve ſuaſu id tentaſſe ſe fateretur, alteriuſque nuper capti exemplo ſaperet, qui propria confeſſione ſibi mortem conſciviſſet. Haec confeſſus Furius a delegatis Ordinum ad mortem damnatus, et Bergis ſummo ſupplicio affectus eſt XV Kalendas Decembreis.

XI. AD alias hujus anni clades a Philippo in Belgio acceptas acceſſit grave et perniicioſiſſimum exemplo ex ſeditione militari incommodum, quae Hiſpanis ſolemnis, et ante aliquot annos in Gallia inchoata non repraeſentato ſtipendio veluti contagione inter Italos ac Belgas graſſata eſt: Fontanus, Ibarra, ceterique qui in regio conſilio omnia poterant, gentis propriae amore, et innato aliorum deſpectu ſtipendium tumultuantibus Hiſpanis, quos ad Pauli-fanum quaſi relegaverant, numerari curaverant; de Italis ac aliarum nationum militibus parum ſoliciti, quos anno ſuperiore [d] Araſchoti in Brabantia et [e] Sichenae locis vaſtis ac parum firmis collocaverant, ſex aut ſeptem annorum ſtipendii, quod illis debebatur, de die in diem ſolutione dilata: quod illi ad extremas anguſtias redacti aegerrime ferebant, tot exantlatis laboribus injuriam pro praemio, miſeris pro ſolatio poenam, patientiae ſuae pro levamento deſperationem rependi, querentes; ſecretaque admodum paucorum coitione inter eos de ſeditione ſolemni agi coeptum, quod ut commodius fieri poſſet, euſque conjuratio ſuſpenſa, dum duorum menſium ſtipendium accepiſſent: quod conjurationis duces primis motibus ad res ſuas adverſus regii nominis potentiam firmandas opus eſſe aliquo praeſenti ſubſidio judicarent. Nec dubitabant, quin regii initiis occurrendum rati vel contraria vi, vel modica pecunia ac ingentibus promiſſis militem egenum ac credulum, ut alias fecerant, ſtatim placarent, et poſtea diſſipata ſeditione factionis duces opprimerent. Ii fuere Hieronymus [f] Spadinus, [g] Boldrinus centurio Guercius vulgo dictus, [h] Biotus, Dominicus [i] Trinus, Theodorus Fracaſſa, et Dominicus [k] Aſtenſis; qui omnes in Gaſtonis Spinulae legione militabant, eique per tribuni tunc in Hiſpaniam profecti abſentiam Veſpaſianus [l] Carcanus eques praeerat; cum vero illi Araſchoto, ubi erant, utpote infirmo loco diffiderent, ad eos mittunt, qui Sichenae III ab Araſchoto leucis erant, milites delectos et ad fortuita a Parmenſi ſepoſitos: quorum tribuni erant Corn. Gaſparinus et Bernardus [m] Sanminiatus. Secreta inter eos pactione conventum, quam primum bimeſtre ſtipendium accepiſſent, ut Araſchoto relicto Sichenam migrarent; conjunctiſque viribus et conſtitutis novis ducibus ſe loco munirent, et manu armata praeteriti temporis ſtipendia repeterent; fide data, ut nullis a rege promiſſis,

INTERPR. [a] *la Haye.* [b] *du Four, ſoldat natif de Nivelle.* (v. Meteren. *p.* 361.) [c] *Bergen-op-zoom.* [d] *Arſchot.* [e] *Sichenen.* [f] *Spadino.* [g] *il corporal Boldrino detto il Guercio.* [h] *il Biotto.* [i] *Trino.* [k] *d'Aſti.* [l] *il cavalier Carcani.* [m] *Sanminiato.*

promiſſis, nec niſi exoluta omni, quae debebatur pecunia, ab unione jurata diſcederent, aut duces a ſe conſtitutos ut alias desererent. Dicta dies ad VI Kal. Sextil. qua ſub noctem Spadinus ſignum pulſu tympani ſociis dedit, addito conſciorum clamore, *Vivat Deus, vivat Rex.* Inſtructaque ſtatim in platea acie ad diſceſſum ſe comparat, praemiſſo Antonio [a] Rigone Ferdinandi [b] Seſſi comitis centurione [c] Sichenam, qui videret, an duae illae cohortes in conſilio capto perſeverarent. Carcanus ſemel atque iterum tentatis militibus, an acceptis ſex ſtipendiis et oblivione ſancita ad ſigna redire vellent; cum omni conditione rejecta animos magis exacerbari cerneret, vitae metuens cum ceteris ducibus vix impetrarunt, ut incolumes Lovanium deducerentur. Seditioſi explicatis ſignis Sichenam tendunt, et a conſciis accepti, quos Scaramuzza major centurio in aciem inſtruxerat, ſuffragiis communibus electum conſtituunt Stephanum Caprianum Mediolanenſem, et gubernatorem ei addunt Hier. Spadinum; tum Scaramuzzam centurionem majorem, Fracaſſam quaeſtorem creant, eique conſiliarios attribuunt Franciſcum [d] Caſtrenſem Genuenſem, Sebaſtianum [e] Fortem, Antonium [f] Mediolanenſem, [g] Santinum Carnavallem, Marcum Caſtellinum, Jo. [h] Ruſium, Jo. Baptiſtam Rozzam Monſerratenſem, alios, e faece ſeditionis delectos: crearunt et inter eos leges diſciplinam ſpectantes, quam ſeveritate ſumma toto ſeditionis tempore exegerunt, VII e ſuo numero ob eas violatas capitali ſupplicio affectis. Initio tantum VIII equites inter eos erant Sichenae ex ala Philippi Robleſii, qui ad IↃ CCC numerum mox excreverunt, iiſque novi praefecti attributi, ita ut bis mille tam pedites quam equites egregie armati recenſiti ſint. Iis ſe poſtea ex Belgis, Hibernis, Anglis, Epirotis, Gallis, Germanis, Scotis, ac tandem Hiſpanis plerique adjunxere. Continuo [i] Lovanium, et Dieſtam, oppidum ad [k] Demerum ſitum, mittunt, qui annonam libere comportari peterent, alioqui hoſtilia interminati. Id incidit ſub tempus, quo de Groëninga amiſſa ad Erneſtum allatum eſt: quo caſu valde perculſus, majoriſque motus initium veritus ſubito cum Hiſpanis, qui ad [l] Paulifanum et Pontem-Somonae in Gallia ſeditionem excitaverant, tranſegit, exolutis CC aureorum CIↃ. Tum conciliatis ſibi illorum animis, ut eorum ope, ſi opus eſſet, contra alios uteretur, Jo. Jacobum [m] Belli-joci comitem Sichenam mittit, qui minime intra oppidum admiſſus, ne diſſidia inter conjuratos ſereret, cum obviam miſſis a factione delegatis literas Erneſti tradidiſſet, benignitatis plenas; illi ſtatim ad eas reſponderunt, et extrema neceſſitate ſe coactos dicunt, ut noviſſima remedia tentarent, per iniquitatem regiorum ad miſerrimum ſtatum redacti, nihilque ſuis armis quaerere, quam ut, ſi quid bene geſſerint, ſtipendio a regia liberalitate accepto, gloria majore contenti et in fide porro perſeverent. Cum urgeret Bellijocus, ut quibus tranſigere conditionibus parati eſſent, amplius explicarent, cum literis has ab eis leges tulit, ut integra ſtipendia exſolverentur, oblivione praeteritorum ſine exceptione ſancita, et L ex ducibus motus tempore delectis conceſſa licentia, ut ſe in tutum, quo vellent, reciperent. Mutilatis noſocomium aſſignaretur. Quibus ex ipſorum numero ſtipendia ex regio aerario non procedent, iis ſemeſtre honorarium perſolveretur. Ex ſociis quempiam ſeditioſum vocare poſt ſedatum motum cuiquam militari duci capitale eſſet. Accepto ſtipendio liberum eſſet ſociis ſive pedites aut equites ſint, in qua velint cohorte aut ala, modo ſub ſuae nationis ducibus, militare. Ducibus ſuis, qui ſeceſſioni non participaverint, plene ſatisfiat. Has conditiones ut arrogantiae plenas Erneſtus non ſine offenſionis ſenſu rejecit, pleriſque illum ad poenas de rebellibus ſumendas incitantibus: quod antequam tentaret, placuit, ut Bellijocus iterum ad eos mitteretur. Quod ille ſemel atque iterum cum irrito conatu feciſſet, et jam

INTERPR. [a] *Rigone.* [b] *del Seſſo.* [c] *Sichenen.* [d] *Caſtro Genoueſe.* [e] *Forte.* [f] *Milaneſe.* [g] *Santin Carnevale, & Marco Caſtellini.* [h] *Roſſo, & Gian Battiſta Rozza du Montferrat.* [i] *Louvain, & Dieſt.* [k] *Demer r.* [l] *S. Paul, & Pont ſur Somme.* [m] *Belgioioſo.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

jam Hiſpanis ſuſpectus ab eo ſe officio excuſaſſet, Avellini princeps ſummae inter Italos vir exiſtimationis ad eoſdem legatus eſt, haud majore ſucceſſu, cum ſeditioſi mutata perſona voluntatem Erneſti mutaſſe interpretarentur; nec omnino ſua opinione falſi ſunt. Nam Ludovico Velaſco auctore in concilio decretum fuerat, ut quamprimum vis contra rebelleis pararetur, et expeditioni ducem ipſe ſe Velaſcus obtulit; diſſimulato initio conſilio, quod tamen adeo tectum eſſe non potuit, quin ſeditioſi ab amicis, qni Bruxellis erant, de re certiores facti ſint: itaque jam tum cum Mauritio et Ordinibus agere coeperunt. Dum Velaſcus ſe ad expeditionem accingit, ex compacto Erneſtus Baioarus Colonienſis ſeptemvir et [a] Leodici epiſcopus ſpecie tuendorum finium ad impediendas collationes, quae a ſeditioſis imperabantur, IↃ CCC pedites, CCCC equites conſcribit, eoſque [b] Trudinopoli in ſuburbio collocat. Quo ab illis cognito, ſtatim Rozza, Georgius [c] Macagna noctu profecti, eos in ſuburbio nihil tale metuenteis opprimunt, plus LXX interfectis. Plerique capti et magnus equorum numerus, quorum praecipue penuria laborabant. Trepidis ad hunc caſum Leodicenſis ditionis Ordinibus, et apud epiſcopum, quem jam temere coepti, auctoribus Hiſpanis, conſilii poenitentia ſubierat, expoſtulantibus, cum ſeditioſis tranſactum, XVCIↃ florenorum depenſis et libero commeatu conceſſo. Inde miſſis Araſchotum Hiſpanis minime hoſtilem animum in ſpeciem praeferentibus, cum ſe late cingi et ſenſim obſideri cernerent, coenobium vicinum muniunt, et duas munitiones in confinio exſtruunt. Cumque Hiſpani, ruſticis ad pontes rumpendos miſſis, equitatum longius ad pabulationem evagatum intercepturi proceſſiſſent, Romulus Sola, qui Macagna a munere depoſito curatoris generalis officio fungebatur, ſuos in tempore revocavit. Tandem ad apertam obſidionem ventum eſt, ducibus Ludovico Velaſco, Franciſco Padiglia, et Sorae comite Italis ſumme infeſto. Viciſſim Itali, qui nullam in reconciliatione ſincera ſpem ſupereſſe cernerent, cautione accepta Rozzam et [d] Marinum quendam equitem ad Mauritium legant tanquam obſides, coramque eo Rozza vir militari eloquentia pollens talem orationem habuiſſe dicitur: Nos, qui ſacramento regi Catholico auctorati tecum toties manus conſeruimus, qui virtutem tuam toties experti ſumus, quorum viciſſim tu robur toties ſuſtinuiſti, miſeri ac ſupplices ad te confugimus, obſides a ſociis miſſi, ut tuae clementiae ac magnanimitatis periculum faciamus: non maleficii, proditionis aut ullius ſceletis comperti, ſed operae feliciter glorioſeque navatae conſcii accedimus, ab Hiſpanis male habiti, qui tot damna, incommoda, vaſtitates, his florentiſſimis provinciis dederunt; quorum et nos immanitatem ac ſummam ingratitudinem pertaeſi ad ſumma remedia coacti devenimus, veteribus Romanis minime nova, nec recentioribus, ipſorumque qui nos infeſtis adeo animis perſequuntur, Hiſpanorum exemplis carentia, quae principes aequi ac magni duces ſi non laudarunt, at excuſarunt, et benigna diſſimulatione tranſegerunt: aeſtu geluque fracti, inedia ac rerum omnium inopia victi petimus a te, quod Hiſpani negant, ut, nobis de te ſecuris, eo quo ſumus loco manere liceat: nullumque a tuis incommodum patiamur, nullum illis viciſſim damnum inferamus: et ſi contingat, quod Hiſpani innatum contra nos odium expleturi minantur, ut numero victi cedere cogamur, tutus nobis in tuo receptus detur. Venientibus ad te adhuc integra nobis omnia cum rege, cui militamus, conſtant; ut integris et nulla perfidiae labe infectis diſcedere a te liceat, ab aequitate tua poſtulamus. Major tua, et eorum, quibus operam navas, longeque illuſtrior laus erit, fidem ſervantibus beneficium contuliſſe, quam transfugas in militiam tuam aſciviſſe; pluſque tibi quam nobis dederis, ſi nos ſine fidei famaeque noſtrae jactura devinxeris. Ad haec Mauritius, Doleo vicem veſtram, amici, potius, quam propoſitum laudo, non ſolum exemplo

INTERPR. [a] *Liege.* [b] *S. Truden.* [c] *Macagna.* [d] *il cavalier Marino.*

exemplo pernicioſum, ſed auctoribus ipſis damnoſum. Nam in principum belliqne ducum non ſemper poteſtate eſt, ut militi ſatisfaciant, multaque culpae a milite mali impatientia victo tribuuntur, quae fatali calamitati prudentiores imputanda ſciunt. Unum eſt, quod facile vobis ignoſco, ſi impotentem Hiſpanorum dominatum diutius ferre non potuiſtis, mirarique ſaepius ſubiit, quomodo Belgae Italique imperioſam eorum amicitiam tanta patientia tolerant. Verum his omiſſis, quam de humanitate et aequitate noſtra Ordinumque, quorum auſpiciis rem gerimus, fiduciam cepiſtis, facto vobis experiri licet. Nec voluntatibus aut conſcientiis veſtris vim afferimus, et libertatem, pro qua pugnamus, vobis integram relinquimus. Tantum injuriam, quam deprecamini, a finibus noſtris arcete; viciſſimque quam Hiſpani amicis non ſervant, fidem ab hoſte exſpectate. Obſides quod vos miſſos diciris, nullam heic remanendi neceſſitatem vobis imponet. Nam ego, qui virtutem etiam in hoſte admirari ſoleo, plus obſidum fidei, quam cuſtodibus appoſitis fidere didici; ex mora heic apud me veſtra hoc tantum conſecuturus, ut de belli conſiliis ac communibus negotiis commodius ad omnes caſus agere liceat. Haec acta, pactis ad aliquot dies inter Hiſpanos ac ſeditioſos induciis, quae poſt triduum exierunt, Itali potius de obſidione, quam de oppugnatione veriti ſibi perſuadere non potuerunt, Erneſtum prudentiſſimum principem vim tentaturum; quippe cum niſi certiſſima cum ipſius pernicie, in utram partem victoria inclinaret, rem ceſſuram providerent. Tamen deficiente pecunia, qua tumultuantes placari poſſent, Velaſci auctoritas tenuit, ut antequam exemplum latius graſſaretur, matura vis adhiberetur. Itaque Eidibus Decembribus, qui dies beatae Luciae ſacer eſt, copiae ad pugnam inſtructae, cum Itali CCCC equites eodem die ad colligendam pecuniam vicinis pagis imperatam emiſiſſent, ſtupente Velaſco, qui de conſilio ſuo eos certiores factos ſciebat. Ad majorem munitionem, quae a IↃ peditibus ſervabatur, miſſus a Velaſco fecialis, qui Italis locum deſerere, et ſe [a] Sichenam recipere imperaret: nam non iis hunc locum pro hoſpitio attributum. Poſt repetita ſemel atque iterum imperia cum non parerent, certamini datum principium, quod per treis horas pari utrinque exitu cum nutaret, recipientibus ſe Hiſpanis admota haud meliore ſucceſſu tormenta. Tum ad minorem munitionem, quae a L ſcloppetariis tenebatur, verſa vis, immiſſis IↃ Hiſpanis, qui cum damno repulſi ſunt. Eo in conflictu CCCLXXX ex illis deſiderati, et in iis Petrus [b] Portocarrerus [c] Fontani ex ſorore nepos, et XLVII circiter ordinum ductores. Pauci omnino ex Italis qui ſuperfuerunt, ad Sichenam receptum habuerunt. Erneſtus ſucceſſu irritatus cum ad famam pertinere exiſtimaret, ne tanta ſuorum audacia inulta eſſet, omnia ſumma faciebat, ut poenas de rebellibus ſumeret. Quod veriti qui Sichenae erant adverſus ultimum conatum impares ſententiis ſciſſi ſunt; cum alii cum Mauritio amplius tranſigendum dicerent, et in veſtigio mori fortiter pugnantes, quam ſe Hiſpanorum arbitrio permittere tutius ducerent. Alii perfidiae infamiam veriti nec de gratia Philippi deſperantes potius alio concedendum, et Mauritii beneficio, nulla ulteriore cum ipſo pactione inita, utendum cenſerent. In eam cum itum eſſet ſententiam, diſceſſuris incommodum ingens accidit, Dieſtae laxatis cataractis, et agro circum aqua ſupernatante per III milliarium ſpatium obruto. Quod tamen nocte inſequenti ſublatum eſt, concretis repentino et acutiſſimo gelu aquis, per quas Itali noctu incedentes in tutum evaſerunt, inter [d] Sylvam-ducis et Bredam haud longe ab [e] Hueſda et Gertrudis monte caſtris munitis. Fruſtra inſecuti eos Hiſpani equites, expeditiore per glaciem pedite, quo robur Italorum conſtabat, quam equite.

Itali

INTERPR. [a] *Sichenen.* [b] *de Puerto carrero.* [c] *le Comte de Fuentes.* [d] *Boiſleduc.* [e] *Heuſden, & Gertruydenberg.*

CIↃ IↃ XCIV.
Henricus IV.

Itali aliquot forte ductos Siebenae reliquerunt, qui antequam de ſociorum diſceſſu cognoſceretur, crebra diſploſione et ſolemni per pomoerium diſcurſatione Hiſpanos diu ludificati ſunt. Eodem tempore et Bonnae praeſidiarii ab Erneſto Colonienſi ſeptemviro impoſiti ob non ſoluta ſtipendia motum excitarunt, qui Erneſto, qui interim Pragam ad Caeſarem excurrerat, reverſo, vix tandem a Coloniae ſacro collegio ac civitatis conſulibus numerata grandi pecunia ſedari potuit. Philippici et male in eadem dioeceſi habiti: nam cum Erneſtus archidux Roſſemium et Iſelſtenium tribunos ad novum militem ſcribendum miſiſſet, illique per Weſtfaliam habito delectu in territorium [a] Carpenſe antiquum regis Hiſpani, ut aiebant, diribitorium, ad luſtrationem milites convocaſſent; longiore mora eo in loco facta, verſus ad praedam miles, omnia circum metu implevit; et provinciales veriti, ne loca ab eo inſeſſa pro hybernis aſſignata eſſent, appellato prius ſacro Colonienſi collegio arma rapiunt, et regios invadunt, caeduntque, captivos omni re ſpoliant. Iſelſtenius, dum ſe ad defenſionem parat, ipſe occiditur. Id actum Octobri exeunte.

XII. Ordines ut in medio bello ſe quoque pacis artium ſtudioſos oſtenderent, academia antea florentiſſima [b] Lugduni Batavorum inſtituta, hoc anno variis conquiſitis hydrographicis tabulis, novam in Indias Orientales, quas Luſitani ſibi peculiari jure vindicabant, navigandi rationem indagare ſtatuerunt, Tatariam verſus; eo conſilio, ut tutiore deinceps illac via ad Cathaiae regnum, et ditiſſimas [c] Sinarum oras, tandemque facili negotio in Japoniam, Philippinas, Moluccas, aliaſque opulentiſſimas illius tractus inſulas ſine cujuſquam injuria trajicerent: antea circumdato orbe habitabili poſt Hiſpanos et Luſitanos, Angli per Hugonem [d] Willoughbeium et Richardum Chancellerum anno CIↃ IↃ LIII iter plus bis mille milliaribus brevius repererant, et ille quidem poſt longos errores in Lappelandiam delatus eſt; ubi glacie undique obſeſſus in extrema omnium rerum penuria tandem frigore obriguit, multis poſt menſibus cum omnibus ſuis impedimentis, literis, ac teſtamento propria manu ſcripto in ea inventus. Chancellerus autem in Moſcoviam appulit, iterque reperit, quo Angli et Belgae ab eo tempore nunc utuntur. Triennio dein elapſo Stephanus [e] Boroughus, et recenti memoria anno CIↃ IↃ LXXX Arturus [f] Pettus, et Carolus [g] Jacmannus Angli in ſeptentrionem primo, dein in orientem curſum dirigentes juxta [h] Veigatiam ad mare uſque Tataricum pervenerunt. Poſt eos Olivarius [i] Brunellus Batavus idem iter per [k] Petzoram perſecutus eſt. Contrariam et navigationem ad ſeptentrionem inſtituerant Angli ad Americae litora, et Novae Franciae terras occidentem verſus curſu converſo, ductu Martini Forbiſheri et Joannis Daviſii, a quo fretum Daviſium nomen habet; et ad CC milliaria ulterius navigarunt, ea ſpe, ut cum Americam Inſulam putarent, viam invenirent, qua a tergo in Sinarum regna penetrarent; de qua navigatione ſuo loco diximus. Igitur hoc anno Ordines ut per mare glaciale orientem verſus viam ad navigationem ſecuram auctore Baltazare [l] Moſcherono Neuſtria oriundo aperirent, naveis inſtruxerunt, Amſterodami unam cum Liburnica, nauclero Gul. Barentſonio, alteram [m] Enchuſenam, tertiam [n] Campoverae [o] Cornelio Cornelii filio, et [p] Iſebrando Tetcale ductoribus; quibus ſe ſocium adjunxerat Joannes [q] Hugo, qui aliquot annis apud Sinas habitaverat: ii ex [r] Texelenſi in Batavis inſula ſolverunt Nonis Junii, et relicta ad dextram [ſ] Scandinavia veterum Thule, III Kal. Quintil. [t] Kilduinum Moſcoviae portum appulerunt. Inde ventorum opportunitate diligenter notata, et promontoriorum, fluminum, ſinuum ſitu obſervato, cum

INTERPR. [a] *Carpen.* [b] *Leyde.* [c] *la Chine.* [d] *Willoughby, & Chanceller.* [e] *Boroughs.* [f] *Pet.* [g] *Jackman.* [h] *Weygats.* [i] *Brunel.* [k] *Petzore.* [l] *de Mouſcheron, Normand, de la noble maiſon de Boulay-Moucheron, refugié en Hollande pour la religion.* [m] *d'Enchuyſen.* [n] *Campvere.* [o] *Corneille Corneliſſen.* [p] *Iſebrand Tetcales.* [q] *Huygens de Linſchoten.* [r] *le Texel.* [ſ] *Norvegue.* [t] *Kilduin.*

cum v dierum ltioere progreſſus eſſet [a] Gulielmus meridianum ea, quam in navigatione ſua tradit, ratione invenit, quam ex ea curioſis petere licet. Inde ad LXXIII graduum altitudioem navigavit, et [b] Lagenas atque inde promontorium [c] Lombarum venit incunte Quintili, ubi commoda ſtatio ſubeſt; et ulterius provectus [d] Amiraliam Inſulam et mox Gulielmiam appulit, ad LXXV graduum altitudinem poſitam: ſubere abundat, et piſeium ingentium eopia cetacei generis bovis magnitudine, quos Valruſſeoos vocant, quibus prominentes dentes eboris uſum vulgo apud nos habent, et plerumque mious peritos fallunt. Supra Gulielmiam [e] S. Crucis et Berenſortia Iuſulae jacent, io quibus urſi rabida feritate infeſti pilis albis viſuntur; qui in litoribus oberranteis proximas naveis natando affectantur, ut homines devorent, tanto robore, ut niſu ſuo naveis paeoe evertant, a quibus vix nautae ſe ſcloppetorum ictibus tuentur; nam alia arma adverſus duritiem cutis retunduntur. Inde ad promontorium [f] Naſſovium et Arauſionenſem uſque inſulam ab co dictam exeunte Quintili pervenit, ad LXXVII graduum altitudinem poſitam, rutilantibus lapillis quaſi auri ramentis e longinquo conſpicuam; ubi cum glacie concretum mare ubique offenderet, retro vela facere conſtituit, et ad ſocias naves reverti, quas in litore Tatarico fretum Naſſovium ab iis appellatum et Veigatiam petenteis reliquerat. A [g] Veigatia inſula, quae ad LXIX graduum altitudinem aſſurgit, ad Arauſionenſem inſulam tractus porrigitur VIII circiter graduum longitudine, inſulis continuis continentia ſpeeiem praebens, aut re vera continens; nam nondum conſtitit; cui Novae Zemblae nomen inditum. Ingreſſae fretum Naſſovium naves, cum ubique glacie velut horrentes montes obvios haberent, curſum inhibuerunt. Enchuſena longius per fretum provecta ad [h] Obini uſque et haud longe a [i] Tabino promontorio, angulo Tatariae exteriore curſum tenuiſſe ſibi viſa eſt, et ita poſt reditum Gulielmius retulit; qui licet Novam Zemblam ab ea parte, qua ad ortum expoſita eſt, luſtrare decreviſſet, inclinata jam tempeſtate communicato cum ſociis conſilio domum repetere ſtatuit. Itaque Veigatiam reverſi in ea repertam Inſulam Ordinum vocarunt, lapillis cryſtallo montano haud abſimilibus refertam. Inde ſolventes XVII Kal. Sept. octavo poſt die [k] Warhuſiam inſulam appulerunt, [l] Fimmarkiano ſeu Lapiano litori praeteoſam; ac tandem XVI Kal. Oct. Amſterodamum et Eochuſam incolumes redierunt, centeſimo quarto poſtquam Texela ſolverant, die: dein ex Gulielmii relatione eum Ordines ſpem concepiſſent, per fretum Naſſovianum infra Novam Zemblam iter ortum verſus per mare ſeptentrionale ad Indias reperiri poſſe, ſemel atque itetum eandem navigationem in ſequentibus annis tentarunt, de quibus ſuo loco dicemus.

XIII. IN Suecia, anno ineunte, Sigiſmundus Poloniae rex, eum ſuperiore autumno ad capeſſendum regnum hereditarium io patriam appuliſſet, ad inſignia regoi capienda diem Epiphaniotum regni Ordinibus Upſalae dixit. Erat in comitatu regis Franciſcus Malaſpina Urbini epiſcopus pontificius orator, qui ſolemneis ritus in regis coronatione uſurpari ſolitos peragere ſatagebat: quod ſi obtinebat, majorum religionis in regno inſtaurandae in ſpem erigebatur; idque ſummopere rex eupiebat. Sed ſenatus et regni ordines repugnabant, inſtigante praecipue Adamo [m] Andracano, qui in ſynodo proxima meoſe Martio celebrata Upſalenſis archiepiſcopus deſignatus fuerat. Is cootra majorum inſtituta ac regni leges fieri dicebat, ut alius, quam Upſalenſis praeſul, coronam regi imponeret, et ante omnia oportere, ut rex ſacramento adigeretur, quae de Auguſtana coofeſſione ante LXIV annos Carolo V exhibita, ſolaque in Succia recipienda poſtremis Guſtavi ſuae majeſtaris avi, et primis Joannis III parentis temporibus, tum ab regni ordinibus nuper Upſalienſi in concilio decreta fuerant,

ſe

INTERPR. [a] *Guillaume Berentſen.* [b] *Langenes.* [c] *Cap de Lombt-bay.* [d] *Iſles de l'Amirauté, & Guillaume.* [e] *Iſles de la Croix, & de Berenfort.* [f] *Cap de Naſſau, & Iſle d'Orange.* [g] *Iſle de Weygats.* [h] *Oby r.* [i] *Cap Tabin.* [k] *Wardhus.* [l] *Finmarck, Lappie.* [m] *Andrakan.*

ſe ſervaturum: nec templa ulla in urbibus alteri quam Auguſtanae confeſſionis religioni deſtinaturum. De cetero, cum in Suecia eſſet, ſolemni ſacrificio, quod in privato palatii ſacello celebraretur, intereſſe contentus eſſet. Ad hoc interceſſio Poloniae procerum, qui cum Sigiſmundo venerant, adhibita, et proteſtatio a regni ordinibus facta XV Kal. Febr. ac tandem quatriduo poſt, cum aliter non poſſet, Upſalae rex Adamo Andracano officio defungente regia inſignia cepit, et, Erico Sparre regni cancellario jurisjurandi formulam per ſolemnem ſtipulationem recitante, religioſe promiſit juſtitiam ac veritatem ſe ſervaturum, injuſtitiam ac mendacium jure potentiaque regia compreſſurum; jus aequum inter Suecos tam divites quam egenos ſecundum regni leges dicturum, regnum cum principe Carolo et regni Suecici ſenatu adminiſtraturum; conſilia cum indigenis non cum externis capturum; neminem extraneum in Sueciam aſciturum, neque regni arces, provincias aut Upſalae deſerta, ulli, niſi indigenae commiſſurum: nulla nova vectigalia regno impoſiturum, niſi neceſſitate exigente, ut cum exercitus extranei provincias regni vaſtabunt, aut ſeditio inteſtina urgebit, aut regis filius vel filia matrimonium contrahet, aut ad iter S. Erici ſive ſolemnem regni luſtrationem, aut ſarciendas arces, aut in deſertis Upſalae aedificandis quidquam neceſſarium requiretur. Praeterea omnia privilegia, libertates, immunitates proceribus, epiſcopis, et populo Suecico conceſſas confirmaturum, pacem ac tranquillitatem publicam procuraturum. Addita clauſula ſacramento, ***Ita Deus meae animae et corpori ſit propitius, ut haec omnia ex animo juro.*** His Upſalae peractis, et juſtis Joanni parenti perſolutis, Stocholmiae regni comitia indicta ac feriis Paſchalibus inchoata ſunt; in quibus de regni per regis abſentiam adminiſtratione leges ex Ordinum ſententia conſtitutae.

XIV. Eodem, quo Sigiſmundus inauguratus eſt die, Jacobo VI Scotorum regi Henrici filio, ex conjuge Anna Chriſtiani IV Daniae regis ſorore, filius natus eſt. Id continuo parens ſignificandum curavit regi Daniae ac reginae matri, Brunſvicis ducibus, et Ulrico [a] Megalopolenſi infantis proavo materno, per Petrum Junium olim ipſius pueritiae erudiendae cum Georgio Buchanano appoſitum. Miſſi a Megalopolenſi Joachimus [b] Braſſevicius, a Julio Brunſvico Adamus Cruſius, a rege Daniae ac matre ejus Chriſtianus [c] Barnicovius, et Steno Bildus. Decreta et ab Eliſabetha Angla legatio, cujus princeps fuit Robertus [d] Ebroicus Eſſexiae comes magno nobilium comitatu in Scotiam mox profectus. A Belgicis Ordinibus, qui et invitati fuerant, miſſi [e] Brederodius Vianae baro, et Jacobus [f] Valkius Ordinum quaeſtor ſupremus. Peractae luſtrici ſacri ceremoniae [g] Sterlini III Kal. Sept. et infanti Henrici-Friderici nomen inditum. Interea Sigiſmundus rebus in Suecia, ut potuit, ordinatis de reditu in Poloniam cogitans menſe Quintili claſſem XLIV navium Stocholmiae conſcendit, [1] et paucorum dierum ſpatio faucibus ſuperatis in [h] Pauſeenſem ſinum Viſtulae oſtio vicinum defertur; ibique paulum adverſa tempeſtate jactatus lenius adflante borea oſtium ſubit, ac ſacro beati Laurentii die flumine adverſo ſubvectus per [i] Motlavae pontem [k] Gedanum venit, ab epiſcopo [l] Vladiſlavienſi, aliiſque Poloniae proceribus, ac ſenatu urbis ſummo cultu exceptus. Inde poſt res per otium conſtitutas ineunte Septembri iter in Poloniam ingreditur, et per Poſnaniam, Cracoviam, quo comitia anno exeunte inchoanda indixerat, ire perrexit.

XV. Hoc anno Ratiſponae comitia Imperii celebrata, quae Februario a Caeſare indicta, deinde ob varias difficultates in Martium et mox Aprilem rejecta; tandem menſe

INTERPR. [a] *le Duc de Mecklenburg.* [b] *Braſſewitz.* [c] *Barnicow, & Steno de Biekilde.* [d] *D'Evreux comte d'Eſſex.* [e] *de Brederode baron de Vianen.* [f] *Valk.* [g] *Sterling.* [h] *Golfe de Pautzkerwick.* [i] *Motlaw.* [k] *Dantzick.* [l] *de Wladiſlau* ou *Cujavie.*

NOT. [1] *Chytraeus d'où ce lieu eſt pris dit,* et paucorum dierum ſpatio anfractibus illis ſcopulorum, quos *die Scheren* vulgo latine *Fauces* nominamus ſuperatis. *Put.*

menſe Maio inchoata ſunt. Miſerat eo legatos Philippus Carolum Philippum [a] Croium Havreci marchionem, D. [b] Hachſtenium praeſidem Lucemburgenſem, et Simonem [c] Grimaldium arcani ſenatus ſecretarium, qui de pace in Belgio conſtituenda agerent. Eo venerunt Wolfangus [d] Dalbergerus Moguntinus et Joannes Schombergius [e] Trevirenſis ſeptemviri, Saliſburgenſis archiepiſcopus, et Julius epiſcopus [f] Wirtſburgenſis, epiſcopus [g] Paſſavienſis, Philippus-Ludovicus Rheni Palatinus cum utroque filio, Maximilianus dux [h] Baioariae, Joannes Caſimirus [i] Saxo Coburgenſis, Georgius Ludovicus [k] Liechtenbergae princeps. Aderant et pontificis nomine Ludovicus Madrucius cardinalis legatus, Hieronymus [l] Porcius comes, Octavius [m] Myrteus Tricarici epiſcopus, Caeſar Speciaria Cremonae epiſcopus: reipublicae Venetae nomine Thomas Contarenus: magni Etruriae ducis Jo. Baptiſta [n] Concinus: pro Ferrarienſi M. Ant. [o] Riccius: pro Mantuae duce Aeneas Gonzaga: pro Ranutio [p] Parmenſi Jo. Fr. [q] Malaſpina: pro republica Genuenſi Laelius Coſta. Caeſar Praga, Maio ineunte, profectus, obviis principibus Imperii et ſenatu urbis, medius inter Palatinum et Baioarum Ratiſponam magna pompa ſub uraniſco ingreditur XVII Kal. Junias, et in templum eodem comitatu pedes introducitur. Inde poſt peractas more ſolemni preces et decantatum beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnum in epiſcopi palatium regie inſtructum deducitur. Poſtridie Willelmus Fridericus Saxo ſeptemviratus adminiſtrator, et Auguſtus [r] Holſatiae dux cum inſigni equitatu et XXX ciſiis ad comitia venerunt. Sequenti rurſus die Chriſtianus Anhaltinus princeps, exercitus auxiliaris ante biennium in Gallia imperator; et poſt eum Erneſtus Colonienſis ſeptemvir majore quam ceteri pompa, et quae peculiari libro deſcripta eſt, urbem inivit. Mox munera ſolita a ſenatu urbis Caeſari oblata, ſcyphus deauratus CCC taleris aeſtimatus, magna piſcium copia, plauſtrum I vino et II avena ceteriſque hujuſmodi rebus onerata. IV Nonas Junias factum comitiis initium, vocatiſque in palatium principibus et ordinibus, cum ſacrum celebrandum eſſet, Saxo ſeptemviratus adminiſtrator, cui ex officio incumbit enſem ſtrictum Caeſari praeferre, eum Joachimo Pappenhemio Imperii hereditario, ut vocant, mareſcallo, geſtandum tradidit, et in proximum conclave cum ceteris Auguſtanae confeſſionis ſociis tantiſper dum ſacrum perageretur conceſſit, quo peracto rurſus rediit, et enſem de Joachimi manu recepit, quem rurſus, poſtquam aſſedit, eidem tradidit. Friderici IV Palatini ſeptemviri, qui aberat, nomine, Fabianus [s] Donavius regulus: pro Joanne Georgio Brandeburgico item ſeptemviro Stolbergenſis comes. Ubi in ſolio Caeſar, ſeptemviri infra eum, aliique principes infra ſeptemviros locis deſignatis conſederunt, pro Caeſare verba fecit Philippus-Ludovicus Rheni Palatinus, Indicta ab eo comitia, ut de bello Pannonico, quod violatis induciis perfidus Chriſtiani hoſtis nominis majore quam antea mole urgeat, in commune conſultetur, gratiaſque habere Caeſarem Imperii principibus, qui tam frequentes hoc maxime neceſſario tempore aut ipſi aut miſſis legatis adſint. Tum Caeſar orditur, et poſt injurias Turcorum multis verbis exaggeratas petit, ut capita ab eo propoſita, et ſcripto admodum prolixo comprehenſa, coram recitentur, ad eaque mature reſpondeatur. Recitata ea per horam integram ab Andrea Hannibale primario Caeſareae majeſtatis ſecretario: quorum haec ſumma fuit. Ut certus ac ſtabilis exercitus adverſus Turcos decernatur, numero copiarum auxiliarium definito, et ordine belli gerendi, ac militari diſciplina conſtituta; camera Spirenſis inſtauretur, tumultuum Belgicorum ex Ordinum ſententia componendorum

ratio

INTERPR. [a] *de Croy marquis d'Havreck.* [b] *Hachſtein preſident de Luxembourg.* [c] *Grimaldi. Cayer le nomme Grimoalde.* [d] *Dalberger elećteur de Mayence.* [e] *Treves.* [f] *de Wirtzburg.* [g] *de Paſſau.* [h] *Baviere.* [i] *le Duc Jean Caſimir de Saxe-Coburg fils de Jean Frederic II duc de Saxe.* [k] *le Landgrave de Leuchtenberg.* [l] *il Conte Girolamo di Portia.* [m] *Mirti evêque de Tricarico.* [n] *Concini.* [o] *Ricci.* [p] *le Duc de Parme.* [q] *il Marcheſe Malaſpina.* [r] *Holſtein.* [s] *le Baron de Dhona.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

ratio ineatur. Poſtremo de moneta et Imperii [1] matricula deliberetur. [a] Moguntinus tanquam Imperii, per Germaniam cancellarius cum paucis reſpondiſſet, ad amplificationem Imperii, fineis regni Hungarici tuendos, aliaque neceſſaria principes ſemper paratos fore, neque officio defuturos oſtendiſſet; et Caeſar poſt actas rurſus gratias opus eſſe diligentia ac celeritate retuliſſet, tradito ſcripto, principes inter ſe deliberaturi diſceſſerunt. Dum ſtatis diebus et horis conſultant, ſeptemviri ordine Caeſarem ceteroſque Imperii principes ſolemni epulo exceperunt. Principium a Moguntino factum, cujus exemplo ſeptemviratus Saxonici adminiſtrator, et mox Colonienſis et Trevirenſis, et poſt eos Salisburgenſis archiepiſcopus atque alii ſecuti ſunt. Comitiis, praeter eos quos memoravi, interfuerunt Wolſangus Willelmus [b] Neoburgi Palatinus, Jo. Auguſtus Palatinus Lutzelſteinius, Willelmus ab Ottinga legatus Auſtriacus, Benedictus [c] Alfeltius Chriſtiani IV regis Daniae legatus, Albertus Furſtenbergius, Hermannus [d] Manderſchitius, Salentinus Iſenburgicus quondam Colonienſis ſeptemvir, Bruno Manſfeldius, et Willelmus Schuartzenburgus, comites; Wolfangus [e] Romphius major domus quem vocant, et Chriſtophorus [f] Popelus major camerarius, et [g] Tranſenus curiae mareſcallus, Georgius Limburgi regulus hereditarius ſacri Imperii pincerna, alii. Varia praeterea haſtiludia toto Junio et Julio ſequenti magna principum ac nobilium frequentia celebrata, propoſitis a ſeptemviris aliiſque principibus praemiis. Dein VI Eid. Quintil. Fridericus [h] Wirtenbergicus magno comitatu ƆC equitum ad comitia venit, in quo VIII comites, IV barones, et C amplius e nobilitate numerati ſunt, Wirtenbergico principatui a ſacro Imperio ſolo, non ab Auſtria domo, ſicuti deceſſores ſui, Ulricus, Chriſtophorus, temporum neceſſitati obſecundantes pactis initis conſenſerant, inaugurari petens, quod repetitis altius rationibus eum non Auſtriae domus, ſed Imperii beneficiarium eſſe contenderet. Eidibus Juliis ſolemni ceremonia Colonienſis a Caeſare inauguratus eſt, oſculo ad enſis, a Saxone ſeptemviro praelati et a Caeſare porrecti, capulum admoto. Tandem ad capita a Caeſare propoſita reſponſum, ſterilitate tot annorum impediri, ne tàm large in communi neceſſitate Imperio et reipublicae Chriſtianae ſubvenire poſſint. Tamen ut in parte communi deſiderio ſatisfaciant, XXC menſium ſtipendia ſe exſoluturos. Tempus et numerus et proinde ſumma non appoſita, ne arcanum Imperii evulgaretur. Decretum praeterea, ut Caeſarea majeſtas per legatos et literas ab aliis principibus exteris auxilium flagitet, nobilitatem, in quam non eſt libera Imperii indictio, maritimas civitates de auxiliis appeller. Dein de ratione imponendi ac colligendi tributi actum, conſtitutumque ut in omnibus provinciis et urbibus, oppidis, pagis Germaniae ante baſilicas gazophylacia ſtatuantur, et per concionatores ac curiones populus ad eleemoſynas in hoc bellum conferendas invitetur. Mandatum et iiſdem concionatoribus ac paſtoribus, ut cunctos ad poenitentiam ſedulo hortentur, et ad tintinnabuli pulſum ubique preces indictae quotidie concipiantur. Poſtea de pace Imperii conſervanda, quae multifariam a multis violetur, et de Belgii motibus componendis actum, placuitque ut colloquium rurſus inter partes inſtituatur; eique Caeſar per legatos ſuam interponat auctoritatem, et ſeptemviri legatos mittant, ut tamdiu ac tantopere expetita pax his in provinciis conſtituatur. Tum Simoni [i] Lippenſi negotium datum, ut auctoritate Caeſarea ac Imperii, Rhenani ac Weſtfalici circuli ordines convocet, rationemque cum iis ineat, qua non ad offenſionem, ſed ad defenſionem, continuae excurſiones ac populationes hoſtiles, quibus hujus belli occaſione miſere vicina Germania afflictatur, prohiberi poſſint. Poſtremo de juſtitia, moneta et matricula Imperii capita diſcuſſa, et quibuſdam ſuper iis pro tempore factis decretis, more

in

INTERPR. [a] *l'Electeur de Mayence.* [b] *Neuburg.* [c] *Alfeldt.* [d] *Manderſcheidt.* [e] *Rumpf.* [f] *Poppel.* [g] *Tranſen.* [h] *le Duc de Wirtemberg.* [i] *le Comte de la Lippe.*

NOT. [1] Matricula. C'eſt la taxe des contributions de l'Empire, ce à quoi chaque prince eſt taxé pour les contributions générales, & l'on en demande ſouvent la reformation à cauſe des abus qui s'y commettent. *Put.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

in comitiis uſitato, ulterior deliberatio in alios conventus rejecta. His tranſactis Caeſar finem comitiis fecit, principeſque alii alio diverſi abiere. Haud multo poſt res incidit, quae novis in Germania motibus paene occaſionem praebuit. Erneſtus-Fridericus marchio Badenſis Caroli filius, Erneſti nepos, per tranſactionem inter avum et Chriſtophori tutores anno CIↃ IↃ XXXVII factam, diviſo inter coheredes aere alieno ab avo contracto, conventum dicebat, ut ſi ob alterius aes alienum non diſſolutum alteri grave damnum adferretur, alteri liceret, alterius praefecturas aliquot tantiſper detinere iiſque frui, donec plene ipſi ac creditoribus ſatisfactum eſſet. Edvardus Fortunatus Chriſtophori ex Cecilia Guſtavi regis Sueciae filia natus, variis extraditiones ſuas peregrinationibus aetate conſumpta, tunc in Erneſti archiducis aula verſabatur, et partem aeris alieni ſuam diſſolvere neglexerat, ob idque Erneſtus, qui partem ſuam jampridem exſolverat, a creditoribus communibus jus ſuum, quod univerſum Badenſium marchionum patrimonium reſpiciebat, perſequentibus, inſigne ſe detrimentum accepiſſe cauſabatur. Inde occaſione ſumpta, dum Edvardus gentilis abeſſet, re antea cum praecipuorum oppidorum conſulibus, ut aiebat, communicata, et miſſis noctu ad Badenam, quae primaria ditionis ſedes eſt, [a] Eſlingam, Cuppenhemium, Stolovenam, Raſtatum et alia militibus citra ſanguinem loca incuſtodita occupavit IV Kal. Dec. ac poſtridie ne quid contra Imperii leges feciſſe videretur, ſcriptum evulgat, quo facti, quas dixi, rationes reddebat. Scribit et protinus in eandem ſententiam ad Caeſarem, factumque excuſabat; ob Edvardi debita et penſiones aliquot annis non ſolutas, ſe coactum ad extrema remedia deveniſſe, jure ſuo tranſactione ſibi permiſſo, ſe uſum eſſe dictitans. Verum excuſationes hae minime bonam in partem a Caeſare acceptae ſunt: quippe qui ſciret, odio Edvardi, qui ſacra majorum colebat, et ſecreta Proteſtantium, ditioni Badenſi ſubditorum, coitione factum eſſe, ut tot oppida nullo negotio in poteſtatem Erneſti veniſſent; et peſſimi exempli eſſe, ut quis in Imperio violenta alieni occupatione in propria cauſa ſibi jus dicat.

XVI. NEC Italia hoc anno metu vacua fuit, claſſe Turcica circum diſcurſante, quae quo tenderet, cum diu incertum fuiſſet, Veneti ad omnes caſus intenti claſſem inſtruunt XC triremium, ſervando ſinui [b] Hadriatico et Cretae deſtinatam; generalemque praefectum creant Jacobum [c] Foſcarenum; curatoremque ei attribuunt Marcum [d] Molinam, et XXX praeterea e ſuo ordine locupletioribus negotium dant, ut ſinguli ſingulas triremeis inſtruant. Quo cognito [e] Cicada claſſis Turcicae imperator a [f] Corcyrae conſpectu repente deflexit, ac in mare [g] Inferum deſcendens [h] Syracuſas petiit, ubi occulta de prodendo loco conſilia cum quibuſdam agitare putabatur. Auxit ſuſpicionem, quod praemiſſa a Cicada triremi et in portum provecta, cum ad arma ab oppidanis conclamatum eſſet, tormenta clavis confixa reperta ſunt, ob idque arcis praefectus ex illuſtri [i] Cerdarum familia captus ac [k] Panhormum ductus; cum probationes deficerent, tandem abſolutus eſt. Cicada ſpe ſua falſus in fretum [l] Mamertinum claſſem immiſit, et [m] Rhegium in Brutiis toties Turcorum praedationibus ab Hariadeno [n] Ahenobarbo ante LI annos, et novennio poſt a Dragute crudeliter vaſtatum, aggredi ſtatuit. Praemiſſus Mamuthus Raiſius cum V triremibus, qui exſcenſione ad [o] Catonam facta VI Eid. Jun. multos in agro oppreſſos in miſeram captivitatem abduxit, ſegetes late incendit, et quaedam navigia noſtrorum in litore vicino cepit: ad [p] Joannis-Pauli turrem, ad quam ſe ruſtici armati contraxerant, dein verſa vis, quam unus contra tot hoſteis duas horas defendit, quo tandem interfecto ceteri in loco capti ſub jugum miſſi ſunt. Poſtea miſſus Amurathes Raiſius cum VII triremibus, dum cum tota claſſe Cicada adveniret, nihil tentare auſus, ruſticis ubique

eum

INTERPR [a] *Eſlingen, Cuppenheim, Stolhoven, & Raſtadt.* [b] *Golfe de Veniſe, & Candie.* [c] *Foſcareni generale del mare.* [d] *Molino proveditor dell' armata.* [e] *Cigala Baſſa.* [f] *Corfu.* [g] *Mar Toſco.* [h] *Siragoça.* [i] *della Cerda.* [k] *Palermo.* [l] *Faro di Meſſina.* [m] *Reggio en Abruzzo.* [n] *Barbaroſſa.* [o] *la Catona.* [p] *Torre de Giovan-Paolo.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

cum armis per litus diſcurrentibus, et tanquam pro aris et focis fortiter pugnantibus; Tandem Cicada cum c circiter navigiis comparuit ineunte Septembri, ſubitoque Carolus [a] Spinellius a Joanne [b] Zunica prorege Neapolitano miſſus, qui vicina litori loca deſeri, omnemque ſupellectilem inde in continentem mediterraneum exſportari imperaret. Quod tam cito fieri non potuit, quin ſerici magna vis, cujus copia ingens his in locis conficitur, et nundinis anniverſariis in eo oppido diſtribuitur, ab hoſte capta ſit. Igitur locum vacuum ingreſſus praeda abacta ignem immittit, qui ſuborto borea quaſi flabello incitatus totum fere oppidum depaſtus eſt, vix ccc domibus ab incendio intactis. Interea inter Rhegienſeis et ruſticos, ſpectaculo diro irritatos, ac Turcos ſaepius pugnatum eſt, deteriore ſemper Turcorum conditione, qui fere tirones et imbelles ad terrorem tantum et diſtrahendas Chriſtianorum vireis, Italiaeque oram vaſtandam miſſi fuerant: nam praetoriani omnes et reliquum exercitus robur ad bellum Pannonicum ſepoſitum fuerat. Igitur repetitis ſaepius certaminibus multi ex Turcis caeſi; ex noſtris fere nulli; qui ſucceſſu audaciores, incitantibus eos patribus Capucinis, et voce et exemplo, nam nec ipſi certamen detrectabant, hoſtem toties repetitis aſſultibus fatigarunt, ut ad extremum in claſſem ſe recipere coegerint. Igitur poſt ignem iterum in oppidum immiſſum, ſuccisas paſſim per hortos arbores, templa ubique ſolo aequata, et ne quid ad ſummam immanitatem deeſſet, monumenta aperta et ſepultorum oſſa revulſa ac cremata, Cicada militem in claſſem revocat; et cum in anchoris per aliquot dies ſtetiſſet, rurſus militem in terram ad praedas abigendas exponit, et pari crudelitate ſuccisis paſſim arboribus et templis deſtructis graſſatur. Turci imagines et [α] ſimulachra ſummopere deteſtantur, ob idque maxime a nobis abhorrent, et barbara illa adverſus Chriſtianos immanitate uti in religionis parte ponunt. Igitur incenſis circum aliquot pagis milite in naveis accepto, neque ullo praeterea operae pretio facto, in altum vela dant. Diſceſſu claſſis ſecuritas reddita Italiae, et principes hoc metu liberati, de bello Pannonico tantum ſoliciti omnem operam dabant, ut Caeſari omne onus in ſe recipienti ſubvenirent. Veneti ex bonis eccleſiaſticis ſuae ditionis, ut pontificis permiſſu pecunia colligeretur, aſſenſerunt. Ferdinandus magnus Etruriae dux copias inſtructas tam peditum quam equitum in id contulit.

XVII. FERRARIENSIS autem inde occaſione ſumpta [c] Mutinae, Rhegii Lepidi, Carporum ut ditiones in [d] Caeſarem Ateſtinum agnatum conferrentur, magna auri vi depenſa a Caeſare impetravit. Paulo ante Romae de Hyacintho Polono, profeſſione Dominicano, qui jam inter ſuos ſumma in veneratione erat, inter divos ab eccleſia univerſali referendo actum eſt. Huic cognomines multi ſancti in eccleſia memorantur, quorum memoria in Kalendario Romano recolitur, ut Zotici, Irenaei et Hyacinthi; qui ſub Adriano via [e] Labicana decimo ab urbe lapide martyrii coronam tulerunt, IV Eid. Febr. Hyacinthi cubicularii Trajani, cujus et in Menologio Graecorum fit mentio, V Nonas Quintileis: Hyacinthi martyris, qui ſub Caſtritio praeſide, [f] Amaſtride in Paphlagonia variis cruciatibus tortus in carcere quievit, XVI Kal. Sextileis: Hyacinthi, qui primo in ignem injectus eſt, deinde in profluentem praecipitatus evaſit illaeſus, ac tandem a Leontio conſulari gladio percuſſus eſt Trajano imperatore, VII Kal. Sextileis: Hyacinthi, Alexandri ac Tiburtii in [g] Sabinis morte affectorum V Eid. Sept. et biduo poſt Proti et Hyacinthi eunuchorum, beatae Eugeniae, qui ſub Gallieno poſt varios cruciatus decollati ſunt: ac denique IV Kal. Nov. Hyacinthi, Quincti, Feliciani, Lucii, qui in [h] Lucania eandem coronam meruerunt. Hujus autem, de quo heic agimus, qui et Jacicus ſive Jacinctus a Martino [i] Crometo luculento patriae hiſtoriae

VAR. LECT. [α] ſimulachra tanquam ſuperſtitionum pabula ſummopere deteſtantur, mente ſola Numen colunt, profanoſque ducunt qui illud mortalibus materiis in hominum ſpeciem effingunt, ob idque maxime MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Spinelli.* [b] *de Zuniga.* [c] *Modena, Reggio, & Carpi.* [d] *Don Ceſare da Eſte.* [e] *Labicano.* [f] *Famaſtro.* [g] *la Sabina.* [h] *Baſilicata.* [i] *Cromer.*

riae ſcriptore nomine genti magis convenienti dicitur, ſit commemoratio, XVII Kal. Sept. quo die poſt exhauſtos pleroſque pro religione in Polonia et Ruſſia labores de exilio hujus vitae in coeleſtem domum commigravit anno ſalutis CIↃ CCLVII; de quo cum Sigiſmundus I olim apud Leonem X, et poſtea apud Clementem VII per legatos egiſſet, tandem ab eo impetratum eſt, dum res plenius excuteretur, ut altaria viro ſanctitatis gloria inter ſuos inſigni in Polonia erigerentur, ejuſque memoria in patrio Kalendario celebraretur. Idem apud Paulum III tentatum et inchoatum. Poſtea apud Paulum IV Sigiſmundus Auguſtus Sigiſmundi filius inſtitit, ut coeptum ſub Paulo III negotium perficeretur. Inſtitit et Stephanus rex ſub Gregorio XIII et Sixto V, et miſſo Staniſlao [a] Minſico hoc anno res tandem finem accepit. De vita Hyacinthi et miraculis, diligenti prius inquiſitione facta, retulit Alfonſus [b] Geſualdus ſacri cardinalium collegii princeps: poſtea frequentiori conſiſtorio, cui, praeter cardinaleis, patriarchae, archiepiſcopi, epiſcopi aliique praeſules interfuerunt, Cinus Campana de eo orationem habuit. Denique tranſacto negotio XV Kal. Maias pontifex in [c] Vaticana baſilica ſolemni ritu Hyacinthum ſanctorum catalogo inſcripſit, conditoque diplomate ejus rei publicam fidem fecit. Quae omnia R. F. Abrahamus Bzovius Cracovienſis ex eodem ordine cum plenius ac ſigillatim deſcripſerit, ad alia properans amplius heic commemorare ſuperfluum duxi.

CIↃIↃXCIV.
HENRICUS IV.

XVIII. Hoc anno menſe Februario ad meliorem vitam migravit, octogeſimum quartum annum ſupergreſſus, [d] Cadilliaci in arce ſua ad [e] Garumnam Franciſcus [f] Foxius Candala longe illuſtriſſima familia natus, quae tot reges, principes, praeſules ac praeſtanteis belli duces orbi Chriſtiano dedit; ſed eruditione ac moribus multo illuſtrior, qui modicam in literis inſtitutionem, feſtinata honorum in gentili aula prenſatione, jam in ipſa pueritia interruptam ſuopte ingenio ſupplevit, et quae vix alii optimis praeceptoribus praeeuntibus percipiunt, inſita ad artes ac praecipue mathematicas perdiſcendas natura facili, ita in teneris annis hauſit, ut earum amorem ac ſtudium toto longiſſimae ac honorificentiſſimae vitae curſu nunquam intermiſerit, et in illis multa adinvenerit, atque ad veterum ſcita ingenii facilitate addiderit, ultimo elogio ſummam pietatem et charitatem non ſolum erga genus humanum, ſed etiam erga literas teſtatus, cum et in antidoti ſalutaris a ſe reperti confectionem, ne ſumptu parcituri deterrerentur, et in mathematicam profeſſionem [g] Burdigalae inſtitutam annuum vectigal legavit. Opera ejus ad immortalitatem ſcripta, quamdiu orbis ſtabit, durabunt; et imprudens ſim, ni tanti nominis commemoratione immenſis laboribus noſtris decus addi ſperem: adde etiam ingratus, ſi, qui vivum, dum in [h] Aquitania eſſem, aſſidue colui, mortuo hac animi memoris teſtificatione non parentaſſem. Haud multo poſt pridie Nonas Maias [i] Plautus Beneius patrimoniali Etruriae oppido, cui [k] Aquae-pendenti nomen, natus, virtute et eruditione quam natalibus clarior, ex hoc mortali carcere ad ſempiternam evolavit felicitatem: vir candidis moribus ac miti ingenio, magnatibus ac literatis aeque gratus, qui, M. Antonio Mureto noſtrati opera Romae navata, tantum Latine ſcribendi facultate ſive verſibus ſive ſoluta oratione valuit, ut digniſſimus tanto praeceptore diſcipulus haberetur. Poſtea ſodalitio Jeſuitico nomen dedit, et Plauti, quod parentes indiderant nomen in Franciſci mutavit, et elegantiſſimis orationibus ac verſibus in ea ſocietate editis opinionem de ſe conceptam ſuperavit, hancque de ſe optime merito praeceptori gratiam rependit, ut hominem in literis humanioribus ſeneſcentem ad ſtudia pietatis provocaverit; quem et mortuum laudavit. Deceſſit Romae fere quinquagenarius. Claudius [l] Puteanus Clementis in ſenatu celeberrimi cauſarum patroni filius, hunc etiam annum morte ſua funeſtum

INTERPR. [a] *Minſick.* [b] *Geſualdo.* [c] *l'Egliſe de S. Pierre.* [d] *Cadillac.* [e] *la Garonne.* [f] *de Foix comte de Candale.* [g] *Bourdeaux.* [h] *Guienne.* [i] *Plauto Benci.* [k] *Aqua-pendente en Toſcane.* [l] *Du Puy.*

CIƆ IƆ XCIV.
HENRICUS IV.

funeſtum fecit, haud multo Bencio junior, qui a puero ſub optimis magiſtris Joanne [a] Stracelio, Hadriano [b] Turnebo, Joanne [c] Aurato, et poſtea Dionyſio Lambino literis operam dedit. Inde jus civile ſub principe juriſperitorum Jacobo Cujacio didicit, et variis in peregrinationibus doctiſſimorum toto orbe virorum familiaritate uſus; [d] Urſini, Victorii, Manutii, Sigonii, ipſorum teſtimonio meruit, ut primas inter literatos teneret, honorifice ubique in eorum ſcriptis appellatus, nam nihil ſcripſit; judicioque peracri, quo in cenſendis aliorum ſcriptis plurimum valebat, potius alienae gloriae quam propriae ſervivit. Demum in ordinem ampliſſimum cooptatus, ut in literatorum conſeſſu ſic in illo ſenatu principem locum facile tenuit, cunctis ejus incorruptam probitatem, in enodandis juris quaeſtionibus profundam doctrinam, in ſolvendis litium tricis ſolertiam ſtupentibus: arctiſſimam in Italia amicitiam coluit cum Joanne Vincentio [e] Pinello patritio Genuenſi, omni literarum genere ac rerum cognitione viro excultiſſimo, et philologorum fautore eximio; quam crebris officiis, poſtquam domum rediit, ſemper renovans ad mortem uſque ſervavit. Bellorum civilium incommoditates domo pulſus conſtantiſſime pertulit, ac ſine ulla privati ſenſus ſignificatione, in moderata fortuna ingenteis ac ſupra conditionem generoſos ſpiritus gerens, ut quanquam numeroſa prole auctus, tamen alieno prorſus ab omni quaeſtu animo vixerit, omnemque rei domeſticae curam dilectiſſimae conjugi [f] Claudiae Sanguineae tanquam ſe indignam reſignaverit. Ad extremum morbo ſtudioſis fatali correptus eſt, ingenti calculorum ſtrue, velut rupe in renibus enata, quae, meatibus intercluſis, ventriculum ſubverit, et optime de republica meritum civem, mihi proxima quidem cognatione cum ejus uxore, ſed arctiore ſtudiorum et voluntatum conſenſione longe cum ipſo conjuncto, et bonis omnibus Kalendis Decembribus eripuit. Elatus eſt ſenatorio funere et ad beati Sulpitii in paterno monumento conditus, veris prius laudibus a viro laudatiſſimo Achille Harlaeo ampliſſimi ordinis principe in ſenatu laudatus; et poſtea multis multorum carminibus epitaphiis, quae a Chriſtophoro, Auguſtino, Petro, digniſſimis tanto patre filiis, publicata ſunt, deploratus. Annum fere clauſit mors Gerardi Mercatoris [g] Juliaco oriundi, et [h] Rupelmondae in Pleumoſiis nati, qui [i] Silvae-ducis ſub Georgio [k] Macropedio primis literarum rudimentis initiatus, poſtea Lovanii philoſophicis ſtudiis ac mathematicis dein artibus ſe totum mancipavit, et admodum juvenis ad ſculpendas tabulas animum applicuit, Gemma Friſio praeceptore et auctore; atque inde in familiaritatem Caroli V venit, inſtrumentis mathematicis mira arte ejus juſſu fabricatis, quae bello contra Proteſtanteis ſuſcepto, dum Caeſar caſtra ad Ingolſtadium haberet, fortuito incendio liqueſacta ac conſumpta ſunt. Poſtea Lovanio [l] Duisburgum cum uxore ac liberis migravit, et in familia illuſtriſſimi Willelmi Cliviae ducis honoraria ſtipendia fecit, et Cl. Ptolemaei tabulas reſtituit, ac elegantiſſime deſcripſit. Cumque de edendis totius orbis tabulis jam a ſe elaboratis cogitaret, cognito Abrahamum [m] Ortelium idem opus urgere, inchoatum laborem inhibuit, donec Ortelius exemplaria omnia ſua diſtraxiſſet, ne aut induſtriae aut commodis viri amiciſſimi praecipitata ſuorum editione officeret. Poſtea jam inclinata aetate ad theologica ſtudia animum adjecit, et harmoniam evangelicam et alia in ſacros libros conſcripſit, cum chronologiam antea ſcripſiſſet ad Solis et Lunae curſum exactiſſime putatam; quam [n] Onufrius Panvinius harum rerum acerrimus judex tanti fecit, ut omnibus ab aliis ubicunque editis praeferre non dubitaverit. Tandem vir tot laboribus pro re literaria exantlatis bene meritus ſenio confectus Duisburgi, ubi larem poſuerat, deceſſit IV Non. Dec. cum annos LXXXII, menſes VIII, et XXVIII dies exegiſſet. Nec ſilentio praeteriri debet Orlandus [o] Laſſus rei muſicae praeſtanti ſcientia noſtra

INTERPR. [a] *Stracelles.* [b] *Turnebe.* [c] *Dorat, & Lambin.* [d] *Orſino, Vettori, Manutio, & Sigonio.* [e] *Pinelli.* [f] *Claude Sanguin.* [g] *Juliers.* [h] *Rupelmonde en Flandre.* [i] *Boiſleduc.* [k] *Macropedius.* [l] *Duisbourg.* [m] *Ortels.* [n] *Onofrio Panvini.* [o] *Laſſo.*

noſtra aetate clariſſimus, [a] Bergis in Hannonia natus; nam haec praecipua Belgii laus eſt, quod ſemper inter alias nationes excellentibus rei muſicae doctoribus abundavit; is, fato excellentium ſymphoniacorum, adhuc puer ob vocis ſuavitatem aliquoties plagio raptus. Cum Ferdinando Gonzagae in Sicilia et [b] Mediolani operam aliquandiu navaſſet, dein Neapoli et poſtea Romae jam grandior biennium praefuiſſet, poſt peregrinationes in Galliam et Angliam cum Julio Caeſare [c] Brancatio ſuſceptas, tandem in Belgium rediit, aliquot annis Antuerpiae verſatus, unde ab Alberto Baioariae duce evocatus, larem in ejus aula fixit, et uxorem ducit. Poſtea a Carolo IX rege magnis praemiis invitatus, ut muſici chori ſui, quem generoſus princeps circa ſe ſemper lectiſſimum habebat, magiſterium ſuſciperet; cum in eo eſſet, ut familiam et fortunas ſuas in Galliam transferret, ſuperveutu mortis Caroli, de via, in quam jam ſe dederat, revocatus. Rurſus quam Alberto parenti, eandem Gulielmo ejus filio operam addixit, et cantionibus harmonicis tam ſacris quam profanis omnium linguarum paſſim XXV annorum ſpatio editis celebratiſſimus, matura morte Monaci hoc anno III Nonas Junias deceſſit, cum LXXIII exceſſiſſet. Poſtremus dicetur Cornelius [d] Bonaventura Bertramus, Thoartio, nobiliſſimo [e] Tremolliorum oppido in [f] Pictonibus honeſta familia natus, qui Lutetiae prima literarum fecit ſtipendia, ſub Hadriano Turnebo, et Jo. [g] Stracelio, dein ſub Angelo [h] Caninio orientalium linguarum peritiſſimo, Hebraicae operam dedit: inde Toloſam et [i] Divonam Cadurcorum profectus, juris civilis ſcientiae incubuit, atque interim linguam Hebraicam a Caninio praeceptam cum Franciſco [k] Roaldeſio tunc temporis jus civile in ea academia profitente penitius imbibit; cumque vix in tumultu Cadurcenſi, de quo ſuo loco diximus, infeſtas perſequentium manus effugiſſet, Genevam ſe contulit, biennioque poſt ſedem vacuam per A. Rodolfi Cevallerii, de quo pariter ad annum LXXII locuti ſumus, abſentiam, nactus, linguam Hebraicam publice in ea urbe docuit, ac ſub id tempus Theſaurum Santis Pagnini magna acceſſione ex obſervationibus Joan. [l] Merceri, ipſius [m] Cevallerii ac ſuis locupletatum edidit; necnon et Hebraicae linguae et Arameae comparationem, et de politia Judaica commentarium, qui ex omnibus ejus operibus maxime commendatur. Poſtea relicta Geneva [n] Frankentalam in Palatinatu profectus anno LXXXVI, in ſuo munere aſſiduus, lucubrationes Frankentalenſeis a loco dictas publicavit; ac tandem a [o] Bernatum republica [p] Lauſanam evocatus, in publica profeſſione anno climacterico ſuo defecit. CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

XIX. Hoc et anno [q] Bollenſis fons medicatus in Suevia frequentari coepit juxta [r] Goëpingam, nec longe a [ſ] Kirchena ditionis Wirtembergicae oppido, olim vicanis tantum cognitus [t] Zitterenae nomine, quod tremori membrorum prodeſſe crederetur, aut quod loca uliginoſa, in quibus ſcaturit, ſuper ea ambulantibus tremere videantur. De eo cum ad principem Fridericum Wirtembergicum eſſet allatum, locum amplius veſtigari, et puteo effoſſo purgari, balneoque et canalibus ac vaporario ad lavacri et potus uſum egregie exſtructis, domo ampla inſuper addita, et Pharmacopoeia ornandum curavit. Salutaris aquae probandae biennio poſt negotium Jo. [t] Bauhino Monpelicardenſi medico demandatum fuit, qui Georgii [u] Gadueri et Pantaleontis [v] Kelleri opera uſus, per diſtillationes et chymicam experimento facto comperit fontem hunce tepidum per lapides ſciſſileis admirandarum figurarum, gagatae, pyritae, belemnitae; praeterea argillae et terrae ſigillatae venas tranſire, et ſale, alumine, et chalcantho temperari; quodque in eo bituminis et ſuccini nigri ſupernatat, in ſulfur reſolvi: quod et amplius exſecutus eſt, copioſo ſcripto ea de re edito, ad quod rerum naturalium ſtudioſos remittimus.

JACOBI

INTERPR. [a] *Mons en Hainaut.* [b] *Milan.* [c] *Brancaccio.* [d] *Bonaventura Bertran de Thouars.* [e] *de la Tremoille.* [f] *Poictou.* [g] *Stracellet.* [h] *Caninio.* [i] *Cahors.* [k] *Roaldez.* [l] *Mercier.* [m] *Chevalier.* [n] *Franckenthal.* [o] *Canton de Berne.* [p] *Lauſanne.* [q] *Fontaine de Boll en Souabe.* [r] *Geppingen.* [ſ] *Kirken.* [t] *Zitteren.* [t] *Bauyn de Montpellier.* [u] *Gader.* [v] *Keller.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS.

EPITOME.

BELLI Pannonici initia, cui Matthias Caeſaris frater praeficitur. Novigradum obſeſſum, et poſt primam oppugnationem repulſam Palſii interventu deditum. Varkucius ad Moſcum miſſus. Loca pleraque a Serinio comite capta. Tiſſenbachius obviam Turcis venientibus proficiſcitur, et ad Jaſprini pontem bis mille ad internecionem delet. Jaſprinum deditum. II. *Coacto exercitu Strigonium Matthias ducit. Urbis triplicis ſitus. Urbs poſt irritam primam oppugnationem capta. In Aquenſi civitate haeſit victoria, et tentata oppugnatione noſtri cum damno repulſi. Raſcianorum origo. Bulcorum ſucceſſio, et tandem a Turcis deleta gens, qua extincta Raſcii ſub jugum Turcicum reciderunt. Multa adverſa in illa obſidione Auſtriacis accidunt. Sinane adventante diſceſſum urbe, quae capta fuerat, et ſancti Thomae munitionibus valido praeſidio firmatis. Maximiliani Matthiae fratris in Croatia res geſtae. Petrina vi capta. Craſtoviza et Siſacum a Leucovitzio in poteſtatem redacta.* III. *Sinan cum* C *bellatorum* CIↃ *et* LXCIↃ *Tatarorum incedit. Strigonio praeſidio firmato, ad Tatanum poſita caſtra. Locus ut et Martini-fanum in poteſtatem hoſtium venere. Javarinum a Sinane obſidetur. Urbis ſitus et munitiones. Comara inſula omnium in Danubio ampliſſima.* IV. *Joannes Medices cum delectis in caſtra venit. Feliciter primo a noſtris pugnatum. In Zigethi inſulae oppugnatione cum praeſidiarii deficerent, reſtitutum a Joanne Medice certamen, et Turci cum gravi damno repulſi. Tatari in fluminis tranſitu a Montano et Palſio profligati. Sigiſmundus Bathorius Daciae deſpota circa Temeſvaram cum Raſciis ſuis contra Turcos rem gerit. Tandem obſeſſi cum hoſte* VI *Kal. Oct. tranſigunt.. Amiſſo Javarino Pappa deſeritur. Hardecus, qui deditionem fecerat, proditionis inſimulatus ſtatim in cuſtodiam datur. Proditionis argumenta.* V. *Comaram oppugnandam aggreditur Sinan. Oppugnationis ordo. Auxiliis ſupervenientibus Sinan conatum omittit.* VI. *Sigiſmundus Bathorius Tranſilvanus contra Stephani patrui conſilium tributum a deceſſoribus ſuis cum Turco pactum negat, et male conſultus ſe pernicioſo cum potenti hoſte bello implicat. De Dacia in libertatem, excuſſo Turcorum jugo, vindicanda actum. Alfonſus Carillus e ſodalitio Jeſuitico nutantem Bathorium ad bellum inclinat. A gentilibus ſuis et proceribus ad eum principatu exuendum inita ſecreta conſilia. Walachiae et Moldaviae deſpotae ad Sigiſmundum deficiunt. Ad Temeſvaram caſtra poſita. Tatari domum redeuntes a Palſio caeſi. Coſacorum licentia immanis ſub Sigiſmundo triſte de belli contra foedus ſuſcepti augurio praeludium fuit. Carillus ad Caeſarem miſſus Mariae Chriſtiernae Caroli patrui filiae nuptias cum ipſo Sigiſmundo firmat, et auxilia adverſus Turcos petit.* VII. *Apud nos Durocortori Rhemorum Sanpaulus Guiſii manu* VII *Kal. Maias interficitur. Jactati ea de caede varii ſermones: et maturata inde Guiſii cum rege reconciliatio.* VIII. *Lutetiae*

cum

cum academiae ordines conveniſſent, litis tot annos comperendinatae judicium urgetur, et vocatis in jus Jeſuitis de iis e ſuo gremio omnino expellendis agitatur. Quod magno conſenſu tenuit. Secundum haec libellus ſupplex ſenatui porrigitur. Cardinalis Borbonius, et Nivernius qui ſcholam Jeſuitarum Nivernii habebat, per libellos ſupplices intercedunt. Eorum petitione tanquam incivili rejecta, cauſa occluſis foribus in ſenatu agitata. IX. *Et cum Cl. Duretus quaedam pro iis praefatus eſſet, Antonius Arnaldus academiae nomine contra eos acri oratione peroravit.* X. *Ludovicus Dolaeus pro curionibus urbis verba fecit, nec minore gravitate ab ſenatu petiit, ut ſi Francia non pellantur, ſaltem ſacramentorum adminiſtratione, omnique alia, quae ad curiones ſpectat, ſunctione in poſterum interdicantur.* XI. *Cum pauca Duretus dixiſſet, Petrus Barnius Claromontanus collegii ſyndicus commentarium prolixum publicat, quo ad ſingula objecta inficiatione aut elevatione reſpondebat.* XII. *Tandem cauſa iterum perendinata.* XIII. *Joannes Paſſeratius profeſſor regius orationem declamatoria libertate et amarulenta dicacitate contra eos habuit.* XIV. *Cardinalis Borbonii ex moerore ſub id mors.*

Ex auctoribus,

Rerum Hungaricarum publicatis relationibus, Caeſare Campana, D. Chytraeo, Actis publicatis, Orationibus Ant. Arnaldi et Lud. Dolaei, Archivis curiae Pariſienſis, Petro Barnio, Jo. Paſſeratio.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS.

BELLUM [a] Pannonicum nunc aggredior, quod vario eventu, ſed majore noſtro, quam hoſtium damno geſtum eſt. Erneſto in Belgium diſcedente Maximilianus archidux a Rodolfo Caeſare fratre Croatiae ac Carinthiae, Matthias exercitui, praepoſitus fuerat. In eo erant x cIↄ equitum et II cIↄ ſcloppetariorum equitum, peditum xx cIↄ, Engilberto [b] Curtio, Rosſango [c] Erlaco, Jo. Rodolfo [d] Schenevio, Gacio [e] Colero Caeſareo quaeſtore, Andrea [f] Riedmano, Jo. [g] Mumpurgo, ducibus: ceteri ex Auſtria et [h] Marcomannis ſuppeditati erant; qui, ut animos noſtris facerent, ineunte anno delectos miſerunt, qui Viennam triumphali pompa ingreſſi ſpolia Turcorum praeferrent, equos, ephippia auro argento egregie ornata, xxx machinas bellicas, enſeis Turcicos, galeas, ſcuta, arcus. His belli mox futuri quaſi praeludiis ſucceſſit conſultatio, unde belli initium faciendum videretur, Februario exeunte [i] Javarini a Matthia cum belli ducibus habita; qui ut a diverſis principibus miſſi, et quaſi diverſis auſpiciis rem gerentes, ita quoque ſtudiis et ſententiis inter ſe diſſidebant. Univerſis fere placebat, ut munitus locus primum peteretur pro belli arce deinceps futurus, ſitu et annonae commoditate ita firmus, ut et noſtra a tergo tutari poſſet, et ulterius progredientibus ad tutum receptum paratus eſſet. Verum in eo deſignando minime conveniebant. Alii ſiquidem Budam regni caput, qua capta terrore late ſparſo cetera loca in poteſtatem ventura ſperabantur. Alii Albam-regalem; alii denique Strigonium, urbes Javarino proximiores, petendas cenſebant. * Erant et qui ad famam pertinere dicebant, ut ante omnia Veſprinium et Palota nuper amiſſa recuperarentur.

CIↄIↄXCIV.
HENRICUS IV.

Cum

INTERPR. [a] *de Hongrie.* [b] *Curtz.* [c] *d'Erlach.* [d] *Schenewi.* [e] *Koler.* [f] *Riedman.* [g] *Munpurg.* [h] *Moravie, & Boheme.* [i] *Raab.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

Cum vix tandem annitente Matthia de [a] Strigonio conveniſſet, quod et urbs Danubio impoſita aditum ad Budam et Peſtum aperiret, et annonae per flumen faciliorem redderet ſubvectionem; tamen rurſus novae difficultates inciderunt, quod nivibus vix ſolvi incipientibus corrupta itinera, et muniendis caſtris tempeſtas nondum commoda videretur. Itaque Novigradum trans flumen, paulo longius ab eo poſitum oppidum, dum coeli intemperies miteſceret, prius peti placuit, quod ex eo hoſtes crebro excurrerent, Strigonium obſeſſuris non parum incommodaturi. Locus eſt ſaxo non ita arduo impoſitus, qui late ſubjectos campos deſpicit, muro valido ac pomoerio firmo cinctus, foſſa in ſaxo excavata lata ac profunda, et contra cuneos ac ſuffoſſiones tuta. Inſuper quod iis in regionibus frequens eſt, palis duplici ordine defixis tanquam altero muro vallatus erat. In eo erant IↃ Turci ſub duobus praefectis, altero Novigradi ipſius, altero [b] Albae-regalis, quae hinc VII leucis abeſt. Nonis Martiis coepta obſidio; ac poſtridie Matthias in caſtra venit, advectis XII machinis. Pulſato loco et oppugnatione ad palorum murum facta, a qua noſtri repulſi ſunt; defenſores ſive a Budenſi purpurato moniti, ſive quod de loco tuendo adempta auxiliorum ſpe deſperabant, colloquium poſcunt, et conditiones proponunt, quas plerique rejiciebant. Nam prima belli initia fama conſtare, et hoſti, ne in defendendis hujuſmodi locis animum obfirmet, exemplo terrorem injiciendum. Tamen cum Turci vitam potius quam libertatem amittere ſe paratos oſtenderent, Nicolai Palfii interventu tranſactum eſt VI Eidus his conditionibus, ut miles ſine armis, praefecti armis cincti, vita ſalva dimitterentur. Quos tamen Sinan, ut et [c] Filechi praefectum, poſtea ob rem male geſtam exauctoravit; atque ut quidam ſcribunt, in furcam egit. Dedito loco mox ſecuti foedi imbres tanta venti violentia glomerati, ut pontem inter Budam et Peſtum a Turcis in Danubio ſtratum diſruperint. Exercitus ad reficiendum ſe [d] Palancum ſeceſſit. [e] Leva et Neitra vix tranſmiſſis et diu in coeno relictis tormentis; tandem Matthias [f] Javarinum incolumis reverſus eſt. Miſerat paulo ante Varkucium ex [g] Quadis nobilem adoleſcentem ad Theodorum magnum [h] Ruſſiae ducem Caeſar, qui ſumma humanitate a Moſco acceptus eſt, ingenti pecunia praeſenti et ſingulis annis numeranda Caeſari promiſſa, modo ne pacem aut inducias cum Turcis faceret. Erat in eadem aula, cum Caeſareus orator appulit, Perſicus legatus, ut de bello cum Turcis gerendo ageret, miſſus; qui cognito Caeſarei oratoris adventu, Moſci permiſſu cum eo agere voluit, et religioſe recepit Sultanum Perſarum, ſi Caeſar in bello contra Turcum conſtanter perſeveraret, ab armis non diſceſſurum. Inde poſt ambitioſe oſtentatas opes, muneribus, et [i] zibellinis pellibus pretioſiſſimis donatus Varkucius tandem dimittitur. Interea [k] Serinius comes Caniſa profectus cum VIII CIↃ peditum et delecto ex Stiria equitatu [l] Preſenam ab hoſte deſertam et incenſam recepit, copiis tantum in loci conſpectu in aciem inſtructis. Nam pauci Turci in loco inventi a furente milite ſtatim trucidati ſunt. Eodem impetu [m] Segeſſa, Seſchinum, et Copanum a Turcis relicta a Serinio occupantur. Inde copias omneis [n] Baboſcam VI Kal. Aprileis ducit, loco paludoſo ſitam, quam a praeſidiariis metu perculſis deſertam mox in deditionem accepit, tuto et expedito ad [o] Zigethum uſque itinere. Diverſa parte Chriſtophorus [p] Tieffenbachus Caſſoviae praefectus ad [q] Hatavanam VI leucis a Peſto diſſitam trans Danubium ad [r] Zagivam amnem poſitam caſtra ponit XVI Kalendas Maias, eo conſilio, ut arce capta Zolnocum peteret munitiſſimum caſtellum, ubi Zagiva in [s] Tibiſcum exoneratur. Loco pulſato et ruina edita cum difficilis ad eam acceſſus videretur, cognito Budenſem

INTERPR. [a] *Gran.* [b] *Stul-Weiſſenburg.* [c] *Fileck.* [d] *Palanka.* [e] *Lewa, & Nitria r.* [f] *Raab.* [g] *Sileſie.* [h] *Moſcovie.* [i] *Martes zibellines.* [k] *le Comte de Serin.* [l] *Preſenz.* [m] *Segeſſa, Seſchin, & Koppan.* [n] *Babotzka.* [o] *Zighet.* [p] *le Baron de Tieffenbach.* [q] *Hatwan.* [r] *Zagywa.* [s] *la Teiſſe.*

[a] Budenſem purpuratum, praetorem Graeciae; et [b] Giulae ac vicinorum praeſidiorum praefectos cum XIII armatorum CIↃ, jam in itinere eſſe, ut laborantibus ſuis ſuccurrerent, Tieffenbachus venientibus occurrendum ratus obſidionem ſolvit, et ad Jaſprini pontem contra Turcos cum X bellatorum partim equitum, partim peditum CIↃ conſedit; diſpoſitis tam idoneo loco tormentis, ut poſt obſtinatum trium horarum certamen, tandem tormentorum ictibus infeſtati hoſtes ſenſim ſolvi, ac poſtremo in fugam verti coeperint. Bis mille ex iis deſiderati, et in iis Giulae praefaectus, nulli capti; quod ita inter noſtros conveniſſet: Budenſis graviter vulneratus, et praetor Graeciae, qui fugae principium feciſſe dicitur, periculum cum ceteris evaſerunt. Captae XIII campeſtres, IV murales machinae, XXIV ſigna, et ingens praeda armorum parta. Ex noſtris LX occiſi, IↃC circiter ſauciati. Id incidit io Kalendas Maias. Tantam victoriam ſecuta eſt Jaſprini muniti admodum caſtelli deditio. Summiſſi mox bis mille IↃ Tieffenbacho a Matthia ad ſupplendas ejus valde immioutas copias.

II. TANDEM ad [c] Strigonium cum toto exercitu ire placuit. Urbs eſt triplex, archiepiſcopali dignitate per Pannoniam inſignis, ad dextram Danubii ripam poſita, inter [d] Javarinum et Budam; a Solimano, LI anni elapſi ſunt, poſt trinam oppugnationem deditione tandem capta. Vetus civitas Javarinum reſpicit, oova Budam, haud plus baliſtae jactu inter ſe diſparatae. Medius mons interjacet, cui a [e] Thomae-fano oomen; ex quo in civitatem oovam deſpectus eſt, et uni ex ejus portis imminet. [f] Vetus a Raſcianis populis circumpoſitis nomen ſortita, exiguo Danubii brachio impoſita eſt, quod parvas inſulas duas facit. Nova [g] Aquenſis vulgo dicta ad [h] radices montis jacet, qui ab ortu in occaſum porrigitur, milliaris unius ſpatio, undique praeruptus, maxime ab ea parte, quae flumen ſpectat, et ab ea, quae Thomae-fano oppoſita eſt; qui ambo non ita diſſiti ſunt, quin tormentorum ictibus hinc inde ejaculantium infeſtari poſſint. Mons novae imminens arcem habet munitiſſimam et ſitu et arte, a Turcis vallo et propugnaculis egregie firmatam. Ex quibus praecipuum illud eſt, quod in adverſa trans flumen ripa forma quadrata exſtructum eſt, cui [i] Gokarae nomeo, ad Granum ſitum; qui fluvius ex [k] Carpathiis montibus labens hoc loco in Danubium ſive Iſtrum influit. Et inde Strigonium quamvis in citeriore ripa poſitum quidam putant dictum, quaſi Iſtrigranium: cui firmandae opiniooi addunt, quod civitas etiam vulgo hodie Granum, eodem quo fluvius nomine, vocatur. Ex Gokara ad civitatem per medium Danubium pons ſtratus erat, ut navigatio noſtris impediretur, et liberior hoſti hinc inde commeandi et auxiliareis ab ulteriore ripa accipiendi facultas eſſet. Ad veterem urbem a Matthia caſtra poſita ab illa parte, quae meridiem reſpicit, valida ſtatione ortum verſus collocata cum tormentis, ad intercipendos Buda venienteis auxiliareis. Prope novam Franciſcus Saxo Lauemburgicus ſe munivit, ad prohibendas ab ea parte eruptiones. Pulſatis e duobus locis acri verberatione muris, tentata VIII Eidus Maias oppugnatio; a qua noſtri cum damno repulſi ſunt. Sed triduo poſt Raſcianis, ita provincialeis vocant, ex compacto cum oppidanis poſticum aperientibus, dum Turci ad collem vitiferum diverſa parte pugnarent, noſtri urbe ſub veſperam primo crepuſculo potiti ſunt. Semiuſta fere ea reperta ex incendio in turrim S. Adelberti per globos ignivomos a Chriſtianis ante oppugnatiooem immiſſo. Oppidani in fidem accepti, Turci omnes trucidati; urbis praeſidio relicta II Germanorum ſigna, IↃC Pannonii praeter CCC Raſcios et oppidanos Chriſtianos. Suburbium omnino incenſum. Inde ad arcem verſa vis, vallo ducto et tormentis admotis, ſed irrito conatu. Poſtea feliciore ſucceſſu munitiones

INTERPR. [a] *Baſſa de Bude, & Beglerbey de la Romelie.* [b] *Gyula.* [c] *Gran.* [d] *Raab.* [e] *S. Thomas.* [f] *Ratz*, Germ. *Ratzenſtadt.* [g] *Ville d'eau*, Germ. *Waſſerſtadt.* [h] *au pendant d'une haute montagne.* [i] *Geckeren.* [k] *de Grapack.*

munitiones ad Fanum-Thomae caſtructae a noſtris tentatae et expugnatae ſunt, deleto ad internecionem praeſidio. In Aquenſi civitate haeſit victoria. Nam cum x Kalendas Junias ex noſtris delecti noctu interulis ſumptis oppugnationem tentaſſent, poſt ruinam reperta ingenti praeter ſpem foſſa, gravi cum damno accepti ſunt, amiſſis plus IↃ CCC; et quanquam ter repetito certamine ad extremum pulſi ſunt. Inde animi obſeſſis rediere, nuncio de Sinanis purpurati brevi cum exercitu venturi accepto; qui Tatarorum ab Amurathe evocatorum ingentibus copiis ſubnixus, modicis itineribus incedebat. • Magnum is navigiorum numerum undique collegerat, ſtruendo in Danubio ponti deſtinatorum, et magna apparatus bellici vi onuſtorum, in quae, indiligentius cuſtodita, Raſciani, locorum gnari, aſtu invadentes partem ceperunt, partem incenderunt. Magno id uſui noſtris fuit, tantiſper retardato Sinanis adventu, et pulvere, pilis ac reliquo apparatu bellico in caſtra comportato, et inter milites diſtributo. De Raſciis, quoniam heic eorum mentio et deinceps crebra occurret, pretium videtur, ut aliquid obiter dicatur. A Roſſis ſive Roxolanis originem nominis habuerunt. Itaque Roxionos melius dici cenſuit Leunclavius, harum rerum auctor peritiſſimus, et in Moeſia ſuperiore, in qua Triballi, hodie Servii, ſedem fixerunt, deſpotiſque diu paruerunt; quorum princeps memoratur a Laonico Chalcondyla Lazarus ſive Eleazarus [a] Buleus, qui a Stephano Bulgarorum rege regionem Iſtro adjacentem nactus eſt, ac deinde reductis in poteſtatem aliis ditionibus ad Savi uſque oſtia fineis propagavit. Hunc anno CIↃ CCC XC in proelio captum, et vindicandae Amurathis I mortis cauſa coram Bajazete filio fruſtulatim conciſum, tradunt annales Turcici. Huic Stephanus filius ſucceſſit ab Amurathe II omni ditione ſua anno XXXVII poſt ſpoliatus. Filium is reliquit Georgium Buleum, cujus ſoror Bajazeti [b] Ceranno ſive Laelapi ad firmandam amicitiam nupta fuerat: ipſe Mariam filiam, ut arctiore nexu praepotentem vicinum ſibi devinciret, Amurathi II deſpondit. Sed cum de imperii cauſa ageretur, parum fidam barbari amicitiam expertus eſt, qui Stephano et Georgio filiis ejus captis admota candenti pelve oculorum uſum ademit, ac miſerum parentem principatu exuit; quem illi vix demum anno CIↃ CCCC XLII reſtituit, a Ladiſlao Poloniae rege, hac lege dicta, cum quo pax barbaro neceſſaria erat. Georgius poſtremo moriens Lazarum filium ditionis heredem reliquit, qui filiam unicam heredem Stephano Boſniae regi in matrimonium collocavit. Stephanus is poſtea ſoceri morte ampliſſimam ditionem conſecutus ex [c] Jaizae caſtello Mechumetis II blanditiis evocatus barbara perfidia cute vivus exuitur, vitamque cum regno, quod patri dolo ſurripuerat, amiſit. Inde Omares a Mechumete miſſus, qui provincias eas occuparet. Haec anno XXI poſt acciderunt: a quo tempore Raſcii Turcis paruerunt, huc illuc ab iis diſſipati, et quaſi in colonias deducti ſunt. Horum pars illi, qui in vetere urbe capienda operam navaverant, cum circumjacente regione ad Caeſarem tanquam ad Pannoniae regem, et Sigiſmundum Tranſilvaniae principem deficientes, magna damna Turcis hoc bello intulerunt. Tunc vero morbis et aliis longae ſub tentoriis morae incommoditatibus conflictati noſtri cum numero valde imminuti eſſent, animis etiam concidere coeperunt; praeſertim cum viderent per [d] Gokarenſi munitioni ſubjectum pontem novum in horas militem obſeſſis ſummitti, nec triremeis, quas Auſtriaci in flumine armaverant, id impedire. Nam IↃ una vice introducti. Magnum et damnum ab eruptione acceptum, quam Turci in Germanorum caſtra fecerunt VI Eid. Junias; majus utique futurum, niſi a vexillifero Schombergii voce et manu ſuos incitante, Turcorum impetus eſſet repreſſus. Deſiderati tamen e noſtris permulti, quartoque poſt die oppugnatio tentata,

ſed

INTERPR. [a] *Bulque.* [b] *Surnommé Hildrin, c'eſt à dire foudre* ou *tourbillon.* [c] *Jaizza.*
[d] *Fort de Gockeren.*

ſed nullo exitu, niſi quod ccc rurſus Chriſtiani in ea perierunt. Secuti dein foedi imbres tanta ventorum violentia incitati, ut tentoria, et caſas militareis, multis oppreſſis, dejecerint. Matthias ipſe a periculo non abfuit, tentorio praetorio dejecto, et Richardi [a] Streinii altero lacerato. Inde crebris eruptionibus certatum deteriore ſere ſemper Chriſtianorum conditione. Sub id et praemiſſi a Sinane delecti, dum ipſe adveniret, qui munitionem in inſula proxima arci ſubjecta a Nicolao Palſio erectam XIV Kalendas Quintileis ſumma vi invadunt et capiunt, vix tandem poſt magnam noſtrorum cladem ab Hungaris repulſi: ita tamen, ut ex eo crebra tormentorum ex arce diſploſione triremes Chriſtianae conſertae in Danubio conſiſtere non poſſent, Turcis crebrius ſolito tormenta ejaculantibus, et proximo Sinanis adventu audacioribus. Itaque conſultatione ducum habita, in qua, cum Matthia, Ferdinandus [b] Hardeci comes, [c] Palſius, David Ugnadius praeſes, Eraſmus [d] Braunius Comarae praefectus, erant, nam Tieffenbachus adhuc circa Hatavanam haerebat, decretum fuit, ut ab obſidione diſcederetur; multum reclamantibus Germanis, pro quibus Vigandus [e] Maltzanus eques Megalopolenſis intervenit, et univerſorum tribunorum nomine orationem ad Matthiam habuit, Quam alacriter obſidionem hanc fama magnam, confectu [1] ſelicem, eventu glorioſam aggreſſi eſſent, tam aegre de conſilio deſerendae ejus intellexiſſe. In ſpem primariae regni Pannonici civitatis recipiendae erectos ubique Chriſtianorum animos; ſi ab incepto praepropere deſiſtatur, de ſucceſſu totius belli ſtatim animum deſponſuros. Itane tot labores, tot oppugnationes, tot pericula in vanum abierint? Et cum paulum abſint a fine, principium, quod illis tanti conſtitit, ignavi deſerant? Fruſtra terribilem adeo hoſtem fingi, quum decem Chriſtiani centum Turcis compoſiti ſemper antea vicerint. Sinanis veterani ducis fruſtra praepotentem exercitum oſtentari, quem, camelos iiſque inſidentes mormones ſecum advectare, ad puerorum ſcilicet terriculamentum, ſama vulgavit. In propinquo cum illum eſſe jampridem allatum ſit, cur tamdiu tardare ejus adventum? Cur non potius interim oppugnationes repeti, parato ſemper tuto, cum ille adveniet, receptu? Tot animas Chriſtianorum, qui fidem ſuam ſanguine proprio obſignarunt, inultas relinqui, non ſolum ad decus, ſed ad conſcientiam pertinere; et ad Germanos, qui fidem Caeſari, quam debent, ſemper religioſe ſervarunt, qui propterea in Pannonia bellum gerentes, quaſi in ſuo bellum gerere intelliguntur, maxime ſpectare, ne conſentientibus ipſis ab obſidione diſceſſum eſſe audiant Italiae principes; audiant Poloni, Tranſilvani, Moſci. Quid vero ſacturos Perſas juratos Othomanici nominis hoſteis, cum Chriſtianos panico potius terrore, quam hoſtium praeſentia ac virtute fugatos audient? Annon fidem nuper Caeſari datam merito repoſcituros, et ab armis protinus diſceſſuros? Quapropter Germanos tantum dedecus a natione ſua deprecari, atque ipſum Matthiam quantum poſſunt obteſtari, ne obſequium ſuum, ſemper in periculis paratum, ſi in conſilium de deſerenda obſidione conſentiant, ad infamiam et ſempiternum opprobrium ſuum redundaturum; hac in re exigat, ſicque apud ſe ſtatuat, in magnis belli expeditionibus plura ignavia, quam periculorum contemptu amitti. Ad haec Ugnadius pro Matthia verba fecit: de Sinanis brevi adventu ſuae celſitudini certo conſtare. Adverſus ejus praepotentem exercitum cum viribus pares non ſint, ſupereſſe, ut ſuum integrum in adventum hoſtium ſervent, et idoneis locis diſtributo milite conatus ejus frangant; alioqui ſi in obſidione perſeverantes ſe opprimi patiantur, non ſolum Hungariae regnum, ſed univerſas res Caeſaris, cui militent, atque adeo Imperium in manifeſtum diſcrimen adduci. Nec vero

INTERPR. [a] *Strein.* [b] *Hardeck.* [c] *Palſi, & Ugnadi.* [d] *Braun gouverneur de Comar,* [e] *Maltzan de Mecklenburg.*

NOT. [1] *Potius* facilem.

CIϽ IϽ XCIV. HENRICUS IV.

vero diſceſſum hunc aut hoſteis aut amicos fugam interpretaturos: nam conſtiturum eſſe ſuae celſitudini, veterem civitatem et Thomae-fanum valido praeſidio firmatum retinere. Itaque potius differri, quam relinqui omnino Strigonii obſidionem. His excuſationibus cum ſibi minime ſatisfactum putarent Germani, non contenti publica expoſtulatione proteſtationem addunt, quam a Saxone Lauenburgico, et Auguſto Brunſvico, Sebaſtiano Sklikio comite, Maltzano aliiſque tribunis ſubſcriptam Matthiae porrexerunt, ejuſque exemplum ſibi ſervarunt. Matthias copiis in ulteriorem ripam tranſportatis, praeſidia, quae in vetere civitate et Thomae-fano reliquerat, biduo poſt deducit, et Comaram verſus iter intendit. Interea Maximilianus frater in Croatia rem gerebat, in cujus exercitu erant XVI peditum CIϽ, et IV CIϽ equitum delectorum. Huic militabant [a] Leucovitzius [b] Illyrici, et [c] Echembergerus Croatiae Caeſaris nomine praefecti, qui cum ſelecta manu praemiſſi, ut de hoſte cognoſcerent, III CIϽ Turcorum in inſidiis abdita, dum recedunt, aggrediuntur, et ultimum agmen carpunt, C ex iis occiſis, et multis impedimentis captis. Maximilianus dein III Nonas Quintileis cum toto exercitu [d] Culpam amnem tranſmittit, qui ob multitudinem impedimentorum major vero ſpectantibus apparebat, et ad Petrinam caſtra ponit; et cum, admotis tormentis, initio parum proficeretur, Uſcocis e [e] Segnia auxilio advenientibus, additi noſtris animi, qui vi ad munitionem facta eam impetu capiunt ipſo beati Laurentii die, ductoque vallo et tormentis contra oppidum directis, praefectus qui cum Boſniae flore locum tenebat, igne in domos immiſſo profugit, et tenebris defenſus cum ſuis in tutum evaſit; eum inſecuti aliquantiſper noſtri quoſdam in ultimo agmine tardius incedenteis interceperunt. Exigua Petrinae praeda parta, incendio late omnia depaſcente, tantum XXX omnis generis machinae captae: aliquot diebus ante Leucovitzius [f] Craſtovitium, II a Petrina milliaribus diſſitum caſtellum, duxerat, quod citra ſuorum ſanguinem in poteſtatem redegit, deditione a Turcis arbitrio Maximiliani facta, qui quibuſdam vitam, aliis etiam libertatem condonavit. Eodem tempore [g] Siſacum in poteſtatem noſtrorum venit, locus ad Savum ſitus, a Turcis tumultuariis operibus munitus, prius a praeſidiariis igne vaſtatus, et ſacri Zagrabiae collegii ſodalium, in quorum ditione erat, curae commendatus eſt, ut eum denuo inſtaurarent ac munirent. Capta XX tormenta, quae fugientes Turci in flumen ſubjectum demerſerant. Ex adverſo Petrinae et munitio inſtituta, necnon et ad Gori caſtellum nuper receptum, ad arcendas ex Boſnia in Croatiam continuas excurſiones. Crebreſcente demum adventus Sinanis fama juſſu Caeſaris revocatae Maximiliano attributae copiae, ut ſe cum Matthia conjungerent, tanto hoſtium exercitui ſi non pares, at conjunctae firmiores futurae.

III. SINAN cum C bellatorum CIϽ ſuperbe incedebat, et Tatarorum LX CIϽ hinc inde ſecum trahebat, qui cum per Podoliam et Moldaviam iter facerent, jam praeda onuſti variis cladibus a Joanne Sario Samoſcio ope Coſacorum affecti fuerunt, tandemque [h] Boryſthenem repetere coacti: inde reflexo itinere Tranſilvaniam ingreſſi per Temeſvaram in Pannoniam deſcenderunt. Exercitu [i] Javarinum praemiſſo in itinere [k] Strigonium commeatu et milite firmatur. Tum ad [l] Dotim ſive Tattam caſtra ponuntur, caſtellum in colle ſitum, cujus defenſores cum diutius opinione locum tutati eſſent, ad extremum deditionem fecere X Kalendas Sextileis vitam et res ſalvas pacti, foeminae ac pueri ſub jugum miſſi. Eodem ſucceſſu et Martini fanum haud hinc longe receptum. Tandem ad Javarinum poſita caſtra, quod alio nomine Raba a flumine cognomine, quod eam a meridie alluit, ab indigenis vocatur. Urbs eſt infra Viennam in dextra Danubii ripa poſita, quadrata fere forma, niſi quod ad

boream

INTERPR. [a] *Leukowitz.* [b] *Sclavonie.* [c] *d'Eggenberg.* [d] *Kulp r.* [e] *Segni.* [f] *Chraſtowitz.* [g] *Siſſeck.* [h] *Nieper r.* [i] *Raab.* [k] *Gran.* [l] *Dotis.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

boream porrectior et acutior, ad ortum paulo obtuſior eſt, VII propugnaculis, et aliquot terrae tumulis firmata, et profunda foſſa aqua plena, quae partim a Raba flumine, partim arte humana derivatur. Ad occaſum arcem habet, veluti in uno ex IV praecipuis angulis verſus Danubium ſitam; qua parte Raba labitur fere vadoſus et in angulo illo cum Rapſa, quod eſt veluti Danubii brachium, minime vadoſo confluit, inſulamque parvam efficit, quam dnabus munitionibus et vallo forcipis ſpecie, qua arcem reſpicit, noſtri muniverant. Intet Rabam et Rapſam ſuburbium porrigebatur, quod ſtatim incenſum eſt, ne hoſtibus uſui eſſet. Haud longe lacus eſt [a] Neſideleri nomine, ex quo plures rami panduntur, qui inſulam majorem velnti conſtituunt. In conſpectu Javarini in Danubio ipſo inſula jacet [b] Zigethi nomine, et a cognomine coenobio ita dicta, aliquantum porrecta, ſed admodum anguſta; ac trans eam rurſus Comara omnium, quae in fluminibus eſſe memorentur, ampliſſima, quippe quae in longitudinem XII Hungarica, in latitudinem V milliaria habet. XV CIↃ incolarum habitatur, piſcationibus commoda, et paſcuis dives. Urbem omni re neceſſaria optime inſtructam tenebat Ferdinandus [c] Hardecus cum CIↃ IↃ bellatorum praeſidio. Huic ſine publico munere, ſed ſolo decoris ſtudio ſe adjunxerant Franciſcus [d] Montanus marchio Camilli frater, Scipio [e] Anſideus eques, Joannes [f] Lucenſis, [g] Rogerus Fabarinus Brixianus. Matthias, qui Comarae erat cum XVI CIↃ bellatorum, conſilio ducum habito, Zigethum trajicere decreverat, quae inſula ponte ſtrato cum Javarino conjungitur, ut inde obſeſſis ad omneis caſus praeſto eſſet. Inde miſſi bis mille Germani ad firmandum praeſidium, ac totidem [h] Pappam caſtellum vicinum, a quo ſibi metuebar.

IV. COGNITOQUE Joannem Medicem Ferdinandi magni Etruriae ducis fratrem naturalem cum II CIↃ Italorum delectorum Viennam veniſſe, ſtatim cum per literas rogat, ut ſine mora ad exercitum veniat. Ubi venit, Javarinum cum ſuis introductus eſt pridie Nonas Sextileis, quod jam tum Matthias Hardeco diffideret, et cum eo Ferrandus [i] Roſſius caſtrorum praefectus et ipſius Joannis vicarius, qui et peculiarem Italicae nobilitatis turmam ſecum adduxerat. Interea venientes hoſtes variis aſſultibus, inde a Palſio cum equitatu Pannonico, inde a [k] Naſdaſtio vagos et ad praedam diſcurſanteis carpente, infeſtati ſunt, captis impedimentis, camelis, et multis occiſis. Sinani conſtitutum erat, ante omnia Zigethi inſulam in poteſtatem redigere; qua capta inter urbem ac Comaram medius, ne auxilio obſeſſi juvari poſſent, impediebat. Itaque de vallo citra fluvium promovendo non multum laborabar. Pontem cum ab ea parte vellet ſternere, a noſtris prohibitus eſt. Inde tumulum in angulo, qui flumen ſpectabat, exſtruxit, ut directis ex eo tormentis obſeſſos graviter infeſtaret. Sed Joannes Medices, cui rei tormentariae cura attributa erat, contraria ſtatim verberatione tumulum deſtruxit, et omnem apparatum diſturbavit, magna Turcorum ſtrage edita. Proxima, quae ſecuta eſt, nocte Roſſius, ne quam hoſti incommodandi occaſionem praetermitteret, interulis albis ſumptis cum delectis impetum in vallum facit, et imparatos Turcos adortus plus CIↃ ex iis occidiſſe dicitur, capitibus multorum in urbem relatis, quam cum ſuis victoribus triumphanti ſimilis poſt rem tam feliciter geſtam ingreſſus eſt. Albeſcente die denſi imbres diris coruſcationibus miſti cum uſum ſcloppetorum noſtris ademiſſent, et ex pomoerio ad ſtationes interim ſe recipere coëgiſſent, Turci oſtentato exiguo primum equitatu, mox comparuerunt ſex mille, quos praetoriani hinc inde ad XII CIↃ equitum cincti protinus conſecuti ſunt, et propugnaculum juxta portam, quae Tattam ducit, parvo negotio occuparunt. Verum recedentibus ſtationariis commodum ſupervenit Roſſius, et mox cum Italis Joannes Medices, et Franciſcus Montanus, qui cominus ad pontem

portae

INTERPR. [a] *Neuſidler.* [b] *Zigeth.* [c] *le Comte d'Hardeck.* [d] *del Monte.* [e] *Anſidei.* [f] *Lucquois.* [g] *Ruggier Faverino da Breſcia.* [h] *Pappa.* [i] *de Roſſi meſtre de camp.* [k] *le Comte Nadaſdi.*

portae vicinum cum hoſte tam acriter manus conſeruerunt, ut coelo jam ſerenato noſtris ad tormenta contra oppugnatores diſplodenda otium fuerit, et ipſi retro pedem referre ſint coacti. Quod conſpicati qui cum Joanne erant, animos colligunt, et intermiſſum ad propugnaculum ab hoſte occupatum reſtituunt certamen, cumque ad extremum cum damno pellunt, occiſis IↃ, et captis III ſignis. Multi ex Italis viciſſim deſiderati, et in iis ex nobilitate fere L, inter quos veris lachrimis deplorati ſunt Flaminius [a] Francolinus, uſu rerum expertus dux, Jacobus [b] Ricaſolius eques, et Altilius Medices. Plus CIↃ ex Turcis toto eo die cecidiſſe ex captivis poſtea reſcitum fuit. Poſt certamen cum ſcalae intus repertae eſſent magno numero, nec a quo appoſitae eſſent conjici poſſet, Joannes Medices ſuſpicionem concepit occulti de loco hoſti prodendo initi conſilii, eaſque in Matthiae tentorium comportandas curavit. Auxit ſuſpicionem, quod famam in Turcorum caſtris volitare eodem tempore allatum eſt, quaſi jam pretio numerato de [c] Javarino tranſactum eſſet, et tradendi tantum ejus occaſio quaereretur. Poſtridie ſub veſperam Turci Raba tranſmiſſo XX CIↃ numero ad ſuburbia a Chriſtianis incenſa et fere incuſtodita vim fecerunt, quos erumpentes bis mille Pannonii equites cum damno repulerunt; adjuvante eorum virtutem crebra ex urbe tormentorum diſploſione, quibus per latera hoſtis mirifice infeſtabatur: inde crebris eruptionibus certatum, Roſſio, qui nec otium ſuorum, nec quietem hoſtium pati poterat, ſemper aliquid conante aut moliente. Capti in his ex hoſtibus aliquot, ex quibus cognitum eſt, magnam in eorum caſtris annonae penuriam eſſe, vixque tantum riſi copiam ad ſuſtentandum militem ſuppetere, quae adventu XL CIↃ Tatarorum valde in dies minueretur. Nihilominus lente omnia in caſtris hoſtium agebantur, Sinane jam ſene et ad munia militaria pigro; et cum jam vallum ad labrum uſque exterius promoviſſet, et crebra diſploſione jam omnia circum infeſta reddidiſſet, oppugnationis tamen periculum tentare verebatur: ante omnia Zigethana inſula potiri cupiens, quam ut occupare commodius poſſet, in ſuperiorem minorem inſulam impetum vertit, et vallum forcipis ſpecie arci oppoſitum ex improviſo aggreditur XVII Kal. Sept. ſub auroram per navigia tranſmiſſis aliquot praetorianis, qui parvo negotio ſociis ſubſequentibus vallo potiti ſunt, captis II tormentis, quae ſtatim contra praeſidiarios inſulae verterunt. Jamque Germani in eo erant, ut inſulam omnino deſererent, cum Joannes Medices et Franciſcus Montanus, eo per pontem cum paucis, accurrerunt, juſſis ſubſequi reliquis Italis. Heic cum confuſa reperiſſent omnia, vix tandem minis ac precibus obtinuerunt, ut fugientes conſiſterent, nec niſi ſupervenientibus Italis fuga ſiſti potuiſſe creditur. Tandem poſt obſtinatum certamen Turci ceſſere, et vix ex omni numero CC praetoriani navigia ingreſſi periculum evaſere, ceteris aut occiſis aut flumine hauſtis. Pauci ex noſtris deſiderati. Otho Montanus tantum leviter ſauciatus. Recepto vallo in collem vicinum Joannes ſe cum ſuis recipit, a Matthia, Saxone, Brunſvico, Serinio, et Naſdaſtio plurimum laudatus. Erant tunc in exercitu Chriſtiano XXIV CIↃ peditum, et IX CIↃ equitum, et brevi XIII CIↃ peditum exſpectabantur et bis mille equites; verum ut ex diverſis nationibus, atque adeo ditionibus, collecti, ita ſtudiis ac voluntatibus plerumque diſſidentes; ac proinde ſummo imperatori minus dicto obedientes. Sub id cum allatum eſſet, Tataros leucam infra vallum Danubium natando tranſmittere, Montano negotium datur, ut quid rei hoc eſſet, ipſe coram inſpiceret. Qui cum paucis eo profectus in Palſium illuc cum Pannonico equitatu properantem incidit, et cum V CIↃ tantum jam flumen tranſiiſſent conſpicati noſtros poſt leve certamen natatu rurſus in alteram, unde venerant, ripam ceſſerunt, multis ex ſuis, ut in tumultu, rapiditate fluminis raptatis et in profundum merſis. Pleriqueque et interfecti, aut

INTERPR. [a] *Franciolini de Geſi.* [b] *Il cavalier Ricaſoli.* [c] *Raab.*

aut capti, ita ut ex omni numero vix CIƆ ad ſuos reverſi ſint. In palanteis item Turcos igne ſerroque circum more ſuo cuncta vaſtanteis cum praecipitaſſet Naſdaſtius, IƆ circiter ex iis cecidit. Nec interim Sigiſmundus Bathorius Tranſilvaniae princeps ceſſabat, qui Raſciis ſubnixus circa Temeſvaram crebris excurſionibus Turcos vexabat; ita ut Sinan de Danubio, tam facile quam ſperaverat, tranſmittendo deſperans, urbem deinceps arctius cingere in animum induxerit. Igitur vallo promoto tandem exterius labrum et duo propugnacula vi occupavit. Sed vallo intus ab obſeſſis ducto parum profectum videbatur. Itaque in foſſa terra aggeſta complenda per aliquot dies laboratum. Sed cum nec id ſuccederet, hoſtes tumulum in proximo excitant, locoque doliis vimineis firmato tormenta diſplodunt ad infeſtandum objectum propugnaculum directa, quem ſubita eruptione Pannonii mox disjecerunt, oc Turcis occiſis, et tormentis clavis confixis. Demum auxiliorum in dies adventantium creſcente numero, ita ut XXX CIƆ peditum, XII CIƆ equitum in exercitu recenſita ſint; Sinan de urbe per oppugnationem capienda deſperans, ad conſilium inſulae oppoſitae capiendae revolvitur, et magnum navigiorum numerum Buda advehendum curat, III CIƆ equitum ad ſubvectionis ſecuritatem deſtinatis, et aliquot delectis egregie armatis; qui in ripa tanquam procul periculo incedebant, duobus [a] cubiculariis, Chiauſſios vulgo vocant, ductoribus. Eos Palſius incumbens acri impreſſione fundit, ipſis ductoribus captis; quorum alter ex vulneribus obiit, ex altero cognitum eſt, magna annonae penuria in caſtris Turcicis laborari, et exercitum ad LX CIƆ bellatorum redactum eſſe: tumultuare [b] praetorianos, et Tataros in eo eſſe, ut ab exercitu diſcedant: Sinanem, qui tumultuanteis utcunque placaverit, ab Amurathe mandatum habere, ut aut urbem capiat, aut pugnae aleam, ſi detur occaſio, ſubeat. Id autem nunc agere, ut ſtratis ex navigiis tribus pontibus vireis Chriſtianorum diſtrahat, et diverſis locis vi facta, facilius inſula potiatur. Nec multo poſt in caſtra venit Antonius Medices Franciſci magni Etruriae ducis filius naturalis [c] Capiſtrani princeps a patruo cum CC partim cataphractis fere e nobilitate, partim ſcloppetariis equitibus miſſus; quos Silvius Picolomineus militiae vir expertus vicarii titulo ducebat. Venit et cum eo Virginius Urſinus Latini [d] Nomentani marchionis filius, et poſt eum Virginius [e] Bracciani dux, familiae Urſinae princeps, cum totidem delectis. Eorum adventu confirmatis noſtrorum animis, e re viſum, dum cunctatur Sinan, ut inſigni aliquo facinore ſe ab obſidione liberarent. Ita res compoſita: IV Kal. Sept. quae in Dominicam incidebat, ſummo mane Joannes porta [f] Tattenſi VI CIƆ Hungarorum Heiducorum, ita pedites vocant, emittit, quibus imperatum, ut vallum amiſſum recuperarent, et ad tormenta uſque progreſſi aut ea caperent, aut clavis configerent. Eodem tempore III CIƆ Germanorum cum aliquot Pannoniis navigiis imponuntur, [g] Gitzcoflero et Thonauſio ducibus, qui ortum verſus per flumen devecti in latus Turcos aggrederentur, et cum VI CIƆ Hungarorum eodem, ſed diverſo itinere miſſis ſe conjungerent; tum ipſe Joannes cum Montano et peditatu Italico, cum fariſſophoris et majoribus ſcloppetariis Germanis exit, ex eo numero ſelectis CIƆ fariſſophoris, ex quibus cuneum quadratum confecit, eique inde IƆ ſcloppetarios, inde CCC ſcloppetarios majores attribuit. Palſius poſt eum per portam egreſſus, quae ſuburbia ſpectat, cum IV CIƆ equitum Hungarorum et uno equitum Germanorum agmine, et Rapſa et Raba tranſmiſſis cum Antonio Medice et ſuis cataphractis tumulum proximum inſedit, ut Hungarico peditatui, ſi a Turcico equitatu circumdari contingeret, in tempore praeſto eſſet. Et Heiduci quidem ſtrenue rem geſſerunt, ſed ſubito fugiente

INTERPR. [a] *Chaous.* [b] *Janiſſaires.* [c] *Capiſtrano.* [d] *Lamentana.* [e] *Bracciano.* [f] *Porta verſo Tatta.* [g] *Gitzcoſler, & Thonhauſen.*

fugiente hoſte cum ad praedas verſi, tantum confixis IV tormentis, ſolute agerent, praetorianis interim advenientibus et delecta equitum manu, a tormentis primum repulſi, dein et omnino in fugam conjecti ſunt, multis ex ſuis occiſis, vixque fugae finis factus ad agmen a Joanne ſepoſitum, in cujus fronte Roſſius ſtabat, voce et manu palanteis ad ſigna ut ſe reciperent, diligenter hortatus. Majus Germanorum peccatum fuit, qui navigiis tranſmiſerant, qui CCC praetorianos tantum conſpicati, ſine certamine ſoluti ad navigia trepida fuga redierunt; ex quibus plerique interfecti, plerique dum confuſi ſcandunt, fluvio hauſti, etiam navigio uno demerſo. Pauci natatu periculum evaſerunt, Gitzeoflerus erroris dux in eo tumultu periit, et Thonauſius lethaliter ſauciatus eſt. Heiduci ad agmen cum ſe recepiſſent, collectis animis certamen gnaviter reſtituunt, et prius occupatum hoſtium vallum denuo occupant, ac diu tenuerunt, rurſuſque amiſſum recuperarunt; duravitque inter pedites utrinque certamen, donec equitatus Turcicus laborantibus ſuis ſupervenit, quem Palfius cum equitibus Pannoniis in tempore adveniens fortiter repulit. Sed majore hoſtium globo incumbente, Germani, qui Palfium tantae moli ſuſtinendae imparem viderent, et ipſi in tempore ſe Incitant, et eorum exemplo ſcloppetarii equites Itali: ibi diu acriterque pugnatum, multis utrinque cadentibus; ſed pejore hoſtium fortuna, qui cum viderent ſe praecipue a fariſſophororum agmine infeſtari, in vicinum tumulum duo tormenta campeſtria dirigunt, quorum improviſa diſploſione eos aliquantum perturbarunt. Sed cum juſſu Joannis paulum inferius L paſſuum ſpatio ceſſiſſent, a tormentis tuti, rurſus inſtaurata pugna, quae cum IV amplius horis continuata eſſet, Joannes tandem ſigno dato ſuos in tutum reduxit ſervatis ſemper ordinibus; et peditatu praemiſſo, cum equitatu compoſito gradu ultimum agmen clauſit, poſt pulchrum certamen longe glorioſiſſimo receptu; ex Chriſtianis in ea eruptione occubuere CCCC et in iis Marius [a] Gateſcius, Marius Magalotius, [b] Cartolarius eques, et [c] Joannes Lucenſis ordinum ductor: Palfius leviter vulneratus. Ex Turcis, ut poſtea cognitum eſt, amplius bis mille, tormentorum in urbe diſploſione graviter infeſtati, et in iis [d] Caraſſius purpuratus. Nocte proxima noſtri erumpunt, et rurſus vallum ab hoſte deſertum occupant. Sed luce ſuperveniente cum equitatus Turcicus magno numero comparuiſſet, noſtri ſe recepere. Turci ne nihil egiſſe viderentur, territorium circa Pappam crudeliter igne ac ferro vaſtant. Praeſidiarios arcis ad CIↃ temere egreſſos ad internecionem delent. Eandem fortunam expertum eſt, quicquid Rapſam et Rabam interjacet; et Naſdaſtii omnes poſſeſſiones, quas in eo tractu ampliſſimas habebat, ab hoſte crudeliter direptae ſunt. Inter haec compertum, Turcos ſub propugnaculo, quod tuendum ſuſceperant Germani, cuneum agere unius hominis opera, qui natatu per noctem ad murum penetrans ſcalpello tantum effecerat, ut ſpatium quatuor armatis capiendis excavando, paulum ab exitu res abeſſet. Sed mox actis intus contrariis cuneis ad oſtium hoſtilis cunei perventum eſt, irrituſque redditus ejus conatus. In exercitu Turcico poſt acre illud et juſto proelio propius certamen aliquantum praetorianorum animi commoti ſunt, et a ducibus ſuis alienati, ita ut Sinan, qui eorum ingenium noſſet, ut placatos haberet, ſeverum diſciplinae militaris exemplum edere coactus fuerit; proprio filio Graeciae praetore, qui ſummae rerum in eo praefuerat, dignitate abdicata, et ex praetorianorum voluntate ſuffecto in ejus locum Budenſi purpurato, qui ſubito, ut opinione de ſe concepta minime ſe indignum oſtenderet, valli ſpatium ante portam firmatum, quod noſtri toties oppugnaverant ceperantque, nocte occupat, et amplius firmandum ſuſcipit, et XVI in eo conſtitutis vimineis doliis aggerem ad dextram inde ad vetus ſuorum vallum uſque perducit,

INTERPR. [a] *Gatteſchi, & Magaletti.* [b] *Cartolari.* [c] *il capitan Giovanni Luccheſe.* [d] *Caraſſi Baſſa.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

perducit, et ad laevam alterum aggerem juxta Rabam ducit; ita ut urbs undique per terram cingeretur, tantumque hoſtis C paſſibus ab exteriore labro abeſſet. Tum in eo munimento collocatae tres murales machinae, ac II colubrinae, et toto aggere delecti majores ſcloppetarii diſpoſiti. Id novum ac dirum obſeſſis viſum mane ſpectaculum; ex eoque cum adeo infeſtarentur, ut nec per vias incedere, non ad menſam ſedere, aut in lecto poſſent quieſcere, jamque magna aedium ruina edita, etiam ingens hominum ſtrages quotidie fieret, et Anſideus eques bis eodem die ac paene momento vitae periculum adiiſſet; tandem inter belli duces decretum, ut ad munimentum illud occupandum eruptio fieret; quae exitu caruit, Heiducis poſt Palfium vulneratum quaſi certamen detrectantibus: tantum incenſi faſces lignorum ad foſſam replendam ab hoſte deſtinati. Id actum VII Eidus Septembreis. Sinan nondum inſulae oppido praetenſae potens, oppugnationem cum totis viribus huc uſque diſtulerat, de exitu veritus; quippe cum inſulae beneficio fieri videret, quamdiu eam noſtri tenerent, ut cum toto exercitu Chriſtiano libere ad oppidum commeatu laborantibus obſeſſis ſuccurri poſſet. Itaque ut Germanos, qui vallum ab ea parte oppoſitum ſervabant, magis falleret, veteratoria arte callidus ſenex quaſi de urbe vi capienda deſperaret, mandatum ſibi ab Amurathe vulgaverat, ut totam Auſtriam ac ſubjectam Pannoniam igne ferroque vaſtaret. Malle tamen ſe, iniri poſſe rationem, qua et Amurathes placari poſſit, et tot animarum ſaluti parcatur. Injecta et induciarum mentio, dum de pace inter partes conveniret, datiſque ad Palfium literis ipſe ad Portam ſe miſſurum promiſit. Palfius viciſſim conſulto Matthia ad Caeſarem ſcripſit. Sed mox Sinanis aſtus patuit; nam poſtridie, quam eruptio a Joanne Medice tentata eſt, cum toto exercitu ſub auroram in ripa conſtitit; tum [a] Aſiae Minotis purpuratum, qui vallum in inſula oppoſitum eo die occupandum ſuſceperat, cum praetorianis in III navigia impoſitis ea parte tendere jubet, qua Tatari ante aliquot dies idem irrito conatu tentaverant. Ii in adverſam inſulae ripam cum perveniſſent, citra certamen controverſo vallo potiti ſunt, utpote a paucis Germanis ac ſecuris cuſtodito. Nam Palfius die praecedenti de pace et induciis cogitans, et in lecto ex vulnere decumbens XV Heiducorum CIↃ dimiſerat. Primus ad ſtrepitum advolavit Carolus Auſtrius Ferdinandi archiducis filius, [b] Burgovii marchio, cum XII CIↃ equitum, et CCC tantum Italis peditibus, quos Otho [c] Montanus, et [d] Placidus eques ducebant; nam ceteri in oppido erant. Is vallum jam occupatum cernens, et cum tam exiguo peditatu, cujus praecipuus in oppugnationibus uſus eſt, impar ad id recipiendum; tamen ex neceſſitate conſilium cepit, et re cum aliis belli ducibus communicata in treis acies equitatus omnis, qui ſupererat, inſtruitur. Primam ſecundum Danubium oppidum verſus ducebant Franciſcus [e] Saxo, Antonius Medices et Virginius Urſinus Bracciani dux; alteram ad ſiniſtram Nic. Serinii comes; mediam Burgovii marchio, Joannes Medices, et Franciſcus Montanus; ii omni vi enixi, ut hoſtem vallo pellerent, peditatu deſtituti fruſtra fuere. Nec plus a Saxone et Italis profectum, qui magna ſua cum jactura rem tentarunt, Antonio Medice in terram, equo tormenti ictu diſcerpto, graviter afflicto, et Altenburgum feminece devecto, necnon et Urſino ipſo tribus ſcloppetorum ictibus cum vitae periculo ſauciato. Cum conatus equitum irritus fuiſſet, Franciſco Montano placebat, ut nulla mora interpoſita, peditatus ex urbe evocaretur, et ultimus ad vallum impetus fieret. Nec Montani conſilium Matthiae, ac reliquis belli ducibus diſplicebat, ſi tam celeriter, quam res exigebat, id exſequi licuiſſet. Sed cum opus longo itinerum circuitu eſſet, ad peditem in inſulam deducendum, intereaque Turci magno numero in inſulam aperta via deſcendiſſent, conatus fruſtra fuit; et cum iterum cum equitatu vim feciſſent Auſtriaci, majore cum damno repulſi ſunt. Ex

eventu

INTERPR. [a] *la Natolie.* [b] *Burgau.* [c] *del Monte.* [d] *il cavalier Placidi.* [e] *le Duc de Saxe.*

eventu mox conſilium captum, placuitque, ut in inſulam minorem ad occaſum poſitam, quam et ab initio muniverant, ſe conſerrent; ex qua, ut ex Zigethana, obſeſſis facile ſubveniendi facultas eſſet. Secundum haec decretum, ut impedimenta in urbem remitterentur, et inde in parvam inſulam deducerentur. Sed cum equitatus per pontem navigiis ſtratum ſubſequi juſſus eſſet, intumeſcente Danubio molatrina aquatica concuſſa eſt, et ſoluta compage pontem ſecundo flumine violenter abrepta ſolvit, et tranſitum equitibus et impedimentis ademit. Id admodum incommode accidit Matthiae, periculum reputanti, quod in conſpectu tam potentis hoſtis recipientibus ſe obverſabatur. Itaque conſultum viſum, ut impedimenta ad Altenburgi pontem tranſmitterent, interimque copiae omnes in aciem inſtructae ad noctem uſque in veſtigio ſtarent, exceptis CIↃ equitibus, qui deducendis illis attributi ſunt. Dum in eo ſunt, hoſtis comparuit, vimque fecit, ſed nullo exitu, noſtris ad pontem proximum ſe confertim recipientibus. Tantum L circiter Germani equites aqua hauſti, dum vano metu correpti iter praecipitant; plus damni in impedimentis acceptum, aurigis ad vanam Turcorum adventus famam equos ſolventibus, et in fugam ſe conjicientibus, relictis curribus, qui mox Turcis et Tataris in praedam ceſſere: tentoria item et omnis annona amiſſa. Matthias ſe cum reliquis in tutum ſubduxit, poſtridie in inſula proxima munire ſe certus. Verum Germanis equitibus tumultuantibus, et raptis ſignis ab exercitu diſcedentibus, Altenburgum cum iis petere conſtituit. Ibi rurſus novus tumultus exortus, aliis ſtipendia repoſcentibus, aliis amiſſa impedimenta, aliaſque incommoditates cauſantibus; ita ut Matthias locum ſitu munitum deſerere poſtremo coactus ſit, eoque magis, quod equitum exemplum ipſos quoque pedites ſequi comperiſſet. Tamen ſex dies cum Burgovio, Serinio, Joanne Medice, et Franciſco Montano et exigua cataphractorum et ſcloppetariorum equitum manu, ac L tantum ſcloppetariis Italis, non ſine manifeſto periculo commoratus, tandem [a] Brugas ad [b] Leitam iter pronunciat, locum in meditullio provinciae ſitum et natura munitum. Tatari forte obvii tranſitu fluvii a noſtris prohibiti. Turci inſulae a Chriſtianis relictae potentes pontem ſtraverunt, qui mox a [c] Javarini praeſidiariis ruptus eſt. Itaque alius ſupra ſtratus juxta portam [d] Aquenſem, in eaque parte ductum vallum, ex quo tormentis ageretur. Sinan de oppugnationis eventu dubius cunctatione inſita moras trahebat, nunc hac, nunc illac obſeſſos infeſtans, occaſionemque opperiens, dum per deditionem loco potiretur. Itaque totis ab inſula capta XII diebus nihil fere actum. Tantum cuneus ad propugnaculum actus, qui contrario everſus eſt, C circiter Turcis in altum rotatis ac diſcerptis. Dein et munitio ſtructa juxta Rabam in vinetis, unde in ſuburbium et urbem tormentis ſaeviebatur; rurſuſque res cuneis acta, qui licet noſtris contrariis, ut antea, everti potuiſſent, [e] Perlinio tribuno moras nectente, ignem conceperunt, ſed feſtinatius immiſſum, ideoque minore cum ruina; quam Turci ſuffoſſione adjuvare mox aggreſſi ſunt, ut propugnaculum omnino ſternerent. Nec [f] Hardecus et [g] Roſſius, qui ſolus in oppido cum Italis remanſerat, ſibi deerant, ducto intus vallo et egregie firmato. Sed rurſus continuis vigiliis, anguſtia annonae, aſſiduo militiae labore fracti, morbis ac vulneribus debilitati, ac praeſenti periculo territi, plerique animos deſpondebant. Itali ut longius ab domo decoris aſſerendi in alieno cupidi durabant: Germani contra ut in proximo receptum habentes tutiora conſilia malebant. Accedebat potentiſſimum inter eos diſcordiae telum, religionis diſſidium, quod utroſque inter ſe inviſos reddebat, Itali Germanos pravitatis Sectariae incuſantes, et Germanis viciſſim vitia Italis ſua exprobrantibus. Eoque res devenit, ut Itali ſcripſerint, ipſis dum contra Turcos pugnarent, a tergo perfidioſe inflictos

INTERPR. [a] *Pruck.* [b] *Leyta r.* [c] *Raab.* [d] *Porte de Peau.* [e] *le colonel Perlin.* [f] *le Comte d'Hardeck.* [g] *de Roſſi.*

inflictos ſcloppetorum a Germanis ictus: quod de fide Germanica adverſus auxiliareis in tam juſta praeſertim ac neceſſaria belli cauſa vix plerique crediderint. His tot tantiſque incommoditatibus remedium opportunum videbatur, ſi milite recenti et annona juvarentur obſeſſi; ob idque ad Matthiam ſemel atque iterum legatus fuerat [a] Octavius Armaleus. Verum Matthias, qui, diſſidentibus belli ducibus, nec certo in eos imperio, ex alieno potius quam ſuo pendebat arbitrio, quantumvis omnem operam daret, ut ſuos ad ferendas ſuppetias incitaret, nihil a feſſo et ſpe melioris ſucceſſus defecto milite impetrare potuit, ducibus ſe excuſantibus et injecta mora obſidionis eventum in dies opperientibus. Obſeſſi interim, Turcis foſſam implere injecta materia ſatagentibus, quaſi hoc ſolum ad tentandam oppugnationem ipſis deeſſet, nullum laborem intermittebant, quo hoſtium operas diſturbarent, incenſa illa ſaepius materia; ſed fere cum jactura ſua maxima, quippe cum hoc rerum ſtatu vitam unius ipſorum contra decem Turcorum merito aeſtimarent. Ut in foſſa replenda, ſic et in cuneis ad propugnaculum agendis ſtrenue laborabatur, jam angulo inſigni ruina fatiſcente, et navigio in foſſa ſubjecto deſtituto, ut per illud oppugnationem tentantibus via ſterneretur. Succedente conatu, addita tormentorum infeſta verberatio ad pomoerium aperiendum, Turcis dum opus urgerent, certae mortis ſpreto periculo in ruinam generoſe inſilientibus. Ad propugnaculum item Rabae propius, ubi XII orguyarum circiter ruina edita fuerat, eodem tempore oppugnatio tentata; et Turci tormentorum ſuorum in labro exteriore collocatorum ope infeſtum defenſoribus acceſſum reddiderunt, donec ipſis in altum enixis, Itali ac Germani a tormentis ſecuri manus acriter conſerunt, et Lino Germano annitente ſummae virtutis tribuno tandem hoſtes depulſi ſunt. In eo conflictu ex noſtris periere Veſpaſianus [b] Arcuenſis comes, Bartholomaeus Ricaſolius, Otho [c] Montanus, et [d] Bagneſius, multi alii obſcurioris famae. Poſtridie cum ſpes auxiliorum a [e] Burgovio intra triduum deducendorum facta eſſet, Germani nihilominus inſtabant, ut quando in defenſione nulla ſpes ſalutis ſuperaret, mature de deditione ageretur. Omnia quae fortibus viris patienda eſſent, huc uſque conſtanter pertuliſſe; eoque res adductas, paucitate ſua ac infirmitate contra numeroſum et praevalidum hoſtem, ut ſi diutius animum obfirment, temere obniti et veluti contra torrentem brachia dirigere videantur. Quae hactenus fecerint, merito virtuti imputari; ſi ultra pertendant, quicquid fecerint, non niſi temeritati tribui poſſe. Contra Roſſius, in modico tempore nihil diſcriminis ſubeſſe, quo praecipitato, et urbem, et cum urbe partum in ea defendenda decus amitti. Quid bidui moram contra ſempiternam gloriam, quae in hac vita ad famam, in altera ad perpetuam felicitatem ducit? Pro ſalute aeterna hic pugnari, cujus comparatione nihil aeque expetendum, ſi periculum ejus ſubſit, nihil aeque pertimeſcendum eſt? Proinde animos obdurent, intra biduum ſi de deditione paciſci neceſſe ſit, honorifice acturi; ſi promiſſa auxilia compareant, redintegratis viribus urbem, in quam totus Chriſtianus orbis oculos conjectos habet, defenſuri. Nihil haec apud militem omnis morae pertaeſum valuere. Statimque Perlinius cautione accepta emiſſus, qui de conditionibus ageret, de quibus poſtridie, hoc eſt, VI Kal. Octobris conventum eſt; miles cum armis, impedimentis, vexillis explicatis, ad tympani pulſum dimitteretur, et in tutum deduceretur. Hardecus traditis Budenſi purpurato clavibus cum ſuis exit, et Altenburgum verſus iter intendit, praetorianis paucis eum deducentibus. Ex VI CIϽ circiter ſive Germanis ſive Pannoniis tantum ſuperſtites fuere II CIϽ IϽ. Ex Italis, qui ab initio II CIϽ CC fuerant, vix numerati ſunt IϽ. Amiſſo Javarino Pappa mox a noſtris deſeritur. Matthias, apud quem Hardecus ſe ſtatim poſt deditionem purgare per literas nequicquam voluerat,

eum

INTERPR. [a] *il capitan Ottavio Armeleo.* [b] *d'Arco.* [c] *del Monte.* [d] *il Bagneſe.* [e] *le Marquis de Burgau.*

cum ad ſe venientem nec alloquio nec conſpectu dignatus eſt. Eandem repulſam a Tieffenbachio et Serinio paſſus, cum a nemine audiretur, Viennam ire perrexit, ubi juſſu Caeſaris io cuſtodiam datus eſt, delegatique judices ei dati, qui eum interrogarent. Capri et [a] Poſooii quidam ex domeſticis, et in domini caput torti, ſcrutati ſunt et Hardeci arcem primariam delegati, Krentzenſteiniam nomine, deſcriptione diligenti facta ſupellectilis et literatum, quae in ea repertae ſunt. Proditiouis is inſimulatus eſt his argumentis; quod ab indice transfuga monitus eſt Matthias, multos in ipſius caſtris eſſe, qui arcana ejus evulgent, et ſecreta cum Turcis conſilia agitent. Index, in [b] Quadis natus, et puer captus deteſtandae ſectae nomen dederat, ac Sinani cubicularius fuerat; a quo ſe nuper duos ſacculos aureis plenos accepiſſe dicebat, et duobus Chriſtianis eos heri ſui juſſu donaſſe, quorum alter cicatrice faciem notatam habebat; cum autem Hardeci ſamulum eſſe ex nota nemo ignorabat. Augebaot ſuſpicionem ſcalae intus poſt oppugnationem repertae; et quod Hardecus, cum cunei ab hoſtibus agebantur, tympana pulſari juſſiſſet, et annonam parcius militi, quam poſſet, diſtribuiſſe dicebatur, ut eum facilius ad deditionem inclinaret. Addebaot ad iovidiam ex fama et eum dono pallium exquiſitiſſimis zibellinis pellibus fartum, et variis ingentis pretii gemmis ornatum, a Sinane accepiſſe. Variae probationes undique collectae, ac poſtremo ipſe capitis damnatus eſt: verum haec ad inſequentem annum pertinent. Sinao [c] Javarioum ingreſſus ruinas inſtaurandas curat, et deſtructo circum vallo novas in urbe munitiones inſtituit, foſſam purgat, et praeſidiariis commoda hoſpitia diſtribuit, CL captis in ea tormentis, et CCCC pulveris nitrati menſuris, et magna farinae copia, qua in caſtris ſuis antea laborabat.

V. Inde de [d] Comora inſula in poteſtatem redigenda ſucceſſu elatus cooſilium capit, ſtatimque exercitum in inſulam traducit. Io ima inſula orientem verſus ſita munitio eſt, IV propugnaculis firmata, cum arce, quae ipſa IV propugnaculis circumdata ad oppidum pro quinto propugnaculo eſt; et longo veluti ortum verſus roſtro prominet. Pars hoſti ad occaſum oppoſita praeter profundiſſimam foſſam exterius labrum egregie munitum habet, ex quo deſenſores duos cuocos emiſerunt, qui ex vallo prodeuntes ſcloppetarios hinc inde tutarentur. Stabat contra acies Turcica, diſpoſitis in tumulis ad utramque Danubii ripam III hinc inde tormentis, quae propugnacula duo Comorae objecta pulſabant. Poſt tumulum a dextra et a laeva duo eqoitum [e] Aſianorum agmina collocaverat, V CIↃ ſingula; et poſt eos rurſus eodem ordine duos peditum ſelectorum cuneos, ſingulos V CIↃ conſtaoreis, quorum in medio V muralia tormenta eraot. Inde ex diverſae nationis peditatu lunati arcus ſpecie ampliſſimum ſpatium occupabant XXX circiter peditum CIↃ, et infra eos a dextra et a ſiniſtra agmina duo equitum ſingula IV CIↃ, poſt eos rurſus V alia tormenta inſtructa erant, hinc inde duobus peditum cuneis ex [f] Graeciae et Aſiae minoris delectibus cincta, quae ſingula X CIↃ efficiebaot. In media acie Sinan apparebat, XII CIↃ praetorianorum quadrato agmine incedentium cuneo undiqoe cinctus, et ad dextram ac ſiniſtram Tatarorum equitum agmina ſingula VIII CIↃ habebat. Ultimum agmen praetor Graeciae Sinanis filius ducebat, cum X CIↃ equitum joxta tentoria poſitus. Praeterea Sinan in dextra Danubii ripa ulteriore V machinas muraleis diſpoſuerat, quae oppidi latus auſtro obverſum feriebant. Obſeſſis ſummiſſi duo peditum Bohemorum cunei, qui Javarino deſtinari cum in tempore non adveniſſent, juſſu Matthiae a Joanne Medice et Franciſco Montano facto per Poſonium et ſiniſtram Danubii ripam itinere Comoram introducti ſunt. Sinan, qui ſola tot virium oſtentatione ſe terrorem obſeſſis Javarinenſium exemplo jam territis injecturum ſperabat; ubi vidit praeſidiarios ad obſidionem ſuſtinendam obſtinatos, ſtatim copias equeſtreis trans utramque Danubii ripam

INTERPR. [a] *Presbourg.* [b] *Sileſie.* [c] *Raab.* [d] *Comar.* [e] *de la Natolie.* [f] *Romelie.*

ripam amandat, ab annonae penuria ſibi metuens, tantumque xii cIϽ peditum, et delectam equitum manum penes ſe retinuit. Quo cognito inde Palfius, hinc Tieffenbachius in palanteis Turcos invecti, ac Tataros praecipue, multos ex iis ceciderunt, immanitatem, qua in ruſticos ſaeviebant, ulti. Mox et Tieffenbachius in inſulam tranſmittit cum x cIϽ bellatorum; et ut majorem hoſtium contemptum prae ſe ferret, nullo aggere ducto ſe hoſti in armis oſtentavit. Sinan ſpe ſua ſalſus, ſtatim vaſis conclamatis inſulam deſeruit, ſatis contra Caeſarianos profectum hoc anno ratus, et ad interiora reſpiciens, in quibus interim magna damna a Sigiſmundo Bathorio Tranſilvaniae principe et Raſcianis, qui ad eum defecerant, in Pannoniae limite occupatus, acceperat.

VI. EJUS parens Chriſtophorus aliique deceſſores olim Pannoniae regibus addicti, poſtea labefactata eorum majeſtate, et Turcorum ſe late effundente potentia, fortunae ceſſere, tributum pacti, quod annuatim Othomanicis Sultanis pendebant. Id indigne eum ferret Sigiſmundus, contra Stephani Poloniae regis patrui praeceptum, a quibuſdam, quos circa ſe habebat, patribus religioſis perſuaſus, de jugo Turcico excutiendo cogitare coepit. Id clam initio agebatur. Sed mox conſilia ejus hoſti patuerunt, poſtquam quoſdam e ſodalitio Jeſuitico, quibus plurimum fidebat, Romam miſit, ut pontificem conſulerent: an ſalva conſcientia Turco, cui fide data obſtrictus erat, tributum negare poſſet, ac poſtremo bellum facere. Nam eum diplomate pontificio a fide data ſolutus eſſet, additis inſuper hortatibus, ut bellum adverſus Turcum ſtrenue capeſſeret, tam glorioſum ſibi, quam deceſſoribus ſuis dedecoroſum fuiſſet, turpiſſimam ſervitutem ſub diriſſimo tyranno ſervire; ex eo nihil aliud quam libertatem in ore habere; alteri militandi neceſſitatem deprecari; miſereri vicem Chriſtianorum, qui Turco ſervirent; ac denique omnia dicere ac facere, quae alienum eum a foedere cum Turcis pro Tranſilvaniae ſalute inito eſſe oſtenderent. Id plerique e nobilitate prudentiores ac gentiles ipſi ejus minime probabant, hinc patriae cladem et funeſtum ipſi exitum ominantes, fruſtraque eum a pernicioſo conſilio revocare conati; cum viderent adverſus patrum illorum hortatus, et Romae monita, nihil valere ſuas quantumvis juſtas preces, occultum de ipſo ditione exuendo, eique alio ex Amurathis voluntate ſufficiendo conſilium iniiſſe dicuntur. Addunt et alii, etiam ea de re cum purpuratis ad Portam egiſſe. Cumque Tatari juſſu Amurathis per Podoliam in Daciam deſcenſuri eſſent, ſecretum illis mandatum eſſe datum, ut Sigiſmundum ad Poloniae fines, ſpecie negotiorum cum Joanne Sario Samoſcio adfinitate ſecum conjuncto tractandorum profectum interciperent. Illum autem re detecta ſubito e via revocatum in arcem [a] Keheveram totos xiv dies ſe continuiſſe, cui ſalutem crederet incertum. Interea conjuratos Bornemiſſae ſummo copiarum ſuarum duci perſuaſiſſe, ne temere manus cum Tataris confereret, quorum injuria foedus cum Amurathe initum, quo ſalus Daciae conſtabat, violaretur; et ita pulcherrimam delendorum Tatarorum occaſionem illorum perfidia omiſſam eſſe; qui eo metu ſoluti per Walachiam et Tranſilvaniam incedentes, et more ſuo cuncta obvia vaſtantes, innumeras animas in miſerandam captivitatem abduxerint, ac tandem ad Javarinum, ſicuti juſſi erant, in caſtra hoſtium venerint. Haec ita ab iis, qui circa Sigiſmundum erant, prodita. Qui ubi ex pavore ſeu ſuſpicione animum collegit, domum reverſus comitia provinciae [b] Claudiopolim indicit, propoſito edicto, quo poena capitis addita ſeveriſſime vetabatur, ne conjurationis ultra in iis mentio fieret, quo conjuratos ſcilicet ſecuros facilius opprimeret. Igitur in comitiis nihil aliud actum, quam de provincia in libertatem contra Turcorum injurias aſſerenda; in qua non ſolum patriae quies, ſed animarum ſalus verſaretur. Ignavia hactenus graviter ea in re peccatum, dum qui ſummae rerum praeerant, praeſentis et ad paucos duraturae dies tranquillitatis potius rationem

INTERPR. [a] *Kehever.* [b] *Clauſenbourg* al. *Coloſvár.*

rationem habuerunt, quam ad Dei gloriam reſpexerunt, cui accepta ferre debemus omnia, et ſine cujus gratia nihil in hac vita ſtabile, nihil vere glorioſum ſperare poſſumus. Quid enim pace cum Turcis in hunc diem profectum, niſi ut miſeri Tranſilvani ſenſim cervices in ditiſſimum ſervitutis jugum induerent? Quin potius illud excuterent, et icto cum Caeſare ac vicinis principibus Chriſtianis foedere alteri probroſo et ad ſalutem ſempiternam damnoſo quam primum renunciarent. Sic praeſens ac propitium rebus ſuis Numen experturos, ſic certam victoriam de hoſte impio, tantum audeant, ſemper reportaturos. Haec a Sigiſmundo publice et ſeorſim in colloquiis, in arcanis confeſſionibus ubique a patribus Jeſuitici ſodalitii jactabantur. Et ex nobilitate egentiores, nec uſu rerum experti, facile id ſibi perſuaderi paſſi ſunt, in ſpem opimioris fortunae per bellum erecti; nec reputantes tantae molis bellum facilius ſuſcipi, quam deponi. Raſciani autem illi, de quibus dixi, populi bellicoſi, exemplo Coſacorum ex alieno diteſcentium invitati, arma quam quietem malebant. Reclamabant proceres experimento melius edocti, et contra majorum inſtitutum id fieri arguebant, qui omnem de republica conſultationem, pacis cum Turco colendae commentationem eſſe dicebant. Id ex Stephani ore prudentiſſimi principis, cum Tranſilvaniae praeeſſet, et poſtea quam Poloniae rex creatus eſt, ſaepius exceptum; cujus praeceptis acquieſcere, quam vanis novorum hominum promiſſis auſcultare tutius ſit. An [a] Dacos propriis viribus adverſus potentiam Turcicam pares futuros? Si per ſe non poſſint, quem idoneum promiſſorum auxiliorum ſponſorem dari? Belli ſemper prima initia arridere, ſed mox ſecuturos triſteis exitus: et cum tantus hoſtis ad portas et in viſceribus ipſis provinciae tentoria fixerit, feras e longinquo ſuppetias fore. His ita utrinque diſputatis tandem ſaniora conſulentes a majore numero victi ſunt, accedente praeſertim principis auctoritate, de ultione ex patruelibus ſumenda cogitantis, et in Caeſaris adfinitate et amicitia, a quo ad bellum Turcicum incitabatur, praeſidium omne ſuum reponentis. Id interventu Alfonſi [b] Carilli Hiſpani e ſodalitio illo agebatur, qui ad creduli juvenis aures aſſidue excubans hinc Auſtriacae domus potentia, hinc proprio, quod a patruelibus impendebat, oſtentato periculo, eum tandem ad belli conſilia praecipitavit. Quaeſitus armis color fidei defenſio, et patria libertas, neutrum ſive ex conſilio ſive ex eventu verum: cum inde mox omnis juris divini perturbatio, et diriſſimum bellum inteſtinum ſecutum ſit. Comitiis peractis proceres convivio a principe excepti, et in iis conjurationis ſuſpecti, primuſque inter ſacra menſae comprehenſus eſt Balthazar Bathorius, Sigiſmundo, ſi ab imperio depoſitus fuiſſet, ſucceſſor, ſicuti ferebatur, deſignatus; et cum eo XIV in diverſos carceres diſtributi, ex quibus V poſtridie ſupplicio affecti ſunt: reliqui mox capite luerunt. Balthazar in carcere ſtrangulatus eſt. Fratres ejus Stephanus, et Andreas ante decennium a Gregorio XIII in collegium cardinalium cooptatus, fraudem ſubodorati comitiis non interfuerunt. Praecipitatum judicium ob criminis atrocitatem et imminens periculum. Sicque facti conſultores argumentabantur: quod olim in Chriſtierno Daniae rege in privata injuria ulciſcenda, non ſolum excuſatum, ſed etiam tanquam jure factum a Leone X approbatum fuerat, id in Sigiſmundo, qui diriſſimam in ſe conjurationem aliter revincere non potuerit, a Clemente VIII improbari non poſſe. Supplicio de conjuratis ſumpto, per totam provinciam cunctis facultas publico edicto datur propriis ſumptibus militem legere, et in militiam adverſos Turcos proficiſci, omni praeda, quam ex hoſtico referret, militi attributa, qua, ut ceteris bonis, uti, frui ei liceret; tum mutata ubique rerum facie armis circumſtrepere omnia, privatarum familiarum quietem ſolicitari, priſca majorum inſtituta verti, militem ſine duce, duces ſine [c] tribuno paſſim diſcurſare: ſummi imperatoris nomen ab utriſque ignorari,

ita

INTERPR. [a] *Tranſilvains.* [b] *de Carillo.* [c] *Colonel.*

ita ut propior licentiae res, quam diſciplinae militari videretur. Primus novae militiae impetus in naveis Turcicas, Danubio adverſo vectas, fuit; quarum VII captae, omni commeatus genere maguaque auri vi onuſtae. Octava, quae praetoria erat, in tutum evaſit. Hoc ſucceſſu elatus Sigiſmundus XL bellatorum CIↃ omnis generis exercitum ſpe praedae poſt ſe trahens Michaelem Walachiae et Aaronem Moldaviae Vaivodas, Othomanici imperii beneficiarios, defectiones alioqui ſuorum veritos, ad ſuas partes pro tempore pertraxit. Inde juxta Temeſvaram caſtra metatur, miſſa exercitus parte Waradinum verſus, quae agrum vicinum vaſtaret, et commeatum ab ea parte, ne in Sinanis caſtra libere comportaretur, impediret; tum datis ad Tieffenbachium literis eum rogat, ut ad fineis ſuos copias admoveat, quo conjunctis viribus communem hoſtem laceſſerent. Eodem tempore [a] Leucovitzius [b] Caroloſtadii in Carinthia praefectus, cum delecta equitum peditumque manu profectus nocte intempeſta [c] Vihitſeium Turcicum praeſidium admotis ſcalis occupavit, imparatis defenſoribus, qui clamore et ululatu hortendo nequicquam omnia complentes poſt exiguum certamen in arcem ſe receperunt; qui in domibus aut plateis intercepti ſunt ad unum omnes trucidati. CCL captivi Chriſtiani libertati reſtituti. CL foeminae captae. Ingens praeterea frumenti, vini aduſti ac commeatus vis in oppido reperta, quae Croato militi in praedam ceſſit. Id actum XIV Kalendas Decembreis. Cum autem Tatari a Sinane dimiſſi reditum in patriam per Walachiam ſuperiorem, et Tranſilvaniae fineis inſtituerent, a Palfio primum caeſi, qui duas eorum turmas intercepit, et partim in varias cuſtodias diſtribuit, effuſis late Raſcianis. Cum exitum non haberent, ad direptionem et incendia verſi cuncta late circa Tokaium vaſtarunt, et retro pedem ad Danubium referentes flumen ad Strigonium rurſus tranſmiſere, et Sinanis permiſſu Veſprinii, Pappae, et vicinis Rabae locis hybernarunt. Sigiſmundus confuſas, quas initio habebat copias, diverſis ducibus attribuerat. Partem ducebat [d] Geſtius Ferentius, et in [e] Lucarienſi agro circa Temeſvaram rem gerebat. Partem Michael [f] Horvatus penes ſe habebat, et iter Buda venientibus Turcis infeſtum reddebat. Cum tertia Gaſpar [g] Carnoiſius comes in agro [h] Julenſi conſidebat. His ſe Coſaci adjunxerunt, qui licentia graſſante admiſſi ab injuria Chriſtianorum poſtremo minime temperarunt, et poſt fugatos Tataros, et ditionem Turcicam vaſtatam in Walachiam ingreſſi, cum provinciae regulis tanquam cum hoſtibus conflixerunt, victoreſque oppida ac vicos diripuerunt, IↃC virgines rapuerunt et immani libidine ſtuprarunt. Inde numero aucti et ſub III ſignis XVI CIↃ praedonum habentes per Poloniae fineis eadem licentia graſſati ſunt. Haec praeludia belli cum Turcis contra foedus a Sigiſmundo ſuſcepti; qui ultionem anno ptoximo veritus, Carillum, quo auctore a foedere Turcico diſceſſerat, ad Caeſarem legat, et per eum quid egerit, oſtendit; principium ſe bello pro Chriſtiana libertate feciſſe, et ad illud Moldavum et Walachum obligaſſe, qui adverſus potentiam Turcicam impares ſint; proinde petebat, ut promiſſa auxilia in tempore ſummitterentur, ne aut illi poenitentia ſubeunte cum Turco reconcilientur, aut ipſe viribus minor ſuccumbat. Carillus rei ab initio pararius praeclara et magnifica omnia a Caeſare retulit, et adfinitatem tam diu ſperatam firmavit, pactis inter eum et Mariam Chriſtiernam Caroli patrui archiducis filiam nuptiis; ita ut dicterium ab adverſa factione emanaverit, Sigiſmundo pro rupti foederis praemio uxorem ab Auſtriis datam, et pro dote neceſſitatem belli cum Turcis gerendi impoſitam fuiſſe.

VII. AD noſtra nunc tandem admiſtis externis paulum intermiſſa deveniendum eſt, quae ad ſequentem annum exeuntem continuato ſermone proſequemur. Poſt receptam

INTERPR. [a] *Leukowitz.* [b] *Carlſtadt.* [c] *Wibitz.* [d] *Geſti Ferentz.* [e] *Territoire de Lucar.* [f] *Horwat.* [g] *Carnoſio.* [h] *Territoire de Giula.*

receptam Lutetiam et adverſae partis pleroſque proceres ac civitates reconciliatas, dum rex in rebus regni ordinandis laboraret, affertur de morte Antonii Sanpauli paulo ante equitum tribuni a Meduanio creati. Is nobili loco ſe natum ferebat, ſed admodum in tenui re. Nam et parens ejus in [a] Bellovaſiorum Brichanteorum familia venatoris primum, dein [b] diſpenſatoris munere functus dicitur, et loco ſummi beneficii reputavit, ut filius in Antonii Bellovaſii Nangii familia inter nobileis pueros aſcriptus ei ſerviret; qui poſtea inter civilia arma erevit, tanta animi ſolertia et ſagacitate, ut legionis tribunus fieri meruerit; in Germanorum ad [c] Alnetenſem arcem in Belſia caeſorum ſtrage, quam Henrici Lotharingi Guiſii auſpiciis et juſſu ac ſuaſu fecit, magnum nomen adeptus, et poſtea ejuſdem Guiſii favore adjutus ditiſſimam viduam ac nobiliſſimo loco natam in uxorem duxit. His initiis homo natura ſuperbus, poſt Guiſii mortem variis expeditionibus late ſui per Campaniam terrorem ſparſit; eoque vecordiae poſtremo venit, ut [d] Retelenſium ducis titulos ſumpſerit. Quod Ludovicus Gonzaga Nivernenſium dux, ad quem dotalis is principatus legitima ſucceſſione pertinebat, impatientiſſime tulit; ac minabatur, ſicubi Sanpaulum nanciſceretur, fore ut illi ad proximam arborem corona ducali prius ad ludibrium inſignito gulam frangeret. Sed expetitas de ſuperbia hominis poenas antevertit Carolus Lotharingus Guiſius, Henrici filius; et non ſolum ſuam, ſed et Nivernii avunculi, ſiquidem Nivernius materteram Guiſii in matrimonio habebat, injuriam ultus eſt. Quippe ipſe Campaniae praeſes, cum Sanpaulum legatum ſub ſe haberet, vix ſupremi imperii umbram et precariam tantum auctoritatem ſervabat. Quod cum minime ferre poſſet, occaſionem hominis de medio tollendi quaerebat, et forte accidit, ut eodem tempore Rhemenſes apud Guiſium expoſtularent, quod cum fidem ab initio Henotici foederis ſemper conſtantiſſime ſervaſſent, nihilominus a Sanpaulo, nullas ipſorum preces admittente, tanquam ſuſpecti milite ſubinde novo gravarentur. Tumultuatum jam aliquoties a civibus ob eam cauſam fuerat, et parum res a ſeditione nuper abfuerat, niſi Sanpaulus re in Guiſii adventum remiſſa tumultuanteis placaſſet. Igitur ubi ad urbem venit Guiſius, tam Sanpaulum voluntati ſuae et imperiis adverſantem reperit, quam cives eum hactenus iniquum experti fuerant: et cum provideret hominem tot ſucceſſibus elatum et novis titulis inflatum, ſi ipſum cum acerbitate verborum increparet, ſuperbe reſponſurum, occaſione ſumpta eum in platea ante majoris templi valvas aggreditur, et cur militem injuſſu ſuo in urbem introduxerit, rogat. Ille primo ſimulata modeſtia factum excuſare, temporibus ſuſpectis urbis ſecuritati ſic melius conſultum, nec ejus injuſſu factum dici poſſe, quod per ipſius abſentiam factum ſit. Cum nihilominus inſtaret Guiſius, et verborum acerbitate non abſtineret, ille protinus manu enſis capulo admota praefracte reſpondit, quod fecerit, jure ſuo feciſſe; nec provinciarum praeſidibus, qualem ſe Guiſius jactet, quidquam in [e] equitum tribunos, qualis ipſe ſit, juris eſſe. Ad quae verba Guiſius nihil cunctatus, occaſione, quam quaerebat, oblata, hominem fiduciae plenum occupat, ſtrictoque gladio tranſverberat; et ex ſtipatoribus ipſius unum hero ad ferendum auxilium cum gladio accurrentem, qui aderant mox multis vulneribus confodiunt. Id actum VII Kalendas Maias, manifeſto plebis praeſentia tantum ſectantis plauſu, quae diriſſimi tyranni jugo ſe liberatam laetabatur. Ceterum haud occulto aliorum longius proſpicientium metu, qui ſublato Sanpaulo potentiorem longe dominum cervicibus ſuis impoſitum [α] moerebant; multiſque

VAR. LECT. [α] moerebant: alii rurſus extra periculum poſiti ſic exiſtimabant, facinus temere et peſſimo exemplo a Guiſio perpetratum; quid enim gratiae a Guiſianis ſperaturos, qui eorum potentiae ſemper adverſati ſunt; cum videant ipſos in amicos tam ferociter ſaevire? Id nimirum gentile illis eſſe, ut benemeritis haec praemia rependant: ſic Meduanium Guiſii patruum, ante ſeptennium

INTERPR. [a] *de Beauvais Nangis de la maiſon de Brichanteau.* [b] *Maiſtre d'Hotel.* [c] *Auneau en Beauſſe.* [d] *de Rethelois.* [e] *Mareſchaux de France.*

multiſque perſuaſum fuit, per Sanpauli necem Guiſii cum rege reconciliationem maturatam fuiſſe; cum videret magna ſe propterea invidia inter foederatos flagrare, et in Meduanio patruo, quicum haud occultas ſimultates jamptidem exercebat, parum praeſidii ſibi ſuiſque rebus ſupereſſe. CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

VIII. PAULO ante lis contra Jeſuitici ſodalitii patres, praecipuos harum turbarum incentores creditos, ab academiae Pariſienſis ordinibus olim tentata, diuque intermiſſa, poſt XXX annos acri contentione renovata eſt; cum non deeſſent in urbe ſive ex factionis Henoticae reliquiis, ſive gratiam pontificis ex eo ſperantes, qui publicum odium, atque adeo regis tunc maxime adverſi offenſionem pro ipſorum defenſione ſuſtinere non vererentur. Igitur XIV Kalendas Maias, cum ad beati Mathurini, ſupplicationibus indictis, pro recepta urbe, ſalute regis regnique celebrandis, ordines academiae conveniſſent, Laurentius [a] Burceretus artium doctor rogationem tulit, ut litis tot annos comperendinatae judicium urgeretur, et vocatis in jus Jeſuitis, de iis academia omnino expellendis ageretur. Rectoris tunc munere fungebatur Jacobus [b] Amboſius, qui ſuffragiis togatis ex unanimi doctorum theologiae, juris canonici, medicinae et artium, tum etiam IV procuratorum nationum, quos vocant, conſenſu nemine reclamante pronunciavit, placere, ut Jeſuitae in jus rite et convenienter vocarentur, eam ob rem ex ſingulis ordinibus ſelecti nominarentur, qui omnia quae ad litem contra Jeſuitas inſtaurandam pertinerent, diligenter curarent. A theologis nominati Hadrianus Amboſius ſcholae Navarrenae moderator, et alter, quem ipſe Amboſius ex ſuo ordine delecturus eſſet. Davidſonus juris canonici profeſſor nomine collegii quae acta ſunt, approbavit, et quia ſolus aderat, alium ex ſuo ordine nominaturum recepit. Medici Jacobum [c] Cuſinotum; artium doctores ipſum Burceretum et Georgium [d] Creightonum nominarunt. Secundum haec libellus [e] ſupplex nomine academiae ſenatui porrigitur, cujus haec ſumma erat. Diu eſſe, ex quo ordines in ſenatu queſti ſunt de nova ſecta eorum, qui in Hiſpania et locis circumpoſitis prima incrementa cepiſſent, ambitioſo Societatis JESUS nomine ſibi aſcito; magnas ab iis confuſiones tunc in diſciplina ſcholaſtica excitatas, majoribus dein turbis eoſdem cauſam dediſſe, poſtquam aperte factioſi partibus Hiſpanorum ſe addixerunt, et diris ſeditionibus non ſolum urbem, ſed totum regnum miſcuerunt. Id jam ab initio theologicum ordinem prudentiſſime pervidiſſe, condito decreto, quo novam hanc ſectam ad labefactandam omnem diſciplinam tam civilem quam eccleſiaſticam, et nominatim ipſius academiae obedientia tam rectori illius, quam praeterea archiepiſcopis, epiſcopis, curionibus, aliiſque eccleſiae praeſulibus negata, introductam eſſe pronunciavit. Nihilominus Jeſuitici ſodalitii ſocios, cum nondum peſtiferae ſectae per alias regni urbes virus ſparſiſſent, tantumque in hac urbe prima ſemina jeciſſent, libello ſupplici a ſenatu petiiſſe, ut academiae aggregarentur; cauſaque agitata ſenatum litem comperendinaſſe, ſalvo partium jure, ita ut nihil interim in ſenatuſconſulti praejudicium in cauſa innovaretur. Jeſuitas tamen non ſolum curiae decreto minime paruiſſe, ſed profeſſionis ſacerdotalis oblitos, ſe publicis negotiis immiſcuiſſe, ſe pro exploratoribus Hiſpanorum geſſiſſe, ipſorum res procuraſſe. Nunc quando lis tot annorum ſpatio intermiſſa fuerit, atque adeo eremodicium contractum, petere, ut

cum

tennium Sacromorum Biragum, quo praecipuo belli duce, ſpretis aliis a rege attributis, in Aquitania uſus fuerat, ob levem ſuſpicionem Divione in ſuis aedibus propria manu mactaviſſe; et nuper Florimundum Halvinium Meneleii marchionem ob leviſſimam item ſuſpicionem Farae ad Eſiam per emiſſarios ſuos perfidioſe interficiendum curaſſe. Ceterum Dei optimi beneficio factum eſſe, ut rex per hoſtes de hoſtibus ultionem ſumeret, et utilitas ad ipſum, invidia ad illos redundaret. Habere jam nominis regii ſtudioſos, quo Henrici tertii, qui Guiſium parentem deteſtandae conjurationis compertum interfici Bloeſis juſſiſſet, factum, exemplo a Guiſianis ipſis petito, tuerentur: nam plus regi functo in Guiſium patrem, quam Guiſio filio in Sanpaulum juris fuiſſe. Haec tunc ita jactabantur, multiſque perſuaſum fuit MSS. *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Bourceret maiſtre ès arts.* [b] *d'Amboiſe.* [c] *Couſinot.* [d] *Creighton.* [e] *Requeſte.*

cum de his omnibus palam et publice conſtet, ſenatus auctoritatem ioterponat, et decreto ſuo ſectam iſtam non ſolum ab academia Pariſienſi, ſed omni regno faceſſere jubeat, ac exterminet, ad idque cognitoris regii advocationem implorare. Dicta patribus a ſenatu dies. Cum Jeſuitae patres minime ad conſtitutum veoirent, variis protelationibus dilatum judicium. Inter has protelatiooes, concors initio academiae ordinum de Jeſuitis ejiciendis conſenſio, factioſorum coitione per prenſationes ſenſim ſolvi ac tandem divelli coepit; habitaque in ſchola Sorbonica deliberatione, et recitato patrum Jeſuiticorum libello, quo petebant, ut theologicus ordo, cujus nomen academiae rector in lite contra ipſos intentata obtendebat, declararet, ſe conſenſum rectori non praebuiſſe, aut liti participare velle: theologi convocati ad libellum reſponderunt, ſe quidem cenſere patres Jeſuitas redigendos et recenſendos eſſe in ordinem et diſciplinam academiae, regno autem Gallico eſſe nullo modo expellendos. Eodem tempore et Carolus cardinalis Borbonius, ingraveſcente morbo lethali, a factioſis et a Jacobo [a] Comoletio turbulento concionatore ex eodem ſodalitio perſuaſus, et Ludovicus Gonzaga Nivernius, qui Nivernii ſcholam Jeſuitarum ſodalium alebat, per libellos ſupplices interceſſerunt, et ultro ſe liti obtulerunt: ſed incivilis eorum petitio viſa eſt, quod non privatorum, ſed coguitoris regii ea diſceptatio eſſet. Cum alia atque alia impedimenta illi cauſarentur, poſtremo Nonis Quintilibus decretum eſt, niſi intra diem dictam comparerent, fore, ut eremodicio contracto ſecundum praeſenteis proounciaretur. Verum illi rurſus publicum concurſum veriti, per Claudium [b] Duretum patrooum ſuum petunt, ut cauſa occluſis foribus, non publice, agitaretur; quod multa ad cauſae defenſionem neceſſario dicenda haberent, quae pleriſque proceribus aliiſque, qui nuper regi conciliati fuerant, moleſtiam eſſent allatura. Itaque annitente Antonio [c] Seguierio patrono regio et Franciſco Doo urbis praefecto aliiſque proceribus, qui jus dicendae in ſenatu ſenteotiae habeot, [α] a ſenatu impetratum, ut cauſa clauſis oſtiis diſceptaretur.

IX. HEIC poſtquam Jacobus Amboſius Latine, ut moris eſt, pauca praemiſit, pro academia verba fecit Antonius [d] Arnaldus vehemens orator; et a proteſtatiooe contraria Dureti excuſationi orſus, nihil ſe contra eos dicturum, qui regi reconciliati ſunt, teſtatus eſt, quippe cum pro filia regis primogenita, hos titulos ſibi academia Pariſienſis ſumit, loquatur, quae parenti optime merito omnia fauſta et proſpera optet, et quantum in ſe eſt ſervata religioſe oblivionis lege procuret; cum Jeſuitae contra Hiſpanis partibus addicti id agant, ut regem cum proceribus legitimi ſui regni committant, et ſuſpectos eos ipſi reddant. Tum deplorandam Franciae conditionem proponit, quae quamdiu pacem inter ſuos coluit, cunctis formidoloſa, nunc poſtquam factionibus ſciſſa eſt, omnibus deſpicabilis et ludibrio pateat. Factionibus cauſam dediſſe Jeſuitas, homines origine et inſtituto Hiſpanos; idque viros prudentiſſimos jam olim praedixiſſe verius quam utilius, quippe minime creditos, auro Hiſpanienſi jam tum inſinuante ſe, et Gallorum fidem ſolicitante. Sed tunc divioaſſe, quae nos poſtea vidimus, et quotidie adhuc cernimus; et tamen illos ferri. Eorum vero, qui ei ſectae patrocinantur, alios meticuloſos et quaſi adhuc inter Sexdecimanorum, atque adeo Jeſuitarum, ex quorum nutu Sexdecimani pendebant, manus verſentur, pavore exanimatos obmuteſcere. Alios, quia huic ſectae nomen dederunt, ei in occulto favere. Utroſque ſeu metu ſeu gratia caecos periculum, quod ab illis imminet, non providere, aut diſſimulare. Sic autem rem habere: Carolum v, cum arridente fortuna ſpem de orbis monarchia in familiam ſuam transferenda concepiſſet, et, qua erat ſagacitate, longo rerum uſu comperiſſet, morſu ac ſcrupulis conſcieotiae multos attineri,

ad

VAR. LECT. [α] ob id ambitioſe per factioſos evocatis, a ſenatu MSS *Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Commolet.* [b] *Duret.* [c] *Seguier avocat du roy.* [d] *Arnauld.*

ad eos expugnandos non aliud potentius telum reperire potuiſſe, quam ſi homines Hiſpanici inſtituti per ditiones aliorum ſpecie religionis introduceret, qui in arcano per ſacras confeſſiones, et palam, cum occaſio ſe offerret, in concionibus credulos ac ſimplices animos ab obſequio legitimi imperii alienatos ſenſim ad partes ſuas pertraherent. Ipſorum praecipuum votum eſſe per omnia et in omnibus obedire ordinis generali, quem vocant, qui fere Hiſpanus eſt, aut ditionis Hiſpanae. Id paucorum, qui L abhinc annis ſodalitio praefuerunt, ſerie patere. Nam poſt Ignatium Loiolam eorum conditorem natione [a] Cantabrum, in munere ſucceſſiſſe Jacobum [b] Lainem, itidem Almazaoi, agri [c] Seguntini oppido, ac proinde in regno Caſtellae, natum. Tertium Everardum Mercurianum, natione quidem Belgam, ceterum ditionis Auſtriacae. Quartum Franciſcum Borgiam Candiae ducem. Quintum Claudium Aquavivam, qui nunc eſt, Neapolitani regni, quod et ipſum ab Auſtriis poſſidetur, regulum. Voto autem haec verba horrenda adjuncta, quibus in generali ſuo Chriſtum velut praeſentem ſe agnoſcere profitentur. Eorum vero ſectam, cum in Italia et Gallia initio paſſim exagitaretur, in Hiſpania magno plauſu approbatam fuiſſe: id abunde Petrum Ribadeneiram, qui Ignatii vitam ſcripſit, teſtari, cum ait ſocietatem in hoc dieſque nocteſque Deum precibus placare ac fatigare, ut Philippum regem Catholicum incolumem feliciſſimumque quam diutiſſime tueatur, qui, pro ſua avita atque eximia pietate, ſumma prudentia, incredibili vigilantia, maxima inter omneis, qui unquam fuerunt, reges, potentia, ſe murum pro domo Dei opponit, et Catholicam fidem defendit. Proinde generalis mandet, jubeat, ut rex Franciae occidatur, ex voti neceſſitate Hiſpano jubenti parendum eſſe. Illos ut certum eſt pro Philippo quotidie vota nuncupare, ſic pro rege Franciae nunquam preces facere, quippe cui nullo fidei ſacramento obligati ſunt. Porro ad regni everſionem eorum conſilia tendere ex eo manifeſtum fieri, quod quoties pontifices, potentiae modum ſupergreſſi, contra hoc florentiſſimum non ſolum Chriſtiani orbis ſed Catholicae fidei propugnaculum ſpiritalia tela diſtrinxerunt, non defuere viri pii, qui communi eccleſiae Gallicanae ſuffragio temerariis hujuſmodi conatibus fortiter ſe oppoſuerunt. At his noviſſimis tumultibus contra accidiſſe, ſacro omni ordine ſectae hujus veneno corrupto, et conſtanti inter theologos a patribus Jeſuitis edoctos ſententia, electum ſemel in pontificem, licet natione aut factione Hiſpanum, et Gallici nominis juratum hoſtem, poſſe nihilominus regnum univerſum in praedam dare, er Gallos fide, quam principi ſuo debent, ſolvere. Hanc ſententiam Schiſmaticam ac deteſtandam, ac prorſus verbo Dei, qui ſpiritalem potentiam a terreſtri, quantum coelum a terra diſtat, inter ſe diviſit, adverſari; tamque ſaluti ac principatuum conſervationi repugnare, quam conſtat veram religionem Chriſtianam ad eos conſtituendos neceſſariam eſſe. Haec monſtra hos furores in quorundam Francorum animis accendiſſe, totque ſtrages ac horrendas confuſiones ubique excitaſſe; hoc ſpiritu incitatum Tanquerellum ante XXXIII annos palam auſum aſſerere, licere pontificibus regi ſubditos a fidei ſacramento liberos pronunciare; ob idque mulctam honorariam ſenatus judicio commiſiſſe. Cum vero ante quinquennium Sorbonicam [d] ſcholam [e] Sexdecimani conſulerent, an ſubditi regis obſequio ſolvi poſſent, Joannem Fabrum ordinis ſui ſyndicum, Dionyſium [f] Camuſium, [g] Sabotum, Jacobum [h] Fabritium S. Pauli plebanum, [i] Chaviniacum, antiqui moris ac fidei priſcae theologos, conſtanter reclamaſſe: alios, qui numero vincebant, in Jeſuitica officina ſcilicet inſtitutos, ſpretis Franciae legibus et eccleſiae Gallicanae libertatibus, contra cenſuiſſe. At enim fide annalium noſtrorum conſtare, cum temporibus Ludovici Pii Gregorius IV id juris in regno Franciae uſurpare vellet, a piis vere epiſcopis reſponſum fuiſſe, CIↃ IↃ XCIV. Henricus IV.

ſi

INTERPR. [a] *Biſcaien.* [b] *Lainez natif d'Almaçan.* [c] *de Siguença.* [d] *College de Sorbonne.* [e] *les Seize.* [f] *Camus.* [g] *Sabot.* [h] *Faber, curé de S. Paul.* [i] *de Chavagnac.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

ſi diris regem devoturus veniret, fore ut diris devotus ipſe abiret. Idem contra Hadrianum papam ab eccleſia Gallicana in Caroli Calvi cauſa factitatum. Votum hoc nimirum a Caſtellenſibus inſtitutum, quod tam arcto nexu conſcientias ad quodvis facinus patrandum, ac reges ipſos, ſubornatis inſidiatoribus, interficiendos, ligat, praeclara majorum inſtituta, regni leges, et eccleſiae Gallicanae libertates ſolviſſe, ac penitus aboleviſſe: atqui legem hanc a majoribus acceptam, fidei ſacramentum, quo ſubditi Franciae regibus obligantur, nullis poſſe pontificum cenſuris ſolvi; atque ita cum ſalute et incolumitate regni conjunctam eſſe, ut ſine certa pernicie ab eo divelli non poſſit. Regiam poteſtatem in illo ſociam non ferre, non ullam juriſdictionem aequalem admittere. Ob id prudentiſſime olim inſtitutum eſſe, ut archiepiſcopi et epiſcopi, qui ratione muneris ſacram juriſdictionem exercent, regibus fidei ſacramentum dicant; et qui fori eccleſiaſtici exceptione ſe tuentur, coram ſe judice regio comparere teneantur, ab eoque ad judicem proprium remittantur. Beatum Ludovicum magna ſe conſtantia, atque etiam cum aliqua verborum acerbitate, pontificiis diplomatis oppoſuiſſe; quod Pragmatica ejus integra teſtatur. Et ſane ultionem dignam de nobis Romae viſam fuiſſe, ſi pii illius ac fortiſſimi progeniem de medio ſuſtuliſſent. In id omneis animi nervos intendiſſe cardinalem Placentinum, legati cum poteſtate ſeu titulo in Franciam miſſum, ut legem Salicam everteret, certiſſimum Franciae Palladium; ſine quo lilia nunquam ad illud ſupremum decus et verae gloriae faſtigium excreviſſent, et contra Hiſpaniae aſtus ac fraudes etiam nunc hodie vigerent. Pontificum, quibus haec ſecta peculiari nexu addicta eſt, ſcitum eſſe, ut utrumque gladium penes ſe eſſe contendant, et ſpiritualis poteſtatis, quam ipſi tenent, omnia regna ac principatus judicio ſubeſſe; ad hocque apoſtoli illud retorquere, Spiritalis homo judicat omnia, a nemine autem judicatur. Quae niſi tanquam erronea et ſchiſmatica rejicimus, neceſſe eſſe, ut nos, qui regi obſequimur, a communione eccleſiae excluſos, Franciam cenſuris ſacris ſubjectam, diris devotam, atque adeo, quod vere pii abhorrent, Sathanae praedam, agnoſcamus. At non eam majorum fidem fuiſſe: Philippum Pulchrum, bacchante contra Franciam Bonifacio VIII, et regum ſe moderatorem ac ſummum judicem aſſerente, Fatuos eos pronunciaſſe, qui ita crederent. Tamen hac aetate Robertum Bellarminum in ea ſchola educatum extitiſſe, qui reges pontifici ſubjacere, atque adeo ab eo principatu exui poſſe, editis ſcriptis aſſeruit. Alios itidem ejuſdem ſodalitii patres nunc paſſim in concionibus, in arcanis confeſſionibus ac diſputationibus, ad ima tartara et Philippum Pulchrum et conſiliarios ejus inauditos damnare, qui diplomata pontificia publice olim Lutetiae exuſſerunt, et ſanctam ſedem rectore vacuam pronunciarunt. Nec melius Benedicto XIII Bonifacii veſtigiis inſiſtenti ceſſiſſe ſuam temeritatem temporibus Caroli VI, diplomate ejus, quod multa injurioſe adverſus regis auctoritatem complectebatur, publice lacerato, et iis qui illud attulerant plauſtro per plateas devectis, et ad ignominioſam erroris confeſſionem adactis. Ludovicum autem XII, tam Romae inviſum quam a ſuis dilectum, concilium in Turonibus contra Julium II celebraſſe, quod alterum Piſis indictum ſecutum eſt; in quo decretum eſt, licere regi armis perſequi injurias a pontifice acceptas, concitatis contra Franciam Hiſpanis, Germanis, Helvetiis, Anglis. Diſtricto poſtea a furente dirarum fulmine, nihil contra Franciam actum: tantum ſaevam illam tempeſtatem in regnum Navarrae incubuiſſe, a Ferdinando Aragonio perverſa omnis juris ratione Joanni [a] Labretano, quod noſtras partes ſequeretur, ereptum. At fore aliquando et ſperari ultorem Joannis pronepotem. Hujus potentiae nimiae aſſertores et emiſſarios non confertim, ſed ſenſim ſine ſenſu, pedem in Galliam intuliſſe, exiguo primum numero Lutetiae, [b] Turnonii et Lotharingi cardinalium favore ſubnixos: mox totum regnum impleviſſe,

ac

INTERPR. [a] *d'Albret.* [b] *de Tournon, & de Lorraine.*

ac fraudibus occultis et ſeditioſis concionibus ad arma concitaſſe. Ac Lutetiae quidem in eorum aedibus primas conjurationes initas, Bacchanalibus olim et Catilinae conſpiratione pernicioſiores. Ibi Hiſpanos oratores ſaepius clam conveniſſe; ibi adactam in ſacris confeſſionibus nobilitatem, ut expiationem delictorum impetraret, Henoticae factioni nomen dare; et negatum detrectantibus abſolutionis beneficium. Per eos, ut alia commemorentur, ad apologiam Catholicam Petri [a] Beloii ſuppoſito nomine reſponſum eſſe. Per eoſdem [b] Veſunae Petrocoriorum excitatam ſeditionem, et [c] Condate Rhedonum a factioſis per octiduum occupatum; idque libris publicatis patrum Jeſuitarum concionibus aſcriptum. His auctoribus [d] Aginnum Nitiobrigum, Toloſam, et Virodunum rebellaſſe; et Burdigalam paulum a periculo abſuiſſe, niſi regiis partibus in ea civitate addicti pernicioſa ipſorum conſilia antevertiſſent. [e] Nivernium autem ſola Ludovici Gonzagae ducis prudentia et moenium infirmitate defenſum. Per eos praeſidium Hiſpanorum Lutetiae introductum fuiſſe; eorundemque conſilio factum, ut Sexdecimani externo milite audaciores redditi per patrem [f] Matthaeum ad Philippum ante treis annos ſcripſerint, eique Franciae regnum detulerint. Nec multo poſt, hoc eſt, XIII diebus tantum interpoſitis, ſecutam illam ad omne aevum deteſtandam principum ſenatorum carnificinam, qua Hiſpani patientiam noſtram tentarunt. Illo nimirum die captam urbem, ni Meduanius, et qui cum eo erant, eam potius in ſua quam externorum hominum poteſtate retinere cupientes, praevertiſſent. Inter fucatos iſtos ſacerdotes proverbialem teſſeram eſſe, qua unum Deum, unum pontificem, unum Chriſtiani orbis regem agnoſcant; eum Catholicum regem eſſe, cui mundi univerſi monarchiam deſtinant, excitatis paſſim bellis ac rebellionibus, ut per illas vaſta illa imperii moles vicinis imminens creſcat, et minores principes devoret. Monſtri ſimile eſſe impoſturae genus, quod illuſtriſſimo Ludovico Borbonio regiae ſtirpis primatio ſtipiti impudentiſſime illi affinxerunt; eum ardente bello monetam cudiſſe, qua Ludovicus XIII rex Francorum indigitabatur. Sed, ut miſſa fiat eorum in mortuos impietas, nonne in eorum ſchola [g] Lugduni, et poſtea Lutetiae, anno ſuperiore conſilium de regis paricidio initum eſſe? Atteſtari id confeſſiones Petri Barrerii [h] Meloduni ob id ad mortem damnati, cum antea a Jeſuitis ad paricidium auctoratus, in id et abſolutionis beneficio et ſacro viatico ſemel atque iterum procuratus fuiſſet. Arſacidis Aſſaſſinis nimirum eos ſucceſſiſſe, qui Raimondum olim [i] Tripolitanum comitem, Conradum Montisferrati marchionem, Edvardum regis Angliae filium, alioſque magnos principes occiderunt; quorum princeps ſecurim cultris ancipitibus horrentem praeferre ſibi gaudebat, addita praeconis voce, qua cuncti ante conſpectum ejus fugere jubebantur, quippe qui vitam principum in poteſtate haberet. Siquidem apud Jeſuitas vere martyres Dei cenſeri, qui vitam interficiendis principibus locarunt. Inde eſſe, quod Commoletus natali proximo, ſumpto ex libro Judicum Aodi, qui Moabitarum regem occidit, et patrato facinore aufugit, exemplo, opus eſſe altero Aodo clamabat; ſive eo monacho, ſive milite, ſive lixa, ſive paſtore, nihil intereſſe. Id et aliis teſtimoniis conſtare. Nam Gulielmum [k] Parrium, cum ad ſupplicium duceretur, ultro confeſſum, ſibi a Benedicto [l] Palmio Jeſuita perſuaſum, licere impune occidere reges a pontifice diris devotos. Cumque ſacerdos quidam, [m] Wattus nomine, ab eodem conſultus, id ut impium deteſtari videretur, Hannibalem Codretum Lutetiae conveniſſe, qui ſententiam Watti ut haeretici improbavit; et coelum mereri, qui tale quid auſus eſſet, praefracte aſſeveraſſe. Quem praeſtare auſurum, ſi praepoſtera prudentia res diutius diſſimuletur, quin Galliae poſſet accidere, quod Britanniae potuit? Inter conſtitutiones illorum perſcriptum eſſe, ut tyrannos aggrediantur, et lolium ab

agro

INTERPR. [a] *Du Beloy.* [b] *Perigueux.* [c] *Rennes.* [d] *Agen, Toulouſe, & Verdun.* [e] *Nevers.* [f] *le Pere Matthieu.* [g] *Lyon.* [h] *Melun.* [i] *de Tripoli.* [k] *Parry.* [l] *Palmio.* [m] *Watts.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

agro Dominico evellant. At pro tyrannis inter eos haberi, quos pontifex ſeu odio ſeu metu in gratiam non recipit. Quid ergo non metuendum his conſultoribus, his animarum moderatoribus et incentoribus? An exſpectandum, dum aliquis ex illa latebra prodeat, qui veſano ſpiritu impulſus, columen Galliae et unicum patriae ſidus, quod diuturnum ut ſit omnes boni exoptant, immani paricidio extinguat? Nec imponere credulis debere, quod puerorum inſtitutioni inſervire vulgo dicuntur; imo corrumpendis puerorum moribus, ut ſcilicet cum lacte pernicioſos errores ſub ſpecie umbraque pietatis, quaſi miſta melle venena, imbibant, diſcantque his magiſtris manus cruentas principi inferre, magiſtratui non parere, ſeditiones inter populos excitare, Gallicum nomen odiſſe, et adulterino amore Hiſpanos proſequi. Altius praecepta deſcendere, quae teneris annis imprimuntur. Pueros, qui nunc ſub ferula illorum degunt, aliquando in viros evaſuros, odiumque idem atque amorem, quem in eorum ſchola imbiberunt, ad rempublicam ſive eccleſiam allaturos. Ex quo novatores iſti in pueritiam involarunt, majorum mores non paulatim, ut antea, ſed torrentis inſtar praecipitatos eſſe. Non familias ab his tutas eſſe; pueros a patrum conſpectu, a matrum gremio, ab illis quotidie rapi, et bona avita cum illis ad novos dominos transferri. Notas eſſe Petri [a] Acrodii, viri docti et de republica bene meriti, de iis querimonias; et captata [b] Monbrunii praeſidis Lutetiae, [c] Divione [d] Godrani item praeſidis, et [e] Burdigalae [f] Bolloniorum teſtamenta. Nuper vero et [g] Largibaſtonii primarii curiae illius praeſidis ampliſſima praedia a filio in eam ſocietatem tranſeunte ſecum aſportata; et [h] Canilliaci marchionis fratrem, qui nuper eidem familiae nomen dedit, non prius ad votum, quo bonis renunciatur, admiſſuros, quam fratris natu grandioris de ſucceſſione conſtet; ac fortean aliquando fore, ut titulos illuſtriſſimae tota [i] Aquitania familiae per eorundem praeſtigias extinctae ipſi etiam ferant. Eorum jam divitias ſuſpectas, affectato opum contemptu, in dies augeſcenteis; quo fit, ut ſperata praeceptoribus aliis praemia pereant, et ſtudia ipſa ſublatis praemiis extinguantur. Quid vero aliud in ipſorum ſcholis diſci, quam, patria charitate oblivioni tradita, rebus Hiſpanorum ſtudere? In corporibus humanis ſemina divina diſperſa eſſe, eaque ſi bonus cultor excipit, ſimilia originis prodire; ſin malus, non aliter quam humum ſterilem et paluſtrem necare; ac deinde creare purgamenta pro frugibus. Philippum, cum [k] Luſitaniae regno jampridem inhiaret, his adminiſtris uſum; cumque provideret, rege incolumi et nobilitate ſalva, voti ſe compotem fieri non poſſe, per Jeſuitas amotis intimis ac fidis, Sebaſtiano perſuaſiſſe, ut in [l] Africam trajiceret, et temerarium cum Cherifio viribus ſuperiore proelium, in quo totus fere Luſitanae nobilitatis flos periit, praeter omnium ſuorum ſententiam committeret. Mox Henrico cardinali mortuo, quid non acres Philippici nominis ſatellites feciſſe, ut Antonium regni comitiis regem electum male perderent? Cum eum terra excluſiſſent, ad [m] Caſſiteridas, quae regi fidem ſervabant, eum proſecutos. Ibi cum ceteros ſacros ordines animos pro Antonio rege obſirmare cernerent, in coenobio ſuo ab oppidanis incluſos tamdiu quieviſſe, donec captata occaſione reſeratis oſtiis ſacroſanctam hoſtiam, Deo ſcilicet illudentes, et ejus tremendis myſteriis ad privatam tutelam ſuam abutentes, ante fores ſtatuerunt, dum interim populos ad ſeditionem concitarent; iiſque poſtremo perſuaſiſſe, ut conſilium in hoc bello ex eventu caperent, et ſe medios gererent. Ita factum, ut Philippum [n] Strozzium cum claſſe Gallica eo profectum tam neceſſario tempore minime juverint: eumque eventum expeditionis fuiſſe, ut, caeſo ſummo belli duce, XXVIII proceres in ea pugna capti, et LII ex nobilitate Villa-francae, contra jus gentium, reclamante etiam milite, juſſu [o] Santacrucii marchionis ignominioſe capite truncati ſint.

Cur

INTERPR. [a] *Ayrault.* [b] *le preſident de Monbrun St André.* [c] *Dijon.* [d] *le preſident Goudran.* [e] *Bourdeaux.* [f] *la maiſon des Bollons.* [g] *Largebaſton.* [h] *Canillac.* [i] *Guienne.* [k] *Portugal.* [l] *Barbarie.* [m] *les Açores.* [n] *Strozzi.* [o] *Santa Cruz.*

Cur igitur tamdiu tantae exſpectationis judicium differri? Objici ſenatuſconſultum ante XXX annos factum, quo lis comperendinata eſt. At litem illam nou ſolum per triennium, ſed per tricennium peremptam eſſe; idque etiam in ſenatu locum habere, cum lis nondum ad plenum inſtructa ſit. Praeterea litem illam ab hac diverſam eſſe. Nam in illa Jeſuitas petitorum, academiam defenſoris, partes ſuſtinuiſſe. Heic contra Jeſuitas reos, academiam actoris loco eſſe. Er vero longe aliam atqne aliam utriuſque litis rationem eſſe. Tunc de iis in academiae corpus aggregandis actum fuiſſe; nunc de iiſdem regno pellendis agi. Comperendinata tunc lite eos, [*]quod voluerant, quodammodo obtinuiſſe: nunc ad litem comperendinandam ſi res remittatur, perinde eſſe, atque ſi de regis vita, quae per eos in diſcrimine verſatur, comperendinanda ageretur. Et temporum diverſam eſſe rationem. Tunc enim mala eventura in prudentium animos incurriſſe: nunc jam praeterita et praeſentia ſpectari. Tunc nondum ab iis Hiſpanos praeſidiarios in regni metropolim introductos: nondum furibundas Bernardi et Commoleri voces auditas, regem Olofernem, Moabum, Neronem, Herodem vocitantium, ac praeterea paſſim in concionibus blaterantium, regnum per electionem transferri poſſe, detortis per ſummum ſcelus impudenter ſacrae ſcripturae ad id verbis: Borboniae ſtirpis principes ſpiritu prophetico indignos regno pronunciatos; nam ſcriptum eſſe, [1] Eripe me Domine de luto ne infigar. Nondum habuiſſe librum vitae, quem vocant, in quo ſecreta familiarum per confeſſiones cognita deſcribunt. Nondum denique eas radices factionis ſuae egiſſe, quae in tantum ab eo tempore excreverunt, ut nihil a regiis oratoribus in Italia aut Hiſpania tentatum ſit, in quo non aliquem ex illo ſodalitio voluntati regis ac regni dignitati adverſantem pro antagoniſta habuerint. Deinde a jure, ſcripto illo, quaeſito, excidiſſe Jeſuitas; quippe cui minime ſatisfecerint. Nam [a] Poſſiaceno decreto, cui parere per ſenatuſconſultum tenebantur, in omnibus derogaſſe, aſſumpto Jeſuitarum nomine, quod vetabatur, et praeter ſcholam, quae illis tantum erat conceſſa, collegio ſacerdotum, quod vetitum erat, in [b] Santantoniano vico condito; in quo et nunc ſumma impudentia viſuntur ornamenta ſacerdotalia Caroli Borbonii cardinalis ſenioris liberalitate donata, cum plenis, quae vocant, regiae gentis inſignibus et galero purpureo; ut etiam nunc in regis contumeliam oſtendant, eum pro rege contra regni leges habuiſſe, et pro Carolo X agnoviſſe. Praeterea illo decreto cautum eſſe, nt nulla alia a pontificibus diplomata deinceps impetrare poſſent illi contraria, omnibuſque privilegiis et immunitatibus ab iis juri communi derogantibus renunciarent; idqne ſenatuſconſulto perſcriptum eſſe: at diplomate contra decretum illud anno CIↃ IↃ LXXXIV dato, ipſos juriſdictioni epiſcopi, in cujus dioeceſi eos degere contigerit, exemptos eſſe. Igitur poenam decreto et ſenatuſconſulto appoſitam incurriſſe, et jus decreto illo et ſenatuſconſulto quaeſitum omnino amiſiſſe, emendicatis aliis ſuper alia pontificiis diplomatis, quibus poena excommunicationis addita prohibitum eſt, ne de conſtitutionibus illius ſodalitii aut privilegiis iis conceſſis diſputare, vel etiam veritatis indagandae quaeſito colore ea in dubium revocare, liceat. Denique tempore quo ſenatuſconſultum factum eſt, cunctis notum eſſe, trepidos omneis bonos fuiſſe, et elingueis; cum dicere quod nollent, miſerum, quod vellent, periculoſum eſſet; nec de conjuratione Hiſpana jam tum adulta libere prudentiores queri poſſent. Quid igitur ſupereſſe, niſi ut homines ad excogitandum acutiſſimi, ad audendum impudentiſſimi, ad efficiendum acerrimi, tam in ſcelere vigilantes, tam in perditis rebus diligentes, tanquam Gallicae dignitatis infeſtiſſimi hoſtes, protinus regno pellantur? Nihil dignius in vita poſt tot ingentia in rempublicam merita Matignonum equitum tribunum Aquitaniae praeſidem feciſſe, quam

INTERPR. [a] *de Poiſſy.* [b] *ruë S. Antoine.*

NOT. [1] Pſ. LXVIII, v. 15. ed. vulg. Delivre-moy, Seigneur, de la *Bourbe*, & que je n'y enfondre point.

quam cum Jeſuitas, quibus rerum Burdigalae potentibus urbem in obſequio retinere non poterat, manu militari ſine ullo protelatae litis ſufflamine exegit. Hoc exemplum imitentur, qui regnum ſalvum cupiant; nec curent, quid Romae dicatur. Nam eos tantum, qui Hiſpanae factioni addicti ſunt, tam generoſum facinus improbaturos tanquam ab Haereticis patratum. Atqui Haereticos ab iiſdem pronunciatos, qui Lutetiae toto belli tempore manſerunt, et legem Salicam ad extremum tutati ſunt. Contra alios, qui a partibus alieni ſunt, Gallorum prudentiam, et in libertate patria retinenda generoſos ſpiritus, laudaturos. Nam cui ignotum eſſe, quanta immanitate Hiſpani, ubicunque rerum potiti ſunt, eam oppreſſerint? Quot hominum CIϽ in Indiis crudeliter extincta, viris ab uxoribus ſeparatis, et his ad metalla, quae poena olim capitalis fuit, illis ad terrae culturam veluti damnatis? Quot animas in margaritarum piſcatu, in oneribus portandis, extinctas? Per hanc carnificinam Indiis exhauſtis, nihil aliud Gallis ſub jugum miſſis ſperandum fuiſſe, quam ut ipſi per colonias in Indias deducerentur, eandem fortunam et eaſdem cum Indis injurias a diriſſimis tyrannis paſſuri? Verum juris ordinem expoſcere, ut, ſi Jeſuitae tales ſunt, criminum objectorum rei peragantur, et poſtea regno pellantur. At enim mala noſtra minime lenta remedia et ſegneis medicos expetere. In Humiliatorum abolendo ordine Pium V omnem ambitum vitaſſe, ob cardinalis Borromaei periculum. Poſt [a] Barrerii a Jeſuitis ad parricidium auctorati conjurationem detectam, qua regis vita in ſummum diſcrimen adducta fuit, cunctatione ampliore opus eſſe quis dicere auſit, niſi qui cardinalis vitae regis periculum poſthabeat? Si ad mortem damnandi eſſent, fortaſſe longiore circuitu opus fuiſſe. Nunc, cum de iis regno pellendis tantum agatur, locum eſſe ſententiae, per quam neque impune illis ſit, et judices ſeveritatis ac clementiae non poeniteat. Quaedam eſſe crimina laeſae reipublicae ad quorum pronunciationem ſoli oculi ſufficiant: non enim ſolere argumentis probari, cum laeſa ſit res publica, manifeſta ſenſim damna reipublicae eſſe. Neque vero originem ſpectandam eſſe, neque quod non omnes, qui familiae illi nomen dederunt, gente Hiſpani ſint. Nam potius civeis credendos qui in extrema Scythia nati bene de Gallia cogitant, quam qui Lutetiae geniti et educati, locum, libertatem, gloriam, in qua nati ſunt, per ſummum ſcelus perdere volunt, et conantur. Per [b] Bernardum et Commoletum ac ſimileis jampridem factum eſſe, ut qui in ea ſchola peſtiferae ſectae lac imbuerunt, charitatem patriae exuerint, et ad nutum pontificis ac principis ordinis, vitam, mores, affectus inſtituant, regant, moderentur. Varadam Pariſienſem conſilium de rege interficiendo dediſſe. Aurum Indicum et Hiſpanienſe ſuperato Pyrenaeo mores Gallicos corrupiſſe, atque adeo Gallos in Hiſpanos transformaſſe. Regem illum potentiſſimum Philippum, cujus imperium Romano latius patet, ſi Indiarum litoralia ſpatia numerentur, cuncta jam in Gallia et Italia poſſe. Romae Franciſcum [c] Toletum ex illo ſodalitio cardinalem creaſſe; Toletum illum, qui Nivernio nuper tam incommoda a pontifice reſponſa attulit; qui noſtris malis inſultare viſus eſt; qui praeſules a Nivernio adductos adigere voluit, ut coram Sanſeverino cardinali Inquiſitionis praeſide, quaſi aut prave de religione ſentientes aut ſacrilegii alicujus rei, ſe ſiſterent, et pro impertito regi poenitenti abſolutionis beneficio abſolutionem ab ipſo peterent. Verum enimvero eos, de quibus regno pellendis tanta animorum contentione nunc agitur, cum, cardinali Lotharingo annitente, anno CIϽ IϽ L diploma a rege impetraſſent, quo inter alia continebatur, jam ipſos in Hiſpania receptos, nihilominus communi omnium claſſium ſuffragio rejectos eſſe. Cumque quadriennio poſt, importunis in aula prenſationibus, alterum diploma a rege impetraſſent, cauſa a ſenatu ad Sorbonicam ſcholam remiſſa, Gallicanos theologos nondum Hiſpana labe infectos decretum ſuum interpoſuiſſe, et unanimi conſenſu cenſuiſſe, ſocietatem

INTERPR. [a] *Barriere.* [b] *le Pere Bernard.* [c] *de Tolede.*

ſocietatem illam in negotio fidei periculoſam eccleſiae pacem turbare, monaſticam diſciplinam evertere, et magis in deſtructionem qnam in aedificationem vergere: quippe incertum tunc fuiſſe, qui novi iſti ſectatores eſſent, ſaeculares an regulares. Nec Gallos tantum de iis ita pronunciaſſe. Nam cum illi Hiſpanorum ſpeculatores confirmationem novi inſtituti a pontifice peterent anno CIↃ IↃ XXXIX, re ad delectos cardinales remiſſa, Bartholomaeum [a] Guidicionem virum pium et eruditum magnopere pugnaſſe, ne res cooficeretur, ut qui tantam religionum multitudinem minime probaret, Lateranenſis et Lugdunenſis conciliorum auctoritate permotus, et potius qnorundam lapſam fluxamque diſciplinam in priſtinum ſtatum revocandam, quam novas religiones inſtituendas, cenſeret; eaque de re librum ſcripſiſſe. Tandem tamen renoiſſe, nr reciperentur; hoc quarto voto ad ipſorum inſtitutum addito, ut ſummo pootifiei ad nutum praeſto forent. Hoc nimirum eſſe, quod illos adeo Romae commendet, et quod eo magis illos nobis ſuſpectos reddere debeat. Quo igitur ore, qua fronte putemus eſſe eos, qui inter muliercularum greges cauſae hujus actores ac perſecutores, tanquam Geneva aut Aoglia miſſos, in Sectariae pravitatis crimen vocant? Sed enim quem vere Catholicum in hae cauſa fore, ſi Jeſuitae olim, cum a theologis noſtris rejicerentur, in Hiſpania tenuetunt, ut Sorbonicum decretum ab Inquiſitione improbaretur? Nam in Ignatii vita a Ribadeneita perſcriptum eſſe, quod Gallicanom decretum contra ſanctae ſedis Apoſtolicae auctoritatem eſſet, a qua Jeſuiticum inſtitutum probatum et confirmatum eſt, fidei quaeſitores in Hiſpania illud tanquam falſum, et quod pias aures offenderet, enntrario decreto legi prohibuiſſe. Tum ad judices cooverſa oratione eos hortatur, curent, ut viros ſe praebeant, occaſionem oblatam teneant, et ampliſſimi orbis terrae coneilii principes ſe eſſe recordentur. Veniſſe rempus, ſerius omnino quam dignnm nomine Francico fuit, ſed tamen ita maturum, ut differri jam hora non poſſit: vincere eam ſententiam debere, quae diem non profert. Opportunos magnis eonatibus eſſe rerum tranſitus. Ut medici in corporibus aegris nihil quod nociturum eſt relinquunt, ſic quicquid obſtat libertatl recidendum eſſe. Non aliter poſſe diſciplinam in Gallieis ſcholis per haec bella collapſam inſtaurari, quam ſi Hiſpanienſis ſehola evertatur: quae per has hirudines lireris ſtudentium cruori inhians, apertis ubique ludis quaſi ineiſis venis academiae Pariſienſis ſuccum et ſanguinem depaſcitur. Poſtremo regem abſentem alloquitur, er periculo proprio admonitum orat et obteſtatur, ſe regnumque, quod ſalute ipſius ſtat vigetque, reſpiciat; neque committat, ut potius gloriae ſuae male meritis parcendo, quam noxios amovendo publicae ſecuritatis, rarionem habuiſſe videatur. Tandem a ſenatu petit, decernat, ut juxta ſupplicem libellum Jeſuitae toto regno intra XV dies a decreti denunciarione ad ſingulas ſcholas facta excedere reneantur; ni faciant, tempore elapſo quicunque ex iis reperietur, oullo juris requiſito ordine, ſtatim tanquam laeſae majeſtatis et paricidii contra regem tentati reus damoetur. Id actum IV et III Eidus Quintileis.

X. CURIONES et liti intervenerant, pro quibus Ludovicus [b] Dolaeus triduo poſt pari vehementia dixit: Damnatis olim Romae Iſidis et Serapidis ſacris, ut ea inſtanrandi ſpes omnis ſacerdotibus adimeretur, decretum fuiſſe, ut templum a fundamentis dirueretur: ſed ſuperſtitione et pravae religionis meto eos, quibus id commiſſum erat, nltionem a Numine veritos, imperium detrectaſſe; donec Aemilius Paulus conſul, qui nihil impium ducebat qnod reipublicae cauſa fieret, primus, exuta purpura et arrepta haſta, exemplo ſuo caemenrariis ad templum deſtruendum praeivit. Id nſu nune venire in ſecta praejudicio jam damnata; et exſpectari a ſenatu, quod homines meticuloſi aggredi reformidant. Nihil in ſpeciem fallacius eſſe, quam pravam religionem, ubi Numen ſceleribus praetenditur; ſubire animos timorem, ne fraudibus

humanis

INTERPR. [a] *Guidiccione.* [b] *Dolé.*

CIϽ IϽ XCIV. HENRICUS IV.

humanis vindicandis divini juris immiſtum aliquid violetur. Se, qui pro urbis curionibus verba facit, omni ſuſpicione, quae in alios calumnioſe rejicitur, vacare. Illos ſacrae doctrinae profeſſores ab omni odio procul eſſe; quippe qui hujus belli tempore cum Jeſuitis intra eadem moenia manſerint, et eadem obſidionis pericula et incommoda pertulerint. Fruſtra illos Haereticos vocari, quod de aliis credibile in eos non cadit. Nec cognitorem regium, oculum et linguam imperii, penes quem ſolum noſtris moribus criminum perſecutio eſt, moleſte ferre debere, ſi ipſi partes ſuas interponant. Nam ad eos pertinere, ut videant, ne qui religionis praetextu publicae tranquillitati aut privatorum conſcientiis perturbationem adſerant. Cum primum de Jeſuitarum cauſa cognoſci coepit, Petrum [a] Verſorium pro defenſione eorum dixiſſe, illos ad Poſſiaceni conventus praeſcriptum vitam inſtituere, nihilque feciſſe, de quo plebani conqueri poſſent: tantum in futurum proſpiciendum. Hanc illorum tunc defenſionem fuiſſe. Nunc quid eoſdem dicturos, cum, perverſo academiae ſtatu, etiam in Hierarchiam eccleſiaſticam involaverint? Auditas modo academiae querelas, nunc plebanorum audiendas. Ante XXX annos hanc ſectam unanimi theologorum Pariſienſium conſenſu damnatam. Nunc, cum tot ſuffragatores in eodem ordine repererint, videndum quantum ab illis metuendum ſit, qui non ſolum juventuti nocuerint, ſed etiam totum theologorum collegium, et ipſorum judicum ordinem perverterint, ut quod olim damnaverint, nunc probent, et quos publicam quietem perturbaturos tunc augurabantur, nunc, poſt tot turbas ab iis excitatas, ad utilitatem natos pronuncient. Atqui plebanos contendere, Jeſuitas in eccleſiaſtico ordine minime cenſendos, ſive ut ſacerdotes ſaeculares, ſive ut regulares reputentur. Non in perſonas, non in praeteriti temporis acta, quorum oblivionem regis clementia prudentiſſime ſanxit, inquiri; de inſtituto ipſorum controverſiam tantum moveri. Nec, ſi a pontifice approbati ſint, propterea in Gallia recipi debere: nam pleroſque ſacros ordines nondum Alpeis tranſcendiſſe. Nihil aeque deſolandae religioni eſſe, quam cum non majorum ſed novo ritu ſacra peraguntur. Nimirum auſteritatem et cernuos in terram vultus non modeſtiae et contemptus rerum in his patribus indicia eſſe. Superbiam et faſtum hac ſpecie celari; et, dum terram cernunt, ad opes terreſtres et externos honores oculos intendere. Nam ſi initia eorum et progreſſus inſpiciantur, L ab hinc annis quantas radices egiſſe? Cum eorum numerus ad LX definitus eſſet, plus CCCC domicilia ſibi intra breve ſpatium conſtituiſſe; et numerum illum modicum ad VII CIϽ excreviſſe. Ipſos vero ſummas ad dignitates ſtatim in ipſis inſtituti incunabulis evectos, quo vix poſt CC annos a prima ſua origine monachi alii pervenire potuerunt. Nam ex eo ordine fidei inquiſitores, epiſcopos, cardinales mox creatos; ut non inſcite ab homine inter eos aliquando profeſſo dictum ſit, Ignatianos in eo ſibi nimium ſapientes videri, quod ſe coelo putant aliquando imperaturos, quaſi ſocietatem cum Jeſu ipſo contraxerint. Vovere illos paupertatem; ſed votum illud eoſdem ita interpretari, ut quod verbo adfirmant, facto negent, et quod adſectata pietate adſtruunt, impudentiſſima cavillatione prorſus evertant. Quam multa illis inconſiderate et opertis oculis a pontificibus data? Paulum III nova ſtatuta condendi, et quae ſectae fundator ſanxerat mutandi, poteſtatem feciſſe: item haereticos abſolvendi; quamvis pontifex contendat, id totam eccleſiam Gallicanam facere non poſſe. Paulum IV conſimiliter iis conceſſiſſe, ut ab omnibus criminibus, etiam iis quae in bulla coenae Dominicae non comprehenduntur, ab iis etiam quae apoſtolica ſedes ſibi reſervavit, confitenteis abſolverent; vota et peregrinationes pro tempore commutarent; miſſam ante ſolem exortum et poſt meridiem celebrarent; ſacramenta adminiſtrarent; officium Romanum novum non ex praecepto, ſed ex libertate, recitarent: Julium III jejuniorum

INTERPR. [a] *Verſoris.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

juniorum et ciborum vetitorum gratiam facere permiſiſſe: denique Gregorium XIII poteſtatem iiſdem feciſſe cum Sectariis verſandi, ob idque etiam profana veſte uti, quod conſtitutionibus ſacris adverſatur; libros quoſlibet corrigendi, atque adeo patrum ſcripta emendandi; in quo quot plagia admiſerint, iis qui libros tractant, cognitum eſſe. Inde magnas in eccleſiam invectas confuſiones, ſoluta paſſim diſciplina. Nam populo per Pauli III diploma licere, relictis paſtoribus ordinariis ad eos divertere, et ab iis ſacramenta accipere; quippe quibus Gregorius commiſerit, ut animadvertant tam in clerum, quam in plebem, quo rite et more Romano cuncta peragantur. Ita repente, ex ſacerdotibus ſaecularibus an regularibus incertum, plebanos, paſtores univerſales, aut, ut verius dicatur, periodeutas et [a] circumcelliones et hamaxarios epiſcopos repente effectos: nihil non eos hodie Romae poſſe, ubi mentis pontificiae oculi vocantur: periculo id noſtro cognitum, cum, ſemel inſeſſa ab his harpyiis cuncta tactu foedantibus mente pontificis, juſtae regis preces et vere Francorum vota, magno cum dolore ceterorum orbis principum, qui regnum ſalvum cupiunt, eluſa ſint. Nobiſcum non poſſe vivere, qui ſacram diſciplinam ſolvunt, qui aliena a coelo noſtro ſentiunt; per eos coelum nobis clauſum, quod ut referetur, ſi manuales lapides Francis ſunt movendi, ſi eccleſia Gallicana pro tuendis libertatibus legitime congreganda eſt, qui poſſe ab illis fieri, qui alium, quam Franci, ſolem aſpiciunt? Quibus id praecipuum mandatum eſſe conſtat, ut libertatem Gallicam nunc aſtu, et aliquando vi aperta, ſicuti jam ultimis his bellis conati ſunt, opprimant? Anathemata illis eſſe, qui regis partes ſecuti ſunt; Francos contra cenſere, non obedire regi perinde eſſe ac Deo reſiſtere, ac gigantum more contra coelum pugnare. Illos putare, licere pontifici reges et populos cum libet diris devovere: Francos contra pro Sectariis habere, qui putant pontificem in diſſidio imperii poteſtatem poſſe interponere, et gladio principali vim et auctoritatem per ſpiritalem conciliare. Infinitam poteſtatem pontifici illos tribuere, in omneis terrae principatus; ſupra eccleſiam, ſupra concilia eum conſtituere, denique poteſtatem cum voluntate ipſius confundere: at Francos finitam ejus poteſtatem agnoſcere, multum alioqui ei deferentes, eumque ſupra omnia caduca extollentes. Nam ſpiritalem ejus juriſdictionem non alias quam orbis metas habere; magnitudinem ejus non ex mundo eſſe; quicquid extra eccleſiam eſt, eo indignum eſſe. Operae pretium eſſe intelligere, quid in diſſidio Urbani pontificis et Henrici imperatoris ſub anno CIↃ XXCVIII pronunciaverit Sigebertus Gemblacenſis. ‘Inde in eccleſia offenſiones et in regno diſſidia augeſcere, dum alter ab altero diſſidet, dum regnum et ſacerdotium diſſentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem aut ex cauſae aut ex perſonae praejudicio contemnit, dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex ſuo libitu, quam juris reſpectu, abutitur. Auctoritatem illius, qui dedit ligandi poteſtatem ac ſolvendi, omnino deſpici. Hanc novitatem, ſive haereſin, tunc primum emerſiſſe, ut ſacerdotes illius, qui dixit regi apoſtata, et qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceant populum, malis principibus obedientiam non deberi, nec teneri fidei juratae vinculo, aut perjurum dicendum, qui contra regem ſenſerit; imo qui regi paruerit, pro excommunicato habendum; qui contra regem fecerit, a noxa injuſtitiae et perjurii abſolvendum.’ Haec cum ſcriberet Sigebertus, quaſi Numine futuri praeſcio plenus, in haec tempora, atque adeo in hos homines inſpexiſſe, quorum ſceleri ac furori non mens aut timor, ſed tantum fortuna reipublicae obſtitit. At egregia ipſorum exſtare in religionem merita. Claudium [b] Matthaeum factionis anteſignanum, quo ad privatas devotiones Henricus III tam familiariter utebatur, et qui proinde perſpectam

INTERPR. [a] *Vagabonds qui n'ont point de demeure arreſtée.* [b] *le Pere Mathieu Jeſuite.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

perſpectam optimi principis pietatem habebat, Romam profectum ſumma impietate et ingratitudine Gregorio XIII perſuadere voluiſſe, ut regem, oiſi pernicioſae factionis ducibus morigeraretur, diris devoveret. Quod cum a mitis ingenii pootifice impetrare nonpotuiſſet, eo mortuo a ſucceſſore fraudibus circomvento tandem obtinuiſſe; qui optimum principem ob factum, tam juſtum, quam ad ſui regnique turelam neceſſarium, iniquiſſime, et perverſo omni juris ordine, eccleſiae communione excluſit. Temeritatis autem ſuae ac credulitatis cum ſero Sixtum poenituiſſet, Bernardum ex illo ſodalitio, qui [a] Avarici Biturigum tunc commorabatur, aoſum pontificis nomen et auctoritatem ob id maledictis proſcindere, quod motus Gallicos componere in animom induxiſſet, et Politicis atque adeo Sectariis, ut ipſe aiebat, in occulto faveret. Notas eſſe cardinalis Toleti cum Nivernio concertationes; ac ſatius eſſe, dicere, illos in Hiſpania ortos, ab Hiſpano ſive Hiſpanae ditionis et factionis homine, cui caecae obedientiae vinculo addicti ſunt, circumagi, oihilque perinde dicturos, ſuaſuros, facturoſque quod non ad amplificationem Hiſpani imperii pertineat. Philippum jam pridem occultis machinationibus, poſtea vi aperta, in Franciam graſſatum eſſe, et aureo hamo animos male affectorum veluti piſcatum. Nunc tandem cum haec omnia in vanum ceciderint, per iſtos ſuae magoitudiois emiſſarios quaſi praeſidium mentibus Francorum impoſuiſſe, atque adeo percuſſores in regno alere. Ex illo ſodalitio unum ſe Sexdecimanis in urbe ducem praebuiſſe. [b] Barrerium a [c] Varada ad parricidium animo conceptum, cum nutaret, confirmatum eſſe; idque illos confiteri, ſed inepta cavillatione excuſare. Nec unius id crimen eſſe; quippe ſolemne eſſe inter eos, ſiquid moliantur, ut capita inter ſe conſerant. Ao vero exſpectandum, ot tantum crimen expietur, dum quot in eo ſodalitio ſunt, tot reges morti demiſerint? In magnis crimioibus unius ob noxam Perſarum decreto totam propinquitatem perire. In bello licere ſeu dolo ſeu virtute graſſari. At vitae regum inſidiari; hoc oon eſſe vincere, ſed victoriam furari. Quo igitur illas voces, Aodo opus eſſe, toties a furente Commoleto ex ambone repetitas, niſi ut Aſſaſſinorum nomen et exemplum in uſum revocetur? Atqui Photii teſtimonio in Nomocanone conſtare, ſevere olim concionatoribus ioterdictum eſſe, ne populum per conciones ad ſeditiones incitarent. Annalium item Juvenalis Urſini fide conſtare, temporibus Caroli VI Franciſcanos, quod ſeditioſe concionarentur, concionaodi munere et academiae privilegiis ac immunitatibus tamdiu privatos, quo uſque regi ſatisfeciſſent. Conſtantinopoli [d] Eudoxiae temporibus quantos motus unius vehementis concionatoris vox excitaverit, quanti id Imperio conſtiterit, quantaque rerum mole vix tandem in exilium pulſus ſit, ex ſacris annalibus notum eſſe. Sed plus illos nexu conſcientiarum nocere, prorſuſque ſimileis eſſe foedis periculoſarum tempeſtatum flabellis. Fluctus, qui a borea maximi et creberrimi excitantur, ſimul ac ventus poſuit, ſterni ac conflacceſcere. At flante auſtro vel africo contra evenire; nihil jam illis ſpirantibus, undas tamen diuous tumeſcere, et quanquam a vento jamdudum tranquillae ſint, mare tamen eoam atque etiam undabundum eſſe. Id autem fieri, quod ii venti a locis humilioribus ſpirent, et lenius, ac facilius uodis miſceantur. Sic illos ſe occulta rimandorum ſecretorum arte paulatim ſimplicium animis inſinuaſſe, et principatum in illorum conſcientiis occupaſſe: ſuperſtitionibus perinde ignaras mentes, ac humore melancholico valetudinarios, vexari. Exemplum a [e] Quinquepagicis Helvetiis recens eſſe, quos cum illi fruſtra a foedere cum ceteris Proteſtantium pagis pro communi ſalute inito abducere tentaſſent, viris omiſſis foeminas aggreſſi ſont, ſerpentem, qui parentes primos decepit, imitati; eiſque perſuaſerunt, ne cum viris conſueſcereot, quouſque a foedere illi diſceſſiſſent. Sed cognita fraude ipſos ſe viros oſtendiſſe, et conjurationis auctores pro merito mulctaſſe.

INTERPR. [a] *Bourges.* [b] *Barriere.* [c] *Varade.* [d] *l'Imperatrice Eudoxia.* [e] *les cinq petits Cantons Catholiques.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

mulctaſſe. Venetos, quorum juſtitiam et prudentiam diuturnitas imperii facile evincit, id vidiſſe, et exemplo noſtro territos, non eos quidem ditionibus ſuis pepuliſſe, qui enim poſſent tam pontificibus vicini? ſed mature intra ſepta ſua, confeſſionum uſu interdicto, concluſiſſe. Quantum pet eas apud nos poſſint, aperte profeſſos eos, cum literis ad generalem ſuum ſcriptis glorientur, communem fere omnium opinionem eſſe, tum denique eorum conſcientiae ſatisfieri, cum apud ipſos confitentur. Atqui ita diſciplinam everti, ac perinde facere, qui parocia ſua egreditur, ut ab aliis ſacramenta accipiat, ac qui templo Hieroſolymitano relicto ad montes Samariae ſacrificabant. Itaque ſanctiſſime ac prudentiſſime [a] Namnetenſi concilio cautum eſſe, ut nullus presbyter aut diaconus alterius plebanum, niſi in itinere fuerit, vel placitum habuerit, ad Miſſam recipere audeat. Nimirum juxta beati Auguſtini dictum, Neminem digne poenitere poſſe, quem non ſuſtineat unitas eccleſiae. Proinde nulli ſacerdoti licere commiſſum alteri ſacerdoti ad poenitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui ſe prius commiſit: nam aliter illum non poſſe abſolvere, nec ligare. Audium ab Epiphanio commemoratum temporibus Conſtantini extitiſſe, qui licet alioqui Arianis infeſtiſſimus, tamen Haereticus pronunciatus eſt, quod ſeorſim ab aliis pro voluntate, neque ex praeſcripto eccleſiae, ſacram Synaxim celebraret; quod populum contra imperatorem concitaret; et ſectatores ejus omiſſo Chriſtianorum nomine, de ſuo Audiani vocarentur. Nunc ipſum ejuſque ſectatores in Jeſuitis revixiſſe. Nam illos communi Chriſtianorum appellatione relicta ſe Jeſuitas nomine hominibus non communicando indigitare, et populum a plebanis ſuis ſeductum ad ſacra ſecum ſeorſim ab aliis participanda pellicere; denique eum contra principem ſuum ad rebellionem incitare, et percuſſores in caput ejus ſubornare. Notas eorum conjurationes ad Arauſionenſem de medio tollendum tandem exitum ſortitas. In Anglia Gulielmi [b] Parrii, Patricii [c] Culleni, Edmondi [d] Eboracenſis, Richardi [e] Willelmii; in Scotia Jacobi [f] Gordonii et Edmondi [g] Haii; apud nos Barrerii toties commemorati. Atqui apud veteres Chriſtianos inaudita haec monſtra fuiſſe. Non de Chriſtianis Caſſios, ut aiebat Tertullianus, et Nigros et Albinos fuiſſe, qui inter duas lauros obſident Caeſarem, qui faucibus ejus exprimendis palaeſtricam exercent, et qui palatium irrumpunt omnibus Stephanis atque Partheniis audaciores. Ante Jeſuitarum in Galliam adventum id quoque inauditum inter noſtros crimen fuiſſe. Enimvero illos ab Hiſpania, unde originem ſumpſerunt, hoc monſtri ſecum advexiſſe; in qua Gothi, ut quidam vetus auctor prodidit, hanc deteſtabilem conſuetudinem ſumpſerunt, ut ſi quis eis de regibus non placuiſſet, gladio eum adpeterent, et qui libuerit animo hunc ſibi ſtatuerent regem. Longe aliter ſemper adſectos noſtrorum erga principem ſuum animos. Id Chilperici exemplo patere, qui cum olim ſuccenſeret [h] Praetextato Rotomagenſi epiſcopo, quod hoſtem filium patri feciſſet, ſeduxiſſet pecunia plebem, ut nullus ſecum fidem habitam cuſtodiret, quod denique regnum ſuum in alterius manum tradere voluiſſet; ad has voces multitudinem Francorum infremuiſſe, et Baſilicae oſtia perrumpere voluiſſe, ut extractum ſacerdotem lapidibus urgeret: ſed ſumma prudentia et moderatione regem generoſum injuriam ab eo arcuiſſe. His de cauſis curiones urbis exemplum pontificum ſecutos, qui de compertis prodigiis certiorem ſenatum facere tenebantur, ut ea expianda decerneret, orare et obteſtari curiam, ut pernicioſos iſtos magiſtros, qui diſcipulos docent reges impune occidi poſſe, tanquam portentum pro prudentia ſua procuret; et ſi quidem, quod academia petit, Francia non pellantur, ſaltem illis ſacramentorum adminiſtratione, omnique alia, quae ad ipſos curiones ſpectat, ſacra functione, in poſterum interdicatur.

XI. AD

INTERPR. [a] *de Nantes.* [b] *Parry.* [c] *Cullen.* [d] *York.* [e] *William.* [f] *Gordon.* [g] *Hay.* [h] *Pretextat evêque de Rouen.*

CIƆ IƆXCIV.
HENRICUS IV.

XI. Ad haec Duretus, publicam invidiam et regis offenſionem veritus, cum minime ſibi ſingillatim reſpondendum duceret, quae objicerentur tantum negare contentus, aut in crimen vocari Jeſuitas dixit; quod ſi ſit, cum iis lege agi debere, non declamatoria licentia publicam accuſationem, cujus onus cognitori regio incumbit, contra eos inſtitui, et reos protinus nominandos; nam paratos eos, qui nominabantur, ad objecta reſpondere, et cauſam ſecundum regni leges dicere. Sin de iis academia pellendis tantum agatur, habere quod reſpondeant; judicati exceptione nimirum ſe tutos. Nam de eadem controverſia jam ante XXX annos litem comperendinatam; nec adhuc, quicquid adverſarii dicant, peremptam. Ejus judicium perſequi actoribus liberum eſſe; non eandem quaeſtionem denuo licere retractare. Cum paucis haec palam dixiſſet Duretus, ſcripto typis mandato copioſius reſpondit P. [a] Barnius [b] Claromontani ſodalitii ſyndicus; ſic enim ad elevandam nominis Jeſuitici invidiam titulus praeferebat; et pro praeſcriptione litis ante omnia propoſuit, actores perſonam in hac cauſa idoneam minime ſuſtinere, quippe ſolas in ea cognitoris regii partes eſſe; et academiae ordines, quorum nomine [c] Arnaldus egit, abnuere libelli oblationem, ut appareret ex theologicae facultatis, quam vocant, decreto; et paucos ex curionibus libello a [d] Dolaeo oblato porrecto ſubſcripſiſſe, nec in eo cardinalis Gondii urbis epiſcopi auctoritatem interveniſſe. Deinde Claromontanos ſodaleis ab eccleſia univerſali in concilio Tridentino receptos Seſſione XXV, cap. XVI; et a Paulo III, Julio III, Pio IV, Pio V, Gregoriis XIII et XIV approbatos. Item ab eccleſiaſtico Franciae ordine in Poſſiaceno conventu. Item ab Henrico II anno CIƆ IƆ L, Franciſco II anno CIƆ IƆ LX, a Carolo IX quarto poſt anno ac ſequenti, ab Henrico III anno CIƆ IƆ LXXIV et LXXX. Poſtea Lutetiae, [e] Avarici Biturigum, Toloſae, Burdigalae: et anno CIƆ IƆ LXIII Julianum [f] Sangermanum, cum rectoris munere fungeretur, diplomate publico eos in academiam cooptaſſe. Et nuper Sorbonicam ſcholam alteris cogitationibus, quae ſapientiores eſſe ſolent, non eos pellendos, ſed in ordinem redigendos, cenſuiſſe. Ipſos vero paratos et ſacramentum fidei regi dicere, tanquam naturali ac legitimo principi, oblivionis ab eo ſancitae beneficio uſuros, et legibus academiae deinceps vivere; nec niſi cum magna multorum principum, praeſulum, ac procerum jactura et incommoditate poſſe fieri, ſi actores vincant, quippe tot ſcholis ab iis inſtituris, et, ſi ipſi regno expellantur, vacuis. Deinde pueritiam longe multum damni accepturam, quae gratuito ab ipſis inſtituitur; nec habet, unde ſalaria et honoraria, quae aliis praeceptoribus dantur, exſolvat. Sed longe maximum religionis diſpendium pulſis illis ſecuturum, quae magna incrementa paſſim ab iis accepit; et contra Sectarios, qui nimium quam multi hodie in Gallia ſunt, tam ſtrenue praecipue in [g] Aquitania et Septimania defenditur. Nec aequum eſſe, ut unius alteriuſve, aut denique paucorum crimen univerſi luant. Poenam ferre ſolum debere, qui ſolus noxam admiſit; ramos malos amputandos, ſed ſervandam radicem, novos ſurculos poſteritati fortean profuturos daturam. Nec metuendum eſſe, ne deinceps, quod adeo illis invidioſe improperatur, ſe negotiis publicis immiſceant. Id ab ipſorum profeſſione alienum eſſe; et anno ſuperiore Romae in congregatione generali decretum de ea re factum ſeveritatis plenum, addita poena in eos, qui res principum et ſtatus negotia attrectare praeſumerent. Tum objecta diluit, et occaſione ſumpta de Petri primatu multa addit; quem cum Catholici agnoſcant, non ideo invidiam Jeſuitis conflandam, quod eum adverſus Sectarios propugnent. Neque enim ovem eſſe Chriſti, qui non ſit ovis Petri: et quod ei in omnibus et per omnia parere voto nuncupato promittant, obedientiam illam ad miſſiones tantum porrigi. Ceterum non propterea charitatem patriam exuere, et in Italos aut Hiſpanos per votum transformari; nec quia in Hiſpania coeperint,

propterea

INTERPR. [a] *Barni.* [b] *College de Clermont.* [c] *Arnauld.* [d] *Dolé.* [e] *Bourges, Toulouſe, & Bourdeaux.* [f] *St Germain.* [g] *Guienne, & Languedoc.*

propterea in Francia non recipiendos. Nam et Ciſtercienſem et Carthuſianum ordinem, quod in Gallia coeperit, non minus propterea in Italia et Hiſpania admitti. Quae vero de bello Luſitano illis affinguntur et libro Genuae cuſo confirmantur, ea meras nugas eſſe malevolorum fraude excogitatas. Nec librum, unde haec hauſta ſunt, Genua ſed Geneva in publicum prodiiſſe. Maximam vero eorum, quae ex illo objiciuntur, partim Briſſaci equitum tribuni, qui pars belli hujus maxima fuit, teſtimonio revinci poſſe. Nec verius eſſe, quod de Claudio Matthaeo additur, qui literas a Sexdecimanis ad Philippum pertulit, quem artificioſe aut ſupino errore cum altero Claudio Matthaeo ex ſuo ſodalitio confundunt, [a] Anconae in Piceno ante quadriennium mortuo. Nam illum, de quo nunc agitur, non ex ſuo ſodalitio fuiſſe, ſed Hiſpanum ſacerdotem ſibi ſuiſque ignotum, quo internuncio Sexdecimani cum Philippo et Hiſpanis oratoribus utebantur. Quod item de Odone [h] Pigenate ex ſuo ſodalitio objicitur, qui Sexdecimanis ſe per has turbas conſultorem adjunxerit, ita habere: Meduanium, cum ab illis ſibi metueret, neque tamen conventus eorum diſturbare tutum, aut vero auctoritatem illis omnino abrogare conducibile exiſtimaret, Odoni in arcano perſuaſiſſe, ut ſe ad illos aggregaret, et praeſentia ſua hominum plerumque furentium violentos motus ac petulantiam moderaretur; Odonem autem licet invitum tandem Meduanii precibus victum aſſenſiſſe, et, quamdiu cum illis fuit, iniqua et turbida conſilia temperaſſe, ac ſaepius a Meduanio petiiſſe, ut ſibi cum bona ejus gratia ab his conventiculis recedere liceret. Tandemque temeritatis ſeditioſorum pertaeſum in lethalem dementiam incidiſſe, ex eaque, cum [c] Avaricum Biturigum conceſſiſſet, deceſſiſſe, biennio ante tragicam patratam in urbe carnificinam, et [d] Briſſonium, Arcerium, ac Tardivium immaniter et perverſo omni juris ordine morte affectos. Reſponſionem ad Catholicam apologiam pro rege a Petro [e] Beloio factam minime in invidiam trahi debere. Nam illam Franciſci Romuli nomine, mandatu autem ſecreto Sixti v, editam, et in ea nihil niſi ſumme honorificum de regibus Francorum tradi. Nec item coeventus in eorum aedibus habitos: nam id prorſus negari; et, cum Bernardinus Mendoza frequentius ſacri audiendi cauſa ad eos itaret, ad removendam ſuſpicionem eum rogaſſe, ut alio ſe conferret; atque ipſum deinceps ad [f] Coeleſtinorum et S. Clarae coenobia divertiſſe. Ipſos vero non ita a pacis conſiliis alienos fuiſſe, ex eo liquere, quod cum, arcte cincta urbe et fame urgente, panem aut pacem plebs clamore ubique ſublato peteret, et [g] Cajetani permiſſu plerique theologi conſulti eſſent, an cum rege agere ſalva conſcientia liceret, ac multi negarent, Robertus Bellarminus, et [h] Tirius, qui aderant, contra reſponderunt, ſalva conſcientia licere; ex eorumque conſilio cardinalem Gondium cum aliis delegatis inſtituto cum rege colloquio initium feciſſe. Quod autem de Guidiccione cardinali, primis ipſorum initiis adeo adverſante, ex Ribadeneira affertur, mala fide deſcriptum eſſe. Nam mox ſequi, poſtea cum reliquorum cardinalium, tum ipſius Guidiccionis cor ita immutatum eſſe, ut adjutor ex adverſario repente exiſteret, et ille, novarum religionum tam acer paolo ante inſectator, ſocietatis fine perſpecto, ſummopere inſtitutum ejus laudaret. Nec meliore fide dici, inter voti ſolemnis clauſulas hanc in ipſorum conſtitutionibus appoſitam, ut tyrannos aggrediantur; nam nuſquam hoc poſſe reperiri; tantum in Bullario [i] Lugduni edito anno CIↃ IↃ XXCVIII haec verba reperiri a P. Matthaeo juriſconſulto, minime ex illo ſodalitio homine, ſed qui eam ſocietatem laudaturus ea longe alio ſenſu, quam in quem nunc trahantur, protulerit. Sic enim concepta eſſe: *Dum ſuperſeminat inimicus homo zizania, adeſſe divino ſpiritu accitos patres ſocietatis*

INTERPR. [a] *Ancona nella Marca.* [b] *Pigenat.* [c] *Bourges.* [d] *Briſſon, L'Archer, & Tardif.* [e] *du Beloy.* [f] *des Celeſtins, & du Convent de Ste Claire,* ou *de l'Ave Maria.* [g] *le Cardinal Gaetano.* [h] *Tirius.* [i] *Lyon.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV. *ſocietatis* JESUS, *qui Petri ſedem illuſtrant, in Lutherum arma divini eloquii parant, tyrannos aggrediuntur, lolium ab agro Dominico evellunt, et fidei Chriſtianae praeclariſſimi buccinatores verbo et exemplo cunctis praelucent.* Haec et alia multa, quibus ſocietatis merita in religionis cauſam ac rem literariam plurimum extollebantur, Barnius articulatim libello complexus fuerat, qui defenſionis loco judicibus oblatus eſt. Eadem rurſus accuſationum capita diffuſius refutanda ſuſcepit Franciſcus [a] Montanus, libro Gallice, ut titulus praefert, [b] Leodici biennio poſt edito.

XII. POSTQUAM autem tunc Duretus paucis peroravit, cognitore regio, pro qoo verba fecit Antonius [c] Seguierius, praeeunte, et per prenſationes praevalente etiam tunc adverſus publicam invidiam et regis offenſionem propenſo in ſocietatem favore, ſenatuſconſultum factum, quo libelli academiae nomine et curionum urbis oblati comperendinatae olim ante xxx annos liti tanquam ejus appendices adjungebantur, ut eodem judicio de iis a ſenatu pronunciaretur. Dum dicuntur ſententiae, quaedam admodum libere ab iis, qui ſe numero vinci dolebant, prolata; et Auguſtinus Thuanus curiae praeſes, vir antiqui moris ac horridae libertatis, cum diſſidium inter patronos fiſci palam notaſſet, non ſine aliqua animi commotione ſubjecit, ſibi videri, comperendinata cauſa vitam regis comperendinari; atqui non comperendinari eam, ſed inſigni exemplo, quod ab hoc judicio exſpectabatur, in tuto collocari potius oportuiſſe; ſe quidem ſenio effoetum providere, ut potius vitae, quam litis hujus, finem ſit aſpecturus: ne tamen indicta ſententia moriatur, cenſere, ut Jeſuitae toto regno [α] expellantur.

XIII. EODEM tempore Joannes Paſſeratius profeſſor regius, notae eruditionis et elegantiae, cum in Ciceronis locum de ridiculis in [d] Cameracenſi ſchola praefaretur, poſt gratias pro recepta libertate et otio literario regis beneficio actas, et regem veris laudibus laudatum, multa in eos amarulenta dicacitate dixit; Luſtrandam et expiandam academiam antea partim a ſuis deſertam, partim proditam, et profanam multis modis redditam. Igitur iterum muſis dedicandam, diligenti cautione adhibita, ne amplius earum templa ac ceremoniae contaminentur. Id ut recte fiat, atque ordine, abigendas inprimis obſcoenas volucreis, quae rapinis contactuque omnia foedant immundo; imo ſine plumis bipedes, quibus pullam veſtem fibula ſubnectit. Has Harpyias niſi ſenatus, et ampliſſimi ornatiſſimique viri, quibus academiae ſcholaeque regiae inſtaurandae tradita eſt provincia, fugarint, et exterminarint, ut pennati Aquilonis filii in fabulis, fruſtra litoralibus diis vota nuncupatum iri: nam rurſus ad eos ſcopulos, ad quos nuper eſt ferme adflicta, navem noſtram relatum iri. Nequicquam in excolendo muſarum fundo ſudari; nequicquam lolium, carduos, lappas, et tribulos exſtirpari, niſi ex agro noſtro haec filix radicitus evellatur. Meminiſſe debere, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi quam Scythae, nova gratuitae doctrinae profeſſione vulgo commendati huc irrepſerint, et invitis diis in academiae parte conſederint. Quibus artibus inhiantes locupletum fortunis, divites orbos vel coelibes, deliros ſenes, ſuperſtitioſas mulierculas, et adoleſcentulos imperitos deceperint, et velut Circaeo poculo repente immutarint: ut religionis ſpecie, quam inexplebili avaritiae ſuiſque fraudibus obtendunt, equum Trojanum paulatim introduxerint: ut ſemper in inſidiis manſerint, et in ſpeculis ſteterint proditionis occaſionem exſpectantes; ut ea oblata machinam ſuam continuo aperuerint, armatiſque hoſtibus et totam Galliam omni genere calamitatis repleverint. Ne vero inſidias et paratam peſtem caveremus, neve impendentia proſpicientibus ac praedicentibus cordatis viris crederemus, obſtitiſſe Choroebos quoſdam et Ucalegontes, qui plures in Ilio noſtro quam Laocoontes fuerunt. At objici eos gratis docere. Mutata literula rem acu tangi, nimirum

VAR. LECT. [α] expellantur, valeantque qui inter nos diſſidia volunt. Haec extrema verba Latine ab eo addita. Eodem *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de la Montagne.* [b] *Liege.* [c] *de Seguier.* [d] *College de Cambray.*

nimirum gratis nocere, eoque mactandos majore infortunio, quod gratis ſint mali. CIↃ IↃ XCIV.
Quanquam vix iſtud ſibi quenquam perſuaſurum, qui eos bene noverit. Teſteis HENRICUS IV.
ampliſſimas honeſtiſſimaſque familias, quarum ſanguinem pro levi docendi opella et exiguo Minervali iſtae hirudines exſorbuerunt. Praeclaram eam liberalitatem, repudiare drachmam, ut talentum extorqueas; mirum genus benignitatis, pro ſtipe menſtrua, immenſae pecuniae legata opimaſque captare et rapere hereditates. Inſtitutionem puerorum his aucupibus eſſe illicem. Pendere pulchre, qui ab ea tranſenna turdi lumbricum petunt: gratuitam doctrinam illis eſſe pro hamo, vel potius pro retijaculo, quo callidi piſcatores cuncta converrunt cum pulviſculo. Stolidos parenteis qui ſuos iis credunt liberos: eadem opera columbas accipitribus, pullos milviis, et oveis lupis committi. Sed quid tandem iſtos per aureum funem coelo delapſos magiſtros diſcipulis ſuis tradere? Nihil ſapere praeter ritus Hiſpanos; odium legum inſtitutique patrii, et imbelliam, imbalnitiem, liceat verba priſca uſurpare, impolitiam, imparentiam, meramque cum Lavernae ſacris barbariem, conſulto huc invectam, ut eam ſoli docerent. Interim delitefcere in vepretis noſtris nitedulas, quae rem civium arrodunt. Nobiſcum impune verſari ſpeculatores et exploratores Philippi, et ejus tyrannidis acerrimos ſatellites. Verum apud eos diſci bonos pudicoſque mores. Triſtes cum aſpiciuntur, a multis frugi cenſeri. Sed nec ſi fibulam geſtant, propterea Hippolytos eſſe; nec ſi bonos auctores evirant, ideo bonis placere; Gallis praeſertim, quibus natura ſunt inviſi Deliaci. Magnam laudem eſſe ſcilicet ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete vervecem, ac ex verre majalem facere. Depravare illos recta ingenia, dum curva corrigere videntur; et ſuos edocere artem mentiendi et dolos, quos appellant, induſtrios. Hujuſmodi doctrinam, et hos mores illis non invideri. Sibi habeant, abeantque quam longiſſime, et illuc revertantur, unde malum pedem attulerunt. Jampridem vaſa collegiſſe; nunc ſignum profectionis dari; quid amplius morari? Academiam certe, quae longum periculoſumque morbum eorum contagione contraxit, niſi hoc levetur vomitu, vix unquam convalituram. Haec, declamatoria libertate, in Jeſuitas a Paſſeratio dicta.

XIV. SUB id Carolus Borbonius cardinalis annos tantum natus XXXII diuturna tabe confectus deceſſit [1] V Kalendas Sextileis, in Sangermani coenobii aedibus a patruo cardinali ſumma magnificentia exſtructis; princeps laeto comique ingenio ac ſumma dicendi facilitate praeditus, propenſo in literas et literatos amore, et infeſto adverſus Proteſtanteis odio; qui, quamdiu bonis conſultoribus uſus eſt, rectum animi ſervavit; ſed inſita levitate poſtquam ab adulatoribus afflari coepit, facile depravatus Tertianae [a] factioni nomen dedit; cumque eventus exſpectationi non reſponderet, a ſuis proditus in lethalem moerorem incidit; ut olim Galliae ornamento natus, ſic meliore publicae tranquillitatis, quam ille, ut multis perſuaſum fuit, nunquam vexare deſiiſſet, fato, vivis exemptus. Ampliſſima et maxime toto regno opima, quae poſſidebat, ſacerdotia in plureis diſperſa; ne quis unus eſſet, qui tot opibus fretus diram adeo tempeſtivo ejus obitu intermortuam factionem renovaret.

VAR. LECT. [a] factioni, qua nulla his et Jeſuitis praecipuo favore juvit; cumque eventus temporibus pernicioſior excogitata eſt, nomen dedit; *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

NOT. [1] III Kal. Sextil. V. Hiſt. Geneal. de la France par le P. Simplicien. T. 1. p. 334.

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS UNDECIMUS.

EPITOME.

REX Laodunum clavatum ducit, et urbem cum exercitu obſidione VIII Kal. Jun. cingit. Meduanius ad auxilia flagitanda Bruxellas excurrit. Pridie Eidus Junii auxiliares duce Carolo Mansfeldio ad Montem-vallianum comparent et caſtra muniunt. II. Caſtreus contra Guiſium miſſus. III. Ad Crepiacum auxiliares magna ſtrage caeſi. Mansfeldius et Meduanius cognito ſuorum caſu recedunt. IV. Ad obſidionem reditum, in qua Givrius occiſus, magno ſui relicto deſiderio. Tandem deditio a Ligneraco facta ineunte Quintili. Cum Mercurio Sanchamantio Piſcario, qui Theodorici-caſtrum tenebat, tranſigitur. V. Samarobriga Ambianorum Aumalio ejecto in regis poteſtatem venit, eo ſine conditione intra urbem accepto. VI. Inde rex Cameracum, inſtante Balagnio, qui anno ſuperiore reconciliatus fuerat, excurrit. Conditiones Balagnio promiſſae, in iiſque principatus ac jus in tota ditione ab ordinibus urbis in illum conceſſum confirmatur, idque ſe tueri paratum rex oſtendit. Rex cum Bellovacenſibus et Maclovianis in Armorica tranſigit. Henricus Turrius Bullioni dux tribuni equitum, et poſt eum Villarius maris praefecti; in ſenatu ſacramentum dicit. VII. Novae conditiones a Meduanio cum Erneſto archiduce Bruxellis initae. VIII. Cum Guiſio interim tranſigitur opimis maxime conditionibus. IX. Franciſcus Dous decedit, helluato omni patrimonio. Illo auctore conditum edictum in gratiam debitorum. Incerta aerarii Doo extincto adminiſtratio, donec in Maximilianum Bethunium Ronium a rege collata fuit. X. In Cenomanis Lavallum ab Aumontio receptum. Mercurianus in foedere conſtans remanet. Laeſonetus, qui Concarnellum tenebat, cum rege Monmartini interventu tranſigit. Aumontius Cruceii legionis tribuni licentiam generoſe reprimit. Morlaſini oppidani Aumontio portas aperiunt, praeſidiariis in arcem confugientibus, ad quam ſtatim admota caſtra. Arce dedita Quinpercorentinum ab Aumontio in regis fidem acceptum. Cum Talveto, qui Redonum ad Vidanam tenebat, pariter tranſactum. XI. Ad Cordunam triangulari facie in ſaxo excavata munitio ab Hiſpanis inter Breſtum et Conqueſtum. Locum tuebatur Tho. Praxedes cum CCCC delectis. Parvo labore exteriora munimenta occupantur. Major in vallo ducendo labor. Poſt pulſationem prima oppugnatio irrita. Aumontio ex gravi morbo recreato, extrema vis XV Kalendas Decembreis facta. Liſcoetus, Romeguſius, Martinus Frobiſberus Anglus in illa obſidione periere. Pulchrum Angli centurionis pro gloria ac fide facinus. Surdeacus Breſti praefectus munitionem ope ruſticorum demolitur. XII. Quinpercorentini arx inchoata. Corilaeum Aumontio veniente deditum. XIII. In Provincia nobilitatis de Eſpernonio querelae. Res ad Monmorantium Septimaniae praeſidem remiſſa. In arcano mandata data Ornano et Diguierio, ut Carſio ac Provincialibus ab Eſpernonio laborantibus ſuccurrerent. Diguierius in Provinciam deſcendit, et juxta Urgonium cum Eſpernonio confligit. Tandem

Eſpernonius

Eſpernonius conditiones accipit; et praeſidium munitione ad Aquas Sextias ſtructa deducit. Diguierius magna Aquenſium gratulatione exceptus. Multa loca in tractu maris a Diguierio recepta. Munimentum Aquenſe deſtructum. XIV. *Nemoroſius aſtu Petrae-inciſae arce aufugit.* XV. *Sabaudus ad Briqueraſcum caſtra ponit. Tandem arx dedita.* XVI. *Sancti Benedicti munitio a Diguierio capta, ejuſque diſceſſu mox recepta eſt.* XVII. *Bellum inter regem et Philippum inflammatur. Rex ad Atrebatum et Hannoniae ordines ſcribit. Exercitus Bullionio belli ſuaſori attributus. Ejus in Lucemburgico agro res geſtae.* XVIII. *Cum rex Lutetiam magno comitatu veniſſet, a Joanne Caſtello in turba cultro in ſuperiore labro, cum gulam peteret, graviter perculſus. Joannis ingenium, mores, in ſchola Jeſuitica educatio. Ad mortem damnatur. Eodem judicio, quod ex eadem ſchola percuſſor prodiiſſet, Jeſuitae toto regno exterminati. Joannes Guignardus, in reges multa contumelioſa ſcripſiſſe convictus, in Portuenſi platea laqueo ſtrangulatur. Joannes Gueretus ex eodem ſodalitio et Alexander Haius exilio perpetuo mulctati. Alia inſuper in eam rem graviter a ſenatu decreta.* XIX. *Convocatis a Petro Gondio cardinali theologis et curionibus urbis, unanimi conſenſu reſponſum, univerſos regis ditioni ſubditos Henrico* IV *legitimo principi ſuo plenam obedientiam praeſtare debere, et preces pro ejus ſalute concipere. Rex eadem actione exoratur ut ad vitandam ſciſſuram legatos Romam mittat. Addita paricidii nuper tentati ſolemnis deteſtatio.* XX. *Legatio perhonorifica ſenatus Veneti ad regem ſalutandum decreta.* XXI. *Erneſtus archidux enixas ſuarum provinciarum pro pace preces eludit, et ne ad literas regis reſpondeatur impetrat. Rex in limite, cum ad eas non reſponderetur, bellum denunciandum curat. Philippus Naſſovius, cum ſe exundantibus ubique aquis cum Bullionio conjungere non potuiſſet, a Mansfeldiano peditatu male mulctatus. Irrito conatu ab utriſque tentata Theodonis-villa.* XXII. *Pactis inter regem et Lotharingiae ducem induciis, tribuni, qui Lotharingico militabant, fidem regi addicunt, et infeſta ſigna in Sequanos Comitatenſeis inferunt. Sequani ab Helvetiis ex foedere antiquo fruſtra opem implorant.*

Ex auctoribus,

Ephemeride regia, Caeſare Campana, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Actis publicatis, Archivis curiae Pariſienſis, Monmartini commentariis, Diguierii militari diario.

LIBER CENTESIMUS UNDECIMUS.

REX, dum haec agerentur, ad [a] Germani-fanum ad colligendos ſpiritus et refocillandas a continuis belli laboribus vireis conceſſerat; qui de [b] Capellae obſidione certior factus, exercitum huc illuc in praeſidia miſſum evocat, negotiumque dat Carolo Gontaldo [c] Birono equitum tribuno, ut per [d] Meldos iter faceret, et tranſmiſſo [e] Matrona [f] Compendium, quo ipſe proficiſcebatur, ſe conferret. Inde cum exercitu [g] Caunium tendit, ibique allatum nuncium de Capellae deditione haud omnino praeter opinionem accepit, quippe qui hoſtium vireis et loci debilitatem perſpectam haberet; ac, ne inultus abiret, conſilium cepit de [h] Laoduno Clavato oppugnando. In ea civitate erant CIↃIↃXCIV. HENRICUS IV.

Meduanius,

INTERPR. [a] *S. Germain.* [b] *la Capelle.* [c] *le Mareſchal de Biron.* [d] *Meaux.* [e] *la Marne.* [f] *Compiegne.* [g] *Chauny.* [h] *Laon.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

Meduanius, et Carolus Emmanuel [a] Sommarivius ejus filius circiter XIV annos natus, [b] Burgus, qui praeſidio praeerat IↃC fere defenſorum. Rex, ut magis falleret, quaſi Capellae deditionem neſciret, [c] Quintini-fanum primo tendit, ac [d] Creſciacum, quo [e] Nivernius ad eum venit, iter flexit; et ante Mansfeldianorum aggerem, quo ſe capta Capella continebant, per triduum acie inſtructa ſtetit, aliquot proluſionibus nequicquam ad proelium prolectato hoſte. Inde protinus converſo itinere caſtra ad Laodunum metatur, VIII Kalendas Junias; quod conjiciens fore Meduanius mature cum delectis urbe exceſſerat, et [f] Faram ad Eſiam ſe contulerat. Inde rurſus e veſtigio Bruxellas excurrit, ut Erneſtum archiducem ſalutaret, et auxilia ab eo promiſſa impetraret. Qua in profectione ſummum diſcrimen adiit, Feriae duce et Didaco Ibarra annitentibus, qui eum omni ratione retinendum eſſe Erneſto perſuadere conabantur. Nam aiebant illum ſemper ipſorum conſiliis adverſatum eſſe, et privatae dignitatis potius quam communis cauſae rationem habuiſſe: et, cum nuper de ſumma rerum ageretur, quae in regis creatione praecipue verſabatur, nihil non feciſſe, ut tam ſalutare, atque adeo unicum ad religionem in eo regno conſtituendam remedium, a pontifice, qui in eam rem cardinalem Placentinum in Galliam legaverat, propoſitum, aſtu, dolo, diſſimulatione irritum redderet; et affectata procraſtinatione hoſti ad res ſuas ſtabiliendas, antequam populi per illam creationem ad bellum conſtanter perſequendum confirmarentur, ſpatium dediſſe; ut non ignaro omnino eo tot civitatum ac procerum reconciliationes ſecutas appareat. His rationibus Meduanium retineri debere contendebant, quouſque Philippo, cui tam impudenti praevaricatione illuſum fuerat, de ſumptibus ſatisfactum eſſet. Nec propterea Henoticorum res in periculo futuras, aut moderatore carituras. Nam non defuturos, qui vere cauſae addicti ſint, ex eadem familia; et Meduanio a gubernaculis remoto eo majorem fore Philippi ac ſuorum cum Henoticis conſiliorum conjunctionem, quam certiſſimum ſit, a Meduanio, quantum in illo eſt, divelli. Re in Erneſti concilio agitata, quanquam quae dicerentur multos adſtipulatores haberent, tamen hoc praecipiti rerum ſtatu periculoſum viſum, nec ad exiſtimationem ſatis honeſtum, tantae dignitatis hoſpitem, qui fide publica ad eam aulam veniſſet, retinere: nec injuriam ejus neglecturos reliquos Lotharingicae familiae principes, quantumvis haud occultae ſimultates inter ipſos notarentur. Nec minus in populis et civitatibus periculi ſubeſſe, quas ex ea occaſione regiis ſtimulantibus ſe proculdubio commoturas appareat. Itaque placuit, injurias, quas Hiſpani ſibi a Meduanio factas clamabant, ad praeſens diſſimulari, et potius [g] Laoduni obſeſſis ſubveniendum eſſe, quod ea urbs magnum ad res gerendas amiſſa Lutetia momentum haberet. Interea rex quinto ab obſidione die vallum ducit, et operas inter belli duces dividit; partem ſibi Bironus, partem Sanlucius, tertiam Joannes Gontaldus [h] Bironus Salignacus, quartam [i] Grammontanus, quintam denique Monmartinus, qui ex Anglia nuper redierat, ſibi ſumit. Dum in opere ſunt, [k] Forcada, qui Birono vicariam operam navabat, et Carolus [l] Eſtraeus Coeuvrii marchio graviter ſauciati, poſtea ex vulneribus [m] Codiciaci deceſſerunt. Mox auxiliares ab Erneſto promiſſi in limite comparuerunt. In iis VII CIↃ peditum, IↃ CCC equites erant, quos Carolus Mansfeldius comes ducebat, facto per [n] Guiſam et Faram itinere. Cum rex per [o] Crepiacum, quod a Georgio [p] Claromontio Amboſio cum V ſcloppetariorum equitum turmis tenebatur, eos venturos putaret, et S. [q] Lamberti caſtrum fruſtra muniviſſet, ad laevam flexere, et pridie Eidus Junii, qui in Dominicam incidebat, ad [r] Montemvallianum leucam ab urbe diſſitum caſtra vallo ducto muniverunt. Quo conſpecto rex

INTERPR. [a] *le Comte de Sommerive.* [b] *du Bourg.* [c] *St Quintin.* [d] *Crecy.* [e] *le Duc de Nevers.* [f] *la Fere ſur Oyſe.* [g] *Laon.* [h] *de Biron baron de Salignac.* [i] *de Grammont.* [k] *de la Fourcade.* [l] *d'Eſtrées marquis de Cœuvres.* [m] *Coucy.* [n] *Guiſe, & la Fere.* [o] *Crepy.* [p] *de Clermont d'Amboiſe.* [q] *Chateau S. Lambert.* [r] *Montagne de Vaux.*

reſ ſubito ſuos revocat, et vicino colle inſeſſo tormenta in eo diſponit, iiſque ſubjecta hoſtium caſtra infeſtat. Lucus juxta erat, quem noſtri et hoſtes per vices occupabant.

II. REX [a] Cernii hoſpitium ſumpſerat cum delecto equitatu, et inſeſſo ab ea parte aditu, ne milite et commeatu obſeſſi juvarentur, impediebat. Cumque ad eum allatum eſſet, Guiſium [b] Durocortoro Remorum cum auxiliaribus propediem venturum, partem equitatus Cl. [c] Caſtreo equitum tribuno attribuerat, ut venientem intercluderet. Ad lucum poſtremo, cum pridie poſſeſſionem ejus hoſtis amiſiſſet, facta ingens vis XVII Kalendas Quintileis, cum CIƆ IƆ peditibus delectis, quibus Cl. [d] Burlota praeerat, et CCC equitibus. Nec impetum ſuſtinuere noſtri, ſed ultro, ut juſſi erant, ceſſere, Franciſco [e] Angeneo Monlueto, qui ultimum agmen ducebat, capto; cedentibuſque hoſtis inſtitit, ulterius ſemper progreſſus, donec in Carolum Borbonium [f] Sueſſionum comitem incidit, qui cum delecto equitatu poſt lucum ad laevam ſtabat. Hele vim aliquantum hoſtis inhibuit, ſeque in imo luco continuit, infeſta diſploſione noſtros laceſſens; in eoque conflictu [g] Garda Caudebeci praefectus, bellis Belgicis clarus dux, ictu ſclopperi in capite accepto occubuit. Pone et Sueſſionem Dominicus Vicus cum III legionibus eventum exſpectabat, et in collis faſtigio Carolus [h] Humerius et Chriſtophorus [i] Lanoius Boſſerius cum CCC equitibus ſtabant ad omneis caſus intenti; ad dextram Annas [k] Anglurius Givrius caſtrorum levis armaturae praefectus. Cum in eo res eſſent, Bironus ſupervenit, qui peditatum ſparſum et nutantem conſpiciens, cum paucis, quos penes ſe habebat, ac delectis ex Sueſſionis agmine et Odeti [l] Gobionis Matignoni Torignii comitis, certamen reſtituit; eum mox Carolus [m] Rupifortius Santangelus cum legione ſua, poſtquam vix tandem ex ſtrage ſe collegit, et Petrus [n] Eſcodeca Boëtius cum Navarrena legione ſecuti ſunt, frontem latuſque erebra diſploſione appetentes. Tandemque in vallum caſtrorum repulſi ſunt. Tum rex ad oram luci, et cum eo Sanlucius et Vitrius, venit, praemiſſis qui hoſtem ad proelium elicerent. Sed cum ille vallo non egrederetur, jam inclinante ſole receptui cani juſſit. Pari utrinque damno die illo pugnatum fuit; ſed eo pejore hoſtium conditione, quod luco pulſi ſpe auxiliarium in urbem introducendorum excluſi fuerunt. Datum negotium Caſtreo, ut cum valida equitum IƆ manu aditum ad Remenſem viam inſideret, videretque ne Guiſius illac in urbem ſe proriperet. Juſſus et [o] Nivernius cum ſuo equitum agmine, quod anguſtis hoſpitiis admodum conflictabatur, [p] Bruceriam concedere, aditumque illum multiplicem ſervare, a quo [q] Remis, Firmitate Milonis et ex Sueſſionibus [r] Laodunum itur. Summa annonae penuria in caſtris hoſtium laborabatur; et paulo ante, cum ad regem allatum eſſet de ingenti commeatus ſubvectione undique vix ſummis cum difficultatibus in Sueſſionibus collecti, quem in caſtra ducendum ſuſceperat Franciſcus [s] Blancardus Cluſellus Novioduni praefectus, [t] Longovillanus dux provinciae praeſes, qui [u] Auguſtae Veromanduorum erat, a rege monitus, e veſtigio ſuis eductis Cluſellum ſumma feſtinatione incedentem ad anguſtias anteverterat, conſertaque manu fuderat, ipſo Cluſello capto. Carri incenſi et major annonae pars, quia aſportari non poterat, equis jam a milite abactis. Pulvis inter milites diſtributus. Facta et panni holoſerici praeda, quae [v] Caunium advecta eſt. Itaque novo commeatu opus erat, quem ex [w] Fara proxima advehendum primo ſuſceperat Hieronymus [x] Denticius centurio major [y] Trivicanae legionis cum delectis, eique mox ſuffectus Horatius [z] Marqueſius. Quod ubi per

exploratores

INTERPR. [a] *Cerny.* [b] *Reims.* [c] *le mareſchal de la Chaſtre.* [d] *la Bayrlotte.* [e] *d'Angennes de Monluet.* [f] *Soiſſons.* [g] *de la Garde gouverneur de Caudebec.* [h] *d'Humieres.* [i] *de Lannoy Sr de la Boiſſiere.* [k] *d'Anglure Sr de Givry.* [l] *de Goyon de Matignon comte de Thorigny.* [m] *de Rochefort de St Angel.* [n] *d'Eſcodeca Sr de Boiſſe.* [o] *le Duc de Nevers.* [p] *la Bruyere.* [q] *Reims, & la Ferté-Milon.* [r] *Laon.* [s] *Blanchard Sr de Cluſeau gouverneur de Noyon.* [t] *de Longueville.* [u] *St Quintin.* [v] *Chauny.* [w] *la Fere.* [x] *Dentici ſergent major.* [y] *du marquis de Trivico.* [z] *Marcheſi.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

exploratores rex reſcivit, Birono negotium dat, ut, inſidiis loco idoneo in ſylva interpoſita ſtructis, venientem hoſtem interciperet.

III. Ille, poſtridie quam ad lucum pugnatum eſt, aſſumptis ſecum G. Claromontio Amboſio et Monmartino caſtrorum praefectis, IↃ ccc Helvetiis, partim ſcloppetariis, partim loricatis, quos Nicolaus [a] Harlaeus Sancius ducebat, Gilberto [b] Cureo cum alae regiae parte, Givrio, qui potiorem levis armaturae, cui praeerat, partem ſecum trahebat, Boëtio cum cc peditibus delectis, Santangelo cum cxx ex Gardae nuper interfecti legione, [c] Palueli et [d] Favolii cohortibus, aliiſque Gallicis, et una Anglorum, locum univerſis [e] Crepiaci condicit; quo et ipſe, facto per [f] Lamberti-fanum itinere, venit ſub meridiem, ibique cunctos relictis equis in pedes juſſit deſcendere, excepta levi armatura, et aliquot equitibus, quos cum Givrio ad lucum, qui inter Faram et ſylvam exigua in planitie poſitus eſt, inſidendum miſit. Miſſi et ſcloppetarii equites, qui alterum lucum in adverſa viae parte ſitum ſervarent. Bironus in S. [g] Gobini ſylva, quae leucam a Fara, II a caſtris hoſtium, diſtabat, cum reliquis copiis conſedit. Reliquum diei, ac nox inſequens ad horam ſeptimam matutinam quiete exacta, donec aliquot Germanis in ſylvam trepide ſe recipientibus ad arma conclamatum eſt, quaſi Mansfeldius ipſe cognitis noſtrorum conſiliis eos a tergo adoriturus veniſſet. Tandem ex fugientibus aliquot capti, et ad Bironum adducti; ex quibus cognitum eſt, eos reliquias eſſe IↃ circiter delectorum e caſtris a Mansfeldio ante ſolis ortum miſſorum, ut declinato, ſi poſſent, Sueſſione in urbem penetrarent: ceterum a ſpeculatore detectos, et magnam partem caeſos. Itaque mox ſilentium imperatum, et cuncti eventum exſpectare juſſi. Ita cum reliquum fere diem exegiſſent, et multi inedia victi de diſceſſu cogitarent, jamque murmura paſſim exaudirentur, per ſpeculatorem in praealta arbore ſtantem adventus hoſtium ſignum datur. Tum Givrius, caute eos praetervehi paſſus, ubi in inſidias praecipitaſſe conſpexit, conſurgit; ſtatimque Monmartinus, Boëtius, Santangelus, Favolius, Angli in hoſteis impetum faciunt; quos fortiter illi ſuſtinuere, fariſſophoris rem ſtrenue gerentibus, quibus intermiſti erant ſcloppetarii, et ab iis tecti ictus repetebant. Cumque Santangelus et Favolius vulnerati certamine abſceſſiſſent, primo noſtri paulum inclinare viſi; hoſtes contra progredi cum carris, quos ita diſpoſuerant, ut poſt eos latentes commode pugnarent. Jamque illi fere loricati cum fariſſis in noſtros nutanteis ruebant, cum [h] Bironus ex colliculo in via occupato deſcendit; et poſt acrem diſploſionem, [i] Amboſio et Cureo hinc inde praecedere juſſis, ipſe medius cum c citeiter delectis e nobilitate et cccc Helvetiis, qui pone ſequebantur, incumbit; et alta voce, ut a cunctis exaudiretur, ut cominus rem gererent, inclamat. Nec ſegniter ſui imperata faciunt, et obvios ſternunt, ingentemque numerum ſpatio exiguo cumulant. In eo conflictu ſauciatus Cureus et aliquot pauci. Iis caeſis, in alios, qui poſt carros latebant, vis converſa; qui poſt obſtinatum certamen, ſingulis carris altero poſt alterum captis, in fugam ſe conjiciunt, in ſylva, partim a milite, partim a ruſticis, male mulctati. Peditatus, qui in ultimo agmine erat, caſu ſuorum cognito, Faram trepida fuga repetit. Reliquum equitatum, cum ſe fuga reciperet, Givrius cum levi armatura inſecutus eſt, et multis occiſis intra Farae portas compulit. Direptus commeatus et corruptus; carri incenſi numero plus cccc; capti equi, qui carris inſerviebant: plus CIↃ IↃ cccc ex hoſtibus deſiderati. Bironus, cum jam dies inclinaret, veritus ne, ex fugitivis re in hoſtium caſtris cognita, Mansfeldius recenteis contra feſſos et inedia debileis mitteret, mature receptui cani jubet, et eodem itinere, quo venerat, cum ſuis in tutum ſe recepit, monito de ſucceſſu prius rege, qui ſtatim totis caſtris ſcloppetos diſplodi juſſit in laetitiae ſignum.

Ad

INTERPR. [a] *de Harlay Sancy.* [b] *de la Curée.* [c] *Paluel.* [d] *Favols.* [e] *Crepy.* [f] *S. Lambert.* [g] *Foreſt de S. Gobin.* [h] *le mareſchal de Biron.* [i] *de Clermont d'Amboiſe.*

Ad quem ſtrepitum Mansfeldius, et Meduanius, qui in caſtris erat pari in ſpeciem cum Mansfeldio poteſtate, jam de caſu ſuorum certi, ut tamen ſuos id celarent, et obſeſſis animos facerent, contraria tormentorum diſplusione noſtros reſalutant. Inde inter eos conſultatum, quid facto opus eſſet, omnium rerum penuria urgente. Et omnibus quidem placuit, ut vaſa conclamarentur, ſed in receptu variatum ſententiis fuit; cum fugae ſimilem diſceſſum quidam fore dicerent, ſi noctu fieret, et rurſus in conſpectu hoſtium interdiu recedere periculoſum judicaretur. Honeſtum tandem conſilium viſum, quod tutius eſſet. Sed rurſus aliquandiu altercatum fuit, qua via ſe reciperent. Nam duae occurrebant; altera per ſylvam, brevior, ſed impeditior; altera, quae longiore ambitu per plana et intecta ducebat, expeditior illa quidem, verum equitatui, quo rex valebat, ad invadendos pedites commodior. Nec dubitabatur, ſi noſtri Mansfeldianos illac incedenteis aggrederentur, quin eos facili negotio ad internecionem delerent. Itaque prior viſa potior, eoque ordine iter ingrediuntur: ſub veſperam manus delecta ſcloppetariorum cum omnibus impedimentis, campeſtribus tormentis, et dimidia parte muralium machinarum, praemiſſa, et lucum occupare juſſa, antequam noſtri de diſceſſu cognoſcerent. Summo mane media acies, quam Mansfeldius, et ultima, quam Meduanius ducebat, cum tota nocte in armis fuiſſent, ſecutae ſunt, reliquas machinas ſecum trahentes. [a] Ciccus Sangrius cum delectis Italis, et Olmeda cum Hiſpanis, ultimum agmen claudebant. Occupata mox a noſtris hoſtium caſtra; qui dolum et inſidias veriti recedenteis eminus inſecuti ſunt, ad Lamberti-fanum tanta mora facta, ut interea ſe illi in tutum ſubduxerint: nam rex cum IV CIↃ peditum et CIↃ CC equitibus ambitu capto non prius eos adſecutus eſt, quam ſylvam pertranſiiſſent, et ordines propter anguſtias ſolutos reſtituiſſent. Mansfeldius, quum in eadem via, in qua pridie ſui caeſi fuerant, iter faceret, cumulum cadaverum conſpicatus ſuſpirium duxiſſe dicitur, macellum id, non ſtragem appellans, et invidiam rei in truculentum Bironi ingenium rejiciens. Praemiſſi a rege Bironus et [b] Vitrius aliquot in ultimo agmine incedenteis Hiſpanos interceperunt; ceteri Faram incolumes pervenerunt, tormentis ſubito contra noſtros diſpluſis. Ibi ad refocillandas vireis aliquot dies commorati, juxta Quintini-fanum [c] Somona tranſmiſſa, in [d] Atrebates profecti ſunt.

IV. REX ad obſidionem rediit XIV Kal. Quintileis, et ad S. [e] Vincentii coenobium ſibi hoſpitium ſumpſit. Tum ſinguli ſpecus in ſingulis Bironi, Sanlucii, et Munmartini regionibus inchoati. Dum perficiuntur, Henricus [f] Turrius Bullionii dux Sedano CC loricatos equites, et III equitum ſcloppetariorum turmas; Joannes [g] Monlucius Balagnius, nuper cum rege reconciliatus, [h] Cameraco CCCC equites et IↃC pedites in caſtra adduxerunt. Ita XII circiter dies exacti. Inter haec eruptio ab obſeſſis facta, dum Bironus abeſſet, et [i] vallum quibuſdam locis occupatum ac dirutum, caeſis etiam aliquot ex noſtris, et in iis [k] Bordinetio et [l] Tuchii vicario ex legione Navarrena: ſed ſuperveniente [m] Boëtio hoſtes repulſi. Bironus etiam ex regio hoſpitio ad ſtrepitum advolavit, et militem excubias ante alios obeuntem, quod ſignum non dediſſet, forte obvium ſtricto gladio capite truncavit; et aggerem ſubito, qua parte dirutus fuerat, inſtauravit. Sub id ex [n] Bria advenere copiae, duce [o] Bielio; quibus fretus Givrius provinciae praeſes otii impatiens, relicta levi armatura, cui praeerat, ad obſidionem venit; et, cum excubias cum aliis in vallo tota nocte egiſſet, albeſcente die, dum intecto capite ad laſciviae plena convicia, quae hinc inde a ſtationariis reguntur, attentus eſſet, ictu ſcloppeti in capite accepto interfectus eſt, relicto incredibili regi et omnibus ſui deſiderio; qui juvenem illuſtri loco natum, forma egregia,

ingenio

INTERPR. [a] *Cecco di Sangro.* [b] *de l'Hoſpital baron de Vitry.* [c] *la Somme.* [d] *Artois.* [e] *Abbaye de S. Vincent.* [f] *de la Tour duc de Bouillon.* [g] *de Monluc Balagny.* [h] *Cambray.* [i] *la Tramblée:* [k] *la Bourdiniere.* [l] *le Sr de la Touche.* [m] *de Boiſſe.* [n] *la Brie.* [o] *le Sr du Biel.*

ingenio acri, literis Graecis Latiniſque, complurium linguarum uſu, ac mathematicis artibus apprime inſtructum, virtute praeſtantem, prudentia ſolertiaque militari inſignem, ac pleno gradu ad ſummos honores vadentem, in flore aetatis ereptum moerebat. Meritis ejus erga regem nomenque Gallicum, et me inprimis, cui arctiſſima adfinitate junctus erat, non ſolum Galli, ſed etiam Itali, Hiſpani, Germani, qui cum his bellis noverunt, hoc elogium mecum citrà vanitatem deberi haud dubie fatebuntur. Multis obſidionis diuturnitatem non ferentibus, cum rex de die in diem commeatum petenteis detinuiſſet, refectis tormentis, quae contraria obſeſſorum diſploſione corrupta fuerant, pulſantur muri; et VII Eidus Julii ſtrages ingens edita. Sed poſt murum ingens pomoerium reſtabat, ad quod aſcenſus admodum arduus erat. Cum ſpecus ſubter acti igni accipiendo parati renunciarentur, rex Bullionio, ut cum CCC loricatis ad laevam, Birono cum totidem ad dextram ruinae impetum faceret, negotium dat. [a] Sanravius medius cum legione ſua et aliquot loricatis ad ruinam recta tendere juſſus, ſtrenue rem geſſit: repulſus tandem in ruina conſiſtere ſatis habuit, dum ſpecus ignem conciperent. A [b] Monmartiniano initium ſub veſperam factum; quo diſſiliente Rogerius [c] Bellogardius magnus hipparchus, Ludovicus [d] Grillonius praetorianorum dux, [e] Torignius comes, [f] Montignius vim faciunt, propter arduum in pomoerium aſcenſum a defenſoribus, qui ſaxis et ignibus artificioſis enitenteis infeſtabant, facile depulſi. Specus a Birono excavatus, nam [g] Sanlucianus propter aquarum ſcaturigines intus repertas effectu caruit, igne concepto turrem et muri partem dejecit. Sed cum rurſus ingens poſt murum pomoerium exſtaret, Balagnius ad impetum faciendum cum XXX loricatis et legione Navarrena deſtinatus itidem repulſus eſt. Mox et foedi imbres ſupervenientes certamen eo die diremerunt. Cum oppugnatio prima non ſucceſſiſſet, novi ad pomoerium inſtituti ſpecus, et advectis tormentis aliis verberatio redintegrata, interim pleriſque ab exercitu diſcedentibus, non ſine occulto regis dolore. Tandem, cum res XIII Kal. Sextil. in eo eſſet ut oppugnatio totis viribus fieret, [h] Ligneracus, qui in caſtris filium legionis Gallicae [i] ducem habebat, ad colloquium exit; convenitque cum eo, ut niſi Meduanius, qui in Gallia remanſerat, et [k] Fara [l] Auguſtam Sueſſionum quotidie commeabat, intra XII dies obſidionem ſolveret, aut IↃC auxiliareis [m] Laodunum intromitteret, [n] Sommarivius aliique Henoticae factionis duces cum armis et ſalvis rebus excederent. Miſſus Henricus Borbonius Monpenſerius [o] Neuſtriae praeſes cum Andrea [p] Brancatio Villario ejus vicario, et recentibus, quas adduxerant, copiis, ut ſub Farae conſpectum vias inſiderent, qui ab illa parte auxiliaribus aditum impedirent. Cum nec Meduanius aut ulli ab eo miſſi intra tempus praeſcriptum comparerent, facta deditio ineunte Sextili. Praeſidiarii Auguſtam Sueſſionum, ſicuti convenerat, a Birono deducti: Claudius [q] Inſulanus Marivallius urbi cum praeſidio impoſitus. Dum rex ad obſidionem haereret, cum Mercurio [r] Sanchamantio Piſcario, qui [s] Theodorici-caſtrum tenebat, tranſactum eſt; edictumque ea de re menſe Julio conditum, IV Nonas Septembreis in ſenatu promulgatum, quo rex, ſancita praeteritorum oblivione, ei praefecturam urbis attribuit, decimarum reſidua in gratiam ejus eccleſiaſtico ordini juriſdictionis illius remittit; annui item vectigalis, quod ex ſuperioribus annis debebatur, plebi gratia facta; juriſdictio et magiſtratus urbis, alio, tempore belli, tranſlati, reſtituuntur; privilegia, immunitates, ac jura priſtina confirmantur.

V. Mox et ad regem allatum eſt [t] Samarobrigae Ambianorum tumultuari; et in eo eſſe primarios civeis, ſi eis favor regis e propinquo aſpiraverit, ut armis captis Aumalinm,

INTERPR. [a] *de St Ravy.* [b] *la mine du Sr de Montmartin qui joua.* [c] *de Bellegarde grand ecuyer.* [d] *de Grillon meſtre de camp du regiment des gardes.* [e] *de Torigny.* [f] *le Sr de Montigny.* [g] *Mine de Monſieur de S. Luc.* [h] *de Lignerac.* [i] *Meſtre de camp d'un regiment de gens de pied.* [k] *la Fere.* [l] *Soiſſons.* [m] *Laon.* [n] *le Comte de Sommerive.* [o] *Normandie.* [p] *de Brancas de Villars.* [q] *de l'Iſle Marivaux.* [r] *de St Chamant Sr du Peſché.* [s] *Chateau-Thierry.* [t] *Amiens.*

[a] Aumalium, qui in urbe erat, et ceteros factioni addictos, ejiciant. Itaque eo miſſi CIↃ IↃ XCIV.
Carolus [b] Humerius et Boëſſerius, cum CC equitibus, et aliquot copiis ex vicinis praeſidiis ſubito collectis, qui in ſuburbio urbis conſederunt; parumque res tunc ab eventu abfuit, ni Meduanius cum XXX ſolummodo armatis admiſſus ſub id advolaſſet; qui et ſuos praeſentia ſua confirmavit, et adverſae partis conatum pro tempore diſturbare ſibi viſus eſt, adactis in verba civibus et renovato Unionis jurejurando. Humerius a regio nomini addictis monitus, ne major motus in urbe excitaretur, ſub adventum Meduanii diſceſſerat, de voluntate eorum certus, quam illi renudaturi eſſent, ubi longius Meduanius abeſſet. Nec illi fidem feſellerunt: nam poſt Meduanii diſceſſum armis ſumptis, poſt aliquod certamen Aumalium urbe pellunt; ſtatimque regi a ſe evocato, nulla pactione prius inita, portas aperiunt; qui tamen, propenſae adeo ipſorum voluntatis memor, poſtea, ubi Lutetiam rediit, edictum in eorum gratiam fecit menſe Septembri, quod in ſenatu VI Eid. Oct. promulgatum eſt; quo, poſt ſolemnem in ceteris omnibus edictis de religione Catholica apoſtolica Romana conſervanda nec alia intra urbem admittenda clauſulam, et ſancitam praeteritorum oblivionem, eccleſiaſticis, qui aliquo non conſiſtoriali ſacerdotio, aut nobilitati, aliiſque, qui munere aliquo aut officio a Meduanio donati eſſent, modo novum a ſe diploma acciperent, gratiam facit; cunctos bonis ſuis reſtituit; praefecturam urbis et armorum ſummam poteſtatem majori et aedilibus attribuit; privilegia, libertates, et immunitates confirmat: ſicut [c] Abbatis-villae oppidanos, ita eos a ſalinarii tributi et vectigalium hoc bello primum impoſitorum onere eximit; juriſdictionem ordinariam et quaeſturam hoc bello tranſlatam reſtituit; de vectigalibus regiis occupatis et in bellum hoc impenſis ulteriorem cognitionem haberi vetat.

Henricus IV.

VI. Laoduno capto, rex, inſtante Balagnio, qui auxiliareis ad urbis obſidionem adduxerat, [d] Cameracum cum toto aulico comitatu et parte copiarum excurrerat, ut quae cum ipſo acta fuerant, praeſens rata haberet, et oppidanos in fide erga ſe et Balagnium ipſum magis confirmaret. Jam ante ſuperiore anno cum Dieppae eſſet, cum Renata [e] Claromontia Amboſia ejus uxore III Kal. Dec. tranſegerat. Hac conditiones dictae: Rex ſuſcipiat patrocinium Balagnii, ipſius uxoris, liberorum, ac ex iis prognatorum in urbe, arce, Cameracenſi agro, ducatu ac comitatu, cum poteſtate, auctoritate, ditionibus, imperio ac titulis, quos nunc habent, et porro ipſis a populo et ordinibus urbis ac provinciae concedentur; inſuper urbis et Cameracenſis ditionis privilegia, libertates, immunitates, adverſus et erga quoſcunque ſine exceptione, tueatur. Ad praeſidium urbis et arcis ex aerario regio quotannis LXX aureorum CIↃ, IV penſionibus, exſolvantur. Si bellum Balagnio, uxori, liberis inſeratur, rex cum exercitu ſuccurrere teneatur, perinde ac ſi ipſius veri ac naturales ſubditi eſſent. Per oratores ſuos tam Romae, quam apud Caeſarem, alioſque principes, tam Balagnium, quam uxorem, liberos, ac urbis ſimul et ordinum provinciae cauſam, defendere teneatur, fidemque tam ſuo quam ſucceſſorum nomine ea de re interponat. Liceat Cameracenſibus ſine ullo conditionis diſcrimine in Francia tanquam indigenis habitare, bona poſſidere, iiſdemque juribus ac privilegiis, quibus Franci utuntur, uti frui; nec propterea quidquam regi exſolvere teneantur. Nullum foedus rex ineat cum Hiſpanis, aliiſve principibus, in praejudicium hujus foederationis. Durante bello, in cujus ſocietatem Balagnius et Cameracenſes venturi ſunt, liceat ex regno CIↃ frumenti modios Pariſienſeis, et IV CIↃ amphorarum vini ſine ullo tributo, tam vetere quam novo, educere; immunitate praeterea telarum linearum, quae tenuiſſimae in illa urbe conficiuntur, aliarumque mercium uſque ad X CIↃ aureorum per ſingulos annos permiſſa. Balagnio iiſque qui eum ſecuti ſunt, omnium quae fecerunt

geſſeruntve

INTERPR. [a] *le Duc d'Aumale.* [b] *d'Humieres, & de la Boiſſiere.* [c] *Abbeville.* [d] *Cambray.* [e] *de Clermont d'Amboiſe.*

geſſeruntve pace et bello, pecuniarum imperatarum, vectigalium regiorum, et patrimonii occupati, liberatio et impunitas concedatur. [a] Marlae, Bellorivii, Bohanii, et Ribemontii arces, quas Balagnius ex privato regis patrimonio nunc tenet, porro vicarii regii titulo teneat; et praeſidia arbitrio regis in iis imponantur, aſſignato ex proximis regni vectigalibus ſtipendio. Pro ſumptibus in Cameraci defenſione et munitionum novarum exſtructione a Balagnio factis, qui IƆ CIƆ librarum aeſtimati ſunt, ex regio patrimonio diriones XX CIƆ librarum annui reditus ei attribuantur. Balagnius et ejus uxor, contra judicia in eos in regno lata, bonis, unde dejecti ſunt, reſtituantur; neque praeſcriptio et actionibus perimendis conſtitutum tempus per haec ultima bella adverſus eos cucurriſſe intelligatur. Liceat Balagnio cum Belgii Ordinibus, ſalvo hoc foedere, aut inducias jam pactas prorogare, aut novum foedus icere. Quod ſi illi iis ſtare nolint, rex ad Cameraci et Cameracenſis ditionis defenſionem auxilia promiſſa ſubminiſtrare teneatur. Viciſſim Balagnius, et ordines provinciae, regem ejuſque ſucceſſores nunc et in poſterum tanquam patronos colant, eique fidem eo nomine erga et adverſus cunctos addicant, indiſſolubili nodo in perpetuum cum corona regia conjuncti, ita ut ab ea nullo caſu divellantur. Utrinque diplomata rebus conventis firmandis neceſſaria idonee confecta tradantur, et, ubicunque opus fuerit, approbentur, et in acta publica referantur. Poſtea conventum, ut interim, dum res conficientur, exſolutis a rege X CIƆ aureorum, Balagnius, jam tum equitum tribunus creatus, II CIƆ peditum et IƆ equites in belli uſum ſubminiſtret. His a Balagnio approbatis, rex, cum ad [b] Germani-fanum in Laia ſylva veniſſet, menſe Aprili proximo capita conventa, diplomate regio ſigillo firmato, et ad [c] ſenatum, [d] rationaleis, alioſque magiſtratus directo, rata habuit; alioque diplomate Balagnii, uxoris, liberorumque et Cameraci ac ſubditae ditionis patrocinium ſuſcepit, et Catholicam apoſtolicam Romanam eccleſiam ſe in urbe conſervaturum promiſit. Et, cum in [e] Laoduni obſidione adhuc haereret, antequam cum auxiliis promiſſis Balagnius adveniſſet, Alberto Gondio [f] Radeſiarum duci equitum tribuno diplomate publico XVI Kal. Sextil. poteſtatem fecit, ut Cameracum profectus ſuo nomine fidem pactis inter Balagnium et Cameracenſeis conventis interponeret, et viciſſim Balagnium et Cameracenſeis in regis fidem addiceret. Eodem, quo juramentum utrinque in majore urbis templo tactis ſacroſanctis evangeliis praeſtitum eſt, die, hoc eſt, VII Eidus Sextileis, ſolicitatis antea, et ſeu vi ſeu ſpe adactis urbis ordinibus, Balagnius et uxor ejus ambitione omnem modum ſupergreſſa ardens, conventum celebrarunt, cui decanus et ſacrum collegium, praepoſitus, aediles, magiſtratus ac conſiliarii urbis, quatuorviri armorum praefecti interfuerunt; in eoque adulatorie commemoratis Balagnii et ipſius uxoris erga urbem meritis, multumque laudata virtute, prudentia, et aequitate, ei propterea et in eum tanquam principem, dominum, et adminiſtratorem temporalem arcis, civitatis, ac ducatus Cameraci, agri et comitatus Cameracenſis cuncta ſupremi imperii a ſe abdicata jura, nec non et in uxorem ejus ac conjunctim filium grandiorem natu, ceteris excluſis, tranſtulerunt, et, ſi quidem maſculi deficerent, in foeminam ex communi eorum matrimonio ſuſceptam, quae ab ipſis aut alterutro ſuperſtite nominaretur, ſalvo manente patrocinii jam conventi penes regem jure. Speciatim eodem inſtrumento expreſſa illa jura, ut magiſtratuum inſtituendorum et deponendorum, curias habendi, beneficiarios in fidem accipiendi, monetae cudendae, novas conſtitutiones et edicta publici boni cauſa condendi, gratiam mortis faciendi, et hujuſmodi. Itaque, cum Radeſianus Balagnium ſolemni ritu in fidem adegit, vi clauſulae pactis appoſitae de ipſo in patrocinium recipiendo cum titulis, quos jam

INTERPR. [a] *Marle, Beaurevoir, Bohain, & Ribemont.* [b] *S. Germain en Laye.* [c] *le Parlement.* [d] *Chambre des Comptes.* [e] *Laon.* [f] *le Duc de Retz mareſchal de France.*

jam haberet, et porro ipſi a populo ordinibuſque civitatis et agri Cameracenſis concederentur, eoſdem titulos illi attribuit. Poſtquam rex [a] Cameracum venit, novum diploma condidit pridie Eidus Sextileis; quo ſuperiora omnia acta rata habuit, et tam pacta Dieppae conventa, quam diplomata deinceps ad Germani-fanum facta, mandata Radeſiano data, inſtrumentum de principatu Cameraci in Balagnium ejuſque uxorem ab ordinibus urbis et provinciae collato, ac jurisjurandi utrinque ante regis adventum praeſtiti inſtrumenta, in ſenatu, rationalium curia, aliiſque locis, promulgari mandavit. Id actum in ſenatu XIX Kalendas Februarias; addita ſolemni clauſula, ut a gratia Balagnio, et iis qui ipſum hoc bello ſecuti erant, facta excluſi intelligerentur, qui regis defuncti parricidio participaſſent. Dum rex Cameraci eſſet, conviviis, haſtiludiis, nocturnis pompis, et omni feſto apparatu exceptus eſt, ſatagente novo principe, ut tantum hoſpitem omni cultu demereretur, ſimulque invidioſis nuper in ſe collatis [α] titulis adſectata magnificentia ſe dignum praeberet: [β] ſed erat hominis vix ferenda domeſticis ſuperbia, quae ipſum non ſolum populis inviſum, ſed aulae noſtrae odioſum, [γ] reddebat; ac prudentiores ſic judicabant, intempeſtivam illam ſive ipſius ſive uxoris ambitionem ipſis brevi exitioſam, regno detrimentoſam ad extremum futuram: nam Cameracenſeis, qui praeſentiſſimum ac rebus ſuis utiliſſimum ſemper in regibus Franciae praeſidium experti eſſent, pro patrocinio tyrannum cervicibus liberis impoſitum haud diu patienter laturos; et Hiſpanos, qui urbem per ſe munitiſſimam ſicuti ſub patrocinio noſtro inexpugnabilem et ad defenſionem ſemper paratam fore, ſic ſub diri domini et impotentis foeminae jugo oppreſſam, facile ad defectionem ſolicitari poſſe, cernerent, occaſioni minime defuturos. Quod jam tum ominari meminerunt plerique virum animi et prudentiae praeſtantiſſimum Joannem [b] Vivonum Piſanil marchionem, qui regem in tota illa expeditione comitatus fuerat; cum faſtum ac ſuperbiam Balagnii [δ] execraretur, et poſtremo damnum ex eo brevi ad regnum redundaturum, alto pectore ſuſpiriis ductis, praeſagiret; conditionem regis, in illo licentiae ubique bacchantis ſalo fluctuare, et omnia omnibus annuere coacti, ſubinde deplorans; crebroque dictitans, Franco-gallico nomine et depraedicata apud omneis nationes regum noſtrorum gloria indignum eſſe, qui inviſum durae ſervitutis jugum ubique excutere et libertatem reſtituere jactabantur, ut populos ſe in ipſorum clientelam tradenteis impoſitis tyrannis vexarent. Rex Cameraco [c] Samarobrigam profectus cum [d] Bellovacenſibus tranſegit, et in eorum gratiam edictum fecit XI Kal. Sept. in ſenatu IV Non. Sept. promulgatum. Inter alia injuriarum a ſeditioſis, et a ſacro praecipue collegio, Nicolao [e] Fumaeo epiſcopo viro optimo inflictarum memoria inducebatur, ea lege addita, ut liceret heredibus epiſcopi pretioſae ſupellectilis quod ſupereſſet a poſſeſſoribus avocare, pretio, quo venüt, exſoluto. Menſe ſequenti cum [f] Maclovianis quoque tranſactum eſt, qui oppidum mercatu frequens ad mare in Armorico tractu habent, et initio hujus belli a rege defecerant, occupata arce et Honorato [g] Buellio Fontano occiſo; cujus facti gratia illis nominatim facta, ſatisfactione aliunde ac ſeorſim Rogerio Bellogardio data, qui Annam, filiam et heredem Fontani, uxorem duxerat. Confirmata privilegia et immunitates a Britanniae ducibus conceſſae. Urbis cuſtodia commiſſa oppidanis; conflandorum tormentorum ad arcis et

turris

VAR. LECT. [α] titulis, non tam moribus, quam adſectata *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] ſed inerat vanitati hominis admiſta vix *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[γ] reddebat; pleriſque e nobilitate novum hominem et incertis natalibus fortunae ludibrio ad tantum faſtigium evectum indignantibus. Prudentiores ſic *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[δ] execraretur, ſimulque ineptiam rideret hominis ad majeſtatem principalem ſe gravitate indecenti componentis, et poſtremo damnum, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *de Vivone marquis de Piſany.* [c] *Amiens.* [d] *Ceux de Beauvais.* [e] *Fumée.* [f] *Ceux de S. Malo en Bretagne.* [g] *de Bueil Sr de Fontaines.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

turris [a] Solidoriae turelam et inſtruendas naveis facultas dara. Prior et duo conſules creari, qui inter mercatores jus dicerent: et ad extremum ſancita praeteritorum oblivio. Ea de te edictum Lutetiae factum et [b] Condati Redonum promulgatum Nonis Decembribus. His omnibus edictis appoſita clauſula, qua eorum beneficio ii exclodnntur, qui regis defuncti deteſtando paricidio participaverint, aut regis, qui nunc ſeliciter imperat, vitae inſidiati fuerint. Eodem menſe Henricus [c] Turrius Bullionii dux in ſenatu equitum tribuni, et poſt eum Andreas Braocatius Villarius maris praefecti, ſacramentum publice, ut moris eſt, dixerunt.

VII. INTEREA Meduanius ob expeditionem recentem cum Hiſpanis, ut ſibi videbarur, veluti reconciliatus, Bruxellas ad Erneſtum Auguſto menſe redierat, ut de communibus negotiis, et belli deinceps gerendi ratione, cum ipſo et Hiſpanis ageret. Capita ab eo propoſita, Ut religionis et Catholicorum in Francia penes Philippum ſit patrocinium, auctotitate pontificis et ſuae altitudinis interveniente, donec rex creatus ſit ex pontificis et majeſtatis ſuae Catholicae et Henoticorum Catholicorum conſenſo. Promiſſa auxilia, et majora, ſi neceſſitas exigat, a Philippo ſumminiſtrentur. Viciſſim liceat illi urbes et arces, de quibus conveniet, pro ſumptibus in id bellum faciendis retinere; quas regi creato reſtituere teneatur, cautione de refundendis ſumptibus accepta. [d] Vicarii generalis titulus penes Meduaninm maneat, donec rex creatus fuerit, ipſumque Philippus protecturum ſe et conſervaturum recipiat. Eo uſque Meduanio praefectos urbibus, oppidis, et arcibus, quae deinceps capientur, natione Gallos et Catholicos, pro arbitrio imponere jus ſit; et praeſidia ab ipſo impoſita Franciae et Meduanio tanquam imperii Francici vicario generali ſub Philippi patrocinio ſacramentum dicant. Exercitui XVI CIↃ peditum et III CIↃ equitum a ſua majeſtate Catholica conſcribendo Meduanius cum ſummo imperio praeſit, liceatque illi II CIↃ peditum Gallicorum et IↃ equites item Gallos ſcribere, quibus ex Philippi pecunia ſtipendia procedant. Praeterea ad ampliorem ſecuritatem, ſi quid ſiniſtri accidat, Philippus ex aerario ſuo IV CIↃ peditum et IↃ equitibus ſtipendium exſolvat, quo loca in Burgundiae principatu ab hoſtibus occupata recipere, et provinciam omnino pacatam tenere poſſit; quam gubernatoris titulo, ſub eo qui rex creabitur, deinceps adminiſtret. Pacata provincia [e] Auguſtam Sueſſionum in manibus Philippi deponat. Ante pacatam Burgundiam de tradenda ea minime urgeatur. Si contingat, ut neque rex creari, neque Burgundia pacari poſſint, libereve praefectura ejus frui Meduanio liceat, Philippus extra regnum poſſeſſiones uſque ad C aureorum CIↃ annui reditus cum honotificis titulis ei, liberiſve ejus, tradere teneatur; ita ut, ſi poſtea cum Navarro conveniat, non propterea fide ſolutus intelligatur, ſed bona, quae in Francia Meduanius habet, aliorum extra regnum traditorum loco retineat. Per oratores ſuos cum principibus aliiſque regni ordinibus, civitatibus, et univerſitatibus agat, ut ad bellum tam juſtum deinceps conſtanter ſecum perſequendum fidem obligent; ad X CIↃ aureorum menſtrua, quae Meduanio ex Philippica pecunia procedent, alia X CIↃ addat, quo ſe liberoſque cum dignitate belli tempore tueri poſſit. Fidem praeterea interponat, regem, qui creabitur, omne aes alienum, quod ipſe liberique ſui tam belli nomine quam ob alias cauſas contraxerunt, exſoluturum. Praeſenti pecunia C aureorum CIↃ, ſtatim atque convenerit, numerentur, ad liberandam ſuam erga creditores fidem; et C alia CIↃ ubi Philippus rata pacta habuerit. Colloquium quamprimum inter partes inſtituatur, in quo negotii communis difficultates amplius diſceptentur. Pacta, quae fient, ita ſacta intelligantur, ut pontifici adprobentur. Si in has leges convenire non poſſit, ad amplius concilium res differatur, cujus judicio Meduanius ſtare teneatur. Hae conditiones, a conſtanti propoſito pro religionis Catholicae defenſione

et

INTERPR. [a] *Solider.* [b] *Rennes.* [c] *de la Tour.* [d] *Lieutenant-general.* [e] *Soiſſons.*

et in Philippi obſequio vivendi moriendi profectae, ſi non accipiantur, proteſtari Meduanium ſe extra culpam fore, ac licere ipſi res ſuas agere; quippe cum pro meritis et egregia ſua ad hoc bellum perſequendum voluntate, ab iis, a quibus oportuit, minime habitus ſit. Ad haec Erneſtus reſpondit, Philippo conſtitutum eſſe, bellum tam juſtum perſequi, auxilia in id promiſſa ſubminiſtrare; cum quibus ipſius auſpiciis, tanquam ſummi capitis, in [a] Pictonibus et Armorica; aliiſque, quibus viſum fuerit, locis, bellum geratur. Placere, ut Meduanius titulos et priſtinam poteſtatem retineat. Verum ut Philippo caveatur, ne Meduanius ullo pacto deinceps cum [b] Benearni principe agat, opus eſſe ante omnia, ut [c] Auguſta Sueſſionum tradatur; ſuſpecti, qui circa Meduanium ſunt, abigantur; alii erga cauſam bene affecti conſiliarii conſtituantur. Haec ſi a Meduanio praeſtentur, menſtrua illi x aureorum CIↃ in ſtipendium II CIↃ peditum Gallicorum et IↃ equitum, cum eas copias ad exercitum adducet, et quamdiu in exercitu erunt, ex Philippi aerario numeratum iri. Si in Burgundia bellum malit gerere, in CIↃ item Germanos pedites, CCC equites, ſtipendium paratum fore. Si majoribus viribus opus habeat, aut hoſtis potentior ingruat, ipſum Erneſtum cum Philippicis copiis praeſto futurum. Si cum Benearni principe agatur, quanquam in hunc caſum caveri ſuperfluum, imo abſurdum, videatur, ante omnia dignitati, ſecuritati, et commodo Meduanii cautum iri. Cum replicaret Meduanius, et his conditionibus ſe ſtare non poſſe oſtenderet, et de Auguſta Sueſſionum tradenda aſſentiri nollet, res ad amplius colloquium dilata, dum interim ad Philippum diligenter perſcriberetur. Itaque Erneſtus ad eum dat literas VIII Eid. Sept. nec non Feriae dux, Didacus Ibarra, et Jo. Baptiſta Taxis, coram quibus res diſceptata fuerat; quibus incertam Meduanii, et in propoſito ac conditionibus ubique fluctuantis, fidem notabant. Conſtare ſibi eum clam, per Petrum [d] Janinum Divionenſem praeſidem et alios cum Benearni principe agere; et tamen ad famam et exiſtimationem pertinere, ne cum tantae dignitatis viro diſſidium eſſe videatur: nam metum ſubeſſe, ne, eo a partibus recedente, plerique ab unione et foedere diſcedant, et civitates belli pertaeſae, aliae poſt alias, ad pacis conſilia inclinent. Jam Guiſium nutare, ob idque ad ipſum miſſum Antonium Friam; cui ingenue ~~ille confeſſus eſt~~, ~~ſe~~ cum Benearni principe ſuaſu parentis atque adeo amitae, ea Monpenſeria erat, agere, quippe omni ope deſtitutum, et adverſus ejus vireis imparem. Si tamen a majeſtate ſua Catholica ipſi mature ſubveniatur, ejus ſe patrocinium, quam Benearnenſis fidem, potius amplexurum, et praeſidium ex militibus Hiſpanis uſque ad IↃ CC [e] Durocortorum introducturum.

VIII. HAUD fruſtra eſt, quod de Guiſio additum fuit: nam mox Guiſius cum rege, tam ſuo quam fratrum et Claudii [f] Guiſii Cluniacenſis praeſulis nomine, tranſegit. Diſceptandis cum eo conditionibus adhibiti a rege Maximilianus [g] Bethunius Ronius, et Jacobus Auguſtus Thuanus. Tandem edictum ad Germani-fanum in ejus gratiam factum, et in ſenatu promulgatum III Kal. Dec. quo ipſe fratreſque ejus tanquam proxima cognatione cum rege conjuncti, et ii omnes, qui tam in regno quam extra regnum in Hiſpania et Italia ei operam navaverant, regi reconciliantur, praeteritorum oblivione ſancita. Durocortorum Remorum, [h] Rupes-regia, Deſiderii-fanum, Guiſa, Jonvilla, Fimium, Corneti-mons in Arduenna ſylva ad regis obſequium reducuntur, praefecturis eorum locorum Guiſio et ejus fratribus attributis. Seorſim et ſecreto pacto CCCC aureorum CIↃ a rege promiſſa ad exſolvendum grande aes alienum, quo parens ejus ad res miſcendas ſe familiamque ſuam inconſiderate merſerat. Data et fides de primaria regni praefectura ei attribuenda, haud ſine magna contentione: nam Guiſius Campaniam repetebat, quam parens et avus adminiſtraverant;

Nivernius

INTERPR. [a] *Poictou, & Bretagne.* [b] *Bearn.* [c] *Soiſſons.* [d] *Jeannin préſident de Dijon.* [e] *Reims.* [f] *de Guiſe abbé de Clugny.* [g] *de Bethune Sr de Roſny.* [h] *Roc-roy, S. Diſier, Guiſe, Joinville, Fime, & Montcornet en Ardennes.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

[a] Nivernius fratri patrique uxoris, qui eam ſumma cum benignitatis, fidei, et fortitudinis laude rexerant, a Guiſianis ademptam, et ſibi filioque poſt Henrici Guiſii mortem a rege defuncto conceſſam, ut cederet, nulla ratione adduci poterat. Rex ut hunc nodum ſolveret, et ſimul Nivernio bene de ſe merito gratiam a deceſſore ſuo factam conſervaret, ſimul Guiſio de praefectura promiſſa ſatisfaceret, [b] Provinciam ei conceſſit, in qua Eſpernonius mnltis nominibus ſibi ſuſpectus erat; reclamantibus pleriſque, qui auctoritate in aula plurimum valebant; quippe periculoſum eſſe, [α] juveni magni animi ſtatim poſt reconciliationem, et recenti adhuc adfectatae ſeu delatae regiae dignitatis memoria, praefecturam Italiae Hiſpaniaeque vicinam, unde tempeſtas nuper in regnum incubuerit, ad res novas adeo opportunam, committere, in qua majores ipſius jus olim ſibi competere aiebant. Certe Philippus [c] Huraltus Cevernius Franciae cancellarius multa in eam rem dixit: Ratum fixumque regni arcanum eſſe, ut nulli procerum, qui jus in aliqua provincia haberet, praefectura ejus attribueretur. Atqui notum eſſe, ab Iolanda Renati [d] Andini Siciliae regis filia prognatos Lotharingos jus in Provinciae comitatu ſemper ſibi vindicaſſe. Ob id Carolum cardinalem Lotharingum ante XXXV annos Andini nomen adfectaſſe, et hodie etiam nunc Carolum Lotharingiae ducem familiae principem comitatus Provinciae titulos uſurpare. Simili errore graviter et quam certa cum regni pernicie a deceſſore ejus peccatum ſit, neminem non videre, cum [e] Armoricam Ludovico Borbonio Monpenſerio ac nepoti ejus Henrico [f] Dumbarum principi ademptam, Philippo Emmanueli [g] Lotharingo, cujus ipſe ſororem in matrimonio habebat, adminiſtrandam conceſſit; quippe Mariam [h] Lncemburgicam [i] Pentevriae domus heredem regis beneficio in uxorem duxerat, quae jus in ea provincia jam a Bloeſenſium, a quibus genus ducebat, et Monſortianorum comitum de ſucceſſione contendentium tempotibus repetebat. Itaque ſe, qui tunc primarii conſiliarii dignitate in comitatu ejus ſungebatur, multum pugnaſſe, ne Pentevriae familiae heres in ea provincia eum praeſidis titulo pedem poneret. Cum nihil obtineret, ſaltem hoc impetraſſe, ut dictorum a ſe publica teſtatio concederetur. Eandem nunc gratiam a rege petere; eoque magis, quod, cum ſupremo juris magiſtratu in regno fungatur, merito vereatur, ne ſibi ſuiſque olim probro aut crimini detur, ſi rem tanti momenti ignavia ſeu diſſimulatione indiſcuſſam reliquerit. Verum rex, qui jam de Provincia fidem Guiſio dediſſet, et Eſpernonium inde omni ratione deducere cupiens, periculo periculum et peſtem peſte, ſicuti aiebat, diſcutere in animum induxiſſet, non plus monitorum Cevernii, quam deceſſor ſuus, rationem habuit; et ipſi inſtrumentum a quatuorviris ab epiſtolis ſubſcriptum conceſſit, quo ſententiae ejus in conſiſtorio dictae fides fiebat. Nec contentus eo Cevernius, cum diploma de Provinciae praefectura Guiſio attributa obſignaret, ſub ſigillo manu propria addidit, ſibi de hac conceſſione contra ſuam ſententiam facta a rege inſtrumento publico a quatuorviris ſubſcripto cautum eſſe. Praeter aſſiduas matris expoſtulationes maturatam reconciliationem conſtat Claudii [k] Caſtrei equitum tribuni maxime hortatu et conſilio, viri prudentiae ac benevolentiae apud Guiſium opinione praecipui; qui juvenem aeſtu ambitionis rapidum, dum cum eo eſſet, et poſtea ſemper, ſedulo monuerat, ut inſidioſa Hiſpanorum promiſſa caute negligeret, pluſque de certa regis bonitate, quam a fallaci ipſorum vanitate, polliceretur. Eodem tempore rex edictum in gratiam Proteſtantium a deceſſore ſuo ante XVII annos [l] Pictavii factum, et Guiſianis annitentibus ſemel atque iterum revocatum, poſt ejus mortem a ſe [m] Medontae repetitum, et [n] Caeſaroduni ante triennium promulgatum,

VAR. LECT. [α] juveni ambitioſo ſtatim *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le Duc de Nevers.* [b] *Provence.* [c] *Hurault de Chiverny.* [d] *d'Anjou roy de Sicile.* [e] *Bretagne.* [f] *Dombes.* [g] *de Lorraine duc de Mercoeur.* [h] *de Luxembourg.* [i] *Penthievre.* [k] *de la Chaſtre.* [l] *Poictiers.* [m] *Mante.* [n] *Tours.*

promulgatum, demum recepta Lutetia, ut in loco majorum denuo promulgaretur, confirmavit, diplomate ea de re confecto: deliberatio tamen in annum ſequentem dilata. Occaſionem edicto dedit, quod Meduanium jam de reconciliatione cogitantem mandaſſe [a] Seneſcaeo conſtabat, inter conditiones regi a pontifice imponendas hanc addi curaret, ut Henricus Borbonius Condaeus regi proximus agnatus, ſexennis tunc puer, qui cum Carlota Catharina [b] Tremollia parente poſt Henrici parentis mortem ad Jo. [c] Engeriaci fanum in Santonibus, quaſi in Proteſtantium poteſtate, detinebatur, ex eorum manibus reciperetur, et apud quem pontifex juberet, et Catholici in regno commodum judicarent, educaretur. Hanc legem ſibi a pontifice ullove alio imponi gravatus rex, ut conſilia Henoticorum anteverteret, cum Proteſtantium delegatis egerat; et, edicti in eorum gratiam renovandi ſpe facta, impetraverat, ut Condaeus ſibi traderetur. CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

IX. PAULO ante Franciſcus Dous, urbis et peninſulae Francicae praefectus, Lutetiae in aedibus ſuis, morbo ex intemperantia contracto, deceſſit, haud multo quadragenario major; ex faſtidio voluptatum mortem patienter ferre viſus, cum vita in deliciis Apicianis acta nihil reliqui feciſſet, quo foedas libidines ſuas expleret. Aerarii curam ſolute ſub Henrico III geſſerat, et poſtea turbatis temporibus majore licentia adminiſtraverat. Cumque publici jacturam facere, ut privatae rapacitati ſatisfaceret, crederetur, opulentum patrimonium, quod a majoribus acceperat, in aedificando, aleae ludo, lautis coenis helluavit; grandique aere oppreſſus, praeter omnium opinionem, creditoribus ſuis tandem decoxit. Ut ruinas ſuas farciret, paulo ante mortem regi, dum ad [d] Laodunum haereret, edictum ſuaſit, quo decernitur, ut ex annuis redituum emptorum penſitationibus, quae beſſaleis uſuras triente excedunt, ſive graviores, ut nauticae, ſive leviores ſint, ab anno CIↃ IↃ LXXXIX ineunte ad annum CIↃ IↃ XCIII exeuntem, tantum duo trientes a debitoribus exſolvantur; quarum autem dies ante annum CIↃ IↃ LXXXIX ceſſit, eae ſine ulla delibatione duobus ſequentibus annis, videlicet XCV et XCVI, pendantur; idque locum habeat in contractibus permutationis cauſa factis, reditibus fundi, et hypobolis: tantumque ab ea remiſſione eximantur annuae penſiones, quae ob alimenta ſacris virginibus debentur. Si vero eae jam exſolutae fuerint, in ſequentium annorum penſitationes imputentur. Additum ludibrio, ut id locum non habeat in penſitationibus, quae ob reditus Rotomagi et Lutetiae emptos a rege privatis debentur; quas integras, cum aerarii rationes ferent, rex ſe exſoluturum promittit. Edictum, licet ambitioſum, tamen in publicum utile, in ſenatu non ſine contentione fuit recitatum pridie Eidus Quintileis; quibuſdam conditionibus appoſitis, ut ſi plus duobus trientibus illius quinquennii ſolutum eſſet, non repetatur, nec in ſequentium annorum penſiones imputetur. Biennio quinquennium ſequente ſors principalis lui non poſſit, niſi praeteriti temporis penſionibus plane exſolutis. Ea gratia tantum in quinquennium belli valeat, neque ulterius prorogetur. Poſt mortem Doi non unus ſed plures aerario pari auctoritate praepoſiti, iiſque omnibus praeficitur Nivernius; ad annumque duravit haec in plures didita aerarii adminiſtratio, donec uni rurſus Nicolao [e] Harlaeo Sancio attributa eſt, cui poſtea ſucceſſit Maximilianus [f] Bethunius Ronius.

X. DUM haec circa regem gererentur, non ceſſabat in Armorica Jo. Aumontius equitum tribunus, provinciae praeſes. [g] Lavallum in Cenomanis opulentum oppidum, clam inito per [h] Mainovium Andignium, qui praeſidio urbis, dum eam rex tenebat, praepoſitus fuerat, et [i] Barbinum Vauzellam fiſci procuratorem, alioſque regi fidos, cum oppidanis conſilio, citra cujuſquam injuriam receptum. Id praeſentiae ipſius

INTERPR. [a] *le baron de Seneſçay.* [b] *de la Tremoille.* [c] *S. Jean d'Angely en Saintonge.* [d] *Laon.* [e] *de Harlay Sancy.* [f] *de Bethune Sr de Roſny.* [g] *Laval au Maine.* [h] *de Maineuf Sr d'Andigny.* [i] *le Sr Barbin nommé la Vauzelle procureur fiſcal.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

ipſius Aumontii datum, qui militem a caede ac rapinis abſtinuit. Rebus in urbe conſtitutis praeſes [a] Condate Redonum revolat, unde ad bellum in inferiore provincia gerendum ſe parat [b] Mercurianus; ante regem eccleſiae reconciliatum, ut ceteri foederati, arma ſe ſolius religionis cauſa cepiſſe profeſſus, et ea io tuto collocata ab iis ſe diſcedere paratum ubique teſtatus: ubi de reconciliatione allatum eſt, ſtatim mutavit, et per concionatores fidem rei ſtudioſe clevat; ſimulatam illam reconciliationem ad Catholicos fallendos; et majore in periculo religionem verſari, quam cum rex aperte a partibus Sectariorum ſtabat; inſidias vitandas, et, niſi ſtrenue reſiſtatur, religioois cauſam prodi. Tamen [c] Laeſooetus, qui [d] Concarnellum munitiſſimum in illa provincia ad mare oppidum tenebat, et Joannes [e] Taluetus, qui [f] Redono ad Vidanam praefectus erat, cum adeunt; et meminiſſe jubent, quid ab ipſo audierint, cum ſe ſolius religionis in tuto collocandae cauſa bellum ſoſcepiſſe affirmabat. Id per regis reconciliationem a Deo impetratum; nihil jam ſupereſſe, niſi ut aequis, quas ille, pro ſua benignitate cunctis perſpecta, minime negaturus ſit, cum eo cooditionibus paciſcatur. Se jampridem arma civilia deteſtari, quae, niſi extrema neceſſitate victi, nunquam ſuſcepiſſent: nunc, ea ſummo Dei beneficio ſublata, nihil caoſae eſſe, cur diutius contra conciveis, gentileis, cognatos, amicos ſaeviant. Pro cunctis igitur, qoi eum conſtanter ſecuti ſunt, conſilium mature capiat; alioqui ſe, quod ſibi rebuſque ſalutare exiſtimabunt, conſiliom capturos. Mercurianus ad haec, inſita in conſiliis tarditate, et alieno tunc a reconciliatione animo, eos hortari, ut nihil in tantae molis negotio praecipitarent. Religionis cauſam agi, in qua nihil inconſulto pontifice, cujus auſpiciis arma ſumpſiſſent, decerni oporteat. Regis reconciliatione, quouſque pontifex et ſancta ſedes probaverit, ac ratam habuerit, nihil vere Catholicos permoveri debere. Gratias pro conſtantia ipſotum ſummas habere; ſibi curae fore quod petant, et in tempore juſtis eorum deſideriis ſatisfactum iri: tantum orare, ne gloriam, re tam bene navata partam, praecipiti temeritate amittant. Illi cum in propoſito perſtare Mercuriaoum viderent, et adfectata procraſtinatione ipſorum preces eludere, prior Laeſonetus a foedere diſceſſit, miſſo [g] Querrolinio nepote [h] Laodunum, ubi cum rege Monmartini interventu tranſegit. [i] Aumontius Condate profectus [k] Morlaſium tendit, quo oppidani eum vocabant. Jamque arx, cui [l] Taro nomen, rupi impoſita in inſula portui oppoſita, praeſidium receperat, cum Mercurianus de eventu veritus validum praeſidium in oppidum immittit, cui praeerat [m] Roſampovius Carnaeus, mandato dato, ut incumbente hoſte mature ſe in oppidi arcem reciperet. Quaedam tamen ad obſidionem ſe parantem Aumontium remorata ſunt. [n] Cruceius legionis tribuous, qui regi alioqui cum laude ſtrenui ducis ſemper militaverat, belli civilis licentia corruptus, [o] locum quendam haud longe a Guincampio occupaverat, et late praedas agebat, magno regionis circumpoſitae incommodo, nec minore Aumontii dolore; qui juſſum diſcedere Cruceium, cum recuſaret, minime ferens, locum arcte cingit. Sub id cum aliquot Cruceiani milites pabolatum exiiſſent, ex iiſque aliquot intercepti fuiſſent a [p] Quermornano regionis regulo, et ad Aomontium adducti, juſſo rurſus deditionem facere Cruceio, cum ſuperbe reſponderet, in conſpectu ipſius faucibus eliſis patibulo affixi ſunt; addito, ut, niſi e veſtigio ſibi conſuleret, ſibi eandem fortunam ſubeundam perſuaderet. Qua re perculſus Cruceius honeſtioribus quam potuit cooditionibus locum dedidit; petitaque ab Aumontio ſopppliciter venia, ad regem cum legione ſua remiſſus eſt. Magnam hoc facto a provincialibus gratiam iniit vir generoſus, quae cumulata eſt eodem tempore alio ſucceſſu. Nam

Planta

INTERPR. [a] *Rennes.* [b] *le Duc de Mercœur.* [c] *le Sr de Laiſonnet.* [d] *Concarneau.* [e] *le Sr de Talouet.* [f] *Redon ſur la riviere de Villaine.* [g] *le Sr de Querolin.* [h] *Laon.* [i] *le mareſchal d'Aumont.* [k] *Morlaix.* [l] *le Toreau qui eſt une roche fortifiée en l'emboucheure du port.* [m] *le Sr de Roſampou de la maiſon de Carnay.* [n] *le Sr de Croix meſtre de camp.* [o] *un lieu nommé Poulmanac prés Guingamp.* [p] *le Sr de Quermornan.*

[a] Planta quidam cum perditorum manu, qui Edero [b] Bellomanerio Fontanellae late CIƆ IƆ XCIV.
per illa loca graſſanti militabat, molatrinam vicinam tenebat; cujus aditus et ſitum HENRICUS IV.
quidam milites ab eo capti ac remiſſi diligenter notaverant. Ab iis edoctus Kergomartus Quermomani frater, ex Guincampio, quod XIV leucis inde diſtabat, cum L ſcloppetariis equitibus munitiones ante molatrinam poſitas aggreditur, et impetu capit, ipſo Planta interfecto, ac pleriſque ex illa ſpelunca latronibus; ceteri fluvio proximo hauſti. His actis Aumontius, jam omni alia cura ſolutus, Morlaſium ducit; quod ei, oppidanis portas aperientibus, mox patuit. Roſampovius cum LX ex nobilitate et IƆ praeſidiariis in arcem confugit, ad quam admota caſtra. Quo cognito, Mercurianus de exitu veritus ſtatim ad Joannem [c] Aquilam, qui [d] Blaveti erat, proficiſcitur; et inde omnibus conjunctis viribus in viam ſe dant, ut obſeſſis ſuccurrerent. V CIƆ Hiſpanorum peditum ſecum trahebat Aquila, et Mercurianus Gallicum omnem peditatum et equitatum ſuum cum IV tormentis inſtructis adduxerat, copias regiis longe ſuperiores; nam Aumontius tantum IƆ CC Anglos, II CIƆ peditum Gallorum, et CCC equites delectos, penes ſe habebat. Sub id ad eum venit [e] Molacus provinciae regulus, vir ſtrenuus, qui peditatui univerſo praeerat. Conſilio cum belli ducibus habito, de adventu hoſtium certus, locum pugnae deligit, et aliquot machinas idoneo loco collocat. Mercuriani ad coenobium ſeſquileucam a [f] Morlaſio diſſitum caſtra metantur. Ibi cum regiis pugna decertandum necne eſſet, cum ſententiis variaretur, renovatae inter Aquilam et Mercurianum occultae ſuſpiciones, quod in ea provincia variis ex cauſis et ipſe et Hiſpani jus ſibi arrogarent. Suum Mercurianus a Joanne [g] Stampenſi uxoris propatruo, qui a Carolo [h] Bloeſenſi Jo. [i] Monſortio olim caeſo genus ducebat, certa annalium fide repetebat. Eliſabetha Infantis parens ſuum ad Monſortium referebat. Inde aemulationes et in conſiliis capiendis diſſidentes plerumque ſententiae. Dum deliberant, concors cum ſuis Aumontius per otium ſe ad pugnam inſtruit. In exercitu ejus erant Joannes [k] Coaquini marchio, et [l] Coteniſanus, Kergomartus, Liſcoëtus, Botellerius, quiſque cum ſuis equitum alis egregie inſtructis. Peditatus Molaci praetoriana legione, et Antonii [m] Prati, Potonvillae equitis, Trochii, Corboſoni, Tremblaii, Romegovii legionibus conſtabat; quibus acceſſerunt CL equites ſcloppetarii ex Guincampii praeſidio, [n] Martinerio et Vimarcio ducibus. Dum in eo ſunt, commodum accidit, ut Norriſius, qui jamdudum exſpectabatur, ex Anglia cum novo ſupplemento appulerit; cui obviam ab Aumontio miſſi Angli, qui in caſtris erant; ita ut ſimul omnes in aciem inſtructi VI CIƆ bellatorum ſpeciem praeberent. Incertis antea de proelio conferendo hoſtibus, poſt Anglorum adventum Hiſpanis nunquam perſuaderi potuit, ut quidquam fortunae aleae committerent. Itaque Aumontius ad arcis obſidionem revolutus, cum tamen de hoſte cognoſcere cuperet, nec de eo Liſcoëtus exploratum miſſus ſatis certa renunciare videretur, [o] Baſtenaeus livore incitatus ultro ſe obtulit, et in caſtra uſque hoſtium penetraturum jactavit. Ei attributi CC equites, et in iis plus CXX ex nobilitate; cum quibus ille temerario auſu in Mercurianos incidit, cum jam in equis eſſent ad profectionem parati; et confuſis, ut venerat nihil tale metuens, ordinibus cum incubuiſſet, mox ſolutus eſt. Quidam ex noſtris interfecti, multo plures ex nobilitate capti, dum anguſtis itineribus extricare ſe, circumfuſo paſſim hoſte, nequeunt: Baſtenaeus periculum evaſit. Jampridem omnium rerum penuria in arce obſeſſa laborabatur, et Aumontius inſigni ſeveritatis exemplo contra obſeſſos uti decreverat; ſed caſu inopinato percuſſus, ut haberet quorum permutatione captivos ſuos redimeret, cum obſeſſis

INTERPR. [a] *la Plante.* [b] *de Beaumanoir Sr de Fontenelles.* [c] *d'Aguila.* [d] *Blavet.* [e] *le Baron de Molac.* [f] *Morlaix.* [g] *d'Eſtampes.* [h] *de Blois.* [i] *Jean de Montfort.* [k] *Coetquen.* [l] *de Cotenisen, de Kergomart, de Liſcouët, & de la Boutëillerie.* [m] *du Pré, le chevalier de Potonville, de la Troche, de Courbouſon, de la Tremblaie, & de Romegous.* [n] *Martiniere, & Vieux marché.* [o] *de Baſtenay.*

obſeſſis hac lege tranſegit, ut milites vita ſalva dimitterentur, nobiles apud ſe tantiſper captivi manerent, donec ii, quos Mercurianus ceperat, libertati reſtituerentur, regia prorſus liberalitate ac beneficentia; cum ex ea deditione plus C aureorum CIƆ lucrari poſſet, luendo aeri alieno, quod ad ſuſtinendos belli ſumptus pro republica ingens contraxerat. Verum generoſus vir bona ac charitates proprias decori et amicorum commodis ſemper poſthabuit; potiuſque duxit, ad tuendam nobiliſſimae familiae dignitatem, ut liberi, licet acciſis fortunis, merita paterna et amicos jactare poſſent, quam ſi eos congeſtis opibus divites, ceterum ſequiore fama, nec cluentibus potenteis, reliquiſſet. Aucta liberalitas Mercuriani comparatione, qui pari munificentia erga ſuos uti non potuit; qui, quod unus Aumontius pro univerſis ſuis luit, ſinguli pro ſe pretium dependere coacti ſunt. Arci Corboſonus impoſitus: oppido ac circumpoſitae regioni praeficitur Cotenianus opulentiſſimus provinciae regulus, qui vix tandem grandi exſoluta pecunia nuper ſe Mercuriani manibus extricaverat. Inde Aumontius [a] Quinpercorentinum ducit ad Oderam ſitum; cujus oppidani cum deditionem facere parati eſſent, ſeditione tamen inter eos a factioſis excitata, totum triduum diſceptandis conditionibus inſumptum eſt. Loco dedito, Mercurianus, qui res ſuas in dies labare cerneret, per [b] Taluctum, quem huc uſque blandis promiſſis lactaverat, cum Aumontio de induciis ad aliquod tempus agit. Nec gravate annuit Aumontius, cum interim cuncta ad [c] Crodunae expugnationem neceſſaria compararet; et cum Taluсto, qui ſpecie induciarum, ut pro ſe ageret, ad ipſum venerat, tranſegit.

XI. EXEUNTIBUS induciis, ad praeſidem venere Renatus [d] Marecus Monbarotus cum ſua equitum ala, et ſua ac Monmartini, qui in regio exercitu erat, legione; [e] Tercantius Monmartini filius cum ſua item legione. Mox [f] Liſcoëtus caſtrorum praefectus, et Molacus, qui peditatui praeerat, mittuntur, qui Crodunam obſidione cingerent, jam Anglicis et Batavicis navibus appulſis, egregie inſtructis omni re ad expeditionem neceſſaria onuſtis. A Ligeris aeſtuario occidentem et ſeptentrionem verſus longus tractus porrigitur, promontoriis, aeſtuariis, ac ſtationibus opportunus, et inſulis frequens. Supra Blavetum, de quo alias diximus, quod ab Hiſpanis occupabatur, Breſtum eſt, portu et ſtatione magnarum navium capaciſſima ac tutiſſima toto oceano maxime inſigne oppidum. [g] Statio illa duobus terrarum tractibus cingitur: in quorum alterius angulo beati [h] Matthaei coenobium eſt, quod vulgo in finibus terrae ſitum creditur; et ſupra illud rurſus Conqueſtum portus appulſu famoſum oppidum: in alterius Breſto oppoſiti tractus angulo lingua terrae e regione [i] Bertrandi ſinus vulgo dicti porrigitur, cujus qui potens eſſet, et Breſtum et ſtationem ſubjectam omnem, atque adeo Conqueſtum, quod inde haud longe abeſt, in poteſtate habiturus putabatur. Eo conſilio Hiſpani munitionem de Crodunae vici nomine vocatam in ea exſtruxerant, ut ingreſſum navium Breſtum appellentium impedirent, et ipſi ſtationem capiendis pluribus navibus idoneam in poteſtate haberent; unde claſſem, cum vellent, in Angliam vicinam immittere, et totam oram maritimam infeſtare, poſſent. Hoc etiam ex ea ſervata commodum ſperabant, ut Conqueſtum munire poſſent; ad quod cum naves omnes, quae ex Britannia, Batavia, Dania, ac Balticis civitatibus, atque adeo Moſcovia, ad vinum ex [k] Aquitania, et ſalem ex [l] Santonibus exportandum navigant, appellere loci natura compellente neceſſe habeant, telonio impoſito ingentem ſe pecuniam conſecuturos rebantur. Forma triangulari munitio inſtituta eſt, ſaxo undique praerupto et mari cincta, niſi ab ea parte qua terra aditur; quae CCL paſſus lata duobus propugnaculis prominentibus egregie firmata erat, porta in medio ſita. Spatium loci porrectius quam latius; qua longitudo maxima, CCC paſſus excedebat, latitudine

INTERPR. [a] *Quimpercorentin ſur Oder r.* [b] *le Sr de Talucet.* [c] *Fort de Crodon.* [d] *de Marec Sr de Monbarot.* [e] *de Tercbant.* [f] *de Liſcouet mareſchal de camp.* [g] *Baye de Breſt.* [h] *Abbaye de S. Mahé.* [i] *Cap Bertrand.* [k] *Guienne.* [l] *Saintonge.*

CIↃ IↃ XCIV.

HENRICUS IV.

latitudine non plus cxx paſſibus patebat. Summa diligentia opera feſtinabantur, lapidibus et caemento praeparato, quia copia eorum in provincia bello infeſta non ſuppetebat, ex Hiſpania comportatis. Sed terra e longinquo petenda erat, cujus in loco arido et ſaxoſo ſumma penuria erat; et ruſtici, quorum opera utebantur, tantum extra munitionem occupabantur: nam non niſi Hiſpanis interiora aſpicere licebat. Itaque lentius res gerebatur, paucis foſſoribus et militibus Hiſpanis intus ſe fatigantibus. Aegre molem eam ſurgere, et quaſi jugum cervicibus ſuis imponi, aſpiciebat Mercurianus: ſed, quia propriis viribus ſine ope Hiſpanorum adverſus regios ſe tueri non poterat, pati cogebatur; nec praeter votum omnino accidit, ut a regiis obſideretur. Aumonrium praecipue incitabat Renatus[a] Rieuſius Surdeacus ex primaria Armoricae nobilitate Breſti praefectus, qui per munitionem illam pedicas ſibi injici impatientiſſime ferebat; et proprio periculo territus, antequam foſſa omnino excavari et munitiones ad altitudinem perduci poſſent, obſidionem urgendam ſuadebat. Parvo labore munimenta exteriora a noſtris occupata: ſed in ducendo vallo plus negotii fuit, cum terra ſolida deeſſet, vixque duorum pedum, qua profundior, craſſitie ſaxo extaret. Loco terrae dolia ceſpitibus plena adhibita, quibus XII tormenta impoſita et aliquot minores machinae. Dein duobus locis verberatio inſtituta: alteri Aumontius, alteri Norriſius praeerant; ſummaque ac laudabili aemulatione inter Francos Angloſque res gerebatur. Locum tenebat Thomas[b] Praxedes veteranus belli dux cum CCC delectis Hiſpanis omni re inſtructis, praeterquam majoribus tormentis et colubrinis, quorum loco erant notha et mediocria tormenta. Pulſatione initio parum a noſtris profectum, et munitiones ex ceſpite et faſciculis egregie intextae primos ictus frangebant. Tandem faſciculis diſturbatis terra fluere et miti clivo coepit deſcendere; ducibuſque placuit, ut oppugnatio non cum omnibus viribus, ſed ad locum explorandum tantum, tentaretur. Repulſis cum damno noſtris, quorum L circiter, et in iis aliquot ordinum ductores, occubuerunt, aliud incidit, quod conatibus aliquantum remorae attulit. Ignis, dum in tormentum injicitur, forte alterum incendit, et cum eo pulvis nitroſus, qui prope erat, conflagravit, et aliquot Anglos abſumpſit. Id actum IV Nonas Novembreis. Hiſpani ſucceſſu elati ſtragem opere tumultuario farciunt, et ad ruinam palos erigunt; qui poſtridie verberatione redintegrata dejecti ſunt, latiore ruina edita, qua parte Galli impetum facturi eranr: ſed foedi imbres ſupervenientes conatus noſtrorum interrumpebant. Sarta interim ab hoſtibus ruina; cumque feſſi noſtri rei gerendae commodum opperientes ſolutius agerent, eruptione acri ab Hiſpanis facta vallum a[c] Liſcoëto ductum occupatur, ipſo Liſcoëto interfecto, viro ſtrenuo, et qui egregiam admodum operam toto belli tempore regi navaverat. Alii et graviter vulnerati: ſed, accurrente mox[d] Molaco cum ceteris legionum tribunis, receptum vallum; et quod hoſtis demolitus fuerat, ſumma diligentia inſtauratum fuit. Inter haec Aumontius, dum neque aetatis ſuae neque dignitatis rationem habet, cum milite per pluvias continuas in opere aſſiduus in morbum incidit, ex quo decumbere coactus eſt. Multum temporis jam ab obſidione effluxerat; quo Jo. Aquila Mercurianum de regiorum conatibus certiorem ſecerat, inſtabatque ut conjunctis viribus obſidionem ſolverent: verum ille, cui cum Hiſpanis haud ita bene conveniret, ſubortis difficultatibus tempus elabi paſſus, tandem poſtulata ejus omnino eluſit. Igitur Jo. Aquila, omiſſo Mercuriano, ipſe cum IV CIↃ Hiſpanorum, quos penes ſe habebat, et II tormentis, ſubvenire ſuis laborantibus ſtatuit, et Quinpercorentinum verſus iter intendit; quo loco Monbarotus cum CC loricatis equitibus ab Aumontio conſidere juſſus fuerat, ut hoſtem auxilio venientem a tergo infeſtaret. Dum Hiſpani cunctantur, ut in alieno

INTERPR. [a] *de Rieux Sr de Sourdeac.* [b] *Vieux ſoldat nommé de Praſſedes.* [c] *de Liſcouet.* [d] *le baron de Molac.*

CIↃ IↃ XCIV. HENRICUS IV.

alieno ſolo cuncta ſuſpecta habentes, Aumontius vireis ex morbo colligit; hortatuſque ſuos ut extremam vim tentarent, cuncta ad oppugnationem inſtruit. Surdeacus commeatum et pulverem affatim ſubminiſtrabat, et manu conſilioque rem communem adjuvabat. Sed admodum ſeu morbis ſeu vulneribus bellatorum numerus decreverat, ut vix II CIↃ integri belli laboribus ferendis pares ſupereſſent. Sub id Surdeacus in caſtra venit, cum [a] Potonvilla equite, [b] Tremblaio, Tercantio. Tandem XV Kal. Decembreis [c] Baſtenacus et Rupigiffartius juſſu Aumontii peditatum agminatim in aciem inſtruunt; et poſt actem verberationem, ab ortu ſolis ad meridiem continuatam, primus Molacus, qui peditatui praeerat, ad ruinam cum delectis vadit: repulſo eo alii ordine ſuccedunt, pariter repulſi. Poſt omnes reſtabat [d] Romegutius, [e] Borderi viri fortiſſimi ex primaria in Santonibus nobilitate frater; qui cum legione ſua vim juſſus facere, aut vivum aut mortuum in munitionem ſe penetraturum dixit. Nec verbis fides defuit; nam in ruinam ſumma vi enixus in veſtigio multis ictibus confectus eſt, corpore intus lapſo; et ad ejus latus ipſius ſignifer intra locum quoque concidit. Eodem tempore Angli obſtantia perrumpunt; incertumque fuit, qui primi, Galli Anglive, ruinam ſuperaverint. [f] Pleſſius Valero ex provinciali nobilitate magnum virtutis ſuae eo die ſpecimen edidit, in ruina ſtans immotus, quamvis gravi ſcloppeti grandioris ictu ſauciatus; unde pedem nunquam retulit, quouſque noſtri loco potiti ſunt. Molacus, Potonvilla, Tercantius, et Aumontianae alae equites, quos [g] Monjolius ducebat, ſtrenue admodum in oppugnatione ſe geſſerunt, matureque rem confecerunt; cum Joannes Aquila jam prope eſſet, quem Tremblaius et Monbarotus nequicquam eminus laceſſentes interim diſtinebant. Deſiderati ex noſtris CCCC. Martinus [h] Frobiſherus eques Anglus, rei navalis gloria et navigatione ſeptentrionem verſus inſtituta, de qua ſuo loco diximus, clarus, qui claſſi, qua Angli auxiliares in Armoricam portati fuerant, praeerat, in ea oppugnatione fortiter cum ſuis pugnando occubuit. Tanti conſtitit munitionis [i] Crodunae expugnatio; cujus viciſſim omnes praeſidiarii, et in iis Thomas Praxedes, interfecti ſunt, exceptis paucis, qui aut vulneribus debilitati, aut inter ruinas ſub cellis et fornicibus ſubterraneis latebant. Acciditque tunc res inter Anglum et Hiſpanum, laude et exemplo, quod ad poſteros tranſmittatur, digna: nomina dolendum eſt intercidiſſe; facti memoriam ſervabimus. Edicto praeceptum fuerat, ne cui obſeſſorum a milite gratia fieret, et, ſi qui caperentur, coram Aumontio ſiſterentur, qui de iis arbitrio ſuo ſtatueret. Dum Anglus quidam abdita ſcrutatur, in Hiſpanum incidit, a quo olim contra pari ſeveritate edictum in Belgio ſervatus fuerat; agnitumque hominem complexus bono animo eſſe jubet, Et hodie faciam, inquit, ut intelligas, beneficium bene collocatum nunquam perire: nam vitam, quam tibi debeo, prius amittam, quam tibi vita eripiatur. Igitur ab aemulis accuſatus, quod Hiſpanum apud ſe celaret, et ab Aumontio ut captivum ſiſteret juſſus, audacter reſpondit, ſe ei ſalvam vitam promiſiſſe; et cum in edictum commiſiſſe argueretur, Si de edicti, inquit, ſeveritate nihil remittitur, ſum paratus pro eo poenam ſubire, ea lege, ut Hiſpano vita ſalva, ſicuti ei promiſi, maneat, et is ſciat ſe beneficio meo ſervatum. Cum mirarentur omnes qui aderant, et Aumontius a reo quaereret quid cauſae eſſet, cur Anglus tantopere Hiſpanum diligeret, ut pro eo vitam ponere non dubitaret, Anglus rem, ut erat, expoſuit; qua intellecta Aumontius admodum commotus eſt, et providentiam Dei admiratus, qui tam praeclaram occaſionem homini generoſo gratiae bene merito de ſe Hiſpano rependendae obtuliſſet, utrumque laudatum et donis oneratum dimiſit. Munitionem Crodunae captam [k] Surdeacus mox ope ruſticorum ſumma celeritate demolitus eſt.

XII. AUMONTIUS,

INTERPR. [a] *le chevalier de Potonville.* [b] *les Srs de la Tremblaie, & de Terchant.* [c] *de Baſtenay, & de Roche-Giffard.* [d] *de Rommegous.* [e] *du Bordet.* [f] *le Sr du Pleſſis Valeron.* [g] *de Monjou.* [h] *Frobiſher.* [i] *Fort de Crodon.* [k] *de Rieux de Bourdeac.*

XII. AUMONTIUS, ut ſe a laboribus in tam periculoſa obſidione exantlatis reficeret, [a]Locrenanum conceſſit, et inde Quinpercorentinum; ubi de fide oppidanorum veritus arcem coepit exſtruere, ejus rei cura attributa [b]Prato legionis tribuno. Jam [c]Macloviani ſe regi dediderant, et [d]Laeſonetus, qui [e]Concarnellum tenebat, imperata fecerat. Taluctus, tranſactione clam inita, quanquam adhuc diſſimulabat, tamen jam a foederatis diſceſſiſſe credebatur; tantumque reſtabat, ut novis copiis ſummiſſis Aumontius juvaretur; quarum ope minime dubitabatur, quin reliquae urbes ad obſequium rediturae eſſent. Itaque [f]Sanlucius, qui toto eo tempore in regiis caſtris fuerat, et rem ſtrenue in [g]Laoduni obſidione eum Monmartino navaverat, a rege impetrat, ut [h]Heidus cum v Helvetiorum ſignis, [i]Sandionyſius, Trochius, Nonanus cum ſua quiſque legione, et Potonvilla cum ſuis ſupplementis, [k]Lignerius cum III equitum ſcloppetariorum turmis, in Armoricam mitterentur. Iis deducendis praeficitur Monmartinus, dum Sanlucius in re pecuniaria expedienda occuparetur. Ubi illae Guincampium pervenerunt, Monmartinus de adventu ſuo Aumontium, qui Quinpercorentini erat, certiorem facit, ab eoque mox jubetur [l]Cotilaeum obſidione cingere. [m]Fontanella locum tenebat cum CCC egregie armatis, homo natalibus quam fide melior; qui, tempeſtatem in ſe incumbentem avertere cupiens, ſpem Monmartino fecerat, dum per Quintinum iter haberet, fore, ut regi reconciliaretur. Itaque [n]Cevalerius Bonnerrerius ad eum miſſus; qui cum verba tantum ab eo referret, Monmartinus et [o]Sarroëtus poſt aliquod irritum colloquium copias admovent, et capto vico Fontanellam cum ſuis in arcem compellunt. Mox, ut terror obſeſſis injiceretur, tympana Anglorum more, quaſi illi adveniſſent, juſſu Monmartini pulſata. Helvetii et ſua pulſabant, et Aumontius cum reliquo exercitu prope eſſe nunciabatur. Fontanella tamen ſe ſpe adventus Hiſpanorum ſuſtentabat, qui jam [p]Pontivium venerant. Sed interjacebant ſylvae crebris rivulis hyberno tempore inflatis interſectae, quae impeditum iter venientibus auxiliaribus reddebant; eaque fiducia Monmartinus obſidionem continuabat, crebris colloquiis extracto tempore, donec Aumontius advenit: tuncque demum cum Fontanella tranſactum, ſed ea lege, ut tormenta aut in conſpectum adducerentur, aut ea in propinquo eſſe ipſi conſtaret. Qua in re inſpectori a Fontanella miſſo egregie illuſum eſt a Monmartino, qui hominem bene potum Guincampium, quod v leucis aberat, deduxit, et in itinere carros e longinquo oſtendens, eos pilis ferreis, pulvere, et ceteris hujuſmodi rebus, onuſtos eſſe perſuaſit. Ubi vero Guincampium ventum eſt, inſpectori a Kergomarto iterum vino obruto monſtrata tormenta, ſine inſtrumento; qui plura vero ſe videre putans, nec diſtantiam locorum notans, ut venerat, vino plenus ad Fontanellam rediit, ac omnia vero majora retulit; et ita mox deditio ſecuta eſt. [q]Muſchius arci cum praeſidio impoſitus. [r]Norriſio cum Aumontio licentiam Anglorum exoſo haud bene conveniebat; et ille ab regina hera mandata ſe habere dicebat, ut quamprimum cum ſuis in Britanniam reverteretur, ad bellum in Hibernia gerendum deſtinatus. Sed interventu Sanlucii placatus Anglus adhuc menſem in provincia manſit, Pimpolium cum ſuis in hyberna miſſus.

XIII. IN Provincia hoc eodem anno res, unde minus metuebatur, multum turbavere. Eſpernonius, qui poſt Bernardi Nogareti [s]Valetae fratris viri optime de regno ac rege meriti mortem in Provinciam venerat, cum multa violenter et imperioſe nimis ageret, nobilitas, quae initio foederatorum partes ſecuta fuerat, in ſuſpicionem venit, quaſi ille regium nomen privatae ambitioni obtenderet, ut quae ejus auſpiciis capiebat, ſui juris faceret. Itaque, Gaſpare [t]Ponteveſio Carſii comite auctore, qui nuper

INTERPR. [a] *Locrenan.* [b] *Du Pré.* [c] *Caux de S. Malo.* [d] *de Laiſonnet.* [e] *Conquerneau.* [f] *de S. Luc.* [g] *Laon.* [h] *le colonel Heyde.* [i] *de S. Denis, de la Troche, & de Nonan.* [k] *de Ligneris.* [l] *Courlais.* [m] *le Sr de Fontenelles.* [n] *de la Chevalerie Bonnerrier.* [o] *de Sarrouët.* [p] *Pontrey.* [q] *le Sr de la Mouſche.* [r] *le general Norris.* [s] *de la Valette,* [t] *de Ponteuez comte de Carces.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

nuper a partibus diſceſſerat, et [a] Aquis Sextiis regiam auctoritatem conſtituerat, plerique e nobilitate conatibus Eſpernonii ſe oppoſuerant, miſſis e ſuo et ſacro ordine ad regem delegatis, qui facti rationem redderent, cum ampliſſimis mandatis, quibus ſe quaſvis a rege conditiones accipere paratos oſtendebant, modo ſaeviſſimo, ut aiebant, novi praeſidis jugo eximerentur. Id non gravate audiebat rex, qui ſuſpectum Eſpernonii ingenium haberet, et tamen omnino acta ejus aperte improbate, eique auctoritatem abrogare, id temporis intempeſtivum ducebat, in quo plerique provinciarum, arcium, et locorum praefecti poteſtate ſibi commiſſa abutebantur. Itaque res omnis Henrico [b] Monmorantio [c] equitum magiſtro deſignato et [d] Septimaniae vicinae praeſidi commiſſa, qui de [e] Provincialium poſtulatis cognoſceret, et inter eos et Eſpernonium ſubortas controverſias amice componeret. Margaritam [f] Foxiam Candalam Mariae Monmoraurii ſororis filiam, et illuſtriſſimae tota [g] Aquitania familiae heredem, in matrimonio habebat Eſpernonius, ex eaque ſobolem ſuſtulerat; et inde arcta non ſolum cum Monmorantio, ſed cum [h] Bullionio, Tremollio, Ventadurio, primatiis regni regulis, cognatione conjunctus erat. Igitur rex veritus, ne ſi jure cum Eſpernonio ageret, id illi tanquam cum injuria ſua conjunctum ad animum revocarent, in ſpeciem rei arbitrium Monmorantio permiſerat; ſed in arcano mandatum dederat Franciſco [i] Bonae Diguierio et Alfonſo Ornano, ut Provincialibus, ſi ab Eſpernonio urgerentur, cum omnibus ſuis viribus praeſto eſſent. Ea de re cum ad [k] S. Andreae Coſtam Ornanus et Diguierius capita contuliſſent, conventumque inter eos eſſet, ut Diguierius, acceptis ab Ornano aliquot copiis, cum iis quas penes ſe habebat, in [l] Provinciam ſe conſerret, inde exeunte Februario [m] Gratianopolim revertitur; ubi aliquot dies commoratus, copiis ſuis tam peditum quam equitum, ut [n] Serras convenirent, condicit: nec ſegniter imperata fecere. Dum in eo eſſent, Jacobus [o] Laſinius homo vafer ultro citroque commeabat, ſpecie officii rerum novarum occaſionem captans. Is mandata a rege attulit, placere ut Monmorantii auctoritate ex Ornani et Diguierii conſilio res in Provincia inter Eſpernonium et nobilitatem componeretur, ob idque induciae ad aliquot menſes fierent; intra quas Eſpernonius in aulam veniret, ut coram ex eo novorum motuum cauſas diſceret. Sed cum, diutius in Septimania, quam negotium poſtulabat, cum Monmorantio moratus, ſerius in Provinciam revertiſſet, interea Eſpernonius ſucceſſum urgens, et cum delectis ac tormentis diſcurrens, et oppida et arces in dies capiens, Provincialeis ad extremam deſperationem adegerat, ut poenitere ſuae cum rege reconciliationis haud obſcuris indiciis eos appareret; et multi, quos Henoticae factionis jam taedebat, quo minus ad officium redirent, exemplo eorum terrebantur. Itaque Diguierius, cujus fidem [p] Carſius et ceteri e nobilitate appellabant, et, niſi mature laborantibus ſubveniret, de reipublicae pernicie contra ipſum proteſtabantur, monito prius Monmorantio in viam ſe dat, et [q] Mauri-podio xv Kal. April. profectus, nono poſt die [r] Riveram in limite Provinciae venit; ubi obviam eodem die habuit Laſinium, ne ulterius progrederetur orantem: nam Eſpernonium ad pacis conſilia inclinare, et regis ac auctoritatis publicae intereſſe, ut potius amice quam vi res geratur. Diguierius neque omnino dictis Laſinii fidem habuit, et tamen, ne bellum quam pacem malle videretur, exſpectaturum ſe dixit, dum a Monmorantio, cujus auctoritatem hac in re ſequi neceſſe haberet, nova mandata acciperet. Verum cum intellexiſſet Eſpernonium conventum [s] Regii ſub id celebraſſe, in quo multa decreta eſſent, quae promiſſis ab eo per Laſinium factis minime reſponderent, caſtra movet; et, facto per [t] Stephani-fanum itinere, IV Non. April. [u] Pertuſum venit.

INTERPR. [a] *Aix.* [b] *le duc de Montmorency.* [c] *Conneſtable.* [d] *Languedoc.* [e] *les Provençaux.* [f] *de Foix de Candale.* [g] *Guienne.* [h] *le duc de Bouillon, de la Tremoille duc de Thouars, & le duc de Ventadour.* [i] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [k] *la Coſte S. André.* [l] *Provence.* [m] *Grenoble.* [n] *Serres.* [o] *le Sr de la Fin.* [p] *le comte de Carces.* [q] *Puymore.* [r] *Ribiers ſur la frontiere de Provence.* [s] *Riez.* [t] *St Eſtieve de Cruys.* [u] *Pertuis.*

venit. Cum inſtaret rurſus apud Diguierium Laſinius, ne [a] Druentiam tranſmitteret, et Eſpernonium, Monmorantii dictis, ſicuti affirmabat, audientem futurum, re praecipitata ad extrema conſilia adigeret, octo dies inutiliter regiis abiere; quos ille confirmandis ſuis, [b] propugnaculo ad Aquas Sextias exſtructo amplius muniendo, novis munitionibus paſſim inſtaurandis, impendit. Interea Diguierius acuta ſebre corripitur, qua ad VIII Kal. Maias, non ſine vitae diſcrimine, decubuit. Ex ea recreatus, cum videret Eſpernouium in propoſito perſeverare, fruſtraque Laſinium tot repetitis colloquiis laborare, lecticae impoſitus Pertuſo diſcedit; et, tranſmiſſo citra ullam ſuorum jacturam Druentia, quanquam in altera fluminis ripa ad [c] Pirolas hoſtis conſideret, tranſitum ejus, ut credebatur, impediturus, alteris caſtris [d] Urgonium venit. Eſpernonius oram Druentiae legens, circa [e] Senas, Lambeſcam, Malamortium copias diſtribuerat; Laſinio ſemper inſtante, ut ab armis diſcederet, et preces minaſque Monmorantii miſcente, qui, niſi pareret, arma contra ipſum verſurus eſſet. Eodem die acriter inter copias jam vicinas dimicatum fuit, in quo [f] Caſtellanus Bezaudunus vir ſtrenuus et magnae inter ſuos auctoritatis, qui Carſio ad regis obſequium redeundi, aliiſque e nobilitate, conſilium dederat, et ut Henoticorum factionem, ſic Eſpernonii dominatum ultra modum oderat, equo ſuffoſſo captus, et ab infeſtis ob privatas ſimultates coram Eſpernonio ſiſtitur; et, poſtquam contumelioſis verbis acceptus [a] eſt, in conſpectu ejus crudeliter necatur. Occiſus in certamine [g] Vacca, alae equitum Abelis Berengarii Morgii legatus. Petrus [h] Andreas fortis ordinum ductor, et aliquot capti. Hoſtes ſub veſperam in hoſpitia conceſſere. Loco certaminis potitus Diguierius [i] Auriacum in eo pernoctaturum reliquit, et Urgonium, ubi cum eo Carſius cum Provinciali nobilitate ſe conjunxit, rediit. Omnino erant in ejus caſtris CIↃ equites egregie inſtructi et III CIↃ peditum. Adverſus tot vireis, tranſmiſſo citra detrimentum Druentia, contra ſe venienteis, cum non haberet quas opponeret Eſpernonius, qui huc uſque Monmorantii imperia ludificatus fuerat, conditiones ab eo impoſitas tandem accepit. Eae erant, ut munimentum ad Aquas Sextias ab ipſo extructum Laſinio committeretur, tanquam minime utrique parti ſuſpecto, cuſtodiendum, donec rex, quid ſuae voluntatis eſſet, amplius declaraſſet. Deducto praeſidio, quod ab Eſpernonio impoſitum fuerat, Laſinius locum ingreſſus eſt V Eidus Maias, et CCCC in proxima [k] Septimania lectis militibus firmavit. Qua re cognita, Diguierius majorem copiarum partem dimiſit; ipſe cum Carſio Aquas Sextias verſus iter intendit: ubi propinquavit, bis mille pedites ex oppidanis egregie armis inſtructos obvios habuit, magnaque gratulatione omnium ordinum exceptus urbem intravit. Mox auctore Diguierio revocati [l] Manoſco praeſides et ſenatores, qui regias partes ſecuti fuerant, ut in loco majorum jus deinceps dicerent. Inde Diguierius diligenter, quid egerit, ad regem perſcribit; et, fide Aquenſium laudata, eorundem nomine orat, ut quamprimum [m] miſſo diplomate munimentum ab Eſpernonio conſtructum deſtrui jubeat. Rebus in urbe ordinandis totus hic menſis et ſequens conſumptus eſt. Eodem [n] Fanum Pauli, Trecae, et Mirabellum, in fidem a Diguierio accepta. Nec multo poſt Taurentae turris, hodie [o] Tolonium vocant, [p] Cannarum tam oppidum quam arx, et [q] Forum Julii, Vaſconum ab Eſpernonio impoſitorum jugum excuſſerunt. Cum vero Laſinius [r] Iſiam arcem e regione [s] Maſſiliae in mari ſitam iviſſe, et cum praefecto

VAR. LECT. [a] eſt, juſſu ejus in conſpectu *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *la Durance.* [b] *le fort d'Aix.* [c] *Peiroles.* [d] *Ourgon.* [e] *Senas, Lambeſc, & Mallemort.* [f] *de Caſtellane Sr de Bezaudun.* [g] *le Sr du Vache lieutenant de la compagnie de chevaux legers de Berenger Sr de Merges.* [h] *le capitaine André.* [i] *le Sr d'Auriac.* [k] *Languedoc.* [l] *Manoſque.* [m] *de faire expedier des lettres patentes pour le raſement du fort.* [n] *S. Pol, Treis, & Mirebel.* [o] *le tour de Toulon.* [p] *Cannes.* [q] *Frejus.* [r] *Chateau d'If.* [s] *Marſeille.*

CIƆ IƆ XCIV.
HENRICUS IV.

praefecto de Maſſiliae negotio egiſſe regis nomine diceretur, dum redit, ab Eſpernonianis captus eſt, et indigne admodum habitus, quod ſecreta ad regem mandata perferre crederetur. Nam, dum cum fidis regi, qui Maſſiliae erant, ageret, ex illis cognoviſſe ſe dicebat, Eſpernonium alienos a regiis partibus ſolicitare, et, ne cum rege reconciliationem tentarent, hortari; paratum ſe regiis partibus renunciare, et foederatorum partes amplecti; tantum conſtanter in propoſito perſeverarent, nec ſe vanis regiorum promiſſis ludificari paterentur. Ad idque Hiſpanorum inſtigatu ferri putabatur, cum quibus clam agebat, miſſis in Hiſpaniam qui in aula illa vices ſuas gererent. Tamen poſtea, cum Eſpernonius ad regem ſcriberet, factum excuſavit, quaſi Laſinius, ſe ignaro, a ſuis, qui eum pariter ignorabant, captus eſſet; ſed ſtatim agnitum in viam reductum eſſe. Tunc utrinque ab armis ceſſatio erat, quae ex hac occaſione reſumpta ſunt. [a] Sanbonetum captivum tenebat Eſpernonius, quem cum omni ratione recipere cuperet Diguierius, quoſdam Eſpernonianos ad Pauli-fanum ceperat. Quo facto cum ille inducias violatas diceret, cuncta ad bellum inſtruebat, quaſi munimentum Aquenſe nuper Laſinio traditum, quod debili admodum praeſidio CC militum tenebatur, vi recepturus. Eam occaſionem loci deſtruendi avide arripuerunt Aquenſes, et apud Diguierium inſtiterunt, ut eum novo ex oppidanis ipſis praeſidio firmaret. Igitur ille, qui beneficium jam in ipſos collatum novo cumulare vellet, VIII Eid. Julias, poſt prandium cum [b] Croſa primario urbis conſule et CCC delectis oppidanis eo profectus, [c] Joannem, qui Laſinii nomine loco praeerat, ſupplementum adductum accipere jubet; quippe periculum ſubeſſe, tam vicino Eſpernonio, quem cum conſilio loci occupandi venire compertum habeat. Cum Joannes recuſaret, vis adhibita, et tandem locus occupatus; moxque Diguierio quamvis in ſpeciem reclamante, non tamen omnino, ut putatur, invito, non exſpectato regis imperio, a fundamentis dirutus eſt; tanta Aquenſium alacritate ac celeritate, ut intra biduum vix veſtigia munimenti civitati adeo formidoloſi apparerent. Diguierius, rebus ex voto confectis, poſt actas ab Aquenſibus tanquam Provinciae liberatori gratias, [d] Pertuſum Eidibus Juliis rediit, et [e] Cadeneto advectis II tormentis per [f] Rellianam iter habuit, quod municipium copiis ipſius antea portas occluſerat. Verum cognito ejus adventu conſules obviam profecti, imperata ſe facere paratos cum oſtenderent, periculum direptionis evaſerunt.

XIV. RELLIANAM cum poſtridie veniſſet Diguierius, ſeptimis caſtris [g] Gratianopolim rediit, ubi de [h] Nemoroſii, qui [i] Lugduni in [k] Petrae-inciſae arce aſſervabatur, fuga cognovit. Erant tunc in urbe nuper recepta Pomponius [l] Bellevreus et Emericus [m] Vicus, qui regis negotia procurabant; quorum fidem Nemoroſius ſaepius appellabat, a commota multitudine ſibi periculum impendere dictitans. Cum igitur Lugdunenſes inſtarent, ut potius in propugnaculo ab ipſo pro arce contra urbem extructo ab urbana cohorte, quam in remotiore Petrae-inciſae arce ab Helvetiis, cuſtodiretur, illi interceſſerunt, et, ne primariae dignitatis vir infeſtae plebis ludibrio exponeretur, prohibuerunt. Inde captata occaſione Nemoroſius ingenio acer, qui moleſti carceris taedium impatientiſſime ferebat, dolum inſtruit: funibus comportatis, per fidos in culinae aquaticulo ſaxum clam noctu dirui curat, tanto ſpatio, ut per illud hominis corpori exitus pateret. Tum morbum ſimulat, et, qua die fugam maturabat, medicamentum ſe ſumpſiſſe fingit; et, quia calvus erat, coma ex pilis prorſus rufis, quales cubicularius ejus habebat, capiti aſſuta, cubicularium in lectum imponit; ſumptoque ejus obſoleto amictu, ſellam neceſſariis naturae inſervientem aſportans, et averſa ſemper facie incedens, quaſi foetorem averſaretur, in locum deſtinatum concedit; deluſiſque cuſtodibus, qui Nemoroſium in lecto graviter aegrotantem decumbere

INTERPR. [a] *le Sr de S. Bonnet.* [b] *de Croſe premier conſul.* [c] *le capitaine Jean.* [d] *Pertuis.* [e] *Cadenet.* [f] *Reillane.* [g] *Grenoble.* [h] *le Duc de Nemours.* [i] *Lyon.* [k] *Pierre-enciſe.* [l] *de Bellievre.* [m] *de Vic.*

decumbere putabant, nocte intempeſta revulſo ſaxo per funeis paratos parte poſtica arcis ſenſim delabitur, ab [a] Albinio aliiſque amicis, qui hora condicta convenerant, praeruptae petrae in tergo latentes, exceptus; et mox citato curſu Viennam contendit. Ubi de fuga poſtridie conſtitit, magnus in urbe fremitus, et paulum ſeditioni abſimilis fuit, pleriſque, quod caſu hujuſmodi in rebus adeo frequenti acciderat, culpae cuſtodum, et eorum qui res moderabantur, aſcribentibus. Julio exeunte Gratianopoli comitiis provinciae datum initium, ac demum XVI Kal. Sept. ad [b] S. Andreae Coſtam, ex compacto de omnibus negotiis, et populi angariis afflicti levamento, Diguierius et Ornanus capita contulerunt. Inde, cum iſchiatica adfligeretur, Diguierius ad [c] Motenſia balnea Sextili exeunte conceſſit.

XV. SEPTEMBRI ineunte, cum de expeditione ſecreta in [d] Subalpinam regionem cogitaret, [e] Ebrodunum venit, ubi XII Kal. Oct. nuncium accepit de Briqueraſſeo oppido a Sabaudo obſeſſo; ſtatimque datis ad Bellevreum, qui Lugduni erat, et ad regem literis, ut pecunia in belli ſumptus juvetur, rogat; alioqui fore, ut tot annorum victoriae brevi momento ſtipendil penuria amittantur: ſcribit et ad [f] Campobaldum [g] Vivarienſium copiarum tribunum virum ſtrennum, ut quantas poſſet ſecum ſine mora adducat. Inde exeunte Septembri [h] Brigantionem tendit, cum jam in arcto res obſeſſorum eſſent. Sabaudus menſe praecedenti in [i] Inſubribus Philippi permiſſu militem ſcripſerat. Primo convenerunt XX ſigna Barnaba [k] Barbovino tribuno; III levis armaturae alae, [l] Sanſecundi comite, Garſia [m] Olivara, Scipione [n] Vanganello, ducibus; I ſcloppetariorum equitum, quam Hier. [o] Vaſcus ducebat; aliaeque ex Mediolanenſi equitatu, quibus univerſis praeerat Alſonſus [p] Idiacus. Exſpectabantur IIII CIↃ Germanorum, quos Hier. [q] Lodronius adducturus erat. Omnino in exercitu ejus erant VII CIↃ peditum, CIↃ IↃ equites Itali, Hiſpani, [r] Sequani. Cum his copiis ante Lodronii adventum ſummo ſilentio [ſ] Auguſta Taurinorum profectus Sabaudus caſtra loco admovet. Eodem ſub id venit cardinalis Placentinus, et univerſis copiis in aciem inſtructis benedictionis impertivit beneficium Kalendis Octobribus, quo die poſt acrem XXII tormentorum pulſationem oppidum inferius oppugnatur, et poſt obſtinatum certamen, dum ad ruinam pugnatur, cum ad dividendas defenſorum vireis loricati aliquot cum C circiter e peditatu Subalpino per aliam partem ſcalis admotis muros ſuperaſſent, a tergo praeſidiarii circumventi ſenſim cedere et in arcem poſtremo ſe recipere coacti ſunt. Ad ruinam Philippus Sabaudi nothus frater cum delectis vim fecit; per ſcalas [s] Sanctius Salinas cum Ferdinando [t] Laguellae comite, [u] Evangeliſta Toſto, Tarvana, Chinoniero, aliis. In oppugnatione periit Gabriel [v] Manrices, Didacus Cordubenſis ſtrenuus ordinum ductor graviter vulneratus. Ex vulneribus in ea acceptis, poſtea deceſſerunt [w] Ariniani comes, Alſonſus [x] Rho eques, et Caeſar Barbovinus Barnabae tribuni frater. Mox ad arcem caſtra admoventur; ac quinto poſt die noſtri vetus oppidum, quod adhuc tenebant, deſeruerunt. Diguierius interim datis ad amicos literis auxilia undique urgebat, et Brigantione Ebrodunum commeans, [y] Convallenſes capto oppido territos in fide confirmabat. Tandem, cum [z] Oraſoni marchio, qui in itinere cum Eſpernonio conflixit, et [a] Gubernetus ac Poetus cum delecta nobilitate veniſſent, non exſpectandum ulterius ratus, [b] Bobianam tertiis caſtris venit XVI Kalendas Novembreis; atque inde valla hoſtium contemplatus, cum ea munitiora comperiſſet, quam ut vi oppugnari poſſent, ut impetum eorum averteret, [c] Balneolium, Bargas, et Cavortium triduo poſt divertit, capto

INTERPR. [a] *d'Albigny.* [b] *la Coſte S. André.* [c] *Bains de la Mote.* [d] *Piedmont.* [e] *Embrun.* [f] *de Chambaud.* [g] *du Vivarais.* [h] *Briançon.* [i] *Milanois.* [k] *Barbovo.* [l] *Sanſecondo.* [m] *Oliveira.* [n] *Vanganello.* [o] *Vaſquez.* [p] *de Idiaquez.* [q] *le Comte de Lodron.* [r] *Franc-Comtois.* [ſ] *Turin.* [s] *Sancho Salinas.* [t] *la Languella.* [u] *il capitan Evangeliſta Toſto, Tarvanas, & Quinoniero.* [v] *Manrique, & Diego de Cordoue.* [w] *Arignano.* [x] *Rho.* [y] *ceux des Vallées.* [z] *Oraiſon.* [a] *du Gouvernet, & du Pouet.* [b] *Bobiana.* [c] *Baignol, Barges, & Cavours.*

capto in itinere [a] Campillonio caſtello; et ſub portas uſque loci obſeſſi quoſdam juſſit excurrere, qui ſpeculatores et aliquot Hiſpanos in foſſae labro interfecerunt. Tum ad [b] Pinarolium iter converſum, ut commeatum illac importatum interciperet. Interea obſeſſi urgebantur, vixque ex omni numero ſuperabant cc incolumes: nam ceteri vulneribus debiles oppugnationi ſuſtinendae impares erant. Itaque cum jam foſſa occupata res in eo eſſent, ut ignis in cuneos, quod huc uſque imbribus ſupervenientibus dilatum fuerat, immitteretur, et munitionum majore parte vi tormentorum dejecta hoſtes ad oppugnationem inſtruerentur, per colloquium tandem conventum eſt, ut praeſidiarii vita ſalva cum armis et impedimentis, ſignis explicatis, ad tympani pulſum, fune utrinque accenſo et pila in ore, exirent: tormenta, apparatum bellicum, et annonam Sabaudus retineret, et eorum pretium arbitrio ſuo exſolveret. Deditio facta x Kalendas Novembreis. Loco impoſiti CIↃ Germani Lodroniani, qui biduum ante in caſtra venerant, [c] Pontius tribunus, et Ambroſius cum legionibus ſuis, ac praeterea IↃ ex [d] Subalpina militia.

XVI. Diguierius cum laborantibus ſubvenire non poſſet, [e] S. Benedicti munitionem, inter Pinarolium et [f] Vallem Peroſiam in colle a Sabaudo ſtructam, quo aditum ſibi Briquaraſco amiſſo ſervaret, tranſmiſſo ad Luſernam amne, et per Angroniam vallem deductis copiis, aggreditur, et poſt aerem verberationem deditione capit, quinto poſt captam Briqueraſci arcem die; et dimiſſis copiis Convallenſeis de ſucceſſu conſolatus, et facta de auxiliis a rege ſummittendis ſpe, domum reverſus eſt. Sabaudus, Briqueraſco capto ac praeſidio firmato, mox S. Benedicti munitionem diſcedente Diguierio recipit; et Pinarolium, ut ſe a laboribus reficeret, conceſſit. Diguierius [g] Mauri-podium VIII Eid. Nov. venit, unde mox [h] Digniam profectus eſt, ut exortum inter oppidanos et [i] Sanvincentium diſſidium componeret. Quo ſedato, a [k] Baraterio, qui Cavortium tenebat, certior militem veſtitus penuria laborare, mox XXV mulos omni re neceſſaria onerandos curat; quos cum CC equitibus, facto per Ebrodunum, [l] Brigantionem, [m] Seſanam itinere, ante hoſtium oculos, qui Pinarolii erant, nec ſe loco ad conſpectum noſtrorum movebant, traductos, Cavortium intulit Nonis Decembribus; jam tum de [n] Ocellis aſtu intercipiendis cogitans: ſed re detecta conatus in ſequentem annum rejectus fuit.

XVII. Post varios adeo hinc inde ſucceſſus cum cuncta ad quietem inclinare viderentur, bellum, quod in viſceribus haerebat, quodque regis ad eccleſiam reconciliatione ſopitum credebatur, aperte inter duos potentiſſimos principes exarſit. Rex, qui diſſidia ac defectiones inter ſuos ab Hiſpanis ali hactenus patienter tulerat, poſt receptam Lutetiam com Hiſpanos pergere videret, amplius ultionem differre non potuit, ad famam pertinere exiſtimans, ne tantam injuriam diutius diſſimulare videretur. Reſtitantem initio [o] Capellae in limite Belgico vi expugnatae caſus maxime ſtimulavit; tum aſſiduae Henrici [p] Turrii Bullionii, qui nuper, mortua priore conjuge Sedani domina, Eliſabetham [q] Naſſoviam Mauritii in Belgio bellum feliciter gerentis ſororem conſanguineam duxerat, adhortationes: Philippum ab iniquis conatibus nunquam ceſſaturum, quamdiu cum Gallis in Gallia bellum geretur; neque regem pacem intus habiturum, niſi foris Hiſpanos pepulerit: denique foederatos principes, atque adeo Belgii Ordines, nunquam ſerio cum rege contra communem hoſtem foedusādituros, niſi prius aperte bellum ei denuncietur. Antequam tamen eo deveniretur, rex ad [r] Atrebatum et Hannoniae ordines dat literas XVII Kal. Jan. in hanc ſententiam; Cum officium ſit Chriſtiani principis ſanguini humano, quantum in ipſo eſt, parcere,

INTERPR. [a] *Champillon.* [b] *Pignerol.* [c] *il colonello Ponte, & Ambroſio Bendi.* [d] *Piedmontois.* [e] *Fort S. Benoiſt.* [f] *Val de Perouſe.* [g] *Puymore.* [h] *Dignes.* [i] *de St Vincent.* [k] *le Sr de Baratier.* [l] *Briançon.* [m] *Sezanne.* [n] *Exilles.* [o] *la Capelle.* [p] *de la Tour duc de Bouillon.* [q] *de Naſſau.* [r] *Artois, & Hainaut.*

parcere, et innocenteis ab injuria tueri, ipſum, qui illuſtriſſima omnium, quae in tetris ſunt, gente prognatus ſit, et cujus majores ſummo in pretio virtutes ſemper habuerunt, et pietatem praecipuo ſtudio coluerunt, eorum veſtigiis inſiſtere apud animum ſuum conſtituiſſe. Scire Ordines ſe legitima ſucceſſione ad regnum patrium a Deo vocatum, eaque re maxime obligari ad querimonias ſuorum, ſub belli plus quam civilis pondere gementium, exaudiendas, et impii paricidii in Henrici regis fratris ac domini caede ultionem, ad regium patrimonium contra violentos et iniquos uſurpatorum conatus conſervandum. Non defuiſſe ab initio aut animos aut vireis, ad injurias tantas propulſandas, et in Hiſpaniarum regem tot malorum fontem, et ipſos, qui in ejus ditione ſunt, retorquendas. Sed hactenus, certas ob cauſas, quae rem communem Chriſtianam ſpectabant, a vi licet juſta abſtinuiſſe; ac ſperaſſe, fore, ut jus ſuum a Deo tot proſperis ſucceſſibus firmatum et adprobatum acerbitatem odii contra ſe concepti tandem mitigaret. Nunc cum videat, primarios ex iis, qui defecerant, ad obſequium fide religioſe obſtricta rediiſſe, et nihilominus Philippum aliorum, qui adhuc in rebellione perſeverant, fidem ſolicitare, nec ullam pactorum cum deceſſoribus ſuis regibus ad pacem tuendam initorum rationem habere, praetextuque Cameraci recuperandi vicina Gallicae ditionis loca ſui juris facere, rebelleis in ſuum patrocinium recipere, et bellum in alieno regno per factiones alere: has ob cauſas re mature penſitata non amplius cunctandum exiſtimaſſe, ſed omiſſa omni diſſimulatione arma juſta contra injuſtam vim opponere decreviſſe; amicitiae tamen, quae majoribus ſuis cum illis interceſſit, et mutuae illorum erga eos fidei, memorem, cum animo provideat ipſos, licet extra culpam poſitos, tamen primos ejus tam gravis belli ictus excepturos, noluiſſe publice uti denunciatione, priuſquam eos amice conſilii ſui commonefecerit. Igitur ſciant, ſi quidem a rege Hiſpaniae impetrare poſſint, ut exercitus, qui in limite conſcribitur, in interiora deducatur, ac fidem interponant, Hiſpanos nihil hoſtile contra ſe ſubditoſque ſuos, contra [a] Cameracum et Cameracenſem agrum, molituros, nec Franciae rebellibus opem laturos, ſe denunciationi decretae non inſtiturum, dummodo de bona eorum voluntate certis argumentis ac indiciis ipſi conſtet, et idonee intra Kalendas Februarias proximas caveatur. Ad eas literas per tubicinem [b] Rigiacum allatas, quae ſtatim minime reſignatae Erneſto traditae ſunt, nihil reſponſum; juſſuque Erneſti remiſſus tubicen, et cuncta ad bellum utrinque comparata. Inde tentatum, ſed irrito conatu, [c] Audomari-fanum; poſtea et Rigiacum Attebatum, ubi [d] Bucovii comitis, qui in praeſidio erat, praeſentia periculum diſcuſſum fuit. Bullionio, qui praecipuus denunciationis faciendae ſuaſor fuerat, attributae V legiones Gallicae, V Helvetiorum ſigna, VI levis armaturae alae, ſua ipſius equitum cataphractorum ala, nec non et [e] Seſſevallii, qui nuper dedito [f] Bellovaco ſine edicto regi reconciliatus fuerat, et in exercitu [g] praefecti caſtrorum munere fungebatur; quibus, ſic cum Ordinibus Belgii convenerat, Philippus Naſſovius cum III CIↃ auxiliarium ſe conjunxit jam dimidio Decembri. His copiis ſubnixus Bullionius in Lucemburgicum agrum deſcendit; et, quia aſpera adeo hyeme nihil conari poterat, [h] Ivodium, Firmitatem, Calvanſium, exigua loca ad Carum amnem ſitu commodo poſita, occupat, ut in hoſtico tanquam in hybernis militem haberet, vere primo ad res gerendas paratiorem.

XVIII. SUB id, cum rex VI Kalendas Januarias [i] Fano-Germani Lutetiam profectus eſſet, res intervenit, quae exitium paene regno, magnam certe perturbationem omnium animis, attulit. Joannes [k] Caſtellus, Petri locupletis mercatoris filius, qui aedeis

INTERPR. [a] *Cambray, & le Cambreſis.* [b] *Arras.* [c] *S. Omer.* [d] *le Comte de Bucquoy.* [e] *de Seſſeval.* [f] *Beauvais.* [g] *Mareſchal de camp.* [h] *Ivoy, la Ferté ſur Chier, & Chauvanſy.* [i] *St Germain.* [k] *Chaſtel.*

CIↃ IↃ XCIV.
HENRICUS IV.

aedeis proximas palatio habebat, in ſchola Jeſuitica literis imbutus, in qua paulo ante diſputationem publicam [a] inſtituerat, vitiis monſtroſis ſupra aetatem, nam tantum XIX annos attigerat, obrutus, nihilominus inter patres illos aliquo in pretio habitus, ut quem ſecretioribus colloquiis, et pietatis, quae vocant, exercitiis, cum paucis adhibebant, conſcientia terrente in deſperationem ſalutis incidit; et veſano ſpiritu incitatus, ut poenae aeternae gravitatem aliquatenus imminueret, regis interficiendi conſilium cepit: quod non ſolum impune fieri poſſe, ſed plurimum ad religionis cauſam conducere, multoties in eo ſodalitio audierat. Ita animatus obviam extra urbem magno comitatu venienti proceſſit, et, omiſſo priore conſilio, aliud dictu horrendum et furente ingenio dignum paene ſumpſit: cum vitam, cujus taedebat, quamprimum abrumpere, non tamen propriis manibus, cuperet, conſpicatus equos ſeſſoribus vacuos, quod plerique ex iis deſcenderant, ut regem ſalutarent, impetum cepit alicujus incundi, ſi forte deerrantem a via nanciſci poſſet, ut in opere deprehenſus ſtatim ad mortem damnaretur. Cum non ſucceſſiſſet, in urbem redit; et turbae immiſtus, regem uſque in cubiculum proſequitur, cultro, quem attulerat, confoſſurus. Sed cum rex, Franciſcum Grangeum Montinium ad ſe venientem ut complecteretur, paulum ſe inclinaſſet, ictus, qui in gulam dirigebatur, in maxillam [1] inferiorem incubuit, et dente tantum rupto, neque ultra penetrans, obtorpuit. Rex ictu perculſus, neque a quo directus eſſet cernens, ſanguine manante eum ſe laeſum clamaſſet, Sueſſio, qui juxta erat, homini ignoto manum injicit, et ſe aut illum regis percuſſorem eſſe ait. Tum, turba quae accurrerat ſummota, culter a Caſtello in terram projectus ad taedarum lucem emicuit. Cum tamen ille factum negaret, multique vim afferre vellent, rex per magnum [a] hoſpitii praefectum in carcerem eum duci juſſit; ubi interrogatus reus tandem rem confeſſus eſt, cultrumque a ſe domo allatum, nec veneno illitum, affirmavit. Tum addidit, ſe per biennium Joanni [b] Guereto Jeſuiticae ſocietatis ſacerdoti operam in philoſophicis navaſſe, et Saturni die praecedenti cum aliquo conſcientiae ſcrupulo attineretur, ad eum a patre deductum, ut conſolationem ab illo acciperet: nam ob gravia et horrenda peccata de Dei erga ſe miſericordia deſperaſſe. Interim parentes ejus ambo comprehenſi; et, ab iis qui miſſi erant abdita domus ſcrutantibus, repertus codicillus percuſſoris manu ſcriptus, quo ille peccata ſua ordine Decalogi annotaverat: nec negavit a ſe ſcriptum, ut delicta confeſſurus memoriam adjuvaret. Eo ſe nefanda libidine pollutum, etiam de inceſtu cum ſorore juniore cogitaſſe, agnoſcebat. Tum ſaepe in illa, in qua fuerat educatus, ſchola audiviſſe, licere regem occidere, quippe tyrannum, neque a pontifice pro rege adprobatum: eam ratam certamque inter eos patres ſententiam eſſe. Itaque, ad poenam aeternae damnationis aliqua re levandam, regis interficiendi conſilium cepiſſe; ut ſi quidem ad octo poenarum gradus damnatus eſſet, eas, patrato aliquo inſigni, et, ut ſibi videbatur, meritorio facinore, ad quatuor contraheret. Poſtea interrogatus quibus inſtigantibus aut conſciis ſcelus admiſiſſet, ſumma impietate, aliis, a quibus incitatus fuerat, minime nominatis, id patri revelaſſe reſpondit; et patrem ipſum valde dehortatum fuiſſe, a malo ſpiritu hanc illi mentem immiſſam affirmantem. Qua confeſſione patrem nocentem fecit; qui ſubito cum Dionyſia [c] Hazarda matre, Catharina et Magdalena filiabus, aliiſque quibuſcum ille eodem die in paternis

aedibus

VAR. LECT. [a] inſtituerat, et enunciata philoſophica ad diſceptandum, ut fit, publicata, Petro Seguierio praeſidi inſcripſerat; vitiis monſtroſis *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le grand Prevoſt de l'Hôtel.* [b] *Gueret.* [c] *Hazard.*

NOT. [1] *lege* ſuperiorem. Tous les autheurs & les relations mettent que le roy fut bleſſé à la levre d'enhaut du coſté droit. Il y a une autre choſe à remarquer, qui eſt que cet accident n'arriva point dans le Louvre, comme pluſieurs l'ont écrit; mais à l'Hôtel de Bouchage, où demeuroit la ducheſſe de Beaufort: c'eſt maintenant la maiſon des Peres de l'Oratoire. *Put.*

aedibus pranſerat, comprehenſus eſt. Ad hunc caſum animi varie in urbe commoti ſunt, reliquiis Henoticae factionis in occulto ſpe metuque ſuſpenſis; pluribus indignantibus Jeſuitas patres, ex quorum officina percuſſor iſte prodiiſſet, tanta indulgentia toleratos; et, cum lis illis ab academia Pariſienſi mota eſſet, ſpreto regis ac reipublicae periculo, quod jam tunc viri boni ominabantur, praepoſtera ſeu prudentia ſeu pietatis adfectatione comperendinatam cauſam, quae dijudicata diſſidio academiae finem impoſuiſſet, et vitam regis in tuto collocaſſet. Itaque, dum et ſimul de paricidio et de regis ſalute certa rumor crebreſcit, paſſimque per templa Deo gratiae aguntur, beatorum Ambroſii et Auguſtini decantato hymno, in Jeſuiticam ſcholam ad viam Jacobaeam magno hominum frementium concurſu itum eſt; et, ni rex ſenatuſque in tempore miſiſſent qui vim arcerent, promiſcua caede in patres ſaevitum fuiſſet. Appoſiti ad domum cuſtodes, et per Ludovicum [a] Maſurium ſenatorem deſcriptio facta chartarum et literarum, quae integrae in ea repertae ſunt. Statim autem ad rei famam praeſides et triumviri fiſcales ad aedeis Achillis [b] Harlaei praeſidis primarii, qui arthritide laborabat, conveniunt, ut reum interrogarent, qui adhuc in epiſcopi foro cuſtodiebatur. Inde Jacobum Auguſtum Thuanum, qui aderat, ad regem mittunt in lecto cubantem, rogantes, ut reum in Palatii regii carceres transferendum mandaret. Rex initio incertus ad Philippum Huraltum cancellarium remiſit, ex cujus conſilio reus poſtridie coram praeſidibus et triumviris ſummo mane ſiſtitur; eademque, quae coram magno hoſpitii praefecto, confeſſus, demum in ſenatu diſcuſſis probationibus rurſus interrogatur; variaeque dictae ſententiae. Neque de rei poena ambigebatur; ſed eodem ſenatuſconſulto quidam Jeſuitarum cauſam amplectendam cenſebant, quae per prenſationes infeliciter comperendinata paricidio huic cauſam dediſſe videbatur. Et ita cenſebat Stephanus [c] Florus ſenatorum princeps, vir a turbulentis conſiliis alieniſſimus. Quid enim amplius ſupereſſe, aut quas ulteriores quaerendas adverſus peſtiferam ſectam probationes? An enim verba ab accuſatoribus data, cum in cauſa academiae regni ſalutem regiſque vitam verti nuper clamabant? Quid mora illa artificioſe quaeſita profectum, quam ut caedis diu ante meditatae conſilium per otium maturaretur? Miſeros principes, de quorum periculo, niſi interfectis, non creditur. Immortaleis nunc et porro agendas Deo gratias, qui credulis et bene erga rempublicam affectis oſtentato periculo, non etiam perfecto ſcelere, tam benigne ſubvenit; incredulis et male erga regem animatis ruborem incuſſit, ne poſthac tam audacter contraria ſecuritati publicae conſilia tueantur. Ubi vero ad Auguſtinum [d] Thuanum praeſidem, virum antiqui moris ac horridae libertatis, ventum eſt, Cum nuper, inquit, in cauſa Jeſuitarum ſententiam dicerem, non putabam me debilitatis ſenio viribus tamdiu victurum, ut judicio huic intereſſem; ideoque prae indignatione licet praemature ſententiam praecipitaveram, quam nunc ſuo tempore laetior repeto; gaudeoque oblatam a Deo occaſionem, ut de irrito inſidiantium regno regiſque vitae conatu gratulemur; et rectum jam tunc bonorum in hac cauſa judicium adverſus praepoſteram eorum, qui judicium procraſtinatum voluerunt, prudentiam vincat. Poſt hanc ſententiam dictam Auguſtinus Thuanus a ſenatu abſtinuit, effoeto quippe corpore, ſed animi viribus ad extremum integris; ac tandem Sextili proximo vir optimus, et plus reipublicae ac amicorum commodis quam ſibi natus, ad Deum placide migravit. Tandem [e] Caſtellus, tanquam divinae et humanae majeſtatis in capite primo peractus reus, ob nefandum ac deteſtandum contra regem paricidium tentatum, nudus ante valvas majoris eccleſiae, taedam duarum librarum ardentem manibus geſtans, de geniculis lamentabili voce palam declarare juſſus, nefario ac perfidioſo auſu ſe cultro in faciem directo regem percuſſiſſe, et falſis ac damnandis inſtructum documentis

aſſeruiſſe,

INTERPR. [a] *Maſurier.* [b] *de Harlay.* [c] *de Fleury.* [d] *de Thou.* [e] *Chaſtel.*

aſſeruiſſe, licere reges occidere; et regem Henricum IV nunc regnantem in eccleſia non eſſe, donec a pontifice in gratiam receptus ſit: eapropter poenitere, ac veniam a Deo, rege, ac juſtitia petere: quo ſacto, decernitur, ut ad Portuenſem plateam plauſtro impoſitus traduceretur, et, brachiis ac ſemoribus forcipe ardenti concerptis, et manu cultrum tenente, qua paricidium tentavit, prius amputata, a IV equis membratim diſcerperetur, et membra flammis abolerentur, cineresque in ventum ſpargerentur; bona ejus fiſco addicerentur: ante ſupplicium quaeſtioni violentae extra ordinem ad indicandos conſcios ac complices ſubjiceretur: aſſertiones ab eo prolatas, quas offenſionis ac ſeditionis plenas ac verbo Dei pugnanteis, et tanquam Sectariam peſtem redolenteis, a S. decretis damnatas, curia declaravit, ne quis in publico ullibive repetat, enixe prohibetur; qui contra fecerit, divinae humanaeque majeſtatis reus habeatur. Additum ſenatuſconſulto, ut [a] ſcholae Claromontanae ſacerdotes ac diſcipuli, et alii omnes qui ſocietati illi nomen dediſſent, tanquam juventutis corruptores, publicae tranquillitatis perturbatores, regis regnique hoſtes, intra triduum a die denunciationis, Lutetia, aliiſque urbibus in quibus ludos aperuerunt, faceſſant, et XV diebus poſt regno prorſus excedant; ni paruerint, in eos tanquam majeſtatis laeſae reos animadvertatur: bona eorum, tam mobilia quam ſoli, ad opera pia deſtinentur, eaque arbitrio curiae diſtribuantur. Ad extremum interdicitur cunctis regis ſubditis, ne ad ſcholas ſocietatis illius extra regnum pueros literarum diſcendarum cauſa mittant, poena perduellionis in eos, qui contra fecerint, ſancita. Id actum IV Kal. Jan. Cum ad ſupplicium duceretur, ante valvas majoris eccleſiae nudus ſtans, quamvis intentiſſimo frigore, nullum horroris aut metus poenae ſignum edidit; et, cum verba concepta proferre juberetur, contemptim, et in pertinacia priſtina perſeverans, ut non poenitere ipſum appareat, ea protulit; ut animo ad extrema obfirmato, ſic corpore ad cruciatus patienti, inter quos nullum doloris ſenſum vel membrorum convulſione aut clamore flebili [α] dedit. Dum autem in aedibus Claromontanis delegati abdita ſcrutarentur, inter chartas Joannis [b] Guignardi, Autrici Carnutum nati, ex illa ſocietate ſacerdotis, multa repererunt in regem defunctum, ac regem qui nunc eſt, contumelioſa, ac libellis famoſis, et ad paricidia ac ſeditiones ſpectantibus, haud abſimilia. Sanbartholomaeo tumultu peccatum eſſe, quod vena baſilica ſanguis non miſſus ſit; quod ſi factum eſſet, ex febre in phreneſim rem minime recaſuram fuiſſe. Neronem crudelem a [c] Clemente occiſum, et ſimulatum monachum manu veri monachi concidiſſe. An Neronem ac Sardanapalum Franciae, vulpem Benearni, leonem Luſitaniae, lupam Angliae, gryphem Sueciae regem, aut denique porcum Saxoniae ducem vocandum? Praeclarum Clementis facinus tanquam a Sancto-Spiritu inſinuatum, et ita a theologis indigetatum, jure meritoque a Dominicanorum [d] priore, confeſſore et martyre, tam Lutetiae cum Judithae frequenti auditorio hiſtoriam enarrabat, quam [e] Caeſaroduni Turonum coram judicibus laudatum eſſe, illumque ſententiam ſuam ſanguine proprio obſignaſſe: nec fidem adverſariis habendam eſſe, qui factum tanquam deteſtandum improbaſſe eum retulerunt. Regnum in aliam, quam Borboniorum familiam, transferri potuiſſe ac debuiſſe. Cum Benearnenſi, quanquam religionem Catholicam profeſſo, bene actum iri, ſi capite raſo in monaſterium poenitentiam acturus trudatur: ſi ſine bello deponi non poſſit, bellum cum eo gerendum: ſi bellum geri non poſſit, de medio quavis ratione tollendum. Anagrammata etiam quaedam injurioſa in reges

reperta;

VAR. LECT. [α] dedit. Rejecti a judicio per regis epiſtolam fuerunt Petrus et Antonius Seguierii fratres quaſi ſuſpecti. Sed Jacobus Gueſlaeus cognitor regius, qui epiſtolam penes ſe habebat, non niſi peracto judicio eam illis tradidit: itaque ex amicorum conſilio, cum jam judicio interfuiſſent, etiam dum reus poſt ſententiam torqueretur, interfuerunt. Dum autem *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le college de Clermont.* [b] *Guignard de Chartres.* [c] *Jacques Clement.* [d] *Bourgoin prieur des Jacobins.* [e] *Tours.*

reperta; quae omnia manu propria ſcripſiſſe convictus, et prius ignominioſe recantare juſſus, in [a] Portuenſi platea laqueo ſtrangulatus eſt VII Eid. Januarias. Triduo poſt in Joannem [b] Gueretum Joannis [c] Caſtelli ante aliquot menſes praeceptorem, Petrum Caſtellum patrem,. [d] Dionyſiam Hazardam matrem, Catharinam et Magdalenam ſorores, alioſque ex ſuſpicione captos, fertur ſententia. Et Gueretus quidem prius tortus exilio perpetuo mulctatus. Petrus Caſtellus ad novennium extra regnum relegatus, in perpetuum Lutetia et juriſdictione ejus excluſus; ac praeterea II CIↃ aureorum in vinctorum alimoniam expendendorum indicta mulcta. Decretum ut domus ejus palatio proxima, ex qua deteſtandus percuſſor prodierat, a fundamentis dirueretur, ex ejuſque ruinis columna erigeretur, in qua ſenatuſconſultum ad aeternam facti memoriam inſcriberetur. Dionyſia Hazarda, ac filiae ejus, aliique, cum nihil adverſus eos probaretur, libertati reſtituti. Haud ſeverius cum Alexandro [e] Haio natione Scoto actum, qui ante gratiam praeteritorum Pariſienſibus factam multa valde abſurda dixiſſe convictus erat; cum rege diſſimulandum, et occaſionem opperiendam; Jeſuitam omnem hominem eſſe: eum vero magis incaleſceret, etiam addidiſſe, ſi contingeret regem aedeis ipſorum pertranſire, ſe libenter e feneſtris prono capite demiſſurum, ut vel cum vitae periculo cervicem tranſeuntis abrumperet: nam tantum exilio perpetuo, ſicuti Gueretus, mulctatus fuit. Poſtea Joannes [f] Belus, qui in ea ſchola literis operam dederat, delatus et convictus, quod contra ſenatuſconſultum pueros, ut ad ſcholas Jeſuitarum extra regnum proficiſcerentur, ſollicitaſſet, et dictata eorum propria manu deſcripta aſſervaſſet, quibus aſſerebatur, licere reges occidere, et parricidium contra felicis memoriae regem Henricum III patratum, ut juſte factum, defendebatur: ignominioſa poenitentiae declaratione crimen luere juſſus, ac poſtremo exilio perpetuo mulctatus eſt, bonis fiſco addictis. Secundum haec Caſtella domus ad aream reducta, et in ea erecta columna eximio opere, et crux in ſummo faſtigio appoſita. In baſi quadrata ſenatuſconſultum deſcriptum, et inſcriptiones additae cum verſibus elegantiſſimis, ut ex figura ejus paſſim vulgata videre eſt. Rex tanto periculo defunctus, eum facti invidia in pernicioſam ex ſchola Jeſuitarum hauſtam doctrinam vulgo rejiceretur, nihil inclementius protuliſſe auditus eſt; tantumque, eum ad eum ſtatim poſt inflictum vulnus viſendum principes et proceres accederent, judicibus, qui cauſam comperendinaverant, ſuccenſens, ſubjecit haec verba, *Ergo oportuit Jeſuitas ex ore meo convinci?* Mox cum ex vulnere convaluiſſet, e lecto ſurrexit, et equitum Sancti Spiritus ſolemnibus ſacris interfuit; quoſdam etiam ex proceribus bene meritis in collegium honorifice cooptavit. Nonis Januariis ſupplicationes per urbem magna frequentia habitae; quibus rex, ut ſe populo oſtentaret, pariter intereſſe voluit.

XIX. CUM nec propterea multi religioſorum ſacri [a] ordines adduci poſſent, ut pro ejus ſalute preces inter ſacra celebranda facerent, et recenti parricidii exemplo multi terrerentur, quaſi quod in Henrici III caede adprobatum eſſet, id nunc etiam liceret, in epiſcopali aula a Petro [g] Gondio cardinali, theologi et urbis curiones convocati ſunt; et ſuper obedientia quae regi debetur, de precibus publicis pro ejus incolumitate, de conjurationibus, parricidiis in ejus perniciem praetextu religionis, et quia nondum in gratiam a pontifice receptus eſt, tentatis, ac poſtremo de parricidio contra Henricum III patrato interrogati, poſt Spiritus Sancti invocationem deliberatione mature habita, conſenſu unanimi reſponderunt, Univerſos regiae ditioni ſubditos nullo conſcientiae ſcrupulo prohiberi, quo minus Henrico IV legitimo principi ſuo plenam

VAR. LECT. [a] ordines, ut Capucini, adduci *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Place de Greve.* [b] *Gueret.* [c] *Chaſtel.* [d] *Deniſe Hazard.* [e] *Hay Eſcoſſois.* [f] *Jean le Bel.* [g] *le cardinal de Gondy.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

plenam obedientiam reddant, et preces tam publice quam privatim pro ejus ſalute et incolumitate concipiant. Ipſos plurimum interim orare cardinalem Gondium, partes ſuas apud regem interponat, tam ſuae dioeceſis, quam univerſi theologorum collegii ad pedes ejus ſe proſternere ob id paratorum, nomine, ut, quod jampridem decrevit, legatos quamprimum ad pontificem mittat, ad vitandam ſciſſuram; quae non niſi cum offenſione publica, et eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae, cujus judicio ſe illi ſemper ſubjecerint, detrimento, conjuncta, eſſe poteſt. De cetero, quantum ad duo reliqua capita, ſic cenſere, nullo pacto cuiquam licere Henrico IV regi manus violentas injicere, neque id faciendi conſilium dare, religionis, fidei, periculi, aut alterius cujuſcunque cauſae praetextu. Neſarium ac deteſtandum id ſemper fuiſſe ac eſſe; tantumque abeſſe ut immaniſſimum contra regem Henricum III paricidium patratum probaverint, probentque, ut potius illud ac hujuſmodi facta crudelia, eorumque auctores, complices, et adprobatores ſemper exhorruerint, et nunc ex animo deteſtentur; quod publico inſtrumento ea de re confecto et publicato teſtati ſunt. Id actum XII Kalendas Februarias.

XX. ANNO ſuperiore legatio perhonorifica a ſenatu Veneto ad regem decreta fuerat, quae ei de auſpicatis regni auſpiciis ac proſperis ſucceſſibus gratularetur. Quo officio, cum per bella tutus acceſſus non eſſet, Joannes [a] Mocenicus orator Venetus apud Henricum III, et poſt ejus mortem in Henrici IV comitatu manere juſſus, jam ante quinquennium defunctus fuerat; factumque excuſaverat, quod ob itinerum difficultates ac pericula legatio ſingularis ad id miſſa non eſſet: nam non defuturum officio ſenatum, ac, cum primum occaſio commoda ſe offerret, effecturum, ut rex ſentiat, eum pari obſervantia ac cultu, quo deceſſores ipſius coluerunt, porro Francicam coronam obſervare decreviſſe. Legationi obeundae praepoſiti ſunt Jo. Vincentius [b] Gradenicus paulo ante ad Philippum orator, et Joannes [c] Delfinus eques, adducto ſecum Franciſco [d] Deodo, qui Joannis Mocenici loco aſſidui apud regem oratoris munere deinceps fungeretur. Ii, cum ſub exitum anni praecedentis ad limitem acceſſiſſent, a Diguierio perhonorifice excepti, multis incommoditatibus conflictati citius in aulam quam exeunte Januario pervenire non potuerunt. A Rogerio Bellogardio, Andrea [e] Huralto Meſſio, et Jacobo Auguſto [f] Thuano, qui orator ad rempublicam Venetam deſtinabatur, obviam longius a rege miſſis ſalutati ſunt. Mox et obviam cum magno procerum comitatu habuerunt paulo extra urbem Henricum Borbonium [g] Monpenſerium, a quo ad aedeis ſibi deſtinatas peramanter deducti ſunt. Praecipuo cultu ſibi demerendum ſenatum cenſebat rex, quod primis regni ſui auſpiciis, cum nulli principes Catholici ſive averſi ſive de fortuna ipſius deſperantes aperte ſecum amicitiam colerent, ſoli Veneti ipſi eoſdem titulos, quos deceſſoribus ſuis, detulerant, et oratorem in ejus aula ſemper habuerant, quantumvis reclamantibus pontificis et Philippi oratoribus, jam tum pro innata ſua prudentia feliciter de ipſius principatu ominati. His cum ſummas gratias egiſſet, laudataque ipſorum prudentia et erga regnum benevolentia, ſaepius poſtea de communibus negotiis cum iis capita contulit; ac poſt aliquot dierum moram magna cum benevolentiae et diuturnae amicitiae ſignificatione dimiſit.

XXI. Ex literarum regis ad Ordines Philippicos occaſione, cum Erneſtus ſub initium anni comitia Bruxellis indixiſſet, variae exortae ſunt querelae. Nam legati provinciarum, poſt deploratum miſerabilem patriae ſtatum, proteſtabantur ſe officio ſuo ſatisfeciſſe; ſi quid detrimenti res regis deinceps acciperent, id ſibi imputari nec poſſe nec debere; exaggerata interim militum externorum ac praecipue Hiſpanorum ſuperbia et inſolentia, quibus praecipue incumbit ad decus et utilitatem ſui principis reſpicere: eos nihilominus a quibuſdam ſuae nationis hominibus magis in dies concitari,

INTERPR. [a] *Mocenigo.* [b] *Gradenigo.* [c] *Dolfino.* [d] *Duodo.* [e] *Hurault de Meſſe.* [f] *de Thou.* [g] *le duc de Montpenſier.*

concitari, (his verbis [a] Fontanum praecipue deſignabant) qui, ſi regis commodis con- CIↃ IↃ XCV.
ſultum cuperent, Belgii proceribus ac provinciali nobilitati ultro cederent, et in Hiſpa- Henricus IV.
niam quamprimum redirent: hae ratione pacem toties nequicquam tentatam conciliari poſſe: nam foederatas provincias, Hiſpanis in Belgio manentibus, nunquam in pacem conſenſuras. Hae querelae pronis auribus accipiebantur. Itaque majori parti placebat, ut [b] Sorae comes ex [c] Molenbaſiorum familia primarius Belgii regulus in Galliam mitteretur, qui Ordines excuſaret, et belli denunciationem deprecaretur, ac ſaltem prorogari peteret, donec rex Hiſpaniarum conſultaretur, et quid ſuae voluntatis eſſet prolixius declararet. Propenſa adeo procerum ad pacem voluntate, Erneſtus, metuens ne invitus ipſe ad iniquas ac minus dignitati regiae ac ſuae convenienteis conditiones raperetur, pacem ſe quoque expetere dixit; at modum viamque non videre, quibus ea confici poſſet, praeſertim cum ſoederati tantopere ab ea abhorrerent. Offerri illis et veluti invitis obtrudi non poſſe, niſi cum magna regis ignominia, et dignitatis ejus intertrimento. Tria itaque ante omnia ab ipſis, ut ad ea reſpondeant, rogare; an eo res extrema neceſſitate adductae ſint, ut cogatur rex aliquid ſua majeſtate indignum admittere? dein an e dignitate regis ſit, opimiores quam antea conditiones proponere, atque adeo arbitrio hoſtium imponendas accipere? poſtremo an alia pacis ineundae ratio in praeſentiarum inveniri queat, aut excogitari? Ad ea cum Ordines nihil adferrent, praeter vehemens pacis adeo neceſſariae deſiderium, et nihilominus offenſionem veriti ejus adipiſcendae rationes non ſatis explicarent, Erneſtus ab iis tandem impetravit, ut, antequam de ea re quidquam decerneretur, plane ad Philippum perſcriberetur: interea pacem et concordiam inter ſe colerent, neque ad literas nuper miſſas reſponderent, quouſque reſponſum ex Hiſpania veniret. At rex, qui videret ad literas ſuas non reſponderi, denunciationem maturat; quae XVI Kal. Febr. per tubicines in limite et paſſim in regno promulgata eſt, in haec verba: Neminem ignorare, Hiſpaniae regem, cum vi aperta non poſſet, aſtu, dolis, et inſidiis regnum Franciae, quod a Deo et regibus deceſſoribus generoſe ſemper protectum fuit, occupare conatum eſſe, et diſſenſionum ſemina inter ipſos Francos accendiſſe et aluiſſe, eorumque fidem ſolicitaſſe; nequicquam conſumptis immenſis opibus, et ſuis ditionibus, quae interim a praevalido hoſte premebantur, ut aliena invaderet, deſertis. Id jam ab exceſſu Franciſci II variis artibus molitum eſſe, et minoribus aetate tunc principibus occaſionem captaſſe, ut de infirmitate noſtra triumphum reportaret. Sed inſatiabilem ſuam ambitionem manifeſtiorem feciſſe anno CIↃ IↃ XXCV, cum, pace ab Henrico III in regno conſtituta, et pietate ac juſtitia in eo florentibus, bellum exitiabile praetextu religionis excitavit, et cuncta ferro flammiſque miſcuit, Francis, atque adeo Catholicis, invicem ad mutuam perniciem commiſſis: cujus belli is exitus fuit, ut poſt tot cladeis, direptiones, vaſtationes, mors regis aeternum deploranda ſecuta ſit; totque malis impares Francos proculdubio ſuccubituros, niſi legitimus regni ſucceſſor ſingulari Numinis praeſentia fretus labantem molem virtute ſua fulciſſet, et libertatem publicam, vitam, bona, uxores, liberoſque Francis ipſorum Francorum ope conſervaſſet; quorum fidem illum tunc expertum, nunc etiam ſperare, ut exemplo majorum ſuorum contra hoſtium invaſiones eadem porro fide ſit uſurus. Cum igitur videat ſua majeſtas, cui ſecundum religionem et exiſtimationem vita ſemper charior ſuorum ſalus ac libertas fuit, Hiſpaniae regem ambitioni effraenatae modum non ponere, et, poſt atrocis ac injuſti belli quinquennium, Cameracenſeis, qui in ſuo patrocinio ſunt, vexare non deſinere, ſubditos ſuos in limite armis perſequi, oppida et arces vi capere, pecuniam imperare, atque omnia, quae jurati hoſtes faciunt, ſaevitiae ac libidinis exempla in eos edere; neque his contentum etiam percuſſores in caput ſuum
ſubornaſſe,

INTERPR. [a] *le comte de Fuentes.* [b] *Solre.* [c] *de Molembais.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

ſubornaſſe, recentique memoria quendam ſicarium natione Gallum, verum Hiſpanos plane animos induentem, idem ſcelus ſuſcepiſſe, ac, paulum abfuit, perfeciſſe: his de cauſis, ne officio ſuo et patrocinio, quod ſubditis debet, defuiſſe videatur, non amplius cunctandum exiſtimaſſe, totque injurias tamdiu diſſimulatas quamprimum ulciſci decreviſſe, intentato Hiſpanis bello terra marique cum illis eorumque auxiliaribus deinceps gerendo. Proinde, revocato omni commercio, jubere et imperare ſuis, ut regem Hiſpaniae pro majeſtatis ſuae regnique hoſte reputent, ejus ditiones invadant, eademque prorſus belli ratione cum illis porro agant, qua prius illi erga Francos uſi ſunt. Ad illud ſcriptum non niſi poſt duos menſeis ex concilii ſententia reſponſum; et, poſt enumerata Philippi erga cognatos beneficia, auxiliis bellorum civilium tempore ſubminiſtratis, illum porro in eadem benevolentia perſeverare velle dicit, pro religionis contra Sectarios defenſione; ac proteſtati, non propterea a pactis, et pacificatione cum Chriſtianiſſimis regibus inita, ſe diſcedere, quin imo jubere ac mandare ſuis, ne ullam Francis Catholicis injuriam inferant, et iis qui Hugonotorum et Henrici [a] Bearni partibus minime adhaerent. Id pluribus verbis ſcriptum et Bruxellis publicatum fuit Nonis Martiis. Ad hoc addita alia duo edicta. Priore mandatum ſingulis Philippicae ditionis praefectis, ut ſibi ſuiſque conſulant, et vim vi repellant; neque ſolum reſiſtant, ſed ultro arma inferant, in Franciam terram excurrant, obvia ferro flammaque hoſtiliter vaſtent, interdicto omni inter partes commercio, colloquio, et conſiliorum communicatione. Altero edicto enixe juxta Caroli V Caeſaris ſanctionem pariter interdictum cunctis ditionis ſuae ſubditis, ne principibus externis militent. Inde bellum acrius exarſit in [b] Lucemburgico principatu; et jam ineunte anno, cum Philippus Naſſovius de reditu in Belgium cum IV alis equitum cogitaret, a Mansfeldiano peditatu circumventus, vix cum damno ſe explicuit, LX ex ſuis amiſſis; tantaque eluvio aquarum, Rheno tunc exundante, nec non Moſa ac Moſella ripas ſuperantibus, fuit, ut Bullionius opem laboranti ferre non potuerit: qui, cum biduo poſt ſe cum Philippo conjunxiſſet, XI Mansfeldianas equitum turmas obvias juxta [c] Viretonum fugavit, et magnam partem cecidit. Mox irrito conatu tentata [d] Theodonis-villa, aliaque circum oppida.

XXII. EODEM tempore Sangeorgius [e] Auſſonvilla et [f] Bellovallius Tremblacurius legionum tribuni, qui Carolo Lotharingiae duci et in foederatorum caſtris huc uſque militaverant, pactis inter regem et Lotharingum induciis, regi operam ſuam addixerunt; et faſciis albis, quae Francici nominis inſignia ſunt, ſumptis, infeſta arma in [g] Sequanos Comitatenſeis Philippicae ditionis intulerunt, occupatis aliquot urbibus non ita munitis; quippe cum illi, neutris partibus toto bellorum civilium tempore addicti, et Helvetiis vicinis antiquo Burgundicae domus foedere conjuncti, ſatis ſe tutos exiſtimarent. Itaque imparati facile oppreſſi ſunt; et, cum Helvetiorum opem ex foedere implorarent, initio non ſatis commodum reſponſum ab iis tulerunt; mirari nimirum, qua fronte Sequani ab Helvetiis auxilium peterent, quos, ante ſeptennium ex Gallia exercitu diſſipato in patriam redeunteis, ab inſequente hoſte in terris ſuis ad internecionem caedi paſſi eſſent.

INTERPR. [a] *le Bearnois.* [b] *le duché de Luxembourg.* [c] *Vireton.* [d] *Thionville.* [e] *d'Auſſonville Sr de S. George.* [f] *de Beauvau Sr de Tremblecour.* [g] *la Franche-Comté.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DUODECIMUS.

EPITOME.

EDICTUM in Proteſtantium gratiam factum in curiam allatum; quod poſt varias dictas ſententias tandem ſine conditione promulgatur. II. *Ad Crepiacum a noſtris duce Edovilla contra Sueſſionenſe praeſidium feliciter pugnatur. In Lucemburgico agro res noſtrae Bullionii ductu in ſumma anguſtia, ſtipendii defectu.* III. *In Heduis res felicius geſta. Belnenſes Henoticae factionis pertaeſi clam cum Birono agunt, eumque citra direptionem admittunt. Ad arcem caſtra admoventur; quae,* XXVIII *poſtquam obſeſſa fuerat die, deditur. Claudius Bellofremontius Seneſcaeus, qui Axonam tenebat, cum rege tranſegit. Auguſtodunum in Bironi poteſtatem venit.* IV. *Per Sequanos Tremblacurius et Sangeorgius, qui regi militabant, excurrunt. Caſtellae conſtabilis cum copiis ad eos venit, cui ſe Meduanius conjungit. Res ad Divionem geſta. Rex, impoſito Lutetiae Franciſco Borbonio Contio, Divionem cum delectis copiis venit; et, ordinatis in urbe contra arcem, quam Franceſius tenebat, ſtationibus, ad Fontem-Franciscum cum Caſtellenſi inopinato non citra periculum conſligit, dubio eventu. Caſtellenſis Divione obſeſſis ſuccurrere detrectat.* V. *Meduanius Hiſpanis ſuſpectus, et regis offenſionem veritus, animi angitur. Per Ligneracum monitus ut de gratia regis bene ſperaret, Cabillonum concedit. Franceſius a Meduanio monitus arcem Divionenſem regi tradit. Senatus Divione reſtitutus. Exacti Jeſuitae patres, et decreto Pariſienſi parere juſſi.* VI. *Heic libellus ſupplex regi in conſiſtorio ſedenti a primariis aulae proceribus, Carlotae Catharinae Tremolliae Condaei viduae nomine, porrigitur. Cauſa ad ſenatum Pariſienſem cum probationibus et aliis actis integra ex regis decreto remittitur. Joannes Vivonus Piſanii marchio in Santones miſſus, qui Henricum Borbonium Condaeum filium in aulam deduceret.* VII. *Henricus Momorantius, Annae magiſtri equitum filius, paterna dignitate a rege auctus, Divione ſacramentum dixit. Diploma in ſenatu recitatum fuit* XI *Kalendas Decembreis. Antonius Arnaldus decora familiae toto regno nobiliſſimae a primis initiis repetiit.* VIII. *Rex in Sequanos proximos excurrit. Inde Lugdunum profectus triumphali pompa excipitur; et foedus cum Helvetiis, Heduis et Sequanis urgentibus, componitur.* IX. *Belgica ſequuntur, et clades a noſtris in limite acceptae. Hoium, Leodicenſis ditionis oppidum, a Carolo Heraugerio aſtu captum.* X. *Erneſtus archidux Bruxellis decedit, et ante eum Ferdinandus patruus Oeniponte. Italorum tumultuantium motus compoſiti.* XI. *Mortuo Erneſto ſumma rerum Petro Guſmano Fontano delata, qui ab Hoii obſidione principium praefecturae ſuae facit; quod et in poteſtatem venit. Inundationes prodigioſae in tractu Rhenano. Germani Bruxellis tumultuantur. In limite noſtro excurſiones infeſtae. Longovillanus miſerabili caſu Durlanii extinctus, relicto Henrico filiolo.* XII. *Irritum de pace inter Philippicos et Ordines, Mildeburgi primum, ubi Mauritius erat, et*

poſtea Bruxellis, inſtitutum colloquium. Maria Arauſionenſis Philippo Hohenloi comiti elocatur. XIII. *Fontanus ex Chriſtiani Savignii Ronaei conſilio Cameracum tentat. Vaſtatus circum ager, et Caſtellum obſidione cingitur. Sub id Bullionius in Belgium deſcendit.* XIV. *Ludovicus Moius Gomero Hanae praefectus Bruxellas Ronaei ſuaſu cum fratribus proficiſcitur, et a Fontano retentus. Orvillerius, qui arcem Hanae tenebat, cum Humerio agit de ea regi tradenda. Sanpaulus cum Bullionio et Humerio Hanam ducit.* XV. *In ea expeditione Humerius ſcloppeti ictu in capite accepto ſternitur. Noſtri morte Humerii exacerbati in confertos ruunt, et nulli facta gratia ad* IↃC *occidunt. Rex nuncio accepto non tam Hana recepta laetatus eſt, quam morte Humerii indoluit. Ejus elogium.* XVI. *Senatus ultionem quaerens ex ea occaſione Aumalium tanquam perduellem proſcribit, et capitis poenam irrogat. Ejus effigies per vicos ignominioſe tracta.* XVII. *Caſu ſuorum irritatus Fontanus ad Caſtelli obſidionem redit, quod et deditione cepit. Gomero in conſpectu Hanae, juſſu Fontani, ſecuri percutitur. Paſtranae ducis deceſſus.* XVIII. *Ad Durlanium poſita caſtra. In ea obſidione Valentinus Pardeus Mota occiſus. Ejus elogium.* XIX. *Sanpaulo auxilio adveniente, ex Ronaei conſilio Fontanus cum robore exercitus obviam procedit. Bullionius cum Hiſpanis acriter pugnat, et in tempore ſe recipit. Villarius, dum ulterius invehitur, ab hoſtili equitatu opprimitur; et captus juſſu Contrerae interficitur. Rei male geſtae culpa in alios et alios rejecta. Nivernio in caſtra veniente Bullionius imperio ſe abdicit. Inde inter eos ſimultates. Durlanium arctius cingitur, et per arcem captum oppidum, obviis quibuſque ob recentem Hanenſis ſtragis memoriam trucidatis.* XX. *In Sicambris interim Mauritius ad Grollam caſtra ponit, et ſuperveniente Mondragonio ab obſidione diſcedit.* XXI. *Prope Weſaliam utrinque aeriter certatur, et Naſſoviani initio victores ad extremum vincuntur. Mondragonius in arce Antuerpiana obiit.*

Ex auctoribus,

Actis curiae Pariſienſis, Ephemeride regia, Bullionii diario, Actis publicatis, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Caeſare Campana.

LIBER CENTESIMUS DUODECIMUS.

CIↃ IↃ.XCV.
HENRICUS IV.

REX omni alia cura vacuus, ut ad externum bellum nuper denunciatum expeditior eſſet, edicti in Proteſtantium gratiam nuper facti promulgationem urgebat. Res diſceptata in ſenatu claſſibus convocatis, variaeque dictae ſententiae: nam cognitor regius caput XIX edicti anno CIↃ IↃ LXXVII conditi, quod, ut [a] Neracianum et [b] Flexianum, hoc novo confirmabatur, quo Proteſtantes cum ceteris promiſcue, tanquam honorum publicorum capaces, ad dignitates, magiſtratus, praefecturas, admittebantur, interpretatione contrahi petebat; nimirum ut Proteſtantes ad curiarum ſupremarum dignitates, praeturas provinciarum, et cognitoris regii ſubſtitutorum munera, non admitterentur: idque ſe ſummopere a rege contendiſſe teſtabatur; alioqui invidia regem onerari; et plus hoc edicto, quam altero a deceſſore ſuo facto, conceſſum calumniantibus viſum iri; idque Romae male interpretaturos eos qui regis abſolutioni intercedunt: tamen regem ita velle, ſibique ſervare, ut gratiam capite illo factam arbitrio

INTERPR. [a] *de Nerac.* [b] *de Fleix.*

arbitrio ſuo et pro prudentia diſpenſet: non aliter Condaeum principem in poteſtate ſua futurum, quem penes ſe habere, ut pontifici ſatisfaciat, intersit. Stephanus [a] Florus ſenatorum princeps ſine conditione edictum promulgandum cenſebat; alioqui auctoritatem er potentiam regis conditione adjecta contrahi, ad quem ſpectat dignitatum et honorum inter ſuos ſubditos diſpenſatio; et ea eſſe erga regem regnumque hodie Proteſtantium merita, ut citra injuriam et ingratitudinem haec gratia illis denegari nequeat: in pari periculo par praemium eſſe debere; quicquid ſit, id arbitrio regis relinquendum eſſe: nam ſi conditio addatur, id diffidentiae de rege a ſenatu conceptae aſſignaturos, qui fidem ejus in dubium vocant. In eam ſententiam multa a Lazaro [b] Coquelio, petitis etiam ex antiquitate exemplis, addita. Idem cenſuerunt Hadrianus [c] Dracus et Jacobus [d] Bulengerus. Contra alii diſſerebant; et, ſi quidem pure ac ſine conditione edictum promulgetur, haec incommoda proculdubio ſecutura aiebant, ut multi male animati ſecus quam oporteat regis reconciliationem interpretentur; et calumnia ei impingatur, quaſi fidem auſpiciis regni datam non ſervaverit, nihil novaturum in iis quae a deceſſore decreta eſſent; et bene affectam pontificis voluntatem prorſus a ſe alienet. Mentem potius edicti, et eorum qui illud condiderunt, quam verba ſpectanda eſſe; et exemplum regis potius ſequendum, quam hominum plura et immodica in dies petentium ambitioni indulgendum. Memorem eſſe ſenatum debere occulti decreti, cum primum edictum publicatum eſt, in acta curiae relati: alioqui metuendum eſſe, ne populo ad calumnias in ſenatum porta aperiatur. Haec non ſine contentione, et interdum etiam admiſta verborum acerbitate, utrinque agitata. Tandem ex XCII, qui relationi interfuerunt, major ſuffragiorum numerus in Flori ſententiam deſcendit; edictumque pure ac ſine conditione promulgatum eſt VIII Eid. Febr. Sed rurſus difficultas alia incidit: nam cognitor regius praefracte declaravit, non paſſurum ſe, ut promulgationi adderetur, ſe audito et poſtulante id factum; quamvis alter patronus regius ita cenſeret, et edicto anni CIↃ IↃ LXXVII idem parens ejus, qui eodem magiſtratu tunc ſungebatur, poſtulaſſet. Itaque audito tantum eo, non etiam poſtulante, edictum publicatum eſt. Unde Proteſtantium rurſus novae querimoniae exortae, edicta ſua convelli quiritantium, atque ita aegre promulgari, ut appareat, eos, qui illa promulgant, cum primum occaſio ſe offeret, ab eorum auctoritate diſceſſuros: idque tandem in cauſa fuiſſe putatur, ut paulo poſt novi ab rege edicti promulgationem, non ſine magno multorum fremitu et maxima ipſorum invidia, impetraverint. Nam mox ex ſuo numero Odetum [e] Lanovium et Jacobum [f] Barrenſem Primodaium in aulam legarunt; qui, licet a rege benigne accepti ac in ſpeciem placati ſunt, longiotis tamen actionis poſtea ſecutae initium per illam expoſtulationem jam tum ſecerunt.

II. SUB id ad [g] Crepiacum in Valeſiano agro ſeliciter a noſtris pugnatum eſt contra [h] Sueſſionenſe praeſidium, quod a [i] Conaco [k] Poncenaci urbis praefecti vicario et [l] Bellofontio ducebatur. [m] Edovilla cum XXX alae comitis Sanpauli loricatis Crepiaco egreſſus, cum in inſidias ab hoſte ſtructas incidiſſet, mature ſe recepit uſque ad Crepiaci ſuburbia; ubi ad ſtrepitum [n] Botillerius Muſſius, [o] Gadancurius, et Beina cum delectis ei praeſto fuerunt; et in hoſtem recedentem licet numero potiorem invecti, juxta [p] Villeriam in Retia ſylva caedunt funduntque: XXX circiter occiſi, plures capti, et in iis Conacus ipſe: [q] Lilius et Rupius ex noſtris deſiderati. In Lucemburgico agro res noſtrae in ſumma anguſtia erant, ob aſperitatem hyemis et ſtipendii penuriam milite in dies a ſignis diſcedente, et auxiliaribus Batavis reditum ad ſua urgentibus.

INTERPR. [a] *de Fleury Doyen du parlement.* [b] *Coqueley.* [c] *du Drac.* [d] *Boulenger.* [e] *de la Nouë.* [f] *de la Primaudaie Sr de la Barrée.* [g] *Crepy en Valois.* [h] *de Soiſſons.* [i] *le baron de Conas.* [k] *de Poncenac, commandant.* [l] *le Sr de Belfons.* [m] *le Sr d'Edouville.* [n] *le Boutiller Sr de Mouſſy.* [o] *de Guadancour, & de Beyne.* [p] *Villiers coſte-de-Retz.* [q] *les Srs du Lis, & de la Roche.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

urgentibus. Itaque Bullionius, qui occupata a ſe anno ſuperiore loca aegre tuebatur, propere in aulam venit, quoque in ſtatu ſint ſua exponit, pecunia praeſenti ſibi ſubveniri petens; alioqui fore, ut cum Gallici nominis dedecore incepta relinquere cogatur. Mox, exiguo adnumerato ſtipendio, ad Sedanum citato itinere Aprili exeunte revolat; ubi Philippum Naſſovium et Batavos duces diſcedendi certos reperit, qui per Franciae limitem iter habuerunt. Naſſovius ad Dieppam ſolvit, et inde in Zelandiam tranſivit. Bullionius, cum ſe auxiliaribus deſtitutum videret, ut ſuos in praeſidiis collocatos commodius inde deduceret, univerſis copiis ad Stenaeum, quo convenirent, diem condicit. Jam hoſtes in armis erant, numero IV CIↃ peditum et CIↃ circiter equites, cum VI machinis muralibus egregie inſtructis, ductu Franciſci Verdugi bellis Belgicis diu experti; cum quo erat Fridericus Bergenſis comes. Calvancium primo copiae admotae, quod poſt aliquot tormentorum diſploſionem a noſtris deditum eſt. Poſtridie ad [a] Firmitatem promota caſtra in ulteriore Cari ripa, a [b] Stenaeo et [c] Calvancio pari II leucarum ſpatio diſſitum oppidum. Juxta cataracta eſt, qua pars fluvii in oppidum derivatur, duabus molatrinis aquam ſubminiſtrans; inſulamque parvam in eo efficit, ac rurſus alteram in oppidi exitu, ac IↃ abhinc paſſibus in alveum conjunctis rivulis redit. Supra podium trans Carum in praealti collis crepidine Verdugus vallum ducit, quo ab ea parte locum adoriretur, CL orgyias in fronte latum; purgata nuper foſſa, et duobus e terra excavata propugnaculis exſtructis; quorum frons XXV orgyias lata a tergo C amplius porrigebatur: eadem nocte IV diſpoſita tormenta. Quo cognito Bullionius, qui Stenaei erat, IↃ ſcloppetarios auxiliareis [d] Miennio, qui locum tuebatur, ſummittit. Ipſe cum CCCC equitibus, CIↃ IↃ peditibus Gallis, CIↃ CC Helvetiis, II muralibus machinis et colubrina, ſubſequitur; et ſub veſperam, ne numerus ſuorum ab hoſte iniri poſſet, collem undique erectum occupat, ab eo quem hoſtis inſederat IↃ paſſibus diſſitum, oppido et amni ſubjecto imminentem, qui ad laevam cubiti inſtar flexus Ivodium tendit. Ibi in crepidine collis vallum ducit, quo majus ſpatium explicandis in aciem copiis retro haberet, et ad oppugnationem venienti hoſti difficilior eſſet aſcenſus: tum tormenta ſupra collocat. Ita tranſacta nox; qua minime hoſtis ceſſavit, vallo ad foſſam uſque producto, et verberatione directa, qua orto mox ſole murum objectum et portam mediam ac ſummas propugnaculorum pinnas dejecit. Jamque magnam ruinam ediderat ſub horam ſeptimam matutinam, cum Bullionius [e] Seſſevallium cum XXX loricatis alae ſuae, et [f] Sanchelium Arpajonum cum totidem, intra oppidum mittit; qui in propugnaculo ad laevam proximo tranſverſam foſſam ducunt, et portam a muro, terra et fimo aggeſtis, dividunt: ipſe tormentis in latus valli hoſtilis, quantum poterat, fulminabat. Inter utraque caſtra amnis intercedebat; qui, licet vadoſus, tamen ripas utrinque praealtas habebat, et difficilem hinc inde aditum efficiebat. Inſtructa ad oppugnationem acie, Claudius [g] Burlota ad portam vim facit ſub meridiem. Heic defenſores ſtrenue rem geſſere, recenti milite a Bullionio ſubinde miſſo adjuti; tandemque hoſtes poſt obſtinatum certamen a tormentis noſtris infeſtati retro ceſſere. Inde Burlota vallum propius ducit, ut tectior muro ſubiret. In opere V dies exacti; per quos aliquot velitationibus certatum ad vadum, quod hoſtes inſederant, ac noſtris incumbentibus ſtatim deſeruerunt. Summis incommoditatibus conflictabatur Bullionius, non ſolum ab hoſte numero ſuperiore, ſed a milite proprio, cujus aſſiduae exaudiebantur querelae, quod ſtipendium promiſſum non repraeſentaretur; tum etiam ab annona, quae admodum anguſta erat, tempeſtate nondum adulta, ita ut quicquid commeatus in caſtris conſumebatur, Sedano advehi neceſſe eſſet; ac proinde verebatur,

ne,

INTERPR. [a] *la Ferté ſur Chier.* [b] *Stenay.* [c] *Chauvanſy.* [d] *le Sr de Miennes.* [e] *de Seſſeval.* [f] *de St Chely de la maiſon d'Arpajon.* [g] *la Bourlote.*

ne, obſidione in longum extracta, annonae penuria locum tandem amitteret. adverſo reputabat, ſi locum deſereret, [a] Muſonium vicinum periclitaturum, integris et conjunctis hoſtium viribus; et ad famam pertinere, ne locum, quem huc uſque tutatus eſſet, minime hoſte cogente deſereret. Dum in hoc ſententiae in diverſa rapientis aeſtu fluctuaret, caſus negotii perplexitatem explicuit. Hoſtes loco admodum firmo caſtra muniverant, ad quae nec ex caſtris noſtris, difficili amnis tranſitu, nec ex oppido obſeſſo, citra periculum adiri poterat. Tandem vadum paulo infra repertum a quibuſdam levis armaturae equitibus, qui injuſſu imperatoris ad praedam excurrebant; notatoque diligenter a noſtris loco, ad quem, cum ad arma conclamaretur, ſerius hoſtis ut e longinquo accurrerat, [b] Bullionius, re cum belli ducibus communicata, ut proviſas neceſſitates aliquo operae pretio anteverteret, vallum hoſtium expugnare ſtatuit. Pontem noctu ad inſulam, quae extra oppidum eſt, clam hoſte ſternit; et C equites ex omni numero delectos in oppidum eadem nocte immittit, ducibus [c] Sanchelio, Loppio, Perrerio, Turrio, Savoëſio Boquinvilla; IƆ item Gallos pedites [d] Cancurii Corſeleti ductu, et CCCC Helvetios Jacobo [e] Curieno duce. Tum ducibus e ſuperioribus caſtellis loca arboribus indicatis deſignat, quo uſque procedere, et cuſtodes diſturbatos perſequi, deberent. Mane, cum hoſtes jam pro more, quod et noſtri obſervaverant, IƆ equites pabulatum emiſiſſent, ſub horam octavam Perrerius, ſigno diſploſione tormenti e caſtris dato, cum XL loricatis exit, et primos ordines, in queis XL equites erant, diſturbat, alioſque auxilio ſuis venienteis poſt leve certamen in fugam conjicit. Res hactenus ex Bullionii conſilio ſucceſſerat, qui enixe ſuis mandaverat, ne ultra arbores hoſtem fugientem inſequerentur, ſed reſtitutis ſtatim ordinibus vallum a tergo adorirentur, dum pedites a fronte impetum facerent: verum imperiorum oblıti noſtri in media uſque hoſtium caſtra penetrant; unde a majore numero tandem pelluntur, et cum damno ſenſim recedentes, nam ex ſuperiore loco ab hoſte pugnabatur, in ſua caſtra revertuntur. Res interim egregie a peditatu geſta, et vallum prorſus occupatum, plus CCCC occiſis; ſed, cum equitatus noſter inclinaret, mox deſertum. Deſiderati ex noſtris circiter L, et in iis Sanchelius magnae ſpei adoleſcens, et Corſeletus vir ſtrenuus; tantuſque hoſtium pavor fuit, ne rurſus noſtri vallum invaderent, ut ſtatim, petitis ad ſepelienda corpora induciis, impedimenta praemiſſa ipſi ſub meridiem vaſis conclamatis ſecuti ſint, et ad [f] Monmedium receptum habuerint. Bullionius ſatis ad famam factum ratus, cum militem amplius ſub ſignis retinere in tanta rerum inopia non poſſet, et a rege [g] Nivernio et Fant Pauli comiti in Belgico limite excubantibus praeſto eſſe juberetur, [h] Firmitatem deſerit primum munitionibus nudatam, et citra [i] Moſam copias reducit, firmatis circum regiis praeſidiis: quo cognito hoſtes [k] Ivodium tendunt, et deditione mox recipiunt.

III. IN Heduis majore ſucceſſu res geſta, ubi Carolus Guntaldus Bironus equitum tribunus cum robore exercitus regii erat, Burgundiae praeſes deſignatus. A [l] Belna factum principium, praecipua provinciae urbe, propugnaculis egregie munita, et foſſa C paſſus ubique lata et aqua plena; loco admodum fertili ac irriguo ſita, in qua Ceres et Bacchus quodammodo videntur certare; adeo et ubertate ſoli et vini generoſitate praeſtat. Urbi arx imminet, a [m] Sanpetro juſſu Ludovici XI olim ſtructa, et V propugnaculis firmata. Eam ante novennium tenebat [n] Damaſus Riranus ex primaria nobilitate, regi ſumme fidus, poſt pacificationem Meduanio regis juſſu traditam; qui hominem ſuum nomine Monmoienuum cum praeſidio impoſuit, civibus et regioni gravem,

INTERPR. [a] *Mouſon.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *de S. Chely, de Loppes, de la Perriere, la Tour, & de Saveuſe Bouquinville.* [d] *de Cancour de Corſelet meſtre de camp.* [e] *Curien capitaine des Suiſſes.* [f] *Montmedy.* [g] *le duc de Nevers, & le comte de S. Paul.* [h] *la Ferté.* [i] *la Meuſe.* [k] *Ivoy.* [l] *Beaune.* [m] *le Sr de St Pierre.* [n] *de Damas Sr de S. Riran.*

gravem. [a] Artuſii exemplo is paulo ante civibus inſigni perfidia illuſerat: nam, cognito eos a foedere alienos ad regis partes inclinare, ſe quoque regi reconciliari cupere per emiſſarios illis oſtendit; quoque magis crederent, Dominico corpori in id participare voluit, ſubornato ac monito ſacerdore, ne panem, quem ſibi traditurus erat, conſecraret. Ita deluſi illi, et mox in arcem conjecti, vix magna ſe pecunia capitis periculo exemerunt. Cautius poſtea ſibi agendum rati, conſilium ſecretum ad poenas de perfido homine ſumendas ineunt ſacri collegii ſodales, [b] Bellinus urbis major, Jacobus Richardus [c] Bellignius, aliique aediles; et [d] Alixanum e numero ſuo ad regem legant, qui quadrimeſtreis inducias ab eo impetraret, ſpemque faceret, fore, ut intra illud tempus inſigne fidei ſuae erga ipſum documentum ederent: verum id tam ſecreto agi non potuit, quin de eo aliquid ad factioſos emanaverit. Ab iis monitus Petrus [e] Janinus ſenatus praeſes, qui ſummae negotiorum in Burgundia praeerat, ad Meduanium, qui tunc adhuc Bruxellis erat, mittit, propere illi domum redeundum ſignificans; alioqui provinciam in periculo verſari, et regios in ea praevalituros. Igitur ille negotio communi, quod illi cum Erneſto erat, utcunque ſe explicuit, ſpecie cum Lotharingiae duce colloquendi, qui cum rege agere dicebatur, et eum ab illo propoſito abducendi. Nam Petrus Janinus, quo praecipuo conſultore utebatur, urgebat, ut quamprimum ab Hiſpanorum conſpectu diſcederet: nam regi aliter perſuaderi non poſſe, eum ſerio de reconciliatione cogitare, niſi juratos regni hoſteis deſerat. Itaque cum C equitum turma, quam Franciſcus [f] Moncellus Villarius ducebat, nec alio praeterea ſtipatu, [g] Nancium venit; a Lotharingiae duce non ſtatim in colloquium admiſſus, offenſionem verito, ne videlicet gentilis ſuſpecti occaſione in ſuſpicionem apud regem adduceretur. Inde Meduanius in Burgundiam eodem comitatu deſcendit; et, cum [h] Divionem veniſſet, populum male erga ſe affectum conſpicatus, ſatis habuit, ſuſpenſos futurorum exſpectatione animos ſpe bona implere, mentione pacis obiter injecta. Interim novis praeſidiis arcem firmavit; loca alia munita per provinciam luſtravit; amicos ex nobilitate confirmavit. Dum ambigit quodnam in hoc rerum bivio iter inſiſtat, a Janino, qui in aula erat, monetur, res mutaſſe, neque regem conditionibus primum propoſitis ſtare velle. Eae erant poſt [i] Laodunum captum inter partes agitatae, Ut Burgundia cum ſummo imperio Meduanio liberiſque ejus maſculis cederet; decies centena aureorum CIↃ ad exſolvendum aes alienum his bellis contractum, et ſarcienda detrimenta per has turbas accepta, dependerentur. Quo cognito, Meduanius, alioqui Hiſpanorum pertaeſus, ſpe reconciliationis cum rege abjecta, ad extrema conſilia animum appellit; et Jacobo [k] Harlaco Chanvallonio negotium dat, ut Bruxellas profectus apud Philippicos miniſtros ſuſpicionum cauſas purgaret, et, ſi pecunia et milite juvaretur, irreconciliabili ſe cum hoſte bello obligare paratum oſtenderet. Inde Belnam pergit; et, eadem diſſimulatione uſus, ad pacis conſilia inclinare prae ſe ferens, oppidanos, ut in laudabili religionis defendendae propoſito conſtanter perſeverarent, hortatus eſt: nam brevi fore, ut ex ipſorum voto conditionibus aequis bello finis imponatur, modo integrum negotium arbitrio ſuo committant, nec praecipitanter a foedere diſcedant: interea ſpem facit, ut nec milite nec novis vectigalibus onerentur. Verum, auctis ſuſpicionibus, ubi primum Divionem reverſus eſt, CCC praeſidiarios Belnam mittit, et per [l] Camillum et Carolum locorum muniendorum peritos urbem inſpiciendam curat; quos ipſe ſtatim ſubſecutus eſt, et ad majorem ejus ſecuritatem ſuburbia frequentia admodumque populoſa, et in iis III templa et plus II CIↃ domos, demolitus eſt; ad [m] S. Magdalenae novis munitionibus inſtitutis,

INTERPR. [a] *le Sr de l'Artuſie.* [b] *le Sr Bellin, maire.* [c] *de Belligny.* [d] *Alexan.* [e] *Jeannin preſident du parlement de Dijon.* [f] *de Monceaux Sr de Villars Houdan.* [g] *Nancy.* [h] *Dijon.* [i] *Laon.* [k] *de Harlay Sr de Chanvallon.* [l] *les capitaines Camille & Carles ingenieurs.* [m] *Eſgliſe de la Magdelaine.*

inſtitutis, et duarum portarum cuſtodia, nam ceteras occluſit, inter oppidanos et praeſidiarios partita. Interea Belnenſes per [a] Valligranium Balictum, qui [b] Joannis-fanum in Lodona regis nomine tenebat, cum [1] Birono tunc ad [c] Noiannm haerente agunt; et diem, quo ipſi arma in urbe ſumerent, et ipſe cum auxiliaribus praeſto eſſet, VIII Eid. Febr. condicunt. Sed rurſus de conſilio conjiciens, cum filio grandiore natu, et [d] Guilliermio Mediolanenſi homine homicidiis infami, qui Inſubrum pagum, hodie [e] Subram vocant, praeſidio tenebat, Belnam propere Kalendis Februariis revolat, et novo C praeſidiariorum ſupplemento, ac parte alae [f] Tiangianae, cui [g] Montilletus praeerat, firmat; porta altera clauſa, et ita diviſa alterius cuſtodia, ut exterior pars a ſuis, interior ab oppidanis, ſervaretur. Quo conſpecto, illi rem detectam rati, parum abſuit quin conſilium praecipitaverint, et, non exſpectata die Birono condicta, in Meduanium ejuſque filium vel cum certo capitis periculo vim fecerint. Sed vicit ea ſententia inter conſcios, quae nihil temere audendum ſuadebat, appetente auxilii tam praeſentis die. Meduanius, urbe, ut ſibi videbatur, abunde firmata, [h] Cabillonium tendit cum filio et Guilliermio; quem ex itinere cum L loricatis [i] Belnam remittit, dato negotio, ut ſuſpectos in urbe, quorum nomina tradiderat, comprehenderet. In arcem evocati fiſci procurator et patronus, ac retenti: capti in urbe a praeſidiariis XIV ex praecipuis oppidanis, et arce incluſi. Id actum pridie Nonas. Die ſequenti, qui condictum Birono proxime praecedebat, cum reſciviſſent conſcii Guilliermium cum ceteris praeſidii ducibus, [k] Sanpaulo, Sonnio, Bellavilla, conſtituiſſe arma oppidanis omnino adimere, praevertendum rati, et potius cum armis fortiter pro tuenda libertate mori, quam ſublato armorum uſu quaſi tot pecudes diriſſimorum hoſtium arbitrio jugulum praebere, ad extrema conſilia deſcendunt: jam eo rem proceſſiſſe, ut ad tutiora conſilia non ſit regreſſus; inter probrum laudemque, inter gloriam et infamiam, inter libertatem ac teterrimam ſervitutem, vitam mortemque ſuam conſiſtere; quorum alterum, ſi viri ſunt, et patriae charitate tanguntur, vel cum vitae periculo eligere, alterum vel cum certa pernicie vitare, debeant. Itaque ad pulſum horologii arma capiunt Jacobus et Michael Richardi fratres, Alixanus, aliique aediles, et e ſacro ordine nonnulli; primuſque Jacobus ſtricto enſe et faſcia alba cinctus nomen regium inclamat, quem regionis ſuae univerſi oppidani, etiam foeminae, magno concurſu ſequuntur. Eodem tempore Michael Richardus, qui ad portam urbis in interiore ſtatione excubabat, porta clauſa praeſidiarios in exteriore ſtanteis excludit; et mox in turrem vicinam inſiliens, infeſta diſploſione fugere abjectis armis cogit, a ruſticis in urbem venientibus in foſſae labro fere caeſos. Continuo Alixanus in domum, in qua Guilliermius cum Carolo architecto et [l] Latrecio praeſide [m] Monmoienni fratre cibum ſumebat, cum delectis irrumpit, refractiſque conclavis januis Guilliermium multis ictibus reſiſtentem conficit; Latrecium capit; Carolum, a quo pulſus initio fuerat, ſupervenientibus ſuis opprimit; et cum Guilliermio in aedeis publicas ducit, Latrecio in [n] Bruneti aedibus incluſo. Captis ac caeſis ducibus, praeſidiarii huc illuc palantes errabant, quid agerent neſcii. Ad [o] Divionenſem poſtremo vicum commeantes, ſtatim a Bruneto et Moneto et XXX oppidanis funduntur: multi occiſi; Sanpaulus graviter ſauciatus; qui cum Bellavilla et Sonnio per domos in tumultu perforatas ad ſuos tandem, qui juxta arcem ſe contraxerant, pervenit. Heic conjuncti acie inſtructa oppidanos aggrediuntur; ſed diſploſo ſtatim tormento, quod eo forte

loco

INTERPR. [a] *Baillet Sr de Vaugrenan.* [b] *S. Jean de Laon.* [c] *Noyan.* [d] *Guillermé. Les Italiens le nomment Guillermino.* [e] *Seurre.* [f] *du Sr de Tiange.* [g] *Montillet.* [h] *Chalons.* [i] *Beaune.* [k] *les capitaines S. Paul, Sauny, & Belleville.* [l] *de Latrecy.* [m] *de Monmoyen.* [n] *Brunet.* [o] *la rue Digeonnise.*

NOT. [1] *la relation d'où cela eſt pris met* M. de Monſtier S. Jean. *Il faut que le nom de ce chaſteau ſoit* Noyan. *Put.* de Biron qui eſtoit lors à battre le chaſteau de l'abbaye

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

loco Meduanius ad fortuita collocaverat, rurſus ſolvuntur; incumbenteſque oppidani eos loco pellunt. Pugnatum et in [a] Boſſonenſi vico acriter, ubi Jacobus [b] Richardus egregiam operam navavit. Tandem caeſi pulſique, paucique ſuperſtites, ad loca arci ſubjecta ſe receperunt, cum parte Tiangianae alae, pro qua Montilletus pactus eſt. In [c] Bellae-crucis vico aliquot reliquiae reſederant, obſirmatis ad reſiſtendum animis; quas munitionibus e doliis cingere contenti oppidani, ne inde poſſent erumpere, fabris ferrariis ſecum adductis, portas, quarum claves in arce erant, ſeris revulſis aperiunt, ut Bironum accelerare per nuncios juſſum commodius acciperent; cum eo per Monetum prius pacti, ut militem a direptione cohiberet. Bironus cum Jacobo [d] Chabotio Mirabelli marchione, Henrico [e] Huralto Cevernii comite, Edmundo [f] Malanio Luxio, ac ceteris belli ducibus, portis patentibus a majore urbis et aedilibus perhonorifice exceptus, ſtatim ex [g] Campana, Joannis [h] Guntaldi Sanblacardi fratris, Caroli [i] Rupifortii Santangeli, legionibus, delectos ad ccc mittit, qui reliquias ad Bellaecrucis vicum obſeſſas oppugnarent. Ii, cognito Bironi adventu, continuo deditionem fecere, vita et rebus ſalvis: ſignum in manus Bironi traditum. Ejus juſſu mox Latrecius praeſes cum XIV oppidanis in arce captivis permutatur. Tum vallum ad arcem ductum; et cum tormenta X muralia et II mediocria cum Helvetiis advenifſent, iis directis [k] Monmoiennus colloquium poſcit, petitque ut XXX CIↃ aureorum in militis ſtipendium et diſſolvendum aes omne ſuum alienum dependerentur. Bironus rogatu oppidanorum XV CIↃ obtulerat: ſed, cum ille conditionem recuſaret, interea [l] Lagous et mox [m] Sablonerius et Marnaeus cum aliquot delectis in arcem accepti ſunt. Diverſa parte ex regis aula ad rei famam advenerunt Gulielmus [n] Saulius Tavanius, Imbertus [o] Marſilius Sipetra, et Franciſcus [p] Magdalenus Ragnius, qui egregiam admodum operam toto obſidionis tempore navaverunt. Tandem, poſt II CIↃ amplius ictus tormentorum diſploſos, ruina ingenti edita, cum noſtri in aciem inſtructi vim pararent, XXVIII poſtquam arx obſeſſa fuerat die, deditio facta eſt, his conditionibus; ut vita ſalva et impedimentis, fune extincto, ſignis complicatis, et ſine tympani pulſu milites exirent; XV CIↃ aureorum Monmoienno ad exſolvendum praeſidiariis ſtipendium exſolverentur. Paulo poſt victricia Bironi arma veritus Claudius [q] Belloſremontius, qui nuper Romana legatione defunctus domum reverterat, de [r] Axona urbe, quam valido praeſidio tenebat, exeunte Aprili tranſegit; et vicarii dignitatem ſub Birono praeſide a rege impetravit. Ad [ſ] Auguſtodunum res partim aſtu, partim vi, geſta; ubi oppidani factionis Henoticae, ſicuti et Belnenſes, pertaeſi, clam cum Sipetra conveniunt; et unius portae potentes, tantum ex iis decem, nam major urbis, ne res emanaret, pluribus conſilium minime communicaverat, ad Eidus Maias diem Birono condicunt: quo cum ille profunda jam nocte cum Sipetra ad ſuburbia veniſſet, duo ex oppidanis praemiſſi, qui majorem ad portam eum exſpectare ſignificarent. Fraudem veritus cautus imperator, duos ordinum ductores cum VIII delectis ſcloppetariis viciſſim mittit, qui ſuperiora portae inſiderent: quo facto [t] Ramponium cum XXV loricatis et L equitibus ſequi jubet, qui pomoerium hinc inde circa portam occuparent. Tum ipſe cum ſua equitum ala ac ſtipatoribus urbem ingreditur, a majore claveis ultro deferente exceptus. Dum procedit, in cuſtodiam, per excubias ſub mediam noctem diſcurrere ſolitam, inopinato incidit, tantaque felicitate invadit, ut ſine ſtrepitu aut ſcloppetorum diſploſione eam in poteſtatem redegerit; non tamen ſine vitae periculo, quippe cum uno, qui ipſum ſcloppeto petiturus erat, colluctatus;

INTERPR. [a] *Rue des Boiſſons.* [b] *Richard.* [c] *Rue de Belle-croix.* [d] *de Chabot marquis de Mirebeau.* [e] *Hurault comte de Chiverny.* [f] *de Malain Sr de Lux.* [g] *de Champagne.* [h] *de Gontaud Sr de S. Blancard.* [i] *de Rochefort de St Angel.* [k] *de Monmoyen.* [l] *le capitaine Lago.* [m] *Sabloniere, & Marnay.* [n] *de Saulx Sr de Tavannes.* [o] *de Marcilly Sr de Cipierre.* [p] *de la Magdelene Sr de Ragny.* [q] *de Beauffremont Sr de Seneſçay.* [r] *Auſſonne.* [ſ] *Autun.* [t] *le Sr de Rampons.*

colluctatus; quem armis gravem ex pomoerio dejecit, et ſuper incumbens, ſcloppeto ablato et gladio, ipſe expeditior, quippe minime loricatus, interfecit. Inde progreſſi alae Bironianae equites ac ſtipatores ad [a] Caſtrum, quod vulgo vocant; in eoque foramen factum, per quod ingreſſuri erant, occupant. Ad aliud et foramen miſſi XXV loricati et LX equites ſcloppetarii, qui ingreſſi ad aedeis epiſcopaleis deſcenderunt; quo ſtatim Bironus cum L ex nobilitate et totidem ſcloppetariis venit. Sipetra et [b] Sanchriſtophorus cum CCC ad portam juſſi ſubſiſtere. Ramponius eodem tempore Bironi juſſu ad inferiorem urbem deſcenderat, ut ſtationes in ea imparatas opprimeret. Nondum ad arma conclamatum erat, cum ſuam equitum alam, et ſtipatores, Bironus ſub portam arcis praemittit; alterum agmen ad [c] Lurei Vaſconis, qui legionem ſuam in praeſidio habebat, aedeis tendere jubet. Ipſe ad majorem plateam cathedrali templo ſubjectam progreditur, et obviam LX ſtationem ad internecionem poſt aliquod certamen caedit. Horae circiter unius ſpatio, praecipue juxta arcem, pugnatum fuit. De cetero, urbi, ſicuti convenerat, parcitum fuit; tantum unius Lurei tribuni aedes direptae, qui ad perniciem obſtinatus, cum nuſquam deditionem facere voluiſſet, cum ſuis interfectus eſt.

IV. IN [d] Sequanis proximis interea res praedis, excurſionibus, abactis gregibus, exactionibus, ab [e] Aſſonvilla Sangeorgio et [f] Tremblacurio gerebatur: adverſus quos populares talium rerum inſolentes et imparati, quippe ſemper his bellis neutri, cum ſera Helvetiorum foederatorum auxilia viderent, ad [g] Mediolani proregem confugiunt. Is tunc erat Ferdinandus Velaſcus Caſtellae coneſtabilis, familiae ſuae tota Hiſpania opulentiſſimae princeps, opibus et nobilitate, quam rei militaris peritia, clarior; qui, licet remotior, minime illorum periculum negligendum cenſuit. Is protinus cum VIII CIↃ peditum et II CIↃ equitum, per Sabaudi ditionem facto itinere, in Sequanos deſcendit cum Nemoroſio; qui, cognito Meduanii fratris uterini adventu, ob ſimultates domeſticas ab exercitu diſceſſit. Caſtra ad [h] Veſutium primo poſita; et, poſt admota tormenta a Meduanio, editamque ruinam, oppidum citra certamen captum. Oppido arx imminebat, quam cum CCCC praeſidio tenebat Tremblacurius; qui impar Bironi, qui [i] Belnae erat, opem implorat. Nec Bironus amicis deeſſe voluit; ſed, dum eo tendit, jam deditam Veſutii arcem reſcivit. Itaque circa [k] Divionem aliquot dies commoratus, ut oppidanis praeſto eſſet, adverſus Jo. [l] Saulium vicecomitem Tavanii juniorem fratrem, ſummae rerum per Meduanii abſentiam praepoſitum, qui nuper Gabrielidem [m] Pratenſem uxoris Meduanii filiam in uxorem duxerat, et arcis praeſidiariis ſtrenue ſe defendentibus animos faceret; ea de re crebros ad regem nuncios miſerat, adventum ejus urgens. Rex ubi de aliis ſucceſſibus accepit, jam omnibus ad profectionem paratis, Franciſcum Borbonium [n] Contium Lutetiae imponit cum vicarii generalis titulo, attributo ei Gaſpare Schombergio [o] Nantolii comite, cum ampliſſimis mandatis; quae in ſenatu, audito et poſtulante cognitore regio, recitata ſunt X Kalendas Junias: ac poſtridie in viam ſe dat, et ſexto poſt die [p] Auguſtobonam Tricaſſium venit, armatuſque publica laetitia urbem ingreſſus eſt. Jam Bironus cum L circiter a Divionenſibus admiſſus fuerat, qui, ne utriuſque partis praeda fierent, antea veriti, diu de eo introducendo deliberaverant. Tandem in extremas anguſtias redacti accepta fide copias ejus acceperunt, quae a praeda temperaverunt. Earum adventu repreſſi hoſtes; et Tavanius vicecomes ad [q] Talandam, quae eſt arx primo ab urbe lapide, ſe recepit; reliqui milites intra arcem urbis ſe contraxere.

INTERPR. [a] *le Chaſteau.* [b] *le Sr de St Chriſtophle.* [c] *de Lure.* [d] *la Franche Comté.* [e] *d'Auſſonville Sr de S. George.* [f] *le Sr de Tremblecourt.* [g] *Milan.* [h] *Vezou.* [i] *Beaune.* [k] *Dijon.* [l] *de Saulx.* [m] *Des Prez de Montpezat.* [n] *le Prince de Conti.* [o] *Nantueil.* [p] *Troyes.* [q] *Chateau de Talan.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

contraxere. Franciſcus [a] Boiotus Franceſius eam Meduanii nomioe tenebat; qui, capto Veſotio, brevi [b] Caſtellenſem auxilio venturum ſperans, ad defenſionem ſe parabat. Rex de re omni certior pridie Nonas Junias, qui in Dominicam incidebat, Divionem venit; et, cum intellexiſſet Caſtellenſem jam binos pontes in [c] Arari ſtraviſſe, alterum quo militem, alterum quo tormenta trajiceret, antequam de adventu ſuo cognoviſſet, occupandum ratus, poſt ordinatas in urbe ſtatiooes et muuitiones ad arcem exſtructas, quibus Odetum [d] Matignonum Thorignii comitem praefecit, ipſe cum Birono aliiſque belli ducibus, ac proceribus, qui plurimi cum eo venerant, aſſumptis CIↃ loricatis et IↃ equitibus ſcloppetariis, poſtridie [e] Luxium progreditur; atque inde [f] Aſſonvillam cum C equitibus praemittit, qui de hoſte cognoſceret. Miſerat et ad diverſos in limite; qoi cum varia referrent, diu ambiguum fuit quid facto opus eſſet. Tandem pronunciatum iter ad [g] Fontem-Francicum in limite pagum Franciſci [h] Cabotii Brionii patrimonialem, quo copiae omnes tertia a meridie hora convenirent; intra quod ſpatium ſpes erat, ut Aſſonvilla ad regem reverteretur, qui de rebus hoſtium eum certius edoceret. Ita inſtructa acie incedens, cum leucam a Fonte-Francico abeſſet, nuncius a Jacobo [i] Cabotio Mirabelli marchione Briooii filio venit, viſum hoſtem haod hinc longe; ipſum vero, CCC equitibus inſequentibus, vix recipieodl ſe in tutum ſpatium habuiſſe. Igitur miſſus Bironus cum Luxiana ala, qui certiora referret. Hoſtes cum toto exercitu ad [k] Senae-fanum conſederant; urgebatque Meduanius, ut Caſtellenſis Tavanio et Franceſio ad Divionem laboraotibus ſuccurreret. Caſtellenſis contra, [l] Comitatenſium tantum defendendorum cauſa veniſſe ſe dicens, nulla praeterea alia a rege ſuo mandata habere, ſe caſtris ſuis continebat, et Meduanium ludificabatur. Sed cum ſub id ad eum allatum eſſet, regiorum equitatum haud hinc procul viſum, Meduanius, qui tandem aliquo operae pretio Hiſpanos obligare cuperet, a Caſtellenſi impetrat, ut liceret [m] Villario, cum iis, quos penes ſe habebat, equitibus Gallis, regios, qui ad Fontem-Francicum conſpecti erant, adoriri, et Villario delectos e ſuis attribueret. Ille, eluſis toties Meduanii precibus, aliquid ei indulgendum ratus, aſſenſit; et [n] Rodericum Belinum cum V alis levis armaturae et totidem ſcloppetariorum equitum ei attribuit. His copiis firmatus Villarius iter ingreditur; obviumque [o] Luxium cum XX loricatis a Birono praemiſſum nactus, in eum X tantum loricatos emittit, ut eum facilius ad pugnam alliceret. In eo conflictu Luxio equus ſuffoſſus eſt: ipſe, ſauciatis utrinque aliquot, ad ſuos propere ſe recepit. Interjacebat collis, qui proſpectum utrinque impediebat. Progreſſus Villarius cum IↃ omnino equitibus, ubi collis faſtigium tenuit, regios in aciem inſtructos cernens, Hiſpanos, ut ſe ad pugnam pararent, hortatur; quam illi pertinaciter detrectarunt, contraria imperia cauſati; ſe tantum miſſos, ut cum praecurſoribus aut a caſtris longius excurrentibus, non autem ut cum univerſo exercitu hoſtili, confligerent. Villarius contra inſtare; decoris memores ſe reſpicerent, neque tam praeclaram pugnandi occaſionem omitterent; receptui citra pugnam non amplius locum ſupereſſe, quippe in hoſtium conſpectu; niſi turpiter cadere, quam honeſte vincere, ſatius ducant. His rationibus cum eos inflecti non poſſe animadverteret, ad Joan. Baptiſtam [p] Samſonem Mediolanenſem, ſtrenuum levis armaturae ducem, et ſibi ſumma neceſſitudine conjunctum, mittit, et pro jure amicitiae rogat, ut ſibi cum ſuis praeſto ſit; non heic de imperiis ducum, et ratione belli juxta leges agi; tantum orare, ne, certandi neceſſitate impoſita, amicum ac contubernalem deſerat. Accepto nuncio periculum amici non neglexit Samſon; ſed mox extra ordinem cum ſuis ad Villarium venit, continuoque ejus

rogatu

INTERPR. [a] *Boiot Franceſque.* [b] *de Velaſco conneſtable de Caſtille.* [c] *la Saone.* [d] *de Matignon comte de Thorigny.* [e] *Lux.* [f] *d'Aſſonville.* [g] *Fontaine Françoiſe.* [h] *de Chabot Brion.* [i] *de Chabot marquis de Mirebeau.* [k] *S. Seine.* [l] *ceux du Comté.* [m] *de Villars-Houdan.* [n] *Don Roderico Bellino.* [o] *le baron de Luz.* [p] *le capitaine Samſon.*

rogatu in agmen ad dextram poſitum, quo minor numerus apparebat, impreſſionem fecit. Villarius ipſe laevum, in quo Bironus erat, adortus eſt. Claſſico cani juſſo ſupervenere [a] Tiangius et Teniſſaeus cum XX loricatis, livore ſive aemulatione ſtimulati, et gloriae Villarii participare cupientes: petitoque equis ad recipiendum ſpiritum, ſuis ad colligendas vireis, ſpatio, cum interim claſſicum cani juſſiſſet Villarius cum C omnino equitibus ſigna infert; et Aſſonvilla, qui in latus incumbebat, diſturbato, poſt obſtinatum certamen, Birono in capite fauciato, regios cum damno fundit: ipſe, accepto ſcloppeti in brachio ictu, ſe ſenſim ſervatis ordinibus ad [b] Senac-fanum recepit. Diverſum Samſonis fatum fuit; qui in agmen, in quo rex cum Claudio [c] Tremollio, Joanne [d] Vivono Piſanii marchione, Joachimo Dintevilla, Antonio [e] Rupilaureo, Joachimo [f] Caſtro-vetere, Franciſco [g] Pleſſio Liencurio, Franciſco [h] Grangeo Montignio, Joanne [i] Levio Mirapicenſi, Franciſco Juvenali [k] Urſino Trenellii marchione erat, cum C circiter equitibus invectus, poſt acre item certamen ipſe interfectus eſt, XXX amplius ex ſuis deſideratis, ceteris in fugam verſis. Rex cum paucis, jam ſolutis inter pugnandum ordinibus, ſuperſtites ex Samſonianis, alioſque, qui detrectata pugna pedem referebant, ad lucum uſque vicinum inſecutus eſt, ubi peditatus hoſtilis conſederat. Sparſi mox huc illuc ad eum venere Carolus [l] Arvernorum comes, Ludovicus [m] Hoſpitalius Vitrius, regia levis armaturae ala, Henricus Huraltus Cevernii comes, [n] Oſius eques Villarii maris praefecti frater, Carolus [o] Scarſius Aquenſis et [p] Crequius Riſſaeus cum ſuis, et levis armaturae [q] Caeſaris [α] nothi, Caroli Lotharingi Ellebovii alis; quas rex, colle et loco, in quo pugnatum fuit, potitus, ad [r] Fontem-Francicum pernoctare juſſit: ipſe Luxium ſub noctem reverſus eſt. Hujus pugnae, caſu potius ac temere, quam conſilio, utrinque conſertae, major fama quam ſucceſſus fuit; victoriamque ſibi pars utraque arrogavit, et ſimul ſummo ſe periculo defunctam reputavit. Nam rex, datis ad ſenatum Pariſienſem literis, quarto poſt die de victoria gratulatus eſt, laudata [s] Mirabelli marchionis et Gilberti [t] Curei praecipue virtute: et ſecundum haec ſupplicationes a ſenatu decretae ſunt, magna pompa a cunctis ordinibus celebratae. Alteris literis ad Catharinam ſororem pridie Kalendas Julias ſcriptis, Grammontani praeterea comitis et Auguſti [t] Thermi virtutem commendat; et parum abfuiſſe dicit, quin eam heredem reliquerit. [u] Caſtellenſis autem, cognito ex captivis regem adeſſe, et pugnae interfuiſſe, nequicquam contra pertendente Meduanio ut [v] Divione laborantibus ſubveniret, poſtridie ſumma trepidatione vaſa conclamari jubet, et [w] Graium retro cedit, munitis firmiore loco caſtris. Ab oppido excluſi Franci tanquam ſuſpecti, multique ex iis graviter vulnerati, ope humana deſtituti, ruſticorum ludibrio et regio militi ad injuriam expoſiti ſunt; a quo humanitate longe majore, et a rege ipſo, quam a ſuis, accepti ſunt: nam rex tubicinem ad viſendum [x] Villarium ex vulnere decumbentem miſit, et cum eo chirurgum, ſecuritate etiam oblata, ſi ad curandum vulnus ad tempus in aliquem regiae ditionis locum concedere cuperet.

V. MEDUANIUS de Divione deſperans, cum praeter [y] Cabillonium in tota Burgundia nihil reliqui pro perfugio haberet, quo ſi ſe includeret, obſidionis periculum ſubire cogeretur, quid ageret anxius, [z] Sommarivam in [a] Subalpinam provinciam ſecedere primo decreverat; inde ad Philippum miſſurus, qui ſibi ad ipſum venturo

VAR. LECT. [α] nothi, quem ex Gabrielide Eſtraea ſuſceperat, Caroli *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *les barons de Tiange, & de Teniſſay.* [b] *S. Seine.* [c] *de la Tremoille.* [d] *de Vivone marquis de Piſany.* [e] *de Roquelaure.* [f] *de Chaſteau-vieux.* [g] *du Pleſſis Liancourt.* [h] *de la Grange Sr de Montigny.* [i] *de Levis de Mirepoix.* [k] *des Urſins marquis de Trainel.* [l] *Auvergne.* [m] *de l'Hoſpital baron de Vitry.* [n] *le chevalier d'Oyſe.* [o] *d'Eſcars Sr d'Aix.* [p] *de Crequy Sr de Ricey.* [q] *la compagnie de Ceſar (depuis duc) de Vendoſme.* [r] *Fontaine-Françoiſe.* [s] *Mirebeau.* [t] *de la Curée.* [t] *le baron de Thermes.* [u] *le conneſtable de Caſtille.* [v] *Dijon.* [w] *Grey.* [x] *de Villars Houdan.* [y] *Chalons.* [z] *Sommerive.* [a] *Piedmont.*

venturo caveri peteret, ut ſe a calumniis ac ſuſpicionibus ab ejus miniſtris perperam conceptis purgaret, et, quo in ſtatu per illorum culpam foederatorum res eſſent, coram certius majeſtatem ſuam edoceret. Rex, quem minime haec latebant, viri cognatione ſibi conjuncti, et fortunae ludibrio jactati, vicem miſeratus, per [a] Roncerolium ad ſe [b] Ligneracum patrem, qui cum illo erat, mitti petiit; et, per eum Meduanio monito, ne fallacibus Hiſpanorum promiſſis amplius ſe in poſterum ineſcari pateretur, reconciliationis denuo ſpem facit: interim, quouſque de conditionibus conveniret, licere ipſi ut Cabillonium concedat, fide data, ut nec in itinere impedimentum ei detur, nec in urbe obſideatur. Hoc nuncio per Ligneracum recreatus Meduanius a Caſtellenſi commeatum petit; et, ſpecie ſuis Divione obſeſſis ſuccurrendi, quo ille venire recuſabat, cum iis, quas exiguas habebat, copiis, a caſtris Hiſpanorum diſceſſit, et Cabillonium, ſicuti convenerat, conceſſit; ubi per delegatos de conditionibus tandem tranſactum eſt. Paulo poſt Franceſius a Meduanio monitus, cum nulla auxilii ſpes eſſet, arcem dedidit IV Kalendas Julias. Rex Divionis potens, Philippo [c] Huralto Cevernio cancellario ceteriſque ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus evocatis, mox ſenatum, primo [d] Flaviniacum, dein [e] Semurium tranſlatum, revocat; et, ſancita praeteritorum oblivione, in loco majorum jus dicere in poſterum juſſit. Tum exacti ſocietatis Jeſuiticae ſacerdotes, et juxta ſenatuſconſultum toto regno exterminati.

VI. Heic libellus ſupplex regi in conſiſtorio ſedenti, a [f] Diana Franciſci Momorantii vidua, Henrico Momorantio, Carolo [g] Valeſio Arvernorum comite, Henrico Turrio Bullionio, Carolo Momorantio Damvilla, Claudio Tremollio, Carolo Coſſaco Briſſaco, Joanne Levio Mirapicenſi, Juſto Ludovico Turnonio, agnatis et cognatis Carlotae Catharinae Tremolliae, Henrici Borbonii Condaei ante octo annos ad [h] Fanum Joannis Engeriaci in Santonibus defuncti viduae, [1] ſubſcriptus; quo de morte repentina ac violenta ipſius Condaei, quae in varios praeterea veneni rumores incurrit, quaedam praefati, ſuſpiciones tum in pleroſque e domeſticis, tum in ipſam Carlotam Catharinam uxorem, recidiſſe aiebant; ob idque a delegatis judicibus nullam legitimam poteſtatem habentibus, ſuggeſtione quorundam male animatorum, probationes confectas, et ſententiam in quoſdam atque ipſam Carlotam Catharinam latam, quae, quod tunc illa praegnans eſſet, et poſtquam Henricum Borbonium Condaeum feliciſſimo partu enixa eſt, juſſu regis ipſius, qui pro tempore in Proteſtanteis ſummum imperium exercebat, ſuſpenſa eſt, neque executioni huc uſque demandata: interim ipſam juxta decretum in cuſtodia cum filio manſiſſe; quod tempus opperiendum duceret, dum rex, rebus in regno ordinatis, ipſi purgandi ſe apud legitimos judices copiam faceret: nunc, cum rex delati legitima ſucceſſione regni potens ſit, et urbem metropolim in poteſtate habeat, in qua ſenatus, qui de cauſa regii ſanguinis principum et patriciorum cognoſcit, ac lege regni jus dicit, tempeſtivum ac officii ſui duxiſſe, pro agnata et cognata chariſſima, quam a tanto crimine innocentem credunt, et, ſi contrarium probetur, ad diriſſimam poenam pro tam deteſtando paricidio depoſcant, apud majeſtatem ſuam deprecari, ut cauſam integram ad judices legitimos remittat, qui probationes jam confectas examinent, et, ſi aequum videatur, eas irritas pronuncient, novas conficiant, et, citatis iis quorum intererit, jus aequabile inter partes dicant: interea libertati reſtituatur, cautione data, intra tempus a majeſtate ſua praeſcriptum in jure ſe ſiſtendi; pro qua ipſi ſe vadeis offerebant. Libello a Petro [i] Forgeto Fraxineo uno ex quatuorviris a ſecretis epiſtolis aſcriptum, placere regi, ut cauſa ad ſenatum Pariſienſem remittatur; in quo ſe Tremollia intra quadrimeſtre

INTERPR. [a] *de Roncherolles.* [b] *de Lignerac.* [c] *Hurault de Chiverny.* [d] *Flavigny.* [e] *Semur.* [f] *Madame d'Engoulesme.* [g] *de Valois comte d'Auvergne, H. de la Tour duc de Bouillon, C. de Montmorency Sr de Damville, Cl. de la Tremoille, de Coſſ. comte de Briſſac, J. de Levis de Mirepoix, & Juſt Louis Sr de Tournon.* [h] *S. Jean d'Angely en Saintonge.* [i] *Forget Sr de Freſnes.*

NOT. [1] ſubſcriptus, *ſupple* porrigitur;

quadrimeſtre ſiſtere teneatur; et, quando agnati cognatique ejus, qui libello ſubſcripſerunt, pro ea vadimonium conſtituerunt, interim libertati a Joanne [a] Rupibellocurio Sanmemmio Fani Joannis praefecto reſtituatur. Secundum haec miſſus in Santones Joannes [b] Vivonus Piſanii marchio, a nobis toties honorifice memoratus, vir, ut generis ſplendore clarus, ſic antiquae virtutis Francicae pro exemplo nobilitati datus, Condaei pueritiae moderator a rege deſtinatus, qui filium matremque a Sanmemmio traditos in aulam adduceret.

VII. POSTRIDIE quam libellus porrectus eſt, Henricus Momorantius Annae [c] equitum magiſtri filius, qui paternae dignitatis, quae apud nos omnium ſuprema eſt, diploma ante biennium, dum rex [d] Vernonii eſſet, VI Eidus Decembreis acceperat, [e] Divione ſacramentum regi dixit, magna principum et procerum corona. Poſtea diploma in ſenatu recitatum fuit XI Kalendas Decembreis; et Antonius Arnaldus publice Momorantium laudavit, a fide, quod conſtanter ipſe majoreſque ejus erga reges obſequium coluiſſent; dein a nobilitate, repetita ejus a primis illis Franciae terrae regulis origine, quorum in expeditionibus bellicis inſigne elogium erat, [f] DEUS PRINCIPEM CHRISTIANUM, ET PRINCIPEM TERRAE FRANCIAE REGULUM, ADJUVET. Tum praecipua familiae illuſtris decora enumeravit; [g] Eberardum Momorantii regulum, qui primariam inregno auctoritatem tenuit, Hugone rege, eique in imperio in ſua familia confirmando jam tum operam egregiam navavit. Ab eo recta ſerie prognatum Matthaeum, hac eadem magiſtri equitum primaria dignitate ornatum, qui Annam Lavallae illuſtriſſimae domus heredem in matrimonio habuit; ex quo alter filius prognatus gentile familiae illius nomen accepit, viciſſim ſuae illatis in eam inſignibus: nam et hodie Lavallos regulos ab eo prognatos inſignia Momorantiae gentis praeferre. Ex ea familia Margaritam [h] Roanam Franciſci I aviam deſcendiſſe. Gualterum autem alterum Matthaei filium tantae auctoritatis et probitatis opinione Ludovici Craſſi temporibus fuiſſe, ut rex ipſe et [i] Theobaldus Bleſarum et Carnutum comes de univerſo controverſo jure in eum compromiſerint. Ejus filium [k] Bochardum, familia illuſtri ſemper ſe in majus extollente, [l] Laurentiam comitis Hannoniae filiam, et Eliſabethae, quae Philippo Auguſto nupſit, materteram, in uxorem duxiſſe. Matthaeum II, Bochardi et Laurentiae illius filium, in collegium equitum Stellae cooptatum; et poſtea eandem primariam magiſtri equitum dignitatem meruiſſe: illi victoriam adeo famoſam ad [m] Bovinas a Franciis anno CIϽ CCXIV partam certa annalium fide deberi, qua Philippus Othonem IV Caeſarem vicit, et de tota veluti Germania triumphavit, captis a Matthaeo in eo proelio XVI vexillis. Philippum vero, ut tantae virtutis illuſtre in illuſtriſſima alioqui gente extaret monumentum, cum prius IV aquilas Momorantii in inſignibus geſtarent, numerum ad XVI auxiſſe. Cum poſtea de Salica lege in regni ſucceſſione primum quaeſtio moveri coepiſſet, Philippum [n] Valeſium cauſae ſuae acerrimum defenſorem habuiſſe Carolum Momorantium; quem et propterea tribunum equitum creavit. Eum vero ad extremam ſenectutem vixiſſe, ob egregiam fidem et virtutem bellis periculoſiſſimis navatam ſemper regibus percharum; adeo ut illum Carolus V, ſapiens a noſtris cognominatus, dignum judicaverit, qui filium natu grandiorem in ſacro lavacro ſuſciperet. Cumulatae et [o] Monfortiorum ac Drocenſium, a quibus [p] Britanniae Celticae principes prognati ſunt, adfinitates; et Annae, ante XXVIII annos

Sandionyſiano

INTERPR. [a] *de la Rochebeaucour Sr de Ste Memme gouverneur de S. Jean d'Augely.* [b] *de Vivone marquis de Piſany.* [c] *Conneſtable.* [d] *Vernon.* [e] *Dijon.* [f] *Dieu aide au premier Chreſtien & premier baron de France.* [g] *Ebrart baron de Montmorency.* [h] *de Rohan.* [i] *Thibaud comte de Blois, & de Chartres.* [k] *Bouchard.* [l] *la comteſſe d'Haiuaut.* [m] *Bouvines.* [n] *de Valois.* [o] *de Montfort, & Dreux.* [p] *Bretagne.*

[a] Sandionyſiano proelio in ipſa victoria occiſi, laureae, qui tot grandia in ſe a regibus collata beneficia et honores virtute et meritis ſuperaverit. Poſtremo addita et Henrici ipſius egregia facta, et in cauſa regni tuenda conſtans et infracta adverſus tot bellorum procellas perſeverantia; qua meruerit, ut a fortiſſimo et aequiſſimo meritorum cujuſque aeſtimatore ſuprema dignitate, quaſi gentilitio jure debita, ſit ornatus.

VIII. REX interim, rebus [b] Divione et in provincia conſtitutis, dum de conditionibus cum Meduanio [c] Cabillonii quieſcente agitur, in Sequanos rurſus, inſtigantibus Aſſonvilla et Tremblacurio, excurrit; et, inſtructa ſub oculos [d] Caſtellenſis, qui [e] Graii haerebat, acie, eum crebris aſſultibus laceſſit: acciditque IV Eid. Julii, ut paene de ſumma rerum certaretur. Equitatus hoſtilis infra caſtra ſua ad pagum in [f] Araris ripa ab ea parte vadoſi hoſpitium habebat, vadumque ſervabant circiter C ſcloppetarii Hiſpani; qui, conſpicati in adverſa ripa manum loricatorum cum IƆ ſcloppetariis equitibus ad ſe venientem, repetita diſploſione tranſitum eorum aliquanto tempore remorati ſunt. Cum eis vires et pulvis ac pilae deficerent, poſtremo ad peditatum, qui longius inde aberat, Graium verſus ſe recipere coacti ſunt. Inter peditatum et equitatum rivulus jacebat, ponte ſtrato, qui ab hoſte ſervabatur, tranſmittendus. Diſceſſu hoſtium noſtri audaciores redditi incumbunt, ſuperatoque vado obviam primam hoſtilis equitatus aciem, quam Hercules Gonzaga ducebat, cominus ſcloppetis diſploſis ſolvunt, et in fugam conjiciunt; tanto impetu, ut Gonzaga ante ſuos pugnans, et nunc ad hos nunc ad illos diſcurrens, precibus miniſque fruſtra admiſtis, nunquam ſolutos ordines reſtituere potuerit. Palanteis cum colligere tentaret Ludovicus [g] Melzius eques, qui in ſecunda acie erat, itidem fruſtra fuit: nam illi fugientes integris immiſti eos pariter ſolvunt funduntque, quos noſtri ad pontem uſque inſecuti, cum pauci per pontem anguſtum elaberentur, plures per medium rivulum praecipitantes in alteram ripam evaderent, multos ex iis in tranſitu interceperunt. Alfonſus [h] Idiacus, Joannis, qui a ſecretis epiſtolis Philippo erat, filius, et poſt [i] Vaſtii marchionis obitum levi armaturae Mediolanenſi praepoſitus, a Renato [k] Viutio Chanlivotio viro ſtrenuo, eum in foſſam equo ſuccumbente leviter ictus cecidiſſet, captus eſt; nec non et Caeſar [l] Marinus cataphractorum alae dux, aliique. Idiacus poſtea perhumane a Chanlivotio habitus, et XX CIƆ aureorum pretium pactus, interventu Joannis Baptiſtae [m] Savarolii Faventini, libertati reſtitutus eſt; cum Angli et Batavi pretium longe majus offerrent, rati, ſi Idiaeum ob patris gratiam Philippo percharum in poteſtate haberent, fore, ut captivos ſuos, quos ullo pretio liberare Hiſpani recuſabant, facilius redimerent. Praedis et excurſionibus, et in pecunia ac commeatu ad alendum militem ex municipiis et oppidis infirmis exigendo, reliquus menſis ac ſequens inutiliter conſumptus; tanto terrore [n] Veſontinis injecto, ut ſe grandi pecunia a periculo redemerint; graſſante interim per utrumque exercitum lue contagioſa, qua plerique viri clari abſumpti ſunt, et in iis ex noſtris Odetus Matignonus Thorignii comes, magnae ſpei adoleſcens, et prudentia ac fortitudine ſupra aetatem inſignis. In hoſtium caſtris morbis perierunt Gonzaga eques, et Alexander Caracciolus. Tandem rege [o] Lugdunum concedente, cum Helvetii intercederent, et foedus antiquum inter [p] Heduos et Sequanos, ut neutri haberentur, urgerent, noſtri, qui adhuc [q] Salinatorium oppidum, ſalinarum ſcaturiginibus, unde illi nomen, nobile, tenebant, locum poſtremo pridie Eidus Octobreis dediderunt.

IX. TANTUM temporis inter haec effluxit, ut maximum longe damnum res noſtrae in limite Belgico ea occaſione per regis abſentiam acciperent; de quibus nunc ordine

INTERPR. [a] *de S. Denis.* [b] *Dijon.* [c] *Chalons.* [d] *le Conneſtable de Caſtille.* [e] *Gray.* [f] *la Saone.* [g] *il cavalier Melzi.* [h] *de Idiaquez.* [i] *del Guaſto.* [k] *de Vienſt de Chanlivaut.* [l] *Marino.* [m] *Severoli de Faenza.* [n] *ceux de Beſançon.* [o] *Lyon.* [p] *ceux de Bourgogne, & de la Franche Comté.* [q] *Lion le Saunier.*

ordine diccmus, altius repetita narratione; cui et res Belgicas, ut rebus noſtris hoc anno conjunctiſſimas, miſcebimus. Initio anni foederati Ordines, ut Moſae tranſitum tranſmittendo in Lucemburgicum agrum militi, juxta pacta cum rege nuper inita, liberum haberent, de loco in eo tractu capiendo conſilium ceperunt; et, quia Leodicenſis ditio neutris partibus addicta habebatur, ideoque in ea ſecurius a provincialibus agebatur, licet in occulto Erneſtus [a] Baioarus epiſcopus Philippicis faveret, et Ordinibus foederatis, quantum citra apertam hoſtilis animi demonſtrationem licebat, incommodaret, commodum viſum, ut [b] Hoium tentaretur. Id in [c] Condruſis ad Moſam poſitum loco amoeniſſimo inter Namurcum et Leodicum, olim elegans et populo frequens; ſed cum Caroli ducis Burgundiae temporibus rebellaſſet, ab eo poſt longam obſidionem captum, multum priſtini nitoris et amplitudinis amiſit. Medium interluit Moſa ponte lapideo ſtratus: in dextra ripa mons praealtus urbi imminet, in eoque arx regali ſtructura aſſurgit, in quam epiſcopi aliquando divertunt, ab Everardo [d] Marciano epiſcopo et cardinali inſtaurata. Loci aſtu intercipiendi negotium datum Carolo [e] Heraugerio, qui ante biennium Bredam in [f] Atuaticis ex inſidiis ceperat. Igitur pridie Kalendas Februarias cum XII peditum ſignis et XIV equitum centuriis in viam ſe dat, et ſub noctem accedens vicinis locis ſuos abdit; tantum XXX delectos praemittit, qui, quia in urbem ingreſſus Ordinibus, ut et regiis, patebat, admiſſi ſunt, et ad cujuſdam oppidani conſcii aedeis diverterunt. Ab iis ad rupem, in qua arx erat exiguo praeſidio firmata, facili aſcenſu enixi, per ſcalas paratas et funeis in ſummum evaſerunt, commoditatem opperientes, dum portae ad pulſum tintinnabuli, quo ad ſacrum audiendum praeſidiarii invitabantur, mane aperirentur. Pulſato tintinnabulo, cum illi exirent, XXX delecti ſtrictis gladiis improviſi adſunt; ſtatimque occupata porta, et ſtatione oppreſſa, arce potiuntur. Tum ſigno, ut juſſi erant, dato, cum fruſtra oppidani ad arma conclamarent, Heraugerius ex inſidiis prodit, et intra oppidum admitti petit: quod illi, qui capta arce nullam in defenſione ſpem ſuperare cernerent, pejus veriti, certis conditionibus fecerunt. Id, quod praeter exſpectationem accidiſſet, indigniſſime tulit epiſcopus; et fidem Ordinum appellans, miſſis [g] Hagam legatis, de injuria acerbiſſime expoſtulavit. Illi contra utcunque factum excuſabant, quod non oppidum occupatum eſſet ut illud in perpetuum retinerent, ſed tantum ut eo ad tempus ſecuritatis ſuae cauſa uterentur, cum belli metus ceſſaſſet, deinceps reſtituturi: id licuiſſe Philippicis, qui [h] Bergam ad Rhenum et Bonnam Colonienſis ditionis oppida, epiſcopo minime fremente, hodie occupant. Sed replicabant legati, longe diverſam eſſe rationem Hoii, et illorum locorum, quae ſanguine et ſumptibus Philippicorum recepta ſunt: nam ea, donec de ſumptibus plene ſit ſatisfactum, non injuſte ab Hiſpanis retineri; at Hoium, cum ſuae ſpontis eſſet, neutriſque partibus ſerviret, citra perfidiam et pactorum violationem occupari non potuiſſe. Cum tamen Ordines commodum aliud reſponſum non haberent, tandem re infecta diſceditur; et epiſcopus, implorata Philippicorum ope, res ad obſidionem neceſſarias parat. Interea praeſidiarii ab Heraugerio impoſiti, dum ſub [i] Monmedii portas excurrerent, quadrigas aliquot mercibus Italicis ac ſerico opere onuſtas obvias habuerunt; quas direptas inter ſe diſtribuerunt. Sed poſt deſignatum praeſidium, dum per Atuaticos facto itinere juxta [k] Thenas tranſeunt, a Ladiſlao [l] Schetto Grobbendonko loci praefecto caeſi fugatique ſunt, multis captis, pluribus occiſis et praeda exutis.

X. SUB id Erneſtus Belgii praeſes febre ſubita correptus eſt, cum tanto horrore ac crebris convulſionibus, ut de vita ejus jam tum deſperaretur. Poſt bihorium cum paulum convaluiſſet, debilitatis tamen ab eo tempore viribus, lenta febre tentatus eſt; donec,

INTERPR. [a] *de Baviere evêque de Liege.* [b] *Hoey* al. *Huy au païs de Liege.* [c] *le païs de Namur, & de Liege.* [d] *de la March.* [e] *Heraugiere.* [f] *Brabant.* [g] *la Haye.* [h] *Rheinberg, & Bonn.* [i] *Montmedy.* [k] *Tillemont* al. *Thienen.* [l] *Schets Sr de Grobbendonck.*

CIϽ IϽ XCV.
HENRICUS IV.

donec, accepto de [a] Bullionii in Lucemburgico agro et [b] Aſſonvillae et Tremblacurii in [c] Sequanis impreſſionibus, contra quas praefecti provinciarum auxilia enixe petebant, morbus recruduit; ex quo tandem x Kal. Mart. deceſſit, cum aetatis XLI annum aliquot menſibus ac diebus ſuperaſſet: princeps moderati ingenii ac placidi, et in quo potius vitiorum defectus, quam ingenteis virtutes, admiratus eſſes. Arcano familiae Auſtriae, quae tantum adfinitates inter ſe colit, Belgio praepoſitus, et Infanti vir, atque adeo Franciae rex, a Philippo deſtinatus fuerat; ſi tam facile regnum patriis legibus fundatum, quam Hiſpani nova regna et imperia per otium quotidie ſomniantes ſibi perſuaſerant, in alienam familiam transferri potuiſſet: quae omnia cum morte ejus inopinata evanuerunt. Exequiae magna pompa Bruxellis celebratae. Paulo ante Ferdinandus, Caeſaris ipſiuſque Erneſti patruus, fere ſexagenarius vitam cum morte commutavit [d] Oeniponte, bellicae laudis famam bello Pannonico olim adeptus; qui ex Philippina Velſera, abſque patris conſenſu in uxorem ducta, Carolum [e] Burgovii marchionem, et Andream epiſcopum [f] Conſtantienſem, poſtea in collegium cardinalium cooptatum, ſuſtulit; ab Imperio et provinciarum ſuarum ordinibus ſucceſſione ipſius indignos habitos; [1] quippe ubi clandeſtina matrimonia pro contuberniis habentur, nullaque conjugiorum licet in eccleſia celebratorum religio reputatur, quibus pietatis paternae, aut eorum qui parentis loco ſunt, auctoritas non acceſſerit. Quod decretum ſe ſuperſtite factum tam aegre tulit, ut, Philippina forte mortua, Annam Catharinam Vincentii Mantuae ducis ſororem ac Helionorae ſororis filiam in [2] domum induxerit: verum ex ea tantum duas filias ſuſcepit; [3] nec proinde controverſiam Caeſari fratribuſque ejus, qui jam hereditatem ipſius deſtinatione inter ſe creverant, de ea facere potuit. Ante Erneſti mortem, comitis [g] Bellijoci, qui decoris nationis ſuae ſtudioſus Italos tamdiu tumultuare impatienter ferebat, et violenta Hiſpanorum ſuper his motibus conſilia verebatur, interventu, cum iis conventum eſt, his conditionibus: Ut, ſancita ante omnia praeteritorum venia, qui tempore tumultus aliquo munere functi eſſent, poſt acceptum magnum ſtipendium liberi dimitterentur; integrum ſtipendium militi perſolveretur; et, quouſque exſolutum eſſet, Franciſcus Padiglia obſes apud eos maneret, Tilemone pro receptu interim conceſſo: poſt addictam rurſus regi Catholico fidem, ſi quis propter tumultum quid probroſe militi objiceret, id capitale eſſet. Sed cum mortuo Erneſto promiſſum ſtipendium non repraeſentaretur a [h] Fontano, res non omnino exitum ſortita eſt. Fontanus tamen tenuit, ut [i] Marius Hoplomachus et Joannes Baptiſta [k] Rozza, qui nihilominus quotidie ad Mauritium, ut prius, commeabant, quaſi contra pacta facerent, a ſociis perduelles pronunciarentur.

XI. Is ſuperſtite Erneſto ſummae negotiorum Belgii a Philippo praepoſitus, ſublato eo protinus ſummum imperium armorum arripuit. Nam paulo ante Carolus Mansfeldius comes Hiſpanis gravis, et ob id, patiente Philippo, bello Pannoniae deſtinatus dux, petito ab Erneſto commeatu, et poſt ſalutatum patrem, in viam ſe dederat; Adolfo Schuartzenburgo comiti negotio dato, ut II CIϽ equitum Caeſaris nomine in [l] Menapiis et Eburonibus conſcriberet; et [m] Danſio ac Aſſicurio, ut ſinguli II CIϽ peditum; [n] Boualeto et Manſio, ut ſinguli CIϽ pedites legerent; qui fere [o] Belgae erant.

Igitur

INTERPR. [a] *le duc de Bouillon.* [b] *d'Aſſonville, & de Tremblecourt.* [c] *la Franche Comté.* [d] *Inſpruck.* [e] *Burgaw.* [f] *de Conſtance.* [g] *Belgioioſo.* [h] *le comte de Fuentes.* [i] *Mario Huomo d'arme.* [k] *Rozza.* [l] *pais de Cleves, & de Liege.* [m] *Danſy, & d'Aſſebicour.* [n] *les colonels Boualet, & Manſy.* [o] *Wallons.*

NOT. [1] *dele a* quippe ubi clandeſtina *uſque ad* ut Philippina forte *incluſive,* *lege* qua mortua *Put.*

[2] *lege* domum induxit, ex qua tantum duas filias ſuſcepit; nec *Put.*

[3] *dele* nec proinde controverſiam Caeſari fratribuſque ejus, qui jam hereditatem ipſius deſtinatione inter ſe creverant, de ea facere potuit. *Ces mêmes choſes ſont miſes plus amplement,* lib. 71. *Put.*

Igitur Fontanus, ab archiepiſcopo Colonienſi ſeptemviro antea ſolicitatus, ut in Hoio recipiendo mutuam operam ex foedere ſecreto navaret, ab ea expeditione praefecturae ſuae principium facere voluit, captata occaſione, cum eluvione aquarum cuncta late tenerentur; et cum IV CIↃ peditum et CIↃ equitibus ineunte Martio ad oppidum caſtra ponit. Archiepiſcopus viciſſim ex compacto in ulteriore ripa conſedit, cum CIↃ peditibus et IↃ equitibus. Valentinus [a] Pardeus Mota rei tormentariae praeerat. III Eid. Mart. captum ſcalis admotis oppidum, et L circiter in eo ex praeſidiariis occiſi; ceteri cum aliquot oppidanis in arcem confugerunt. Poſtridie XXVIII machinae a Mota ad arcem admotae; et, poſt violentam pulſationem turre ingenti dejecta, cum nuſquam auxiliareis comparere cernerent praeſidiarii, deditionem fecerunt, ſeptimo poſtquam obſideri coeperant die, his conditionibus: Ut milites cum armis et impedimentis vita ſalva dimitterentur; idem oppidanis liceret, exceptis aliquot, qui conſilio de capiendo oppido participaſſe dicebantur; qui archiepiſcopo traditi ſunt, ut de iis arbitrio ſuo ſtatueret. Fruſtra ſummiſſi a Naſſovio IↃCC auxiliares; qui, Bomelenſi inſula aquarum inundatione paene ſummerſa, et poſtea in Colonienſi dioeceſi ob eandem cauſam diu oberrantes, in tempore obſeſſis ſubvenire non potuerunt. Majores quam unquam antea ac ſupra fidem his locis inundationes fuere. Rhenus, Moſa, Moenus, Nicrus, Danubius, tam craſſa glacie per eam hyemem conſtricti ſunt, ut plauſtra onuſta ac quadrigas ferrent; qua reſoluta adeo intumuerunt, ut, perruptis aggeribus, obvias caſas, horrea, ſtabula, cum hominibus et gregibus ſecum traherent. Circa Coloniam, [b] Moguntiacum, et Francofurtum viſa cadavera, arbores avulſae, ſimulachra e ſacellis eruta, domorum contignationes, culcitae, ac hujuſmodi vilis ruſticorum ſupellex, ſupernatare. Qui vim ſubitam evaſerunt, ad altiores et firmiorea domos per ſcalas, plures ad montes et ſylvas parvos in ſinu natos ferentes perſugium habuere. Quidam, celocibus et ſcaphis tumultuario raptis, ſe vorticoſis vorticibus commiſerunt, et periculum majore periculo diſcuſſerunt. In [c] Ultrajectenſi dioeceſi praecipue diluvies graſſata eſt, ad [d] Rhenenſe oppidum, ubi Gringes antiqui populi habitaſſe creduntur: nam Rhenus ea parte aggerem [e] Gribba foſſa perrupta evertit, et ingentem aquarum vim in ſubjacenteis bituminoſos campos, ex quibus ceſpites ad cremandum effodiuntur, infudit; quae deinde anfractuoſa et ignota via cum horrendo impetu inter colleis, ſylvas, et ericeta, ad [f] Amerſfortium oppidum delatae, repagulo in moenibus reperto, per foſſas ſubjectas ſeſe dividentes obvias portaa cum cataractis diſjecerunt, pontes lapideos labefactarunt, et, quaſi urbs terrae motu quaſſaretur, cuncta ejus aedificia concuſſerunt: tandem in [g] Amiſum effuſae, proximo mari meridionali abſorptae ſunt. Circa [h] Norimbergam, Torgoviam, et vicina loca, pontes lapidei concuſſis fornicibus corruerunt. Francofurti item aqua ad integram ulnam altius excrevit, quam anno CIↃ IↃ LXXIII; omniaque penuaria, et multas mercatorum, ac praeſertim librariorum, officinas vaſtavit, merceſque in iis depoſitas corrupit. Moſella una nocte ad XXX pedum altitudinem, Rhenus ad XXXIX, excreviſſe dicitur. [i] Berenburgi item ad [k] Sabam in principatu Anhaltino magnum ab aquis damnum acceptum. Corrupta ingens annona, frumenti incredibilis vis; armentorum ac pecudum numerus magnus vorticoſa eluvione hauſtus; aedes plus LX funditus everſae. Homines, qui periculum evaſerunt, nam multi in eo oppreſſi ſunt, cum ad montes proximos trepidi confugiſſent, viatico ſecum minime aſportato, paene fame perierunt; ac vix, poſt aliquot dierum inediam, vicinorum pagorum humanitate refecti ſunt: duravitque haec inundatio a VII Kalendas Martias, quo coepit, ad VIII Eidus.

Capto

INTERPR. [a] *de Pardieu Sr de la Motte.* [b] *Mayence, & Francfort.* [c] *d'Utrecht.* [d] *Rhenen.* [e] *Grebbe.* [f] *Amersford.* [g] *Ems r.* [h] *Nuremberg, & Torgau.* [i] *Bernburg.* [k] *Saba.*

Capto [a] Hoio et arce [b] Fontanus ei Hiſpanos impoſuit; a quibus oppidani cum ultra modum vexarentur, crebroque apud archiepiſcopum expoſtularent, ipſe, non minus ab amicis quam ab hoſtibus ſe premi ſentiens, in aula Bruxellenſi tandem et ipſe expoſtulavit, et interventu Joannis Ricardoti impetravit, ut Hiſpanorum praeſidium aliqua pecunia depenſa ex arce deduceretur; cui Nicolaum [c] Grosbekium deceſſoris ſui epiſcopi gentilem, magno popularium levamento, impoſuit. Haud multo poſt, dum Itali adhuc ſtipendium exſpectantes ſe Tilemone continent, Germani eorum exemplo Bruxellis tumultuare coeperunt, capto ipſorum tribuno; vixque interventu et auctoritate Roderici Silvae Paſtranae ducis, qui nuper cum filio ex Hiſpania venerat, placati ſunt. Inde miſſus a Fontano Marcus Ria Varamboni marchio cum IV CIↃ peditum et CIↃ equitibus, ut in limitem noſtrum [d] Atrebatibus vicinum excurreret. Viciſſim noſtri, duce Henrico [e] Aureliano Longovillano Picardiae praeſide, cum majore numero in Atrebates excurrentes, injurias acceptas non ſolum ulti ſunt, ſed novas intulerunt; [f] Avenis Comitatenſibus, ſic vulgo appellantur ad diſtinctionem [g] Avenarum Hannoniae, crudeliter direptis. Id accidit XIII Kalendas Aprileis. Nec his ſucceſſibus diu ſuperfuit Longovillanus, miſerabili caſu [h] Durlanii extinctus, cum feſta ſalutatione a praeſidiariis exciperetur, ictu ſcloppeti in cervice accepto; ex quo exeunte Aprili ibidem deceſſit, relicto ex Catharina Gonzaga Ludovici Nivernii filia uxore Henrico filiolo. Franciſco [i] Aureliano Fani Pauli comiti Picardiae praefectura a rege commiſſa eſt; quam adminiſtraturus eſſet, donec fratris defuncti filius [α] adoleviſſet.

XII. SUB id, cujus partis rogatu ſive inveſtigatu incertum, nam alteri in alteros id rejiciunt, ne primi pacem petiiſſe videantur, inſtitutum inter regios et Ordines colloquium. Hiſpani Ordines eo adductos aiunt, quod durae admodum conditiones a Gallis et Anglis ad bellum cum Philippo continuandum dicerentur, nimirum ut omni Batavis Zelandiſque cum Hiſpanis commercio interdiceretur. Sed locus, et ratio colloquii, contrarium evincit. Theodorus [k] Liesfeltius olim Brabantiae ſub Franciſco [l] Alençonio cancellarius, Otho [m] Hartius, Maſius, [n] Mildeburgum miſſi, cum Mauritio, [o] Valkio quaeſtore, et [p] Aoelſio conſiliario, principium actioni fecere pridie Nonas Aprileis: ſacri ordinis ac nobilitatis regi adhuc ſubditae ſe nomine veniſſe, ut de pacis conciliandae rationibus cum adverſa parte agerent; ac laetari, quod eandem mentem Deus utriſque immiſerit, et ipſi concordiam ſibi adeo neceſſariam longo belli tam damnoſi experimento didicerint. Heic Mauritius, viciſſim ſe ex animo gaudere reſpondit, quod concordiae ſarciendae occaſio ſe tandem obtulerit: ſed foederatis Ordinibus certum eſſe cum ordinibus Provinciarum, non cum rege Hiſpaniarum, agere, quem ante omnia ab hac actione excluſum volunt; quippe quem ita contra ſe exacerbatum ſciant, ut injuriae, quomodo ipſe interpretatur, illatae memoriam nunquam ſit depoſiturus; ac multo minus ſupplicibus parciturus, ſed omnem vindictae occaſionem quaeſiturus: huic animi ſui propoſito convenientiſſimam eſſe theologorum, quos penes ſe habet, ſententiam, haereticis fidem non eſſe ſervandam. Cum regii non alia ſe mandata habere dicerent, quam ut de pace inter regem ac ſubditos ſuos ex una parte et foederatos ex altera agerent, ne colloquium omnino abrumperetur, cum tota controverſia in eo verteretur, utrum rex in contractum veniret, an omnino

VAR. LECT. [α] adoleviſſet. Mortem ejus non ita graviter tuliſſe rex putatur, quod illum factioni Tertianae ab initio nomen dediſſe, et, poſt cardinalis Borbonii ultimi mortem, partes in regno fovere, ipſi perſuaſum eſſet; et beneficio Dei accidiſſe laetabatur, ut et ſuſpecti hominis moleſtia liberatus eſſet, et Sanpauli fratris longe diverſo ingenio viri, cui plurimum fidebat, in eadem praefectura conſtituti acceſſione firmatus. Sub id, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Huy.* [b] *le Comte de Fuentes.* [c] *de Groesbeck.* [d] *Artois.* [e] *d'Orleans duc de Longueville.* [f] *Avesnes-le-Comte.* [g] *Avesnes-le-sec en Hainaut.* [h] *Dourlans.* [i] *d'Orleans comte de S. Paul gouverneur de Picardie.* [k] *Liesfeldt.* [l] *le duc d'Alençon,* [m] *Hartius, & Maes.* [n] *Middelburg.* [o] *Valk.* [p] *Aoels.*

omnino excluderetur, conventum, ut tunc tantum ageretur de loco ac tempore, quo rurſus ad pacis rationes ineundas ad colloquium redirent. Sed additum a Mauritio, ante omnia in eo convenire oportere, ut Hiſpani et alii exteri omnino Belgio ablegentur. Perſcriptae et aliae conditiones, quae regiis delegatis a Mauritio traditae ſunt. Ita utrinque, haud alia re geſta, diſceſſum. Nec deerant etiam ex regiis, qui pacis ſtudio Ordinum conditiones accipiendas cenſerent, praeſertim urgente omnium rerum caritate ac provinciarum ſumma miſeria, et popularium aſſiduis querimoniis, nec regiorum ſatis firmis ad cogendos foederatos Ordines viribus. Nam regios undique, hinc ab Anglis, inde a Gallis, bello peti: niſi conditiones accipiantur, metuendum eſſe, ne Ordines neceſſitate cogente cum aliis principibus foedera ineant, ita ut amplius ſperatae reconciliationi locus non ſit. Ordines ita ſibi perſuadere, abunde ſibi virium ad bellum continuandum, plus quam Hiſpanis, ſuppetere: nam et claſſe potentiores eſſe, cum hoſtes in mari neque naveis neque nautas neque portus habeant, quibus navigationem ipſis impediant. Praeterea de locis, quae tenent, ſine ullo praeſidio ac belli ſumptu ſecuros eſſe; nec ullum militem niſi in locis finitimis habere. Itaque plus pace quam bello ſuas res labefactari, ut verendum ſit, ſi haec occaſio praetereatur, ne poſthac fruſtra rejectae ſemel conditiones repetantur. Cum hoc tranquillitati publicae dent, aliquid viciſſim a rege condonandum: nec vero metuendum illi eſſe, ne ordines nobileſque ei obſequentiſſimi, quique tot mala hactenus perpeſſi ſunt, ut ejus auctoritatem tuerentur, quidquam in praejudicium ipſius faciant. Igitur liberum illis relinquendum, ut proprio nomine cum Ordinibus foederatis actionem inſtituant. Non eſſe controverſias inter eos tam arduas: nam nec foederatos ab iis exigere principis mutationem aut religionis, ſicuti nec ipſi religionis cauſa cogi vellent. Proinde regi conducibile futurum, ſi de pace citra regiam auctoritatem cum iis agatur; nam multa in diſceptationem ventura, quibus Philippus, propter pontificis et ſanctae ſedis reverentiam, ſe implicare nolit; et expedire ipſi, quicquid religionis cauſa ſtatuetur, ut potius Ordinum conſenſu, quam interpoſita regis auctoritate, conſtitutum intelligatur: et certiſſimum eſſe, foederatos majus in Ordinum adverſae partis fide, quam in regis, quem ultorem metuunt, promiſſis momentum poſituros; quippe cum nihil tale de Ordinibus ſuſpicentur, quos potius in communi cauſa ad tranquillitatem conſervandam partes ſuas interpoſituros ſperent. Pace facta non ſolum unitarum provinciarum vireis multum debilitari, ſed hoc commodum ſequi, ut foederatorum interventu Galli et Angli amicitia perpetua devinciantur; qui hoc bello nihil aliud quaerunt, quam ſuorum regnorum ab Hiſpana potentia ſecuritatem, et, ablegatis e Belgio Hiſpanis, nullam belli praeterea gerendi juſtam cauſam habeant. Has rationes, quae ſalutem Provinciarum et totius Chriſtiani orbis publicam utilitatem ſpectent, adverſus auctoritatem regiam, cui praejudicium excluſo ejus nomine fieri contra objicitur, vincere debere. Articulis autem a foederatis de dimittendo externo milite datis ſatisfieri commode poſſe; cum ipſe Fontanus ſe obſidem obtulerit, donec promiſſa ac ex conſenſu partium tranſacta capita omnino adimpleta fuerint. Alii, qui plus regis dignitati quam paci tribuebant, contra diſſerebant; Foederatos et juris et honeſti ratione obligari, ut cum legitimo ac naturali principe reconciliationem petant; qui, licet exaſperatus ac gravi injuria affectus, ſe nihilominus aequabili cum illis jure decidere paratum oſtendat. Igitur ſuarum eſſe partium, ut regi ſupplices fiant, ac demiſſe petant, ut in tali negotio, in quo ſua res praecipue agitur, auctoritatem quoque ſuam interponat: nam, rege excluſo, Ordines poteſtatem non habere de pace agendi; alioqui ipſis liberum arbitrium relinqui belli perſequendi, aut, cum volent, ſine regis conſenſu deponendi. Neque vero foederatos rebellione ſua promeritos, ut rex in eorum gratiam ſe tali ignominia afficiat; neque aequum eſſe,

ut illi principi ſuo legem imponant, et praetextu diffidentiae, cui Sectaria pravitate ſua cauſam dederunt, in illorum poteſtate ſit, cum Ordinibus excluſo rege pacis rationes inire, et, regi jure ſuo erepto, illud ſibi ad tuendam ſuam teterrimam rebellionem tribuere. Non poſſe ab actione regem excludi, niſi et ſimul omni ſe jure, quod in his provinciis legitima ſucceſſione habet, abdicare, et indignum majoribus ſuis fateri, cogatur. Id, ſtante Imperio, quod alias potentiſſimum poſſidet, neque facturum Philippum, neque aequum aut juſtum eſſe ut faciat. Ita diſceſſum; ac, ne deſperationis cauſa miſerae plebi lachrimis ac precibus ubique coelum ac homines obteſtanti daretur, non tam diſſolutum omnino colloquium, quam in commodius tempus dilatum, quo delegati majore dignitate et cum amplioribus mandatis utrinque convenirent. Philippus, ut foederatos de ſua clementia bene ſperare in poſterum juberet, et reconciliationem, de qua agebatur, ſinceram fore, inſigni aliquo beneficio fidem faceret, Batavicas cunctas naveis et Zelandicas in litoribus Hiſpaniae, dum claſſis ex America, atque adeo Havana Cubae inſulae portu, multo auro onuſta appuliſſet, et in uſum portandi militis, ſi opus fuiſſet, retentas, [a] Oliſſiponae, miſſo Ludovico Guſmano Medinae Sidoniae duce, liberas dimiſit; idque facere regem Alberti cardinalis Luſitaniae tunc proregis rogatu navarchis ſignificavit, quem propediem vicarii generalis titulo in Belgium miſſurus eſſet. Interim ab foederatis de colloquii exitu per Laevinum [b] Calvartium ſuum in Gallia [1] oratorem, et per [c] Natalem Caronium Schonevallium Eliſabethae Anglorum reginae, ſignificatum; tum per alios legatos ad Caeſarem et Imperii principes et ordines miſſos eodem officio defuncti ſunt, et invidiam non ſecutae pacis in Hiſpanos et eorum in Belgio fautores rejecerunt. Quae dum fiunt, in Batavia, quaſi in alta pace, feſtis nuptialibus ac haſtiludiis perſtrepebant omnia: nam ſub id Maria, Gulielmi Arauſionenſis ex Anna Egmondana [d] Burana ſuſcepta, a Mauritio fratre conſanguineo Phil. Hohenloi comiti, de ſe ac Ordinibus foederatis optime merito, elocata eſt. Nuptiae magna procerum Germaniae frequentia ac pompa in arce Burana, quae in [e] Betavia Geldriae inſula ad [f] Lingam fluvium ſita eſt, VII Eid. Febr. celebratae; et magnis muneribus ab Ordinibus provinciarum unitarum munerata Maria, quam patris, fratris, ac mariti merita commendabant. Menſe inſequenti et in Batavia [g] Delfis celebratae ſunt nuptiae inter Georgium Ebrardum Solmenſem comitem, cujus egregia itidem exſtabant erga Ordines merita, [h] Hulſti in Pleumoſiis praefectum, et Mauritii in Zelandia vicarium, et Sabinam Egmondanam, Amorathis ſive Lamoralli ante XXVIII annos Bruxellis ab [i] Albano morte affecti, et [k] Sabinae Baioarae Friderici ſeptemviri ſororis, filiam; quam pariter Ordines ampliſſimis muneribus honeſtaverunt.

XIII. INTEREA [l] Fontanus, de [m] Cameraco obſidendo jamdudum cogitans, cuncta ad tantam expeditionem neceſſaria parabat; quam et ſumme difficilem providebat, niſi a Chriſtiano [n] Savignio Roneo, qui magni caſtrorum praefecti munere in ejus exercitu fungebatur, monitus eſſet, fore, ut, cum oppidani arcta ſe obſidione cinctos viderent, odio Balagnii urbem, in qua, illo in arce ſua ſervanda occupato, viribus praepollebant, tradituri eſſent; jamque cum quibuſdam egiſſe, qui operam ſuam ſpondebant, ſpemque faciebant, cum res eo adductae eſſent, officio minime ſe ſuo defuturos. Itaque primum vaſtatus circum ager: tum vicina Gallicae ditionis loca occupari placuit. A [o] Caſtello factum initium, munitione ab Henrico II ſtructa ex adverſo caſtri [p] Cameracenſis a Carolo V ſtructi, forma quadrata et IV propugnaculis firmato, cum foſſa ſine aqua, neque ita profunda. Ei praeerat Franciſcus [q] Dampetra Lieramontius ex nobilitate provinciali, vir fortis, et bellis ſuperioribus expertus,

INTERPR. [a] *Lisbonne.* [b] *le Sr de Calvart.* [c] *Noel de Caron Sr de Schoonevalle.* [d] *de Buren.* [e] *le Betuwe.* [f] *Linghe r.* [g] *Delft.* [h] *Hulſt en Flandre.* [i] *le duc d'Albe.* [k] *Sabine de Baviere.* [l] *le comte de Fuentes.* [m] *Cambray:* [n] *de Savigny Sr de Roſne mareſchal de camp.* [o] *le Caſtelet.* [p] *Chateau Cambreſis.* [q] *de Dampierre Sr de Lieramont.*

NOT. [1] oratorem *ſupple* regi.

expertus, ceterum ex vulneribus multum debilitato corpore; et cccc praeſidiarios ↄIↃ Iↄ XCV.
in ea habebat. XIII Kalendas Julias caſtra ad Caſtellum poſita. Dum vallum ducitur HENRICUS IV.
caſus incidit, qui Fontani conatus aliquantulum retardavit. Bullionius, Sanpaulo in limite praeſto eſſe juſſus, relicto Campaniae limite aliquot ante dies [a] Fanum-Quintini venerat, ut de belli gerendi ratione in commune cum Sanpaulo ipſo et Carolo [b] Humerio ejus legato ac provinciae primario regulo conſultaret.

XIV. IBI cognoſcit ex Humerio, Ronaeum, [c] Hanae in poteſtate habendae cupidum, inſigni fraude Ludovico [d] Moio Gomeroni ejus praefecto illuſiſſe: nam cum illac nuper iter haberet, et III ↄIↃ peditum et IV tormenta ſecum traheret, [e] Faram, quae V abhinc leucis abeſt, novo ſupplemento firmaturus, homini avaritia caeco perſuaſiſſe, ſi praeſidium a Fontano acciperet, fore, ut opimas conditiones ab eo ferret, et de praeteritis ſtipendiis plene ipſi ſatisfieret. Quod cum Gomeroni ſumme arrideret, eadem facilitate eum induxiſſe, ut ſecum Bruxellas proficiſceretur, cum Fontano de conditionibus coram acturus; adductis ſecum duobus fratribus, quos datae fidei obſides in ejus comitatu relicturus eſſet. Ita cum Ronaeo Bruxellas profectum, relicta in arce matre et [f] Orvillerio, cujus ille ſororem in matrimonio habebat, poſteaque a Fontano retentum eſſe; miſſo interim ad matrem ejus Orvilleriumque [g] Fria, eum mandatis immanitatis Hiſpanae plenis, niſi praeſidium X Hiſpanarum cohortium duce [h] Olmeda intrà arcem acciperet, fore, ut in lance trium filiorum capita ad ipſam perferenda curet. Ad haec autem Friae verba cum miſera parens exhorruiſſet, et poſt lachrimas pro filiorum ſalute mulctam deprecata eſſet, Orvillerium, qui preces Gallorum apud Hiſpanos nihil proficere videret, dignum viro conſilium cepiſſe, et cum [i] Damio Roiae praefecto cognatione ſecum conjuncto egiſſe de conditionibus, quibus arcem ſervare, et captos in oppido Hiſpanorum duces, obſides vitae Gomeronis et fratrum ejus futuros, in poteſtate habere poſſet. Addebat Humerius Damium rem ad ſe ſedulo retuliſſe, et affirmare, Orvillerium bona fide agere; idque ſibi a [k] Vitermontio Humerio gentili ſuo, qui in Hanae arce captivus tenetur, confirmari. Eam occaſionem minime praetermittendam cenſuerunt belli duces, ad limitis noſtri ſecuritatem pertinere rati, ſi Hanam in poteſtate haberent: nam, jam occupata ab hoſte Fara et Capella, ſi Hanam praeterea retineant, ad [l] Cameracum intercludi aditum, quo tendere hoſtem undique afferebatur. Jam [m] Fontanus in itinere erat, Hanam [n] Caſtellumve peteret, incertum relinquens, cum Sanpaulus, qui Veromanduae erat, copias citra flumen reducit, et ad [o] Flavium eas juſſit divertere; et diem condicit ad XII Kalendas Julias, Humerio, [p] Cauniae comiti, Theobaldo [q] Mallio, Emmanueli [r] Dallio Piquinio Ambianorum vicedomino, Timoleonti [s] Guſerio Thoſio, Lanoio Boſſerio, Eſtrumelio Survillae, Eſtrumelio [t] Plinvillae, Mainio, Inſulano Marivallio, Fr. [u] Blancardo Cluſello Novioduni praefecto, aliiſque. Humerius cum Lamoralli [w] Ecmondani, qui bellum regis auſpiciis in limite gerebat, et [x] Longovalli Araucuriae legionibus venit. Heic re in concilio rurſus agitata magnae difficultates occurrebant, expeditioni ꝗemoram allaturae, niſi ex ſucceſſu ſperata utilitas eas ſuperaſſet: dubia Orvillerii fides, de qua non niſi amicorum, qui in regis caſtris erant, teſtimonio ac fide conſtabat: hoſtis viribus praepotens in propinquo, ſuis ad primam famam praeſto futurus: validae in oppido hoſtium copiae; impeditus ac periculoſus inter arcem ad illos

INTERPR. [a] *S. Quintin.* [b] *d'Humieres.* [c] *Han.* [d] *de Mouy Sr de Gomeron.* [e] *la Fere.* [f] *le Sr d'Orvilliers.* [g] *de Frias.* [h] *le capitaine Olmeda.* [i] *Damy commandant à Roye.* [k] *de Vitermont d'Humieres.* [l] *Cambray.* [m] *le comte de Fuentes.* [n] *le Caſtelet.* [o] *Flavy le Marteau.* [p] *Chaulne.* [q] *de Mailly.* [r] *de Dailly Sr de Piquigny vidame d'Amiens.* [s] *de Gouffier Sr de Thois, de Lanoy Sr de la Boiſſiere, d'Eſtourmel Sr de Surville.* [t] *de Plainville, de Meigneux, & de l'Iſle Marivaux.* [u] *de Blanchard Sr du Cluſeau gouverneur de Noyon.* [w] *d'Egmond.* [x] *de Longueval Sr de Haraucourt.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

illos acceſſus; nam convenerat, ut Orvillerius tantum ex regiis VIII ſibi cognatione conjunctos intra arcem admitteret, qui viderent quid in ea ageretur, et an bona fide Orvillerius in negotio verſaretur; ex quibus duo ad Sanpaulum, Bullionium, et Humerium referrent, ad eos ex arce ultro citroque commeantes. Acceſſus autem per propugnaculum portae arcis oppoſitum regiis copiis dabatur, reſerata oppidi porta jampridem obſtructa, ex qua in foſſam deſcendendum erat per ſcalas XX pedes altas; et inde ſecundum arcis murum anguſto calle inter ſtagnum ſubjectum et foſſam arcis, ac per fornicatam viam in imo labro foſſae exterioris ad prohibendum in foſſam ingreſſum excavatam,* incedendum: unde rurſus ad aliud propugnaculum perveniebatur, ex adverſo alterius portae arcis, quae oppidum ſpectat, poſitum, in quo pons ſublicius erat, ad excipiendos auxiliareis demittendus. Et citra magnum certamen rem non ſucceſſuram apparebat: nam ex quo Gomero ab Hiſpanis ſtipendium acceperat, validas copias in oppidum introduxerat. In iis erant IↃ CC Neapolitani ex legione Ferdinandi [a] Lofredi Treviei marchionis, quos [b] Ciccus Sangrius, Marcellus et Baltazar Caraccioli fratres, Alexander [c] Brancatius, et Marcellus Judex ducebant; CC Belgae, CXX Hiſpani, et CCCC Germani pedites: qui Orvillerii fraudem ſubodorati, et a Friderico [d] Rotundo Neapolitano [e] Gomeronis equitio praepoſito, qui in arce erat, moniti, inſolitos in ea apparatus fieri, dolia viminea nova ſtrui, tormenta loco moveri, ac contra oppidum dirigi, crebris nunciis Fontanum de re omni certiorem faciebant; ac ſubinde Orvillerium indignabunde rogabant, quid tam crebro amici ejus ex regiis caſtris in arcem venirent. Cum ille ſe excuſaret, et viciſſim a regiis tam propinquis ſibi metuere fingeret, ob idque ſe intra arcem ad defenſionem pararet, inſuper addebat, ut ſuſpicionem omnem purgaret, ſi minus verbis fiderent, licere ipſis ut quos velint intra arcem mittant, qui quid in ea agatur ad eos referant. Et initio accepta conditio; et primo miſſus a Sangrio [f] Martanus, Ferdinandus Ninſa, centuriones; dein M. Antonius Patignanus. Mox curioſitas explorandi, ut ſuperflua, omiſſa: nam, ſi a fide data recedere velit Orvillerius, retineri ab eo poſſe qui mittebantur. Itaque omne in defenſione praeſidium reponere decreverunt, et in auxiliis, quae repetitis nunciis a Fontano poſtulabant. Interim res ſuas, ſi ſequior caſus incideret, ſic ordinaverant. [g] IV munitiones ex doliis duxerant; primam a porta Noviodunenſi ad arcis plateam; ſecundam ad viam anguſtam, quae majoris vici murum interjacet, apertis pleriſque hortorum ſepimentis et per granaria diſpoſitis ſuis, ex quibus in praeſidiarios ex arce comparenteis et in ſuas munitiones deſpectus erat; tertiam in quadrivio majoris vici, quae ad [h] Caunienſem portam pertinebat; ac poſtremam inter eandem portam et majorem vicum: ac delectorum manum in turre S. Martini collocaverant. Hora condicta profunda jam nocte profecti, [i] Survilla, Plinvilla, Damius, Mallius, Richeburgius, Orvillerii amici et cognati, cum L ſcloppetariis praecedunt; quos Marinus ordinum ductor cum C ſequebatur, et eum rurſus CC delecti ex Picardica et Ecmondana legione: ultimum agmen ducebat Humerius cum C equitibus. Ingredientibus noſtris inſpector datus. [k] Sanpaulus et Bullionius pone ſequebantur cum ſuis et [l] Seſſevallii, Boquinvillae, Vezillii, Longovalli Provillae alis, ac ſtipatoribus ſuis. Ad noſocomium cum in ſpeculatores longius emiſſos incidiſſent, ad arma primum in oppido conclamatum, et aliquot ſcloppetorum ictus ab hoſte diſploſi; in eoque primo conflictu Aſcanius [m] Scampurrus ſtrenuus ordinum ductor ex hoſtibus occubuit: quos contraria tormentorum ex arce

diſploſione

INTERPR. [a] *Loffredo marquis de Trivico.* [b] *Cicco di Sangre.* [c] *Brancaccio, & Marcello del Giudice.* [d] *Rotondo.* [e] *Cavallerizzo di Gomeron.* [f] *Martano.* [g] *firent quatre barricades.* [h] *Porte de Chauny.* [i] *de Surville, de Plainville, Damy, de Mailly, & de Richebourg.* [k] *le Comte de S. Paul, & le duc de Bouillon.* [l] *de Seſſeval, de Bouquinville, de Vazilly, & de Longueval Sr de Preville.* [m] *Scampurro.*

diſploſione reſalutavit Orvillerius; quod animos noſtris fecit, de Orvillerii fide jam ſecuris. Plinvilla primus in arcem ingreſſus, cum omnia in arce optime inſtructa renunciaſſet, et mox Humerius et Franciſcus [a] Avertonus Belinius poſt Plinvillam itidem ingreſſi idem affirmarent, et ſuos per deſignatam viam citra damnum introductos viderent, Sanpaulus et Bullionius ulterius procedunt; et, cum nullus diffidentiae locus ſupereſſe videretur, ipſe Bullionius ultro arcem ingreſſus eſt, ut ad fortuitos caſus cuncta in ea inſtrueret. A media nocte, qua noſtrl ingreſſi ſunt, ad auroram nihil actum. Ut primum illuxit, in re peragenda novae difficultates incurrerunt; cum nec propugnaculum, ad quod noſtri venerant, cccc milites caperet; et munitiones hoſtium ita inſtructae viderentur, ut, ſi per anguſtam propugnaculi portam noſtri eruptionem facerent, per adverſam plateam admodum ſpatioſam tranſeuntes, ad ictus adverſos et ex domibus per latus directos undique exponerentur, et, antequam ad manus cum hoſtibus veniſſent, multum damni acciperent, militum, qui in primis ordinibus pugnant, robore extincto. Cluſellus huic incommodo remedium ex ingenio repetit, notato in via fornicata, per quam venerant, foramine olim inchoato, quo dilato milites tecti trans exterius foſſae labrum emitti et in aciem inſtrui poterant. Plinvilla primus cum Marino et cc per foramen exivit: eos loricati, quos Bullionius et Humerius adduxerant, et Sanpauli et ipſorum Bullionii et Humerii ſtipatores ſecuti ſunt. Mox ſub horam quintam matutinam, nam citius fornix aperiri et milites educi non poterant, Seſſevallius cum reliquis copiis ad expeditionem deſtinatus advenit: et, inſtante Bullionio, ſummiſſi a Sanpaulo c loricati; Cluſelliani, qui ccc erant; alii ccc ſcloppetarii, [b] Cruceio, qui nuper ex [c] Armorica ab Aumontio dimiſſus venerat, [d] Locideo, et Villetone ducibus; ita ut ſimul omnes CIↃ IↃ pedites et cc loricatos efficerent. Tum de ratione impreſſionis faciendae inter duces actum; et placuit ut tripartito agmine hoſtis peteretur. Contra munitionem, quae portam [e] Caunienſem ſpectabat, factus ad dextram a [f] Marino et Plinvilla cum c ſcloppetariis et xxx loricatis impetus. Ad laevam verſus [g] Noviodunenſem portam Cluſello datum negotium ut hoſtem adoriretur, attributa ei legione Picardica, et Cruceio cum ſuls. Per mediam viam ad majorem vicum, in quo robur hoſtium erat, tentati oppugnationem periculoſum viſum: tantum immiſſi hinc inde qui per vicos majorem cingenteis ſe a tergo inſinuarent, et per latus eos peterent. Bullionius cum [h] Humerio, Belinio, Boſſerio, Araucuria, Ambianorum vicedomino, Thoſio, in foſſae labro cum reliquis copiis ſtabat, ad omneis caſus intentus, et laborantibus ac feſſis ſubſidiarium ac recentem militem ſummiſſurus. Cum ordo, ita ex Bullionii conſilio compoſitus, Sanpaulo, qui extra oppidum cum robore exercitus eventum rei opperiebatur, placuiſſet, ante omnia ab Humerio ad [i] Sangrium miſſus tubicen, qui deditionem aequis conditionibus regis nomine imperaret, modo obſides idoneos darent, dum Gomero cum fratribus incolumis Bruxellis revertiſſet. Cum ad ea ſuperbe reſpondiſſet Sangrius, et paratos ſuos potius in veſtigio mori oſtenderet, quam quidquam fide quam Philippo debent et virtute ſua indignum facerent, pugnae initium ad dextram factum; ubi Baltazar Caracciolus cum cc ſariſſophoris noſtros non ſolum fortiter ſuſtinuit, ſed ſemel atque iterum cum damno repulit. Itaque ſubſidio a Bullionio miſſi Sanpauli et Humerii ſtipatores, quos [k] Dampetra et Baiencurius dneebant. [l] Cluſelli major ſucceſſus ad laevam fuit, ubi Ciccus rem gerebat, qui et graviter intet pugnandum ſauciatus eſt: nam, occupatis tribus hoſtium munitionibus, ad portam uſque Noviodunenſem ſuas protulerat: eum tamen jam medio die feſſum pugnando militem videret, a

Bullionio

INTERPR. [a] *d'Averton Sr de Belin.* [b] *le Sr de la Croix.* [c] *Bretagne.* [d] *de Lieudieu, & de Villeron.* [e] *Porte de Chauny.* [f] *de Marin.* [g] *Porte de Noyon.* [h] *d'Humieres, de la Boiſſiere, d'Haraucourt, le vidame d'Amiens, & le Sr de Thois.* [i] *Cicco di Sangre.* [k] *les Srs de Dampierre, & de Baiencourt.* [l] *Blanchard du Cluſeau.*

Bullionio ſtipatores ſuos impetravit ductore [a] Contio, qui certamen reſtituerunt. Jamque ſub meridiem pugna obſtinata noſtri Noviodunenſis portae uſum hoſti ademerant, cum, ſive ab hoſtibus, ſive a noſtris, quod illi ſcripſerunt, factum ſit initium, ignis ad laevam locis, in quibus pugnabatur, immiſſus, domos ex materia et luto acerato fere ſtructas facile invaſit, adverſoque vento glomeratus noſtrorum oculos afflavit, et retro pedem referre ad extremum coëgit: quod conſpicati alii, et fugam interpretati, protinus ſe receperunt.

XV. Jamque ad propugnaculum plerique acervatim ſe contraxerant, et trepidatio ubique cernebatur, cum Humerius ſine caſſide, ut expedirior eſſet, per ordines diſcurrens, et Noviodunenſi porta noſtros non ab hoſte ſed incendio domorum pulſos inclamans, accepto in capite ſcloppeti ictu ex turre [b] Sanmartiniana vibrato, ſternitur; majorque ex eo terror jam pavidis injectus. Bullionius ipſe ſumma in anguſtia verſabatur, ordines circumiens, et ſocios ad capeſſendam pugnam incitans, cum nutans victoria novo caſu ad noſtros poſtremo inclinavit; igne, qui poſt principium incendii factum a [c] Cruecio Bullionii juſſu immiſſus fuerat, per mediam hoſtium munitionem ad portam uſque [d] Caunienſem graſſante, et vento converſo oculos hoſtium, ut antea noſtrorum, afflante: a quo, et crebris nothae machinae, quam Bullionius ſecum adduxerat, ad eam partem directae, ictibus, infeſtati illi, cum fortiter huc uſque noſtros ab illa parte repuliſſent, locum tandem deſeruerunt; protinuſque Plinvilla et Marinus cum ſuis ad portam Caunienſem ruunt; et, ſuperveniente cum delecta manu Bullionio, qui duo agmina ad propugnaculum et in exteriore labro ad fortuita ſepoſuerat, juſſu ejus porta refracta eſt, ut per eam Sanpaulus cum toto exercitu acciperetur. Tum Bullionius ad ſuos redit, et, cognito hoſteis ad S. Sulpirii ſuburbium ſe recipere, aſſumptis illis, quae reliquerat, agminibus, valde numero imminutis, quod ex illis jam multi ad praedam dilapſi erant, in equo diſcurrens [e] Sanravium, Marinum, et Dampetram cum paucis offendit; qui, dum hoſtem recedentem inſequuntur, ad ccc ſe colligentium conſpectum numero impares ſubſtiterunt; moxque ſparſa fama, quaſi hoſtes denuo reſtitutis ordinibus ſe ad pugnam pararent, qui ad praedam ſoluti diſcurrebant, ad ſigna redeunt. Jamque Cluſellus, [f] Villerius, et Liervilla cum ſuis advenerant, cum hoſtes ſublatis ſariſſis deditionem facere ſe paratos oſtendunt. Verum milites, recenti Humerii morte exacerbati, cum Bullionius ſumma omnia faceret ut deditis parceretur, contineri non potuerunt, quin promiſcua caede in ſolutos ac deditos ſaevirent. IↃC circiter occiſi, et in iis Germanorum tribunus: Frias captus, et ex vulneribus ſub veſperam deceſſit. Is, ne vallum in oppido duceretur, auctor fuerat, quod vereretur, ne ſpe recipiendi ſe ad vallum miles in certamine minus animos obfirmaret; obſtinato autem certamine ſperabat, ut [g] Fontanus interim ſuis ſubveniret: et vero jam in itinere erat Fontanus, relicto ad [h] Caſtelli obſidionem Paſtranae duce, cum de capta Hana cognovit. Captus et Dominicus Bandinus Alexandri [i] Brancatii centurio, qui mox ex vulneribus pariter deceſſit. Superfuere capti Baltazar Caracciolus, [k] Sangrius, et Septimius [l] Fabius Romanus; Ferdinandus Ninſa tunc aeger, Marcellus Molina; Martius [m] Sclavetus, Scipio [n] Baronius, Martius [o] Nicolaius, [p] Hannibalius, [q] Martanus, Jo. Bapt. [r] Careſcianus; Olmeda item Hiſpanorum dux, et Belgarum tribunus: et ille ad Quintini-fanum, hic [s] Noviodunum, ſub cuſtodia ductus. Marcellus [t] Judex [v] Caunium miſſus: Sangrius, Caracciolus, Brancatius, Fabius, Ninſa, Orvillerio traditi, ut vades Gomeronis et fratrum ejus vitae eſſent. Cum de reliquis non traditis, ſicuti conventum aiebat,

INTERPR. [a] *le Comte.* [b] *Clocher de S. Martin.* [c] *le Sr de la Croix.* [d] *le Porte de Chauny.* [e] *de St Ravy, de Marin, & de Dampierre.* [f] *de Villiers, & de Lierville.* [g] *le comte de Fuentes.* [h] *le Caſtelet.* [i] *Brancaccio.* [k] *di Sangre.* [l] *di Fabii.* [m] *Schiavotto.* [n] *Barone.* [o] *Nicolai.* [p] *Anibelli.* [q] *Martano.* [r] *Careſciano.* [s] *Noyon.* [t] *del Giudice.* [v] *Chauny.*

aiebat, quereretur, et fidem [a] Humerii appellaret, reſponſum hoc a Bullionio tulit, neſcire quid ei Humerius promiſiſſet; ceterum ſe hoc ſcire, majoris molis negotium fuiſſe, quam ipſe ab initio pollicitus erat, majoremque in illius loci recuperatione jacturam amiſſo Humerio regem feciſſe, quam in tot hominum caede hoſtes paſſi ſint: itaque ſatis eſſe illi debere captivos, quos in arce habeat; et, quamvis invitus faciat ut in victoria injurioſus ſit, tamen ſic cenſere, pro tot periculis ſuperatis non poſſe negare militi oppidi tanto ſanguine empti direptionem. Itaque oppidum, Sanpaulo adſentiente, ad direptionem militi conceſſum eſt. Deſiderati ex noſtris praeter Humetium, [b] Maſurius [c] Survillae vicarius, [d] Baiencurius Humerii ſtipatorum praefectus, et Cruceius, dum immiſſo igne ad ſuos ſe recipit, et alii circiter XX e nobilitate, et C milites: graviter vulnerati [e] Dampetra ſtipatorum Sanpauli praefectus, [f] Liervilla legionis tribunus, [g] Arpajonus, Caumontius Chelandreus. Depulſis Hana Hiſpanis, et arce in fidem accepta, non ut in victoria feſtae voces et laeti gratantium vultus, ſed ut in luctu triſtis militum ac belli ducum facies moeſtumque ſilentium fuit, ob Humerii mortem; quem vivum ut fortiſſimum belli ducem coluerant, et mortuum tanquam chariſſimum parentem deflebant; et ex ejus morte maximas longe cladeis, et quales mox ſecutae ſunt, toti limiti importatum iri jam tum praeſagiebant. Neque in provincia tantum, cui, tanquam Sanpauli praeſidis legatus, praeerat, et in qua majores ejus ſemper antea principem locum tenuerant, ſed toto regno publica comploratio fuit. Sane conſtat ad rei nuncium regem perculſum illachrimaſſe, et poſt deterſos oculos voce ſummiſſa ſubjeciſſe, non tanti fuiſſe Hanam, ut ſummi ducis et optime de nomine Francico meriti viri ſanguine conſtare debuerit; Hanamque et multa ejuſmodi munita in limite loca, ſi optio detur a Numine, ſe contra Humerii vitam nihil aeſtimaturum. Praeter natalium ſplendorem, et ingenteis opes avitas, pareſque opibus animos, et in iis diſpenſandis privatum modum ſupergreſſam liberalitatem, erat in eo jucunda oris ſpecies et in vultu dignitas, ac morum ſuavitas cum rara ingenii elegantia conjuncta; quae non ſolum decus et auctoritatem conciliabant, ſed omneis in ejus amorem rapiebant.

XVI. ITAQUE Lutetiae, poſt veras omnium ordinum lachrimas, publica indignatio ſubiit contra Carolum Lotharingum Aumaliae ducem, qui ſe Picardiae praeſidem appellabat, totaque provincia expulſus ad bellum in ea gerendum Hiſpanos ſolicitare credebatur. Is ſiquidem, quanquam a rege honorificentiſſimis conditionibus ad reconciliationem invitatus, Francico nomine ejerato ad Fontani praetorium ſedere, et quotidie ante ſuperbi domini foreis, donec evigilaſſet, ſerviliter excubare, quam in patria cum dignitate vivere, et regi legitimo atque adeo cognato operam navare, maluerat. Igitur, poſtquam lachrimis indignatio et dolori ira ſucceſſit, cognitor regius publicis expoſtulationibus victus in ſenatum venit; et de Aumalio tanquam perduelli multa prolocutus, qui edictis et ſenatuſconſultis pro regni tranquillitate factis parere hactenus recuſaverit, et in rebellione perſeverans, conſilia, conjurationes, ac conſpirationes, jampridem cum Hiſpanis antiquis regni hoſtibus initas, nunc obſtinate perſequitur, Hana etiam nuper in eorum manus, quantum in ipſo fuit, tradita; ut a regno omnino divelleretur, niſi, adjuvante Numinis gratia, quae proceribus, nobilitati, ac belli ducibus pro patria certantibus, animos fecit, ipſorum, atque inprimis Humerii provinciae ſub Fani Pauli comite vicarii, ſanguine, ab Hiſpanorum invaſione aſſerta eſſet: has ob cauſas, ex officii neceſſitate, et ut Francici nominis ſtudioſorum votis ſatisfaciat, implorare ſe legum ſeveritatem adverſus Aumalium dixit;

ac

INTERPR. [a] *d'Humieres.* [b] *de Maſures.* [c] *de Surville.* [d] *de Baiencour.* [e] *de Dampierre.* [f] *de Lierville.* [g] *d'Arpajon, & de Chaumont Chelandre.*

CIϽ IϽ XCV.

HENRICUS IV.

ac petere, ut in eum, tanquam laeſae majeſtatis in primo capite reum, et edictorum ac ſenatuſconſultorum contemptorem, lege agatur. Aequum petere viſus cognitor regius; ſed, re in deliberationem deducta, quanquam nemo de poena ab eo promerita dubitaret, tamen ſententiis variatum fuit, an protinus de eo judicium ferretur, nec dignitatis ejus, hoc eſt, [a] patriciatus, ratio haberetur: nam paribus regni id juris, qua dignitate ille ornatus erat, ut non niſi aliis regni paribus citatis, et in ſenatu convocatis univerſae curiae claſſibus, cauſam dicere teneantur. Sed vicit tandem ea ſententia, quae eum propter manifeſtam et obſtinatam rebellionem omni jure ac privilegio, quod ei dignitatis illius ratione competebat, indignum cenſuit; et tanquam laeſae majeſtatis in primo capite reum, rebellem, ac perduellem, perturbatorem ac hoſtem quietis, tranquillitatis, ac ſecuritatis publicae, tanquam caput praecipuum et unum ex primariis conjurationis contra regem ac regnum initae auctoribus, morti addixit; decrevitque, ut crati impoſitus ex carcere ad plateam Portuenſem trahatur, illucque a quatuor equis diſcerpatur; membra ad primarias IV urbis portas deponantur, caput ſariſſae affixum in [b] Sandionyſianae portae faſtigio ſtatuatur; ſi ipſe comprehendi poſſit, ſin minus, effigies ejus ſupplicio ſiſtatur: inſuper decrevit, ut inſignia ejus perſonae peculiariter ſervientia, (hoc additum, ne illuſtriſſimae familiae per ſenatuſconſultum nota infamiae inureretur) ubicunque in domibus, arcibus, urbibus, reperirentur, nec non effigies in ejus honorem depictae, deleantur et inducantur; bona ejus in fiſcum redigantur omnia; beneficiaria, et a corona nullo medio domino nude dependentia, ei uniantur: filii ejus poſterique ignobiles, viles, infames, inteſtabiles, et indigni honoribus habeantur; eorundem bonis, ſi quae habeant, fiſco addictis: primaria ejus arx [c] Alnetenſis, ac praecipuum domicilium, omniaque ejus aedificia, a fundamentis diruantur; foſſae compleantur; neminique liceat in ejus ſolo deinceps ſuperſtruere; arbores ad ornatum ejus in circuitu ſatae, ad perpetuam tam deteſtandae rebellionis, perduellionis, ac conjurationis memoriam, mediae ſecentur; in area ejus columna erigatur cum lamina, in qua ſenatuſconſultum inſcribatur. Id, publico dolori ex morte Humerii concepto datum, pleriſque ſeverius et intempeſtivum viſum, cum in eo res eſſent ut rex cum Meduanio reconciliaretur; ideoque [d] Contius, qui Lutetiae cum ſummo armorum imperio relictus fuerat, auctore Gaſpare Schombergio [e] Nantolii comite, interceſſit; et ab Achille [f] Harlaeo primario praeſide facile impetravit, ut dum rex, qui tunc in [g] Sequanis erat, certior fieret, ſenatuſconſulti executio ſuſpenderetur. Quod ad aliquot dies tenuit; donec, recrudeſcente priſtina indignatione, quae poſt ſenatuſconſultum factum reſediſſe videbatur, Hieronymus [h] Angenutius ſenator vehemens, ſenatus dignitatem et regis cum ea majeſtatem violari cauſatus, ſi, quod publica auctoritate decretum eſſet, privatorum voluntate ſuſpendatur aut reſcindatur, in eo occulte Harlaeum ſugillans, tandem pervicit, inſtigantibus aliis, ut, non exſpectato regis reſponſo, ſenatuſconſultum executioni demandaretur. Igitur pridie Nonas Quintileis producta Aumalii effigies magno populi concurſu, rerum verſas vices mirantibus pleriſque, qui ſuperioribus annis Colinios, alioſque, dum Lotharingicae familiae proceres ſummam tenerent, ipſis inſtigantibus, ignominioſae morti addictos meminerant, et nunc pari poena illos affici in occulto laetabantur. Auxit admirationem, quod amplius anno etiam poſt Meduanium cum rege reconciliatum, membra ad portas depoſita et capitis effigies ad ſpectaculum proſtitit; neminique ex familia aut ejus clientibus, ipſiuſve Aumalii domeſticis, toto eo tempore ſolicitudo fuit, aut intercedere, aut eas effigies, ut fit, noctu revellere: quod, ſive metu, ſive ipſius Aumalii, qui etiam ſuis deſpectus eſſe coeperat, odio contigit, certe praepotentis nuper

INTERPR. [a] *duché & pairie.* [b] *la Porte S. Denis.* [c] *Aumale.* [d] *le prince de Conti.* [e] *Nanteuil.* [f] *de Harlay.* [g] *la Franche Comté.* [h] *Angenouſt conſeiller.*

nuper familiae gratiam erga plebem multum labefactavit, et apud pleroſque, qui amicitias proſperitate metiuntur,* in contemptum adduxit. [a] Orvillerius etiam prae aliis Humerii mortem luxit, in cujus fide magnam ad ea, quae promiſſa fuerant, obtinenda fiduciam habebat; et poſt pulſos Hiſpanos, de Gomerone aliiſque fratribus liberandis anxius, multum animi diſcruciabatur; quippe qui provideret [b] Fontanum caſu ſuorum irritatum omnia ſumma facturum, ut eorum mortem ulciſceretur. Sola in captivis ſpes ſuperabat, quorum periculo territum cum a poena de Gomerone, ſicuti minatus fuerat, ſumenda, ſaltem ad tempus, temperaturum apparebat. Sed ea ſpes mox inopinato caſu evanuit, Friderici Rotundi illius, de quo modo diximus, aſtu; qui, dum herum ſervare cupit, ei perniciem audacia ſua maturavit. Ferebat is indigne, ut poſtea patrato facinore jactavit, Orvillerium cum regiis tranſegiſſe, ſpreto ſororii et fratrum ejus periculo; et ſibi perſuaſerat, ſi captivis liberatis arcem in poteſtate haberet, fore, ut Fontanus Gomeronem et fratres ejus libertati reſtitueret. Quod, ſive eo conſilio fecit, ſive a Neapolitanis, qui in arce attinebantur, promiſſis corruptus, quod veriſimilius eſt, ſic executus eſt: cum [c] Sangrio vix ex vulneribus recreato re communicata, et armis clam ad eum, Baltazarem Caracciolum, Ferdinandum Ninfam, duos Sangrli domeſticos, et Hieronymum [d] Mattanum gregarium militem, comportatis, diem condicit, qua eos ſolveret, ut conjunctis ſecum viribus Orvillerium in arce ſecurum ſub prandii horam opprimerent, et, ſtatione infrequenti caeſa aut excluſa, arcem occuparent. Duos praeterea praeſidiarios ſibi conciliaverat, quibus, ut Gomeronem et fratres ejus liberaret, opus eſſe oſtendebat, ut arcem in poteſtate ad aliquot horas haberet: nam Orvillerium ejus retinendae cupidum illorum periculum negligere, et de ea tradenda cum Bullionio agere. His rationibus homines de praefecti ſui ſalute ſolicitos, et alioqui de conſilio Sangrium ſocioſque liberandi ignaros, facile in fraudem induxit, ut ſibi adeſſent. Contra multos pauci erant, atque omnino IX; et occupata arce eam diu retinere non poterant, praeſertim cum validum eſſet in oppido praeſidium, et Seſſevallius ad omneis caſus intentus ad primum ſtrepitum officio minime defuturus putaretur. Itaque auxiliareis acceſſi placuit, qui die et hora adeſſent, et ad diſploſi tormenti ſignum ante portam arcis in armis comparerent. Sangrius ea de re ad Alvarum Oſorium ſcribit, qui [e] Faram praeſidio tenebat, ut ſummo ſilentio cum equitatu veniret, et in proximis locis horam opperiens ſe contineret. Ita compoſito ordine [f] Rotundus, dum Orvillerius pro more cum amicis liberalius genio indulgeret, ſub meridiem ad ſtationem accedit: quam cum frequentiorem ſolito videret, famam artificioſe ſpargit, quaſi ſub id aliquot milites extremo ſupplicio in platea plectendi eſſent, quod ſacroſanctam Chriſti cruci affixi imaginem neſando ſacrilegio ſcloppetorum ictibus violaſſent. Id multos ex iis ad ſpectaculum traxit, de diſciplina militari ob non ſoluta ſtipendia minus ſolicitos. Itaque Rotundus in reliquos adducto ponte ſecuros audacter cum duobus conſciis invadit; quatuor ex illis ſternit; alios exarmat, et in loco firmo includit. Mox ex compacto Sangrius cum ſociis e latebris erumpens, obvio centurione interfecto, ad Orvillerii conclave pergit; qui, cum convivis et paucis qui ad illum ſe contraxerant, ad ſtrepitum in turreis proximas mature ſe receperat, defenſionem paraturus. Jamque illi arcis potentes diſcurrebant, ut ſignum Oſorio, quem venturum credebant, tormenti diſploſione darent. Sed cum ille nuſquam compareret, et jam praeſidiarii ad arcem accurrerent, alii cum crepitaculis, alii ſcalis admotis, Gomeronis matre interim inter Orvillerium et Sangrium ultro citroque commeante, tandem poſt trium horarum ſpatium conventum eſt, ut captivi liberi dimitterentur, eoſque Orvillerius

CIϽ IϽ XCV.
HENRICUS IV.

Faram

INTERPR. [a] *d'Orvilliers.* [b] *le comte de Fuentes.* [c] *di Sangre.* [d] *di Matta.* [e] *la Fere.* [f] *Rotonde.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

Faram in tutum deducendos curaret; Orvillerius autem nullum praeſidium niſi ex Gomeronis voluntate in arcem introduceret. Quod a Gomeronia matre, quae de filiorum ſalute cogitabat, contra regis dignitatem additum, aegerrime tulere praeſidiarii; quippe indignum eſſe, ut a captivo, qui in alterius poteſtate ſit, lex praeſidio regio dicatur. Itaque Plinvilla, ubi ſcriptum legit, concerpſit: Sangrio nihilominus, ſociiſque, ac Rotundo fides data ab Orvillerio ſervata eſt. At miſera parens, quae pactis filii ſtare imperioſe a [a] Fontano jubebatur, alioqui fore, ut, quae per [b] Friam nuper verbia interminatus fuerat, facto exſequeretur, cum amplius captivos in poteſtate non haberet, apud Orvillerium precibus, blanditiis, aſſiduia querimonlis inſtabat, ut ſui filiorumque miſereſceret, et tradita arce eos periculo eriperet. Ille contra, qui matri pro filiis exoranti negare durum, arcem tradere regi damnoſum, ſibi probroſum, exiſtimaret, in ſummis anguſtiis verſabatur; et, ut de tradenda Hiſpanis arce aſſentiretur, periculum ea in re maximum providebat, tam potenti praeſidio vicino, et [c] Bullionio, Seſſevallio, Plinvilla, aliiſque regiis ducibus, quid in arce ageretur, aſſidue inſpectantibus. Itaque quibus poterat rationibus ſe excuſabat, ſolabaturque matrem, et, tempus ut magis opportunum exſpectaret, hortabatur, quo dilapſis regiis viribus citra periculum res confici poſſet. Verum illa omnis morae impatiens, quae non tam voluntatem Orvillerio quam animos deeſſe crederet, ita ſibi perſuaſit, ſi Fontanua cum omni exercitu in conſpectum arcis veniret, periculoſum tradendae arcis conſilium, quod nunc videatur, Orvillerium, ut confectu facile, amplexurum; et precibua lachrimiſque ſuis id daturum, ne, turbato ordine naturae, praecipitatum ignominioſa morte tot filiorum finem in ea aetate aſpicere cogatur. Igitur inſcio Orvilerio per nuncios Fontano ſignificat, ſi cum exercitu veniat, fore, ut pacta a filio facta impleantur.

XVII. FONTANUS ad [d] Caſtellum haerebat, ad cujus obſidionem poſt deletum [e] Hanae praeſidium redierat. Loco pulſato tentata oppugnatio, quam noſtri fortiſſime ſuſtinuerunt, et cum damno hoſtem repulerunt: verum in vallo intus ducendo dum defenſores laborant, caſus intervenit, qui proſperos arridentia Fontano fortunae ſucceſſus maxime adjuvit, igne, unde incertum, in pulverem nitroſum immiſſo, quo res omnes ad defenſionem neceſſariae momento conſumptae ſunt. Itaque poſtridie colloquio petito praeſidiarii boneſtis conditionibua cum Fontano paciſcuntur, et arce tradita, cum armis, impedimentis, ad tympani pulſum et ſignis explicatis, exeunt. Ibi reficiendo militi cum aliquot dies inſumpſiſſet Fontanus, nuncium a Gomeronis matre accipit; ad quam ſubito reſcribit, et in tempore ſe adfuturum confirmat, ea conditione, ut, niſi arx tradatur, Gomero, fratreſque ipſiua, Orvillerii perfidiam capite luant. Ubi ergo venit, mater ad Orvillerii pedes proſtrata orat, fidem Gomeroni datam liberet; veniſſe tempua, quod ille exſpectandum monuerit; adeſſe tantas Hiſpanorum, tamque egregie inſtructas, vireis, ut arcem citra periculum tradi poſſe, quod unum verebatur, amplius dubitare non poſſit: tantum velit, neque praepoſtera procraſtinatione ſororio fratribuſque perniciem afferat, ſibi vero aeternam inſolabiliter lugendi materiam praebeat. Precibua lachrimas miſcebat ſupplex foemina; cum ad Fontani adventum Orvillerius aliquot inaneia tormentorum ictus diſplodi juſſit, incertum initio gratanti an hoſtili animo. Itaque Fontanus, id ſalutationis vice accipiens, propius accedit, producto Gomerone traditae arcis praemium laturo, aut pro repulſa ignominioſam mortem ſubituro. Inter miſericordiam et periculum anceps Orvillerius, cum ſe imparem capiendo ex tempore conſilio videret, monito prius Seſſevallio ut in arce vicem ſuam fungeretur, ſe clam ſubducit, et [f] Roiam futuri anxius concedit. At novus praefectus actutum infeſta diſploſione in caſtra hoſtilia fulminat;

INTERPR. [a] *le comte de Fuentes.* [b] *de Frias.* [c] *le duc de Bouillon, & les Srs de Seſſeval, & Plainville.* [d] *le Caſtelet.* [e] *Han.* [f] *Roye.*

fulminat; qua re indignatus Fontanus, quod praeter ſpem accidiſſet, in furialeis iras exarſit; nec, unde haec ſubita in arce mutatio ſecuta eſſet, ulteriore facta diſquiſitione, Gomeronem in conſpectu arcis ſecuri percuſſit, alios fratres [a] Antuerpiam in arce cuſtodiendos amandavit; ex qua poſtea cardinalis Alberti juſſu emiſſi ſunt, quippe qui iniquum judicaret, Hiſpanos majorem fidem ab Henoticis Francis exigere, quam reges eorum legitimi in ipſis experti eſſent, et poena Gomeronis ad Hiſpanorum ultionem abunde factum putaret. Is, nobiliſſima [b] Moiorum familia ortus, jam ab initio cum pleriſque gentilibus ſuis factioni ſe addixerat, et filium, qui inter nobileis pueros Guiſii domeſticos alebatur, obſidem fidei ſuae dederat. Interfecto autem in comitiis [c] Bloeſenſibus Guiſio, ubi ipſe erat, cum vix evaſiſſet, ultione contra regem ardens, et multa indigna de eo injurioſe blaterans, Lutetiam venit; pecuniaque ab Aumalio, qui tunc urbi praeerat, accepta, Hanam, quam tenebat, conceſſit; ubi paulo poſt, cum promiſſa a foederatis non repraeſentarentur, nec ex collationibus provinciae ordinariis rapacitas militum et ipſius avaritia expleri poſſet, ultro ab Hiſpanis accipere coepit ſtipendium: cujus fiducia Hiſpani, ne pecunia ipſis ſua periret, cum eo agunt, ut praeſidium Hiſpanorum acciperet, titulum praefecti in perpetuum retineret; viciſſim ab Hiſpanis XX CIↃ aureorum praeſenti pecunia dependerentur, et VIII CIↃ aureorum annua ei aſſignarentur, in iis putato Hanae annuo reditu. Hia conditionibus praeſidium in oppidum introductum fuerat; ſed cum arcem minime traderet, fraudemque Hiſpanorum ſentiens contraria fraude eos eludere cuperet, in arce cum Gallico praeſidio ſe continebat. Verum homo avaritia caecus, qui Hiſpanos decipere in animo habebat, a Ronaeo ſibi illudi turpiſſime paſſus eſt; qui ſpe pecuniae a Fontano accipiendae, quod ille certo futurum promiſerat, Bruxellas cum ipſo profectus, ſe in Hiſpanorum manus tradidit, dignumque multorum judicio perfidia ſua, imprudentia, et avaritia, praemium ab iis tulit. Fontanus inde circumductis per [d] Peronam copiis, [e] Cleriam, II leucis ab ea diſſitam, ad Somonam, Gallicae ditionis arcem, exiguo negotio cepit: quo loco Paſtranae dux, qui univerſo equitatui praeerat, ſubito morbo oppreſſus eſt; ex quo vix tandem paulo recreatus Bruxellas delatus eſt, ubi aliquot poſt menſibus deceſſit. Cleria praeſidio firmata [f] Braium promota hoſtium caſtra, in dextra Somonae ripa poſitum municipium; dum Bullionius alteram fluvii ripam legeret, conatus hoſtium obſervans.

XVIII. Tandem Fontanus de [g] Cameraco obſidendo certus, ut urbem intercepto undique commeatu arctius cingeret, [h] Durlanium expugnandum ſuſcepit. Quo cognito, Bullionius CCCC loricatos fere ex provinciae nobilitate, et IↃ CCC ſcloppetarios auxiliareis, immittit. Oppidum eſt ad [i] Altiliam ſitum loco munito, quod [k] Longovallus Araucurianus praeſidio tenebat, cum arce, cui Robertus [l] Halvinius Ronſoius praeerat. Principium obſidionis factum Eidibus Quintilibus; quo dum locum explorat Valentinus [m] Pardeus Mota, qui rei tormentariae cum ſummo imperio praeerat, et nuper [n] Ekebeki comitis titulo a Philippo ornatus fuerat, quanquam omni ex parte ſtudioſe tectus, ictu ſcloppeti in oculum dextrum directo interfectus eſt, cum annum aetatis LXV ſupergreſſus eſſet, magno ſui Hiſpanis deſiderio relicto. Is natione Gallus in Bellovacis natus, familia, ſicuti jactabat, nobili, ſed in tenui re, a patre, qui relicta patria operam ſuam Carolo V addixerat, in Belgium deductus, a puero externis auſpiciis militavit; et equitio primum Pontii [o] Lalanii Binicurii praefuit; dein legionis Joannis [p] Croii Rutii comitis centurio, infeſtis animis Proteſtanteis primis

INTERPR. [a] *Anvers.* [b] *de Mouy.* [c] *Eſtats de Blois.* [d] *Peronne.* [e] *Clery ſur Somme.* [f] *Bray.* [g] *Cambray.* [h] *Dourlans.* [i] *Authie r.* [k] *de Longueval Sr de Haraucourt.* [l] *de Hallwin Sr de Ronſoy.* [m] *de Pardieu Sr de la Motte.* [n] *Comte d'Eckelbeke.* [o] *de Lallain Sr de Binicour.* [p] *de Croy comte du Reux.*

CIƆ IƆ XCV. HENRICUS IV.

primis contra eos bellis perſecutus, poſtea [a]Creſſonerio [b]Gravelingae praefecto vicarii titulo operam navavit, et eo ad Harlemum interfecto io Gravelingae praefectura ſucceſſit; per omneis militiae gradus ſumma fortitudinis ac ſolertiae laude provectus. Cum vero Belgii proceres Ordinum generalium nomine pro patriae libertate unionem contraxiſſent, et ipſe ad tempus regias partes deſeruit, et Ordinibus militavit, quamvis a regiis partibus nunquam alienus; ad quas mox cum pleriſque ſe applicuit, et aliis ut Ordines desererent auctor fuit; magnis interim bonis partis, quae, illo ſine heredibus in Belgio decedente, incertis ſucceſſoribus ceſſerunt: nam ex conjugibus binis loco nobiliſſimo natis, quas habuit, nullos ſuperſtites liberos reliquit. Corpus [c]Rigiacum Atrebatum primo, dein [d]Audaemari-ſanum, delatum, poſtremo Gravelingae, cui jam XXII annos praeerat, ad S. [e]Wilibrordi in templi choro perhonorifice ſepultum eſt. Mota occiſo, inter belli duces conſultatum fuit, qua parte locus oppugnandus eſſet: nam alii non arcem, quae partem urbis claudebat, ſed diverſa parte oppidum ipſum petendum ſuadebant; his maxime rationibus, quod, ſi arcem oppido firmiorem adorirentur, providebant fore, ut Galli, convocatis undique praeſidiis vicinis, auxilio in tempore advenirent, et ipſos ab obſidione diſcedere cogerent: at debilius oppidum, antequam illi advenirent, interea capi poſſe; quo capto, arcem commodius omni ex parte cingi, et aditum ad auxiliareis introducendos etiam intercludi, poſſe. Contra alii diſputabant, oppidum non ita infirmum eſſe, ut antequam capi poſſit auxiliares non compareant; nam, quanquam propugnaculis non ita amplis firmatum eſſet, tamen et profundiſſima ac latiſſima foſſa aqua plena cinctum, vallo intra ducto, facile ad complureis dies a praeſidiariis, qui plerique e nobilitate ſunt, defendi poſſe: capto autem oppido arcem ſupereſſe, quae oppido immineat, et ex qua praeſidiarii infeſtam oppugnatoribus obſidionem facturi ſint; et opus eſſe, ſi oppidum prius petatur, ut vires per regiones dividantur, et ſubitae invaſionis periculo, ſi auxiliares ſuperveniant, exponantur; quod ſumme vitandum ſit, Bullionio tam vicino, quem II CIƆ peditum et IƆ equites penes ſe habere conſtet. Tandem haec ſententia tenuit; et ad ſervandum Altiliae tranſitum duo propugnacula tumultuario ad flumen excitantur, et idoneo praeſidio firmantur. Tum caſtra ad arcem juxta collis latus, cui illa impoſita eſt, ponuntur, et in planitie, quae inter arcem et collis tergum ſubeſt, muniuntur, duobus minoribus propugnaculis ad utrumque cornu extructis; et, quia verebatur Fontanus, ne collem proximum ex adverſo poſitum noſtri occuparent, et ex eo ipſos tormentorum diſploſione infeſtarent, eum quoque tumultuaria munitione firmari placuit. Quibus actis, continuato per duas noctes opere, vallum IƆC paſſuum ſpatio productum eſt, uſque ad propugnaculum extra arcem poſitum, quod a Gallis ſervabatur, eo conſilio ſtructum, ut eo noſtri excurrere et ad ſuos ſe tuto recipere poſſent. Impetu captum ante omnia propugnaculum, ſed exiguo noſtrorum damno, qui ſe mature in arcem receperunt. Hiſpani eo potiti, locoque IƆ delectorum manu firmato, terram fodiunt, ut ſe aggere contra crebras arcis diſploſiones tuerentur. Poſtea ad turres oppoſitas disjiciendas opportunum viſum, ut tormenta in eo ſtatuerentur; quod, ex muris et via anfractuoſa, per quam noſtri erumpebant, acri per complures dies defenſione, hoſti negatum fuit. Interea VII colubrinae Rigiaco proximo advectae, et ex vicinis praeſidiis ſubſidiariae copiae evocatae, pares adverſus Bullionii impetus, ſi quid tentaret, futurae: tum collectus magnus foſſorum numerus ad firmandum amplius vallum, et opera facienda. Iovitati a Fontano Itali qui Tilemone erant, ſummam ſpem in eorum virtute ſe reponere profitente, ſe excuſaverunt; et, antequam ipſis juxta pacta ſatisfieret, tam longe a praeſidio ſuo abeſſe, ut periculoſum, ſic nec aequum eſſe reſponderunt.

XIX. INTEREA

INTERPR. [a] *la Creſſoniere.* [b] *Gravelines.* [c] *Arras.* [d] *S. Omer.* [e] *S. Wilbrord.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

XIX. INTEREA per exploratores cognito, [a] Sanpaulum provinciae praeſidem cum [b] Bullionio, Andrea [c] Brancatio Villario maris praefecto, [d] Belinio, Seſſevallio, aliiſque belli ducibus, auxilio advenire, in pervigilio S. Jacobi, quod in IX Kal. Sextil. incidit, vim facturum, ex [e] Ronaei ſummi caſtrorum in hoſtili exercitu praefecti conſilio, decernitur, obviam noſtris eundum, et proelio cum iis decertandum: nam, deletis illis, et praeſidiariis ſociorum caſu territis, [f] Durlanium, omni auxilii ſpe ad-empta, nullo negotio poſtea expuguatum iri. Conſilio capto vallum geminato prae-ſidio firmatur, et ad caſtrorum defenſiooem duobus locis delecta manus militum col-locata. Uni praeerat Ferdinandus [g] Tellus centurio major cum CIↃ peditibus: al-teri, quam et carris et campeſtribus tormentis undique vallaveraot, praepoſitus cum pari peditum numero Gaſpar [h] Zapogna Ronaei legatus. Ipſe Fontanus cum toto ex-ercitu aciem inſtruit eo ordine: equitatus Hiſpanus praecedebat, cui praeerat Caro-lus Caracciolus [i] Avellini princeps, eumque hinc inde Hiſpanorum ſcloppetariorum manus cingebat; tum ſequebatur cum duobus validis peditum agminibus Ronaeus, ad-ductis ſecum IV tormeotis; poſtremam aciem ducebat Fontanus cum robore exerci-tus. Jamque noſtri eminus apparebant, qui erant circiter IↃCC equites, et IↃC de-lecti ſcloppetarii. Heic Bulliunius, inter Sanpaulum et Belinium medius, cum Vil-lariu in primam Hiſpanorum aciem acri impreſſione facta, eos primo in fugam vertit, et in caſtra paene ſua compulit; parumque abfuit, quin ipſi una immiſti caſtra oc-cuparent. Verum Avellinus cum delecta Italorum nobiliorum manu, quam penes ſe habebat, mox ex equo deſcendens, et fariſſis arreptis, noſtrorum impetum eo uſque inhibuir, donec Hiſpani ſcloppetarii hinc inde ſubſidio miſſi in tempore advenere; qui fariſſophoris immiſti in cauſa fuiſſe creduntur, ne hoſtilis exercitus ſubita trepi-datione perculſus eo die omnino deletus ſit: nam, reſtituto per eos certamine, Hiſpani equites ſtatim ordines et ipſi reſtituere; et Aumalius, cum delecta peditum manu ad latus ſepoſita in latus invectus, noſtros, cum diu integri reſtitiſſent, poſtremo retro pedem referre, et ſe recipere, coëgit. Eodem tempore Ronaeus, IV illis tormentis loco idoneo diſpoſiuis, in noſtros itidem fulminabat, et cum duobus agminibus pedi-tum, quos penes ſe habebat, recedenteis premebat. In eo conflictu ſemel atque ite-rum Bullionius ſervatis ſemper ordiuibus in hoſtem fortiſſime impetum fecit, et ſig-num victor ab eo retulit: verum, diſploſione infeſta detonantibus ſemper tormentis, inde recenti ſcloppetariorum Hiſpanorum, quos Ribera et Auguſtinus Mendoza du-cebant, mann incumbeote, et Carolo [k] Columna ac Sanctio Luna cum equitatu et ſcloppetariis equitibus et Fontani ſtipatoribus ſupervenientibus, ac III praeterea de-lectorum Belgicorum alis haſtaiis, tandem Bullionius ceſſit, et ad Sanpaulum ſuis collectis in tutum ſe recepit. Ar Villarius, quanquam mature a Sanpaulo monitus ut ſe pariter reciperet, quod Sanpauli munita Bullionii juſſa interpretaretur, homo na-tura ſuperbus, Bullionii conſilium ipſe, dignitare, ut ſibi videbatur, par, ſequi probro-ſum exiſtimans, parere detrectavit; et, recenti militi, quem ex [l] Neuſtria ſecum ad-duxerat, confiſus, certaminis aleam temere cum CC equitibus ſubiit, a Belgicu equi-tatu mox profligatus: ipſe, ſcloppetariis Hiſpanis ſupervenientibus, cum ingentis pre-tii ſpe multi illum ſervare conarentur, juſſu [m] Contrerae exercitus curatoris, poſtquam captus eſt, contra belli leges crudeliter interfectus eſt. Saeviendi in Villarium cau-ſam fuiſſe tradunt, quod raro Hiſpani iis parcunt qui ab ipſis pecuniam acceperunt; quod fecerat Villarius, ac fidem fefellerat. In eo conflictu [n] Viepontius Aquavillae [o] Pontis Adaemari, et [p] Argenvillerius [q] Abbatis-villae, praefecti pariter occiſi; Sandionyſius

INTERPR. [a] *le comte de S. Paul.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *de Brancat de Villars, amiral.* [d] *de Belin, & de Seſſeval.* [e] *de Savigny de Roſne, mareſchal de camp general.* [f] *Dourlans.* [g] *Tello Puerto-carrero ſergent major.* [h] *Zapanna.* [i] *d'Avellino.* [k] *Colonna.* [l] *Normandie.* [m] *Contreras.* [n] *de Vieux-pont Sr de Haqueville.* [o] *Ponteau-de-mer.* [p] *d'Argenvilliers.* [q] *Abbeville.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV. [a] Sandionyſius Maillotius legionis tribunus, ac plerique e nobilitate; Seſſevallius etiam, qui cum Bullionio pugnabat, eo quoque die deſideratus: ex hoſtibus omnino pauci; tantum Sanctius Luna graviter vulneratus. Sanpaulus, obfirmato ad certamen animo Villarium videns, [b] Belinium cum integro agmine, ut ei praeſto eſſet, miſerat, qui pariter cum ſuis caeſus eſt, at cetero mitiorem hoſtem expertus; nam capto vita ſervata. Capti et alii, et in iis [c] Loncampius, ac VII carri, pulvere, pilis, et fune onuſti. Dum pugnaretur, ex compacto praeſidiarii eruperant, a validis valli et caſtrorum ſtationibus cum damno repulſi. Majorem eo die victoriam reportari potuiſſe perſuaſum habuiſſe Hiſpanos prodiderunt, qui res in gratiam illorum ſcripſere, atque adeo qualem olim ad [d] Ticinum in Inſubribus, atque haud hinc longe ad [e] Auguſtam Veromanduorum, ipſi reportarunt; qui et pleraque nomina monſtroſa aut falſo interfectorum procerum addunt: nam ex iis multi nunc etiam in vivis degunt; alii omnino ignoti. Nec contenti ſucceſſu tam proſpero, calumnioſe rei non omnino ex voto confectae culpam in [f] Ronaeum rejiciunt, qui, peditatu penes ſe retento, fructum plenae victoriae Hiſpanis maligna praevaricatione invidit, quod, ut illi aiunt, homo natione Gallus aegro animo ferret, tot e Gallica nobilitate viros quaſi tot pecudes ab Hiſpanis recentem [g] Hanae acceptam cladem ulciſcentibus mactari. Atqui certiſſima fide conſtat, et Ronaeum ſemper infeſtiſſimum nomini Gallico fuiſſe, et quicquid Fontanus memorabile hoc anno fecit, illius conſilio et ductu factum fuiſſe; et prudentiſſime ac ex ſolertiſſimi ducis officio feciſſe, cum militem ordines ſervare ac ſub ſignis manere juſſit, quod videret Bullionium ac Sanpaulum integros a proelio diſceſſiſſe, ac vereretur, ne ſolutos Hiſpanos conſpicati illi, ſi reſtitutis denuo ordinibus ad pugnam rediiſſent, victoribus partae jam victoriae decus eriperent. Nec minore calumnia ab iiſdem jactatum fuit, Bullionium Proteſtantium doctrinae addictum, feſtinato aſtute receptu, ſe ac Proteſtanteis, qui circa ipſum erant, periculo ſubduxiſſe, ut Catholicos, qui cum Villario pugnabant, quoſque perditos cupiebat, Hiſpanis facilius jugulandos praeberet: nam Bullionius plures Catholicos quam Proteſtanteis penes ſe tunc habuit; et nemo non ſcit, quicquid tunc peccatum fuit, Villarii, ſtrenui quidem hominis, ceterum ambitioſe arrogantis, livore peccatum fuiſſe; qui, cum ſe recipere in tempore poſſet, imperatoris ſui imperia contempſerit, ut ſcilicet militaris prudentiae laudem, vitata certa pernicie, a Bullionio promeritam, diſcuſſo temeritate periculo obſcuraret. Eodem die, quo pugnatum eſt, [h] Nivernius in caſtra venit; qui poſtridie in conſpectum hoſtinm cum delectis proceſſit, ut cladis acceptae opinionem apud eos elevaret, et, ſi qua poſſet, auxiliareis in oppidum introduceret. Semel atque iterum per biduum re incaſſum tentata, in caſtra rediit. Rurſus ambitioſe feſtinatum certamen ante Nivernii adventum quidam ſcripſere, quod Bullionius Sanpaulo perſuaſiſſet, quicquid deinceps bene gereretur, totum id uni illius gloriae ceſſurum. Et ſane haud occultas inter Nivernium et Bullionium aemulationes atque adeo ſimultates fuiſſe norunt omnes; idque ſcriptis publicatis poſtea teſtatus eſt Nivernius, ut ſecutarum ex eo cladium ſe culpa exoneraret. Bullionius, ubi Nivernius venit, ſe omni imperio et auctoritate, quam antea habebat, ultto abdicavit, quod ita ſibi a rege praeſcriptum diceret. Nivernius contra, rebus ab eo perditis, ſero ſuam induſtriam ac diligentiam requiri aiebat. Inter has ducum contentiones Fontanus et Ronaeus minime ceſſabant; ſed, diſtributa inter milites ob rem bene geſtam, ut fit, pecunia, et advecto rurſus [i] Rigiaco apparatu bellico, arctius obſidionem urgere coeperunt. III Kal. Sextil. cum toto equitatu eruptio a praeſidiariis facta acriter ab Hiſpanis repulſa eſt; ac poſtridie, cum ſumma vi tormentorum muri pulſati eſſent, et magna ſtrages edita, ſub meridiem totis viribus tentata oppugnatio eſt;

INTERPR. [a] *de S. Denis Maillot.* [b] *de Belin.* [c] *Longchamp.* [d] *Pavie dans le Milanois.* [e] *S. Quintin.* [f] *Savigny de Roſne.* [g] *Han.* [h] *le duc de Nevers.* [i] *Arras.*

eſt; in qua poſt breve certamen, cum noſtri plus pugnacitate quam prudentia valerent, et, diſſidentibus inter ſe [a] Haraucuriano, et Carolo [b] Halvinio Dinani comite ac [c] Ronſoio ejus fratre, nulla in oppido munitio commoda ad fortuita exſtructa eſſet, Dinani comite in ruinae defenſione occiſo, ſtatim arx occupata eſt; atque inde deſiliens tanquam ex ſuperiore loco victor miles in confertos et confuſos ruit, et per arcem oppidum ingreſſus ſine certamine magnam defenſorum lanienam fecit, recenti adhuc Hanae memoria, cujus ſubinde nomen caedendo ingeminabat. Praeter Dinani comitem inter primos praeterea interfecti Caeſar [d] Margivallius Salancius, [e] Longovallus Provilla Haraucuriani frater, [f] Fequerius, Bornovilla, Sanravius, Foreſtus, Framicurius, alii plerique. Ronſoius ipſe graviter vulneratus, qui Rigia cum deductus ex vulneribus deceſſit. Plus CIↃ CC, majorem partem ex nobilitate, perierunt. Inter pugnandum capti Haraucurianus, [g] Gribovallius, et alii pauci, nulli vitae gratiam faciente milite: tandem ſub noctem qui ad templa confugerant capti, vita ſalva. Fontanus loco potitus, ut ruinas ſarciret, et militem ex laboribus reficeret, XV dies in eo commoratus eſt, ad [h] Cameraci obſidionem cuncta interim neceſſaria ſtudioſe apparans; ad quam tot ſucceſſus proſperi, cum alioqui difficilis admodum videretur, animos illi fecere. Ferdinandus [i] Tellus Portocarrera cum valido praeſidio oppido et arci impoſitus eſt, in quo IV colubrinae, totidem murales machinae, et XVIII minora tormenta reperta: exigua de cetero praeda, praeter equos ac commeatum.

XX. FONTANO in limite noſtro occupato, et ſucceſſu fortunae ſpem ſuperantis ad majora audenda invitato, Mauritius, ne nihil ageret, caſtra metatur ad [k] Grollam in Sicambris, hodie Geldriam vocant, juxta [l] Berkelum amnem, qui ad [m] Zutfenam in [n] Iſſalam, alterum Rheni, ut opinor, cornu, influit, ſitum oppidum, fuſis tantum, quibus fila e penſo carpuntur, conficiendis nobile, de cetero nec arte aut natura munitum; quod [o] Boetburgi cujuſdam praefecti regii induſtria, exſtructis per haec bella munitionibus, firmatum fuit. In exercitu Ordinum erant III e Zelandia, Occidentali Friſia, et Ultrajectenſi territorio, legiones; I Jacobi [p] Balfurii ex Scotis, altera Franciſci [q] Veeri ex Anglis, conflata; quae omnes V CIↃ peditum efficiebant, et CIↃ CC equites; ac praeterea XXVIII murales machinae. Hoc exercitu in ccxxc naveis cum omni apparatu bellico ac annona impoſito, Mauritius, [r] Wahalim et Rhenum ingreſſus, adverſo flumine [ſ] Noviomagum verſus initio navigavit, fama ſparſa quaſi [s] Sylvam-ducis obſeſſurus eſſet. Quo cognito Chriſtophorus Mondragonius arcis Antuerpianae praefectus copias regias e vicinis praeſidiis, quae ei praeſto eſſe jubebantur, cogit; et cum IV CIↃ armatorum in [t] Campiniam deſcendens, ad [v] Tornahutam ac circumpoſita loca ſubſtitit, Mauritianorum conſilia obſervans. Mauritius ſemper altius per Rhenum navigans, quo magis falleret, inde XXV naveis delecto milite onuſtas [u] Hulſtum in Pleumoſus miſit; qui neminem, qui reſiſteret, invenientes, plura circum loca munita ceperunt, antequam Mondragonius ſuis ſubvenire poſſet. Hulſtum jam ante tentaverat [w] Fontanus per Carolum [x] Croium Cimaci principem et Ronaeum; qui viribus impares poſtquam fruſtra fuere, ad fraenandas praeſidiariorum per peninſulam circumpoſitam excurſiones II munimenta juxta exſtruxerant, alteri Auſtrii, alteri Fontani, nomine attributo, ac valido praeſidio utrumque firmarunt. Interea Mauritius inopinato Grollam aggreditur; et vallo ducto, ac continua verberatione dejecto muro, cum in profeſto S. Jacobi oppugnare locum ſtatuiſſet,

Mondragonius,

INTERPR. [a] *de Harancourt.* [b] *de Hallwin comte de Dinan.* [c] *de Ronſoy.* [d] *de Margival de Salancy.* [e] *de Longueval Sr de Proville.* [f] *de Fequieres, de Bournonville, de St Ravy, de la Foreſt, & de Fremicour.* [g] *de Gribeval.* [h] *Cambray.* [i] *Tello Puertocarrero.* [k] *Groll en Gueldre.* [l] *Berkel r.* [m] *Zutphen.* [n] *Yſſel.* [o] *Boetbourg.* [p] *Balfour.* [q] *Vere.* [r] *Wahal.* [ſ] *Nimegue.* [s] *Boiſleduc.* [t] *Campigne ou Kempenland.* [v] *Turnhout.* [u] *Hulſt en Flandre.* [w] *le comte de Fuentes.* [x] *de Croy prince de Chimay.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

Mondragonius, traductis ad [a] Venloam copiis, praeſto obſeſſis fuit; quem ſubito Hermannus comes [b] Bergenſis provinciae praeſes cum ſuis ſecutus eſt, et ad [c] Berkam ad Rhenum ſe cum illo conjunxit. Heic luſtrato exercitu numerata ſunt peditum V CIↃ et CIↃ equites; captiſque aliquot Scotis et Anglis, ex his interrogatis numerum Mauritianorum, nomina tribunorum et centurionum, cum conſona dicerent, cognoſcunt, ac mox copias Rhenum tranſportant. Mauritius ſic caſtra metatus fuerat, ut Batavi ab ea parte qua [d] Borkeloum et Bredefortium itur, Friſii qua Oldenziclam, Angli et Scoti ex adverſo portae Bredefortianae, ſtativa haberent. Ipſe, qui cunctas copias non adduxiſſet, ac de ſucceſſu tam vicino hoſte diffideret, ipſo quo oppugnationem tentare decreverat die obſidionem ſolvit, et incenſis caſtris in tutum ſe recepit.

XXI. Grolla liberata Mondragonius cum Bergenſi caſtra inter [e] Lippam fluvium et [f] Dinſlakenam oppidum loco munitiſſimo metatur, ita ut Berkam ad Rhenum a tergo, ad laevam ex adverſo Lippam, haberet, quae juxta [g] Burikum in Rhenum exoneratur. Philippus Naſſovius viciſſim copias ſuas ad regiorum caſtra propius admoverat, paulo infra [h] Weſaliam ad Rhenum juxta [i] Biſlicum pagum munitis caſtris, occaſionem cum hoſte confligendi captans, quippe novis ſupplementis auctior. Inde a Mauritio miſſus cum IↃ equitibus, ut de hoſtium rebus cognoſceret, et caſtra ac ſtationes illorum obſervaret, in pabulatores Hiſpanos incidit; qui, devitato ejus impetu, confeſtim ſe loco idoneo abdiderunt, donec Naſſovius tranſiiſſet; tumque e latebris erumpentes, ſociis adventum Naſſoviorum renunciant, ſi eos inſequi vellent, equorum veſtigiis, et viae quam tenebant, inſtituti. Emiſſae in eos primum duae equitum turmae, Joanne [k] Cordubenſi et Henrico Bergenſi ducibus; quae, dum aliae ſubſequuntur, cum Naſſoviis in quodam ericeto congreſſae ſunt. Poſt acerrimum certamen partim caeduntur, partim capiuntur. Naſſoviani victores dum ſolutis ordinibus ad praedam diſcurrunt, fruſtra admonente Philippo ut ſe propere ad ſigna reciperent, interim citatis equis aliae regiae copiae ſuperveniunt, duce Nicolao Maria Caracciolo, recenteſque cum feſſis et inſtructi in aciem cum palantibus confligunt. Heic mutata rerum facies, et victores tandem victi ſunt, et captivi liberati. Plurimi ex Mauritianis occiſi: qui ex equis in pedes deſilierant, ſylvas et paludes pro perfugio habuerunt: multi in Lippae tranſitu hauſti. In ea pugna, quae IV Non. Sept. commiſſa eſt, Philippus equitatus dux et [l] Noviomagi praefectus ſuffoſſo equo lethaliter ſauciatus et captus Berkam ducitur cum Erneſto Caſimiro fratre, ubi paulo poſt ex vulneribus obiit: Erneſtus quoque [m] Solmenſis comes junior captus, ex vulneribus ibidem deceſſit. Hermannus Philippi amitini ſui corpus Mauritio patrueli remiſit; et poſtea Erneſtum Naſſovium, exſolutis X CIↃ aureorum, dimiſit. Nec incruenta fuit victoria: nam ex regiis in primo congreſſu plerique interfecti ſunt, ſed nullius fere nominis. Graviter vulnerati Caracciolus, Hier. Carafa, et Paulus Aemilius Martinengus Hermanni vicarius, alii ordinum duces. Mondragonius jam octogenarius ac tot ſtipendiorum dux proelio ipſe interfuit, et gloriam XXX annorum ſpatio bellis Belgicis partam hoc felici in extrema aetate ſucceſſu cumulavit; in Antuerpiana arce, cui praeerat, quinto poſt menſe vita defunctus. Tunc vero ſuos intra caſtra continuit, Mauritium cladis a ſuis acceptae ultorem veritus; et, cum ab annonae anguſtia metueret, in ſubjectam regionem commeatu abundantem conceſſit. Mauritius exeunte Octobri [n] Wildenburgum locum debilem in itinere deditione cepit, et inde miſſis in hyberna copiis Hagam ad comitia conceſſit.

INTERPR. [a] *Venlo.* [b] *le comte Vanden Berghe.* [c] *Rheinbergen.* [d] *Borckelo, & Breefort.* [e] *la Lippe.* [f] *Dinſlaken.* [g] *Burick.* [h] *Weſel.* [i] *Biſlick.* [k] *de Cordoue.* [l] *Nimegue.* [m] *le comte de Solms.* [n] *Wildenbourg.* Campana le nomme *Werdebruck.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS TERTIUS.

EPITOME.

CAMERACUM a Fontano obſeſſum. Urbis origines, et variae per tempora mutationes. Situs et poſitus caſtrorum. II. *Sanpaulus cum Bullionio in Bononienſem tractum deſcendit. Nivernius limitem Somonae circumpoſitum ſuſcipit tuendum. Carolum Retelenſem ducem filium obſeſſis auxilio cum delectis mittit, qui ſine damno intra urbem acceptus eſt, et poſt eum Dominicus Vicus.* III. *Inde crebrae eruptiones.* IV. *Cameracenſes ad regem delegatos mittunt. Rex, a Gabrielide Eſtraea, quae in ejus animo multum poterat, et Balagnio ultra modum favebat, perſuaſus, delegatos, facta auxiliorum ſpe, de cetero non bene animatos, dimittit.* V. *Induciae toto regno ad meſſem colligendam promulgatae. Rex, cum Urbano Lavallo Boſcodelſinio tranſigit. Delegati Proteſtantium nova poſtulata ad regem deferunt. Rex Lutetiam venit, et in iis anguſtiis edicta fiſcalia condit.* VI. *Oppugnatio Cameraci a Fontano imperatur, et ejus ordo. Archiepiſcopo addicti ex regis reſponſo et inſtanti periculo occaſionem captant deditionis faciendae. Conjurati petito colloquio cum Avellino agunt. Vicus et Balagnii uxor nequicquam contra tendunt.* VII. *Conditionibus perſcriptis noſtri in arcem ſe recipiunt; et ſex poſt diebus, commeatu deficiente, deditionem faciunt. Balagnii uxor, virilis animi foemina, antequam arce exiret e vita demigravit.* VIII. *Lira ab Heraugerio infeliciter tentata. Irrito conatu et tentata Ruremunda.* IX. *Rex apud nos ad Faram Eſiae caſtra ponit.* X. *Nivernius Nigellae ex dyſenteria decedit. Antonius electus rex Luſitaniae eodem tempore Lutetiae deceſſit. Ante eum Hugo Lupus Verdala Hieroſolymitani ordinis princeps cardinalis, et ante Hugonem Paſchalis Ciconia Venetae reipublicae princeps, deceſſerunt. Viri literis clari, Laevinus Torrentius, Torquatus Taſſus, Reinerus Reineccius, Michael Neander, Valens Acidalius, Gul. Whitakerus, obierunt: Philippus item Nerius.* XI. *In Armorica noſtra Edvardus Norriſius cum Anglis ſuis juſſu reginae in inſulam reverſus eſt. Ad Comperam Lavallorum arcem poſita caſtra.* XII. *In ducendo vallo Aumontius lethaliter vulneratus. Adveniente Mercuriano obſidio ſoluta. Aumontius Condati, quo delatus erat, optime meritam de rege et nomine Francico animam reddidit.* XIII. *Mercuriani cum Hiſpanis diſſidium. Curbus cum ſuis a Surdeaco caeſus. Prevoſteria et aliae arces a Sanlucio captae. Compera a Menoviis Dandiniis fratribus aſtu intercepta. Comitia provinciae a Sanlucio celebrata. Fontanella aſtu captus grandi exſoluto pretio a Sanlucio libertatem redimit. Sanſaeus Magnani comes a Kergomarto ad Quintinum oppreſſus.* XIV. *Sciſſo poſt regis reconciliationem Toloſae ſenatu, regiis partibus addicti, relicta urbe, Caſtrum Saracenicum migrant. Narbonae et Carcaſſonae tumultuatur.* XV. *Diguierius Ocellorum arcem ſerio obſidet. Obſeſſi de conditionibus cum eo tranſegerunt. Cavortium annona convecta firmat. Carſius Salonis oppidum capit,*

et

Digitized by Google

et in arcis obſidione haeret. XVI. *Vienna ab Henrico Momorantio equitum magiſtro in fidem accepta. Cavortium ad extremam penuriam redactum tandem Sabaudo a Baraterio deditur. Senatum urbs, quae nutabat, in reditu a Diguierio firmata. Mirabucum item per Auriacum firmatur. Mirabellum, exoratus a Gratianopolitanis, capit. Geneſii-fanum in Sabaudia ab Ornano expugnatum. Scalae ab Ornano et Diguierio obſidentur, et tandem capiuntur. Moretelium a noſtris obſidione cingitur, quod a Sabaudo deditum eſt.* XVII. *Nemoroſius Anicii in Foſſiniaco decedit. Ejus ingenium, mores, virtutes, omnem modum ſupergreſſa ambitio.* XVIII. *Diguierius, Guiſii vicarius in Provincia creatus, Balmam expugnat. In Ciſtertionis obſidione renovata Catholicorum et Hugonotorum nomina, et urbs ab Alexandro ab Hiſpania Ramefortio dedita; arce, induciis a Guiſio properatis, in ipſius Ramefortii poteſtate relicta.* XIX. *Brignolii Eſpernonius a Vallenſi quodam municipe, ſaccis pulvere nitrato incenſis, paulum abfuit, oppreſſus.* XX. *Diguierius a Guiſio male habitus e Provincia diſcedit.* XXI. *Poſt Lutetiam receptam et regem paſſim victorem, pontifex, qui Nivernium injurioſe a ſe repulerat, poenitentia ſubeunte, ſpem reconciliationis per Gondium cardinalem facit, ſi legati ad ſe mitterentur. Legationi obeundae delectus Jacobus David Perronus Ebroicum epiſcopus deſignatus; cui communia mandata cum Arnoldo Oſſato, qui Romae erat, data. Libellus ſupplex pontifici porrectus* IV *Eidus Quintileis. Sequenti menſe pontifex rem proponit, et quinto poſt die ſingularium cardinalium ſententias exquirit. Supplicationes in urbe celebratae. Dein propoſitae legatis durae admodum conditiones a factioni Hiſpanae addictis, qui rem confectam nolebant: quibus rejectis tandem de formula conventum, quae* XVI *capitibus abſoluta eſt. Decreto benedictionis impertiendae coram cardinalium coetu a pontifice pronunciato, intercedit Columna; qui, ſilentio imperato, obmutuit.* XXII. *Res ſolemni ceremonia peracta. Injurioſum ea de re ſcriptum Coloniae ex Joannis Boteri relationibus publicatum. Franciſcus Toletus e ſodalitio Jeſuitico cardinalis egregiam operam in eo negotio navavit; et legatus initio in Galliam deſtinatus erat. Mutata ſententia, Alexander Medices ad id delectus.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Caeſare Campana, Nivernii adverſariis, Jo. Parvo, Actis publicis, Actis curiae Pariſienſis, Monmartini commentariis, Diguierii militari diario, Perroni et Oſſati literis, Jo. Boteri relationibus.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS TERTIUS.

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

FONTANUS, dum in [a] Sicambris hinc inde vario eventu pugnaretur, ſucceſſus in limite Gallico urgebat; et, arridentis fortunae beneficio uſus, majora ac ſupra ſpem in dies audebat, conſultore praecipue [b] Ronaeo, qui jam ab initio de [c] Cameraco capiendo ſpem fecerat; ad quam expeditionem poſt captum [d] Durlanium omnia neceſſaria parabat, circumpoſitis regionibus in id operam et pecuniam certatim conferentibus, et Ludovico Barlemontio urbis archiepiſcopo ſumma omnia faciente, ut in antiquam poſſeſſionem, qua per tot annos ſpoliatus fuerat, Hiſpanorum, quibus familia ipſius ſemper egregiam operam navaverat, ope reſtitueretur. [e] Atrebates

c florenorum

INTERPR. [a] *Gueldre.* [b] *Savigny de Roſne.* [c] *Cambray.* [d] *Dourlans.* [e] *Artois.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV,

c florenorum CIↃ,[a] Hannonia CC flotenorum CIↃ,[b] Tornacenſes totidem, offerebant; ac praeter pecuniam ex Hannonia V CIↃ peditum ſuppeditabantur: archiepiſcopus XL CIↃ florenorum ex privato peculio contulit; tum ex vicinis praeſidiis tormenta advecta, cum pulvere et cetero apparatu bellico. Urbs eſt ad [c] Scaldim ſita, ſitu et arte munita, populo frequens, commercio dives, et amplitudine aediſiciorum conſpicua. Falluntur qui eam Samarobtigam vocant, quae Ptolemaei teſtimonio ad Ambianos pettinet. Cameraci nomen ante occaſum Romani imperii ignotum; in quo Franci, qui potentiſſimi in Gallia imperii conditores fuerunt, Batavia egreſſi, primum ſedem fixerunt. Ab eo tempore ad limitis ſecuritatem in poteſtate eorum fuit, donec, Flandriae comitibus Francieae corouae beneficiariis auctoritate ac potentia praepollentibus, et ſeneſcente in ſecunda regum noſtrorum ſtirpe priſtini nominis gloria, Caeſares Germanici, ad quos imperium, quod in regno Francorum coepit, tranſlatum fuerat, jus in eam civitatem libertatis dulcedine ad Imperium proclamantem vindicarunt, et eam Francis ablatam Flandriae comitibus patrocinii titulo addixerunt. Ab Henrico V principium factum, qui eam Philippo Hieroſolymitano cum [d] Caſtro Cameraceuſi inter pacis conditiones circa annum CIↃ CX attribuit; quod Fridericus anno LIV poſt ratum habuit, et, diplomate [e] Aquiſgrani condito, eandem gratiam Philippo [f] Alſato confirmavit. Inde regibus noſtris vario eventu in Flandriae principes beneficiarios fortuna utentibus, Cameracum modo in horum, modo illorum, poteſtate fuit; et in [g] Rationalium archivis reperitur, pattocinii ratione penſitatum regibus noſtris ab oppidanis honorarium. Taudem Maximilianus, Matia Caroli Burgundi filia et florentiſſimarum provinciarum herede in uxorem ducta, poſtquam imperium jam in ſua familia veluti hereditarium adeptus eſt, plenum ejus patrocinium ſumpſit; de cetero, juriſdictione omni epiſcopo tanquam ſacri Imperii marchioni attributa. Hujus nepos Carolus V, tot cumulatis regnis orbis Chriſtiani monarchiam ſpe complexus, ut limitem ſuum ab ea parte contra Francos firmaret, oppidanis diſſidens, ob aſſiduum cum Francis commercium et recentem patrocinii noſtri memoriam ſuſpectis, arcem in urbe exſtruxit anno CIↃ IↃ XXXIII; quam Philippus ejus filius uſque ad annum hujus ſaeculi XXC praeſidio tenuit: quo Incius, e nobilitate provinciali vir primarius, poſt pacificationem Gandenſem procerum et Ordinum Belgii decreto ei praepoſitus, cum Franciſco [h] Alençonſio jam Belgii principe deſtinato tranſegit, et arcem ab illo acceptam Joanni Monlucio Balagnio praefecti titulo commiſit. Is Joannis Monlucii Valentiae epiſcopi a nobis ſaepius commemorati filius naturalis, ab eo impenſe dilectus, et in lautiſſima fortuna educatus, propter patris erga regnum merita, nec non et Blaſii Monlucii equitum tribuni patrui egregium in re militari nomen, et propriam indolem, in aula noſtra gratiam et dignitatem [α] meruerat, atque etiam perhonorifica adfinitate auctus fuerat. Pauloante Ludovicus [i] Claromontius Buſſius Amboſius ex inſidiis interfectus fuerat a Carolo [k] Cambio Monſorelli comite domeſticam injuriam ulciſcente; quam injuriam Renata ejus ſoror, generoſa foemina et ſupra ſexum ambitioſa, a fratre proximiſque neglectam, cum inultam manere impatientiſſime ferret, Balagnio ſe ultorem fore profitente, ſpretis ſuorum monitis in matrimonium cum ipſo conſenſit. Haec animos porro marito fecit, ut dignum ſe tanta fortuna praeberet; [β] qui, cum multa de ſe pollicitus eſſet, ab Alençonio dignus exiſtimatus

VAR. LECT. [α] meruerat, et, defectu natalium per illam ſuppleto, etiam perhonorifica *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.* [β] qui, ut erat jactabundo ad vanitatem ingenio, cum multa *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Hainaut.* [b] *le Tournesis.* [c] *l'Eſcault.* [d] *Chateau Cambreſis.* [e] *Aix la Chapelle.* [f] *d'Alſace.* [g] *Chambres des Comptes.* [h] *le duc d'Alençon.* [i] *de Clermont Sr de Buſſy d'Amboiſe.* [k] *de Chambes comte de Monſoreau.*

CIϽ IϽ XCV. HENRICUS IV.

exiſtimatus eſt, qui [a] Cameraco nuper ab obſidione liberato praeficeretur. Alençonio ſucceſſit Catharina parens; et teſtamento filii commendatum ſibi Cameracum, miſeras tot opum in Belgio abſumptarum reliquias, ſtudioſe quamdiu vixit ſervavit, in praeſidium large exſoluto ſtipendio: quo minime contentus Balagnius, etiam archiepiſcopi tanquam perduellis, coenobiorum circumpoſitorum, et multorum e ſacro ordine, ampliſſima vectigalia occupaverat; et, cum res ubique ad Henoticam factionem inclinaret, ultro ſe populis vicinis rebellionem parturientibus ducem obtulerat, grandi aere a Guiſio corruptus, ut primis initiis per potentis adeo civitatis acceſſionem favorem armis ſuis conciliaret. Sublato dein Guiſio, et mox regina vivis exempta, quaſi omni fide ſolutus, aperte arma pro factione ſumpſit, et cuncta in vicino limite terroris ſui implevit, imparatis ab [α] omni re provinciae proceribus ac reliqua nobilitate; quorum domos late vaſtavit, ferro flammaque omnia miſcuit. Sed tantam de potentia ac ſolertia ejus conceptam opinionem non parum labefactavit diſpar ſucceſſus in [b] Silvanecti obſidione, quam deſpectus etiam ſuorum ſecutus eſt, et mox non occultae cum Parmenſi ſimultates, atque ex eo contra Cameracenſes ob conjurationum ſuſpicionem imperium ſolito durius, nec ſine civitatis et privatorum injuria; crebris delationibus, et, dum innocentia ſua ſe delati tutos non putant, neque judices probatos habent apud quos ſe purgent, abſentium proſcriprionibus, ad cetera mala accedentibus. Igitur ab eo tempore in caſtris foederatorum non fuit, et rara ſubſidia miſit, ſemperque procuratores in comitatu regis habuit; hinc metu ultionis terrente, hinc ſpe apud regem opimioris fortunae ſtimulante: cum quo tandem ſuperiore anno reconciliatus eſt, conditionibus ab ſe dictis; quas rex potius ratas habuit quam probavit. Ob id enim cum cunctis civitatis ordinibus ſumme inviſus eſſet Balagnius, [c] Fontano per [d] Ronaeum, qui jam cum quibuſdam oppidanis egerat, perſuaſum fuerat, ſi obſidio eo produceretur ut ruina facta oppugnationem tentari poſſe appareret, fore, ut Cameracenſes cum Philippo, cujus ſub patrocinio antea vixerant, amice paciſci, quam, ut ſub jugum ſuperbi et impotentis domini redirent, pugnae aleam ſubire, mallent. Idque in cauſa fuit, ut, captata regis abſentiae occaſione, cum tam modicis copiis, nec alioqui tantae molis negotio paribus, Cameracum adortus ſit Fontanus. Factum obſidioni initium Eidibus Sextilibus, ad eam partem quae portam novam ad meridiem haud longe ab [e] arce ſitam, et alteram S. [f] Sepulchri verſus occaſum, ſpectat. In vico ampliſſima munitio conſtructa ad [g] Niernium vicum, quam Cimaci princeps cum provinciali milite, quem numeroſum in caſtra adduxerat, ſervabat. Tum alia, qua Scaldis urbem intrat, et foſſam alluit, in vico [h] Premiano erigitur, priore minor; et inter duas, quod longius ſpatium eſſet, diſpoſitae locis idoneis ſtationes. Premianae munitioni praeerat [i] Sultzius comes cum legione Germanorum et CC equitibus Hiſpanis, qui anno ſuperiore ad [k] Capellam tumultuaverant. Inde ſeptentrionem verſus tendentibus porta [l] Cantinprana occurrit, et poſt eam [m] Sellana; quibus oppoſita eſt tertia [n] munitio, a S. Olai ſacello Santoloana dicta, quae cum delecta Belgarum peditum manu et ala equitum ſervabatur. A Sellana porta et ſeptentrione ortum verſus longus muri tractus porrigitur, inde Sellanae portae propugnaculo, et altero quod arci proximum eſt, et Roberti nomen a Roberto [o] Croio epiſcopo accepit, defenſus; in medio, quia peritis longius intervallum videretur, exſtructa munitione nova, cui ad dextram [p] Malliana porta ſubeſt, tunc temporis obſerata. Ab ea parte commodius viſum, ſi ſerio urbs oppugnaretur, nam ſemper de exitu dubitavit Fontanus, ut pulſarentur muri. Itaque vallum ductum, ejuſque

VAR. LECT. [α] omni re per regis ſocordiam provinciae *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *Senlis.* [c] *le comte de Fuentes.* [d] *Savigny de Roſne.* [e] *la citadelle.* [f] *S. Sepultre.* [g] *Village de Nierny.* [h] *Premi.* [i] *Sultz.* [k] *la Capelle.* [l] *de Cantinpré.* [m] *de Selles.* [n] *Boulevard de St Ol.* [o] *de Croy.* [p] *la Porte de Malle.*

ejuſque cuſtodia Auguſtino Mexiae attributa cum robore exercitus. Fontanus ad [a] Eſcodevam vicum infra urbem divertit, et paulo infra equitatui hoſpitium attribuit. Prima difficultas in ſtipendio expediendo fuit; quod a provincialibus quia promiſſum erat, eo promptiore animo miles, alioqui ſpe tam opulentae urbis diripiendae ineſcatus, operam navabat, quod majore fide illud, quam quod a regiis miniſtris debebatur, repraeſentatum iri confideret. Igitur in vallo ad exterius foſſae labrum perducendo gnaviter ſed citra periculum laboratum, propterea quod crebris, ut oportuit, eruptionibus minime diſturbabatur; Balagnio jam plus in externo praeſidio, quam in propria virtute, ſpei reponente, et miſeris precibus quotidie a noſtris opem implorante. Sed in re ipſa plus operis fuit, quod fere aquarum rivulis ſolum illud paſſim ſcaturit, et per altiora petroſa et horrentia vallum ducendum fuit; quae pars cum arci objecta eſſet, eo magis ad infeſtos tormentorum ictus exponebatur.

II. Post Durlanium captum, cum adhuc incertum eſſet quid Hiſpani aggreſſuri eſſent, [b] Nivernius, [c] Sanpaulus, et Bullionius, de ſumma rerum conſultaturi ad [d] Piquinium Kalendis Sextilibus convenerant: ubi poſt multas altercationes inter eos decretum fuit, ut Sanpaulus cum [e] Bullionio in [f] Bononienſem agrum deſcenderet, et limitem ab ea parte tueretur; Nivernius, adverſo [g] Somona tendens, loca hinc inde poſita luſtraret, et omni re neceſſaria firmaret. Igitur [h] Samarobrigam veniens, cum omnia recenti caſu turbata comperiſſet, oppidanorum rogatu, qui Corbiae proximae metuebant, oppidum, quamvis exiguum neque ſatis firmum, tamen, ut pavorem et conſternationem animorum ſedaret, depoſita dignitate ſua ultro tuendum ſuſcepit: eoque profectus, et rebus omnibus ad ſuſtinendam obſidionem paratis, inde [i] Fanum-Quintini, [k] Perona in itinere luſtrata, tendit; quo hoſtem venturum Euſtochius [l] Confluentius Auxii vicecomes oppidi praefectus putabat. Ibi de hoſtium conſilio cognoſcit, [m] Cameracum ab iis peti, nec in dubiam ſpem urbis potiundae veniſſe: protinuſque a Balagnio repetiti nuncii venere; quibus cum jam linqui animo videretur, concilio belli ducum, quos penes ſe habebat, vocato, vir generoſus, qui videret per regis abſentiam omnium oculos in ſe converſos, officio deeſſe noluit; et, poſt ſugillatam eorum qui ante ſe ſummae rerum in limite praefuerunt, ſeu negligentiam ſive temeritatem, [α] in Bullionium id praecipue dictum intelligi volebat, filium, quem unicum et proinde chariſſimum habebat, Carolum [n] Retelenſium ducem ad ferendas Balagnio ſuppetias deſtinat; ac Petrum [o] Mornacum Buhium equitem torquatum, qui praefecti caſtrorum munere in exercitu fungebatur, et [p] Trumeletum Villafrancae in Campaniae limite praefectum cum CCCC equitibus, nec non [q] Vaubecurium e Lotharingica nobilitate, ſtrenuum ſed feroci ingenio virum, cum IV levis armaturae alis juſſit praecedere. In aciem inſtructi cum nocte pluvioſa ac procelloſa ſe viae commiſiſſent, ab indice qui eos ducebat, aut ignaro aut fraudis conſcio, decepti ſunt: nam cum per [r] Annacum pagum II a Cameraco leucis iter facerent, non ad dextram extra pagum, ubi neque pons neque rivus interjacebat, ſed per medium vicum et pontem rivulo impoſitum tranſierunt; ac forte accidit ut tabula ex ponte deciderit, et tranſitus horam cum dimidia ob id ſit retardatus. Interim, per ſpeculatores re cognita, in caſtris hoſtium ad arma conclamatum; et cum ſub auroram in planitiem ſubjectam deſcendiſſet Retelenſis, obvium hoſtilem equitatum habuit in aciem inſtructum; quo devitato, ad equitum circiter XXV excubantium

ſtationem

VAR. LECT. [α] in Bullionium id praecipue dictum intelligi volebat, *deſunt* Ed. Gen. 1620. *ſed e MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig. deſumpta* Ed. Gen. 1626. *inſeruntur.*

INTERPR. [a] *Eſcoudeuve.* [b] *le duc de Nevers.* [c] *le comte de S. Paul.* [d] *Piquigny.* [e] *le duc de Bouillon.* [f] *le Boulonnois.* [g] *la Somme.* [h] *Amiens.* [i] *St. Quintin.* [k] *Peronne.* [l] *de Conflans vicomte d'Auxy.* [m] *Cambray.* [n] *le duc de Rethelois.* [o] *de Mornay Sr de Buhy, chevalier de l'Ordre.* [p] *Trumelet gouverneur de Villefranche.* [q] *de Vaubecour.* [r] *Anneu.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

ſtationem deflexit; qua profligata, ſociis opem propter viam confragoſam quae intercedebat minime ferentibus, iter perſequitur, et c equites rurſus obvios in fugam conjecit, et poſtremo intra urbem magna obſeſſorum gratulatione acceptus eſt, amiſſa tantum impedimentorum parte, quae a [a] Carolo Coloma Hiſpanorum equitum duce ad inſidendos aditus diſpoſito intercepta eſt. Id accidit XVIII Kalendas Septembreis. Fontanus non tam de Retelenſis ſucceſſu angebatur, quam ex eo conjectabat, majora auxilia porro in urbem introducere decreviſſe Nivernium; et, valido adeo praeſidio, ac contra exiguo ſuorum ad tantam obſidionem numero, ea deinceps impediri non poſſe providebat: quis autem filii periculum contempturum Nivernium crederet, aut ſine auxilii ſpe manifeſto periculo expoſitum ſuiſſe? Itaque, re in ducum concilio agitata, placuit, ut, cum auxilia non vi militari ac in media luce miſſum iri appareret, rege abſente et exiguis in limite Francorum copiis, caveretur, ne noctu et aſtu introducerentur. Igitur ad [b] Cantinpranam et Sellanam portas, qua noſtros Perona venienteis iter habituros veroſimile fiebat, duplicatae excubiae, et equites CCCC ac IↃC ſcloppetarii locis idoneis noctu collocati, qui aditus ab illa parte ſervarent; ejuſque rei cura Ambroſio Landriano attributa, qui univerſae levi armaturae vicarii titulo praeerat. Id aliquoties factitatum, dum, IV CIↃ foſſorum ex circumpoſitis regionibus ſtudioſe ab urbibus ſummiſſorum opera, vallum in dies promoveretur, advectis jam LXXII tormentis majoribus ac mediocribus, et aliquot colubrinis mediis, et ingenti apparatu bellico; diſpoſitiſque mox doliis vimineis, una nocte, ſpe citius ac ſine certamine, exterius foſſae labrum occupatum eſt. Inde cuneis ductis in foſſam admodum profundam per ſcalas parata exſcenſio: in qua cum ab ſubterranea munitione infeſtarentur Hiſpani, et ex feneſtella propugnaculi [c] Robertini, ad cujus ictus toto corpore extantes patebant, decretum in concilio fuit, ut quamprimum directis inde tormentis verberatio inchoaretur. Sed diſſidebant [d] Guidus Ubaldus Paciotus harum rerum peritiſſimus, et Claudius [e] Burlota uſu rerum expertus dux: nam hic [f] Mallianam portam pulſandam cenſebat, cujus ruina adjunctas ei domos ſecum trahente, facilis ad oppugnationem aſcenſus procul dubio ſternebatur: ille contra in angulum Robertini propugnaculi, et partem muri cum eo conjuncti, dirigendam verberationem contendebat. Utramque ſententiam ſecutus Mexia XV tormenta quidem ad Robertinum propugnaculum direxit, et eodem tempore V aliis portam Mallianam pulſavit. Dum in eo ſunt, Dominicus [g] Vicus, vir fidei et virtutis longo armorum uſu expertae, excubias longius ab urbe ex Ronaei conſilio poſitas feſellit, et III Eid. Sept. cum novis auxiliaribus in urbem pervenit; quamvis et Fontanus et Landrianus antea de ejus itinere moniti fuiſſent. Verum dum novum ſubſidium peditum a Fontano petit Landrianus, et ab eo ad Ronaeum remittitur, tantum temporis effluxit, ut Vicus multum viae interea fuerit emenſus; qui cum in [h] Caroli Mariae Vicecomitis ad dextram in via turmam incidiſſet, ſigno dato Landrianus ſubito ei praeſto fuit, ſed jam praetervecto Vico. Demum inſequente hoſte et extremum agmen carpente, Vicus, inſidias a pedite metuens, hoc aſtu uſus eſt: CCCC, quos ſecum habebat, ex equis ſere vilibus deſcendere, et eos ad praedam hoſti relinquere, juſſit: interea expeditior cum ſuis intra urbem ſine alio damno acceptus eſt.

III. MOXQUE ejus adventu oppidani, qui bene affecti erant, confirmati, et confuſa prius ac conſternata in urbe omnia melius ordinata, et in ſpem melioris ſucceſſus erecti obſeſſorum animi: tanta in unius hominis virtute fiducia fuit. Nec feſellit eos opinio: nam Vici conſilio ſtatim excitati in pomoerio tumuli, ex quibus contraria verberatione multa hoſtium tormenta confracta et inutilia reddita; multi

etiam

INTERPR. [a] *Carlos Coloma.* [b] *de Cantinpré, & de Selles.* [c] *de Robert.* [d] *il conte Guidobaldo Paciotto.* [e] *la Bourlote.* [f] *Porte de Malle.* [g] *de Vic.* [h] *Carlo Maria Visconti.*

etiam tormentarii diſcerpti. Cumque hoſtes jam ad verberationem totis viribus faciendam paraſſent omnia, eo caſu conſilium eorum retardatum; et, deductis tormentis, in projectis diruendis ante omnia amplius laborari placuit. Interea crebris eruptionibus certatum, quod antea factum minime fuerat; et, Vico duce, paene vallum, quod a Burlota deſcendebatur, occupatum, multis hoſtium caeſis: tum in angulo propugnaculi Robertini IV tormenta ita firmiter collocata fuerant, in hoſteis aſſidua verberatione fulminantia, ut nulla vi contraria diſturbari potuerint. Et, quia ex latere Robertini ad latus alterius propugnaculi IϽC amplius paſſuum interſtitium erat, ſumma ſolertia Vicus in imo muro idoneos receptus ſtruxerat; quorum commoditate uſus foſſa libere potiebatur, ejuſque ingreſſum crebra diſploſione et artificioſis ignibus infeſtum hoſti faciebat. Nec in projectis diruendis interim multum proficiebat hoſtis, nova verberatione ex duobus tumulis inſtituta: nam Vicus, contraria verberatione rotis confractis et interfectis aliquot tormentariis, conatus hoſtium infructuoſos reddidit; ſpelaeo etiam ſubterraneo ducto, quo ignem concipiente II tormenta terra obruta ſunt, et cetera huc illuc disjecta. Inde VII Kal. Octob. in concilio belli ducum a Fontano agitatum fuit, perſequi obſidionem, an ab ea quamprimum ut damnoſa diſcedi, placeret. Multa utrinque diſputata: vallum contra tormentorum diſploſionem et artificioſos igneis, quae non ſolum militem infeſtabant, ſed verberationem impediebant, vix defendi poſſe; potiri obſeſſos foſſa; integra latera majoris propugnaculi et alterius adhuc eſſe, neque infeſtam adeo ex angulo illo verberationem huc uſque averti potuiſſe. His de cauſis non ſolum difficilem conatum reddi, ſed obſidionem neceſſario in longum extrahi: ex ea autem mora duo incommoda longe maxima proculdubio ſecutura: primum, inclinata jam tempeſtate, foedos imminere imbreis, quos frigora et infeſta militi hyems mox exceptura ſit; qui, praeteritis laboribus fractus, ex illo priſtino vigore plurimum remiſerit, et jam ſucceſſus recentis plane oblitus videatur; ut verendum ſit, ne, ſi quid ſecus accidat, ex eo potius reficiendi ſe, quam novi decoris quaerendi, occaſionem captet: deinde conſtare, [a] Nivernium, in quem belli onus per regis abſentiam incumbat, Peronae jam numeroſum militem coegiſſe; nec eum, de periculo filii ſolicitum, in tempore defuturum. Ante XV annos cum Parmenſis eandem urbem, proviſis rebus omnibus ad eam rem neceſſariis, adulta aeſtate cinxiſſet, ſuperveniente Alençonio, mature obſidionem ſolviſſe: nunc verendum eſſe, ne, ſi diutius in ea haereant, in conſpectu hoſtium, magna cum famae, militis, et tormentorum ipſorum jactura, diſcedere cogantur; aut, ſi aleam proelii ſubeant, hinc ab obſeſſis, hinc ab auxiliaribus, undique cincti, tot felicium ſucceſſuum jacturam intempeſtiva temeritate faciant. Contra diſſerebatur, non ſolum [b] Atrebates et Hannonios, ſed ceteras Belgii provincias, ſi re infecta diſcedatur, in ſummam deſperationem adductum iri; neque exſpectandum eſſe, dum alio tempore tanta alacritate ſubſidia in hujus urbis obſidionem conferant: ac verendum eſſe, cum videant regem Catholicum ſuis protegendis minime parem, ne conſilia a rebus ejus aliena capiant: ad famam autem pertinere, ne non viſo hoſte poſt tot felices ſucceſſus bene hactenus procedentis obſidionis initia turpiter deſerant, et ſpontanea fuga recentem victoriam foedent: nam quomodo hoſteis hunc diſceſſum interpretaturos? Fruſtra de Nivernio ſuſpicionem injici, qui, ſi tot copias penes ſe haberet, quot habere jactatur, non tamdiu auxilia diſtuliſſet. Poſt tot ſtrages rarum ad ſigna militem convenire, et nobilitate totam fere regionem deſolatam eſſe. Quod roboris ſupereſt, in exercitu regis eſſe; qui, longinqua expeditione diſtentus, brevi tempore, ac niſi re jam confecta, obſeſſis praeſto eſſe non poteſt. Qui mediam ſententiam tuebantur,

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *Artois, & Hainaut.*

tuebantur, et, ut neque dubium diuturnae obſidionis eventum exſpectandum, ſic neque praemature ab ea omnino diſcedendum ſuadebant, ita cenſebant, poſſe honeſte recipere ſe, et cum aliquo fructu, ſi ad praecipuos urbis aditus quatuor munitiones excitarentur et valido praeſidio firmarentur; quo, commeatu per hyemem intercluſo, et fraenatis Balagnii excurſionibus, Cameracenſes citra violentiam ad deditionem proximo vere adigerentur. Sed Fontanus, inſtigante [a] Ronaeo, qui de ſucceſſu eum bene ſperare, quicquid contra diceretur, pertinaciter jubebat, id refutabat; et praeſidia munitionibus impoſita annonae ſubvectioni impediendae et fraenandis Gallorum excurſionibus minime paria futura oſtendebat, quas ipſi cum toto exercitu prohibere non potuerant; quinimo, firmata per id tempus et milite et annona urbe, et tepeſcente militis ſui ardore, et infracta provincialium in rebus neceſſariis, poſt tot ſumptus inutiliter factos, ſubminiſtrandis alacritate, inſuperabilem fore urbem, quae nunc minore negotio capi poſſit: nec dubium eſſe, quin rex Galliae, rebus in Burgundia ex animi ſententia confectis, protinus cum toto exercitu adventurus ſit, et [b] Cameracum vi penetraturus, moxque munitiones expugnaturus ac everſurus. Fontano, ſecundum Ronaeum, praecipuus obſidionis perſequendae auctor erat Burlota. Ei cura data, ut ex Ronaei conſilio cuncta in vallo tuendo ordinaret, et cum ſummo imperio in eo praeeſſet: ante omnia videret, ut redintegrata verberatione latus propugnaculi, a quo infeſtabatur, dirueretur; munitio ſub portâ Malliana in foſſa exſtructa caperetur, eodemque tempore aliis duobus locis ſimulata oppugnatione ſcalae admoverentur, ad dividendas defenſorum vireis. Tum [c] Santoloana munitio majore praeſidio a Fontano firmatur, eique Gaſto Spinola imponitur; qui, legionis, quae anno ſuperiore tumultuaverat, tribunus, a munere ſuo vacuus, tantum conſiliarii belli officio in caſtris fungebatur. Inciſa et via quae Peronam ducit, tranſverſa foſſa ducta; et, inſtante Landriano, excubiae longius poſitae propius urbem, ſicut ab initio, ſtationem habere juſſae. Dein ad macerias deſtructi coenobii ex adverſo [d] Sellanae portae nova munitio ſtructa, eique praeſidium Germanorum impoſitum, cum IV tormentis ad diruendum oppoſitum propugnaculum directis. Ad depreſſam dein munitionem facta vis a Burlota; et, duobus locis labro exteriore perforato, per feneſtellam ponti Sellanae portae conjunctam in foſſam deſcendit. Ibi acriter pugnatum, ſariſſis hinc inde commiſſis. Bis repulſi a defenſoribus Hiſpani, ad extremum propugnaculo potiti ſunt. Inde VII tormenta dirigunt, ac II quidem contra angulum propugnaculi Robertini, a quo tantopere infeſtabantur, V contra totidem tormenta a Vico tam firmiter in ipſo Robertino in terram defoſſa; contra quae totidem colubrinae rurſus in terram defoſſae ſumma arte directae ſunt. Alia aliis locis diſpoſita tormenta; ultra Scaldim VII, quae in pomoerium, in quo defenſores ſtabant, valde ejaculabantur. Tum de loco regiae verberationis actum; in quo XXII machinae diſpoſitae ſunt, ita in terram defoſſae, ut loco moveri contraria verberatione aut ſpecubus actis, ut antea, non poſſent; et VI Non. Oct. muri pulſari coeperunt.

IV. Inter haec, praeter Balagnium, qui continuis nunciis non ſolum Nivernium, qui porro per ſe impar regem repetitis toties nunciis fatigabat, ſed regem ipſum de auxiliis ſollicitabat, Cameracenſes non bene inter ſe concordes ſeorſim e ſuo numero delegatos miſerant ad regem, qui [e] Lugdunum venerat pridie Nonas Septembreis, triumphali pompa exceptus, et per arcus, a civibus, a Florentinis, Genuenſibus, Lucenſibus ſtructos, ad majus urbis templum ad agendas Deo gratias publica laetitia inter plauſus ac feſtas victoriam gratantium voces deductus. Ibi ſecure, tanquam omnino debellatum eſſet, agebantur omnia; et rex de pontificis reconciliatione jam certus, recepta Burgundia, [f] Mercuriano, qui infeſtum huc uſque bellum fecerat,

INTERPR. [a] *Savigny de Roſne.* [b] *Cambray.* [c] *Boulevart de St Ol.* [d] *de Selles.* [e] *Lyon.* [f] *le duc de Mercœur.*

fecerat, inducias poſcente, et Meduanio ad pacem petendam adacto, quam mox ei aequiſſimis conditionibus clementer dedit, nihil ſupereſſe exiſtimabat, quam ut a continuae militiae immenſis laboribus paulum reſpiraret, totumque illud vigiliarum ac ſolicitudinum pro ſua ac regni ſalute exantlatarum tempus ſibi per otium ac quietem reponeret. Multum in ejus ingenio poterat Gabrielis [a] Eſtraea, quam, ab uxore jampridem divortio facto, efflictim deperibat. Eam captabant, qui in regis gratiam ſe inſinuabant. Meduanius, cum deſperatas ſuas cum Hiſpanis res videret, per Petrum [b] Janinum cum ea egerat, ut ſuae cum rege reconciliationis pararia eſſe vellet, et factionis Catholicae, haec tunc nomina regno partibus ſciſſo vigebant, et Catholicorum principum patrocinium ſuſciperet; ſic enim fore, ut bonae cauſae defenſione ſibi gratiam apud pontificem et Galliae ordines pararet, et Catholicos peculiari beneficio obſtrictos haberet. Ipſe ultro operam ſuam et fidem ambitioſae foeminae detulit, et pro aliis ſe vadem conſtituit, ſi rex liberos, quos ex ipſa ſuſceperat, ad regni ſucceſſionem vocaret, ſe eos adverſus omneis protecturum, et, vellent nollent alii regiae ſtirpis principes, in paterno ſolio collocaturum. Eandem viam inſtiterat Balagnius in concilianda ſibi regis gratia, ſpemque Eſtraeae fecerat, ut Cameracum ipſius ac liberorum, quos ex rege habebat, nomine deinceps teneret: quod amittendae tam firmae in regni limite urbis cauſa exſtitit. Nam legati ad regem admiſſi non tam ſe veniſſe ad auxilia petenda oſtendebant, quam ut miſerum rerum ſuarum ſtatum apud ipſum deplorarent, qui, ſub clementiſſimorum Franciae regum patrocinio quieſcere crediti, ſub diriſſimi tyranni jugo gemerent: ideoque enixis precibus a rege contendebant, fidem interponeret, fore, ut ſoluta obſidione priſtinam libertatem ipſius beneficio recuperent; rexque contentus ſit, arcem cum praeſidio tenere; nam multos in urbe eſſe, alioqui ab Hiſpanis alienos, qui archiepiſcopo urbis addicti alios ſpe libertatis contra Balagnium inflammant, eoque praetextu ad defectionem ſolicitant: iis, ut concordia inter civeis ſarciatur, ſatisfaciendum eſſe: non aliter autem ſatisfieri poſſe, quam ſi melioris in poſterum a regia clementia conditionis ſpes fiat, amoto Balagnio, quem neque dominum neque praefectum ferre poſſent: hoc ſi concedatur, non dubitare regem debere, quin, ſuſtinendae obſidioni viribus et animis pares, vitam potius quam propenſam erga Francicum nomen voluntatem ſint depoſituri. Ad haec [a] rex, ab Eſtraea, quae tuendum Balagnium ſuſceperat, perſuaſus, laudata eorum conſtantia ac fide, porro ut in ea perſeverent hortatur; brevi ſe ad limitem venturum, ut ipſos omni ſolicitudine ac periculo liberet: ceterum de amovendo Balagnio, quod petant, non poſſe iis ſatisfacere; nam fidei Balagnio datae religione attineri; ſed effecturum interventu ſuo, ut, repulſo hoſtis virtute ipſorum impetu, novi domini deinceps ipſos minime poeniteat: tantum concordiam inter ſe ſervent, neque intempeſtivo praeſentium odio ſibi libertatem eripi patiantur, Hiſpanorum duriorem quam antea ſervitutem ſervituri. Cum replicarent delegati, fide Balagnio data minime regem obligari, quippe cum ille fidem Alençonio reginaeque ipſius matri datam, et quam ipſi tanquam legitimo regni heredi deberet, prior violaſſet, et imperium in civeis confuſis divinis humaniſque juribus uſurpaſſet, quod nec Flandriae comites neque Franciae reges, qui in jus illud ſucceſſerant, unquam ſibi ſumpſiſſent; rex, praeciſa omni ſpe, quod ad Balagnium, in priore reſponſo perſtitit; ac brevi fore dixit, ut coram cum ipſis agat. Ita dimiſſi Cameracenſium delegati, monito prius rege, ſumme verendum eſſe, ut, antequam ad ſuos reverterint, deſperata libertate res in urbe turbent, et quod ſtante concordia Hiſpani ſperare non poterant, per civium diſcordiam conſequantur. Non plus monitis quam precibus rex,

VAR. LECT. [a] rex, a ſtrige illa, quae *MSS. Reg. Samm. & Rig.*
INTERPR. [a] *d'Eſtrées.* [b] *le preſident Jeannin.*

rex, praeoccupato ab Eſtraea ingenio, permoveri potuit. Nec deerant in aula plerique, qui, ſive adulandi ſtudio, cum viderent regem aegre ab otio Lugdunenſi diſcedere, ſive quod in Balagnii cauſa ſuam verti crederent, periculum elevabant; Hiſpanos cum tam exiguo numero tantam obſidionem temere aggreſſos, et vanam in diſcordia civium fiduciam eſſe; nam adverſus Balagnii odium, quod obtendatur, ſemper praevalituram apud Cameracenſeis Hiſpani nominis invidiam: itaque in tempore adfuturum regem, neque Hiſpanos, ſi ſapiant, adventum ejus opperituros. Ita in expeditione Sequanica et Lugdunenſi tempus inutiliter contritum, et Eſtraeae ſuggeſtione ſpretae Cameracenſium preces; quorum ſi delegatos vel cum exigua ſpe rex dimiſiſſet, et maturius ad eos profectus eſſet, urbem, et cum urbe exiſtimationem integram, ſervaſſet.

V. TRIDUO poſtquam rex [a] Lugdunum venit, induciae cum [b] Mercuriano pactae ſunt a Carolo Lotharingo [c] Ellebovii duce jam regi reconciliato, quae a XII Kal. Oct. inciperent, et in XIII Kal. Febr. anni proximi exirent. Iis [d] Pictavium, et quicquid Ellebovii praefectura complectitur, [e] Ganachia, Rupifortium in Andibus, praeter omnem [f] Armoricam, comprehendebantur. Demum IX Kal. Oct. induciae toto regno ad trimeſtre duraturae a rege, Meduanio poſtulante, conceduntur; quibus et unicuique, cujuſcunque ordinis ſit, fructuum colligendorum, agricolis terrae colendae, libere ad negotia ſua commeandi, poteſtas fiebat; ſuccinctis quaeſitoribus ac tribunorum equitum praepoſitis, ut maleficia per agrum ut in pace coërceant. Iis ſubſcripſit Meduanius [g] Cabillini, quo ſe receperat. Superiore menſe rex cum Urbano [h] Lavallo Boſcodelfinio convenerat, condito edicto, quod in ſenatu, audito [i] cognitore regio et conditionibus appoſitis, promulgatum fuit pridie Eidus Septembreis. Eodem die ſenatuſconſultum factum, quo proceres et nobiles ad ſigna jubentur convenire, et regi, ad limitem propediem venturo, cum bellico omni apparatu praeſto eſſe. Auditae et Lugduni Proteſtantium, qui permiſſu regis, ut titulus libelli praefert, [k] Salmuriae in Andibus convenerant, per delegatos querimoniae, ad praecedenteis, poſt edictum in ipſorum gratiam promulgatum ſtatim factas, additae; quibus nihil ad poſtulata ſua [l] Medontae poſt regis reconciliationem propoſita [a] reſponſum aiebant, ſed tantum ſpem factam, ut ipſis abunde edicto novo caveretur: poſtea, cum amplius reſponſum urgerent, et, ad [m] Fidei-fanum in Petrocoriis conventu habito, nova poſtulata ſuae majeſtati per delegatos porrexiſſent, tantum reſponſum fuiſſe, ipſis abunde edicto anni CIↃ IↃ LXXVII ſatisfactum eſſe, quod rex jam ſemel atque iterum confirmaſſet. Proinde petebant, ne obſequium ac fides ſua, quam proprio ſanguine obſignaſſent, vita pro regis defuncti dignitate ac ſalute promptis animis ad pericula toties expoſitâ, fraudi eſſet, novum edictum denuo conderetur, quo, jure aequabili conſtituto, ipſis liberum eſſet, ubique ac toto regno doctrinam, quam ſequuntur, publice profiteri; paſtores ſui de publico alerentur, ſcholis ad pueritiae inſtitutionem pariter ſtipendia de publico procederent: jus in ſingulis regni curiis a judicibus pari cum Catholicis numero ex ſuo ordine conſtitutis diceretur; ipſi ad honores, dignitates, ac publica munia cum Catholicis, nullo religionis diſcrimine, admitterentur: loca ipſis ſecuritatis cauſa attributa relinquerentur, et in praeſidii alimoniam pecunia ex aerario ſubminiſtraretur. Ad haec nihil pro tempore a rege reſponſum, feſtinatum diſceſſum cauſante, ut [n] Cameraci obſeſſis ſubveniret: reque in commodius tempus rejecta, ipſe ad iter ſe accinxit, et pridie Kalendas Octobreis Lutetiam venit, triſti ubique rerum facie, et anxiis poſt tot adverſa de Cameraci obſidione animis. Ipſe mentis aeger, et amiſſum tempus inutili in [o] Sequanos expeditione et Lugdunenſi pompa moerens,

VAR. LECT. [a] reſponſum *deeſt* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *le duc de Mercœur.* [c] *Elbœuf.* [d] *Poictiers.* [e] *la Ganache, & Rochefort en Anjou.* [f] *Bretagne.* [g] *Chalons.* [h] *de Laval de Bois-Dauphin.* [i] *le Procureur general.* [k] *Saumur en Anjou.* [l] *Mante.* [m] *Ste Foy en Perigort.* [n] *Cambray.* [o] *la Franche Comté.*

moerens, nova edicta fiſcalia cogendae ad inopinata pecuniae condidit, et poſt multas juſſiones in ſenatu promulgari juſſit.

VI. INTEREA Fontanus cuncta ad oppugnationem comparabat, ſive ſpe ſucceſſus, ſive tumultus inter civeis excitandi fiducia; quod [a] Ronaeus fore aſſeveranter confirmabat. Evocati Itali, qui [b] Tilemone erant, honorificeis admodum literis; qui, quanquam fraudem veriti, ne tamen officio deeſſe viderentur, IↃCC numero egregie inſtructos miſerunt, duce Romulo Sala veterano milite, qui aliquando ſub [c] Rugerio Cajetano meruerat. Horum adventu Hiſpani [α] ſcribunt prohibitum Bullionium, qui novas ſuppetias in urbem ducendas ſuſceperat, pedem retuliſſe. Igitur tandem imperata oppugnatio, eo ordine, ut II CIↃ delectorum pro vallo in aciem inſtructa ſtarent, quibus univerſis praeerat Ronaeus; eique attributi Auguſtinus Mexia et Alfonſus Mendoza, qui Hiſpanis legionibus praeerat, cum Belgica, Seqnanica, et Germanica legionibus. Ex eo numero CC delecti, partim ſcloppetarii, partim ſatiſſophori; inter quos XXV erant igneis artificioſos ambabus manibus vibraturi, ad diſturbandos defenſores. His, ſi ruinam ſuperare non poſſent, mandatum erat, ut in ea ſe munirent, ſummiſſis II centurionibus cum C militibus, qui marras, ligones, palas, ſecum ferrent; quos totidem ſequerentur cum tabulis, aſſeribus, ſaccis terra plenis, lignorum faſcibus: ſin ruinam ſuperarent, alii V ordinum ductores, ſinguli cum XXC delectis, et L artificioſos igneis ſecum ferentibus, praeſto eſſe juſſi; quos rurſus V alii ſeqnerentur cum IↃC armatis; ita ut ex II CIↃ, tantum ad vallum tuendum IↃ CCC remanerent. Tum ad praetorium ſignum ſtare juſſi cum ſuis Sanctius Luna et Almanſa; ad [d] Santoloanam munitionem [e] Aumalius; cui attributus eſt Alvarus Oſorius [f] Farae praefectus, [g] Avellinus, [h] Ciacconus. Infra eum [i] Cimaci princeps cum Belgis ſuis et [k] Valenciano praeſidio agmen ſtruere juſſus; et alterum ad portam [l] Cantinpratenſem Gaſto Spinola: ad gemonias [m] Boſſuvius, cum levi armatura et parte equitatus, deſtinatus erat: Marcus [n] Ria Varanboni marchio, Joannes [o] Preſteinius, et Maximilianus Diatriſtanus, cum Fontano erant. Nec ſegnius [p] Vicus et Buhius cuncta in urbe ad defenſionem inſtruebant; et Balagnius huc illuc diſcurrebat, ad fortuita praeſto futurus; eum caſus a Ronaeo praedictus eos certandi neceſſitate abſolvit, et victoriam citra ſanguinem ad Hiſpanos tranſtulit. Nam archiepiſcopo addicti, occaſionem ex periculo ante oculos verſante captantes, alios, alioqui ab Hiſpanis alienos, ſolicitant; et a delegatis ſuis, qui in itinere erant, neque dum advenerant, per literas ſe monitos dicunt, nihil a rege impetrari potuiſſe: igitur veniſſe tempus, quo duorum malorum minus eligant, neque ſe fallacis ſpei illecebra diutius ludificari patiantur. An exſpectandum, ut quos offenderint ſaeviſſimos ultores experiantur? Adeſſe archiepiſcopum antiquum dominum, cujus dominationem, ad libertatem proclamantes, excuſſerint, a patrocinio nominis Francici fruſtra ſperatam: ſed eam libertatem, calamitate temporum diriſſima, ſervitute mutaſſe; nec a rege levamentum ejus ſperari poſſe: igitur aliquo operae pretio irritatum hoſtem placent, et periculo, quod ab oppugnatione imminet, ſpontanea deditione praevertant. Rei conficiendae commoditatem a fortuna dari: nam, Gallis, qui exiguo numero ſunt, in ruinae defenſione occupatis, totam urbem in civium armatorum poteſtate eſſe, qui de ea arbitrio ſuo ſtatuere poſſunt. Hodie liberum ipſis eſſe, de ſalute communi aut exitio, utram in partem inclinarint, decernere. Ad has voces,

quis

VAR. LECT. [α] ſcribunt territum Bullionium, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Savigny de Roſne.* [b] *Tillemont.* [c] *Ruggier Gaetano.* [d] *Boulevart de St Ol.* [e] *le duc d'Aumale.* [f] *la Fere.* [g] *il Principe d'Avellino.* [h] *Chacon.* [i] *Chimay.* [k] *Valenciennes.* [l] *de Cantinpré.* [m] *le comte de Boſſut.* [n] *de Rie marquis de Varambon.* [o] *Pernſtein, & Max. Dietrichſtein.* [p] *de Vic, & de Mornay Sr de Buhy.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

quis auctor aut dux facti incertum, cum multi incitarentur, magnum acceſſit ad rem conficiendam momentum, CC equitum, quibus ex aerario nrbano ſtipendia procedebant, antea ſolicitatorum defectio; qui, conſumpta omni pecunia, non aliam quam aeream vulgo jactari indignabantur; et, quamvis eam alia proba ſe poſtea mutaturum Balagnius ſponderet, hominis vani promiſſis minime fidem habebant. Iis a Balagnio deficientibus, conjurati plateam, in qna illi ſtationem habebant, occupant; et, verſis contra Helvetios, qui alieniore a Balagnio animo erant, in eadem platea excubanteis, armis, eos ſigna ſummittere coegerunt. Tum, carris et aliis tumultuariis munitionibus firmato loco, ad portam S. Sepulchri accurrunt, et, ſublata voce et praelato in haſta pileo, colloquium cum hoſte petunt. Ad eam ſtabat Avellini princeps, qui ex compacto, a Ronaco monitus, ex agmine ſuo cum C procurrit, delegatos ad ipſum mittendos opperiens. Balagnius nec opinato motu territus, ut erat in proſperis elatus, ſtatim animo concidit, quid ageret incertus, et potius de vita quam de dignitate cogitans. Vicus contra vir intrepidus, inſuperabili ſe vi circumventum videns, minime tamen ſe deſeruit; ſed amica oratione ad tumultuanteis converſus, huc ſe a rege miſſos dixit, ut civium ſalutem ac dignitatem tuerentur, quos ille chariſſimorum filiorum loco habear: ſi nullam aliam ſalntis expediendae rationem videant, quam per deditionem, non pugnare quominus ipſi ſibi conſulant; ſed eos monitos velle, ne praecipitata deditione, dum periculum oppugnationis vitatum cupiunt, ad praedam Hiſpanis ſe temere exponant, potius quam aequiſſimis poſſent conditionibus cum hoſte paciſcantur. Mora feſtinato conjuratorum conſilio interpoſita, ſperabat Vicus motus primos incitatae plebis ſedari poſſe, et poenitentiam probroſi conſilii forraſſe ſubituram: at illi propoſito inſtanres non tamen monita Vici contempſerunt, ſed, miſſo urbis curione, et praepoſito, ea juridici dignitas eſt, antequam portas aperirent, petierunt, ut de conditionibus agere liceret. Avellinus, qui agendi cum iis poteſtatem non haberet, benigne acceptos, per Joannem [a] Ciacconnm et Hannibalem [b] Lamanium Neapolitanum ad Fontanum miſit; qui, quod mandata non plena haberent, diu ab eo interpellati, tandem, ut a pulſatione ceſſaretnr, dum de conditionibus agerent, impetrarunt. At Balagnii uxor virilis animi foemina, quae toto obſidionis tempore nullum non militis officium impleverat, in opere cum gynaeceo, in pomoerio ac ruina cum milite, aſſidua, tormenta propriis manibus dirigens, et ignem plerumque admovens, cuſtodias noctu et interdiu in equo circumiens, dum cives cum Fontano eſſent, ad ſtrepitum in plateam deſcendit; et, ad populnm verſa facie, Quae vos, ait, filii mei, agit inſania? Tantumne vanns terror in veſtris animis potuit, ut, veſtri ac ſalutis propriae immemores, plus in feroci hoſte, qui, ſanguinem veſtrum ſitiens et praedam jam ſpe devorans, ceterum impar viribus, temerariam hanc obſidionem ſuſcepit, quam in his pectoribus, in his armis pro ſalnte communi ſumptis, ſpei reponatis? Quid plus ſonoro tormentorum fragore in hoſte exhorreſcitis? Ruina adeo anguſta et ardua et inſuperabili an eniti miles, et, ſalva ex Robertino propugnaculo verberatione, foſſam ingredi et oppugnationem tentare, audeat? Ut foſſam tranſcenderint, quantum illis certaminis in ipſa ruina reſtat, ubi ex inferiore loco venientibus cum IↃ armatis undique tutis et in veſtigio firmiter conſiſtentibus res erit? ubi tam iniqua ſorte congrediendum erit, ut quod Gallici militis in urbe eſt, contra L ferociſſimorum bellatorum CIↃ, nedum tam exiguam Hiſpanorum manum, loco tuendo par ſit? Nimirum ſucceſſus illos audaces facit, majorque eorum de conſternatione veſtra, quam de propria virtute, fiducia eſt: animos agedum colligite, et in has generoſas animas, defenſores oſtendebat, pro ſalute urbis vitam profundere paratas reſpicite; ſicque vobis perſuadete, cum amicis vobis omnia conſtare, cum reconciliatis

INTERPR. [a] *Chacon.* [b] *de Lamagna.*

reconciliatis inimicis, oedum eum Hiſpaois, nullam ſincerae pacis rationem iniri poſſe. CIↃ IↃ XCV.
Ne quis vero anguſtia nummi angatur, de moneta aerea, quae pro teſſera tantum data HENRICUS IV.
eſt, repulſo hoſte protinus luenda, et de meritis cujuſque honore et praemio remuoeraodis, ecce me vadem conſtituo; quoque magis credatis, aperto gremio ex pecunia aurea et argentea in vulgus miſſa, quod nunc poſſum large do vobis. Tum, ſariſſà violenter prehenſa, vos viciſſim me ſequimini, et vadentem ad ruinam comitati, pro aris focisque fortiter pugnantes victoriam certam ſpetate. Non valuerunt generoſae foeminae adverſus viri odium voces. Itaque ad Gallos duces reverſa, Me dignitatemque meam, inquit, ac ſalutem urbis a civibus ipſis proditam, in veſtra depono virtute; ſi quid poſſum, exemplo ſaltem, non deero, quippe cui in principatu moti, quam privarae vivere, optabilius ſit. Dum Balagnii uxor animoſe cruciat ſe, miſſi a Fontano Stephanus Ibarra ab epiſtolis, Joannes [a] Peregrinus, Ant. [b] Moſquera, Claudius Burlota, ſtrenui belli duces, intra urbem, qui de conditionibus agerent. Dum altercatur, renovato Parmenſis exemplo, qui in colloquiis hujuſmodi, rebus ad oppugnationem paratis, nunquam pulſationem intermittebat, redintegrata verberatio; ac, per eam pavore plebi jam coocitatae injecto, maturata deditio his conditionibus; Ut praeteritorum oblivio ſanciretur, a direptione abſtineretur, civibus privilegia antiqua ac immunitates ſalvae, ut antea, manerent, et urbs in archiepiſcopi antiqui domini poteſtate eſſet. Addunt alii praeterea conveniſſe, ut arx tantum a Belgico praeſidio teneretur; quod minime ſervatum fuit. Poſt pacta ſubſignata magno concurſu aperta Cantinpratana porta, et introducti Gaſto Spinola et Jo. Jacobus [c] Bellijoci comes; quos ſecutus eſt cum Hiſpano peditatu Auguſtinus Mexia. Nec defuerunt ex conjuratis in utbe, qui Hiſpanos hortarentur ſtatim ad pomoerium tendere, et defenſores a tergo adoriri, dum ſocii per ruinam eniterentur, ut undique circumventi Galli effugium non haberent: verum id duces averſati ſunt, quod vererentur, ne ſemel ad certamen emiſſum militem a praeda, quod cautum fuerat, abſtinere non poſſent.

VII. NOSTRI, cum hoſtem ab oppidanis intra moenia acceptum viderent, mature ſe in arcem receperunt; in qua [d] Retelenſis erat, ex quo in urbem venerat, cuſtodiae ejus impoſitus. Hiſpani duces, cum poſt noſtrorum receptum ſtatim ad ruinam veniſſent, admiratione ſimul et ingenti laetitia perfuſi ſunt, quod opportuna civium tumultuantium ſeditione factum eſſet, ut ſine ſanguine urbe longe munitiſſima potiti eſſent, quam vi tam brevi tempore ac tam exiguis copiis inſuperabilem eſſe uuanimi conſenſu fatebantur. Balagnius, ſive inſita vanitate ſive quod jocanti fortunae ludibrium debebat, omnia negligenter in arce et in urbe adminiſtraverat: non plateam ante arcem, quae urbem ſpectat, complanaverat; noo propugnacula porrexerat, aut foſſam dilataverat, arce, ut erat, ſatis ſe tutum exiſtimans; neque providerat, Cameracenſeis odio Hiſpanorum ſe munitiſſima urbe hactenus defendiſſe, et longe fortioribus pedicis ad retinendam urbem ſub principatus titulo, quam ſub ſolo Francorum patrocinio, opus eſſe: quin et ab annona et a re pecuniaria imparatus erat; neque plus quam ad octiduum commeatus in arce fuiſſe ipſi ſcribunt Hiſpani. Itaque noſtri, qui ſe viribus impares ad defendendam arcem viderent, nullum hoſtilis animi ſignum primo dederunt, occaſionem a fortuna opperientes, ſi forte victores ſecuri ad praedam verterentur: tunc enim, ſubeunte oppidanis adhuc armatis poenitentia, amiſſam urbem recuperari poſſe; ſaltem ad colligendos ex pavore ob inopinatum caſum animos moram non inutilem fore. Igitur a Fontano deditionem facere juſſi tridui ſpatium popoſcerunt, dum Nivernium, qui in proximo cum ſummo a rege imperio erat, de rerum ſuarum ſtatu edocerent. Negavit primo Fontanus, et Hiſpana jactatione

INTERPR. [a] *Peregrino.* [b] *de Moſquera.* [c] *Belgioioſo.* [d] *le duc de Rethelois.*

jactatione ſe non ſolum triduum ſed plures dies conceſſurum reſpondit, ſi proelii ſpes eſſet: ſed cum videret omnia Gallis imparata eſſe, nolle officio deeſſe, aut committere ut vel minimum rei peragendae tempus ſibi pereat: ſe Retelenſis adoleſcentiae miſereri, et in gratiam patris, quem ex animo colat, nihil non facere paratum, ut ipſi intelligant, ſalva fide, eorum dignitati ac commoditatibus conſultum cupere. Cum noſtri in propoſito perſtarent, et loco ſe adeo munito tutos potius vitam depoſituros, quam quidquam indignum Gallico nomine facturos, oſtenderent, Fontanus ad extremum triduum conceſſit; et alterum rurſus triduum inter altercationes elapſum: interimque, a Nivernio et rege moniti ut ſibi conſulerent, poſtremo in has conditiones tranſegerunt; Ut arx Lunae die proximo, hoc eſt, VII Eidus Octobreis, cum omnibus tormentis, apparam bellico, et annona, dederetur; quo facto intra ſex dies Fontanus [a] Cleriam arcem demoliretur, paulo ante captam; ad idque ruſtici [b] Perona, Samarobriga, Corbiaque, ſummitterentur: [c] Retelenſis, Balagnius, Buhius, Vicus, ceterique nobiles, ac belli duces, et milites, tam pedites quam equites, cujuſcunque nationis eſſent, exire poſſent, in aciem inſtructi, ad pulſum tympani et tubarum clangorem, cum pilis in ore, funibus accenſis, ſignis explicatis ac vexillis: tum quae in urbe amiſſa eſſent, iis reſtituerentur; nec non et equi, arma, ac cetera impedimenta; quae ſi non reperirentur, pretium eorum a Fontano dependeretur; de quo inter Buhium et Vicum, [d] Ronaeum et Mexiam, conveniretur: aegroti, ſauciati, ac captivi ſine pretio dimitterentur, nec non Balagnii uxor cum liberis ac gynaeceo et ducum uxoribus: liberum eſſet eccleſiaſticis, qui vellent, ac civibus, aliiſque, cujuſcunque nationis eſſent, tam ex iis qui in arce nunc eſſent, quam in urbe, cum curribus, carris, equis, impedimentis, familia, exire: aes alienum a Balagnio aut a familia ejus in urbe contractum Cameracenſes remitterent, neque ob id retentionis jure in ipſum reſve ejus ac familiam uterentur: viciſſim Retelenſis, Buhius, et Vicus, fidem interponerent, cum primum in tutum deducti eſſent, curaturos, ut delegati ab urbe, qui in Gallia erant, incolumes remitterentur: Balagnio, uxori ejus, liberis, ducibus, ac familiae, ob geſta factaque in urbe toto belli tempore quo ei praefuiſſet, a Catholico rege ejuſve miniſtris moleſtia nulla crearetur: hiſque conditionibus comprehenderentur qui vellent, ex quocunque urbis ordine; quibus liberum eſſet, manere in urbe, alio divertere, bonis ſuis frui uti, vendere ea, prout videretur. Die dicta CIↃ circiter pedites, CCCC equites, arce egreſſi. Retelenſis honorifice admodum a Fontano habitus eſt: [e] Avellini princeps ipſum ac reliquos belli duces lautiſſimo convivio excepit, ac poſtea ipſe ac Ronaeus eos Peronam verſus in tutum deduxerunt. Balagnii uxor ambitione amens, exprobrata viro ignavia, quod fortunae tantae ſupereſſe ſuſtineret, inter ſuſpiria ac ſingultus, antequam ex arce exiret, e vita demigravit. Poſtridie ab archiepiſcopo, ut gratias Deo ageret de tanta victoria, quae non plus morte CCCC Hiſpanorum conſtitiſſet, indictae ſupplicationes; quibus [f] Fontanus, Aumalius, Cimaci princeps, Carolus Ecmondanus comes, Carolus Ligneus Arembergii comes, Varanboni marchio, Boſſuvius comes, Auxii regulus, Ronaeus, Mexia, ſolemni pompa interfuerunt. Tum dimiſſi Itali, qui [g] Tilemone venerant; et in itinere nacti aliquot hoſtium excurſores, qui magnam praedam juxta Lovanium fecerant, eos ſuderunt, et praedam receperunt. Aliquot poſt diebus archiepiſcopi ſuggeſtione corpus Caroli [h] Gauri Incii, qui urbem Alençonio tradiderat, jampridem in primaria urbis aede honorifice tumulatum, ignominioſe refoditur; atque ob proditionem, ut aiebant, urbe

INTERPR. [a] *Chateau de Clery.* [b] *Peronne, Amiens, & Corbie.* [c] *le duc de Rethelois, de Balogny, de Buhy, & de Vic.* [d] *Savigny de Roſne, & Mexia.* [e] *Avellino.* [f] *le comte de Fuentes, le duc d'Aumale, le prince de Chimay, le comte d'Egmond, de Ligne comte d'Aremberg, le marquis de Varambon, le comte de Boſſut, & le vicomte d'Auxy.* [g] *Tillemont.* [h] *de Gaure baron d'Inchy.*

urbe ejectum loco profano exponitur. Alençooii et Balagnii inſignia paſſim deraduntur, et monumenta abolentur, juſſu Fontani. Tum, coacto civium concilio, ſupplex à Cameracenſibus libellus porrectus, quo, ad ſecuritatem urbis et vicinarum provinciarum, Philippum orabant, ipſam ceteris ditiouibus ſuis aggregaret, ſalvis civium privilegiis et immunitatibus. Id aſtu Fontani in ſuum praejudicium fieri ſuſpicatus archiepiſcopus, protinus ad regem Catholicum mittit; injuriamque tantam a ſe ac ſucceſſoribus archiepiſcopis deprecatus, ad levandam invidiam impetravit, ut ſalva illi juriſdictio ſua et plenum dominium in urbe ac ditiooe omni Cameracenſi maneret; patrocinium et arx penes ſe eſſet. Mexia cum cccc Hiſpanis arci impoſitus, CIↄ Germani ad urbis cuſtodiam relicti: ipſe Fontanus triumphabundus, et per orbes, qua incedebat, magnis ubique gratulationibus exceptus, Bruxellas conceſſit. Cum poſtea praeſidiarii ſtipendium promiſſum repraeſentari peterent, et, niſi ſatisfieret, direptionem minarentur, vix archiepiſcopi interventu, ac paucorum poena juſſu Fontaoi in furcam actorum, tumultus placari potuit.

VIII. PAULO poſtquam Cameracum deditum eſt, [a] Lira ab Ordinum militibus ſummopere periclitata eſt. Urbs eſt pari ſpatio a [b] Mechlinia et Antuerpia diſtans, in Brabantia, oec longe ab [c] Erentelia et Lovanio ad Netham poſita, opportuno ad infeſtandam excurſionibus Brabantiam ſitu. Capto de ea intercipienda conſilio, Carolus [d] Heraugerius Bredae praefectus, qoi anno ineunte [e] Hoium io Condruſis ceperat, ad [f] Jobi-fanum copiis ſuis diem condicit III Eidus Octobreis. Eo cum ccc ex Bredae praeſidio, [g] Gulielmi urbe c, totidem [h] Hulſto, Bergis ad Somam cc pedites, et XL equites ex eodem praeſidio, et XXC Breda, conveniſſent, ipſe in viam ſe dat; et Lirae ſub quintam noctis horam propinquat; et, derivata foſſae aqua, admotiſque ad Mechlinicoſem portam ſcalis, cum ſuos introduxiſſet, porta mox reſerata cum totis copiis urbem hoſtiliter ingreſſus eſt; tubis canere, et tympanis ad majorem Incutiendum terrotem pulſari, juſſis. Urbem paucorum Hiſpaoorum et Belgarum praeſidio tenebat Alſonſus Luna, qui poſt leve certamen in platea, cum ſe viribus imparem videret, mature ſe ad portam [i] Hiprenſem cum ſuis recepit, in eaque ſe munivit, miſſis ſtatim Antuerpiam et Mechliniam, nec non Tilemonem ad accerſendos Italos, et Cameracum ad Fontanum, rei nunciis, ut ſibi cum auxiliaribus praeſto eſſent. [k] Avellinus ſubito cum IV CIↄ peditum et ccc equitibus eo ire juſſus. Itali haud ſegniter imperata fecere, miſſis e ſuo numero IↄCCC, partim peditibus partim equitibus, duce Hieronymo [l] Pradino: ſed ſerius ii venere. Mondragonii vicarius ex arcis Antuerpianae praeſidio CXXC veteranos delectos ſecum aſſumpſit; monitiſque oppidanis ne ſibi deeſſent, ex iis II CIↄ miſſi, ducibus Antonio [m] Berchemio, [n] Didaco Daſſa, et Aegidio [o] Mera ſenatoribus. His ſe in via adjunxerunt CCCCL Mechlinienſes, ductore Joanne [p] Laemano Schrincovio. Capta urbe inſtabat Heraugerius, ut ad Hiprenſem portam e veſtigio impetus fieret: ſed, milite in praeda, ſpoliandis templis, imaginibus dejiciendis occupato, non auditus eſt; interimque auxiliares advenere: quibus per portam, quam Hiſpani ſervabant, iutroductis, Luna, protinus in palanteis invectus, poſt exiguum certameo tam facili negotio urbem recipit, quam pridie capta fuerat. Heraugerius ſummus dux et Willelmus [q] Voſſius Haſſelenſis, Hoienſis expeditionis Heraugerio auctor, deſiderati, nec oon plerique centuriones: pauci, ac CC tantum, ut Hiſpani ſcripſere, periculum evaſerunt: ceteri, porta, qua exitum quaerebant, ſorte obſerata, ab inſequente hoſte mactati ſunt:

multi

INTERPR. [a] *Liere.* [b] *Malines, & Anvers.* [c] *Herentals, & Louvain ſur la Nethe.* [d] *de Heraugieres.* [e] *Huy au pays de Liege.* [f] *St Jab.* [g] *Willemſtatt.* [h] *Hulſt, & Bergen-op-zoom.* [i] *Liſper porte.* [k] *le Prince d'Avellino.* [l] *Pradino.* [m] *Berchem.* [n] *Diego de Daça.* [o] *de Mera.* [p] *Vanderlamen Sr de Sebrick.* [q] *Vos de Haſſel.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

multi per moenia ſe praecipites dedere, Netha ſubjecto hauſti. Praeda, quae reperiri potuit, quia in Batavorum poteſtate per XXIV horas non fuerat, oppidanis religioſe reſtituta eſt ab Antuerpianis et Mechlinienſibus; qui paria veriti magna moderatione erga comprovincialeis ſuos uſi ſunt. Lilloae audito Liram captam eſſe, in laetitiae ſignum inſolito fragore tormenta diſploſa fuerunt, moeſtia caſu vicinis Antuerpianis; qui mox recepta Lira, contrario tormentorum fragore Lilloenſibus ſilere juſſis, magna ob rem bene a ſuis geſtam laetitia perfuſi, contraria ſigna ediderunt. Haud multo poſt [a] Henricus Bergenſis comes, Hermanni frater, [b] Wartae, quod eſt oppidum [c] Campiniae in [1] Taxandriae finibus, cum Bruxellis cum aere militari veniret, a quibuſdam ordinum centuriis nocte intempeſta irrumpentibus captus eſt, et, direpto prius oppido, [d] Neomagum Geldriae metropolim deductus; a quibus poſtea, perſoluto ex collaoonibus provinciae pretio, liberatus eſt. Sub id et irrito conatu tentata [e] Ruremunda in Sicambris, ſuburbiis primo occupatis: verum ad ſtrepitum excitatis cuſtodibus, et concurſu civium ad pomoeria facto, ſcalae confractae et Batavi cum damno repulſi ſunt.

IX. APUD nos rex, qui interim [f] Samarobrigam venerat ad firmandum limitem, et animos trepidis ubique praeſidiariis praeſentia ſua faciendos, ut aliquo operae pretio tot clades ſarciret, [g] Faram ad Eſiam expugnandam ſuſcepit, acceptis ab Ordinibus ſub id XII peditum ſignis, duce Juſtino Naſſovio Willelmi Arauſionenſis naturali filio; qui ex Zelandia ſolventes [h] Caletum appulerunt, et inde terreſtri itinere in caſtra venerunt; quos CIↃ IↃ, majorem partem Scoti, ſecuti, cum aliquot menſium ſtipendio. Venerunt et poſtea IV CIↃ peditum ab Angliae regina auxilio ſummiſſorum. Caſtra ad oppidum poſita ineunte Novembri.

X. EXEUNTE menſe praecedenti Lud. Gonzaga [i] Nivernii dux, qui non ſatis bene firma valetudine jampridem uſus fuerat, continuis belli improſperi laboribus confectus, ex dyſenteria [k] Nigellae obiit, cum LVI annum ageret, pleriſque viris magnis fatalem: vir ingentis animi, ſed moroſioris prudentiae quam coelum Galliae ferat, et exactioris ſolertiae vulgo creditus; de cetero, ſummus juſtitiae ac diſciplinae cultor, comis, humanus, magnificus, et decoris ac dignitatis ſuae admodum [α] ſtudioſus. Idem annus abſtulit Antonium, Ludovici, qui Joannis Luſitaniae regis frater fuit, [β] filium, ab ordinibus regni, poſt Henrici cardinalis, qui Sebaſtiano in regnum ſucceſſit, mortem, in regem electum: qui, variis adverſitatibus in ipſa Luſitania et ad [l] Caſſiteridas conflictatus, in Anglia et apud nos miſerabile perfugium habuit; ac tandem, LXIV minor, Lutetiae ex moerore animi deceſſit VII Kalendas Septembreis, relictis duobus [γ] filiis, Emmanuele grandiore natu, qui Aemiliam Naſſoviam Mauritii ſororem ex Anna Saxonica natam in uxorem poſtea duxit, et Chriſtophoro. Antequam moreretur teſtamentum condidit, quo, commendatis regi liberis, eum heredem inſtituit, et omnia jura, quae ipſi in regno Luſitaniae vel ſucceſſione vel electione quomodocunque competebant, in eundem [δ] tranſtulit. Ante Antonium exeunte Maio fatis conceſſerat [m] Hugo Lupus Verdala, ordinis Hieroſolymitani princeps,

VAR. LECT. [α] ſtudioſus. Ad morbum naturalem acceſſiſſe animi aegritudinem haud obſcura fama fuit, ob acerbum regis verbum, cum ad eum allatum eſſet, Nivernium, Cameraci caſu valde commotum, dixiſſe, occupato in vaccis per Sequanos abigendis exercitu, et aula Lugduni ad ſpectacula otiante, firmiſſimum Gallici limitis propugnaculum per probroſam ignaviam amiſſum eſſe. Idem annus *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] filium naturalem, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[γ] filiis naturalibus, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[δ] tranſtulit. Cor ad devotarum virginum coenobium, cui Ave Maria nomen, conditum, cum inſcriptione, qua mortuus, magno Gallici nominis atque adeo aulicorum probro, in paupertate ſumma ſe deceſſiſſe conteſtatur. Ante Antonium *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le comte Henry Vanden Berghe.* [b] *Weert.* [c] *Kempenland* al. *Campigne en Brabant.* [d] *Nimegue.* [e] *Ruremonde en Gueldre.* [f] *Amiens.* [g] *la Fere ſur Oyſe.* [h] *Calais.* [i] *Nevers.* [k] *Neſle.* [l] *les Açores.* [m] *Hugues de Loubenx de Verdalle grand maiſtre de Malte.*

NOT. [1] *dele* Taxandriae, *lege* Brabantiae. Metéren met *Weert* petite ville ſituée en Brabant. *Put.*

princeps, ac ſanctae Romanae eccleſiae cardinalis, annorum LXIV: ac morte ſua finem CIↃ IↃ XCV.
diſſidiis impoſuit, ex eo ortis, quod, cum peculiare aerarium haberet, nam fere CCC HENRICUS IV.
aureorum CIↃ in pecunia ſignata ſive infecta, aut in nominibus, reliquit, et triremeis ſibi non ordini etiam comparaſſet, eas in rem ſuam privatam, non in publicum ordinis commodum, neque cum ceteris ordinis triremibus, ſicuti ſtaturis jubebatur, ſed ſeorſim ad piraticam, mitteret. Ob id a [a] Cagnolo ordinis praefecto ad pontificem delatus fuerat; iiſque contentionibus effectum fuerat, ut, intermiſſis tamdiu triremium Melitenſium excurſionibus, Turcici piratae late maria Italiae circumpoſita liberius infeſtarent. Nam ſub id Amurathes Raiſius famoſus praedo cum X biremibus egregie inſtructis, ex V triremibus collegii equitum S. Stephani, qui a Coſmo magno Etruriae duce inſtituti ſunt, antea duas ceperat; et nuper IV naveis Alexandria Aegypti venienteis, oleo, grano, aliiſque magni pretii mercibus, oneraras, quae pretium CCCC aureorum CIↃ aequare dicebantur, itidem interceperat. Juſtis mortuo de more perſolutis, in ejus locum equitum ſuffragiis electus eſt XIV Kal. Quintil. Martinus [b] Garces Tarraconenſis, vir moderato ingenio; qui, ut equitum querimonias ſedaret, ſtatim principatus ſui initio vectigalia nova ſuſtulit, officia, quae vocant, ad tempus abrogavit: tum, ut diſſidii recentis occaſionem omnino tolleret, edixit, ne quis ex equitum collegio deinceps, nec princeps ipſe ordinis, triremeis ſeorſim privatum in commodum ad excurſiones emitteret. Cagnolus Melitam remiſſus a [c] Puccio equite, qui pontificiis triremibus praeerat, cum deduceretur, adjunctis aliis Melitenſium triremibus, in Amurathem circa Siciliae litora inciderunt, et diu ambiguo marte ac pari utrinque damno certarunt. Ante Verdalam [d] Paſchalis Ciconia Venetae reipublicae princeps, adfecta multum aetate, IV Non. April. deceſſerat; ad [e] Crucigerorum, ſicuti mandaverat, poſt ſolemneis exſequias, quibus principum legati interfuerunt, perhonorifice ſepultus. Mortuum laudavit Aeneas Picolomineus luculenta oratione, bonarum literarum urbe in illa profeſſor. Ei ſuffectus principatum inivit VI Kalendas Maias Marinus Grimanus, ex familia, quae jam multos reipublicae principes dederat, natus. His adjungam viros literis claros, quorum morte hic etiam annus inſignis fuit. Primus dicetur Laevinus Torrentius patria Gandenſis; qui, cum literarum tirocinium in pueritia Lovanii feciſſet, [f] Bononiae juris civilis et melioris antiquitatis cognitionem non vulgarem adeptus eſt, doctiſſimorum virorum, qui tunc in Italia florebant, [g] Patavii, Romae, Venetiis, conſuetudine uſus; ingeniumque in pangendis verſibus praecipue exercuit: domum reverſus, ab Everardo [h] Marciano cardinali Leodicenſi epiſcopo, ob ſingularem eruditionem cum ſumma morum probitate conjunctam, in familia aſcitus, et honorifico ſacerdotio donatus. Demum, variis legationibus ſumma cum prudentiae laude defunctus, poſt Franciſcum [i] Sonnium primum Antuerpiae epiſcopum, ea dignitate, poſt receptam a Parmenſi urbem, ornatus eſt; in eoque munere, ſeptuagenario major, deceſſit VI Kalendas [α] Maias. Eodem die, quo Torrentius ad Deum abiit, ex hac vita migravit Romae, ad S. Onufrii a collegii ſodalibus ſepultus, Torquatus [k] Taſſus, Bernardi, cujus et epiſtolae et carmina vernacula extant, filius, annis natus plus minus XLV; vir admirabili ac portentoſo ingenio, qui inſanabili in adoleſcentia furore correptus, cum in Ferrarienſi aula degeret, nihilominus per dilucida intervalla tanto judicio, elegantia, ac caſtiſſimo

VAR. LECT. [α] Maias: ad ceteras laudes accedente ſumma moderatione ac aequitate erga Proteſtantes, qui multi Antuerpiae erant, et, rebus confuſis ab urbe diſcedere ob edictorum ſeveritatem coacti, benigniſſimum in eo viro patrocinium experti ſunt, dum liberalitate et indulgentia depravatae religionis malum potius quam vi et ſanguine ſanari poſſe exiſtimat. Eodem die *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Cagnolo seneſchal.* [b] *Garces de Balbaſtro en Arragon.* [c] *le commandeur Pucci.* [d] *Paſqual Cicogna.* [e] *alla Chieſa di Crocichieri.* [f] *Bologna.* [g] *Padoue.* [h] *de la Marck cardinal eveque de Liege.* [i] *Sonnius.* [k] *Taſſo.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

caſtiſſimo ſtylo, plurima et ſoluta et pedibus aſtricta oratione ſcripſit, ut miſericordiam, qua plerique ejus vicem proſequebantur, tandem in ſtuporem verterit; dum furore illo, qui in aliis mentes efferat aut hebetat, ingenium ejus veluti defaecatum, in rebus inveniendis expeditius, inventis apte digerendis acutius, et ſententiarum gravitate ac verborum delectu ornandis copioſius, a morbo ſurgit; et, quod ſaniſſimus quiſque vix ſumma cura ac labore per otium extunderet, ipſe poſt violentam mentis emotae agitationem ſponte ac felicitate mira perficit; ut non alienatione mentis perculſus, ſed oeſtro divino percitus, videretur. Haec qui neſciat, quae omnes, qui in Italia fuerunt, noverunt, et de quibus ipſe interdum in ſcriptis ſuis quanquam ſobrie conqueritur, et divina ejus ſcripta legat, aut de alio quam de Taſſo me loqui, aut ab alio quam Taſſo haec ſcripta, pronunciet, neceſſe eſt. Idem menſis funeſtus fuit tribus de republica literaria bene meritis in Saxonia profeſſoribus; Reinero [a] Reineccio Steinheimenſi, qui Syntagmate genealogico ac hiſtorico ſumma diligentia ac fide concinnato aliiſque ſcriptis magnam gratiam ab ſtudioſis inivit, et literas diu in [b] academia Julia profeſſus, eodem, quo illi de quibus modo dixi, die in vivis eſſe deſiit; et Michaeli [c] Neandro Soraviae in Quadis nato, qui in [d] Iſfeldenſi ſchola a Thoma Stangio praeſule poſtremo ad [e] Hercyniam inſtituta, totos XL annos trium linguarum cognitione clarus docuit, ac ſeptuagenarius decimo poſt Reineccium die defecit. Triſtior quo acerbior mors fuit [f] Valentis Acidalii [g] Wiſtochii in limite Brandeburgico nati, adoleſcentis ſummae ſpei et eruditionis; qui, poſt Italicam peregrinationem cum [h] Wratiſlaviam rediiſſet, inde [i] Nyſſam evocatus, morbo familiari, quem ex nimiis vigiliis in adornandis Plautinis divinationibus contraxerat, correptus, tertio poſt die VIII Kal. Jun. deceſſit, cum vix annum XXVIII exceſſiſſet. Annum clauſit Gulielmus [k] Whitakerus, utroque parente Lancaſtrenſi familia honeſta in praedio [l] Holmio natus, magni nominis inter ſuos theologus; qui, [m] Juelli Saliſburienſis ſive imitatione ſive aemulatione, cum Edmundo [n] Campiano, Joanne [o] Duraco, Thoma [p] Stapletono, aliis, tota vita ſcriptis diſputavit, et [q] Cantabrigiae obiit; quanquam vix XLVII aetatis annum ſuperaſſet, ita viribus defectus, ut inſtar infantuli placide ac ſine ulla convulſione ſpiritum efflaverit. Hoc eodem anno ad vitam aeternam VIII Kalendas Junias evolavit octogenarius Philippus [r] Nerius patria Florentinus, Franciſco et Lucretia [s] Solda parentibus natus; qui ſecunda ſanctitatis vitae fama Romae diu vixit, congregationem presbyterorum oratorii fundavit, Caeſari Baronio ex eodem ſodalitio ſacerdoti, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus eſt, annalium eccleſiaſticorum adverſus Magdeburgicorum theologorum centurias ſcribendorum auctor fuit. Ejus vitam ac facta dictaque, quamdiu Romae vixit, libris III copioſe ac fere dietim ſcripſit Antonius [s] Gallonius; ut, qui plura ſcripſerit, Nerio et ipſius gloriae tam praeclaro praeconi injuriam fecerit.

XI. TRISTI ubique facie, ut quae in aliis longe a rege provinciis agerentur exſequamur: in [t] Armorica Joannes [u] Aumontius equitum tribunus, relicto ad [v] Quinpercorentinum Antonio [w] Pratenſi legionis tribuno, qui arcem inchoatam feſtinatis operibus urgeret, [x] Sanlucii interventu, qui cum omnibus copiis ad [y] Rupem [z] Pimpolio vicinam conceſſerat, cum Edvardo [aa] Norriſio Anglorum ſummo duce agebat, ſi forte illius animum ſibi conciliare poſſet: verum, Edvardo contraria reginae imperia cauſante, ac ſe excuſante, poſt amicum colloquium, quo praeteritorum memoria induceretur, utrinque diſceſſum eſt; et Angli mox conſcenſis navibus Angliam reverſi

INTERPR. [a] *Reineccius de Stenheim.* [b] *à Helmſtadt Univerſité inſtituée par Jules duc de Brunſwick.* [c] *Neander de Sora en Sileſie.* [d] *d'Iſfeld.* [e] *la Foreſt noire.* Germ. *Schwartzwald.* [f] *Valens Acidalius.* [g] *Wiſteck.* [h] *Breſlau.* [i] *Neiſſe en Sileſie.* [k] *Whitaker.* [l] *Holme dans Lancaſhire.* [m] *Juel evêque de Saliſbury.* [n] *Campian.* [o] *Durey Eſcoſſois.* [p] *Stapleton.* [q] *Cambridge.* [r] *Neri.* [s] *Solde.* [s] *Gallonio.* [t] *Bretagne.* [u] *le mareſchal d'Aumont.* [v] *Quimpercorentin.* [w] *Du Pré.* [x] *de St Luc.* [y] *la Roche.* [z] *Pimpol.* [aa] *Norris.*

reverſi ſunt. Ne nihil interea ageretur, Sanlucius [a] Condatum Redonum tendere juſſus; praemiſſoque Monmartino qui praefecti caſtrorum munere in exercitu fungebatur, caſtella quaedam urbi circumpoſita expugnare ſtatuit. Cum primis et alteris caſtris [b] Fanum Brioci et Fanum Joannis veniſſent, impreſſione nocturna a [c] Sanlaurentio Dinami praefecto facta in [d] Lignerii tribuni legionem ſolutius agentem, ad xxx ex ea milites interfecti ſunt, et [e] Riberpratus Lignerii ſignifer. Ad [f] Milletetiam Condato proximiorem primum poſita caſtra; quae mox deditionem fecit, et juſſu Sanlucii ſolo aequata eſt. Ad [g] Fulgetiam plus negotii fuit; nam, niſi viſis tormentis, hoſtes paciſci noluerunt. Ea in obſidione occiſus [h] Rupigiffardius fuit arcis dominus, quam a [i] Montejanis emerat, vir ſtrenuus, et qui fidam regi operam ſemper navaverat. Fulgeria in fidem accepta, Sanlucius, ab Anna [k] Alegria lectiſſima foemina Lavalli comitis vidua, cujus nuptias certatim ipſe et [l] Aumontius honorifice ambiebant, perſuaſus, de [m] Compera, ampliſſimae Lavallorum ditionis arce munitiſſima, in poteſtatem redigenda conſilium cepit; idque ut Aumontio perſuaderet, per emiſſarios id ſummopere ab Alegria expeti oſtendit. Ille nihil periculo territus, ne a rivali gratiam aucupante praeverteretur, ultro expeditionem ſuſcipit; et cum Sanlucius venienti obviam ad [n] Maximini-fanum profectus eſſet, jam fide Alegriae clam data, ſtimulos addidit, et ordinem rei peragendae cum eo compoſuit. Monmartinus reclamabat, et multa in eam rem afferebat, ut utrumque a difficili, et, ut ipſe jam tum praeſagiebat, funeſta expeditione, deterreret: ſed adverſus ejus monita praevaluere Alegriae preces et gratia. Itaque datum negotium Monmartino, ut [o] Vitreaco colubrinas II cum omni apparatu bellico, Renato [p] Marecio Monbaroto, ut II tormenta Condato pariter adveheret. Compera IV a Condato leucis diſtat, loco ſaxoſo ſita arx. Michael [q] Vallius Picamuſca, qui loco praeerat, inde in inferiorem Britanniam, quam vocant, tendentibus cuncta infeſta reddebat. Fama de ea obſidenda, diu antequam obſideretur, ſparſa, monitus [r] Mercurianus cuncta per otium ad defenſionem paravit, CCCC delectis in eam impoſitis, et C circiter loricatis. Caſtris ad eam poſitis Aumontius [ſ] Maleſtretum excurrit, ut Joannem [t] Taloëtum, qui [u] Redonum ad Vidanam tenebat, et jam anno ſuperiore in occulto cum ipſo convenerat, datae fidei admoneret, et publica declaratione regiis partibus addiceret: quod et ille fecit, monito viciſſim Aumontio periculoſi exitus obſidionem ab eo ſuſceptam; nam Mercurianum proculdubio obſeſſis praeſto futurum, et in vallo ducendo ſummam fore difficultatem, quippe ſolo petroſo nec ligonibus pervio: quod experimento patuit. Et Aumontium haud dubie incepti poenituit, ſed ſerius quam ut ab eo vir [α] generoſus poſſet diſcedere, praeſertim tam vicina Alegria, quam quotidie inviſebat.

XII. DUM in vallo ducendo fatigatur, et in ſylvam proximam concedit, ictum majoris ſclopperi in brachio dextro accepit infra cubitum, quo bina oſſa omnino confracta ſunt: tanto vulnere in ea aetate percuſſo non alia vox excidit, quam, [v] Habeo. Cum conſiſtere poſt vulnus non valeret, Monmartinus, qui aderat, manum brachio pendulo ſupponit, ipſumque ad arborem vicinam ſedere juſſit. Inde in hoſpitium ſuum relatus, poſtridie [w] Monſortium, ditionis Lavallae oppidum, ubi Alegria erat, caſu admodum moeſta, ducitur. Sanlucius interim ad obſidionem haerebat, in qua crebris obſeſſorum eruptionibus certabatur; quibus aliquoties vallum captum, et occiſi

VAR. LECT. [α] generoſus, et nulla alia re quam honeſto in mulieres cultu obnoxius, poſſet *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Rennes.* [b] *S. Brieu, & S. Jouan.* [c] *le Sr de S. Laurent gouverneur de Dinan.* [d] *de Ligneris.* [e] *de Riberpré.* [f] *la Melletiere.* [g] *Fougeres.* [h] *la Roche-Giffard.* [i] *les Srs de Montejan.* [k] *d'Alegre.* [l] *le Mareſchal d'Aumont.* [m] *Comper.* [n] *St Main.* [o] *Vitré.* [p] *Marec Sr de Monbarot.* [q] *la Vallée Piquemouche.* [r] *le duc de Mercœur.* [ſ] *Maleſtroit.* [t] *de Talouet.* [u] *Redon ſur la Vilaine.* [v] *J'en ai.* [w] *Montfort.*

CIↃ IↃ XCV.
Henricus IV.

occiſi e regiis plerique, quantumvis [a] Sandionyſio Mallotio et [b] Lignerio legionis tribunis, qui vallum tuebantur, ſtrenue rem gerentibus. Nondum tormenta admovebantur, quod provideret Sanlucius, Mercuriano cum Hiſpanis auxiliaribus, de quibus crebri nuncii in horas afferebantur, adveniente, obſidionem ſolvendam eſſe; et honeſtius, iis non admotis, ac minore cum periculo, ab obſidione diſcedi poſſe. Igitur, cum Mercurianum in itinere eſſe conſtaret, tandem ſoluta obſidio, et exercitus Monfortium reductus. Inde Aumontius, qui in ſpeciem melius habebat, et de quo chirurgi bene jubebant ſperare, in lectica Condatum delatus eſt; tandemque, cum a vulnere XVI dies ſuperfuiſſet, optime meritam de rege et nomine Francico animam placide Deo reddidit ſexagenario major, XIV Kalendas Septembreis; veris lachrimis, non ſolum a belli ducibus, ac milite, qui ſe fortiſſimo imperatore orbatum moerebat, ſed a provincia, quae ipſum ut alterum parentem coluerat, et a rege, atque adeo univerſo regno, deploratus; tantoque in pretio, licet ſciſſis ſtudiis, ab utraque parte habitus, ut, ſi noſtro aevo quaerendus eſſet, qui antiquum Franco-galli equitis, hoc eſt ſine fuco vere fortis ac probi ducis, ſpecimen et corpore et ingenio referret, eum Aumontium eſſe conſentientibus ſuffragiis omnes faterentur. Morienti aſtitit Carolus [c] Turcantius libellorum ſupplicum magiſter, quem ille ob raram fidem et perſpectam morum probitatem ſumme diligebat; cui et ſumma mandata dedit, regem ſuo nomine oraret, ut liberos, quos juvenes et grandi aere merſos relinquebat, commendatos haberet: ſe ſecundum Deum praecipuam regni patriaeque cauſam ac dignitatem ſemper habuiſſe, regique fide incorrupta operam conſtanter navaſſe; ac ſperare, ut filii ſui eandem viam inſiſtant: proinde illis praedictum velle, ut Deum timeant, regem praecipuo honore colant, decus et fidem vita potiorem ducant: has vivendi cauſas eſſe, quas qui propter vitam perdunt, vita indignos eſſe: de bonis ac honoribus minime ſoliciti ſint; tantum ſe iis dignos praebeant, virtuteſque potius quam virtutum praemia conſectentur: haec ſi ad illuſtreis natales, et non obſcurum patris nomen, addant, nihil ipſis defuturum. Ipſe, perilluſtri familia ortus, et cum cunctis regni proceribus proxima cognatione conjunctus, ex Antonia [d] Chabotia Helionori [e] Carnii comitis ſorore Antonium et Jacobum filios ſuſtulit, patri non inficiandos; inter quos bona ſua, quae ampliſſima reliquit, ſi aes alienum excipias, ſumma prudentia ac aequitate diviſit. Quod judicium paternum illi pari religione ſecuti ſunt. In Aumontii locum tribunatus equitum dignitate auctus eſt a rege Joannes [f] Bellomanerius Lavardinus, ob ſingularem animi praeſentiam ac fortitudinem regi percharus.

XIII. Perculsam tanta clade [g] Armoricam aliquantum levavit diſſidium inter Mercurianum et Hiſpanos exortum, dum quiſque res ſuas agit, et neutri ſervire vult. Hiſpani, ut Lutetiae cum Meduanio, ſic cum eo agebant, ſeductis e nobilitate quos poterant, et ex aliis provinciae ordinibus. Jamque [h] Montinius et Aradonus praeſidiarios Hiſpanos intra [i] Venetenſem urbem acceperant, et Guido [k] [1] Ederus Bellomanerius Fontanella homo vafer [l] Douernenenſium egregie munitum ipſorum arbitrio potius quam Mercuriani tenere credebatur; et plerique, ſive ambitione, ſive pecunia corrupti, a Mercuriano alienabantur, ita ut ille plus ab Hiſpanis quam a rege ſibi metueret, et eum eo paciſcendi honorificis conditionibus occaſionem captabat: ſed inſita tarditate negotium multoties inchoatum, et Aloiſiae reginae ſororis interventu ad colloquium deductum, huc uſque exitu caruerat. Multa et tunc ſecuta ſunt, quae res Henoticorum non parum in Armorica labefactarunt. Nam Renatus

Riuſius

INTERPR. [a] *de S. Denis Maillot.* [b] *de Lignerit.* [c] *Turcant.* [d] *de Chabot.* [e] *Charny.* [f] *de Beaumanoir Sr de Lavardin mareſchal de France.* [g] *Bretagne.* [h] *de Montigny, & d'Aradon.* [i] *Vannes.* [k] *Eder de Beaumanoir baron de Fontenelles.* [l] *Douarnenez.*

NOT. [1] Eder eſt le nom de la famille. *Put.*

[a] Rinſius Surdeacus, cognito [b] Curbum, qui praefecti caſtrorum munere in exercitu hoſtium fungebatur, ad [c] Caſtrum-novum v a [d] Compera leucis cum ⅠↃC armatis late omnia continuis excurſionibus infeſtare, collecta ex nobilitate, quam citiſſime potuit, ac vicinis praeſidiis manu, eo tendit; et imparatos inopinato aggreſſus, poſt obſtinatum certamen ad internecionem cecidit, ipſo Curbo interfecto. Paulo poſt et obſtinatis animis pugnatum [e] Guimerii, III a [f] Quimperlaeo leucis, a Molaco regulo, qui peditatui regio in Armorica praeerat, et [g] Guinipilio et Aradono fratribus numero militum praepollentibus. Cum Molaeo erant Helvetii, et inter eos [h] Erlacus e nobilitate Bernenſi, qui tamen Friburgi domicilium fixerat, dux belli ſtrenuus. Inſtructis hinc inde in aciem copiis acriter concurritur; quaterque repetito certamine, cum neutram in partem victoria inclinaret, Molacus, quanquam ſauciatus, cum a pugna nondum victor diſcedere impatienter ferret, nocte appetente Helvetiorum ſignum rapit; et ad eos converſus, An erit, ut Helvetiis exprobretur, quod a ſigno ſuo receſſerint? Quo dicto, cum illi ſignum ſuum ſe ubique ſequi paratos oſtenderent, reddito eo rurſus ad certamen redeunt; quod tandem nox diremit. In eo Guinipilii frater, qui equitatum hoſtilem ducebat, et Erlaci frater, ac plerique utrinque, deſiderati. Mox et a Sanlucio, penes quem Aumontio mortuo ſummum armorum imperium erat, [i] Prevoſteria, praeſidiariis arbitrio ejus ſe dedentibus, et [k] Monbochetia arces receptae. [l] Sanmartia item arx a quibuſdam ex vicina nobilitate aſtu intercepta eſt; ex qua [m] Condivicino et Anſeniſio commeantes, in quorum confinio veluti in bivio ſita eſt, deinceps gravirer infeſtati ſunt. Ipſa Franciae ob tanti viri mortem nuper fatalis Compera ineunte Novembri a [n] Menoviis Dandiniis fratribus, et virtute, et, quod in nobilitate noſtra rarum eſt, literarum cognitione claris, hoc aſtu intercepta eſt: ad [o] Chaſſiam Dandiniam gentilis ſui domum vicinam conveniunt cum delectis, et, obſervato multos ruſticos ad muniendam arcem quotidie ſummo mane introduci, XX ruſticorum habitu et ſcloppetos ac breveis gladios ſub tunicis lineis tegentes praeire jubent, et turbae immiſtos ſpeculatore interfecto ſtationem in porta arcis excubantem cominus invadere, eaque caeſa portam occupare; ceteris in III agmina diſtributis; quorum duo in locis proximis latere juſſa, ut ad primum ſtrepitum ſociis praeſto eſſent. Succeſſit aſtus; et, caeſa ſtatione ac porta occupata, ſtatim illi ex inſidiis erumpunt, et poſt aliquod certamen, tandem, inopinato caſu territis praeſidiariis atque huc illuc diſſipatis, arce potiuntur: qua re Dandinii illi fratres magnam fortitudinis ac ſolertiae laudem meruerunt. Sanlucius interim [p] Maleſtretum et Plermelium venerat; et, luſtrata inferiore provincia, ut militem ubique graſſantem reprimeret, [q] Condatum ad comitia celebranda redierat. In iis multa decreta de belli gerendi ratione, praeſidiis ordinandis, prohibenda militis licentia, et, ut ea refraenaretur, ſtipendio certo aſſignando; quod, aliunde deficiente pecunia, ut ſuppleretur, graviſſimum VI aureorum in ſingulas vini amphoras, quae in Armoricam importantur, tributum excogitatum eſt: delegatique a provinciae ordinibus [r] S. Petri theſaurarius, Monmartinus, et Carretus Namnetenſis praefectus juridicus, a Mercuriano, quod regiis partibus ſtuderet, exactus; qui regem ad [s] Faram ſedentem adierunt, ut eum de ſtatu Armoricae docerent, et auxilia ab eo impetrarent. Admiſſos perbenigne rex audivit, et poſtulatis eorum brevi ſe ſatisfacturum reſpondit per Carolum [t] Coſſaeum Briſſacum equitum tribunum, quem in Sanlucii, rei tormentariae praefecti deſignati,

locum

INTERPR. [a] *de Rieux Sr de Sourdeac.* [b] *le Sr de la Courbe.* [c] *Chaſteauneuf.* [d] *Comper.* [e] *Guimer.* [f] *Quimperlay.* [g] *de Guinipili.* [h] *le capitaine d'Erlach gentilhomme Bernois.* [i] *la Prevoſtiere.* [k] *la Roche Monbouchet.* [l] *Chateau S. Mars.* [m] *Nantes, & Anſenis.* [n] *les Srs de Moineuf Dandigny.* [o] *Maiſon nommée la Chaſſe Dandigny.* [p] *Maleſtroit, & Plermel.* [q] *Rennes.* [r] *le Treſorier de S. Pierre de Rennes pour l'egliſe, le Sr de Montmartin pour la nobleſſe, & pour le tiers eſtat Charrette ſeneſchal de Nantes.* [s] *la Fere ſur Oyſe.* [t] *le mareſchal de Coſſé Briſſac.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

locum ſufficere decreverat. Montmartinum penes ſe retinuit, ut ejus opera in illa obſidione uteretur. Paulo ante Sanlucius per [a] Clavium ordinum ductorem Fontanellae homini ſubleſtae fidei inſigni aſtu illuſerat, ſpecie colloquii in inſidias pertracto, et captivo ad Sanlucium adducto; ex cujus manibus ille, ob alia crimina poenam veritus, ſe ſtatim perſoluto XIV aureorum CIↃ pretio extricavit; frementibus multum provinciae ordinibus, qui hominem perfidioſum non niſi [b] Douernenεſio tradito dimitti debuiſſe, atque adeo carceri perpetuo mancipari, et [1] ipſius Fontanellae et provinciae interfuiſſe, aiebant. Ad cetera Armoricae mala, quae fame, vaſtitate, et ruſticae plebis paſſim agros deſerentis gemitibus, affligebatur, ab Anna [c] Manani comite ex [d] Sanſacorum familia, [α] homine nobiliori quam meliori, nova calamitas acceſſit; qui, cum IↃ ex illa colluvie armatis imperatoris novi ſpecie per provinciam incedens, ad oppida milite regio non firmata ſibi aditum faciebat, pecuniam imperabat, nova praeſidia imponebat. Cum is Quintinum veniſſet, quod a [e] Guincampio IV leucis diſtabat, [f] Kergomartus loci praefectus, vir ſtrenuus, Manani ſuperbiam ac militis ejus licentiam non ferens, Erlaco vocato, qui Helvetios penes ſe habebat, et quantum Gallici equitatus ac peditatus oportuit ſubito coacto, recta Quintinum ducit; et inopinato oppidum, in quo impedimenta Mananiorum erant, adortus capit, et ſolutos milites in arcem compellit, ad eas anguſtias tandem redactos, ut ſalvam vitam et libertatem pacti tandem deditionem fecerint.

XIV. TOLOSAE et hoc anno tumultuatum eſt, ſciſſo ſtudiis ſenatu: et, cum melior pars regi cum eccleſia reconciliato etiam reconciliari vellet, Henricus [g] Jouſa in urbe praepotens interceſſit, et pontificis conſenſum exſpectandum dixit; tandemque tenuit ut nihil decerneretur, metu contradicentibus intentato; ita ut alii facto agmine [h] Toloſa exceſſerint, et [i] Caſtrum Saracenorum ſe contulerint: quo mox ad eos Jacobus [k] Gobio Matignonus equitum tribunus, Aquitaniae, dum Condaeus adoleſceret, praeſes, [l] Burdigala, et Biterris Annas [m] Levius Ventadurius Septimaniae per Henrici [n] Momorantii abſentiam praeſes, ex compacto juſſu regis venerunt, ut Jouſam ac factioni ſuae addictos Toloſae obſiderent. Aderat Mericus [o] Vicus, Dominici toties a nobis honorifice commemorati frater, qui ultro citroque ad Jouſam commeabat, ut eum ad regium obſequium inflecteret. Cum ille ſemper moras necteret, et nunc Franciſci cardinalis fratris qui Romae erat, nunc pontificis, contraria mandata cauſaretur; interea cum ſenatu, qui per haec bella a Momorantio regis mandatu Biterris inſtitutus jus hactenus provinciae dixerat, agit; et, auctoritate regia interpoſita, tandem impetrat, ut ſenatores illi novi ad antiquos jam regi reconciliatos, qui ad Caſtrum Saracenorum jus dicebant, ſe aggregarent, ut, ſublata ſciſſura concordes, Jouſam et ceteros, qui Toloſae remanſerant, in ordinem cogerent. Interea [p] Rutenorum civitas et Cordae in fidem a Matignono acceptae. Jouſa, qui ad ſenatus auctoritatem, qui paſſim decretis contra ipſum et Henoticos fulminabat, etiam armorum vim accedere indignaretur, Toloſa cum nobilitate fere omni provinciae, quae eum ſequebatur, copias et tormenta educit, et contra Saracenorum Caſtrum aliquot ictus diſplodit, ut ſenatoribus terrorem injiceret. Inde re infecta Toloſam redit, quod intelligeret, ad denunciationem, quae regis ac ſenatus nomine facta fuerat, Narbonae et Carcaſſonae tumultuari: neque tamen, jam aeſtu commotorum animorum per eas urbes reciprocante, impedire potuit, quin illae, ut ad bellum initio, ſic nunc ad quietem,

VAR. LECT. [α] homine nobiliori quam *a 1626 leguntur, e MSS. Reg. & Samm. Put. &* meliori *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed in* Ed. Gen. *Rig. deſumpta.*

INTERPR. [a] *le capitaine Clou.* [b] *Douernenez.* [c] *Magnane.* [d] *de Sanzay.* [e] *Guingamp.* [f] *de Kergomart.* [g] *de Joyeuſe.* [h] *Toulouſe.* [i] *Caſtel Sarraſin.* [k] *de Goyon mareſchal de Matignon gouverneur de Guienne.* [l] *Bourdeaux, & Beziers.* [m] *de Levi duc de Ventadour lieutenant general de la province de Languedoc.* [n] *le conneſtable de Montmorency.* [o] *de Vic.* [p] *Rhodez, & Cordes.*

NOT. [1] *forſan* ipſius Sanlucii.

quietem, toto affectu raperentur. Itaque praeſidia ab oppidanis ejecta, monituſque Jouſa, quem alioqui praecipuo cultu proſequebantur, ut ſibi conſuleret, et cum rege mature reconciliaretur. CIƆ IƆ XCV. HENRICUS IV.

XV. IN Delſinatu coeptum, anno ſuperiore exeunte, de [a] Ocellorum arce ad prohibendum Hiſpanorum tranſitum aſtu intercipienda conſilium cum evanuiſſet; ob idque aliquanto tempore retardatum fuiſſet, ſecuris de eo hoſtibus, hoc anno ineunte reſumptum eſt. Diguierius, convocatis omnibus copiis [b] Mauripodio profectus, et tormentis ſecum adductis, per [c] Ebrodunum, Brigantionem, et Seſanam facto itinere, tertiis caſtris in conſpectum arcis venit Kalendis Januariis: cognitoque intus exiguum praeſidium eſſe, caſtra inter [d] Caumontium et Ocellos ponit, in rivuli ponte ſtrati margine, qui terrae Franciae et Italiae ab ea parte limes eſt. Tum ope Convallenſium vicinorum certatim eo accurrentium, aditibus montium inſeſſis, undique arcem cingit. Quatriduum totum in vallo ducendo impenſum, dum tormenta adveherentur. Nec Sabaudus ſuis defuit; qui, de Diguierii adventu certior, VIII Eidus [e] Suſionem venit, paulo infra Caumontium, ditionis ſuae primariam arcem; et octavo poſt die ad Caumontium conſedit, cum ad eum XXX Neapolitanorum ſigna veniſſent, quos Hungariae Prior ducebat. Eodem die II colubrinae cum notha magna operum vi per totum triduum noctu in proximum collem ſubvectae, qui arci imminebat, et in mediam ejus partem deſpiciebat, alioqui praerupto undique ſaxo impoſitam. Poſt aliquam pulſationem cum III murales machinae praeterea adveniſſent, Sabaudus XV Kal. Febr. inſtructo in aciem exercitu prope vallum noſtrorum acceſſit, acriterque toto die cum erumpente e vallo milite conflixit, et cum damno ſuorum ſe Caumontium ſub veſperam recepit. Biduo inſequenti continuata pulſatio, colubrinis et aliis machinis in propugnaculum majus diſploſis. Diguierius, inſeſſis illis aditibus, duas fere leucas ambitu caſtrorum amplectebatur, bis mille militibus ad idonea loca per ſtationes diſpoſitis. Sabaudus VIII CIƆ peditum et IƆ equites ſecum trahebat, quibus copiis ſubnixus vim facere diverſis locis ſtatuit, ac praecipue ad [f] Crevaſſium montem et Ombornaeum; ubi egregia noſtrorum virtute poſt acre certamen repulſus, multis ſuorum amiſſis, repetendae pugnae deſiderium una amiſit: mutataque rei gerendae ratione, poſtridie IV nothas machinas ad vallum CC paſſuum ſpatio admovet; totoque die diſploſione continuata, ſub quartam horam veſpertinam ad pontem vim facit, ſcalis appoſitis, et tabulis tranſverſis in rivo ſtratis. Ibi obſtinate certatum, nulla fere noſtrorum jactura; tandemque hoſtis pulſus, plus CCC ex ſuis deſideratis, quorum cadavera majorem partem penes noſtros manſere; tantaque trepidatio multa jam nocte ſe recipientium fuit, ut, vix abductis tormentis, partem belliei apparatus, pilas, et arma multa reliquerint, quae illuceſcente die a noſtris reperta ſunt. Tota illa die, quod valde nebuloſus aër eſſet, pulſatio a Diguierio intermiſſa fuerat, eaque re conjectaverat Sabaudus obſeſſos cum ipſo jam tranſegiſſe; eoque maturius, poſt adverſam pugnam, res ſuas convaſaverat. Redintegrata poſtridie, qui in Dominicam incidebat, acrior quam antea verberatio, uſque ad tertiam veſpertinam; qua, noſtris in aciem inſtructis, cum oppugnationis metus eſſet, obſeſſi, ſerio rem agi rati, quanquam ruina nondum idonea facta eſſet, colloquium popoſcerunt, et datis obſidibus arcem die inſequenti ſe tradituros pacti ſunt, his conditionibus, ut cum armis, impedimentis ac rebus ſuis, fune accenſo, ad tympani pulſum, explicatis ſignis, ac pilas in ore habentes, dimitterentur. Secundum haec X Kal. Febr. Ocelli dediti, et CXL praeſidiarii, qui adhuc ſani et incolumes erant, duce Carolo Gazino,

INTERPR. [a] *Exilles.* [b] *Puy-more.* [c] *Embrun, Briançon, & Sezanne.* [d] *Chaumont.* [e] *Suſe.* [f] *Montagne de la Crevaſſe, & le Hembournay.*

[a] Gazino, [b] Caumontium uſque, ubi Sabaudus erat, in tutum deducti. Loco impoſiti [c] Diguierii ſtipatores. Repertae in arce II murales machinae, et I colubrina cum Franciae inſignibus, quae [d] Carmaniola advectae fuerant; praeterea colubrina I Sabauda, et IV campeſtria tormenta, cum multa pulveris, pilarum, annonae, copia. Sabaudus, amiſſis in ea expeditione plus IↃC, ut creditur, ex ſuis, retro [e] Suſionem conceſſit. Diguierius, [f] Dizaeo arci praepoſito cum CCC praeſidio, et a Convallenſibus vicinis ſubminiſtrata annona, antequam inde diſcederet, de commeatu [g] Cavortium inferendo cogitare coepit. Itaque, magna frumenti vi et farinarum copia comportari [h] Seſana juſſa, facto per [i] Mentolam itinere, IV Kalendas Februarias Cavortium pervenit; quo poſtridie annona advecta eſt a Jeurſio, cui CL loricatos attribuerat, tanta celeritate ac ſilentio, ut de adventu noſtrorum Sabaudus nihil cognoverit; quos in reditu dum intercipi poſſe putat, ſpe ſua falſus eſt, alia via, quam qua venerant, reverſis noſtris, per Luſernenſem ſcilicet vallem et Angroniam, ubi eos ad Germani-ſanum Diguierius opperiebatur. Inde cum quartis caſtris [k] Mauripodium rediiſſet, a [l] Carſio comite literas accipit, quibus certior fit de [m] Salonis oppido in Provincia a ſe capto, et arce, quam [n] Sanromanus adhuc tenebat, obſeſſa: et, quia providebat fore ut Eſperqonius obſeſſis praeſto venturus eſſet, ſubveniri ſibi enixe petebat. Diguierius, de Cavortio ſolicitus, quod Sabaudum brevi obſeſſurum ſciebat, ad Pomponium Bellevreum, qui Lugduni erat, antea ſcripſerat; et condicta die VIII Eidus Martias ad [o] Primicerii-fanum ipſe, Bellevreus, Alfonſus [p] Ornanus, [q] Sofredus Caliguonus Navarrae cancellarius, et Laurentius [r] Rabotus Illinius ſenatus Gratianopolitani primarius praeſes, convenerunt, ut de ſuppetiis ad Cavortium tuendum ferendis, et bello Provinciali, quod inter nobilitatem ac civitates regi reconciliatas et Eſpernonium magis in dies inflammabatur, in commune conſultarent. Poſt peractam de Cavortio deliberationem, et explicatum de pecunia ad Cavortii praeſidium neceſſaria, in quo tota rei difficultas verſabatur, negotium, placuit ut ad Momorantium ſcriberetur, rogareturque partes ſuas interponeret, ut Eſpernonius a bello nuper coepto deſiſteret, et regiis partibus addictos porro vexare deſineret. Dum reſponſum exſpectatur, totus Martius effluxit; Carſio ſemper interea per repetitos nuncios apud Diguierium inſtante, ut ſibi Saloni ab Eſpernonio obſeſſo mature ſubveniretur. Per illud tempus celebratae ad Mauripodium Magdalenae Diguierii natu grandioris filiae cum Carolo [ſ] Crequio Belgici limitis regulo nuptiae. Urgente demum Carſio, poſtquam Momorantius ab Eſpernonio nihil impetrare potuit, Diguierius, datis ad [s] Barraterium, qui Cavortium tenebat, literis, ei ſe praeſto futurum Aprili exeunte ſignificabat; duraret interim, eaque ſpe obſidionem fortiter ſuſtineret. Inde collectis copiis [t] Oripetram tendit; ubi cognovit Eſpernonium, intellecto ipſius adventu, ad tranſitum [u] Druentiae impediendum Salone diſceſſiſſe: ipſe quartis caſtris, facto per comitatum [v] Saltuenſem et [w] Aptam Juliam itinere, [x] Orgonium venit pridie Nonas Aprileis. [y] Poëſius Paſſagius cum Ruſtano [z] Balma Suſae comite, qui Eſpernonii partes ſequebantur, [a] Aquariis erant; ad quos intercipiendos miſſus Lud. [b] Blanius Poëtus, qui primam aciem ducebat, cum CCC ſcloppetariis: qui, admotis ad ſuburbium duubus crepitaculis, cum fruſtra fuiſſet, Diguierius ulterius progrediendum ratus, ut commeatum Salonem inferret, dum cuncta inſtruuntur, uſque ad V Eidus Orgonii commoratus eſt. Poſtridie [c] Aureliam venit, inſtructaque acie per ſaxoſum campum iter capeſſit, et ante Eſpernonii oculos, qui Aquariis cum CCCC loricatis erat,

INTERPR. [a] *Gazin.* [b] *Chaument.* [c] *le Sr de Leſdiguieres.* [d] *Carmagnolle.* [e] *Suſe.* [f] *le Sr Dizé.* [g] *Cavours.* [h] *Sezanne.* [i] *Mentoule.* [k] *Puy-more.* [l] *de Carces.* [m] *Salon en Provence.* [n] *de St. Romain.* [o] *St. Pris.* [p] *le colonel d'Ornano.* [q] *Sofred de Calignon.* [r] *Rabot Sr d'Illins premier preſident de Grenoble.* [ſ] *de Crequy.* [s] *de Baratier.* [t] *Orpierre.* [u] *la Durance.* [v] *le comté de Sault.* [w] *Apt.* [x] *Ourgon.* [y] *de Poeſien Sr du Paſſage.* [z] *de la Baume comte de Suſe.* [a] *Aiguieres.* [b] *de Blain Sr du Pouet.* [c] *Oreilles.*

erat, Salonem pervenit; commeatuque illato, et Sanromano arcem dedere juſſo, CIↃ IↃ XCV.
cum recuſaret, de [a] Cavortio, quod jam Sabaudus obſederat, cogitans caſtra movet, HENRICUS IV.
jam inclinata die. Itaque cum metueret, ne, tam vicino hoſte, per tenebras ordines confunderentur, in campo illo ſaxoſo pernoctare conſtituit, non ſine magna omnium moleſtia et incommodo; quippe in quo nec ſepes nec arbor ulla ſit. Poſtridie, cum renunciatum eſſet Eſpernonium in [b] Senate campo conſediſſe, ut tranſeuntes adoriretur, Diguierius cccc ab urbe paſſibus acie inſtructa tranſivit, nemine ad certamen egreſſo; atque inde [c] Orgonium III Eidus venit. Ibi inter duces conſultatione habita, placuit, ut Cavortium, nulla mora interpoſita, pergeretur.

XVI. SUB id Vienna in Delfinatu ab Henrico Momorantio, qui a rege ex [d] Septimania evocatus [e] Lugdunum venerat cum IV CIↃ peditum et CIↃ equitibus, in fidem accepta eſt. In ea erat Vincentius Italorum tribunus cum IↃC Italis, a Carolo [f] Sabaudo Nemoroſio impoſitus; qui, poſtquam ex carcere evaſerat, ſedem imperii ſui in illa urbe fixerat, ea fiducia, ut Lugdunum, cui imminebat, vicinis praeſidiis ad [g] Thiſium, Forum Seguſianorum, Monbriſonium, Germani ac Boneti fana poſitis, quaſi pedicis injectis, poſtremo in poteſtatem redigeret. Tres Viennae ſive arces ſive munitiones erant, [h] Fanum Columbae, Baſtia ad portam Lugdunenſem ſpectans, et [i] Pipetum; quae ultima praecipua erat, et a [k] Diſemin per praeſidiarios tenebatur: qua capta, et urbs et ceterae munitiones ad deditionem cogebantur. Ineunte anno, poſt Momorantii adventum Nemoroſius ad [l] Sivortium ponte [m] Rhodanum ſtraverat; paulo poſt a praeſidio, in quo [n] Peraldus et Monteſonus erant, cum damno repulſus. Itaque, cum aliud non poſſet, copias ſuas ad Columbae-fanum, quod eſt Viennae ſuburbium trans pontem, tranſportat; quod et properatis operibus munivit: ſed cum, tam vicinis Momorantii copiis, equi a pabulo, miles a commeatu laboraret, paulatim diſcedere a ſignis Galli, alii tumultuari, et, a Nemoroſio pejora veritò petita venia, de receſſu cogitare, coeperunt. Helvetii, quos penes ſe habebat, accepta a Momorantio cautione, cui et viciſſim caverunt in Francia non militaturos, per Delfinatum in Sabaudiam ſe contulerunt; ubi [o] Trefortii marchio bellum gerebat, et, ut Nemoroſii conſilia ac conatum adjuvaret, ad [p] Monluellum in Sebuſianis Sabaudae ditionis oppidum, IV a Lugduno leucis diſtans, exercitum cogere decreverat. Sed eum Momorantius antevertit, occupato a ſuis Monluello; quod et deinceps toto belli tempore tenuit, magno Lugdunenſium commodo. Nemoroſius ſpe ſua ſe deluſum cernens in Italiam revolat, ut a Ferdinando Velaſco Caſtellae coneſtabili, quem in [q] Sequanos deſcendere intellexerat, novas copias acciperet. Per ejus abſentiam ſemel atque iterum, ſed irrito conatu, Vienna tentata: et de Columbae-fano intercipiendo haud dubia ſpes erat; ſed, eo capto, multum difficultatis in Pipeto capiendo, atque adeo urbe ipſa, ſuperabat: obſidione in longum extracta, apparebat Nemoroſium, quem nec Hiſpani nec Sabaudus deſerturi eſſent, cum exercitu advolaturum; et incerti exitus conatum fore. Itaque aliam ſibi viam, quae tutior videbatur, ineundam cenſuit Momorantius; cognitoque non bene Italis praeſidiariis cum Diſemin Pipeti praefecto convenire, per homines ſibi fidos Diſemium ſolicitat, ut, hoſtium regni partibus relictis, tandem regi fidem addiceret; excuſari praeterita; obſtinatis in ea factione haerentibus, cum certo ſe perduellionis crimine implicent, poenam capitis et perpetuam in poſterum infamiam pro praemio fore. Additae et in arcano opimae conditiones; quibus illectus Diſemius, ut honeſtius a foedere diſcederet, Nemoroſium per literas et amicos rogat, ſe reſpiceret, neque ad belli inextricabilis

INTERPR. [a] *Cavours.* [b] *la plaine de Senas.* [c] *Ourgon.* [d] *Languedoc.* [e] *Lyon.* [f] *de Savoye duc de Nemours.* [g] *Chateau de Thiſy, Feurs en Forez, Montbriſon, St Germain, & St Bonnet.* [h] *le fort de Ste Colombe, & la Baſtie.* [i] *Pipet.* [k] *le Sr de Dizemien.* [l] *Givorts.* [m] *le Rhône.* [n] *de Perauld, & Monteſon.* [o] *Trefort.* [p] *Montluel en Breſſe.* [q] *la Franche Comté.*

inextricabilis ac poſtremo ipſi damnoſi neceſſitatem animum obfirmaret: longe aequiſſimas et ipſi honorificentiſſimas conditiones a rege proponi, quas ſi recuſet, jus, quo ſe ſuoſque huc uſque tutatus eſt, contra ipſum ſtare; et verendum eſſe, ne ſui deſperatione adacti, cum nullam juſtam belli cauſam ſupereſſe videant, ipſo inconſulto rebus ſuis conſulant: rebus proinde integris mature deliberet, et quod ſibi tutum et honorificum, amicis utile, cunctis ſit optabile, conſilium capiat. Nullas conditiones admittente Nemoroſio, cum officio ſuo ſatisfactum putaret Diſemius cum Momorantio convenit; et, die ad IX Kalendas Maias dicta, Monteſonum cum IϽCCC ſcloppetariis et CCC equitibus praemiſſum media jam nocte ſummo ſilentio intra arcem accepit: ipſe Momorantius eum poſtridie ſecutus eſt cum Provinciae nobilitate, Helvetiis, [a] Lugduni praeſidiariis, et aliquot tormentis Lugduno advectis, et Alfonſo Ornano, qui IϽ ſcloppetarios et CC loricatos equites ſecum ducebat. Sub meridiem cum Momorantius in Viennae conſpectu comparuiſſet, Diſemius [b] Chelarium et Vincentium Italorum tribunum in arcem ſevocat, eoſque graviter increpat, quod de ſe intercipiendo ſecreta conſilia agitaſſent: nam reſciverat Nemoroſium ex crebris ipſius monitis in ſuſpicionem adductum, quaſi defectionem meditaretur; ideoque mandaſſe Chelario et Vincentio, ut illum aſtu comprehenderent, et [c] Pipeto ejicerent. Cum illi rem negarent, Diſemius quid ſibi conſilii ſit aperte declarat; et regi Pipetum, et urbem ipſam, quae ipſius ſit, tradere decreviſſe: neque vero periculum ipſorum inſuper habuiſſe; nam a Momorantio cautionem accepiſſe, ut, niſi conditiones propoſitas accipiant, ipſis vita ac rebus ſalvis abire liceat: adeſſe Monteſonum ab ipſo miſſum, cum mandatis, ut eorum, ſi velint, ſecuritati conſulat. Chelarius et Vincentius, quanquam inviti facerent ut conditionem acciperent, tamen, cum undique ſe circumventos viderent, parere neceſſitati aequum duxerunt: et eodem die Vincentius a Monteſono ad Momorantium adductus, qui ad [d] Blandinae-fanum haud longe ab arce ſubſtiterat, accepta ab eo fide cum ſuis urbe excedit, et ad alterum ſuburbium S. Martini divertit; moxque conclamatis vaſis ad [e] Geneſii-fanum tendit, et in Sabaudiam conceſſit, ab ala levis armaturae ei a Momorantio attributa per regiam ditionem in tutum deductus. Momorantius, parte peditatus per Pipetum immiſſa, parte per [f] portam Avenionenſem introducta, paucis per eam quae Pipeto ſubjecta eſt ingreſſis, quod a [g] Baſtia arce, cujus praefectus nondum deditionem fecerat, tormentorum diſploſione infeſtaretur, ipſe per portam Avenionenſem ſub veſperam urbem intrat, ſtatimque ad majus templum pergit; ubi eum archiepiſcopus cum ſacro collegio praelata cruce exſpectabat. Ibi actae Deo gratiae pro recepta urbe: tum edictum ſeverum propoſitum, ne quis ullam in urbe domum ſine teſſera ingredi praeſumeret; qui contra faceret, capite lueret. Baſtia reſtabat, loco edito ſita arx, quantum natura loci ſinebat, egregie munita; quam [h] Montovii natione Allobrogis frater cum aliquot ſtipatoribus Nemoroſii tenebat, ac praeterea L aliis, qui recepta urbe in eam confugerant. Cum initio diſploſis aliquot tormentorum ictibus hoſtilis animi ſignum ederent, Momorantii juſſu mox cincta arx; et ex Pipeto diſploſa contra arcem tormenta, et projecta quaedam deſtructa. Tum ſubductae in collem, in quo arx ſita eſt, II colubrinae; quarum in ſpectu territus praefectus, vitam ſalvam pactus, cum ſuis tantum gladio accinctis dimiſſus eſt, tertio, poſtquam urbs recepta eſt, die, et in Sabaudiam cum aliis remiſſus. Tum vocati ad [i] Mauritii-fanum e ſacro ordine qui in urbe erant, et Diſemius, magiſtratus ac conſules, in publicis aedibus ſacramento in fidem regis a Momorantio adiguntur. Nemoroſium, qui cum [k] Caſtellenſi erat, is caſus domum revocavit; et, cum res ſuas deſperatas videret, [l] Anicium in Foſſiniaco

agro

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *le Cheilart.* [c] *Pipet.* [d] *Ste Blandine.* [e] *S. Genis.* [f] *Porte d'Avignon.* [g] *la Baſtie.* [h] *Montou.* [i] *l'Egliſe de S. Maurice.* [k] *le Conneſtable de Caſtille.* [l] *Anicy en Foſſigni.*

agro moerore plane confectus conceſſit. Interea Diguierius, [a] Cavortii obſeſſis praeſto futurus, [b] Orgonio digreditur pridie Eidus Aprileis; et, per [c] Lormarinum, Pertuſum, Tulliac-fanum, Metas, ubi [d] Druentiam tranſmiſit, [e] Digniam, Ebrodunum, Brigantionem, continuato itinere, [f] Seſanam ac Surcheriam in Pragelatenſi valle undecimis caſtris venit: ubi [g] Baraterium ad ſummas anguſtias redactum, ita ut nec equis nec canibus et muribus parcerent, in colloquium cum Sabaudo veniſſe cognovit. [h] Peroſiam progreſſus, acceptis aliquot ab Ornano copiis, [i] Cugium, qui cum aliis veniebat, opperiri ſtatuit. Conſultatione ducum habita ac recenſitis copiis, in quibus IↃCC loricati, CIↃ IↃCCC ſcloppetarii erant, [k] Fruſaſcum vadit, municipium in Subalpina regione, firmis muris et turribus per intervalla cinctum, III a Cavortio, I a [l] Pinarolio, leucis diſſitum; quod primo impetu captum eſt. Arx, cum aliquandiu reſtitiſſet, dedita eſt, praeſidiariis vitam ſalvam pactis. Id actum III Kalendas Maias. Poſtridie Diguierius inſtructis in aciem copiis in Sabaudi conſpectum venit, qui circiter VI CIↃ peditum Hiſpanorum, Helvetiorum, et ex militia ſua CIↃ equites circiter, in exercitu habebat, et ſe vallo continebat: ibi levibus tantum proeliis certatum, cum Sabaudus, Cavortio ad ſummam omnium rerum penuriam redacto, nihil temere proelii aleae committendum putaret. Cum igitur Diguierius fruſtra eum ad certamen prolectaſſet, de receſſu cogitans, inſecuturo hoſti inſidias ſtruxit; quae minime ſucceſſu caruerunt: nam conſerta manu XXC circiter, ſive loricati equites ſive pedites, ex Sabaudianis occubuerunt; quidam etiam capti: ex noſtris deſideratus [m] Sanvincentius levis armaturae dux et [n] Senatum praefectus, et tres alii capti. Inde per Fruſaſcum a regiis reditum. [o] Buria, quod arx imperata facere recuſaſſet, in itinere incenſa. Diſceſſu Diguierii cum praeſidiarii omnem ſpem praeciſam viderent, ab ipſo moniti, tandem cum Sabaudo pacti ſunt, ut, vita ac rebus ſalvis, ad tympani pulſum ſignis explicatis, fune accenſo, et pilas in ore habentes, exirent. In ea obſidione [p] Trefortii marchio ex repentino morbo periit, qui ſummum armorum imperium habebat: in ejus locum ſuffectus eſt [q] Montis-majoris comes. Dedito Cavortio tantus fuit pavor Convallenſium, qui in regiis caſtris militabant, ut ſtatim, non petita a Diguierio venia, a ſignis diſceſſerint, huc illuc dilapſi. Itaque veritus ille ne in reditu viae obſtruerentur, mature de receptu cogitare coepit. Pridie Nonas Maias cum peditatus inter Fruſaſcum et Peroſiam montem ſuperaret, Sabaudus, qui Pinarolium jam venerat, circiter CIↃ ſcloppetarios emittit; qui noſtros inſecuti aliquot ex iis in ultimo agmine ceciderunt, dum ceteri ſervatis ſemper ordinibus iter perſequerentur. Peroſia, per Surcheriam in Pragelatenſi valle et Brigantionem, Ebrodunum quartis caſtris ventum; et, cum ibi ad Diguierium allatum eſſet, tumultuare in Senatum urbe praeſidiarios ab Eſpernonio ſolicitatos, captata occaſione ex Sanvincentii eorum praefecti morte, ipſe loco metuens nulla interpoſita mora IV Eidus eo venit; et, mutato praeſidio, et [r] Jeurſio loco Sanvincentii impoſito, et ala levis armaturae attributa, locum firmavit. Inde [ſ] Mauri-podium reditum; totuſque menſis effluxit reficiendo militi, et Subalpini belli explicando negotio. Cum Diguierius [t] Gratianopoli eſſet, allatum eſt ad eum, Sabaudum [u] Mirabucum tam arcte circumſediſſe, ut nullus jam ad locum acceſſus eſſet. Itaque XVI Kal. Quintil. [w] Diguieriam venit; ubi cum ſe ad ſuppetias obſeſſis ferendas pararet, literas a rege accipit, a Nicolao [x] Harlaeo Sancio miſſas, quibus jubebatur, [y] Lugdunum verſus quamprimum proficiſci,

INTERPR. [a] *Cavours.* [b] *Ourgon.* [c] *Lourmarin, Pertuis, Ste Tulle, & les Mées.* [d] *la Durance.* [e] *Digne, Embrun, & Briançon.* [f] *Sezanne, & Souchiere en la vallée de Pragelas.* [g] *de Baratier.* [h] *la Perouſe.* [i] *le Sr de Cugy.* [k] *Fruſaſc en Piedmont.* [l] *Pignerol.* [m] *St Vincent capitaine des chevaux legers.* [n] *Seyne.* [o] *Burie.* [p] *Trefort.* [q] *Monte-major.* [r] *St Jeurs.* [ſ] *Puy-more.* [t] *Grenoble.* [u] *Mirebouc.* [w] *Leſdiguieres.* [x] *de Harlay Sancy.* [y] *Lyon.*

proficiſci, ut mandata, quae ei non ſcripto ſed ore communicanda ad ipſum dederat, coram intelligeret. Id ſuſpenſum aliquandiu, quo prius tenderet, Diguierium tenuit; qui, [a] Auriaco tandem negotio dato ut cum L delectis equitibus et CCC ſclòppetariis Mirabucum proficiſceretur, Iriacum venit, ut cum Sancio colloqueretur. Mirabuco annona et milite firmato, Auriacus Gratianopolim venit, quo jam redierat Diguierius, a ſenatu multum rogatus ut [b] Mirabellum caperet; quod eſt Delfinatus caſtellum a Sabaudo occupatum, unde Gratianopolitani multum detrimenti accipiebant. Id ſedulo fecit Diguierius, et, evocato e vicinis praeſidiis milite, ac inſtituta ex provinciae delectibus legione, cuncta ad eam expeditionem neceſſaria parat; atque ineunte Julio Abelem [c] Berengarium Morgium praemittit, cum praeſidio et delecta urbis juventute, quae ſponte huic militiae nomen dedit, qui locum corona cingerent. Tum IV murales machinae et I notha VIII Eidus advectae; quibus biduŏ poſt admotis pulſati muri: ſed, quia neque ſedes machinarum bene fundata fuerat, neque ſat pulveris et pilarum erat, intermiſſa verberatio; quae biduo poſt acrior redintegrata eſt, uſque ad horam primam pomeridianam, qua cohortes aliquot regiae ad ruinam eniti juſſae; quarum impetum obſeſſi fortiter ſuſtinuerunt, quantumvis tormentorum ictibus graviter infeſtarentur: ſed poſt obſtinatum IV horarum certamen noſtri tandem propugnaculum, quod curti ſuberat, occupant, amiſſis ex ſuis XXX fere ordinum ductoribus, et L circiter ſauciatis. Sabaudiani amiſſo propugnaculo in curte paulo ſuperiore ſe foſſa ducta muniunt, ad quam mox noſtri vallum promovent, et totam noctem eos continuis aſſultibus laceſſunt; quibus ſuſtinendis impares illi poſtridie colloquium poſcunt. De conditionibus aliquandiu altercatum, qúod arbitrio victoris deditionem facere juberentur: quod cum illi recuſarent, Diguierius multa illis praeter petita indulſit, ut, quos cum plena victoria in poteſtate habere non poterat, humanitate vinceret. Igitur III Eidus loco tradito egreſſi, et [d] Scalas in tutum deducti ſunt. Eodem die Alfonſus Ornanus, qui nuper ex [e] Seguſianis redierat, et III colubrinas ſecum trahebat, [f] Geneſii-fanum in Sabaudia, quod tantum XXX praeſidio tenebatur, exiguo negotio capit. Ejus occupatione cum Sabaudi ruptas inducias cauſarentur, Diguierius [g] Burgonium venit, ut cum Ornano conſultaret; placuitque ut [h] Mottetus [i] Camberium mitteretur, ſcitatum inducias necne ſervare vellent: et, ad leniendam facti, de quo tantopere illi querebantur, invidiam, ei negotium datum, ut conditiones utrique parti aequas proponeret, de Scalis, quae multum noſtris incommodabánt, demoliendis: quod ſi Sabaudi facerent, Galli viciſſim Geneſii-fanum, ex quo Sabaudi infeſtabantur, demolirentur. Propoſitum inſuper, ut Sabaudi [k] Moretelium, quod eſt Delfinatus municipium ab ipſis occupatum, demolirentur, et Galli Mirabelli quoque munitiones ſolo aequarent. In has conditiones, cum de induciis, poſtquam rex ratas habuiſſet, prorogandis conveniſſet, Scalarum praefectus juſſus locum regi reſtituere, induciarum fiducia, quibus ſe tutum exiſtimabat, ludibrio petitionem accepit; et, pactis induciis, non putare ſe reſpondit, ut ob locum non traditum obſideretur. Nondum eae a Sabaudiae duce approbatae fuerant: itaque dum eas ratas haberet, ne tempus interim noſtris periret, placuit ut Scalae obſiderentur. Itaque ex compacto Ornanus et Diguierius VII Kal. Sextil. copias loco admovent, quo mox CCC auxiliares [l] Crypta ab hoſte miſſi eminus apparuerunt; quorum pars pulverem, funiculum, et pilas, ſecum ſerebant obſeſſorum ſubſidio. Qui dum propius accedunt, a noſtris, qui vico proximo occupato eos anteverterant, ſtrenue repulſi, retro ad Cryptam, re infecta, et quibuſdam ex ſuis amiſſis, redire coacti ſunt: unde mox et a regiis pulſi ſunt, et, cum Camberium ſe reciperent, a [m] Sanboneto caeſi.

INTERPR. [a] *le Sr d'Auriac.* [b] *Mirebel.* [c] *Berenger Sr de Morges.* [d] *les Eſchelles.* [e] *Forez.* [f] *S. Genis.* [g] *Bourgoin.* [h] *du Mottet.* [i] *Chambery.* [k] *Maretel.* [l] *la Crotte.* [m] *St. Bonnet.*

caeſi. Biduo poſt diſploſis aliquoties tormentis obſeſſi colloquium poſcunt, dimiſſique honorificis conditionibus; cum non ſolum pyxidas pulvere nitrato plenas referrent, ſed, ut fraudem facerent, eo per furtum celato totas veſtes implevissent. Igne caſu accenſo dum confertim incedunt, cuticula cuncti tenus fere ambuſti ſunt. Scalis [a] Blancus ordinum ductor cum praeſidio imponitur. Inde ſucceſſum urgeri placuit; et, inſtante ſenatu, Kalendis Sextilibus caſtra ad Moretelium poſita ab [b] Ornano, quod pridie a [c] Morgio praemiſſo corona cinctum fuerat. Interea, interventu [d] Illinii primarii praeſidis et Nicolai [e] Brularti Sillerii regii apud Helvetios oratoris, induciae cum Sabaudi delegatis pactae ſunt; quibus inter alia cavebatur, ut Moretelium in regis ejuſve vicarii manus III Eidus traderetur, deductis inde tormentis et apparatu bellico; idque ſtatim omni munitione ab iis nudaretur, obſideſque in eam rem ab Ornano darentur.

XVII. MORETELIO dedito, [f] Marciello Boterii illius famoſi ducis nepoti datum negotium, ut munitiones deſtrueret. Quo tempore de [g] Nemoroſii morte allatum eſt, veneno, ſicuti in Sabaudia jactabatur, per [h] Diſemium propinato, [i] Anicii Eidibus hujus menſis exſtincti; qui traditae regi Viennae illum ultorem metuebat. Fuerunt in eo juvene ingentes virtutes, quae ſuſpectum illius ingenium, ut erant tunc tempora, faciebant: elatus animus, liberalitas regiam magnificentiam aequans, ſobrietas, ac mira a voluptatibus ceteris abſtinentia, et poſtremo moderatio ſumma, ſive diſſimulatio, qua profundam ambitionem celabat. Utriuſque ſeorſim tirocinium fecit, in obſidione Pariſienſi ſummam aequitatis, ſolertiae, ac diligentiae laudem conſecutus, et in praefectura Lugdunenſi inſatiabilis ambitionis labe notatus: periculoque ſuo didicit, benevolentiae conciliatione, quam terrore, plus profici; a Meduanio ipſo fratre uterino Lugdunenſium ludibrio expoſitus, et ob id ipſi etiam Sabaudo gentili ſuo ſuſpectus; ut neuter ejus caſu multum indoluerit. Acerbior illius jacturae ſenſus in Hiſpanorum animis fuit, qui illuſtri partium ſuarum in regno fautore, et ad res novandas maxime idoneo, ſe privatos moerebant.

XVIII. SEPTEMBRI ineunte cum rex ex [k] Heduis Lugdunum veniſſet, eo mox ad eum Ornanus et Diguierius venerunt, haud occulta inter ſe aemulatione certantes: quam rex pejora veritus ut divideret, [l] Diguierium Provinciae vicarium conſtituit; Ornano libera Delſinatus praefectura, quam ſub Franciſco Borbonio [m] Contio in [n] Aumontii, qui eam tenuerat, locum ſuffecto adminiſtraret, relicta; et [o] Guiſio Provinciae jam ante praeſidi creato, ſive inſpectore, ſive juventutis optimo moderatore, attributo: atque ita praefecturam Lugdunenſem, quam recepta urbe de civibus optime meritus ambiebat Ornanus, ſibi ſervavit, eamque Philiberto [p] Guichio illius provinciae regulo magno rei tormentariae praefecto attribuit; qui porro jam aetate gravis rei tormentariae dignitatem ejeravit, a rege in [q] Sanlucium collatam. Inde miſſus in Provinciam Guiſius, ut ex ea Eſpernonium ejiceret; qui aliquantulum morae Lugduni fecit, rebus ad eam profectionem neceſſariis intentus. Diguierius, cui ſe in omnibus rebus auſcultantem fore regi receperat Guiſius, tanquam fido et experientiſſimo belli duci, accepto a Guiſio commeatu domum revolat; et, III CIϽ peditum e ſua pecunia conſcriptis, [r] Mauripodio XVII Kal. Dec. proficiſcitur; et, praemiſſo [ſ] Tallarium [s] Auriaco, qui partem copiarum ducebat, ipſe [t] Serras tendit; ac poſtridie conjunctis copiis ad [u] Balmam, id [v] Ciſtertionis ſuburbio trans [w] Druentiam, quod ponte cum urbe conjungitur, nomen, vim fecit, admotis crepitaculis: quorum vi dejecta porta Auriacus irrumpit, et ex CC praeſidiariis ad XXX primo impetu ſternit:

INTERPR. [a] *le capitaine Blanc.* [b] *le colonel d'Ornano.* [c] *Berenger de Morges.* [d] *Rabot Sr d'Illins premier preſident de Grenoble.* [e] *Brulart Sr de Sillery.* [f] *Marcieu fils du Sr Boutieres.* [g] *le duc de Nemours.* [h] *le Sr de Dizemieu.* [i] *Anicy.* [k] *Bourgogne.* [l] *le Sr de Leſdiguieres lieutenant de roy en Provence.* [m] *le prince de Conti.* [n] *le mareſchal d'Aumont.* [o] *le duc de Guiſe gouverneur de Provence.* [p] *de la Guiche grand maiſtre de l'artillerie.* [q] *de St Luc.* [r] *Puy-more.* [ſ] *Tallard.* [s] *le Sr d'Auriac.* [t] *Serres.* [u] *la Baulme.* [v] *Siſteron.* [w] *la Durance.*

ſternit: LX fluvio, dum natatu in ulteriorem ripam enituntur, hauſti; quidam et capti; pauci in urbem incolumes pervenere. Nondum Guiſius advenerat, quem crebris nunciis urgebat Diguierius, miſſo etiam [a] Bricomotio. Cum eo erant [b] Oraſoni marchio, [c] Meſpillus, Buovius eques, alii; qui, Diguierii gloriae invidentes, cum ſcirent ei a rege diplomate ſpeciali conceſſum, ut, capto Ciſtertione, arbitrio ſuo praefectum imponeret, facile Guiſio perſuaſerunt, qui alioqui [α] monitorem ſibi datum haud ſatis aequo animo ferebat, ut, renovatis odioſis Catholicorum et Hugonotorum nominibus, Diguierii conatus adfectata mora frangeret; interimque ad Alexandrum ab [d] Hiſpania Rameſortium, qui arcem tenebat, ſcriberet, ut, ſi deditionem facere juberetur, non alii quam Guiſio ſe traditurum eam reſponderet. Itaque, cum ad arctiorem obſidionem cuncta pararentur, et per tubicinem Rameſortius, ut regis legatis locum traderet, juberetur, per delegatos ab urbe miſſos reſpouſum eſt, Rameſortium et oppidanos imperata a rege facere paratos, ſed non alii quam Guiſio ſe dedituros. Aſtum non ſenſit initio Diguierius, quippe qui videret Guiſium in ſpeciem ſe tantopere colere, ut patrem nbique et per literas appellaret; neque quidquam tale de ejus ingenio, praeſertim cum haec contra fidem nuper regi datam fierent, ſuſpicaretur; ſed ex abſentia Guiſii a Rameſortio hanc occaſionem captari putabat, ut tempus ducerent tantiſper dum Eſpernonius cum auxiliaribus promiſſis adventaret. Itaque Meſpillo negotium dederat, ut Pipinum, quo venturus ille dicebatur, inſideret: verum is fraudis conſcius, non monito prius Diguierio, protinus cum ce intra urbem ab oppidanis accipitur. Quo cognito Diguierius, etſi jam de aſtu ſuboluiſſet, tamen re diſſimulata ad aliam urbis partem, ut auxiliaribus ingreſſum praecluderet, vallum promovet. Tandem cum Rameſortio conventum, reſque in Guiſii adventum dilata. Exeunte demum menſe cum Guiſius [e] Ciſtertionem veniſſet, inſtante Diguierio ut juxta regium diploma arx ſibi traderetur, Guiſius, ut regis imperium et Diguierii petitionem eluderet, properatis induciis cum Rameſortio tranſegit, cumque in arce, donec induciae exirent, cum praeſidio reliquit; quod putaret, virum generoſum, injuria ad animum revocata, diſcedendi ex [f] Provincia occaſionem capturum. Verum is rurſus dolorem preſſit, dum de re tota rex decerneret: et cum prima acie, quam ducebat, [g] Regium progreſſus, cum [h] Pirola, qui arcem Eſpernonii nomine tenebat, agere voluit; cum quo pariter induciae pactae. Inde omnes ſimul [i] Aquas Sextias conceſſerunt, ut cum ſenatu et aliis ordinum delegatis in commune de re publica capita conferrent. [k] Auriolum haud hinc longe [l] Caſtellerius natione Vaſco, ab Eſpernonio impoſitus, cum duabus levis armaturae et totidem ſcloppetariorum equitum alis tenebat. Cum eo duxiſſet Diguierius, ſpe facta ut peditatu juvaretur, inopinato locum adortus, Caſtellerium cepit, XX ex ſuis cecidit, totidem captivos et CL equos ſecum abduxit: nam, ceteris in arcem confugientibus, cum peditatus promiſſus non veniret, de arce capienda conſilium omiſſum eſt.

XIX. In extremo Decembri actum: quo [m] Brignolii cum eſſet Eſpernonius, inaudita cujuſdam Vallenſis municipis, qui locus eſt haud longe a Brignolio, audacia paene oppreſſus eſt. Is, Bartholomaeus [n] Berga nomine, quo ſpiritu incitatus an alio inſtigante id conſilii cepit, incertum fuit: quod ut exſequeretur, primo cum curione quodam municipii egit, ut in templo, in quo Eſpernonius quotidie ſacrum audiebat, duas arcas, quas pulvere nitrato impleverat, deponi pateretur. Quod cum ſacerdos, niſi apertis arcis, ut videret quid in iis eſſet, ſe facturum negaret, Berga alio aſtu uſus eſt.

VAR. LECT. [α] monitorem importunum ſibi a rege datum haud *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Briquemaut.* [b] *Oraiſon.* [c] *de Meſplet, & le chevalier de Buous.* [d] *d'Eſpagne Sr de Ramefort.* [e] *Siſteron.* [f] *Provence.* [g] *Riez.* [h] *le Sr de Peyrolet.* [i] *Aix.* [k] *Auriol.* [l] *du Chaſtellier Gaſcon.* [m] *Brignoles.* [n] *de Bergue natif du Val.*

CIↃ IↃ XCV. Henricus IV.

eſt. Duos ſaccos ccc nitrati pulveris libris quaſi grano plenos parat, ac gemino involucro, ut magis fallerent, tegit, ſingulisque rotulas ſcloppetarias indit, quae per funiculum laxarentur; funiculumque ori cujusque ſacci ita alligat, ut aperiri non poſſent niſi laxatis rotulis. Alterum funiculum longiorem et rotulis appoſuerat, quo e longinquo, ita ut ignis nocere non poſſet, attractae illae ab ipſo Berga, ſi res omnino ex conſilio proceſſiſſet, laxandae erant. Et, cum videret ſpiracula cellarum in aedibus, in quibus Eſpernonius diverſabatur, obturata eſſe, ita ut per ea nihil immitti poſſet, [a]Rogeriam aedium illarum dominam, cui certam frumenti quantitatem debebat, convenit; et partem ejus ſe attuliſſe dicit, ſed vereri ne Helvetii ac ſtipatores Eſpernonii ingreſſu ruſticos, qui illud ferant, prohibeant. Dolum non ſenſit Rogeria, quippe quae ob penſionis illius praeſtationem paulo ante Bergam in judicio perſecuta eſſet. Itaque ſe cum cuſtodibus acturam reſpondit; proinde granum adferendum curaret: quo dicto Berga ſubito ad ruſticos revolat, et ſaccos ut ſecum ferant jubet, notato tempore quo Eſpernonius in ſuperiore conclavi ad menſam ſedebat. Allatos ſaccos ſub meridiem, et in atrio conclavi ſubjecto depoſitos, protinus Helvetii ad parietem intergerinum rejiciunt; ubi cum piſtor aliique e familia quid intus eſſet curioſius inſpicere cupiunt, Berga, qui aderat, non opus eſſe altero fune ad ignem immittendum parato cernens, protinus ſe ſubducit, et extra municipium profugit. Interea, dum aperiendis ſaccis ſe miſeri homines fatigant, attracto funiculo rotulae laxantur, excitatoque ſubito incendio conclavis ſuperioris tabulatum in ſublime evectum eſt, et paries intergerinus dejectus, diffiſſo utrinque aedificio. Sed accidit forte ut portae et feneſtrae apertae eſſent, et proinde ignea vis liberius ſpatium nacta evanuerit, nec tanto impetu, quam ſperabatur, aedificium concuſſerit: nam ſuperius conclave et totum domus culmen intactum remanſit. Eſpernonius autem leviter in dextro brachio et femore ictus eſt, barba vi ignis et coma tantum afflata, et cum aliis, qui cum eo prandebant, inter ignem flammamque citra majus periculum ſepultus. Piſtor et unus e bajulis ac ruſticis interfecti; aliquot alii, membris mutilatis aut ambuſtis, evaſerunt: nam tota fere familia in ſuperiore conclavi erat, in ſecundo miſſu ferendo occupata. Ceterum ad fragorem tantum cum alii captum admotis crepitaculis oppidum, alii ruina obrutum Eſpernonium, ſuſpicarentur, clamore confuſo ac ſtrepitu cuncta per vicos circumſonabant. Clauſae mox tabernae, et ad aedeis Eſpernonii concurſus factus: quem cum ſui jam erexiſſent, ſtationes ſubito ejus juſſu locis idoneis diſpoſitae, et corona armatorum cinctum pomoerium: tantum L equites extra oppidum emiſſi, qui viderent an hoſtes uſquam apparerent. Dein, cognito ex Rogeria et altero ex ruſticis, quis doli auctor eſſet, miſſi [b]Vallem in proximo vicum, qoi Bergae aedeis ſcrutarentur; in queis mira ſolitudo reperta. Poſtea compertum, ipſum e veſtigio [c]Aquas Sextias profugiſſe, et Guiſio ac Diguierio cum dejerationibus affirmaſſe, Eſpernonium extinctum eſſe. Certe conſtat Eſpernonium, innumeris periculis defunctum, et ad fortuita alioqui intrepidum, hoc caſu plus perculſum fuiſſe, quam vel Guiſii aut Diguierii armis territum; atque ab eo tempore optaſſe dari ſibi occaſionem, qua honeſte ex [d]Provincia pedem efferre poſſet; quippe qui videret cum hominibus ſibi rem eſſe, qui nihil humani praeter oris ſpeciem haberent, et tot hominum exitium nihili facerent, ut de homine inimico ultionem ſumerent.

XX. Postea in concilio agitatum de [e]Maſſilia tentanda, exulibus apud Gniſium et Diguierium inſtantibus ut patriae reſtituerentur. Sed aemulorum livore, qui hanc gloriam Diguierio invidebant, per varias ſubinde ludificationes procraſtinatum negotium, eo uſque dum ſumptuum et inutilis morae taedium virum generoſum caperet,

INTERPR. [a] *Regier.* [b] *Village du Val.* [c] *Aix.* [d] *Provence.* [e] *Marſeille.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

caperet, et, poſt nimiam patientiam juſta indignatione ſubeunte, ipſum nunquam deinceps in Provinciam rediturum domum revocaret.

XXI. FUNESTISSIMO Galliae tot cladibus ac virorum illuſtrium mortibus hoc anno rex cum pontifice reconciliatus eſt, cum ante biennium ad [a] Dionyſii-fanum, accedente Gallicanae eccleſiae epiſcoporum auctoritate, ritu ſolenni ad ſacra majorum rediiſſet. Miſſus ad pontificem cum [b] Cenomanenſi epiſcopo et Pariſienſi decano [c] Nivernius fuerat, rogatum, ut reconciliationem ratam haberet; ferventibus adhuc foederatorum rebus, et praevalente Romae Hiſpana factione, repulſam paſſus. Poſtea recepta Lutetia, et proceribus ac civitatibus pleriſque in gratiam a rege acceptis, poenitentia pontificem ſubiit, veritum ne per eam repulſam ſciſſurae porta aperiretur, et, rege ſine pontificis interventu confirmato, diſciplina eccleſiaſtica quoque citra pontificiam auctoritatem, ut ſaepe alias, in regno conſtitueretur. Itaque per cardinalem Gondium regi ſignificandum curat, ſi delegati denuo mittantur, fore, ut pio ejus deſiderio abunde ſatisfiat. Legationi obeundae, quando res jam pro confecta habebatur, deſtinatus Jacobus [d] David Perronus Ebroicum epiſcopus deſignatus, Nivernio longe dignitate inferior; eique mandata ad diſceptandas conditiones data communia cum Arnaldo [e] Oſſato, a me ſaepius honorifice appellato, qui res noſtras ſub regiis oratoribus, et per eorum abſentiam, ſumma fidei et prudentiae laude ſaepe antea procuraverat. Perronus cum IV Eid. Quintil. Romam veniſſet, re cum Oſſato communicata, ambo tanquam regii procuratores ad pontificem ſupplices admittuntur; et libellum porrigunt, cujus haec ſumma erat: Regem, cum aliquot abhinc annis aſpirante Dei gratia de reconciliatione cum Catholica apoſtolica Romana eccleſia ſerio cogitaret, omneis rationes iniviſſe, quibus, accedente ſanctae ſedis auctoritate, ad unionem eccleſiae admitti poſſet: ob id ad Sixtum V Franciſcum [f] Lucemburgicum legaſſe; et poſtea, initio ipſius pontificatus, cum XVIII menſium ſpatio de controverſis inter Catholicos et haereticos capitibus per otium melius edoctus fuiſſet, cardinalem [g] Gondium et cum eo [h] Piſanii marchionem miſiſſe, qui ſuam ſanctitatem rogarent, pro ſua pietate et auctoritate rationem praeſcriberet, quam in eo negotio ſequi deberet: cum vero ſua ſanctitas cum ſua gratia minime dignum cenſuiſſet, ipſum in continuis belli periculis verſantem, et a percuſſoribus, qui quotidie vitae ejus inſidiantur, merito metuentem, ut pio deſiderio ſuo ſatisfaceret, ad epiſcopos Franciae ſe contuliſſe: illos vero, aliquot adhibitis magni nominis theologis, cum eum abunde in Catholicae apoſtolicae Romanae eccleſiae fide inſtructum judicarent, ritu et modo in re tali uſurpari ſolitis, ſupplicem ad errorum praeteritorum ejerationem, et fidei ſuae profeſſionem, quam inviolabilem ſe ſervaturum promiſit, admiſiſſe, et per unum ex epiſcopis, ex aliorum conſilio, coram ipſis, a cenſuris et excommunicatione, in quas ob errores illos incurrerat, abſolviſſe; addita ab iiſdem epiſcopis cautione, ut oratores ad ſuam ſanctitatem mitteret, rogaturos, ut, quod extrema neceſſitate urgente factum eſſet, ratum habere dignaretur: regem autem, ut ſine mora epiſcoporum decreto ſatisfaceret, cum ipſe ire non poſſet, ad pontificem, quem pro ſupremo eccleſiae paſtore agnoſcit, Nivernium cum Cenomanenſi epiſcopo aliiſque praeſulibus legaſſe, ut per eum a ſua ſanctitate petitae gratiae beneficium impetraret: et, quanquam non eam conſolationem, quam ſperaverat, ex ea legatione ceperit, non tamen de paterna bonitate ſuae ſanctitatis diffidere voluiſſe; et denuo per ipſos, ad pedes ſuae ſanctitatis proſtratos, per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti ſupplicare, ut benedictionem ſuam, et ſupremam a cenſuris, in quas ob errores incurrit, abſolutionem, ad majorem ipſius animi et univerſi regni Franciei ſecuritatem et tranquillitatem, nec

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *l'evêque du Mans.* [c] *le duc de Nevers.* [d] *Davy du Perron évêque d'Evreux.* [e] *d'Oſſat.* [f] *Luxembourg duc de Piney.* [g] *de Gondy.* [h] *Piſany.*

nec non ipſius cum ſancta ſede reconciliationem, impertiri dignetur: ipſos pro rege ſpondere, ipſum ſanctae ſedis et ſanctae matris eccleſiae mandatis ritu et modo in tali re uſurpari ſolitis ſtaturum. Additum libello ad permovendum pontificem, ſeptennio abhinc, ob ſummam in eccleſia Gallicana, ob complureis vacanteis epiſcopatuum, coenobiorum, et eccleſiarum ſedeis, vaſtitatem, magiſtratum in ſacrum ordinem poteſtatem inſolitam quotidie uſurpare, bona eccleſiaſtica belli vi in profanos uſus converti ac diſſipari, omnem ſacram diſciplinam corrumpi, ac teterrimam ſciſſuram cum tot animarum certo exitio paulatim invehi: quarum rerum commiſeratione ut tangeretur orabant, et per illam, quam ſuppliciter petebant, abſolutionem, ac Chriſtianiſſimae coronae cum ſancta ſede reconciliationem, tot malis in eccleſia et per totum Chriſtianum orbem graſſantibus finem imponeret. Accepto libello cum amplius ſe deliberaturum reſpondiſſet pontifex, vocatis poſtea procuratoribus, et re cum iis ultro citroque agitata, cum quid ſui in negotii illius explicandi ratione conſilii eſſet benigne aperuiſſet, IV Non. Sextil. cardinaleis in aedeis ſuas [a] Quirinaleis vocat. Cuncti, qui Romae erant, interfuerunt, praeter Inicum [b] Avalum Aragonium et Octavium Parravicinum, qui ob morbum ſe excuſarunt. Ibi pontifex, expoſito quid in eo negotio, ex quo ſupremum eccleſiae magiſtratum iniit, geſtum, et quanta cum ſeveritate cum rege actum ſit, nihil tamen hactenus profectum dicit; nam illum ſemper in dies proſperaſſe, et jam totius regni potentem eſſe: itaque per Gondium cardinalem in Gallia ſignificandum curaſſe, ſi legati denuo mittantur, fore, ut eos benigne admittat: miſſum ob id Perronum cum literis, et alteris quidem ipſius regis manu ſcriptis, et ipſum libellum ſcripto comprehenſum porrexiſſe: nullum majus a multis ſaeculis a ſancta ſede agitatum negotium fuiſſe: proinde ipſos orare et hortari, ut, ſemotis affectibus, et omni nominis Francici aut Hiſpani privato ſenſu, humanoque reſpectu, ad honorem ſolum Dei et eccleſiae conſervationem et amplificationem et orbis Chriſtiani tranquillitatem tantum mentis oculos dirigentes, illud diligenter apud ſe perpenderent; atque ante omnia meminiſſent, non heic hominis privati et nexi, ſed maximi et potentiſſimi principis, qui exercitibus et multis populis praeerat, cauſam agi, neque tam ipſius, quam regni, quod in ejus poteſtate erat, et ex ejus nutu pendebat, rationem habendam eſſe; ac proinde non tantam ſeveritatem in abſolutione a cenſuris, quam a peccatis, ſervandam: intra triduum aut quatriduum illos ſeorſim vocare decreviſſe, ut in privato cubiculo illorum ſuffragia accipiat. Tum recitatae regis literae et ſupplex libellus. Quinto poſt die ſinguli cardinales admiſſi ſententias rogantur, et, quod uno aut altero conſiſtorio peragi potuiſſet, non niſi multorum dierum mora confectum eſt, pontifice interim ordinaria negotia minime intermittente. Itaque ad X Kalendas Septembreis, moroſitate curiae illi innata, protelatum negotium. Toto eo tempore, quod ab audientia Perroni ad exitum menſis effluxit, ſupplicationes tota urbe ſolemnes indictae, et XL horarum preces paſſim celebratae, ad implorandam in tantae molis negotio explicando Dei optimi maximi gratiam. Ipſe pontifex Nonis Sextilibus ex aedibus Quirinalibus ſub auroram cum familia ſua nudis pedibus ad [c] S. Mariae ivit, et poſt longam orationem ſacrum celebravit; et, nudis, ut venerat, pedibus, demiſſo capite, neminem reſpiciens, flens, neque benedictionem occurrentibus impertiens, ad Palatium reverſus eſt. Idem ab eo factum XVIII Kalendas Septembreis, quo die beatae Mariae aſſumptio in eccleſia celebratur. Propoſitae dein conditiones hujuſmodi, tam a pontifice, quam ab iis qui, ſpecie auctoritatis eccleſiaſticae tuendae et augendae, eo rem adducere cupiebant, ut vix longo tempore, ac ne vix unquam, exitum ſortiretur: a pontificiis et Hiſpanae factioni addictis initio petebatur, ut rex ante omnia edictum pacificationis

anno

INTERPR. [a] *Monte-Cavallo.* [b] *Davalos d'Arragona.* [c] *Sta Maria Maggiore.*

anno CIƆ IƆ LXXVII factum revocaret; ad dignitates et honores haereticos non admitteret, et, quamprimum bello externo defunctus eſſet, curaret, nulla alia praeter Catholicam apoſtolicam Romanam religionem in Francia locum haberet: ſua majeſtas ad ſervanda edicta ac decreta in gratiam haereticorum condita Catholicos non cogeret; a bello contra foederatos, qui in armis adhuc erant, deſiſteret, eoſque in gratiam acceptos priſtinis dignitatibus et honoribus reſtitueret, aequis conditionibus, de quibus pontifex per legatos ſuos cum rege conveniret: cum rege Hiſpaniae inducias pangeret, quouſque rationes pacis iniri poſſent, de quibus pontifex pariter per ſuos oratores cum utroque rege ageret: Jeſuitae reſtituerentur: in ſenatuſconſulto contra [a] Caſtellum facto clauſula induceretur, qua aſſeritur, regem in eccleſia eſſe, etiamſi a pontifice abſolutus non ſit: rex [b] Benearni eccleſiis bona adempta reſtitueret, aut compenſationem daret; qui diplomata epiſcopatuum aut coenobiorum ſine nominatione, aut a Meduanio nominati et commendati, a pontifice impetrarent, in poſſeſſione pacifica manerent: diplomata ac diſpenſationes a Cajetano et Placentino cardinalibus factae executioni demandarentur, revocatis contra eas decretis a ſenatu factis: atteſtationes de vita et moribus, quae deinceps fierent ad obtinenda conſiſtorialium beneficiorum diplomata, a monachis aut aliis a ſancta ſede delegatis fierent: omnes ordines, collegia, ac regni univerſitates, promitterent et fidem interponerent, regem in religione Catholica perſeveraturum, et quae promiſerat ſervaturum ac impleturum; ipſe rex jam nunc declararet, aſſentiri ſe, ſi relaberetur, ut una omni regni jure excidiſſe intelligeretur, et ſubditi a fide et obſequio, quod illi debent, abſolverentur: inter alias poenitentiae conditiones bellum Turco facere teneretur; abſolutio non Romae a pontifice, ſed in Francia per legatum, concederetur: ipſe rex denuo et publice coram legato errores ejuraret, denuo conſecraretur, et inſignia regni caperet; ut habilis ad regnum reputaretur, a legato gratiam impetraret: cum oratore, Romam ad obedientiam more ſolito praeſtandam mittendo, una mitterentur ex omnibus regni ordinibus ſpectabiles viri, qui denuo Romae fidem interponerent, regem in religione Catholica, cui nomen dediſſet, perſeveraturum. Hae conditiones ſcripto comprehenſae a pontificiis. In arcano procuratores viva voce et pluribus ex locis tentati, an coronam ad pedes pontificis deponere vellent, ac per illud ſignum quaſi regnum Franciae in ejus manus conſignare, quod ille ſe pro rege gerens, quamvis a ſancta ſede jure ſucceſſionis, et alio omni quod in regno Franciae ſibi competere contendebat, privatus, contra divina jura et humana occupaſſet; quam coronam poſt illam ſummiſſionem pontifex in capite procuratorum mox reponeret. Verum illi ab ea conditione ſe valde alienos oſtenderunt, cum dicerent, reges Franciae, quantum ad juriſdictionem ſpectat, nullum ſuperiorem agnoſcere: neque vero pati poſſe Francos, ut reges ipſorum ulli ſe tanquam ſuperiori ſummittant, ac praeſertim nobilitatem: ac longe decipi eos, et in rerum noſtrarum cognitione toto coelo errare, qui aliter credant; nam ſolos id eos ſibi perſuadere, qui de regni uſurpatione cogitant. Poſtea de profeſſionis fidei formula actum, quae ea forma propoſita eſt, qua ab epiſcopis, coenobiarchis, et hujuſmodi, exigi ſolet; idque praefracte volebat pontifex. Verum procuratores ad caput, quod obedientiam pontifici praeſtari ſolitam ſpectat, adjungi petierunt, eam a ſua majeſtate ea forma praeſtitum iri, qua Chriſtianiſſimi deceſſores ſui eam praeſtitiſſent; ſublata illa poſtrema clauſula, qua regem adigere volebant, ut religionem Catholicam ab omnibus ſuis ſubditis ſervandam, docendam, et praedicandam curaret. Tandem in has conditiones conventum: I, Ut procuratores ſacramentum uſitatum dicant, ſanctae ſedi et eccleſiae mandatis ſe parituros. II, Coram pontifice Calviniſmum et omneis alias haereſeis ejerent, et fidei profeſſionem

INTERPR. [a] *Choſtel,* [b] *Bearn.*

profeſſionem edant. III, Rex in Benearni principatu religionem Catholicam reſtituat, et epiſcopos Catholicos in eo nominet; et, quouſque antiqua bona eis reſtituantur, duobus epiſcopis, quantum ſat erit, quo ſe pro dignitate ſuſtentent, de ſuo largiatur. IV, Intra annum principem Condaeum e manibus haereticorum recipiat, et in manus Catholicorum tradat, ut in religione Catholica et Chriſtiana pietate alatur ac inſtituatur. V, Pacta conventa, tam in ſacerdotiorum inauguratione, quam in aliis rebus, ſerventur. VI, Rex concilium Tridentinum omnino publicandum et ſervandum curet, niſi in iis quae citra tranquillitatis publicae perturbationem executioni demandari non poterunt, et ſi quae alia hujuſmodi reperientur. VII, Rex nullos haereticos, aut de haereſi ſuſpectos, ad epiſcopatus, coenobia, aliaque ſacerdotia, nominet. VIII, Praecipuo loco habeat, et in patrocinium recipiat, eccleſiaſticos; neque eos a viris armatis aliiſve vexari aut opprimi, aut bona eorum retineri, patiatur; ſi quae occupata fuerint, ea protinus ac ſine cauſae cognitione, ubicunque in regno ſita ſint, reſtitui curet. IX, Si quae bona aut arces ditionis eccleſiaſticae beneficii profani titulo cuiquam ſive Catholico ſive haeretico conceſſae ſint, gratia facta revocetur. X, Rex facto dictoque; et in diſpenſandis praecipue honoribus ac dignitatibus, oſtendat, praecipuo ſibi loco eſſe Catholicos; cunctique intelligant eum velle ac cupere, ut unica religio, eaque Catholica apoſtolica Romana, quam profitetur, in ejus regno effloreſcat. XI, Niſi legitimo impedimento prohibeatur, quotidie Coronam beatae Virginis, et ſingulis Mercurii diebus Letanias, Saturni die Roſarium beatae Virginis, recitet, quam pro patrona ſua in coelis accipiet; et jejunia ab eccleſia indicta ſervet: quotidie ſacrum audiat; feſtis diebus ſolemnibus miſſarum ſacris interſit. XII, In ſingulis regni provinciis, et in Benearni principatu, monaſterium virorum aut foeminarum mendicantium aut reformatorum aedificet. XIII, Quater in anno quam minimum peccata confiteatur, et euchariſtiam ſumat. XIV, Ratam habeat in Francia coram legato, aut alio qui mittetur, ejerationem, et fidei profeſſionem, aliaque a procuratoribus promiſſa; et ratihabitionis inſtrumentum pontifici tranſmittat. XV, Ad principes Catholicos ſcribat, et gratuletur, quod in gratiam eccleſiae Romanae receptus ſit; in qua deinceps ſemper ſe perſeveraturum oſtendat. XVI, Mandet, ut per omne regnum pro tanto beneficio gratiae Deo reddantur. In VI capite de promulgatione concilii Tridentini adjecta conditio vix poſt multas contentiones ac altercationes a pontificiis diſceptatoribus obtineri potuit, cum eam diſertioribus verbis amplius explicari procuratores regii peterent, ne per illud edictis in gratiam Proteſtantium conceſſis praejudicium factum intelligeretur. Verum illi regem monuerunt, pontificem minime ignorare conditionem edicti pacificatorii cauſa adjectum eſſe; et ita ipſum intelligere, ſed noluiſſe expreſſius deſignari, ne aperte videretur id probare: nec propterea Proteſtanteis commoveri debere, quibus ita cautum eſſe nemo, qui ſapiat et aequus ſit, non videt. IX caput additum fuit, quanquam ſuperfluum illud eſſe dicerent procuratores, quod pontifici perſuaſum fuerat, [a] S. Remigii Remenſis coenobium, cujus ampliſſima vectigalia haud longe a Sedano abſunt, beneficii profani titulo a rege in Henricum [b] Turrium Bullionii ducem collatum eſſe: quod, ad regem invidia onerandum, ab Hiſpanis et factioſis calumnioſe confictum fuerat. In X capite etiam a procuratoribus multum deſudatum fuit, ut ita conciperetur, et, loco primi capitis a pontificiis propoſiti, de revocando edicto anni CIↃ IↃ LXXVII, haereticis ab honorum ac dignitatum petitione excludendis, et unica Catholica apoſtolica Romana religione in regno conſtituenda, ſubſtitueretur. Poſtremo de decreto abſolutioni praemittendo actum fuit; quo cum pontifex abſolutionem

INTERPR. [a] *l'Abbaye de S: Remi.* [b] *de la Tour duc de Bouillon.*

CIϽ IϽ XCV. HENRICUS IV.

abſolutionem ab epiſcopis Gallicis conceſſam tanquam nullam et irritam revocare decreviſſet, procuratores aſſentiri noluerunt: cumque animo pertenderet pontifex, et fruſtra abſolutionem ſuam peti ant dari diceret, ſi prior valida maneret, non adprobata a procuratoribus revocatione, conventum, ut ſtatim in decreto altera clauſula adjiceretur, qua pontifex cuncta religionis acta, quae in perſona regis ſecuta, et quae per ipſum facta erant, vi abſolutionis in Francia conceſſae, probaret et confirmaret, perinde atque ſi jam tunc a pontifice rex abſolutus fuiſſet. Qua in re caute a procuratoribus ſervatum fuit, ut tantum ad religionis acta confirmatio porrigeretur; cum pontificii, decipulam in eo regiis tendentes, generalem clauſulam concepiſſent, ut juriſdictionem ac poteſtatem pontificiam, quam in ſpiritualibus, ut vulgo loquuntur, tantum in Gallia agnoſcimus, etiam ad temporalia extenderent. Major omnium difficultas, et quam Oſſatus offenſionis lapidem vocabat, in eo fuit, ut rex per illam abſolutionem, revocatis Sixti V et Gregorii XIV cenſuris, ad regnum habilis reputaretur: nam rex, qui ſe, quantum ad conſcientiam, abſolutione in Gallia impertita tutum exiſtimabat, et majorum religionem jam totum biennium profitebatur, ut de ejus fide Catholici a factionibus alieni minime dubitarent, ex reconciliatione cum pontifice hunc fructum ſperabat, ut Hiſpani et Foederati apud nos, qui pontificiam auctoritatem rebellioni praetexentes adhuc in armis erant, deinceps quieſcerent, et illi ad amicitiam, hi ad obſequium, flecterentur: et tamen dignitatis Gallicanae et publicae libertatis intererat, ne quem omnes Francici nominis vere ſtudioſi pro legitimo principe ac ſupremo domino huc uſque coluerant, ab alio tanquam ſuperiore ad regnum habilem pronunciari paterentur. In hujus perplexi adeo negotii explicatione cum aeſtuarent noſtri, et pontificii occaſionem ſe opportunam nactos putarent, qua poteſtatem in regnum ſemper antea negatam, rege ipſo petente, uſurparent, nodus Oſſati ſolertia tandem ſolutus eſt; qui rehabilitationis, quam vocant, verbum, ne injuriam regi regnoque faceret, decreto et abſolutionis bullae nunquam inſeri [a] paſſus eſt. His actis, cum nihil amplius a procuratoribus noſtris exigi potuiſſet, III Kal. Sept. pontifex, conſiſtorio habito, ſe ſuffragia cardinalium collegiſſe dicit, ac reperiſſe, duos trientes in abſolutionem inclinare, quibus et ſuum adjungat; ac proinde decreviſſe, eam elargiri. Cum M. Ant. [a] Columna cardinalis intercedere vellet, et amplius de conditionibus deliberandum diceret, pontifex manus ſigno ſilentium plura dicturo impoſuit, ac jam de conditionibus cum procuratoribus tranſactum eſſe reſpondit; ac, parte illarum expoſita, curaturum ſe dixit, ut ampliores, ſi poſſet, a procuratoribus regiis, ſi ab iis non poſſet, per legatum quem miſſurus eſſet, et oratores ſuos qui in regis comitatu manerent, et oratores ipſos regios quos rex ad ſe mitteret, deinceps obtineret.

XXII. TANDEM ſolemnia ritu celebri peracta XV Kalendas Octobreis, pergula in S. Petri extructa, in qua pontifex in praealto ſolio, et cardinales cuncti qui Romae erant, praeter Aragonium, M. Ant. Columnam, et Alexandrinum, infra ſedebant. Ibi decretum pontificis, dein libellus ſupplex a procuratoribus regis nomine oblatus, recitatur. Poſtea admiſſi procuratores in genua procumbentes juxta praeſcriptam formulam errores ejurarunt; lectiſque conditionibus, regem in religione Catholica apoſtolica Romana perſeveraturum, ac conditiones ſervaturum, tactis ſacroſanctis Evangeliis religioſe promiſerunt. Inde ad ſolium deducti, cum capite demiſſo rurſus in genua procubuiſſent, Pſalmus L recitatur; ad cujus ſingulos verſiculos pontifex virgula, quaſi vindicta, qua, ut olim ſervi apud Romanos manumittebantur, ſiç nunc peccatis nexi per abſolutionem in libertatem Chriſtianam aſſeruntur, leviter ſupplices procuratores

VAR. LECT. [a] paſſus eſt; et tamen regis Franciae ac Navarrae reconciliationis cum ſancta ſede crebro repetita mentione effecit, ut qui eam maligne deſiderarent, in decreto bullaque ſaltem implicite contineri negare non poſſent. His actis *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Colonna.*

procuratores tangebat. Quo ſacto, ex ſollo ſurgens aperto capite ſolemneis orationes recitavit, et, rurſus ſumpta tiara et in ſolio ſedens, quaſi judex, ſententiam alta voce pronunciavit; et auctoritate Omnipotentis Dei, et beatorum apoſtolorum Petri et Pauli, et ſua, Henricum regem a vinculo excommunicationis, qua ex cauſa haereſis ligatus erat, abſolvit. Tum baſilicae S. Petri portae, quae huc uſque clauſae fuerant, juſſu pontificis ſunt reſeratae, ad eamque a S. Severinae cardinali poenitentiario majore procuratores deducti ſunt; ibique beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus, magno omnium ordinum concurſu ac turba, decantatus. Inde cardinalis Jouſa, qui aderat, et procuratores ad beati Ludovici aedem perrexerunt; ubi rurſus idem canticum cum feſto plauſu recitatum eſt, ſacra peragente Gulielmo [a] Avanſonio Ebrodunenſi archiepiſcopo; et mortaria aliquot diſploſa in ſignum laetitiae, ut et in arce S. Angeli tormenta. Eodem officio ad veſperam defunctus eſt Annas [b] Scarſius epiſcopus Lexovienſis ad [c] S. Trinitatis aedem, in qua [d] Pauliani degunt natione Franci; paſſimque eo die per urbem et duobus ſequentibus ignes publice accenſi, et per feneſtras lumina in lucernis tota nocte appoſita. Relationem de ea re, a Joanne [e] Botero Benenſi, aliis editis libris non obſcuro, vernacule ſcriptam, qui Latine vertit, et [f] Coloniae cum inepta admodum et mendaci pictura typis excudendam curavit, erga regem regnumque injurioſus fuit; quippe qui, in explicanda vindictae adhibitae ratione, fuſtibus caeſos procuratores dicit: quod maxime apud nos contumelioſum ducitur. Deinde procuratores, qui veſtibus modeſtiae ſacerdotali convenientibus induti erant, cum penulis et gladiis in ſcenam inducit; et columnam, quaſi inſigne triumphantis de rege et regni calamitate pontificis monumentum, Romae erectam confingit. Franciſcum [g] Toletum Hiſpanum e ſodalitio Jeſuitico, in cardinalium collegium nuper cooptatum, doctrina et morum ſanctimonia clarum, ad rem conficiendam magnum momentum attuliſſe ſcripſerunt ad regem procuratores; quam licet confectam cuperet pontifex, tamen hinc Hiſpanorum Romae praepotentum prenſationes, hinc illius aulae in negotiis explicandis moroſitas, difficilem confectu reddiderant: verum illum, patriae ac naturalis principis reſpectu depoſito, cunctas, quae quotidie ab infeſtis regio Gallicoque nomini hominibus movebantur, difficultates ingenii ſolertia ac aequitate ſuperaſſe, et conſilio ac auctoritate pontificem in ſuo propoſito confirmaſſe. Quod ſive ſponte fecit, ut erat moribus candidis et infracto ad gratiam odiumque ingenio, ſive de induſtria, quod pleriſque tunc perſuaſum fuit, ut gratiam, quam a conditionibus a pontifice impoſitis impetrare non potuerat, ordini ſuo apud regem conciliaret, magnum viciſſim ad reſtitutionem Jeſuitici ſodalitii, quae octavo poſt anno ſecuta eſt, momentum attuliſſe creditur; et jam tum rex gloriabatur, ac inter fataleis ſibi felicitates numerabat, quod ex gente adeo infeſta unum cauſae ſuae apud pontificem defenſorem ac aſſertorem habuiſſet; facileque ſibi ab Oſſato ob id perſuaderi paſſus fuerat, ut Toletum, qui legationi obeundae deſtinabatur, admitteret. Sed, cum poſtea pontifici placuiſſet, ut qui ob abſolutionem mitteretur etiam pacis inter reges tractandae negotium ſuſciperet, quod non niſi ab homine utrique parti non ſuſpecto confici poterat, Toletus, alioqui jam aetate gravis, excuſatus fuit; et Alexander Medices cardinalis dignitate ac natalium ſplendore illuſtrior, tanquam magis idoneus, ad id delectus.

INTERPR. [a] *d'Avanſon archevêque d'Embrun.* [b] *d'Eſcars evêque de Liſieux.* [c] *la Trinité du Mont.* [d] *les Minimes.* [e] *Botero Beneſe.* [f] *Cologne.* [g] *Tolet.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS QUARTUS.

EPITOME.

EODEM quo haec Romae agebantur tempore, ſenatoria gravitate dignum ſenatuſconſultum contra Florentem Jacob Theologum Pariſienſem factum. Jo. Forgetus praeſes, et Jacobus Gueſlaeus cognitor regius, in ſchola Sorbonica verba fecerunt. II. Paulo poſt Fran. Surgerius monachus, ob verba contumelioſe in concionibus publicis prolata, ſevere caſtigatus. III. Celebratae hoc anno magna pompa Alexandrinae eccleſiae et Ruthenae cum ſancta Romana eccleſia reconciliationes: ſed laetitia paulo poſt turbavit, Alexandrina legatione in dubium revocata. IV. Agitata gravis quaeſtio inter parochos et paſtores Vallis Telinae, de CHRISTO mediatore. Ea de re utrinque publicata ſcripta. V. In Germania, atque adeo Friſia Orientali Emdenae, tumultuatur. Ejus origines et incrementa, et oppidanorum cum comitibus diſſidia. Ordines Belgici auctoritatem ſuam interponunt. VI. Ob Gulielmi Clivenſis ſucceſſionem inter heredes tumultuatum. VII. Inter Suecos et Moſcos bellum Poloni interventu componitur. Thorunae in Boruſſia conventus Proteſtantium cogitur, nequicquam rege annitente ut coetus ſolveretur. VIII. In Oriente Amurathes III XV Kal. Feb. Byzantii decedit. Ejus mores et vita domeſtica. Mahometis filii mores, educatio. Ab eo primis imperii auſpiciis geſta. IX. Sigiſmundus Bathorius, miſſis Pragam legatis, cum Caeſare de conditionibus belli contra Turcos gerendi tranſigit. Una ex Caroli archiducis filiabus ei deſponſata, et fiduciariae nuptiae coram Maximiliano archiduce contractae, et ſponſa Caſſoviam deducta. X. Ferdinandus Hardecus Javarini amiſſi praefectus et proditi inſimulatus militari judicio damnatur, et ſecuri Viennae percutitur. XI. Walachus rem ſtrenue cum Turcis gerit, et Tataros caedit. Geſtis Ferentzii contra Sinanis reliquias et Tataros ſucceſſus. Janicula Bogdanus Moldaviae deſpota a Mahomete creatur. Coſaci bellum latronum more gerunt, magno Chriſtianorum poſtmodo detrimento. XII. Poſonii et Pragae comitia a Caeſare celebrata, ad explicandas belli cum Turcis gerendi rationes. In comitiis Cracoviae bellum Turcicum urget orator pontificius, Jo. Sario Samoſcio contradicente. Sinan, ad retardandos noſtrorum conatus, pacis ineundae ſpem facit. Miſſis a Caeſare delegatis, re irrita diſceſſum eſt. Sinan ad Portam revocatur, et Ferhates ejus loco mittitur. Heiduci cum Raſcianis Sophiam in Bulgaria negotiatione frequens oppidum capiunt, et crudeliter diripiunt. Tatari ſummis difficultatibus in caſtris conflictantur. Michael cum Walachis ſuis multa Danubio circumpoſita loca, inde captata occaſione, expugnat ac diripit. Georgianum receptum, et Novogradum tentatur. XIII. Carolus Mansfeldius bello ſtrenuus dux deſtinatus in Pannoniam venit. Princeps Imperii a Caeſare creatur. Ad Brucum caſtrametatur. Conſtituta ſeveritatis exemplis diſciplina. XIV. Caſtra ad Strigonium poſita. Loci poſitus et caſtrorum, et obſidionis ordo. Oſman cum auxiliaribus occiditur. Graeciae praetor, dum

dum vallum perrumpere conatur, repulſus. Aſiae praetor, non ſine jactura, cum CC *intra urbem acceptus.* XV. *Manſfeldius aeger Comaram tranſlatus ad meliorem vitam demigravit. Ejus ingenium, mores.* XVI. *Obſidionem Burgovius marchio perſequitur, et Jo. Medices. Urbs oppugnatione capta. Ad arcem promotum vallum.* XVII. *Copiae a pontifice ſcriptae in caſtra veniunt, duce Fran. Aldobrandino. Vincentius Mantuae dux ultro huic militiae nomen dedit. Moſcicus legatus in aulam Caeſaream venit, ut de belli contra communem hoſtem gerendi ratione ageret.* XVIII. *Oppugnatio a Germanis ad arcem damnoſo conatu tentata. Tandem, cum auxiliares Buda venientes caeſi eſſent, deditio facta* IV *Non. Sept.* XIX. *In Croatia ductu Sig. Eberſtenii comitis feliciter pugnatum. Ad Fogaram inter Cibinium et Stephanopolim a Sig. Bathorio Turci caeſi. Vicegradum a noſtris obſeſſum, et deditum.* XX. *Ferhates Sinanis et Cicadae aemulorum ad Portam inſidias praeſentia animi devitat, et in gratiam Sultani recipitur; ſed paulo poſt ad famam divitiarum ſtrangulatur.* XXI. *Res in Dacia hinc inde vario eventu geſtae. Lippa capta, et arx dedita. Sinan, cum exercitu* LXCIↃ *bellatorum rurſus veniens, pontem in Danubio ſternit. Certatum* VIII *Eidus Septembreis. Tranſylvani vincunt.* XXII. *Aaron Moldavus a Caeſarianis captus ad Rodolſum mittitur, Stephano in ejus locum ſuffecto. Samoſcius Stephanum ſe pro deſpota gerentem, aliquoties caeſum, ad extremum capit et morte afficit, Hieremia Mogila ei ſuccenturiato.* XXIII. *Sig. Bathorius cum Ciculis tranſfigit, et bello contra Turcos gerendo obligat. Inde Tergoviſtium Walachi ſedem expugnat. Ad pontem Georgianum caeſi Turci. Villageſvarum et Genae oppidum cum arce capta. In Pannonia Fanum Nicolai oppugnatione captum. Zarcada item, Becca, et Edela. Witzia a Caroloſtadii praeſecto capta, arce penes Turcos manente.* XXIV. *Petrus Toletanus ad Amurathem Raiſium perſequendum miſſus, Patras in Achaiae litore capit ac crudeliter diripit; victor, ingenti praeda parta, in Italiam revertitur.* XXV. *Ruſticorum ob injurias militum ac nobilium in Auſtria motus, et mox militum ſtipendia repoſcentium; qui utcunque, partim ſeveritate, partim numerata pecunia, ab Hannibale Rotenavio compreſſus eſt.*

EX AUCTORIBUS,

Actis Curiae Pariſienſis, libellis publicatis, Caeſare Baronio, Georgio Douza, actis collationis inter curiones et paſtores Vallis Telinae, Imm. Meterano, Jo. Parvo, D. Chytraeo, relationibus oratorum noſtrorum, militia Mansfeldia, Caeſare Campana.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS QUARTUS.

EODEM fere quo haec Romae agebantur tempore, Lutetiae in ſenatu grave ſenatuſconſultum contra [a] Florentem Jacob theologico ſtudio initiatum, et Thomam [b] Blanzium theologum Pariſienſem, ſcholae [c] Calvienſis in urbe moderatorem, factum. Jacob enunciata, ut moris eſt, ad diſputandum, Blanzio praeſide, in ſchola Sorbonica propoſuerat, typis excuſa; in quibus aſſerebat minime ambigendum eſſe, ſanctae ſedis legitimum ſucceſſorem Clementem VIII, omnium pontificum ſupremum et maximum, vices Dei in terris gerentem, ſupremam in omneis poteſtatem obtinere, tam CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Florentin Jacob.* [b] *Blanzy.* [c] *de Calvy.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

tam ſpiritualem quam temporalem, eique univerſos cardinaleis, epiſcopos, et omneis omnis generis homines, parere et obedire, et veluti membra capiti adhaerere, perpetuo teneri: ac paulo poſt ſubjunxerat, domum eccleſiaſticam, cum duplicis gladii habeat poteſtatem, temporalis uſum ad bonorum defenſionem et malorum exterminium regibus et magiſtratibus conceſſiſſe. Re a cognitore regio delata, quod maxime ad auctoritatem regiam pertineret, ne tam pernicioſa ſententia multoties apud nos damnata, quae motibus adhuc recentibus ubique cauſam dederat, in animis populi nondum bene ad obedientiam confirmatis reſideret, ſenatus auctoritatem ſuam mature interponendam cenſuit; et, renovata ſenatuſconſulti ante XXXIV annos in Joannem [a] Tanquerellum memoria, Jacob ac Blanzium comprehenſos in carcerem trudi juſſit: iiſque in jure interrogatis, decretum fecit, quo enunciata illa falſa, ſchiſmatica, verbo Dei, ſanctis decretis, conſtitutionibus canonicis, ac regni legibus, pugnantia, et ad rebellionem ac tranquillitatis publicae perturbationem ſpectantia, declaravit; Jacob, quod ea typis excudi curaſſet, et tuendas ſuſcepiſſet, ex carceribus Palatinis eductum in majore ſcholae Sorbonicae aula ſiſti mandavit; ibique ad tintinnabuli pulſum convocatis decano, ſyndico, doctoribus theologis et huic ſtudio initiatis, de geniculis, capite nudo, Thoma Blanzio praeſente et aperto capite, dicere ac declarare, temere et inconſiderate haec ſe enunciata propoſuiſſe ac publicaſſe; poenitere temeritatis, atque a Deo, a rege, ac juſtitia, veniam petere: quo facto enunciata concerpi ac lacerari juſſa; inſuper enixe prohibitum, ne deinceps hujuſmodi enunciata aut alia contra regiam auctoritatem et obedientiam quae a ſubditis debetur, regni leges et eccleſiae Gallicanae jura, ab initiatis proponerentur, aut publice diſputarentur; ac decano, ſyndicoque, ac theologiae doctoribus injunctum, ne eas admitterent aut publicari paterentur, alioqui in laeſae majeſtatis poenam incurſuris, et amiſſione privilegiorum a regis deceſſoribus theologico ordini conceſſorum atque ab ipſo confirmatorum mulctandis. Additum ut ſenatuſconſultum in acta ſcholae Sorbonicae referatur, et ineunte quoquo anno deinceps in primo conventu ab apparitore theologici collegii recitetur; eaque de re ſyndico, ut ſenatum certiorem faciat, mandatur. Poſtremo praeceptum, ut ab uno ex VI curiae praeſidibus et IV conſiliariis coram cognitore regio ſenatuſconſultum executioni demandaretur. Id actum die Mercurii XIV Kalendas Sextileis: quo eodem Joannes [b] Forgetus praeſes meritiſſimus, cui executio commiſſa fuerat, cum Stephano [c] Floro, Hieronymo [d] Angennutio, Hieronymo [e] Anruxio, Proſpero [f] Bavinio ſenatoribus, Jacobo [g] Gueſlaeo procuratore regio, [h] oſtiariorum primicerio et [i] actuario criminali, in ſcholam Sorbonicam perrexit; quo mox ad tintinnabuli pulſum vocati adfuerunt Dionyſius [k] Camuſius ordinis theologici decanus, et Jacobus [l] Faber S. Pauli curio ſyndicus, cum XXXV aliis theologis et XXIII initiatis; qui omnes majorem et ſaniorem ordinis ſui partem referebant: et, poſt longam a procuratore regio de poteſtate regis ejuſque dignitate, ſanctitate, ac veneratione habitam orationem, Forgetus excepit; et, poſt ſenatuſconſultum ab actuario recitatum, et recantatum ignominioſe a Florente Jacob errorem, veniamque a Deo, rege, ac juſtitia, praeeunte verbis oſtiario, petitam, gravi oratione doctores, qui aderant, monuit, Duas eſſe poteſtates ad ſalutem aeternam et tranquillitatem publicam a Deo conſtitutas; alteram quae ad animas ſpectat, alteram res mundi reſpicientem: quae quanquam inter ſe conſpirent, et mutua ſe opera adjuvent, alteraque alteri neceſſario ſerviat, et qui iis praediti ſunt eodem miniſtrorum Dei nomine indigitentur, tamen functiones habere ſeparatas, adeoque inter ſe differenteis, ut qui eas confundat, divina humanaque jura pariter confundat ac pervertat. Servatorem noſtrum, cui

coelum

INTERPR. [a] *Tanquerel.* [b] *Forget.* [c] *de Fleury.* [d] *Angenouſt.* [e] *Anroux.* [f] *Bavin.* [g] *de la Gueſle procureur general.* [h] *le premier huiſſier.* [i] *le greffier criminel.* [k] *de Camus.* [l] *le Fevre curé de S. Paul.*

coelum ſedes eſt, et terra ſcabellum pedum ejus; qui Rex regum eſt, Dominus dominorum; cujus regnum nunquam deſinet, ad cujus imperium terra et coelum contremiſcunt; quamdiu iu terris manſit, et eccleſiae viſibili ac militanti tanquam caput praefuit, humilitatis certiſſima exempla iis quos ſub ipſius nomine eccleſiae praefuturos reliquit dediſſe, ac inter alia praecepiſſe, nt ab omni poteſtate ac munere, quantum ad res tempori obnoxias ſpectaret, abſtinerent: vocem illius eſſe, ***Regnum meum non eſt de hoc mundo***: inſuper juſſiſſe ut principibus obedirent: ipſum imperatori Ethnico tributum ſolviſſe: rogatum ut inter de re controverſa litiganteis pronunciaret, viciſſim rogaſſe, quis ipſum inter eos judicem conſtituiſſet? hoc onus nimirum a ſe rejeciſſe, quod poteſtate judicandi a principe data, quae a ſpirituali omnino diſtincta eſt, deficeretur; atque, ut beatus Ambroſius dixit, terrena declinaſſe, qui propter divina deſcenderat; qui in mundum venerat ut judicaretur, non ut judicaret. Ad hoc exemplum accedere et Chriſti ipſius mandatum diſcipulis ſuis et apoſtolis apud beatum Lucam inſinuatum; reges gentium dominari eis, illos autem non ad id ordinatos eſſe ut gentibus dominentur. Quae verba beatum Bernardum ſic interpretari; apoſtolis interdici dominationem, indici miniſtrationem: et, converſa ad Eugenium oratione, poſtremo addere, ***Diſce miniſterium tibi impoſitum, non dominium datum; diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro.*** Et beatum Cyrillum in illud beati Lucae dicere; ambitionem eorum qui res terrenas curant, a cura, quae ſacerdotum peculiaris, ſeparatam eſſe; nam illorum culmen in humilitate conſiſtere. Et beatum Joannem Chryſoſtomum differentiam inter principes mundi et eccleſiae praeſules hanc ſtatuere, quod illi dati ſint ut dominentur minoribus, hos principes eccleſiae fieri ut ſerviant minoribus. Apoſtolorum ſucceſſores, deceſſorum ſuorum ſedulos imitatores, ab hoc dominandi fermento ſemper ſe abſtinuiſſe; tantumque longo poſt tempore quoſdam ſed paucos ex eo numero, quos vulgo canoniſtas vocant, exſtitiſſe, qui eam poteſtatem in reges et principes pontificibus attribuerunt, ſenſu detorto ex beati Lucae loco illo, quo Deus jubet, ut qui ſacculum habet tollat, et gladium emat: nam Chryſoſtomum ſic eum exponere; non juſſiſſe Chriſtum ut apoſtoli gladios poſſiderent, ſed per gladios Judaeorum inſidias innuiſſe: et aenigmatice id a Chriſto dictum omneis uno conſenſu veteres confirmare; quippe quod apoſtoli ipſi non intelligerent, neqne prorſus revelaſſe, neque omnino ſiluiſſe, ne repentinis inſidiis turbarentur: qnod ſi allegoricus ſenſus quaerendus eſſet, potius beato Ambroſio auſcultandum eſſe, qui duos gladios melius ad Vetus et Novum Teſtamentum referri ait, quibus adverſus diaboli inſidias armantur. Reges noſtros ab alio quam a Deo poteſtatem, quam obtinent, non habere; idque ratum fixumque tenuiſſe ſemper eccleſiam Gallicanam, non privilegio aut libertate peculiari, ſed jure communi, cum verbo Dei, antiqua eccleſiae univerſalis diſciplina, decretis ſanctis et oecumenicis ſynodis, conſentiente. Regnum hoc et inter alia regna primarium locum tenere; et reges hereditario titulo Chriſtianiſſimi et primogeniti eccleſiae filii merito ſuo vocari. Itaque multos illius reges ſaepius manu conſilioque pro fide certaſſe, crebros exercitus contra religionis hoſteis duxiſſe, et opum ſuarum diſpendio ac vitae plerumque periculo longas expeditiones ſuſcepiſſe: nullos majore liberalitate et ſumptu templa ſtruxiſſe, dotaſſe, ornaſſe, ac privilegiis decoraſſe: nullos plus pontificum cultui ſtuduiſſe, atque armis eorum auctoritatem propugnaſſe; quippe pontifices, quicquid hodie in Italia terrenae ditionis poſſident, atque adeo magnitudinem ſuam, regibus noſtris debere. Tanti beneficii memoriam diu poſt Carolum magnum gratos pontifices religioſe ſervaſſe, nec ullos contra regiam poteſtatem quidquam attentare auſos uſque ad Bonifacium VIII; cujus inauditam temeritatem et arrogantiam qui ipſius vitam ſcripſerunt damnarunt, quod potius terrorem quam religionem populis intuliſſet.

Notum

Digitized by Google

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

Notum eſſe ex hiſtoria, quale a majoribus noſtris adverſus eum adhibitum ſit remedium, concilio eceleſiae Gallicanae propterea Philippi pulchri auctoritate Lutetiae coacto; cui et ipſe ac ceteri ptincipes ac proceres regni interfuerunt: ejuſque decreto jam rum ſententiam illam exploſam ac damnatam fuiſſe, diplomate etiam publice cremato. Clementem v dein melius conſultum contrario diplomate etiam deceſſoris ſui diploma antiquaſſe: ab eo tempore apud nos longum de hujuſmodi rebus ſilentium fuiſſe, donec Joannes Tanquetellus in hac ſchola eundem errorem pari arrogantia renovare aggreſſus eſt: in quem mox et aliquos ex eodem ordine doctores legibus actum fuir, poſtulante cognitore regio; er tandem Tanquerellus errorem coram decano et doctoribus theologis recantare juſſus eſt, ac palam declarare, ſe contrariam illi, quam falſo aſſeruerat, ſententiam pro veta agnoſcere; additis ad ſenatuſconſultum dignis ampliſſimi ordinis gravibus monitis ac ſanctionibus. Quod ſi ſenatus pro ſua prudentia jam tunc mature re penſitata, quid ex ea mali ad publicam tranquillitatem redundaturum eſſet, praeſaga mente auguratus eſt, et exemplo ac ſeveritate rem dignam exiſtimavir; eo magis eundem ſenatum, ſemper ſui ſimilem, cum mala tunc proviſa nunc eveniſſe videat, et publicam tranquillitatem ab ejus erroris ſive auctoribus ſive ſectatoribus tantum in diſcrimen adductam, dignum gravitate ſua cenſuiſſe, renovato errore, ſeveritatem, qua olim uſus erat, renovare; mitigatis nihilominus ob theologici ordinis dignitatem poenis, quae laeſae ac imminutae regiae majeſtatis ac ſeditionum incentoribus, publicaeque tranquillitatis pertorbatoribus, a legibus irrogantur. Ab hoc errore veluti projectas in regnum ſicas, quibus digladiarentur inter ſe cives: hunc motuum horum buccinatores inſidioſe in plebis ignarae animos inſtillaſſe, ur ad mutuam perniciem Gallos factionibus ſciſſos armarent: ab hoc igne facem accenſam, quae rotam Galliam deinceps pervagata eſt, ac paene in cinerem redegit. Inde pernicioſa de regno ad praedam exponendo et exteris prodendo agitata conſilia: ab his initiis deteſtandam conjurationem contrá Chriſtianiſſimum ac vere Catholicum regem Henricum III initam coepiſſe; ipſumque tandem abominando paricidio occiſum, praeoccupato peſtiferae hujus opinionis veneno ſcelerati deſertoris ingenio: inde flammam, ſanguinem, caedeis, ſacrilegia, latrocinia, vim publicam, immanitatem, monſtra, prodigia, ac malorum Iliadas, miſerum hoc regnum jam ſeptennium integrum exercere. Nunc, cum inſperato Dei beneficio, pacem, quam neque arma neque conſilia noſtra dare potuerant, ultro donantis, res ad quietem ſpectent, nos ingratos futuros, ſi, renovata tam diri erroris memoria, praeteritarum calamitatum ſemina renovari patiamur; atque adeo inexcuſabileis erga Deum homineſque fore, ſi bis ad eundem ſcopulum, quem potius vitatum oportuit, fatali neceſſitate naufragium faciamus. Benignitate et indulgentia tractandos eos qui praeteritorum oblivionem aequanimiter colunt, ſemper ſenatum cenſuiſſe; erga eos perinde adhibitam tempeſtivam ſeveritatem, qui alienas a pace voluntates et conſilia, quae aſſidue recoquuntur, diſſimulare nequeunt, quietem publicam turbant, et ad ſeditionem animos obfirmant: nam ab ingeniis ejuſmodi, quod ratione exigi non poteſt, juſtitia extorquendum eſſe. In ceteris peccatis culpam impune condonari; in ſeditionibus ſalutari ſeveritate opus eſſe. Facile ſibi ſenatum perſuaſiſſe, paucorum eam culpam fuiſſe, atque adeo unius Florentis Jacob; nam neque illa enunciata in ſchola publice agitata eſſe, malo intra ſua primordia mature extincto: facile proinde adduci ut credat, doctores minime paſſuros fuiſſe ut ea agitarentur; ideoque aequum duxiſſe, ut, unde culpa originem habuiſſet, ibi poena conſiſteret. Nam recolentibus priſci aevi memoriam occurrere ubique in annalibus noſtris praeclara theologici collegii Pariſienſis erga reges cultus rt obedientiae, erga ſingulos probitatis, eruditionis, et vitae verbis reſpondentis, exempla: eos eſſe, qui turbatis rebus populos ſincera verbi divini promulgatione ad

obſequium

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

obſequium regi et magiſtratibus debitum hortabantur, dignitatem et auctoritatem regii faſtigii ſtrenue propugnabant, et conſtanribus animis ac fide iis ſe opponebant qui jura Gallicanae eccleſiae oppugnabant: notam eſſe illorum vera Dei praeſentia firmatam conſtantiam, et ſecutam ex ea Ludovici IX, qui poſtea in Divorum numerum relatus eſt, Pragmaticam, anno CIↃ CCLVII in regno felicitet promulgatam: notas eſſe eorum dein querimonias temporibus Caroli VI in ſenatu inſtitutas, adverſus eos qui jura ac libertates eccleſiae Gallicanae oppugnabant; quae celebri et ad omnem memoriam praedicando ſenatuſconſulto cauſam dedit, Septembri menſe pronunciato anni Chriſti CIↃ CCCCVII: eorum inſtigatu, diligentia, ac laudabili cura, factum, ut decreta Conſtantienſis et Baſileenſis concilii ſervarentur, eccleſiae Gallicanae indicto ª Avarici Biturigum concilio, Carolo VII rege; ex qno Palladium illnd Gallicum prodiit, hoc eſt, Pragmatica Sanctio, magno gentis noſtrae decore, nec minore felicitate, ſemper ab initio culta ac ſervata, quouſque poſtremo ei ambitione et avaritia aulicorum, magno eccleſiae probro, nec minore univerſi regni detrimento, derogatum eſt. Commemorationem veterum illorum theologorum, ac praeclara facta, pro exprobratione iis eſſe, qui per has turbas, a virtute majorum ſuorum degenerantes, in concionibus nihil praeter ſanguinem, caedeis, paricidia, ſpirabant, et, verbi divini promulgatione omiſſa, hoc unum agebant, ut regnum ad externos transferretur; jnra eccleſiae Gallicanae, quae tueri debuerant, quantum in ipſis erat, perdebant et evertebant; in omnem furorem immanem praecipites, nihilque reliqui facientes, ſeducendo, publicam offenſionem concitando, divinas humanaſque leges calcando, ut rempublicam everterent. Horrere animos ad tantarum calamitatum ex eo ſecutarum recordationem, ut proinde eas ſempiterna oblivione ſepeliri ſit ſatis. Itaque ſenatus nomine hortari eos qui horum conſiliorum minime participes fuerunt, eaque averſati ſunt, nt porro in officio perſeverent; alios, ut vitae emendatione praeteritorum infamiam eluant; univerſos, ut conſpirantibus in pacem ſtudiis diſciplinam inter illos collapſam reſtituant, et procul a ſuo ordine faceſſere jnbeant vanos et ventoſos iſtos, qui pro certis nova et ambigua malunt; qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias habent; qui quos honores ſalva republica deſperant, everſa conſequi ſe poſſe arbitrantur: ſi quos in eo ordine reperiant, qui dictis ipſorum obedientes non ſint, magiſtratus et juſtitiae opem implorent; efficiantque et dictis et factis, ut omnes intelligant, fidem, quam ſolemni ritu nuper regi obligarunt, et mente et lingua juratam eſſe; regis, cui ſecundum Deum omnes religionis Catholicae apoſtolicae Romanae inſtaurationem, imperii ſalutem, et fortunatum ſuarum conſervationem, debent, obſequium colant; videantque ne hujuſmodi errorum portenta in eorum ſchola foveantur, et mala, quae cuncti nuper ex iis ſenſerunt, olim per ea, ſi ferantur, regno turſus importentut: curent, nt quae in eorum ſcholis diſputantur, ad aedificationem, non ad turbas, ſpectent: meminerint in hujuſmodi diſputationum contentionibus potius de victoria quam pro veritate certari; et per eas audientium animis ſcrupulos ſubrepere de rebus, quas fixas rataſque haberi, non antem in dubium exercendi animi gratia revocari, publicae tranquillitatis intereſit: hominum animos hodie fere aegros eſſe, et mali quam boni capaciores: corpore autem aegrotanteis quietem optare; contra, aegritudine animi laboranteis a quiete ac medico abhorrere, et bilem ſecum ferre. Tum, converſa ad initiatos ſacris theologicis otatione, monet, exemplo ante oculos poſito ſapiant, et ex alieno periculo ſuum compendium faciant; caveantque ne ſe in errorem, erroriſque poenam eandem, pari imprudentia induant: in ſuis diſputationibus eam moderationem ac temperamentum adhibeant,

INTERPR. ª *Bourges.*

CIϽ IϽ XCV. HENRICUS IV.

adhibeant, ut nihil, quod ad ſciſſuram et quietis publicae perturbationem ſpectet, in iis agitetur: proinde ori ſuo cuſtodiam et oſtium circumſtantiae circa labia ſua ponant; et ſapientiſſimi regis praeclarae adeo ſententiae meminerint, qua pronunciat, eum, qui cuſtodit os ſuum et linguam, ab afflictione animam ſuam ſervare. Poſtremo eadem, quae altera ſenatuſconſulti parte continebantur, repetit. Quibus actis Jacobus [a] Faber S. Pauli curio nomine totius collegii honorifice gratias delegatis egit, et in poteſtate regis ac ſenatus ſe porro fore confirmavit.

II. PAULO poſt, Eidibus Septembribus, Franciſcus [b] Surgerius, in S. Crucis coenobio vitam monaſticam Lutetiae profeſſus, ac theologus, in ſenatu delatus fuit, quod, dum ad S. Mederici concionem ad populum haberet, pleraque factionem Henoticam redolentia ſeditioſe dixiſſet; Eliſabetham Anglorum reginam Jeſabelem ſubinde appellans, et Sectarios eos eſſe qui foederationem et amicitiam cum ea colerent. Igitur in carcerem conjectus et rei convictus, poſtulante cognitore regio, verba temere et inconſiderate prolata nudo capite et de geniculis ignominioſe recantare, et veniam a Deo, rege, ac curia, ob id petere, juſſus eſt; inſuper concionandi munere interdictus, quouſque aliter a ſenatu decretum eſſet: diſertimque ipſi injunctum, poena capitis, ſi in legem committeret, addita, ne de principibus regi amicis ac foederatis maledicos aut injurioſos ſermones ſereret, quidquamve diceret quod tranquillitatem publicam turbaret, aut ad ſeditionem ſpectaret. In criminalium cauſarum tribunali clauſis oſtiis res acta; idque profeſſionis dignitati et patris memoriae datum, qui juris civilis elementa olim Lutetiae docuerat, et gratiam a multis ex iis qui in cauſa ſedebant, et ei operam navaverant, eo nomine meruerat.

III. HOC anno celebratae magna ceremoniarum pompa cum ſancta ſede Alexandrinae eccleſiae, quae Coptorum dicitur, et [c] Ruthenae in Polonia reconciliationes. Jam ante per Jo. Baptiſtam Gregorius XIII et Sixtus V cum Amba Joanne patriarcha egerant, ut ad eccleſiae Romanae obedientiam ipſe et ſubjecti epiſcopi redirent: ei ſucceſſit Gabriel XCIII a beato Marco, qui, itidem ab Ambroſio [1] Aurienſi epiſcopo et Hieronymo [d] Vetere presbytero ſolicitatus, Abdelmeſſiam et Joſephum [e] S. Macarii in Aegypti deſertis monachos, nec non [f] Barſum archidiaconum, Romam ablegaverat cum mandatis, exeunte anno XCIII, ſecundum Coptitarum calculum anno a martyrum mundorum captivitate, ſive ab exordio imperii Diocletiani, CIϽ CCC X datis; iique admiſſi hoc anno ineunte, et XVI Kal. Febr. ad pontificis pedes proſtrati, fidei ſuae confeſſionem fecere; qua conſentaneam Romanae eccleſiae doctrinam ſe amplecti profeſſi ſunt, ejerato de Sancti Spiritus proceſſione Graecorum errore, et aſſertis VII ſacramentis, ac ſacroſanctis conciliis Nicaeno I, Conſtantinopolitano I, Epheſino, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano II; rejecta ſynodo Epheſina altera, imo potius latrocinio, quod factione Dioſcori Alexandrini, occiſo beato Flaviano epiſcopo Conſtantinopolitano, Eutychianam haereſim confirmavit; Conſtantinopolitano item III concilio adprobato, ac Nicaeno II, atque ad extremum Florentino, ac Tridentino, ante XXXII annos ad finem perducto: et ſe primariae ſedis ejuſque Romani epiſcopi, tanquam Petri principis apoſtolorum et veri Chriſti vicarii, totiuſque eccleſiae capitis, ac principatum in univerſum orbem Chriſtianum exercentis, auctoritati ac cenſuris ſubjecerunt. Eodem anno exeunte, Antonio Poſſevino e Jeſuitico ſodalitio ſacerdote ſuggerente, qui diu in Ruſſia utraque et apud Polonos ſumma negotia pontificum nomine magna ſolertiae laude adminiſtravit, Rutheni admiſſi, cum mandatis ſuper eorum cum ſancta Romana eccleſia unione, Eidibus Junii proxime datis,

INTERPR. [a] *le Fevre.* [b] *de Surgeres religieux de Ste Croix de la Bretonnerie.* [c] *l'Egliſe Grecque de Ruſſie.* [d] *Vecchietti.* [e] *St Macaire.* [f] *Barſo.*

NOT. [1] Auria epiſcopatus in Mauritania. *Put.*

datis, et in [a] Conſtantiniana Vaticani palatii aula auditi, [b] Hypatius Protothronius Vlodimirienſis et Breſtenſis epiſcopus in Ruſſia, et Cyrillus [c] Terleczkius exarchas epiſcopus Luccorienſis et Oſtroſienſis, tanquam metropolitae [d] Michaëlis Kiovienſis, [e] Gregorii archiepiſcopi [s] Vladikae, Michaëlis [f] Kopiſtenski epiſcopi Preſmiſlienſis, Gedeonis [g] Bolobani epiſcopi Leopolienſis, [h] Dionyſii epiſcopi Chelmenſis, [i] Leontii epiſcopi Piſcenſis ac Turovienſis, ac [k] Jonae Hoholii, procuratores; et poſt editam confeſſionem, qua, conciliis generalibus ac praecipue Tridentino ultimo aſſertis, pariter ſanctae ſedis et pontificis Romani poteſtati obedientiam detulerunt, rebus ſolemni ritu ex ſacrorum canonum praeſcripto peractis, et in ſanctae Inquiſitionis officii monumenta a publicis miniſtris relatis, in gratiam a Clemente VIII accepti ſunt. Ea de re acta ſtatim publicata, ut per totum orbem Chriſtianum volitarent: et Caeſar Baronius cardinalis, praecipitato tempore, ut ea ad calcem VI et VII tomi annalium, qui in annum Chriſti IↃ XVIII et IↃ XC deſinunt, adderentur, ſedulo curavit. Verum laetitia ex tanta acceſſione concepta paulo poſt turbavit; ſiquidem Ruthenos ſtatim defeciſſe renunciatum eſt. Legatio autem illa Alexandrina a multis in dubium revocata eſt, quod non Amba Joannes aut Gabriel tunc Alexandrinae eccleſiae praeeſſet, ſed [l] Meletius Pegas dictus, Creta oriundus, qui [m] Patavii literis operam feliciſſime puer dederat, et linguam Latinam commode didicerat, ac poſtea monaſticam profeſſus Sylveſtro patriarchae in eo munere ſuffectus eſt. Evulgatae ad rem revincendam a Georgio Douza literae ad Joannem [n] Nortovicum patrem ſcriptae, quibus Meletius valde ſe alienum ab ea fidei confeſſione teſtabatur: ſiquidem ſe pontificem Romanum pro pontifice Romano agnoſcere; ceterum Chriſtum ſolum univerſalis eccleſiae caput cum Paulo praedicare. Cumque literae illae quaſi a Calvinianis confictae arguerentur, prolata alia teſtimonia: et certe Meletius, Hebraicae, Syriacae, ac Arabicae linguae peritiſſimus, qui poſtea Conſtantinopolim accitus eſt, ut veluti rerum totius orientalis eccleſiae moderator eſſet, ſic in luce omnium vixit, totque ſuae ſacrae dignitatis et eruditionis ſingularis teſteis habuit, ut nomen ejus obſcurum eſſe non potuerit. Cupiebat ille ſummopere occaſione nata in Galliam venire, ut ex iis qui humaniſſimum virum noverunt intellexi, et doctiſſimorum virorum, quos fama noverat, coram familiaritate frui: ſed nunquam ſe ſatis digna aut honeſta occaſio obtulit, ut tamdiu a patria ac munere ſuo abeſſe poſſet.

IV. Hoc eodem anno et ſequenti graviſſima quaeſtio agitata inter [o] Vallis Telinae in Rhaetia parochos et paſtores, de Chriſto mediatore; an ſcilicet eo officio inter Deum Patrem et homines juxta humanam naturam, tantummodo poſtea quam humanam naturam aſſumpſit, defunctus ſit, ſicuti ex Petri Lombardi doctrina pluribus aſſeruit Robertus Bellarminus; an Verbum Dei ſeu Filius ab aeterno genitus jam ab initio mundi mediator extiterit inter Patrem et creaturas, non ſolum homines, ſed etiam angelos, ratione creationis, conſervationis, defenſionis, atque adeo ſalutis; et poſt aſſumptam in beatiſſimae Virginis utero carnem, juxta humanam naturam divinae cooperantem, ſatisfaciendo, intercedendo, eccleſiam regendo, idem munus obiverit, atque in fineis uſque ſaeculorum ſit completurus: quam ſententiam Joannes Calvinus adverſus Franciſcum [p] Stancarum, in Polonia eccleſiarum pacem turbantem, tuetur. Hinc Jo. Petrus [q] Stupanus Mazzi, Nicolaus [r] Ruſca Sondrii, Simon Cabaſſus

INTERPR. [a] *la ſalle de Conſtantin au Vatican.* [b] *Ipatien primat evêque de Wlodomirie, & Breſten.* [c] *Terleczki exarque evêque de Luccorie, & Oſtroſie.* [d] *Michel metropolitain de Kiew.* [e] *Gregoire ſurnommé Vladika archevêque de Poloczk, & de Witepſk.* [f] *Kopiſtenſki evêque de Preſmiſie.* [g] *Boloban evêque de Leopols* vulgo *Lewow.* [h] *Denis Zbiruiſki evêque de Chelm.* [i] *Leontius Pelcziczki evêque de Pinſki, & Turowie.* [k] *Jonas Hohol abbé de Cobrinſki.* [l] *Meletio Pegas natif de Candie.* [m] *Padoue.* [n] *Vander Does Sr de Noordewick.* [o] *Valteline au pays des Griſons.* [p] *Stancarus.* [q] *Stoppa curé de Matz.* [r] *Ruſca curé de Sondrio.*

NOT. [s] *Vladicae* vocantur epiſcopi a voce Rutenica *Wlodars*, quae Oeconomum ſignificat. *Put.*

[a] Cabaſſus Tirani, [b] Paravicinus Mazzonus Villae, Jo. Antonius [c] Conſularius Bormii, Petrus Antonius [d] Omodeus Sernii, curiones; inde Antonius [e] Andreoſſa Tirani, Caeſar [f] Gaforus [g] Poſelavii, Octavianus [h] Meius Tilii, Scipio [i] Calandrinus Sondrii, Nicolaus [k] Cheſelius Montis Sondrii, paſtores, [l] Tiranum convenerunt III Eidus Octobreis, magiſtratus ex III foederum mandato delegati auctoritate. Heic prima concertatio fuit inter Ruſcam et Gaſorum, quae Kalendis Martiis proximis eodem repetita eſt; inde inter Ruſcam et Cabaſſum; deinde inter Calandrinum, Meium, et poſtremo Gaſorum. Demum tertio congreſſi ſunt pridie Kalendas Octobreis: et, ſoluto conventu, acta diſputationis primum a Nicolao Ruſca publicata; ad quae contrario ſcripto, anno incunte CIƆ IƆ XCVII, Meius et Gaforus prolixe reſponderunt.

V. ALIIS paſſim in orbis Chriſtiani partibus varii et eventus fuere. Emdenae in Orientali Friſia, quae rectius Amaſia diceretur, ad [m] Amaſum quippe ſita, inter comitem et oppidanos periculoſe tumultuatum eſt. Urbs in ulteriore fluminis ripa, ob portus commoditatem et populorum in eam tanquam ad aſylum per bella ob religionem exorta undique ex Belgio, Anglia, et Gallia, confluentium concurſum, et frequentia et aedificiorum pulchritudine et opibus crevit. Auxit ejus magnitudinem peculiaris Anglorum, non ob religionem, ſed propter maritimarum civitatum ſocietatem, tranſlata in illam mercimonii cauſa ſedes; cum relicta Antuerpia, ubi ante domicilium conſtituerant, ob edictorum a Carolo V et Philippo filio promulgatorum ſeveritatem eo migrarunt: nam, licet poſtea Hamburgum, Emdena deſerta, utpote liberiorem civitatem, quod unum praecipue negotiatores ſectantur, ſe contulerint, tamen, per aliquot annorum, quibus in illa commorati ſunt, curriculum, mirum in modum urbem locupletarunt. Comites in ea arcem habent, et ampliſſimam juriſdictionem, ab oppidanis tamen antiqua pro libertatibus ſuis et immunitatibus pactione ſeparatam. Cum anno hujus ſaeculi XXV Ezardus I Ultici filius, Ennonis nepos, inſtigante Ulrico Olderſhumio ex nobilitate primario conſiliario, Lutheri confeſſionem amplexus eſſet, et biennio poſt tota ditione omnem aliam religionem eliminaſſet, Enno ejus filius poſt mortem patris, licentia graſſante, ex cunctis nationibus religionis praetextu ad ipſum perfugienteis nullo diſcrimine admiſit. Itaque et Anabaptiſtae, auctore Melchiore Hoffmanio, ac alii perditae ſectae homines, paulatim magiſtratu connivente in illam irrepſerunt. Dein et ex Belgio Helveticae confeſſionis ſectatores, quam in Gallia fere Proteſtantes ſequuntur, illuc ſe recipientes admiſit Ezardus II, ac diſſimulavit; quanquam ipſe confeſſioni Auguſtanae addictus eſſet. Sed mox poenituit, et, annitente uxore Catharina Guſtavi regis Sueciae filia, quae auctoritatem ipſius in dies per illam libertatem imminui, et ſenatum urbis in principis juriſdictionem ſenſim invadere, cauſabatur, mortuo Joanne fratre amiſſam diſſimulatione potentiam aſtu primum et vi recuperare ſtatuit; ſed ſeverius quam par eſſet adverſus oppidanos; qui privilegia ſua ac immunitates et juriſdictionem violari queſti, principem negotiis conſiſtorialibus ac eccleſiaſticis ſe praeter jus et aequitatem immiſcere, eleemoſynarum diſpenſationem ſibi arrogare, Auguſtanam confeſſionem excluſis aliis introducere, ac poſtremo pactioni de non adpellando ad cameram Spirenſem inter eum et ſenatum initae nolle ſatisfacere. His rationibus ſubnixi arma mature capiunt, et inſtructis copiis arcem comitis imparati oppugnant ac capiunt, captamque ab ea parte quae urbem ſpectat demoliuntur, tormentaque omnia et apparatum bellicum ſui juris faciunt: quod Ezardus indigniſſime admodum tulit; moxque per Lubecenſem agrum conſcripto milite, ex adverſo [n] Knocium in conſpectu [o] Delfezielae munire

INTERPR. [a] *Cabaſſo curé de Tirano.* [b] *Paravicino Mazzone curé de Villa.* [c] *Conſolari cure de Bormio.* [d] *Huomodei curé de Serno.* [e] *Andreozzo.* [f] *Gaforo.* [g] *Peſchiavo.* [h] *Mei miniſtre de Teglie.* [i] *Calandrini miniſtre de Sondrio.* [k] *Cheſelio miniſtre de la Montagne de Sondrio.* [l] *Tirano.* [m] *Ems r.* [n] *Knoc.* [o] *Delfziel.*

munire coepit, ut portus uſum, quo Emdenſium opes conſtant, omnino eis adimeret. Itaque ſenatus protinus ad foederatos Belgii Ordines mittit, et auxilia adverſus comitem in communi cauſa, ut aiebant, petit. Circumpoſitae autem regioni ac nobilitati ne comiti militarent, gravi addita poena, propoſito edicto denunciant; alioqui fore, ut commeatuum ex urbe tranſvectionem prohibeant, apertiſque cataractis et euripis agrum omnem ad multa milliaria inundent. Jamque res ad apertum bellum inclinabat, comite injuriam perſequi quavis ratione certo, et oppidanis libertatem tueri paratis, et Belgii Ordines ſociam civitatem, et cauſa ac neceſſitudine jam antea ſecum conjunctam, minime deſeri ſecuritatis publicae intereſſe exiſtimabant: ſed veriti ne, ſi aperte Emdenſeis adverſus Ezardum juvarent, ille deſperatione adactus ad Philippi opem confugeret, et Hiſpani, occaſione ex hoc diſſidio captata, provincias illas, quibus omnino ejecti fuerant, rurſus invaderent, mediam viam invenerunt, qua et ſociis ſuccurrerent, nec Ezardo externa auxilia implorandi et potentiorem in ſuo admittendi neceſſitatem imponerent: nam ipſi, ſe medios et arbitros profeſſi, interim militem, quem in Friſia occidentali habebant, dimittunt; qui mox, ſcaphis ac navigiis Delfeziela advecti, ſtipendio accepto Emdenſibus fidem addixerunt. Quod ubi animadvertit Ezardus, Knocium, quod munire inceperat, deſeruit.

VI. In [a] Clivenſi quoque et Juliacenſi ditione res turbarunt, Ordinibus, qui verebantur ne legitima ſucceſſio interverteretur, de prava adminiſtratione querentibus. Nam, ob Joannis Gulielmi principis rebus ſuis ſupereſſe non valentis morbum, cum Jacoba Badenſis uxor, ſumma rerum ad ſe contracta, ad Hiſpanorum partes inclinare crederetur, et religionis periculum verita nihil non agere videretur, ut ſororii principis, et ejuſdem, ſi ipſum ſine prole decedere contingeret, heredes, quod Proteſtantium doctrinam profiterentur, ab ea ſucceſſione excluderentur; illi, conventu [b] Grevenbrochi habito, principem ſuum ſiſti et conſpiciendum ſibi tradi petierunt. Quod cum negaretur, Rheno trajecto Duſſeldorpium venerunt, et Jacobam, omni gynaeceo ac aulico comitatu amoto, in cuſtodiam miſerunt. Id actum Januario exeunte. Menſe inſequenti novus conventus indictus, ad quem Caeſaris legati et Jacobae agnati venturi exſpectabantur: ſed, eum non comparerent, conventus in Sextilem proximum dimiſſus eſt.

VII. EODEM tempore pax perpetua inter duo ampliſſima Suecorum et Moſcorum regna, poſt XXXVII annorum bellum infeſtiſſimum brevibus induciis ſubinde interpolatum, per legatos Sigiſmundi Poloniae regis et Theodori Moſcorum ducis tandem coiit, his conditionibus firmata; Ut Sueci arcem [c] Kexolmam cum omni territorio adjuncto, poſt limites utriuſque regni ex voluntate partium amice definitos, reſtituerent; captivi utrinque libere dimitterentur; Moſcorum cum Suecis et Germanis commercium Narvae et Revaliae reſtitueretur. Id magna, non ſolum Livoniae controverſae, ſed vicinorum populorum ac praecipue Vandalicarum civitatum, quae ſociatae ſunt, laetitia actum ineunte Januario. In Boruſſia [d] Thorunae Evangelicarum eccleſiarum, ſicuti ſe nominant, paſtores Sextili exeunte convenerunt; et cum iis regni Polonici palatini duo [e] Minſcenſis et Leſcinenſis, [f] Vilnenſis, Polocienſis, Ravenſis, Nic. [g] Oſterogii, Conſtantini, Kiovienſis palatini abſentium, et ſenatorum ex Volhiniae, Ruſſiae, Podoliae provinciis legati ad ſynodum venerunt. Ibi propoſitum, ut de doctrina olim [h] Sendomiriae a majoribus probata, ac pie in poſterum ſervanda, deliberaretur: deinde, cum tot adverſariorum, ut aiebant, inſidiis et injuriis expoſiti eſſent, qua ratione pacem religionis a Sigiſmundo III, ſicuti ab aliis

INTERPR. [a] *Cleves, & Juliers.* [b] *Grevenbroeck.* [c] *Kexholm.* [d] *Thorn en Pruſſe.* [e] *de Minſki, & Leczycki.* [f] *de Vilna, de Polocz, de Rawſki.* [g] *le Comte d'Oſtrog.* [h] *Sendomir.*

aliis ejus deceſſoribus, juratam tueri poſſent. Aderat Lencicienſis praefectus a rege miſſus; cui intercedenti et conventum intermitti petenti reſponſum eſt, nihil contra regem aut rempublicam in illo conſeſſu agitari, ſed de juſtis querimoniis, quas libello ſupplici comprehenſas ad regem ſiut perlaturi. Cum vero legatus Thorunenſibus a rege interminaretur, quod in ſua urbe conventum haberi paſſi eſſent, modeſte reſponſum eſt, urbem Judaeis, aliiſque a Chriſtiana religione alienis, patere; multo minus ſe ingreſſu ejus prohiberi poſſe. [a] Cujavienſis epiſcopus, in cujus juriſdictione Thoruna eſt, pariter inſtabat, ut conventus ſolveretur; nam ſibi ſoli licere juriſdictionem indicere. Sed nihil obtinere potuit, cum illi doctrinae, quam profitebantur, ſi qua forte in re inter ſe diſſiderent, examinandae cauſa ſibi licere ſynodos celebrare dicerent. Itaque ad rem aggreſſi ante omnia doctrinam confeſſione Auguſtana, non ea quae anno CIƆ IƆ XXX in Imperii comitiis exhibita eſt, ſed ea quae CIƆ IƆ LII, ut in concilio Tridentino proponeretur, perſcripta eſt, comprehenſam unanimi conſenſu ſanciunt. In altero conſultationis capite plus immorati ſunt colligendis ſuorum querimoniis: nam ab iis qui aderant confirmatum, templa confeſſionis Auguſtanae ſociorum Cracoviae, Poſnaniae, Vilnae, ab adverſariis everſa eſſe; conditorum cadavera ſepulchris immaniter eruta; nuper et Poſnaniae templum vi facta captum ac direptum: a Jeſuitis ex Gallia profugis plebanos ſuae doctrinae addictos in pagis paſſim inſtitutos, ut dioeceſanos procerum Evangelicorum ſubditos in dominorum perniciem promiſſa impunitate concitent; uxores etiam ad maritos necandos ab iis ſolicitari. Tandem decretum, ut regi ſupplicarent, pacem regni ſervaret, fidos ſibi miniſtros ac ſubditos tueretur, et paci religionis ſolemni jurejurando ſancitae ſatiſfaceret, nec a Jeſuitis peregrinis hominibus, qui alibi cuncta miſcuerunt, ſe ſeduci pateretur. Legati ad regem duo palatini, ac praeterea Oſterogius; cum mandatis praeterea ut Joannem Sarium Samoſcium regni cancellarium adirent, et, quamvis in religionis cauſa ab ipſis diſſidentem, tamen, pro charitate qua patriae tranquillitatem proſequitur, ad pacem tuendam hortarentur, quo, conjunctis animis et viribus, contra communem Chriſtiani nominis hoſtem arma facilius verterentur. Verum haec in anni ſequentis comitia dilata ſunt.

VIII. MAJORE rerum mole bellum in Pannonia geſtum; de quo antequam dico, Turcica memorabuntur. In imperio Turcico aliqua mutatio initio anni fuit morte Amurathis III, XV Kalendas Februarias, anno aetatis XLVIII, ex calculi doloribus, quibus totos XX dies graviter adflictatus fuerat, poſtremo vita functi; cum, ex eorum violentia enato carbone, nihil praeter aquam frigidam et glaciem parti adfectae, ſpretis ceteris remediis, adhibuiſſet. Fuit mediocri ſtatura, colore candido, adeoque obeſo corpore ut caput ejus vix humeris exſtaret; de cetero liberali facie, ac ſpecie imperio digna, barba flava, prolixa, ac ſpiſſa: laetus natura, a ſanguine fundendo alienus, ſive ita a Sultana parente inſtitutus, ſive quod benignis eſſet moribus et ad gratiam faciendam quam ad ſeveritatem pronior. Cum natura minime bellicoſus putaretur, tamen, ut dignitatem imperii armis fundati tueretur, bellum per duces toto imperii tempore magno ſucceſſu in Perſia et poſtremo in Pannonia geſſit. Lectione librorum, ac praecipue hiſtoriarum, delectabatur; quid ubique apud cunctos orbis principes ageretur, ſcire cupidus: etiam poetica, ſi quis ejus inter Turcos uſus aut ſolertia, gaudebat. Ingenteis opes, qualeis nullus antea deceſſorum, congeſſit, largus earum inter notos ac dilectos diſpenſator; ac praecipue inter mulieres, quarum numerum immenſum habuiſſe dicitur: nam, poſtquam caſtiſſime cum prima uxore totos XXXII annos vixit, ita ut cum alia per illud ſpatium rem non habuiſſe credatur, a matre Sultana et ſorore Mehemetis primarii purpurati uxore admonitus, ad imperii ſecuritatem pertinere, ut

pluribus

INTERPR. [a] *de Cujavie.*

pluribus filiis maribus ſubnixum illud relinqueret, plures mulieres habuit, ac cc quidam recenſent; in quarum alimenta et ornatum, liberos ex iis procreatos, nutrices, paedagogos, immenſam pecuniae vim expendebat. Cur autem nuptias, avi Solimani patriſque Selimi exemplo, cum prima illa dilectiſſima tot annorum vitae ſocia non contraxerit, ſed eam captivae loco habuerit, legitimae uxoris loco minime eam dignatus, in cauſa putatur fuiſſe, quod ipſi praedictum eſſet, fore, ſi eam in uxorem acciperet, ut idem quod patri Selimo ei accideret, nimirum, ut paulo poſt ipſe moreretur. Poſt ejus mortem, quae ab uxore, matre, ac primariis purpuratis, diligenter celata eſt, ne quis motus per ſucceſſoris abſentiam in exercitu ſuboriretur, aut praetoriani, ut fieri aſſolet, ad praedam verterentur, miſſus hortorum praefectus, qui Mahometem filium, teſſeris a Sultana matre allatis, de morte patris certiorem faceret, et eum ad capeſſendum imperium ut quamprimum veniret hortaretur. Eum pater natura mitis in Magneſiam relegaverat, inſito genti livore et ſuſpicione, a qua ne patres quidem erga filios vacui ſunt; ex eo aucta, quod ſummam ferociam et cruoris ſitim in ipſo imperii herede deſtinato animadvertiſſe ſibi videbatur: nam pluribus ex concubinis mamillas ardentibus forcipibus carpſiſſe; plures item pueros, qui praeceptoribus operam navabant, quod impudice de ſe ſenſiſſe eos perſuaſum haberet, immanitate barbara necaſſe dicebatur: eoque ſuſpiciones occultae evaſerunt, ut pater de filio e medio tollendo cogitaret. Quod vetita mater ejus conſilium filio dederat, ut venereis voluptatibus, a quibus ſe alienum huc uſque oſtenderat, deinceps ſe dederet, et ita conceptam de ſe tanquam ambitioſo et bellicoſo ſuſpicionem apud patrem purgaret. Conſilium matris magna in Mahometis moribus mutatio ſecuta eſt, per aſſiduum voluptatum uſum hebetata ingenii acie, et ferocia bellicoſa multum infracta. Igitur de patris morte certior Mahometes, XI poſtquam obiit die, ad urbem venit, et majoris ad palatii portam exſcenſionem fecit, IV poſt ortum ſolis hora, coelo admodum ſereno; quod ſtatim imbres turbavere, certo inter eas genteis ſuperſtitionibus addictas fertilitatis praeſagio. Mox triremem, qua vectus erat, conſervari juſſit, ita ut deinceps nullus ejus in mari uſus eſſet, remigeſque Chriſtianos ſolvit et libertati reſtituit, ac praefectum triremis Cypri regem creavit. Inde ad matrem ſalutandam pergit, ante XII annos ſibi non viſam; eamque, inſigni pietatis et liberalitatis exemplo, ampliſſimis ª Alcairi vectigalibus, quae IↃC aureorum CIↃ ſuperare dicuntur, muneravit. Poſtea ſolemni ritu ad ſolium paternum deductus imperii poſſeſſionem ſumpſit, admiſſis ad manus oſculum purpuratis; largoque donativo praetorianos, et alios aulae militareis ac domeſticos miniſtros, ſibi devinxit: cuncta patris debita praeſenti pecunia diſſolvit, atque, ut direptionem domorum impediret, cuſtodias per urbem locis publicis diſpoſuit. Tum exequiae patri paratae, quae uſitatis inter eos ceremoniis magna pompa peractae ſunt. Poſtremo fratres novi imperatoris coram eo ſiſtuntur, numero XIX, ex variis foeminis concepti; quos ad praeſens bene ſperare juſſos, primum circumciſos, dein ſeorſim in diverſoria miſſos, per mutos faſciis injectis praefocari mandavit, ac poſtridie productos et cypariſſinis arcis incluſos juxta patrem tumulari. Haec palam et publice, quaſi legitime, acta; Turcis ſic exiſtimantibus, quod apud alios deteſtandae immanitatis loco haberetur, ad imperii conſervationem neceſſarium eſſe. Omnino ex variis foeminis c liberos ſuſtuliſſe dicitur Amurathes; ex quibus ſuperfuere II filiae ex matre Mahometis, quas Ebraimus et Alis purpurati uxores duxerunt; ex aliis XXVII, quae deinceps in matrimonium purpuratis diverſis illius aulae elocatae ſunt: praeter XIX fratres, poſthumi nati ſunt duo, qui ſubito in mare demerſi ſunt. Juſſae dein fratrum interemptorum matres, nec non earum filiae, quibus parcitum eſt, cum omni ſupellectile et impedimentis longa carrucarum ſerie in vetus

palatium

INTERPR. ª *le Caire.*

palatium migrare, ubi miſeris per otium vicem ſuam et filiorum mortes lachrimis proſequi liceret: nam in palatio Sultanorum mortes ab iis decretas deflere non ſolum nefas ſed capitale eſt, ne quod divinae quaſi vocis oraculo ad Othomani imperii, quo religio continetur, conſervationem factum credi volunt, humana pietate, quae privatas charitates tantum reſpicit, improbari videatur.

IX. Eodem quo regnum Mahometes inivit menſe, Sigiſmundus [a] Bathorius Daciae princeps, qui inſtigatu pontificis et Caeſaris, citra procerum conſenſum ac praeter ordinum voluntatem, bellum adverſus Turcos gerere conſtituerat, et Moldavos ac Walachos ad belli ſocietatem jam ſollicitaverat, miſſa perhonorifica Pragam legatione de conditionibus cum Caeſare tranſegit. Utrinque conventum, ut a bello contra Turcos ſuſcepto non diſcederetur, niſi ex mutuo conſenſu; et Caeſar pactis Tranſylvaniam et utramque Walachiam Tranſalpinam et Moldaviam comprehenderet: Tranſylvaniae juriſdictio omnis, cum iis Hungariae partibus hactenus a principe poſſeſſis, penes Sigiſmundum Bathorium a [b] Somlio, ejuſdemque heredes maſculos linea recta ab ipſo deſcendentes cum jure primogeniturae, eo prorſus modo quo deceſſorum ſuorum Joannis, Stephani, et Chriſtophori fuerat, cum omni imperio ac dominio maneat; ita tamen ut Caeſarem Hungariae regem ejuſque legitimos ſucceſſores agnoſcere teneatur, fideique ſacramentum citra beneficii jus dicat: decedente ipſo Tranſylvano ſine liberis maſculis, Tranſylvania eique annexae ditiones Caeſari ejuſque ſucceſſoribus Hungariae regibus cedant; idque Sigiſmundus et provinciae ordines ſolemni jurejurando firment: Tranſylvania ad Hungariae reges devoluta, tam Caeſar quam ejus ſucceſſores jura municipalia, privilegia, libertates, immunitates, integras inviolataſque ſe ſervaturos promittant, ipſique unum ex provinciae proceribus praefectum ſeu Vaivodam arbitrio ſuo imponant: Caeſar Tranſylvaniae dynaſtam pro libero principe agnoſcat, eique illuſtris titulum praebeat, et unam ex Caroli archiducis nuper defuncti filiabus uxorem quamprimum concedat; inſuper et ipſum velleris aurei torque a Philippo donandum curet: milite, tormentis, ac omni apparatu bellico, pecuniaque quanta poterit, prout neceſſitas erit, juvet, procuretque ut ſacrum Romanum Imperium principis ditionumque ſuarum patrocinium ſuſcipiat; jamque nunc Caeſar ipſum ac liberos ejus principes Imperii, citra tamen ſuffragii et ſeſſionis jus, creet: quae oppida, arces, civitates, ac munita loca, expugnabuntur aut recipientur, miſſo a Caeſare juſto exercitu, ipſius majeſtati cedant: quae item illuſtriſſimus Tranſylvaniae princeps milite ſuo et opibus hoſti eripiet, ea penes ſe ſuoſque retineat, jure beneficii ſuae majeſtati ſalvo; et, ſi quidem ea olim ad Hungariae regnum ſpectaverint, ſtatim reſtituere teneatur, compenſatione idonea a Caeſare accepta: muniendis adverſus hoſtem locis idoneis liberaliter Caeſar pecuniam conferat, et ipſe Sigiſmundus nullis ſumptibus ac viribus parcat, quo minus ea ſerio muniantur, et ad ſuae majeſtatis obſequium et Chriſtianae rei bono defendantur. His addita infauſti ominis clauſula; Si contingat, bello non ex voto ſuccedente, ipſum [c] Dacia omnino a Turcis pelli, ut Caeſar eo caſu teneatur ei in ſuis ditionibus dignitati ſuae convenientem locum aſſignare, cum idoneis vectigalibus, quibus ſe ſuamque familiam tueatur: eadem gratia fiat aliis provinciae proceribus, qui eandem cum ipſo fortunam ſubire cogentur. His peractis, honorifice cum donis legati dimiſſi, ſpe facta ut quamprimum ad fines ejus ſponſa promiſſa deduceretur. Verum id diutius dilatum; ac vix tandem, inſtante Sigiſmundo, et verba ſibi data ab ordinibus foederationem illam Daciae exitioſam praeſagientibus jactari cauſante, Stephanus [d] Boſtkaius Sigiſmundi legatus, qui Pragae remanſerat, [e] Graecium Stiriae metropolim ineunte Martio

profectus,

INTERPR. [a] *Bathory prince de Tranſylvanie.* [b] *Semly, lieu d'où eſt ſorti la famille des Bathoris.* [c] *Tranſylvanie.* [d] *Boſiſkay.* [e] *Gratz.*

profectus, fiduciarias cum Maria Chriſtiana coram Maximiliano Caeſaris fratre et Ferdinando ſponſae itidem fratre nuptias contraxit, ſolemni intet principes ritu in communem lectum admiſſus. Cum in deducenda domum uxore novae morae nectentur, et in Septembrem menſem tes rejiceretur, ille ab ordinibus ſuis perſuaſus rurſus inſtitit, ut, antequam contra Turcum magno cum exercitu venientem proficiſceretur, noptiae conſummarentur; miſſiſque legatis ad extremum obtinuit, ut ſponſa, Graecio vale dicto, [a] Viennam veniret; ubi magna pompa excepta eſt IV Eidus Junias: unde a Matthia archiduce deducta et in Maximiliani fratris manus conſignata eſt: qui eam porro cum XX CIↃ bellatorum Caſſoviam, exeunte demum Julio, ad virum deduxit: ac poſtremo [b] Albae Juliae in ipſa Tranſylvania noptiae celebratae ſunt, omine infelici, alienatione animorum ſtatim inter conjunctos ſecuta; ſive Sigiſmundi impotentia ei cauſam dederit, per innodationis faſcinationem a Janna ſtrige vetula Joannis [c] Koacocii, ſicuti paſſim jactatum fuit, factum; ſive ab Hungaris invidis perſuaſus, qui impotenti adverſus Germanos, per occaſionem adfinitatis tunc in illa aula pollenteis, odio ferebantur.

X. DUM cuncta ad bellum in Auſtria parantur, Ferdinandus [d] Hardecus comes, [e] Javatini Turcis ſuperiore anno proditi inſimulatus, Viennae judicio militari ſiſtitur XVII Kalendas Februarias. Sedebant in cauſa judices XLVII, inter quos eminebant [f] Edelingi comes Schomburgi praefectus, [g] Reuterus, Fiſcherus, Coriandrius, Vienenſis praetor, aliique centuriones ac tribuni, jurejurando adacti ſe ex aequo et juſto pronunciaturos. Hardeci cauſam defendebat Hardecus comes frater, [h] Wolfius Eitzingius, Polheimus, Gretzius, alii nonnulli. In conſeſſum venit capitalium cauſarum quaeſitor, et ſcripto comprehenſam accuſationem Caeſaris nomine propoſuit, coram judicibus a tabulario recitatam: Rabam ſive Javarinum, totius non ſolum [i] Pannoniae ſed omnium finitimarum provinciarum firmiſſimum propugnaculum, ante triennium omni arte munitam et inſtructam, Hardeci fidei commiſſam, eamque illum ad extremum uſque ſpiritum ſtrenue cum ſuis tuendam ſuſcepiſſe: at longe Caeſarem ſpe ſua falſum; nam cum ſuperiore anno Turci exercitum ad eam admoviſſent, Hardecum ac ceteros centuriones cum eo ac tribunos, ignavia majore an perfidia incertum, inſcio et inconſulto archiduce Matthia, de deditione conſultaſſe: atqui in urbe nihil ipſis, ſive ad vitam tolerandam ſive ad locum defendendum, defuiſſe; nam II CIↃ amphoras vini, CIↃ CCCC farinae modios in Caeſareis horreis, praeter omne frumentum quod in privatorum aedibus aſſervabatur, LIX omnis generis machinas, nitrati pulveris, pilarum, et apparatus bellici, ingentem copiam, fuiſſe; praeterea III CIↃ praeſidiarios adhuc integros, nec morbis aut vulneribus debilitatos: nec eo rem ab hoſtibus adductam, ut diutius urbs defendi non potuerit; jam enim auxiliareis copias ad iter expeditas [k] Poſonium veniſſe: neque id Hardecum latuiſſe; tamen illum ac tribunos centurioneſque qui cum ipſo erant, non exſpectato dum Turci obſides Altemburgum, quo mitti eos juſſerat, adveniſſent, deditionem, nulla neceſſitate cogente, turpiter feſtinaſſe; et, cum ante deditionem annonam omnem, tormenta et apparatum bellicum, corrumpere potuerit, integra omnia hoſti relicta ac tradita: ipſum vero, cum loco exiret, tam confuſe aciem inſtruxiſſe, ut plerique, qui in ultimo agmine incedebant, contra datam fidem ab hoſtibus caeſi ac ſpoliati ac in miſerrimam ſervitutem abducti ſint: nec Hardecum ſolum fidem Caeſari datam fefelliſſe, ſed omneis tribunos ac Germanorum duces; et inter alios Antonium [l] Zinnium Zinnebergum, Rodolfum

INTERPR. [a] *Vienne en Auſtriche.* [b] Germ. *Weiſſenburg*, Hung. *Giula Feiervàr.* [c] *Koacocz.* [d] *de Hardeck.* [e] *Raab.* [f] *le comte Edeling gouverneur de Schomburg.* [g] *Reuter, Fiſcher, & Coriander.* [h] *le baron Wolf Eitzingh, & les barons de Polheim, & Greis.* [i] *Hongrie.* [k] *Presbourg.* [l] *Zinn de Zinneberg.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

Rodolfum [a] Gretzium, Gaudentium [b] Rechbergum, Ericum [c] Sigerſdorfium, et Jeremiam [d] Pleichenrotium, qui deditioni ſubſcripſerunt: proinde petere Caeſarem, ut in eos legibus agatur. Ad ea prolixo ſcripto ab Hardeco reſponſum eſt, quo omnem rei culpam in Matthiam et Nicolaum Palfium derivare conabatur. At Gretzius et Zinnius tribuni, ut ſe purgarent, eam in ipſum Hardecum rejiciebant; et viciſſim in illos Hardecus. Inter has altercationes ab hora nona matutina ad quartam pomeridianam dies extracta, ac prolatum longo ſufflamine judicium. Demum Martio ineunte Nic. [e] Berlinus [1] Fabricenſis e Lotharingia, auctor, ut jactabatur, Hardeco ceteriſque belli ducibus oppidi Sinani tradendi, in carcerem truditur. Capti et cum eo R. Gretzius, G. Rechbergus, Hier. Pleichenrotius, et E. Sigerſdorfius: in quos, ut et in A. Zinnium, cum mortis ſententia a judicibus lata eſſet, Caeſar eam mitigavit, et clementia uſus decrevit, ut tribuni praefectura abſque infamiae nota moverentur, et ſuis ſumptibus privati in hoc bello, ubicunque juberentur, contra hereditarium hoſtem militarent. Id decretum VI Kalendas Junias. Julius Velſerus, et Franciſcus [f] Loterius qui Pappam tenebat, multis deprecantibus, poenae itidem mortis exempti, ea lege ut ſuis ſumptibus in Pannonia militarent. In Jacobum Muſlerum, quod carcere elabi tentaſſet, neque Caeſaris clementiam exſpectaſſet, ſeverius actum: nam is, poſtquam ſacerdoti peccata confeſſus fuit, et ſacro viatico procuratus, carnifici traditus et patibulo affixus eſt. Ceteri per ſigna legionis, cui Carolus Auſtrius [g] Burgovii marchio praeerat, diſtributi ſunt. Interea peractum in Hardecum judicium, Willelmo comite [h] Oetingenſi praeſide. Praeter [i] Javarini deditionem multa alia crimini data: ante biennium, poſt inſignem victoriam ad [k] Albam-regiam a Chriſtianis partam, cum Petrus Huſſarus ſuburbia occupaſſet, et [l] Palfius, Naſdaſtius, Bekius, aliique belli duces, urbem tentandam ſuaderent, per ipſum ſtetiſſe, quo minus obſeſſa fuerit; et turpi fuga exercitum ab ea abduxiſſe, ignaviaque ſeu perfidia ſua effeciſſe, ut tanta victoria ſucceſſu caruerit: eodem auctore [m] Strigonium, non citra Chriſtiani nominis vix delebilem infamiam, anno ſuperiore deſertum. Tandem, poſt varias protelationes, vitam, honorem, ac fortunas omneis commiſiſſe pronunciatur. Sententia primum ad Matthiam archiducem, dein ad Caeſarem, tranſmiſſa, et ad praetorem, ut per criminalium cauſarum quaeſitorem executioni demandaretur, remiſſa eſt. Igitur IV Eidus Junias carcere eductus, fratre et Ulrico ac [n] Turnio comitibus agnatis ſtipatus, ciſio imponitur, et ad plateam in pegmate ſiſtitur, cum prius mortis poenam ſibi condonari a Matthia petiiſſet. Ignominioſa patibuli poena a judicibus tanquam proditori irrogata fuerat, addita et manus, qua deditioni ſubſcripſerat, amputatione. Caeſar genus ſupplicii mutavit, et ſecuri percuti eum, manumque, quod ille ſummopere averſabatur, amputari juſſit; et caput, manum, ac corpus, ad ſpectaculum minime expoſita, ſepeliri mandavit: et, cum multa culpae purgandae ad populum prolocutus eſſet, ſupplicio adfectus eſt. Eandem poenam, ſed citra manus amputationem, mox Berlinus, fruſtra tentata itidem Matthiae clementia, ſubiit.

XI. A proluſionibus et excurſionibus interea bellum per Moldaviam, cui praeerat Aaron Vaivoda, et Walachiam, cui Michaël vir ſtrenuus tunc impoſitus erat, coeptum. Is Petri quondam palatini filius fuit, ab Alexandro imperio dejecti: ſed cum Alexander, luxuria et libidine erga omnes injurioſus, tum nepotinis ſumptibus gravis, ſummum ſuorum odium meruiſſet, grandique aere alieno contracto, quod X auri ſagmas, vulgo [o] potuaras vocant, excedebat, populos inſolitis tributis oneraſſet, Amurathes, a Walachiae ordinibus exoratus, eum cum uxore liberiſque ad Portam revocavit, et ejus loco Jo. Michaëlem in paterno ſolio per purpuratum Temeſvarenſem conſtituit.

INTERPR. [a] *Greis.* [b] *Rechberg.* [c] *Sigerſdorf.* [d] *Pleichenrot.* [e] *Berlin armurier.* [f] *Lother.* [g] *Burgau.* [h] *d'Oetingen.* [i] *Raab.* [k] *Stul-Weiſſemburg.* [l] *les comtes Palfi, Nadaſdi, & Beky.* [m] *Gran.* [n] *Thurn.* [o] *poucar.*

NOT. [1] *Fabricenſis*: c'eſt un nom d'office *ab armis fabricandis*, armurier. Vide *notitiam Imperii*. *Put.*

conſtituit. Alexander autem, panlo poſt accuſatus quod res novas in provincia moliretur, juſſu Sultani in aedibus ſuis Conſtantinopoli eliſa gula miſere periit. Michaël autem, qui ſucceſſorem ſibi a Porta mitti metueret, ſive inſita ambitione, ſive neceſſitate victus, rebus ſuis conducibile exiſtimavit, ut ſuos adverſus Turcos bello irreconciliabili concitaret; et jam toto biennio armis infeſtis cum Turcis et Tataris pugnabat, [a] Dziurdzova ad Danubii ripam, Buchereſta cum ingentibus praefecti theſauris, [b] Phlokza, Herzova, Siliſtria, captis, et poſt ingentem ſtragem direptis et incenſis. Hoc demnm anno circa [c] Solnocum et Hatuanam, et circumpoſitam Tibiſco regionem, cum Tatari Turco militantes magno numero tentoria fixiſſent, noſtri, ſe aliquandiu gnaviter contra eos tutati, [d] Wetzenam receperunt: tum in hoſticum ingreſſi magnas praedas armentorum fecerunt, et multos Turcos in captivitatem abduxerunt. Idem a [e] Wivarienſibus Chriſtianis factitatum. Altemburgo autem egreſſi praeſidiarii in agrum Javarinenſem excurrentes, cum obvia IV CIↃ Turcorum habuiſſent, CC trucidarunt; quoſdam ceperunt, Poſonium miſſos: dumque Sinan in Thraciam deſcenderet, opportuno eum loco ad [f] Haemi montis anguſtias nacti Walachi, duce Geſtio [g] Ferentzio, comitatum ejus ceciderunt, et theſauros fama ingenteis diripuerunt; ſucceſſumque urgens Ferentzius pleraque loca munita circum occupavit; et in Thraciam deſcendens haud longe a Byzantio, magno ſui terrore injecto, excucurrit: ac poſtremo, dum ſe domum recipit, XII CIↃ Tatarorum obvia cecidit, fugavit. Et haec omnia toto Januario acta. Moldavorum et Walachorum defectionem antea clientelarium cum indigne admodum ferrent Turci, quidam, nomine [h] Janicula Bogdanus, ad veterum provinciae palatinorum familiam genus referens, quippe parens ejus Moldaviae Vaivoda fuerat, Leopoli Ruſſiae dum exularet, ob conjnrationem Stephani regis Poloniae juſſu ſecuri percuſſus, facile a Mahomete Sultano impetravit, nt cum auxiliaribus Turcis avitum, nt aiebat, imperium repeteret, obſequium et tributum pactus. Is, Tataros ſibi adjungere cupiens, Sultani auctoritatem per purpuratos interpoſuerat. Verum de eorum conſilio certiores Chriſtiani, ſummiſſis a Sigiſmundo XII armâtorum CIↃ, incedenteis aggreſſi, antequam ſe cum Bogdano conjungerent, acri impreſſione facta VI CIↃ ex iis ceciderunt, ceteri huc illuc dilapſi ſunt. Jamque Ferentzius ſncceſſuum fama ingenteis copias collegerat; et Coſacci in Podoliae Polono ſubditae finibus ſemper excurrentes, ſpe praedae invitati, ad Sigiſmundum miſerant, bimeſtre tantum ſtipendium petentes: quod ſi concederetur, fidem obligabant ſe armis infeſtis Turcos perſecuturos, et Hadrianopolim occupaturos, et in poſterum ex praeda vitam ſine ſtipendio toleraturos. Quod cum non gravate ille annuiſſet, non militari more, ſed per praedas ac latrocinia, deinceps bellum geſtum; ſerpente inter militareis viros praedonum exemplo, et Polonis ex eo plus detrimenti, quam Turcis, adverſus quos arma ſumpta erant, ſentientibus; ita ut unde magnum praeſidium ſperabatur, inde res Chriſtianae maxime turbatae ſint, uti erit videre ex ſeqnentibus.

XII. Comitia interim [i] Poſonii in Pannonia, [k] Pragae in Bohemia, belli contra Turcos gerendi ineundis rationibus indicta ſunt. Februario ineunte archidux Matthias Poſonium venit, et a regni ordinibus impetravit, ut pecuniae in bellum, nulla dignitatis et immunitatis ratione habita, collatio fieret; qui pecuniam conferre recuſaret, ſuis ſumptibus militare teneretur. Tnm praeſcriptae militares leges: meretrices a caſtris removeantur; ſi quae reperiantur, culeo inſutae in profluentem mergantur: advectio commeatus libera ſit; qui eam impedierit, aut annonariis damnum injuriamve intulerit, patibulo ſuffigatur: domos praeſulum, procerum, nobilium,

aliorumque

INTERPR. [a] *Dzieurdzow.* [b] *Phlocz, Herſow, & Siliſtren.* [c] *Zolnock, & Hatwan.* [d] *Wetzen.* [e] *Wivar.* [f] *Monte Argentaro.* Ital. *Catena del Mondo.* [g] *Ferentz.* [h] *Jankoli Bogdan.* [i] *Preſbourg en Hongrie.* [k] *Prague en Boheme.*

aliorumque e ſacro ordine et Caeſaris domeſticorum, a militum hoſpitiis eximantur. Poſtridie quam haec Poſonii decreta, hoc eſt, v Eidus Februarias, Pragae Caeſar comitia habuit; et, gratiis provinciae ordinibus publice actis, quod hactenus et milite et pecunia rem Chriſtianam juverint, ad pontificem, Hiſpaniae, Poloniae, Sueciae reges, ipſumque Moſcum, alioſque principes, diligenter ſe ſcripſiſſe dicit, precibuſque eos ſolicitaſſe, ne tam juſto ac neceſſario bello deſint; ac ſperare, ut illi communne periculum minime negligant. Tandem Bohemi, [a] Quadi, Marcomanni, Luſatii, VI CIↃ equitum, X peditum, in hoc bellum ſe miſſuros polliciti ſunt, qui a Maio ineunte ad Novembrem exeuntem toto ſemeſtri ſuis ſumptibus Caeſari militent. Eodem tempore Sigiſmundus Poloniae rex comitia Cracoviae celebrabat; in quibus, pontifice per legatos inſtigante, de ſociandis adverſus communem hoſtem viribus magno ſententiarum aeſtu actum eſt: nam, ut pium juſtumque bellum in ſpeciem erat, ita foederationem antiquam et tot annorum ſelices inducias violari periculoſum prudentioribus videbatur: dein, accenſo ſemel bello, multa incommoda ſequebantur; Tataris et in regno et extra regnum undique circundatis, et Coſaccis aeque regno ac Turcico nomini infeſtis, data ad latrocinia et praedationes libertate: praeterea rarus in regno peditatus erat huic bello ad obſidiones neceſſarius, ad eumque alendum ſtipendium deerat. Joannes Sarius [b] Samoſcius cancellarius et magnus exercituum imperator aperte contradicebat, Stephani regis prudentiſſimas admonitiones ſubinde repetens: tamdiu ſecuram pacem et optimam reipublicae adminiſtrationem in regno duraturam, quamdiu cum Turco armis quies eſſet. Qui bellum ſuadebant, Judaeis per totum regnum habitantibus in ſingula capita ſingulos aureos viritim imponendos cenſebant, et eandem pecuniae collationem fieri, quae bello Moſcico nuper anno CIↃ IↃ LXXVIII facta fuerat. Haec ante [c] Olmucenſis epiſcopi et Wenceſlai a [d] Berca Lippenſis reguli Caeſarianorum legatorum adventum, exeuntibus jam comitiis, acta: in quorum gratiam prorogata comitia, iiſque datus ſenatus; et auditi Pannoniae ordinum ob eandem cauſam miſſi oratores, et delegati a ſenatu qui de foederis a Caeſare propoſiti conditionibus agerent. Auditi et exeunte Martio Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum legati eodem miſſi, ab illo Joannes [e] Coſlitius et Jo. [f] Benkendorfius Wardinius, ab hoc Nic. Reuſnerus et Chriſtophorus Bronkendorfius: qui Polonos, ut in belli tam juſti ac neceſſarii ſocietatem cum Caeſare coirent, gravi oratione hortati ſunt. Fervida adeo principum Chriſtianorum ſtudia minime latebant Sinanem huic bello praepoſitum, hominem vafrum et per crebra transfugia de rebus noſtris certum: qui, ut ſpe pacis injecta apparatus tantos retardaret, et ſegniores conatus noſtrorum redderet, Conſtantinopoli Belgradum veniens ſecum Carolum [g] Cracovicium Caeſaris legatum adduxerat, miris modis indigne prius ab Amurathe habitum; ita ut, ad contumelias continuas accedente animi moerore, aliiſque itineris incommoditatibus, tandem defecerit. Eo mortuo, quinque ex illius comitatu, qui ſuperabant, haud mitius a Sinane habiti: quibus productis heri mortem impudenter exprobravit, ac fore dixit, ut tanquam illius rei Caeſareae majeſtati poenas darent; alioqui ſibi propoſitum fuiſſe oratorem, ſi viveret, et totum ejus famulitium, liberum dimittere, ipſoque Cracovicio pacis inter Sultanum et Caeſarem parario uti: cum autem vivis exemptus ſit, velle famulos ejus libertati reſtitutos ad Caeſarem legare, ac per eos ipſi denunciare, a Sultano ſibi mandatum, ut Viennam primo vere obſideat; cujus ſitum, munitiones, et vireis, optime perſpectas habeat, et quam prae Javarino expugnatu facilem ſciat: notam utriuſque principis potentiam; minima clade vireis aliorum atteri; inter Muſulmanos ex unius militis caede alios decem ac plureis continuo

INTERPR. [a] *Sileſie, Moravie, & Luſace.* [b] *Zamoyſki.* [c] *d'Olmutz.* [d] *de Berka baron de Lippe.* [e] *Coſlitz.* [f] *Benkendorff de Wardin.* [g] *Cracowitz.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

continuo renaſci. Tum in Germanos contumelioſa multa evomuit: ipſos in hypocauſtis inter vinum epulaſque deſides otiari, ut inediae, ſic pulveris et aeſtus, impatienteis: quapropter conſultum videri, ut Caeſari auctores ſint, rationes de pace ineundi, antequam Sultani exercitus educatur: ea de re ipſos cum Aſane filio Budae purpurato, qui ampliora mandata habeat, agere poſſe. Igitur cum quaeſtore Budam miſſi Cracovicii familiares, et longe alio quam a Sinane vultu ab Aſane excepti ſunt; quippe qui oratoris Caeſarei, indigna morte exſtincti, caſu ſe dolere teſtatus ſit, et ſedulo ad patrem ſcripſiſſe, ut ipſum, dum viveret, ejuſque comites incolumeis dimitteret; nunc tandem impetraſſe, ut ipſi ad ſe mitterentur, quo negotium de pace cum Hardecio comite anno ſuperiore inchoatum feliciter conficiatur: has tum propoſitas conditiones, ut Caeſar Filecum, Setſchinium, Novigradum, aliaſque arces ac munitiones hoc bello occupatas cum ipſarum omni territorio reſtituat; Siſſeco in Croatia, quod nunquam Turcicae ditionis fuerat, quam primum excedat; Tranſylvanos, Moldavos, ac Walachos, erga Sultanum perduelleis, auxiliis deinceps non juvet, nec eos in clientelam ſuam recipiat; denique praeteriti temporis tributum mittat, et ſingulis annis poſtea ad Portam perferri curet. Haec mandata in aulam Caeſaris per [a] Berlingum quendam juvenem, cujus frater Wirtembergico duci a conſiliis erat, perlata; qui intra praeſcriptum tempus Budam rediit: nam poſt blandimenta verborum ab Aſſane ſeverae immanitatis praeceptum additum fuerat, ut, niſi Berlingus intra XXV dies reverteretur, captivi ſocii capite mulctarentur. Reſponſi haec ſumma erat; Caeſarem nunquam a pacis cum Sultano conſiliis alienum fuiſſe; idque per oratorem ſuum Conſtantinopoli nuper, ac per alios ubique ſemper egiſſe; ſed pro officio maleficium, et pro legationibus honorificis contumelias repenſas: Boſniae purpurati inſolentia jam negotium pacis interturbatum eſſe; de quo tamen conficiendo minime deſperet, ſi Sinan, qui hujus belli fax creditur, ad quietiora conſilia animum inclinet: tributum duplex ad Pannoniae fineis miſſum; ibique opperiri juſſos legatos, donec quid animi Sultano eſſet certius conſtaret: cum igitur in hoſtico cuncta ad bellum parari videret, ditionem Chriſtianam paſſim a praedonibus vaſtari, indigenas in miſeram captivitatem abduci, oppida et pagos incendi, provincias deſolari, ſui officii duxiſſe Caeſarem ad juſtam defenſionem ſe inſtruere; et, quamvis prima belli initia parum feliciter neque voto reſponderint, non id tamen potentiae aut Sinanis prudentiae ac bellicae peritiae tribuendum eſſe, cum potius fato aut infortunio ac praefectorum limitaneorum negligentiae minime excuſandae imputari debeat: magnas Turcorum copias ubique a parva Chriſtianorum manu caeſas, ut ex eo appareat, non inſuperabilem Turcorum potentiam eſſe; nec ita fractas ac proſtratas res eſſe Caeſaris, ut non exercitibus inſtructis propediem erigantur; ſenſurumque brevi Sinanem non verbis ſed rem manu geri, et cum viris, non cum pueris ad anilia terricula menta expaveſcentibus, ſibi certamen eſſe: ſi pax placeat, his legibus confici poſſe, ſi Sinan viciſſim arces et oppida occupata reſtituat, ac [b] Witziam in Croatia praecipue, captivoſque omneis dimittat; Tranſylvanos, Moldavos, ac Walachos, Hungariae regni veteres clientes, ac poſtea malis quorundam artibus ab eo ſeparatos, nunc autem Caeſareae majeſtati rurſus addictos, in priſtina libertate relinquat; legatos, jure gentium calcato captivos, domum reverti ſinat. His ultro citroque agitatis, cum nec animus Sinani eſſet ut ſerio de pace ageretur, nec Caeſar in conditiones tam iniquas conſentire poſſet, nihil actum eſt, tantumque pudore comites dimiſſi. Sub id Sinan a Mahumete novo Sultano ad Portam revocatur, et Ferhates, qui bello Perſico ſemel atque iterum olim praefuerat, cum ſummo imperio in Pannoniam mittitur. Antequam

INTERPR. [a] *Berlinghen.* [b] *Wibitz.*

Antequam Conſtantinopoli diſcederet, Heiduci numero bis mille, adjunctis aliquot Raſcianis, praedas more ſuo agentes, Sophiam in Bulgaria, olim Tibiſcam dictam, populo frequentem et Judaeorum negotiatione opulentam, ſumma celeritate expugnant, antequam auxiliares advenirent; occupatis in novis belli apparatibus, et peſti famique, quae in Turcicis praeſidiis per Hungariam graſſabantur, depellendae opportuna remedia quaerentibus, purpuratis. Captam cum tueri non poſſent, crudeliter direptam ſtatim deſeruere. Tatari ſummis difficultatibus ac inedia extrema cum premerentur, matres propriis filiis minime peperciſſe, ſed verubus aſſatos comediſſe, dicuntur; ita ut ex XXC capitum CIↃ vix VIII CIↃ in caſtris ſupereſſent. Inde captata occaſione Michaël [a] Tergoviſtia profectus cum Walachis ſuis tranſmiſſo Danubio Siliſtriam aggreſſus, vi capit et direptam incendit, arce, ad quam expugnandam tormenta minime ſuppetebant, minime tentata. Poſtridie, tranſmiſſo rurſus Danubio, qui tunc glacie concretus erat, [b] Brailam, et mox [c] Smilac urbem et arcem, ſuae poteſtatis fecit, captis XIV tormentis, in queis II Ferdinandi Caeſaris, totidem Joannis Huniadae, inſignia impreſſa habebant. Eodem fortunae impetu Georgium receptum, in quo copioſa reperta annona. Novigradum quoque tentatum, ſed irrito exitu, multis ex noſtris caeſis; qui ab eo tempore in periculis adeundis cautiores fuerunt. Dum redeunt, aqua Danubii treis pedes ſupra glaciem fluxit; ſuper qua tamen, ſpreto periculo, onuſti praeda Michaeliani iter fecerunt, ac denuo in alteram ripam tranſierunt.

XIII. JAMQUE veris tempus appetebat, cum Carolus Mansfeldius comes, quem bello huic praeficere in animum induxerat Caeſar, et a Philippo impetraverat, in Bohemiam venit; et, propter aquarum diluviem in itinere retardatus, vix tandem pridie Eidus Martias Pragam appulit. Eum mox ſubſecuti ſunt bis mille equites, et VI CIↃ peditum in Rheni tractu conſcriptorum. Summus Mansfeldio honos a Caeſare habitus; et, ut major ejus eſſet eo in bello ſub Matthia archiduce auctoritas, princeps Imperii ſolemni ritu creatur, et aureo torque cum effigie Caeſaris, quem ipſius collo Matthias induit, donatur. Dein regali paratu inſtructum epulum; ad quod Mansfeldius, Matthias, Carolus [d] Burgovii marchio, Philippicus legatus, aliique principes ac proceres, invitati ſunt. Inde Viennam magno comitatu conceſſit, ac, recto itinere ad [e] Brucam oppidum ad [f] Leitham ſitum [g] Ovaram verſus contendens, juxta Viſelburgum ſumma celeritate caſtra metatus eſt, vallo ita ducto, ut Leitham per media caſtra labentem complecteretur; quod equitibus, non niſi periculoſe aquatum egredientibus, commodiſſimum erat. Muniendis caſtris intentus Mansfeldius, cum faſciculis ipſe in equo comportandis exemplo ceteris praeiret, Hungarus eques repertus eſt, qui, vagae ac deſultoriae militiae aſſuetus et diſciplinae neſcius, id tanquam vile miniſterium detrectavit; et juſſu Mansfeldii acceptum faſciculum cum abjeciſſet, comprehenſus, et ſevero Mansfeldii ejuſdem judicio ad proximam arborem gula fracta, ut aliis terrori eſſet, ſuſpenſus eſt. Multa et alia ſeveritatis exempla memorantur tunc edita, ad conſtituendam inter milites licentiae aſſuetos diſciplinam. Fama de Chriſtianorum adventu inter Turcos ſparſa, cum [h] Javarinum obſeſſum iri crederent, continuo ex vicinis [i] Strigonii, [k] Veſprinii, Palottae praeſidiis collecti hoſtes eo accurrere juſſi ſunt.

XIV. IGITUR Mansfeldius, qui Strigonium potius aggredi in animo haberet, exeunte Junio media nocte caſtra movet, et Strigonium praeſidio nudatum petit; et ante omnia [l] Glirarium oppidum in poteſtatem redigere ſtatuit. Procedente exercitu vacuum illud repertum; Mansfeldiuſque fraudem ſuſpicatus diligenter abdita ſcrutari juſſit, ſi qua forte pulvis tormentarius defoſſus eſſet: tandem locus, incendio, quod Turci ac fugientes injecerant, reſtincto, et ſartis ruinis, praeſidio firmatus eſt.

Eodem

INTERPR. [a] *Tergowiſch.* [b] *Braila.* [c] *Smil.* [d] *de Burgau.* [e] *Pruck.* [f] *Leytha r.* [g] *Owar.* [h] *Raab.* [i] *Gran.* [k] *Veſprin.* [l] *Glirar.*

CIↃ IↃ XCV.

HENRICUS IV.

Eodem tempore N. Palſius in adverſa Danubii ripa [a] Gokeram munitionem aggreditur, ponte ex navibus ratibuſque per flumen ſtrato, et poſt acrem oppugnationem capit; Turcis, qui locum tuebantur, in Strigonium [b] Aquenſe ſe recipientibus. Vexilla quaedam capta, et tormentum, quod noſtri amiſerant, receptum. Interea ad Strigonium res ſerio gerebatur, conſtituta inter milites licentiae aſſuetos ante omnia diſciplina; exemplo primum, duobus nobilibus, quod ſtationem injuſſu praefectorum deſeruiſſent, in exercitus conſpectu ſtrangulari juſſis; mox et legibus publicatis, quibus horae precibus ad Deum fundendis ſigno tormenti dato deſignabantur; ſcorta totis caſtris faceſſere, deprehenſa in profluentem mergi, jubebantur: cauponibus menſura vini, quam militi dietim admetirentur, praeſcribebatur; qui ſecus feciſſet, bonorum amiſſione mulctabatur, addita poena in eos qui ſe vino ingurgitaſſent, ſanctum Dei nomen dejerationibus profanaſſent, aut in alea majores ſummas depoſuiſſent. Item durante obſidione vini ſublimati, id genus poculentorum, uſus, conviviorum item largiores apparatus prohibiti: interdictum et militi canes alere, cum propter foetorem, tum propter annonae anguſtiam: in eos poſtremo, qui quid vel minimi pretii rapuiſſent, ſancita capitis poena. Sub id ex Italia VIII CIↃ delectorum peditum advenerunt, obſidioni coeptae opportunum ſubſidium; cum prius Gulielmus Treka ex Bohemica nobilitate vir fortis III CIↃ peditum adduxiſſet, et ante eum [c] Hacicurius, ex Hocſtratanorum comitum familia regulus, cum legione Belgica adveniſſet. Civitas Hungariae metropolitana in colle ſita eſt, cum templo et epiſcopali palatio, quod pro arce eſt: in imo urbs eſt Aquenſis vulgo dicta, ut jam alias diximus, et paulo infra eam urbs vetus ſive [d] Raſciana. Ad meridiem S. Thomae mons imminet, in quo noſtri tormenta diſpoſuerunt; ex quibus muri civitatis et arcis continua pulſatione infeſtabantur. Facta ruina, cum tumultuario et confuſis ordinibus Heiduci eniterentur, repulſi ſunt; et Hacicurius, qui Belgas ducebat, vulnus in capite accepit. Poſtridie cum noſtri vim rurſus feciſſent, ſed cautius, Turci, qui in ruina toto corpore heſterni proelii fiducia extabant, magna clade, diſpoſitis tormentis, affecti ſunt. Mansfeldius, ut pontem veluti enixuro ad ruinam militi ſterneret, navem armatam ac tectam contra tormentorum ictus inter [e] Zigethanam inſulam et Aquenſem urbem collocat, poſtridie vim facturus: verum ea defenſorum ignavia, Turcis incumbentibus, capta, et partim exuſta, partim demerſa eſt. Quo conſpecto, qui ex noſtris in ruina ima gerris ſtructis ſe muniverant, locum deſerunt; quem poſtridie, hoc eſt, IV Eidus Quintileis, a Mansfeldio annitente Belgae miſſi receperunt, et totam noctem contra Turcos tutati ſunt, [f] Columbaeo Sequano ordinum ductore inter alios ſtrenue rem gerente. Ab ea die uſque ad XIII Kal. Sextileis nihil actum, niſi quod Trekiani, qui ad [g] Thomae propugnaculum excubabant, neſcio quo pavore panico correpti, ſponte ſe in fugam dederunt, vixque tribuni ſui praeſentia ac minis increpationibuſque revocati ſunt. Tum Mansfeldii juſſu vallum a Flumentano propugnaculo ad colleis uſque deductum, ne quis hoſti ad urbem pateret acceſſus; et alterum propugnaculum in monte, cui [h] Caroli nomen fecit, erigit, ne prior hoſtis illum occuparet, et ex eo, diſpoſitis tormentis, Chriſtiana caſtra infeſtaret. Tandem auxiliares Buda venientes eminus conſpecti, eoque magis feſtinata opera; et ad [i] Cocarenſem portam cuniculi acti, et aggere foſſaque ab ea parte praecluſus hoſti aditus; gnavam operam Palſio qui Pannoniis, et Hacicurio qui Belgis praeerant, navantibus. Miſſi interim qui in itinere venienteis Turcos levibus proeliis diſtinerent; pugnatumque acriter, ſed nullo ſucceſſu. Fecit noſtris animos Belgici equitatus ſub id in caſtra adventus, in quo circiter bis mille equites, partim cataphracti, partim levis

armaturae,

INTERPR. [a] *Gockeren.* [b] *Ville d'eau.* Germ. *Waſſerſtadt.* [c] *d'Hachicour des comtes d'Hooghſtrate.* [d] Germ. *Ratzenſtadt.* [e] *de Zighet.* [f] *Colombey de la Franche Comté.* [g] *Fort de S. Thomas.* [h] *Fort de Charles.* [i] *Porte de Cocar.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

armaturae, erant. Cum omnia ad pugnam parata viderentur, foedi imbres Kalendis Sextilibus cum tonitru et horrendis coruſcationibus exorti, noſtris non parum moleſti, ac ferme exitioſi: nam confuſa in caſtris omnia, et, quaſi Turcis rerum potientibus, cuncti ad pontem diffugere; vixque excubitoribus reſiſtentibus per noctem illam ſiſti fuga potuit, donec, reddita poſtridie luce, vanus terror apparuit. Igitur crebris velitationibus pugnatum, et Palfius cum III CIↃ equitum initio hoſtem in caſtra compulit; quem Carolus [a] Burgovii marchio, et poſtremo Mansfeldius, ſecuturi erant: ſed reſtituto certamine cum diu nutaſſet victoria, tandem, tormentis ab hoſte in collem vicinum repente ſubvectis, improviſa verberatione infeſtati noſtri ceſſerunt, et cum damno in caſtra reverſi ſunt. III ſigna amiſſa, et CCC ex noſtris deſiderati. Nox ea inſomnis a Mansfeldio acta. Hoſtes ſimulato pugnae conſerendae conſilio id agebant, ut auxiliareis [b] Strigonium introducerent: itaque Papae praefectus miſſus, qui [c] Carolinum montem praetervectus, per vineta inter convalleis incedens, Pannoniorum ſtationibus perruptis, illam tantum caſtrorum partem adoritetur. Eum ſequebatur Mechmetus Sinanis purpurati filius, et alter Mechmetus Aſiae minoris praefectus: ſupra eos incedebat Oſman Budae purpuratus, qui VIII CIↃ delectorum ducebat, cum [d] Tatae praefecto. Dum iter facerent, quo magis laterent, Tatari immiſſi, qui noſtros interim proluſionibus crebris fatigarent. Mansfeldius ſpe citius, cum ſub meridiem tum pranſurus ad menſam ſederet, ad ſtrepitum papilione exit; et, initio optatos coovivas eos adveniſſe prolocutus, ut vidit totos campos Turcorum armis ſplendeſcere, Hodie, inquit, quando heic non licuit, in hoſtium caſtris epulabor: fruſtra hoſtis, cui vallum per XVII munimenta perrumpendum eſt, conatur; nec temeritati ejus, niſi in pugna, perfugium eſt. Quibus dictis, primam aciem praecedere jubet, quam Burgovii marchio ducebat: in ea erat legio Germanorum fortiſſima, cui praeerat Jacobus Hannibal [e] Rutenavius; quam Sequani pedites, et Pannonii, et hos quicquid equitum et levis armaturae in caſtris Caeſareis erat, ſequebantur. Peditatus ad [f] Raſcianum oppidum ſubſtitit: equitatus, quadrato agmine in planitie inſtructus, latera hoſtium obſervabat. Ipſe Mansfeldius, vir ſtrenuus, et literis a pueritia noo mediocriter inſtructus, eoque eloquentia major, ordines circumibat, et majeſtate oris gravique facundia militem ad pugnam capeſſendam hortabatur; captos teneri hoſteis, modo ſibi ne deſint: nam XVII munimenta, quibus Strigonium circumvallavit, quacunque caſtrorum parte Turci ea expugnare aggredientur, ſe defenſurum. Tum Nic. Gabelmanum ſtrenuum equitem ad Adolfum Schuartzenburgum, qui bis mille equites Belgas penes ſe habebat, et vineta arci objecta inſidebat, mittit, monetque ab ea parte hoſtem tranſitu prohibeat. Arci ſuberat templum D. Georgio ſacrum, a quo [g] planities adjacens Georgiana vulgo dicitur, CCC circiter paſſibus ab arce diſſitum. Heic aggere utrinque ducto Danubius a noſtris quaſi incluſus fuerat, et milite ac vallo locus firmatus, foſſa tranſverſa ad vineas inde perducta, et novae munitioni adhaerente; quae hoſti ad oppidum perrupturo aditum impediebat. In propinquo erat agger a Palfio exſtructus, idoneo milite itidem firmatus. In S. Thomae monte arci proximo Joannes Medices cum VIII delectis cohortibus ſtabat, et tormentorum infeſta diſploſione venienteis eminus hoſteis proterebat. In has anguſtias cum Oſman ſe inſinuaſſet, et perrumpere ad oppidum ſperaret, acriter a noſtris repulſus eſt: conſiliique cum pocoiteret, monente Tatenſi praefecto, in anfractuoſum callem, vix quatuor equis junctis pervium, declinavit, ut ſe cum [h] Aſiae et Graeciae praetoribus in campo Georgiano dimicantibus conjungeret. Verum in ea valle ſclopeto ictus periit, ſuis huc illuc per vineta diffugientibus; quibus perſequendis VIII

equitum

INTERPR. [a] *de Burgau.* [b] *Gran.* [c] *Karlzberg.* [d] Germ. *Totte.* [e] *Rutenaw.* [f] *Ratzenſtadt.* [g] *Campagne de S. George.* [h] *Beglerbeys de la Natolie & Romelie.*

equitum Pannonicorum alae a Mansfeldio miſſae. Capta in eo conflictu XXXVIII campeſtria tormenta. Apud [a] Schuartzenburgum interim non ceſſabatur, Graeciae praetore ſumma omnia faciente, ut vallum ab illa parte perrumperet: verum rurſus cum gravi damno repulſus, ſcloppetariis equitibus et cataphractis, qui illis ſuccedebant, egregie rem gerentibus. Tandem verſa omnis vis contra Palſium, qui ſpatium CC paſſuum inter duas munitiones tuebatur. Heic Aſiae praetor cum XII CIↃ equitum invectus, cum anguſtiis locorum premeretur, et inſeſta ſcloppetariorum diſploſione peteretur, poſt obſtinatum certamen ipſe quidem cum CC perrupit, intra oppidum ab obſeſſis acceptus: ceterum multos ex ſuis amiſit, pleriſque interfectis, multis etiam Danubio proximo hauſtis: qui evaſere, huc illuc per vineas et colles vicinos palantes aufugerunt. Poſtremo ceſſit ipſe Graeciae praetor, ſervatis initio ordinibus, et quartum reſtituto certamine; dein et fuga ſe ad reliquias recepit. Caeſa V hoſtium CIↃ: deſiderati ex belli ducibus, praeter Oſmanem, V alii praefecti: capta XXVII ſigna, et pro vallo ad ſpectaculum obſeſſis propoſita, ac mox ad Caeſarem per Henricum [b] Cabilonium ex veteri Arauſionenſium principum familia, Mansfeldii ex ſorore nepotem, miſſa. Reſtabant caſtra hoſtium adhuc intacta: quae capienda ac diripienda necne viderentur, cum inter belli duces conſultaretur, Mansfeldius, qui victoriam partam aliquo ſequiore ſucceſſu obſcurari nollet, animi pendebat, donec Burgovius, qui proximum ab eo locum in exercitu tenebat, gravi alloquio haerentem confirmavit; Nihil actum ea victoria, ſi hoſtes caeſi caſtris ſuis in noſtrorum conſpectu potirentur: vacua ea defenſoribus relicta, et qui in iis ſunt ultimam vim ſociis profligatis minime exſpectaturos; quippe illam ſuperati exercitus conditionem eſſe, ut, quicquid reliquiarum a tergo trahit, ad praedam victori pro praemio relinquat: Turcos mille viis per ſaltuum inacceſſa aufugiſſe: ab ſauciis nihil periculi ſubeſſe, quibus propria incolumitas potius quam res ſuae ac tentoria curae ſunt: quicquid id eſt, in caput ſuum recidat; nam ultro ſe ad rem exſequendam offerre, et, antequam res cum cujuſquam periculo tentetur, cum delecta equitum manu locum explorare. Quibus dictis, quanquam locum prius explorari placuiſſet, tantus omnis generis lixarum, calonum, ac hujuſmodi militiae impedimentorum, concurſus ad ea jam vacua factum, ut momento direpta ſint. Papilio Budenſis purpurati capaciſſimus Mansfeldio ceſſit, admirandi operis ac ingentis pretii tela bombycina egregie tectus, et intus auro ac variis operibus intertextus: ſupra papilionem velum quaſi pallium ſuſpenſum erat, ad prohibendam coeli injuriam, quod in declive per angulos deſcendens per ſtillicidia inſtar canalis aquam pluviam demittebat. Alia aliis tentoria ceſſerunt; quae omnis generis ultra CIↃ numerata ſunt, cum ingenti praeda. CCCC cameli capti, et LX Chriſtianorum capita ante tentorium reperta, recentis cladis a noſtris acceptae crudele monumentum; inter quae Jo. Recchini et Brandeſtinii, qui equitum duces erant, nuper interfectorum capita agnita ſunt: quibus conſpectis Mansfeldius, qui ſupervenerat, poſt altum ſuſpirium, Ulti ſumus noſtrorum ſanguinem, inquit; decus illis ſempiternum tam glorioſa morte partum, deſiderio ſui nobis relicto, ut eorum virtutem imitemur, et, cum Deus volet, ipſos ſequamur: interim, quod ſuperamus, Deo gratias agamus, et bene meritis de Caeſare ac nomine Chriſtiano ſociis juſta ſolvamus. Quod mox juſſu ejus factum, capitibus loco ſacro honorifice reconditis. Capta praeterea in caſtris XXVII minora tormenta. Poſtridie, qui in Nonas Sextileis incidebat, ſupplicationes a Chriſtianis celebratae, et beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus magna laetitia decantatus; continuoque verſa vis omnis contra oppidum. Cum Palſius, miſſis aliquot, oppidi praefectum per colloquium ad deditionem

INTERPR. [a] *Adolph baron de Schwartzenburg.* [b] *de Châlons prince d'Orange.*

dedirionem invitaret, ille jam canus, cum praetorianorum tribuno aeque ut ipſe cano, reſpondit, Nos canos videtis tot annorum ſtipendia merenteis; abſit ut locum fidei meae creditum deſeram, et fiduciam de me conceptam, cum locus mihi traditus eſt, ignominioſa dedirione fallam: hanc canitiem, et exiguum qood vitae hactenus decore actae ſupereſt, turpi facto foedari patiar? Ne pilum quidem vobis petentibus dabo, eoque minus arcem oune traditurum ſperate, quam potentiſſimus Solimanus, cum ipſe in exercitu eſſet, imperio ſuo adjecit.

XV. BIDUO ſequenti continuata verberatio, ita ut totum pomoerium nodaretur. Tuncque, ſive naturae deficientis vitio, ſive ex contiouis laboribus contracto morbo, aegrotare coepit Mansfeldius; vocatoqoe [a] Burgovio et rei militaris cura ei commendata, ex papilione, in quo decumbebat, in colliculum tranſlatus eſt, in quo hypocauſtum erat feneſtris perlucidum ac nullo vento pervium: poſtremo et loci caſtris vicinioris pertaeſus [b] Comaram adverſo flumine devectus eſt, prius Palfio et Jo. Medice ſalotatis, qui, ut eum in caſtris retinerent, accurrerant, adducto ſecum Octaviano [c] Roboreto medico a Burgovio conceſſo. Mox ad eum Vienna a Matthia archiduce miſſus Bartholomaeus [d] Paravicinus Rhaetus, Caeſaris medicus. Tandem XIX Kal. Sept. hora nona veſpertina ex dyſenteria inter graviſſimos dolores deceſſit, mortem ſibi oon improviſam aut impraemeditatam dictitans; ceterum magis ſe animo quam ex corporis doloribus angi, quod eo die Caeſar optimo ac fido belli duce cariturus eſſet. Fuit vir praeter natalium ſplendorem magnanimus, liberalis, gravis, verax, imperioſus, diſciplinae militaris tenax, et moroſus exactor: in juventute paulum intemperatior, et, vitio gentis, vino deditus; oode, cum alioqui firmo admodum eſſet corpore, magnas infirmitates cootraxerat. Poſt patris P. Erneſti io Galliam expeditionem, Albani et Hiſpanorum imperium exoſus, ſub Carolo et Henrico Caroli fratre, quibus et operam ſuam addixerat, plus minus decennium apud nos commoratus, primarium inter aulae proceres locum tenuit: ubi felicitate ingenii, quod noo mediocribus literis a pueritia imbuerat, et ſemper poſtea excoluerat, tanta noſtrae linguae peritia excelluit, ut rari eſſent ioter Gallos qui cum eo conferri, nulli qui praeferri, poſſeot; adeo eleganter Gallice loquebatur, et ſcite ſcribebat. In colloquio comis, ferocior moribus, et, ſive vitae intemperantia, ſive calore aetatis, ad iram commotior; in quo pleraque homicidia patravit, et Henricum [e] Staupium veteranum Germanorum ducem ob verborum contentiooem ioter ſacra menſae interfecit. Revocatus tandem a parente in Belgium revolavit, et, accedentibus annis moderatior et gravior, in magnum belli ducem evaſit. Treis uxores habuit, ex quibus nullos liberos ſuſcepit; Dianam [f] Coſſaeam Caroli Briſſaci equitum tribuni [α] filiam, cum qua apud nos degens conjonctiſſime vixit; ſecundam [g] Maurae comitiſſam, quam in Belgium reverſus ob mores per ſicarios cum adultero interficiendam curavit; tertiam Mariam Chriſtianam Lamoralli [h] Ecmondani filiam, Gulielmi [i] Hocſttati comitis viduam, quae viro ſuperſtes fuit. Vixit annos LIII. Corpus ejus in Germaniam relatum, ut in monumentum majorum inferretur.

XVI. PRIDIE quam mortuus eſt Mansfeldius, Burgovius et Medices, penes quos ſumma rerum erat, ad [k] Aquenſem civitatem Strigonienſi arci ſubjectam impetum faciunt, eo ordine, ut eodem tempore, quo a Medice vis fieret, ad Turcorum vireis dividendas Burgovius arcem ſimulata oppugnatione tentaret. Erant cum Medice Carolus Gonzaga et [l] Carolus Roſcius comes, ambo ſtrenui duces. Cumque Roſcius primas in impetu faciendo a Medice ſibi concedi peteret, Gonzaga dignatione potior interceſſit,

VAR. LECT. [α] filiam, alterius Caroli ſororem, cum qua *MS. Samm.*
INTERPR. [a] *le Marquis de Burgau.* [b] *Comar.* [c] *Roboretto.* [d] *Paravicino, Griſon.* [e] *Stauffen.* [f] *de Coſſé.* [g] *Maure.* [h] *le comte d'Egmond.* [i] *Hooghſtrate.* [k] *Ville d'eau,* Germ. *Waſſerſtadt.* [l] *il Conte Carlo Roſſi.*

interceſſit, et Germanorum agmen ad turrem pulſatam juxta fluvium vadentium, et poſt obſtinatum Turcorum certamen cum damno ſe recipientium, praeſentia ſua repreſſit, et voce exemploque ante alios pugnans certamen reſtituit; quod totis quinque horis duravit. Ad ruinam Belgae inſilierant, quos Pannonii ſequebantur; gravique damno affectis Belgis nunquam animus ad continuandum certamen defuit, animante eos et voce et exemplo Joanne Medice: tandemque in murum evaſerunt, cedentibus Turcis; ac eodem tempore Roſcius, qui locum ad portam, quae ex civitate in arcem ducit, ſervabat, inter infeſtas hoſtium diſploſiones cum ſuis murum ab ea parte ſuperavit. CIↃ Turci deſiderati; CCCC circiter ex noſtris, et majorem partem ex cohorte Antonii [a] Olivani Vincentini, cujus primarius centurio primum vexillum in muro ſtatuit. Capta urbs eodem menſe, quo ante LII annos a Solimano itidem capta fuerat. Per varios ductus et anfractus latenteis Turci magnam nitrati pulveris vim, cuncis actis, partim vaſculis incluſam, partim in cumulos congeſtam, ſparſerant, quae ingenti circuitu ad profundam cellam C vaſculis plenam pertinebat: quo factum eſt, ut funiculo ex arce poſt noſtrorum irruptionem accenſo, ignis vireis, ubivis fomitem reperiebat, capiens, exeſo ſeminario pulvere pererrans, repentino fragore totam hauſerit civitatem; jam juſſu ducum, qui fraudem perſenſerant, dilapſis noſtris: tantum XL praedae intentiores eo caſu deſiderati. Nuncius rei Mansfeldio paulo antequam moreretur allatus, virum de ſucceſſu anxium non mediocriter recreavit, ita ut vinum mox depopoſcerit; eoque epoto, in dextrum latus innixus, per duas horas quaſi profunda cogitatione defixus quieverit. Capta civitate et momento incenſa, ad arcem promotum vallum: et, cum urgerent poſt biduum Germani, ut poſt XXI CIↃ ictus diſploſos, quaſſatis late propugnaculis et ingenti ruina edita, oppugnatio tentaretur, crebreſcente de adventu Sinanis cum numeroſo exercitu fama, placuit rem differri uſque ad Italicarum copiarum adventum.

XVII. PONTIFEX, miſſis ad Polonum et Tranſylvanum inſtigatu Caeſaris oratoribus, ut, conjunctis Chriſtianorum principum viribus, communium Chriſtiani nominis hoſtium conatibus mature obviam iretur, cum rem ex voto procedere videret, ne ipſe officio deeſſe videretur, ingenteis copias ſcripſerat, et delectus Philippi permiſſu per totam Italiam habuerat. Scriptae quinque legiones, Franciſco [b] Montano, Mario Farneſio, Aſcanio Sfortia, Friderico [c] Sangeorgio, Aſcanio [d] Corneo marchioni, attributae. Flaminius [e] Delfinus equitatui praepoſitus, in quo VIII alae erant, ducibus Vincentio [f] Pariſino, Theodoro [g] Dardraeo, Elia [h] Capaſio, Marco Melita, Mauro Mazera, Roberto [i] Dato equite, Petro [k] Tiliamocho, et Petro Gentili. Quod munus cum Marcus [l] Pius Saxoli princeps, quaſi jam anno ſuperiore meritis ſuis deſtinatum, ambiret, ab eo excluſus in Pannoniam ire recuſaverat: ſed juſſu pontificis legionem bis mille peditum ducendam ſuſcepit. Totus peditatus XII CIↃ erat. Univerſis copiis praefectus a pontifice Franciſcus Aldobrandinus, qui neptem ex fratre in matrimonium habebat, et trapeziticam paulo ante exercuerat; homo belli inexpertus, tantumque patrui favore ad tantam dignitatem ſupra vireis, non ſine occulto multorum murmure, ſublevatus: nam Caeſar inſtabat ut Alfonſus Ferrariae dux, princeps dignitate et aetate matura, et belli uſu, in quo juventam triverat, praeſtans, huic bello praeficeretur. Et ſane antequam e vita decederet, aliquo inſigni operae pretio Caeſaris, ac nominis Chriſtiani, ipſiuſque adeo pontificis, gratiam demereri cupiebat, quo Ferrariae principatum in Caeſarem [m] Ateſtinum agnatum, quem prole carens heredem in imperio relicturus erat, pontificis ipſius conceſſione transferret. Verum pontifex, qui tantum beneficium Alfonſo debere nollet, ne,

INTERPR. [a] *Antonio dell'Oglio Vicentino.* [b] *del Monte.* [c] *San Georgio.* [d] *della Cornia.* [e] *Delfini.* [f] *Paraſini.* [g] *Dardres.* [h] *Capaſio.* [i] *Dati.* [k] *Tagliamochi.* [l] *Pio principe di Saſſuolo.* [m] *da Eſte.*

altero ab illo expetito beneficio, illud remunerare teneretur, et alioqui alia omnia, quod in illa aula ſolemne eſt, privatis charitatibus poſthaberet, nunquam adduci potuit ut Caeſari aut Ferrarienſi in ea re gratificaretur. Itaque VIII Eid. Jun. in S. Mariae majoris templo, poſt ſacrum celebratum, magna pompa baculum, ſupremi militaris imperii inſigne, ei tradiderat, ac praeterea duo vexilla conſecraverat, quae a [a] Sermonetano et Sangeneſio ducibus ante Aldobrandinum fuerunt praelata. Medium eum deducebant M. Ant. [b] Columna regni Neapolitani coneſtabilis, et Virginius [c] Urſinus Bracciani dux. [d] Rodolfus Baleonus centurionis majoris munere a pontifice item donatus eſt, non ſine occulto itidem aliorum tribunorum murmure. Exercitui luſtrando dicta dies ac locus ad fineis Italiae et Germaniae; quo diverſis itineribus, utcunque commodum erat, ſinguli convenire juſſi ſunt. Magnus Etruriae dux, qui anno ſuperiore bis mille pedites et CCCC equites in Pannoniam miſerat duce Antonio Medice, hoc anno cauſatus alia incommoda ſe excuſavit; et Silvium Picolomineum, quem Antonio vicarium attribuerat, cum CL delectis miſit, mandato dato, ut in [e] Dacia cum Sigiſmundo principe hybernaret. Vincentius Mantuae dux decoris avidus, quanquam nullum in exercitu imperium haberet, ad expeditionem tantae exſpectationis proficiſci voluit, ductis ſecum, tam ſuae ditionis quam aliarum Italiae provinciarum, viris primariis et bellicae rei expertis, Fulvio et Friderico, Hippolyto S. Pauli comite, et Alexandro, Vido et Claudio Hippolyti fratribus [x] gentilibus ſuis, (nam Ferdinandus Gonzaga jam ante ſponte ac ſine ullo imperio, nec non et [f] Ferdinandus Roſcius comes, in eam militiam profecti fuerant) Germanico [g] Savorniano et Proſpero [h] Carretto marchionibus, Othone [i] Contio, Henrico Sangeorgio, Jo. Baptiſta [k] Guerrerio, Julio Strozza principe cubiculariorum, Marſilio Gambara, Galeaſſio Canoſſa, Julio [l] Caſinio, et Ant. [m] Blandrata; jam praemiſſo Carolo Roſcio Ferdinandi filio cum CCCC equitibus in tres alas diſtributis, quibus praeter ipſum Hercules Roſa et Petrus Boboca, bellis Belgicis noti duces, praeerant. Datum et negotium fuerat Chriſtophoro [n] Caſtellioni comiti, Camilli [o] Planae inſulae comitis filio, et Baltaſaris, qui [p] Aulicum ſcripſit, nepoti, ut C levis armaturae equites ac C majores ſcloppetarios ad VIII Eid. Sextil. paratos in limite haberet. Ipſe cum C Germanis ſtipatoribus, aliiſque proceribus, poſtquam ex improviſo morbo aliquantum recreatus eſt, accepta ab epiſcopo benedictione, Kalendis Sextilibus in viam ſe dedit, et Pragam venit X Kalendas Septembreis, perhonorifice a Caeſare acceptus; a quo equis et armis donatus eſt. Ante ejus adventum orator magno comitatu a Theodoro magno Ruſſorum duce miſſus in illam aulam venerat; quem eo uſque ad colloquium admittere diſtulit Caeſar, donec Mantuanus adveniſſet. Is poſt [q] Emiris Emzae Perſarum regis mortem legatus eſt, ut, bello adverſus Turcos ſuſcepto, in cujus partem Emiris Emzae filium nunc regem venturum intellexerat, ſe auxiliarem Caeſari ac ceteris Chriſtianis principibus adjungeret, mutuamque operam ac opes ſuas ad id polliceretur. XXC Bojariei generis, more gentis togati, et zibellinis pellibus egregie veſtiti, ante oratorem incedebant: is erat Michaël [r] Ivanovitzius [ſ] Caſſanenſis regni prorex; cui comes additus Joannes [t] Sohinius a ſecretis, cum donis ſolemnibus, veſte Damaſceno holoſerico, et pretioſiſſimarum pellium manipulo. Tum orator magnam auri ſummam Caeſari obtulit, pro arrabone amicitiae et operae a principe ſuo ultro delatae ad communem hoſtem debellandum, et Othomanicam familiam profligandam, et Auſtriacae domus amplificationem: jamque decies centena aureorum CIↃ

ipſum

INTERPR. [a] *les ducs de Sermoneta & Sangeneſi.* [b] *Colonna.* [c] *Orſino duc de Bracciano.* [d] *Ridolfo Baglioni.* [e] *Tranſylvanie.* [f] *Ferrante Roſſi.* [g] *Savorgnano.* [h] *del Carretto.* [i] *Conti.* [k] *Guerrieri, & Strozzi cameriere maggiore.* [l] *Caſſini.* [m] *Blandrato.* [n] *Caſtiglione.* [o] *Iſola del Piano.* [p] il Cortegiano. [q] *Emir Hamze.* [r] *Iwanowitz.* [ſ] *de Caſſan.* [t] *Sobinſki.*

NOT. [x] Ces ſix ſont de la maiſon de Gonzague. *Put.*

ipſum expendiſſe in id bellum teſtatus eſt, ac porro in illo perſeveratutum ad impediendum Tatarorum in Pannonias deſcenſum. Haec palam. In arcano de ratione belli deinceps gerendi, et cum Perſa, qui fineis cum Moſcovita conjunctos habet, communicandi conſilia, actum eſt: tandemque exeunte anno orator dimiſſus eſt. Addunt inter munera a Moſcis allata, praeter zibellinas pelleis, etiam vulpinas fuiſſe nigras, raritate et pretio zibellinas longe ſuperanteis, ut ex quibus mitra principis Ruſſorum farcitur. Poſtridie quam Moſci admiſſi ſunt, Vincentius, petito a Caeſare commeatu, Praga profectus eſt, et Viennae exſequiis in Mansfeldii funere celebratis interfuit; nec niſi capta jam arce [a] Strigonienſi, quantumvis iter acceleraret, in caſtra pervenire potuit.

XVIII. CUM Itali xv Kal. Sept. veniſſent, et poſtridie archidux Matthias, agitatum intet belli duces fuit, vine ſubita, an lenta per cuneos et ſuffoſſionem aggreſſione, rem gererent. Et prudentioribus placebat, ut nihil temere tentarent; nam et ad famam pertinere et nominis Italici decus, tam florentibus copiis, ut quicquid conarentur, exſpectationi reſponderet; et ita cenſebant Franciſcus [b] Montanus, Aſcanius [c] Corneus, Marcus Pius, et Flaminius [d] Delfinus. Verum [e] Burgovius, omnis morae impatiens et fiducia plenus, contra dicebat, retundi alacritatem militum, et obſidione in longum extracta hoſti animos addi; qui, adventu Italorum, quotum ſuperiore anno virtutem expertus eſt, territus, ſi urgeatur, mox deditionem ſit facturus: mnlta incidere per dilationem poſſe ſucceſſum certum impeditura: jam nnnciari Sinanis adventum cum recentibus copiis: fortuitorum plenum eſſe diuturnum bellum: dum occaſio ſe in manus dat, inſtandum ſucceſſibus, et hoſtem, antequam animos colligat, aut vi expugnandum, aut ad deditionem compellendnm. Quae ſententia tenuit. Tandem in generoſius quam tutius conſilium Italis conſentientibus, ne metu viderentur periculum detrectare, vallum ruinae oppoſitum, ex quo arduus admodum in arcem aſcenſus erat, Italis a Germanis traditum eſt: ipſi eam partem vi ſuperandam ſumpſerunt, quae ex S. Thomae monte arcem proſpectat, pariter aſcenſu difficilem. Tandem VIII Kal. Sept. cum a Germanis vis facta eſſet, ſaxis, ignibus artificialibus, quae a foeminis in enitenteis animoſe demittebantur, viris rem interea ſtrenue gerentibus, directis etiam levioribus tormentis, repulſi illi, ac poſtremo deturbati ſunt, amiſſis cc circiter ex ſuis. Majus damnum prohibuit ſolertia Joannis Medicis, qui rei tormentariae ptaeerat, aliquot tormentis ſtatim loco idoneo diſpoſitis, quorum contraria diſploſione hoſtilia luxata ac rotis confractis dejecta ſunt. Ab altera parte, in qua pugnabatur, non minus damnnm acceptum: ubi cum poſt piam a patre Capucino habitam orationem, ſe ſinguli ſigno crucis muniviſſent, tubis ac tympanis perſonantibus ad ruinam itum eſt. Sors Mario Farneſio obvenerat, ut in oppugnatione primam aciem duceret: is cum xx delectis ex unaquaque cohorte cum ad ruinam tenderet, eadem peſte qua Germani inſeſtatus, cum, lapſantibus ubique ſuorum veſtigiis et incendio fumum glomerante, diſturbaretur, et nihilominus inſtaret, accepto ſcloppeti ictu a pugna diſcedere coactus eſt: cujus in locum ſuccedens Marcus Pius ſtrenue rem admodum geſſit, quanquam inde cadentibus pleriſque e ſuis. Poſtremo, cum tam exiguo numero, qui ſuperabat, in murum eniti non poſſet, miſſo [f] Jo. Marco Inſulano, qui recenteis ſummitti ab Aldobrandino peteret, loco commodo ſe munire vallo et pluteis juſſus eſt: ſic belli ducibus cenſentibus, periculoſum eſſe inclinata jam die novas copias turbatis jam rèbus ſummitti. Tantum Aſcanius Sfortia cum tabulis et pluteis miſſus, ut laborantibus in vallo ſtruendo et in eo ſe tuendo cum ſuis praeſto eſſet. Cum tabulae et plutei ſaxorum ex alto demiſſorum ponderi

INTERPR. [a] *Chateau de Gran.* [b] *del Monte.* [c] *della Cornia.* [d] *Delfini.* [e] *le Marquis de Burgau.* [f] *il Conte Giovan-Marco Iſolano.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV. ponderi ſuſtinendo, et contra igneis artificioſos, quo minus incenderentur, pares non eſſent, ex [a] Baleoni conſilio adhibitae bovillae et equinae crudae adhuc pelles; quibus tecti plutei ignem, ne in tabulas penetraret, prohibebant, et ſaxorum ictus frangebant. Tum crebro mutabantur ſtationes, novique feſſis et continuo defenſorum aſſultu infeſtatis ſuccedebant. Deſiderati in ea oppugnatione ex Italis CL, et in iis clarioris nominis Thomas [b] Puccius, et Martius Medices eques, Jacobus [c] Maleguccius, Cannanus et Julius Angeluccius ordinum ductores: ſauciati, praeter Farneſium, Flaminius Delfinus, marchio Malaſpinae, Marius Frangipanis, Alexander [d] Urſus eques, [e] Saxatellus eques, et Nicolaus [f] Vitellius marchio; qui, ſive ex eo vulnere, ſive ex morbo ſuperveniente, paulo poſt deceſſit. Pio cum Aſcanius [g] Corneus in vallo tuendo ſucceſſiſſet, et Corneo [h] Montanus, ac Montano Aſcanius Sfortia, ad turrem promoti plutei; in qua occupanda egregiam admodum operam navavit Carolus Gonzaga. Jamque defenſores omnia ſumma ad locum tuendum fecerant, et arctiſſime cinctis atque in ipſa ruina obſeſſis ſola ſpes, ſi pertenderent, in deſperatione reſtabat, cum, rumore inter eos crebreſcente, quaſi Saguntinorum exemplo eum pernicie ſua periculo ſe ſubjicere decreviſſent, pulvere nitrato, qui copioſus in arce erat, incenſo, foeminae puerique et imbellis ſexus facto agmine cum lamentis et ululatu ad genua virorum advolvuntur, rogantes, ſui ſuorumque miſereſcerent, neque virtutem tantam, quam omni auxilio deſtituti in arce propugnanda conſumpſiſſent, inutili pertinacia, atque adeo inſigni contra ſe ipſos patrata immanitate, contaminarent. Quibus vocibus, ad quas publice tota arce comploratio exorta eſt, purpuratus Aſiae jam ſenio effoetus, qui cum ſummo imperio praeerat, ad extremum ſe flecti paſſus eſt; et per Hungarum, qui ejerata vera religione ad peſtiferam ſectam defecerat, Antonio [i] Olivano, qui in proxima ſtatione erat, ſignificandum curat, habere ſe de quibus cum exercitus imperatore agat. Id Matthiae renunciatum, protinuſque miſſi qui cum purpurato colloquerentur. Sed cum opimiores conditiones peterentur quam quae dedititiis concedi ſolent, poſtremo, obſidibus utrinque datis, purpuratus ipſe ex arce deſcendit, ut cum Burgovio, Joanne Medice, Pio, Montano, ac Sfortia, a Matthia miſſis, ageret. Ibi teſtatus, non metu, ſpeve vitae, cujus exiguum ſupererat, producendae, ſed commiſeratione populi, et ut militem inutiliter heic periturum ad meliora reſervaret, adduci, ut de deditione aſſentiretur; alioqui non commiſſurus, ut vitam huc uſque generoſe actam deformi exitu clauderet: poſt longas altercationes, tandem, baculo ſublato quem geſtabat, defenſoribus, ut ab omni conatu hoſtili abſtinerent, imperavit; convenitque ut milites acinace accincti eum omni ſupellectile, quam quiſque aſportare poſſet, incolumis exiret. Feſtinandae deditioni magnum momentum attuliſſe creditur, quod triduo ante Burgovius cum II CIↃ IↃ equitibus, et totidem peditibus Pannoniis, quos Palfius et Naſdaſtius ducebant, CIↃ CC peditibus et CCCC equitibus Belgis, quibus Schuartzenburgus praeerat, II CIↃ Germanis equitibus, IↃ equitibus Italis, profectus, ut auxiliareis Buda venienteis caederet, in V CIↃ equitum et II CIↃ peditum incidens, poſt aliquod certamen eos poſtremo in fugam conjecerat: verum appetente jam nocte non magna caedes edita; tantum ex hoſtibus XXX interfecti, et Copani praefectus captus, ac III militaria ſigna; quae cum ſpoliis in caſtra a victoribus relata, omnem ſuppetiarum obſeſſis ſpem praeciderunt. Deditio facta IV Nonas Septembreis. Numerati ex defenſoribus, qui incolumes ſuperabant, CIↃ CC, et in iis CCC praetoriani; LV ſauciati; ex omni turba bellis inhabili putatis foeminis II CIↃ IↃ: qui omnes XXXV navigiis impoſiti Budam ſecundo Danubio devecti ſunt. Antonius Olivanus ante diſceſſum deditorum miſſus, qui abdita ſcrutaretur, ne qua fraus ſubeſſet. Reperta in arce XXXIV tormenta, haud magna praeterea

INTERPR. [a] *Baglioni.* [b] *Pucci.* [c] *Maleguzzi, Cannano, & Agnelucci.* [d] *Orſi.* [e] *Saſſatello.* [f] *Vitelli.* [g] *della Cornia.* [h] *del Monte.* [i] *dell'Oglio.*

praeterea praeda. Pulvis in cuniculis ad extremum conatum repoſitus erat. Burgovii legio pro praeſidio arci impoſita eſt. CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

XIX. QUINTO ante deditionem die feliciter a noſtris in Croatia pugnatum fuerat, ductu Sigiſmundi Eberſtenii comitis, cum ſummo imperio Ferdinandi archiducis nomine provinciae praefecti. Is cum X CIↃ bellatorum totidem Turcos, quos Boſniae purpuratus ducebat, forte obvios, poſt duarum horarum certamen poſtremo in fugam vertit, III CIↃ ex iis occiſis. Mox ſucceſſum urgens, conjunctis cum Ruperto [a] Eggenbergio, qui Croatiae, et Georgio [b] Lincovitio regulo Caroloſtadii praefecto, qui Sclavoniae praeerat, copiis, ad Petrinam caſtra metatur, quam [c] Cruſtanus, qui tot damnis circumpoſitam provinciam deſolaverat, cum praeſidio tenebat. Cujus repentina morte territi Turci non exſpectandum noſtrorum impetum cenſuerunt, ſed urbe incenſa protinus aufugerunt, libera late regione noſtris ad excurſiones relicta, praeter [d] Caſtanovizium ad [e] Unam fluvium ſitum ſupra [f] Witiziam, quae ante triennium a Boſnenſi purpurato deditione capta eſt. Capta Petrinae VIII tormenta majora, et aliquot minora; cetera praeda flammis conſumpta. Julio praecedenti Turci in Walachia ubique ſe caeſos indignati, ad Nicopolim injurias acceptas ulturi ſe collegerunt, Bulgariae metropolim, quam alii Sophiam faciant, magnis proeliis famoſam urbem, unde fortaſſe fatale illi nomen. Ejus incolae nunc magna ex parte paſtores ſunt, lacte, caſeo, et carne pecorum ſuorum vitam tolerantes, homines feri et dejerationibus infames. Cognito ab Heiducis Turcorum conſilio, in eos, antequam in aciem inſtructi eſſent, impetum faciunt, et in urbem compulſos ad II CIↃ trucidant, ipſamque urbem direptam poſtremo incenderunt. Quo eodem menſe V Kal. Sextil. Turci [g] Baboſcam in Pannonia inferiore, haud longe a Zigetho, inter Danubium et Dravum ſitam, anno CIↃ IↃ LI captam, adventante Naſdaſtio deſeruerunt; qui in ea XXX majora tormenta reperit. Mox et [h] Martini-fanum venienti patuit. Pridie Eidus Sextileis cum Sigiſmundus [i] Daciae princeps caſtra ad [k] Fogaram, haud longe a [l] Stephanopoli et pari inter eam et [m] Cibinium itinere, poſuiſſet, dum praeſidiarii oppugnationi ſuſtinendae impares de deditionis conditionibus altercantur, ſupervenit Temeſvarae purpuratus cum [n] Lippenſi et Genenſi praefectis, et aliis, qui X CIↃ bellatorum ducebant: quo cognito, qui in oppido erant, conditionibus jam conventis ſtare noluerunt; noſtrorumque impetum magno ſuo cum damno ſenſerunt, vi expugnati, et ad unum cuncti trucidati. Neque heic victoria ſtetit: nam poſtridie victores ſucceſſu attonitum Temeſvarenſem aggrediuntur, et confuſis adhuc ordinibus pugnantem ceciderunt, ac in fugam verterunt, magna ſtrage edita. Capto [o] Strigonio Matthias Palfio negotium dederat, nec non et Marco Pio, ut [p] Vicegradum infra Strigonium in dextra Danubii ripa loco amoeniſſimo poſitum oppidum, a Leonardo [q] Welſio ante aliquot annos vix cum ſuorum jactura expugnatum, diligenter inſpicerent. Cum ad concilium retuliſſent, nec expugnatu difficilem locum eſſe oſtendiſſent, ne Itali nihil illa expeditione egiſſe viderentur, eo ire placuit. Erant omnia admodum confuſa in Chriſtianorum caſtris poſt Mansfeldii mortem, controverſantibus ſemper inter ſe belli ducibus, et majore ſummi imperatoris majeſtate, quam rei militaris peritia, ad ſedandas eorum aemulationes parum proficiente. Accedebat ad haec et ſtipendii defectus, et arcta illo tempore ubique annona penuriaque commeatus, foedi paſſim inter milites morbi exorti, qui multos miſerabiliter abſumpſerunt; parumque res a ſeditione abfuit, Belgis et Germanis poſt arcem Strigonienſem captam multorum menſium ſtipendium ſibi debitum importune flagitantibus;

qui

INTERPR. [a] *d'Eggenberg.* [b] *Leukowitz gouverneur de Carlſtadt.* [c] *Cruſtan Beg.* [d] *Craſtowitz.* [e] *Una.* [f] *Wibitz.* [g] *Babotzka.* [h] *St Martin.* [i] *Tranſylvanie.* [k] *Fogaras.* [l] *Cronſtadt.* Hung. *Braſſovia.* [m] *Hermanſtadt.* [n] *de Lippe, & Genen.* [o] *Gran.* [p] *Vizzegrad.* Germ. *Plindeburg.* [q] *Welz.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

qui vix tandem, Jo. Medicis et Aldobrandini fidem ſuam interponentium interventu, placati ſunt. Ne otio malum creſceret, ad Vicegradum obſidione cingendum miſſus [a] Sangeorgius cum IV CIↃ Italorum peditum, et equitatu Italico, Pannonico, et quem ſecum archidux adduxerat, ac praeterea VI majoribus tormentis. Eum mox ſecutus eſt Aldobrandinus ipſe cum reliquo peditatu, qui VIII CIↃ, et equitatu, qui II CIↃ, conſtabat. Vicegrado arx imminet, qua parte Danubium reſpicit, praerupto acceſſu muro cum oppido conjungitur, qui turre immani craſſitie defenditur, ita ut navigia per Danubium commeantia eo appellere neceſſe habeant: ab altera parte declivior eſt, foſſa de cetero optime vallata. Huic Maruſius vicus in adverſa ripa munitus opponitur, qui primo impetu a noſtris captus eſt. Cum propinquarent noſtri, Vicegradum eminus ardere viſum; ſubitoque accurrentes incendium ab oppidanis, partim in arcem, partim alio migrantibus, immiſſum cognoverunt: neque tamen a direptione inter medias flammas temperatum. Jam Mantuae dux et Virginius Urſinus Bracciani dux, et Antonius Medices, in caſtra venerant. Machinis VIII vix tandem hominum opera in altum ſubvectis ac diſpoſitis, coepta pulſatio XV Kalendas Octobreis. Semel atque iterum tentata oppugnatio non ſine noſtrorum ſtrage, Sangeorgio ipſo ictu ſcloppeti occiſo. Tandem triduo poſt acri impetu porta a noſtris occupata; qua capta, quamvis intus obſeſſi vallum duxiſſent, de deditione tranſegerunt vitam pacti. Erant CCLXIV omnino in arce bellatores, Boſnenſes fere; nam pueri foeminaeque jam Budam amandati fuerant. Capto Vicegrado, in quo olim regia Hungariae corona aſſervabatur, omine inde de regni recuperatione capto, expeditior ad Budae obſidionem via quaſi ſtrata videbatur. Sed tantae molis expeditionem tentare, inclinata jam tempeſtate, tot difficultatibus conflictante exercitu, belli ducibus minime placuit. Palfius [b] Vacciam cum VII CIↃ miſſus, oppidum ex adverſo [c] Vitziae inſulae inter Vicegradum et Peſtum in laeva Danubii ripa ſitum: reliquae copiae per vicina loca [d] Tatae, Pappae, ad Martini-fanum diſtributae. Quae omnia in id tempus inciderunt, quo, Mahometo nuper in paterno ſolio collocato, res adhuc in illa aula fluctuabant, primis initiis incerta eorum qui ſummae praeeſſent fortuna.

XX. NAM Ferhates, quo conſultore Sinan ex Pannonia initio anni revocatus ad Portam fuerat, in provinciam profectus, cum ſtipendii et commeatus penuria potius quam ſua culpa fortunam adverſam expertus eſſet, ab eodem Sinane et [e] Cicada purpurato, qui conſilia ſemper cum Sinane conjuncta habuerat, apud Sultanum accuſatus fuerat, quod, pertinacia ſua, ambitione et avaritia, deſraudato militi ſtipendio, imperium Othomanicum in periculum vocaret, et porro, ſi in exercitu cum ſummo imperio relinqueretur, majoribus cladibus cauſam daturus eſſet. Nec ille monita aemulorum neglexit, ad famam et ſecuritatem publicam pertinere exiſtimans, ne primis principatus ſui auſpiciis minus ſecundam fortunam experiretur. Itaque ab exercitu eum protinus removere ſtatuit: nec eo contentus, cum ſuſpectum hominis ingenium haberet, inſtigantibus aemulis, praetorianorum praefecto, cui publice Ferhatis revocandi negotium dederat, in arcano mandaverat, ut ipſum in poteſtatem, ſi poſſet, redactum capite detruncaret. Quo per amicos cognito, Ferhates, qui, meritorum ſuorum et belli magno ſucceſſu in Perſia geſti fiducia plenus, locum gratiae apud Sultanum, ſi eo incolumis pervenire poſſet, ſperaret, III Boſnenſium conterraneorum ſuorum CIↃ, quos propria pecunia alebat, ad ſtipatum corporis delegit; iiſque fretus, intrepido animo miſſum a Sultano miniſtrum exſpectare ſtatuit: cui mox, ut venit, ſignificandum curavit, ſcire ſe in caput ſuum veniſſe; ceterum illud non heic ipſi

tradere,

INTERPR. [a] *il commendatore San Giorgio.* [b] *Vacia.* [c] *Vizze.* [d] *Totte, Pappa, & S. Martin.* [e] *Cigala Baſſa.*

tradere, ſed ſecum Conſtantinopolim referre decreviſſe, ut de eo Mahometus arbitrio ſuo ſtatuat. Erat jam in itinere Sinan, ſucceſſor Ferhati deſignatus; qui, ſuſpicatus quod erat, Ferhatem aliquid de conſilio in ſuam perniciem capto cognoviſſe, ex itinere Mechmetem Alcairi in Aegypto purpuratum, qui eadem mandata habebat, praemittit cum Sultani literis: cui ille obviam quaſi honoris cauſa cum ſuis Boſnenſibus profectus, ut fugae conſilium celaret, ubi ipſum ex equo deſcendere paratum vidit, ſigno ſociis dato, equum impellit, tantum pauca verba prolocutus; Vos venitis, ego vado: moxque citato curſu in viam ſe dat. Ad quem perſequendum Sinan, qui haud hinc longe aberat, IↃ praetorianos ex Damaſci praeſidio delectos immittit. Sed nec illum tunc aſtus deſeruit; qui, ut hominum pecuniae avidorum diligentiam remoraretur, cum jam ipſum adſecuti eſſent, aliquot aureorum CIↃ per viam ſparſit; quibus colligendis intenti praetoriani aliquot horis celeritatem intermiſerunt: ac mox cum ad pontem ventum eſſet, quo ſuperato et rupto in tutum evadebat, altera remora veſtigiis inhaerenteis eluſit; nam ſervas eximia forma cum impedimentis poſt ſe reliquit: quas dum quiſque habere vult, et de Ferhate interrogat, ille interim pontem ſuperat, ruptoque, cum quatuor tantum fidis ope perniciſſimorum equorum ſe manibus inſequentium eripuit, ac diu poſtea circa Conſtantinopolim latuit, ita ut mortuus eſſe crederetur, donec per [a] Mamucum illius medicum Marcus [b] Venierus, qui tunc Veneti oratoris munere ad Portam fungebatur, vivum reſcivit, et, quod ipſum reipublicae Venetae in occulto favere intelligeret, per Sultanas cum Mahometo reconciliando fidam operam navavit. Et ille quidem in gratiam receptus eſt, magna auri vi, quo ſupra omneis purpuratos abundare credebatur, redempto periculo: ſed quod miſerum hominem ad tempus ſervavit, tandem perdidit; qui ob divitiarum famam juſſu Sultani aliquanto poſt ſtrangulatus eſt. Reperta in ejus loculis IↃ aureorum CIↃ ſtatim in aerarium principis relata.

XXI. TOTIES mutatis tam brevi tempore imperatoribus, res Turcorum in Pannonia non mediocriter labefactatae ſunt. Contra noſtrorum felices ſucceſſus fuere, diviſis hoſtium viribus, et incertis inter eos belli ducum ut imperiis, ſic et conſiliis. Interea Georgius [c] Barbelus magnae virtutis dux a Sigiſmundo cum aliquot copiis in inferiorem Hungariam [d] Caranſebeſum miſſus, [e] Bokciam et Warſocam, ditionis Turcicae praeſidia, in poteſtatem redigit. Ex ejus abſentia occaſionem viciſſim nacti Turci in Tranſylvaniam milite vacuam irrumpunt, et [f] Joſſium oppidum cum VII adjacentibus pagis diripiunt et incendunt. Qua re exaſperatus Sigiſmundus [g] Alba Julia delectos mittit, qui [h] Totuaradgiam caperent, et injuriam in Joſſii direptione acceptam ulciſcerentur. Oppugnatione mane coepta ſub veſperam loco noſtri vi potiuntur, ce Turcis, qui in praeſidio erant, trucidatis. Sex tantum de muro ſe praecipites dedere, ſpe [i] Maruſii fluminis, cui oppidum impoſitum erat, ſuperandi, et eo tranſmiſſo in tutum evadendi; qui tamen a noſtris intercepti et occiſi ſunt. Capta Totuaradgia victores ſe Barbelo conjungunt, qui [k] Fadſatum obſidione cinxerat; quod et deditione receptum. Sed dum dedititii in tutum deducuntur, fama ſparſa, quaſi Temeſvarae purpuratus, cum Lippae, [l] Conadii, Giulae, ac Genae praefectis, inſidias noſtris in itinere ſtruxiſſet, Heiduci ſupervenientes eos prius ſpoliatos interemerunt. Poſtea Barbelus in Temeſvarenſem invectus acri certamine conflixit, ita ut ipſe vix veſtibus et armis abjectis ſe periculo ſubduxerit. Capti Giulae et Conadil praefecti, ac ſervati; ceteri in militum conſpectu trucidati ſunt. Inde Lippam ducit, attonitis adeo paſſim Turcorum praeſidiariis, ut qui [m] Epericſſi erant, exemplo

Fadſatenſium

INTERPR. [a] *Mamuc.* [b] *Veniero Bailo di Venetia.* [c] *Barbely.* [d] *Caranſebez.* [e] *Bokcia, & Warſocz.* [f] *Joſſi.* [g] *Weiſſenburg* Germ. [h] *Totwaradge.* [i] *Marons* ou *Meriſch.* [k] *Fadſat.* [l] *Chonad, Gyula, & Jenen.* [m] *Eſperies.*

Fadſatenſium territi, locum, igne prius injecto, deſeruerint. Idem fecere qui [a] Solimoſium tenebant. Lippa vaſto circuitu urbs, ante XLIII annos a Turcis capta, ad [b] Maruſium ſita eſt, qui fluvius paulo infra in [c] Tibiſcum influit juxta [d] Segedinum: Tibiſcus porro rurſus paulo inferius juxta [e] Carlovitium Danubio abſorbetur. Ab ſeptentrione mons Lippae imminet, ex quo pulſatis muris et ruina edita urbs oppugnatione capta eſt, ac crudeliter direpta V Kalendas Septembreis. Victoris cruentas manus evaſere tantum qui ad arcem perfugium habuerunt, in angulo urbis ad ripam fluminis poſitam, forma qoadrata, pomoerio et foſſis aqua plenis egregie munitam. Sed tantus praeſidiariis terror poſt tot ſucceſſus et amiſſum praefectum injectus, ut intra triduum cum Tranſylvano tranſegerint, vitam ſalvam tantummodo pacti: armis potiti noſtri et omni ſupellectile. Sinan, rei ignarus, LX, ut jactabatur, CIƆ exercitum poſt ſe trahens, pontem in Danubio interim ſternebat, obſeſſis praeſto futurus, ad [f] Georginianam munitionem et oppidum [g] Zorſam infra.[h] Nicopolim, quem magno artificum numero ac ingentibus ſumptibus exſtruxit, impenſis in opus LXX amplius Joachimicorum CIƆ. Ibi Lippae caſu cognito, partem copiarum in Walachiae et Moldaviae loca munita diſtribuit. Diviſis hoſtium copiis, Tranſylvani ſucceſſibus recentibus inflati Sinanem aggredi ſtatuerunt. Haud longe a Danubio locus eſt, ubi denſiſſima virgulta in juſtam excreverunt proceritatem, eminus ſylvae ſpeciem praebentia, propter coenoſos aquarum rivos crebris locis interfluenteis permeatu difficilis; nec niſi ponte tranſiri poteſt: tantum iter anguſtum vix carris ſingulis ducendis patet. Has anguſtias praetervecti noſtri modico hinc ſpatio caſtra muniverant, qua Turcis venientibus neceſſario tranſeundum erat. Turci, tranſmiſſo per pontem Danubio, ex altera ſylvae parte in tumulo caſtra metati fuerant, ita ut noſtros in edito loco itidem poſitos cernerent, media ſylva, quippe quae in convalle inter paludes deſideret, minime proſpectum utriſque adimente. Cum Sinan initio de inſidiis vereretur, quod numero inferiores noſtros minime pugnam detrectare videret, ad extremum XII CIƆ delectos ad anguſtias miſit. Noſtri fortiter ſe invicem cohortati occurrerunt, ambigua diu ac nutante victoria; quae, poſt obſtinatum a ſolis ortu ad veſperam uſque continuatum certamen, tandem ad Chriſtianos inclinavit; ita ut, confuſis ordinibus, et multis ad pontem redeuntibus et in flumen praecipitantibus, ipſe Sinan diu pro mortuo habitus, vixque per paluſtria loca oberrans poſtremo incolumis evaſerit. Plus X CIƆ Turcorum, ut putatur, deſiderata, nec exiguus Chriſtianorum numerus. Id incidit in VIII Eidus Septembreis. Victoribus tam cruenta victoria debilitatis, ſummiſſus mox a Sigiſmundo recens equitatus.

XXII. SUB id Aaron Moldaviae Palatinus, a Stephano et Andrea cardinali Bathoriis, aliiſque Tranſylvaniae proceribus, qui a bello temere contra Turcos ſuſcepto ſemper alieni fuerant, ob idque vitae periculum adierant, ut creditur, perſuaſus, ſive ob aliam cauſam ſuſpectus, quaſi cum Turcis itidem, a perduellibus, ſic Sigiſmundus gentileis ſuos vocabat, incitatus, [α] perniciosa conſilia agitaret, inſtigante Stephano [i] Roſvano, homine ſtrenuo ſed perfidiae inſignis, captus et in vinculis ad Rodolfum miſſus fuerat, in ejus locum ſuffecto prodirore Stephano; qui non diu principatu illo potitus eſt. Nam Joannes Sarius Samoſcius, regni Polonici cancellarius et generalis exercituum imperator, cum Moldaviam Polonici juris eſſe, et, ſolio vacante, non a Pannoniae ſed Poloniae rege dynaſtam in ea provincia conſtitui debere contenderet, Aaronem dignitate motum et alium ei ſuccenturiatum Auſtriacorum Polonis ſuſpectorum arbitrio indignatus, ad Podoliae fineis cum delectis copiis venit, ut Moldaviae

VAR. LECT. [α] pernicioſa conſilia agitaret *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed in* Ed. Gen. 1626 *leguntur e MSS. Put. & Rig. deſumpta.*

INTERPR. [a] *Solmoz.* [b] *Marons r.* [c] *la Theiſſe.* [d] *Seged.* [e] *Carlowitz.* [f] *Fort de Giorgiu.* [g] *Zorſa.* [h] *Nicopoli.* [i] *Roſwan.*

Moldaviae regni Polonici, ut aiebat, beneficiariae conſuleret, et eadem opera Tatarorum incurſiones ab ea parte impediret. Ibi cum eſſet, Stephanum, ſe pro Moldaviae Vaivoda a Sigiſmundo et Auſtriacis conſtituto gerentem, Hungaricis copiis fretum, aliquot proeliis cecidit; et ad extremum equo ſuffoſſo captum, ſicuti ab Auſtriacis perſcriptum eſt, exeunte anno indigna morte affecit. Amoto Stephano Hieremiam Mogilam perpetuum Polonicae coronae fiduciarium ei ſubſtituit, commendatitiis ad Sinanem literis datis, ut Hieremiae inaugurationem ratam haberet, eamque commendatione ſua apud Sultanum juvaret; nam illum ſolito majus tributum ad Portam depenſurum. Verum ille ſuperbe admodum reſpondit, Moldaviam jam a Mahometo pro tot exantlatis laboribus et ſumptibus in bello factis exiguum praemium donatam ſibi Sinani; Sultanum autem nullius auxiliari opera egere, ut principem de ſe ac imperio Othomanico bene meritum in pacatam regni donati poſſeſſionem mittat. Quo reſponſo aliquantum perculſus Samoſcius, cum videret, hinc Auſtriacos, hinc Turcos, propter impoſitum provinciae Hieremiam ſibi infeſtos, et aemulos in regno non deeſſe ſciret, a fortuna oblatam ipſius calumniandi occaſionem minime praetermiſſuros, in tantis anguſtiis a virtute propria opem ſumpſit, et Tataro cum innumeris copiis adventanti fortiter ſe opponere conſtituit. Poſt aliquot velitationes tandem in certas conditiones inter partes conventum eſt; continuoque Camus [a] Caziehierius Praecopenſis Hordae princeps ad Sigiſmundum Poloniae et Sueciae regem ſcribit, et, poſt ſolitam frontis inclinatae ſalutationem, Aaronem Palatinum tanquam proditorem ab ipſis Hungaricis Coſaccis, quos penes ſe habebat, in vincula conjectum, et ad regem Viennenſem, ſic Caeſarem vocabat, perductum, dicit; huicque alium ſuffectum non minus Aarone perfidum, qui allecta praedonum manu coepit infeſtare vicinas magni Turcorum imperatoris ditiones: quod ubi ei nunciatum eſt, ad ſe tanquam fratrem ſuum ſcripſiſſe, ut quamprimum Walachiam peteret, et injurias illatas ulciſceretur, villis domibuſque incenſis, viris ferro deletis, et uxoribus puerisque in ſervitutem abductis: his mandatis acceptis cum fratre ſuo [b] Letikereio Galga, ceteriſque fratribus, ducibus, ac belli conſiliariis, ad [c] Pruthi flumen conſediſſe, ubi cum [d] Concora altero fluvio conjungitur: heic obvium ſe habuiſſe Poloniae regni cancellarium, eoque quod tranſitum impediturus ipſis veniſſet, poſt aliquot levia certamina in colloquium veniſſe, et ex eo intellexiſſe, ideo in Walachiam deſcendiſſe, ut juxta antiqua Poloniae jura Palatinum provinciae reſtituat, nullo foederis aut pactorum, quae cum magno Turcorum imperatore inita ſunt, praejudicio; tantum cupere, ut Hieremias, quem ſummum Palatinum conſtituerit, poſſeſſionem retineat, et amicitia priſtina, qualis cum Solimano imperatore fuit, inter ipſos ſervetur: id vero ſe religioſe executurum juraſſe, et idem ille ut faceret, jurejurando ab iis quos miſerat exacto, obtinuiſſe: nunc ſupereſſe, ut ipſe pacta rata habeat; donativum, quod dari ab illo imperatore ſolitum eſt, non amplius differatur, et conjunctis animis ac conſiliis Coſacci homines inſolentes ac injurioſi trans Tyram pellantur ac penitus deleantur; quod ſi faciat, Hieremiam in poſſeſſione manſurum; qua de re jam ad Sultanum Mahometum ſcripſerit: ſin Coſaccorum injuriae negligantur, ſe pactis non ſtaturum. Hae literae ad Pruthum flumen datae Octobri menſe, anno Hegirae Mahumedicae CIƆ CCCC. Hoc facto cum Tranſylvanus, contra quam ſumma imprudentia ſibi ab initio perſuaſerat, non amplius auxiliareis Polonos, ſed conſiliis ſuis adverſos, experiretur, per legatos ad Caeſarem et pontificem expoſtulavit. Et ille quidem III Eidus Octobreis Praga ad Sigiſmundum Poloniae regem, pontifex autem ſerius VI Eidus Novembreis, dat literas; quibus cum orabant et obteſtabantur, ut a novo foedere cum Tataris in Sigiſmundum Tranſylvaniae principem, qui proelia domi

magno

INTERPR. [a] *Cazichieri Chan des petits Tatars.* [b] *Letikerti Galga.* [c] *Pruth r.* [d] *Cacrzo.*

CIƆ IƆ XCV. HENRICUS IV. magno animo procliabatur, diſcederet, et Stephanum ab eo in Moldavia conſtitutum libere uti frui ea provincia pateretur. Verum cum regni Polonici jura, rationes, ac dignitas, non ferrent, ut a foedere diſcederetur, expoſtulationes fruſtra fuere.

XXIII. INTEREA Tranſylvanus, qui Albae Juliae erat, quanquam poſt victoriam recentem in ſuorum animis ſummam alacritatem ſciret, tamen, quod ea non fuiſſet incruenta, valde debilitatus, novum equitatum a Caeſarianis accerſendum duxit; et cum [a]Ciculis ditionis ſuae populis, quos Zackelios alii vocant, haud ſine nobilium, qui in ejus comitatu erant, fremitu, tranſegit. Ciculi res ſuas a vicinis ſeparatas habent, et VIII ſedibus habitant, numeroſoque cum equitatu ad bellum proficiſcuntur, excurſionibus, non pugna ſtataria, terribiles. Iis, ut magis ad bellum promptos haberet, Sigiſmundus priſtinas libertates, immunitates, jura ac privilegia, ac bona hereditaria, confirmavit: viciſſim illi promiſerunt XL CIƆ equitum ſuis ſumptibus alituros, pro qualibet domo Joachimicum quotannis penſitaturos, ac praeterea tritici modium unum, quem [b]Strichum vulgo vocant, ac tantundem avenae admenſuros, et, ſi maſcula prole auctior fiat, bovem ſaginatum in aulae alimoniam ſuppeditaturos. His conditionibus publicatis, Ciculi, qui non ultra XX CIƆ in caſtris erant, Balthazare [c]Bogathio, Benedicto [d]Mincenthio, et Wolfaugo [e]Corniſio tribunis, domum ad ſuos mittunt, et numerum pactis promiſſum expleri petunt, dicta die, qua in campis Barcenſibus convenirent: quo et ipſe venit magno comitatu, ita ut circiter LXX hominum CIƆ Sigiſmundi ſigna in ea expeditione ſequerentur. His copiis fretus ille [f]Tergoviſtiam Walachi principis ſedem tendit. In urbe erat Sinan cum Ali purpurato. Heic cum eſſet, muniendam arcem in coenobio a ſe exſtructam feſtinatis operibus curat, eique CIƆ IƆ praeſidiarios imponit: tum, cognito noſtrorum adventu, oppidum Ali tuendum committit, attributis IV CIƆ delectorum. Ipſe trepida fuga relictis caſtris, neque dirutis, diſcedit, et [g]Bucareſtam arcem, quae unius diei et amplius itinere Tergoviſtia abeſt, concedit. In caſtris noſtrorum deliberatum fuit, hoſtem inſequi, antequam ſe ex pavore colligeret, alacritatem ſummam prae ſe milite ferente, an oppidum et munitionem prius expugnari, expediret: et ex Silvii Picolominei, qui a magno Etruriae duce in Walachiam miſſus fuerat, ſententia decretum fuit, ut ante omnia Tergoviſtiam in poteſtatem redigerent, ne, ea a tergo relicta, medii inter praeſidiarios et Sinanem ipſum temere ſe periculoſae expeditioni involverent. Itaque Sigiſmundus, vacua caſtra nactus, protinus ad oppidum et arcem caſtra ponit: cumque deditionem facere juſſus Haſſan recuſaſſet, acri oppugnatione tandem arx capta eſt, deletis ad internecionem Turcis. Captus Alis, Ciliciae praetor, ac Bucareſtae aliique praefecti. Magna parta praeda; capta XLII campeſtria tormenta; copioſuſque admodum in oppido commeatus repertus, quem tanquam in horreum Sinan exercitui alendo conjecerat. Id actum XV Kalendas Novembreis. Biduo ante cum noſtri bis CIƆ animas cum numeroſis gregibus et armentis a Turcis captas in ſervitutem abduci intellexiſſent, ac pontem verſus a Sinane in Danubio ſtratum tendere, miſſi ex exercitu delecti, qui ducibus viarum gnaris properantes ad anguſtias anteverterunt ac ceciderunt, et, in libertatem aſſertis Chriſtianis, reliquam praedam receperunt. Addunt ad rei geſtae miraculum, qui haec ſcripſerunt, Tergoviſtiam venienti Sigiſmundo ſtellam lucidam cometae ſpecie praefulſiſſe, quae orto jam ſole horam integram coelo maxime ſereno conſpecta eſt; praeterea ex rupe proxima, cui [h]Lapidi regio nomen eſt, aquilam obviis noſtris quaſi in certae victoriae ſignum ſe volatu demiſiſſe, et a militibus captam et principi oblatam ſe veluti cicurem tractandam praebuiſſe: quanquam alii ſequius interpretabantur, Aquilam imperii Romani ſignum, quod in captivitatem deveniſſet, Chriſtiani exercitus, qui ejuſmodi uteretur ſigno, perniciem praeſignificare. Productus in belli ducum conſeſſu Alis,

INTERPR. [a] *Zekel.* [b] *Strick.* [c] *Bogathi.* [d] *Mincenthi.* [e] *Corniſi.* [f] *Tergowiſcb.* [g] *Bucbereſte.* [h] *Konigſtein.* Germ.

Alis, ut de Sinanis rebus cognoſceretur. Rogante Sigiſmundo reſpondebat, Sinanem ultra XXX CIↃ armatorum penes ſe habere, reliquis copiis huc illuc in Moldaviam ablegatis; ſed exſpectari propediem Tatarum cum numeroſo equitatu: ipſum vero Bucareſtam conceſſiſſe, ad [a] Argium ſitam munitionem, ſucceſſum opperiturum; nunc vero, cognito caſu, procul dubio ſine mora ad [b] Georgianum pontem perrecturum: quod vero cum tam exiguo numero noſtrorum impetum ſuſtineret, ſibi ſumma fraude a Sinane impoſitum fuiſſe, qui Hieremiam nuper a [c] Samoſcio Moldaviae impoſitum cum V CIↃ auxiliarium praeſto futurum, et ipſum ex improviſo adventurum, receperit: praeterea Sinanem affirmaſſe, longe minores vireis, quam ferebatur, ſecum trahere Tranſylvanum: ſed ſuo periculo dolum ſenſiſſe; nempe id a Sinane factum, ut veteres cum Mechemete parente ſuo, qui ſub tribus Sultanis imperium Othomanicum ſumma virtute moderatus eſt, inimicitias, adverſus illum dum vixit impar, nunc eo mortuo contra ſe illius filium ulciſceretur. Quod, ſive ſimulate additum ut victori miſericordiam moveret, ſive quod res ita haberet, cum parum apud Sigiſmundum valere Alis animadverteret, ultro C aureorum CIↃ pro libertate obtulit. Sed neque quidquam propterea obtinuit, Piccolomineo, qui Sigiſmundi ingenium arbitrio ſuo circumagebat, maxime adverſante; qui ad ſecuritatem propriam pertinere exiſtimabat, ſi in Turcorum manus deveniret, tantae dignitatis virum in poteſtate habere, cum quo permutari poſſet. Itaque Alis, cum [d] Ciliciae praetore aliiſque praefectis, [e] Stephanopolim ſub cuſtodia amandatus eſt. Sigiſmundus de rebus hoſtium certior, et captivis conſentientia afferentibus exploratoribus, propere ad Sinanem inſequendum caſtra movet, et ex Piccolominei conſilio Bucareſtam tendit; quam jam a Turcis incenſam et deſertam reperit, impedimentis aliquot, camelis et tormentis, quae illi propter feſtinationem abducere non potuerant, relictis. Inde iter inceptum perſequitur ad pontem, quo Sinan tertiis a Bucareſta caſtris Argium tranſmiſerat, minime ruptum, quod noſtri facturum eum ſibi perſuaſerant. Cum noſtri in Turcorum conſpectum venere, jam per pontem Georgianum Sinan totas copias fere tranſmiſerat, relictis citra pontem tantum VI CIↃ, qui totidem captivos ſervabant: in quos noſtri impetum fecere, receptiſque captivis Turcos, per pontem partim in munitionem Georgianam ſe recipienteis, partim in ulteriorem ripam tranſeunteis, male mulctarunt, pleriſque, dum feſtinantes confuſis ordinibus confugiunt, flumine rapido hauſtis. Id incidit in V Kalendas Novembreis. Poſtridie ad arcem, quam recenti milite Sinan firmaverat, admota caſtra; et primo tentata infeliciter oppugnatio, multis ex noſtris deſideratis; quod Hungarorum alacritatem non parum imminuit. Tandem, ex Piccolominei, qui rei tormentariae praeerat, conſilio, pons, qui arcem et inſulam in medio fluvio poſitam, ex qua continuis ſubſidiis obſeſſi juvabantur, interjacet, incenſus, non ſine noſtrorum jactura; quippe quibus ad ictus ex arce diſploſos expoſitis tranſeundum erat. Quod hominum vi fieri non potuit, per lanceas nitratas et igneis artificioſos confectum, et pulſati arcis muri; editaque tandem ruina, cum Hungari eam minime idoneam cauſarentur, Itali in eam inſilierunt, gnaviter ſe defendentibus praeſidiariis. Cumque ſoli impares in eo eſſent ut pedem referrent, Piccolomineo Hungaros incendente, ut ſuos non deſererent, nec feſſis obſeſſis ſpatium vireis et animos colligendi, recuſato certamine, concederent, illi pudore victi pugnam capeſſunt, ac victores tandem in arcem perrumpunt, trucidatis defenſoribus. Qui ſuperfuerunt ad interius propugnaculum, quod ad fortuita ſepoſitum erat, receptum habuerunt: ſed et ipſi vi expugnati, paucis exceptis, interfecti ſunt. Qui ſe ex arce ad occurſum noſtrorum praecipites in inſulam demiſerunt, partim caeſi, partim

fluvio

INTERPR. [a] *Argis.* [b] *Giorgiu.* [c] *Zamoyzki.* [d] *Beglerbey de Caramanie.* [e] *Cronſtadt* Germ. Hung. *Braſſo.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

fluvio hauſti ſunt: nam parata ad fugam biremis a noſtris intercepta eſt; et altera, in quam ſe ex ſtrage ſuperſtites collegerant, ictibus tormentorum quaſſata, cum aquam ſub pondere hauriret, immerſa eſt, vectoribus vix ad ripam appulſis. Capta in ea expeditione omnis generis tormenta omnino LXX memorant, qui res illas ſcripſere. Munitionem cum ſervandam cenſeret Piccolomineus et valido praeſidio firmandam, ad Turcorum tranſitum impediendum, Tranſylvani contra locum longe a finibus ſuis poſitum difficile, nec niſi magnis ſumptibus, defendi poſſe dicerent, poſtremo dirutam cum ponte a Sinane fabricato incendit Sigiſmundus, et inde victor cum ſuis [a] Stephanopolim contendit, relicto in caſtris Stephano [b] Boſtkaio vicario generali cum idoneis copiis, viro clientelis praepotenti, et qui proxima cognatione principem contingebat; de cetero occupata circa Temeſvaram parte copiarum, quae, ſi coepto inſtitiſſent, territis ubique Turcis et loco potiti eſſent. Captum tantum [c] Villageſvarum et mox Genae oppidum cum arce, in itinere quod Temeſvaram et [d] Giulam ducit. In praeſidio loci IↃ CC erant Turci, praeter uxores et liberos, qui vitam et res ſalvas pacti deditionem fecerunt IX Kalendas Novembreis. Dum ii juxta pacta Pacotam reducuntur, ab Heiducis partim ſpoliati, partim trucidati ſunt; occaſione ab illis captata, quod Giulae et Temeſvarae praeſidiarii in via inſidias noſtris ſtruxiſſent, quos ſumma virtute repulerant. Diverſa parte noſtri Mathiae archiducis auſpiciis [e] Fanum-Nicolai in Tibiſci inſula ſupra Zolnocum bidui oppugnatione per deditionem receperunt: copioſus commeatus in inſula repertus. Tum, ſucceſſu territis qui circumpoſita caſtella tenebant, et loca deſerentibus, tentatum Zolnocum, ſed irrito conatu. [f] Zarcada ad lacum qui Giulam alluit, et [g] Becca et Edela, quae ad [h] Kerem in eundem lacum ſe demittentem poſitae ſunt, in noſtrorum poteſtatem venere; nec non et [i] Kzongradum in confluente Keris et Tibiſci ſitum caſtellum. Sub id in [k] Illyrico ſive in [l] Vindia, quae Illyrici pars eſt, et ab Uſcocis praedae aſſuetis hominibus habitatur, [m] Caroloſtadii praefectus cum rapta manu excurrens [n] Witziam ad Unam fluvium ſitam, quae huic bello principium dedit, nec opinato adortus capit, ac direptam cremavit, cum arcem abſque tormentis expugnari non poſſe judicaret.

XXIV. PAULO ante longe hinc a Chriſtianis grave damnum in [o] Peloponneſo illatum a claſſe Chriſtiana, quam Petrus [p] Toletanus Neapolitanarum triremium praefectus ducebat. Nam paulo ante Amurathes Raiſius pirata multa damna Italiae tam in [q] ſupero quam inſero mari dederat, captis II S. Stephani equitum triremibus; et, quanquam in [r] Japygia exſcenſione facta ad [ſ] Hydruntem promontorium inſigni clade affectus eſſet, etiam liburnica una amiſſa, tota tamen ora trepidabat. Igitur Toletanus, XIV triremibus inſtructis, et VIII ex Sicilia aſſumptis, in ſpeciem ut [s] Salerni nundinas illo tractu maxime frequenteis ab incurſionibus Turcorum tutas praeſtaret, navigatione noctu diuque continuata ad [t] Achaiae litus inopinato appulit, et [u] Patras maritimam urbem, in qua tunc nundinae, hoc eſt Septembri menſe, celebrabantur, magno Judaeorum, Turcorum et Graecorum concurſu. Noſtri, loco impetu capto, tabernas mercatorum ubique diripiunt, multos in ſervitutem redigunt, ad IV CIↃ interficiunt; denique poſt caedem et direptionem urbem incendunt. Haud longe [v] Cicada purpuratus aberat cum claſſe Turcica, ſed male inſtructa, ad [w] Taenari promontorium haerens; qui vero majorem Chriſtianorum, de qua illi artificioſe famam ſparſerant, ratus, minime ſe loco movit, ne ad Patrarum excidium totius claſſis jacturam adderet. Poſtea tamen, ut caſum elevaret, et cladeis in [x] Pannonia eodem tempore

INTERPR. [a] *Cronſtadt* Germ. Hung. *Braſſo.* [b] *Boſtkay.* [c] *Villageſwar,* & *Jenen.* [d] *Gyula.* [e] *S. Nicolas.* [f] *Zarcad.* [g] *Becka,* & *Edelez.* [h] *Kerez r.* [i] *Kzongrad.* [k] *Sclavonie.* [l] *Croatie,* vulg. *Vindiſch-marck.* [m] *Carlſtadt.* [n] *Wihitz.* [o] *la Morée.* [p] *de Tolede.* [q] *Mar Ionio, e mar Toſco.* [r] *Terra d'Otranto.* [ſ] *Capo d'Otranto.* [s] *Salerno.* [t] nunc *Livadia.* [u] *Patraſſo.* [v] *Cigala Baſſa.* [w] *Capo Matapan.* [x] *Hongrie.*

tempore acceptas, Conſtantinopoli per emiſſarios Sinanis, cum quo conjunctiſſime vivebat, publice in Divanum afferri curavit ccc Chriſtianorum capita, et aliquot tormenta ac ſpolia de noſtris capta; et ab Aſſane Mechmetis filio miſſa fictae victoriae inania inſignia. Noſtri, ſpe de [a] Corona intercipienda concepta, aliquantam in [b] Ambracio ſinu moram fecerunt, nuſquam comparente Cicada. Deinde in Italiam ingenti praeda onuſti, quam ad cccc aureorum CIↃ aeſtimant qui haec ſcripſerunt, re ſalva reverſi ſunt.

XXV. INTER tot proſpera infeliciter Caeſari accidit, ut ruſtici paſſim per Auſtriam, procerum et nobilitatis, ut aiebant, avaritia ac injuriis oppreſſi, rebellarent, et manu armata primum juxta [c] Cluſas et Aniſum fluvium convenirent; communique habito concilio, viribus freti, [d] Eferdingam oppidum III a [e] Lintzio milliaribus obſiderent. Principium a neceſſitate fuit; dein, accedente libertatis dulcedine, in licentiam effuſi, non jam iis quorum injurias ultum ibant, ſed principibus ipſis vicinarum regionum, formidoloſi eſſe coeperunt. Itaque Salisburgenſis archiepiſcopus, exemplum veritus, mox ad refraenandam ſeditionem militem ſcripſit. Caeſar, cui majus ab hoc motu periculum imminebat, ſtatim ex Pannonia Belgicas copias et Hannibalem [f] Rotenavium cum ſua legione revocat, ut graſſanti ſeditioni ſe opponeret, miſſis interim qui eos ad pacis conſilia, poſitis armis, inflecterent. Ruſtici gravitatem tributorum a nobilibus impoſitorum cauſabantur; de cetero ſe Caeſari, aliiſque principibus quibus ſubſunt, dicto audienteis futuros, neque tolerabileis in bellum Turcicum collationes recuſare oſtendebant; ſummamque primis illis initiis diſciplinam inter ſe ſervabant. Tandem poſt aliquot velitationes, in quibus aliquot utrinque occiſi ac capti XIV Kal. Dec. Interventu legatorum conventum, ut, poſtquam nonnulli ſupplices flexis genibus veniam exoraſſent, captivi utrinque ſine pretio reſtituerentur; ruſtici poſitis armis ad opus ſuum redirent, et dominis aequa imperantibus ſe obedienteis in poſterum praeberent: Caeſar per praefectos ac magiſtratus curet, ut ruſtici ab omni injuria tuti praeſtentur, et de ipſorum querelis cognoſcat, et quod aequum juſtumque videbitur auctoritate ſua ſtatuat. Malo huic utcunque in praeſens ſedato aliud ſucceſſit, quod repentino motu Caeſarianos non mediocriter perculit: nam milites ad reprimendos ruſticos miſſi, cum ob ſtipendium non repraeſentatum tumultuarent, iram in ruſticos incitatam in urbeis vicinas verterunt, Rotenavio fruſtra ſe medium interponente: nam qui [g] Poſonii erant, IV municipia vicina crudeliter diripuerunt; et Itali, qui in agro Erdinburgenſi hybernabant, a nullo injuriae genere ſe abſtinebant. [h] Burgoviani item, qui ad [i] Leidam fluvium juxta pontem in hyberna miſſi erant, multa damna circumpoſitae regioni dederunt. Tandem Viennae propinquantes ſigniferis vexilla extorſerunt, et, concurſu ad [k] Carmenſem portam facto, iis erectis ad S. Ulrici ſe collegerunt, hoſpitium metati, et ſuburbio ferrum minaſque interminati, ſi qui ſe ipſis opponerent. Rotenavius, qui nihil preces valere cerneret, ad ſeveritatem verſus, quoſdam ſeditionis auctores vinciri juſſit, et ſeptem ex iis exeunte anno mane ex arbore ſtrangulatos ſuſpendit; unum capite truncavit. Poſtridie allata a Caeſare pecunia, et bimeſtri ſtipendio ſingulis exſoluto, aliquantum mitigatis animis tumultus reſedit. Inde milites deducti partim militia ignominioſe ſolvuntur, partim dimittuntur.

INTERPR. [a] *Corone.* [b] *Golfo di Larta.* [c] *Claus, & Ens r.* [d] *Efferding.* [e] *Lintz.* [f] *Rottenaw.* [g] *Presburg.* [h] *Soldats du marquis de Burgau.* [i] *Leythe r.* [k] *Porte Carmen.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS QUINTUS.

EPITOME.

IN Mauritania Mule-Nazarus Mule-Mahemetis filius in montana cum Nomadibus haud longe a Feſſa conſidet, et ſub portas uſque urbis excurrit. Hametes, qui rerum potiebatur, Xequem filium ad delectus agendos mittit. Conſerto proelio Nazarus vincitur. Parens nuncio laetus haſtiludium Feſſae celebrat. II. *Navigationes in mare Tataricum a Batavis ſuſceptae. Gul. Barentſonus primarius gubernator delectus. Texela naves ſolvunt* IV *Non. Jun. In patriam reverſi cum ad Ordines retuliſſent, tertia navigatio ſuſcipitur. Altera navigatio, via a Luſitanis trita, in Indias Orientaleis ſuſcepta.* III. *Fr. Draks infauſta hoc anno navigatio. Ad Virgines inſulas Jo. Hawkinſus, Draki comes, extinctus. In inſula S. Dominici geſta. Incenſo Nominis Dei oppido, ad Bellum Portum claſſis concedit; ubi Drakus ſtaus intrepido animo vivere deſiit. Th. Baskervillus in ſumma praefectura ſucceſſit: qui vix, ſummis difficultatibus conflictatus, quaſſatis navibus in Britanniam reverſus eſt.* IV. *Gualterus Raleighus ad Guianam explorandam proficiſcitur. Ad Cinquerobium promontorium Antonium Berreum praefectum aſtu intercipit, multaque de Guiana ſcitu digna ab eo cognoſcit. Ad regnum incolumis revertitur.* V. *Ruſticorum motus in Auſtria, vix anno ſuperiore compoſitus, recrudeſcit.* VI. *Belli Pannonici initium hoc anno a Palfio et Terkenſi comite factum. Tatarorum per agrum Wihitzenſem excurſiones. Temeſvarae praefectus ab Heiducis caeſus. In Tranſylvania Ciculi jam belli pertaeſi militiam detrectant. Sig. Bathorius ad maturanda ſubſidia ad Caeſarem proficiſcitur, et Pragam pridie Non. Febr. venit: publice laudatus et modicis auxiliis adjutus, facta majorum ſpe, dimittitur. Vacia ſupra Peſtum a Palfio capta et direpta, arce illaeſa. Ad Sambocam et Martini-fanum feliciter a noſtris pugnatum. Fama de adventu ipſius Sultani in Pannoniam cum tribus potentiſſimis exercitibus ſparſa. Lippae praeſidiarii male a Turcis mulctati.* VII. *Lippam contra hoſteis fortiter tuetur Georg. Barbelus. Eruptione demum Turci in fugam vertuntur. Sinanis mors, mores, ingenium, fortuna. Ad Temeſvaram, quam Bathorius obſidebat, Tataris et Turcis ſupervenientibus obſtinate diu pugnatum, et* cIↄ Iↄ *Chriſtiani deſiderati, et ſoluta obſidio. Samboca a Palfio, et Fallaca a Bathorio, captae.* VIII. *Cliſſae oppidum ab Uſcocis fruſtra tentatum, poſtea a Segnenſibus interceptum. Uſcoci caeſi. Ad Craſtovitzium admotae copiae. Literae jactationis plenae de Sultani adventu a Turcis ſparſae.* IX. *Apparatus bellicus, exeunte e Roma ſua Sultano, et comitatus aulicus. Wihitza inſula a Palfio direpta.* X. *Cajetanus cardinalis pontificius legatus Polonos in comitiis ad bellum Turcicum fruſtra hortatur.* XI. *Maximilianus ſummus imperator deſignatus Viennae* XV *Kal. Sextil. armiluſtrium celebrat. Sig. Eberſtenius a Craſtovitzis obſidione diſcedens Petrinam ſe recipit. Hatuana a noſtris obſidione cincta, et oppugnatione capta:*

rapta: omni crudelitatis genere in ea ſaevitum. Petrina a Turcis fruſtra obſeſſa. XII. *Sultanus Budam venit. Ejus adventu Hatuana a Maximiliano deſerta. Agria in ſuperiore Pannonia obſidetur, quam Wenceſlaus Terskius comes cum delectis copiis tuendam ſuſcipit. Sex dies urbs defenſa, ac poſtremo incenſa. Obſeſſi in arcem ſe recipiunt. Tandem, cunctis actis, et omni auxiliorum ſpe irrita, tumultuatur miles, et, nequicquam contra tendentibus Terskio et Niario, tranſigit. Boboſca per Serinii abſentiam irrito conatu tentata.* XIII. *Sero Caſſoviam venit Maximilianus et exercitum recenſet. Ad vadum juxta Agriam munita caſtra, et in veſtigio ſemel atque iterum feliciter primo pugnatum. Ex Sig. Bathorii juvenili ardore abrepti conſilio acies ad pugnam inſtruitur, infelici exitu.* XIV. *Sultanus Byzantium revertitur. Strigonium novo praeſidio a Palſio firmatur. Wibitza a Budenſi purpurato fruſtra oppugnata.* XV. *In Boruſſia ob religionem res turbant.* XVI. *Sigiſmundus Poloniae rex, dum majorum religionem in avito regno Suecico inſtaurare cupit, per legatos Polonos Carolo patruo proregi malae adminiſtratae provinciae quaſi dicam dicit. Haec belli mox ſecuti praeludia fuerunt.* XVII. *Anna Sigiſmundi matertera, ultima ex Jagellonum familia, Warſaviae decedit. Phil. Brunſvicus ſine liberis decedit: ob id inter agnatos altercatum fuit.* XVIII. *Apud nos in Veromanduis ad Faram ad Eſiam rex haerebat.* XIX. *Albertus cardinalis, poſt Erneſti fratris obitum, praefectus Belgii et gener a Philippo deſignatus, ex Hiſpania in Italiam venit, et inde per Allobroges et Sequanos deſcendit, et* III *Eid. Feb. Bruxellas ingreditur.* XX. *Cum Meduanio tandem tranſigitur. Difficultates in eo negotio ſubortae ob regis paricidium in aliis edictis exceptum. Poſt trinas juſſiones tandem promulgatio in ſenatu ſine conditione celebrata eſt. Cum Nemoroſio et transactum, Annae Ateſtinae parentis interventu.* XXI. *Tertium et edictum factum in gratiam Henrici Jouſae ducis. Toloſanus ſenatus reſtitutus.*

EX AUCTORIBUS,

Hiſpanorum relationibus, Batavorum et Anglorum navigationibus, C. Plinio, Turcicis et Hungaricis relationibus, Caeſare Campana, Jac. Typotio, D. Chytraeo, Edictis actis curiae Pariſienſis.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS QUINTUS.

IN Mauritania hoc anno res admodum turbavere. Mule- CIↃ IↃ XCV.
Nazarus, Mule-Mahemetis, qui in proelio ante XVII an- HENRICUS IV.
nos adeo memorabili, in quo Sebaſtianus Luſitaniae rex occubuit, et ipſe periit, filius, ſpes paternas reſumens, in montana haud longe a Feſſa clam irrepſerat, et [1] Meſſaliae latebat, occulta cum Philippo conſilia per fidos agitans; qui, ſi primis ſucceſſibus fortuna arrideret, auxilia e propinquo oſtentabat. Nazarus ope montana incolentium, qui fere ex rapto viventes rebellionum ad quoſvis rumuſculos occaſionem quaerunt, et ſtipendiariorum ipſius Hametis, qui tunc rerum in utraque Mauritania potiebatur, ex defectione opimiorem conditionem captantium, ſibi blandiens, rem confectu facilem fore perſuaſerat: nam, ut ſunt mobilia Afrorum ingenia,

NOT. [1] Meſſaliae. Ce nom ne ſe trouve nulle part. Il y a ſur la carte *Magbilla*. Herrera met, *paſſo a Melilla*. *Put.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV.

ingenia, ad primum armorum conſpectum pleroſque praeſentis ſtatus pertaeſos cum fortuna Hametem deſerturos. Eam fiduciam auxit CIↃ ſcloppetariorum et III CIↃ haſtatorum equitum, qui jam aliquoties a Mule-Xeque Hametis filio et principe deſignato receſſerant, aperta defectio, et in dies montanorum in armis accurrentium quaſi ad praedam paratam concurſus. Quibus viribus ſubnixus Nazarus, cum jam juſtum exercitum penes ſe habere videretur, in ſubjectos campos effuſo milite, greges, armenta, et camelos magno numeto ad Feſſae portas excurrens abigit; neque foeminis pueriſque Arabum parcit, quos in miſeram captivitatem abduxit. Ad rei famam Hametes, qui jam pridem hanc tempeſtatem providerat, Xequi filio ceteriſque militiae tribunis ſtatim imperat, ut non ſolum ex ſtipendiariis ordinariis exercitum inſtruerent, ſed toto regno hominum bello idoneorum delectus quam citiſſime haberent. Et haec contra vim hoſtilem regia parata praeſidia. Verum homo natura ſolers, cum imperii nimius, quo in ſubditos populos non tanquam homines ſed tanquam mancipia rebus proſperis uſus fuerat, multorum odium in ſe concitaſſet, multos etiam ſibi metuendos eſſe intelligebat. Itaque, ut impendenti a ſuorum defectione periculo praeverteret, ad vim apertam etiam aſtum ſibi addendum exiſtimavit. Eoque conſilio nonnullis tribunis, ut quemque magis fidum reputabat, mandaverat, ut apud hoſtem, a quo eos tentari ſciebat, defectionem ſimularent, ſeque, quamprimum ille cum armis in conſpectum veniret, ad ipſum tranſituros eſſe promitterent; ſed celeritate opus eſſe Nazaro oſtenderent, ne animorum tam bene erga eum affectorum fervor, mora interpoſita, refrigeſceret. Quod eo dicebatur, ut ille, non exſpectatis auxiliis, quae majora in dies confluebant, ſecuturae defectionis fiducia impetum maturaret, et mora valituram fortunam praecipitato proelio everteret. Fallacibus promiſſis Nazarus, ſpe credulus, et quod alioqui a pecunia laboraret,
faeile aures praebuit, et, antequam majores vireis colligeret, omnis morae impatiens ſe in viam dedit, jam inſtructis a Xeque copiis; quem dum imparatum opprimere cogitat, ipſe imparatiſſimus ad pugnae aleam deſcendit. Hametes contra, ubi hoſtem ad temeraria conſilia inclinare vidit, per [a] Litcardum Hametem Benadelum cum C haſtatis delectis miſſum e veſtigio Xequem de ordine in pugna conſerenda ſervando ſedulo edocet. Is, cum jam acies in conſpectum eminus veniſſent, in tempore advenit, et Xequi auctor fuit, ut conjunctis omnibus copiis res gereretur; cum antea inter belli duces conveniſſet, ut Hamon Buja, [b] Monnerus, Buccroſil, Muſtaphas cum ſuo equitatu primi pugnam capeſſerent; tum accenſo proelio Xeques cum robore exercitus, aliquanto abhinc ſpatio inſtructa acie, quaſi improviſus accederet, et aut pugnam inſtauraret, aut hoſtium, ſi jam inclinati eſſent, reliquias omnino profligaret. Non placuit id conſilii Benadelo defectiones metuenti, procul dubio ſecuturas, ſi diviſis copiis pugnaretur. Itaque ſic compoſitus ordo, ut, Xeque mediam aciem tenente, Buccroſil dextrum ejus latus clauderet, laevum Hamon Buja: quem toto robore Nazarus incumbens exiguo negotio ſudit, praeter Xequis ſpem, qui praecipuum in Hamonis virtute ejuſque copiis praeſidium repoſuerat. Quod tantam initio petturbationem attulit, ut Xeques in pedes deſcendere, et cum ſcloppetariis ipſe ſcloppetum tenens rem gerere, coactus ſit. Sed praecipua Muſtaphae virtus fuit, qui praetorianos ducebat, [c] Cilkos vulgo appellant. Is ad omneis caſus intentus, inſtando a fronte, mox in latus excurrendo, interdum cedendo, quo genere pugnae Afri ſere certant, poſt tridui proelium, a quo per tenebras in veſtigio pernoctando tantum miles reſpiravit, ad extremum effecit, ut victoria penes Xequem remaneret. Nazarus, ſcloppeti ictu et lanceae geminato vulnere ſaucius, cum quatuor ſolis in montana aufugit, cum nullum non ſolum fortiſſimi imperatoris ſed ſtrenui militis officium toto illo tempore praetermiſiſſet.

INTERPR. [a] *Lictardo Hamet Benadel.* [b] *Monnero.* [c] *Cilques.*

praetermiſiſſet. Qui inter pugnandum a Xeque, ut ſit, pedites ad Nazarum transfugerant, poſtquam debellatum fuit, protious ad Xequis ſtapedam ſupplices accurrerunt, veniam humi ſtrato corpore et abjectis armis implorantes, et criminis gratiam petentes; quae illis a victore benigne conceſſa, minime a tribunis ac ceteris regi fidis ſervata eſt; a quibus illi in veſtigio ad internecionem omnes ſunt trucidati. Xeques, ſive inſita ſive adſectata elementia, id aegre in ſpeciem tulit: quam ut magis ſuis adprobaret, captis Nazari tentoriis ac ſupellectile omni, et in ea ſcriniis epiſtolarum, omnia concremavit optima fide, atque non legit: qood inter verae et incomparabilis animi invicti ſublimitatis exempla in C. Caeſare laudat exactus virtutum aeſtimator Plinius. Non dubitabat Xeques, a patre monitus, multos circa ſe in caſtris eſſe, qui Nazaro in arcano fidem ſeṇo addixerant, ſi fors tuliſſet animum in tempore renudaturos; quos depulſo periculo in crimen vocari, er ad deſperationem adigi, adoleſcens generoſus minime aequum cenſebat. Multi utrinque occiſi. Ex regiis amplius LX alicujus nominis, er in iis junior filius Ebraimi Sophiani tribuni, qui eo die in primis ordinibus pugnans dignum ſe patre ſortiſſimo exhibuit, Nazaro ictu altero ſcloppeti vulnerato, altero ejus equo interfecto: ſed, recenti mox equo a ſuis ſtatim commodato, Nazarus juvenem jam feſſum gladio transfodit. Alter ex Ebraimi fratribus in eodem conflictu deſideratus. Muſtaphas, Buccroſil, et Hamon Buja, graviter ſauciati: de cetero a victore recepta omois praeda, ita ut bos, aote pugnam in caſtris regiis XX florenis aeſtimatus, poſtquam debellatum eſt, quatuor tantum florenis vulgo venum daretur. Id incidir in III Kalendas Septembreis. Hametes, tanta victoria laetus, ſtatim ex arce Feſſana in publicae laetitiae ſignum cuncta tormenta diſplodi juſſit; et totis caſtris ſcloppcrariorum tet auditus fragor. Eriam in publicae laetitiae ſignum haſtiludium juſſu Hametis inſtitutum; in quo Mulebuſlerus, Xequis germanus frater, Litcaidem tribunum equo everſo dejecit. Tum diſtributa large in tribunos munera, et Hameti Benadelo Tafileti praefectura attributa. Rex, quod Nazarum a Philippo ſuſcitatum perſuaſum haberet, futuri anxius, de [a] Tingi expugnanda cogitare diccbatur: ſed ob rei difficulrates dilapſis copiis conſilium exitu caruit.

II. ANTEQUAM huic anno finis imponatur, de variis navigationibus in eo ſuſceptis earumque ſucceſſu pretium videtur ut aliquid dicamus; ac primum de ea quae in Tataricum mare a Batavis repetita eſt, te prios in Ordinum concilio multum diſceptata. Nam multi contradicebant, et ob intenſum frigus et glacie concretum tanta craſſitudine mare navigationem per illas oras impediri, et [b] Tabinum promontotium, quod ad LXXV graduum altitudinem aſſurgit, ſuperari non poſſe, contendebant. Contra alii diſſerebant, exempliſque id fieri poſſe oſtendebant: nam ex Corn. Nepotis fide Plinium memorare, LVII ante natum Chriſtum anno Indos a Suevorum rege Q. Metello Celeri tum Galliae proconſuli dono datos, qui ex India commercii cauſa navigantes tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti: idem accidiſſe temporibus Friderici [c] Ahenobarbi anno CIƆ CLX. Igitur ex decreto Ordinum, et juſſu Mauritii tanquam ſummi maris praefecti, VII naves inſtruuntur Amſterodami, [d] Enchuſae, Roterodami, et [e] Texelae in Bataviae inſolis. In eas impoſitae merces, quas cum populis illius tractus permutarent, et, contracta per commercium amicitia, de natura illius maris et navigationis per mare congelatum ratione ab iis edocerentur. Documenta item a Petro Plancio inſigni mathematico et navigandi peritiſſimo data, ut longitudines et latitudines ac ventorum mutationes diligentet obſervarent. Gul. [f] Barentſonius, qui ex priore navigatione redierat, primarius gubernator; Jacobus [g] Hemskerkius curatoris munere in claſſe fungebatur. Com naves Texela IV Nonas Junias

INTERPR. [a] *Tanger.* [b] *Cap Tabin.* [c] *Barbaroſſa.* [d] *Enchuyſen.* [e] *le Texel iſle d'Hollande.* [f] *Barentſen principal pilote.* [g] *Hemſkercke commiſſaire ou facteur general.*

CIϽ IϽ XCV. HENRICUS IV. Junias ſolviſſent, ad XVII Kalendas Sextileis in Norvegiae conſpectum venerunt, et XIV Kalendas Septembreis [a] Wegatiam appulerunt, Borea flante, ad LXX graduum altitudinem ſitam. Wegatiam et [b] Samuitarum terram Naſſovium fretum interjacet: et in Wegatiam ingreſſi cum terreſtri itinere plus duas leucas proceſſiſſent, nullos homines repererunt; tantum e longinquo [c] Lodigiam Pitzora venientem conſpicantur: id eſt genus navigii ex arborum aſſuto cortice compacti, quo Ruſſi illas oras praetervehentes utuntur, ad [d] Valruſſorum piſcium, de quibus ſupra diximus, et balenarum adipem, et anſeres pingueis his locis admodum frequenteis colligendos. Cum propius appuliſſent, per interpretem Ruſſicae linguae callentem, ea Slavicae dialectus eſt, nautas amice ad colloquium invitant. Ex iis cognoſcunt Wegatia in Tataricum mare deflecti, et per illud ad [e] Obim Tatariae magnum fluvium perveniri, qui non ante LXX dies congelaretur: congelato autem eo, in Tatariam libere cum carris quantumvis gravibus excurri poſſe. Ruſſos illos Moſco ſubditos fuiſſe ex eo cognitum eſt, quod, cum illis a Batavis carnes comedendae apponerentur, recuſarunt, jejunii religione ſe prohiberi dictitantes quo minus carnibus veſcerentur. Ibi ab urſis albis, de quibus itidem in priore navigatione diximus, admodum infeſtati ſunt, duobus nautis ab iis inſidioſe oppreſſis ac diſcerptis. Inde in adverſum ad meridiem litus renavigant Batavi, in eoque homines pellibus rangiferorum piloſis toto corpore cinctos et arcubus tantum armatos reperiunt, qui et Ruſſica lingua utuntur, quamvis a ſacris Chriſtianis alieni: nam [f] imagunculas ligneas infabre factas, quarum illo litore paſſim ſparſarum magna frequentia eſt, unde et [g] promontorio nomen, religioſe colunt; et cum earum unam Batavi terra revulſiſſent, atque in naveis impoſuiſſent, illi eam religioſis precibus repopoſcerunt; et, cum ipſi ſecum ferre profanum putarent, ut majore cultu reducerent, [h] carro ſine rotis impoſuerunt, qui a cervis illis rangiferis trahebatur. Ex Samuitis illis rurſus cognitum, Wegatiae promontorio ſuperato, quod iter V dierum ſpatio conficitur, ad ſeptentrionem ortum verſus tendentibus mare latum occurrere, quod ad auſtrum ortum verſus exporrigitur: idque ſe ſcire is qui loquebatur affirmabat, quod cum aliquot hominum manu, quibus imperabat, eo a rege ſuo miſſus eſſet. Homines ſunt ſtatura humili, lata facie et obtuſa, oculis anguſtis, cruribus brevibus, ſed pernices admodum, et cum celeribus ſuis equorum curſum ſuperant: ceterum ingenio valent, ſed ſuſpicaci; et rex eorum ipſis appoſuiſſe cuſtodes dicebatur, qui quid illi facerent, dicerent, emerentque ab hoſpitibus, inſpicerent, et ad ſe referrent. Cum plura Batavi ab his non diſcerent, et propter reflanteis ventos et glaciem in acervos congeſtam ulterius pergere non poſſent, de repetenda patria cogitare coeperunt, et ineunte Octobri incolumes domum reverſi ſunt. Ab his cognito per Ordines quae viderant didicerantque, tertiae navigationis ſequenti anno ſuſcipiendae occaſionem praebuerunt. Hoc eodem anno alteram claſſem in Indiam Ordines miſerunt, via a Luſitanis trita; et, quia vi plerumque illa aperienda fuit, etiam eam armis egregie inſtruxerant. Prima navis, cui Mauritio nomen, VI machinas aheneas, XIV ferreas, IV [i] petrobolos ingenteis, et XXC armatos homines portabat; eique praeerat Jo. [k] Janſonius cum Corn. [l] Hetmano vicario. Secundam, cui Batavicae nomen, totidem machinarum et hominum capacem, Joannes [m] Diugnus ducebat, cum Ger. [n] Boningeno vicario. Tertiae Amſterodamenſi Jo. [o] Scelinger et [p] Renerius Hellus praeerant, quae LX armatos, VI machinas aheneas, X ferreas, et X petrobolos, portabat. Quarta [q] liburnica tantum erat, et [r] Columbina vocabatur, et a Simone

INTERPR. [a] *Weygatz ou deſtroit de Naſſau.* [b] *Pays des Samuites.* [c] *une Lodigie venant de Pitzora. C'eſt une eſpece de barque couſue avec l'eſcorce interieure d'arbres.* [d] *Valruſſes.* [e] *Oby r.* [f] *Images ou idoles taillées lourdement.* [g] *Cap des Idoles.* [h] *Un traineau.* [i] *Pierriers.* [k] *Janſon.* [l] *Howtman.* [m] *Dignum.* [n] *de Boningen.* [o] *Scellinger.* [p] *Renier Hell.* [q] *Pinaſſe.* [r] *le Pigeon.*

Simone Lamberto regebatur, XX armatos, II aheneas machinas, VI ferreas, et II petrobolos, capiens. De cujus ſucceſſu in ſequentibus dicetur.

III. ET, quoniam de navigatiooibus coeptus ſermo, minime ſilentio videtur praetereunda, quae a Fr. [a] Draco famoſiſſimo, ut Hiſpani vocant, pirata, ſive, ut citra odium dicatur, celeberrimo univerſi orbis luſtratore, et Jo. [b] Hawkinſo infauſtis auſpiciis ſuſcepta eſt, et laboribus utriuſque immenſis finem impoſuit. Claſſis ea VI regiis navibus et XXI aliis conſtabat; quibus II CIↃ IↃ bellatores portabantur. Cum ſolviſſent V Kalendas Septembreis, ad Canarias venerunr V Kalendas Octobreis; aggreſſique harum metropolim expugnare fruſtra fueruot, praeſidiariis per quoſdam captivos de conſilio Anglorum certioribus factis. Dein ad Tenariſam, et inde [c] promootorium Viride verſus, curſum dirigunt; et tertio poſt die navis eorum maxima, cui Franciſco oomen, et [d] Wignalius praeerat, a V [e] liburnicis Hiſpanicis capta et ſpoliata eſt. Demum VIII Eid. Oct. ad inſulas [f] Virgines venerunt, quae ſunt altiſſimae, et portum CIↃ navium capacem habent; de cetero aqua dulci deſtitutae, et tantum piſcibus, pſittacis, et pelicanis abundantes. In his Hawkinſus, qni cooatus ſuos deſectos videret, et de ſucceſſu deſperaret, accedente ad ea navis ſuae jactura, graviſſimo morbo conflictatus eſt; ex quo tandem cum ad S. Joannis inſulam progreſſa eſſet claſſis, extinctus eſt, eique ſuffectus [g] Tho. Baskervillus. Petrus Guſmanus [h] Tellus, qui Hiſpanae claſſi XXV navium praeerat, [i] Sanctium Pardum Portus-divitis praefectum in lecto decumbentem monuerat, ut, datis ad [k] S. Domioici inſulae et Havanae praefectos literis, eos de adventu Anglorum certiores faceret. Illi vero, re cognita, ſtatim ad interiora miſerunt, ut incolae cootinentis ſe ad defenſionem pararent. Angli interim, ortum verſus progreſſi, aochoras io angulo extra civitatem oon procul ab iſtis tribus inſulis firmant. Porius-dives, id civitati nomen, multa propugnacula habet, ideoque acceſſu difficilis. Inde delecti miſſi cum XXV celocibus, quae ignem in liburnicas eas Hiſpanas, quae Hawkinſiam navem intereeperant, injicerent. Incenſa ex illis Magdalena et IV reliquae gravi damno affectae, non ſine Anglorum damno, ex quibus L amplius deſiderati. Eae CCCL auri, ur vulgo vocant, tonnas ex Philippinis advehere dicebantur; quas jam in arce depoſuerant, oppidanis huc illuc in paludes et ſylvas proximas dilapſis. Poſtea per circumpoſitas inſulas traducta claſſis uſque ad Kalendas Decembreis, quibus ingreſſa eſt fluvium cui [l] Hachae nomen; in cujus litore XX abhinc milliaribus civitas eſt antiquiſſima iis locis, loco foecundo et amoeno ſita. Dracus, cum CL ortum verſus progreſſus, oppidum a piſcatu halecum dictum, ubi et uniones piſcari ſolent, occupavit. Inde Baskervillus miſſus, qui obvios habuit Hiſpanos pretium pro Hachae redemptiooe offerentes: de quo cum poſt multas altercationes minime ſatisfactum eſſet, ludificatum ſe indignatus eſt Dracus, et oon ſolum Hacham ſed etiam [m] Tappam et Rangericam er Salamcam immiſſo igne funditus delevit, excepto Hachae templo et virginum coenobio, cui, exorato Draco, parcitum fuit. Id actum XV Kalendas Januarias. Poſtridie S. Marthae oppidum in ſcopulo poſitum expugnatur; ſtarimque foeda tempeſtate jactatae pleraeque oaves, et una amiſſa: P. [n] Lemmondus cum aliquot aliis in manus Hiſpanorum venit. Tandem in conſpectum inſularum [o] Nominis Dei claſſis venit, et VI Kal. Jan. oppidum ipſum occupavit, oppidanis paſſim dilapſis: tantum Hiſpani circiter C in caſtello remanſerunt. Urbs haec, adeo propter ſitum et appulſum famoſa, mediocris eſt, latiſſimis plateis, aedificiiſque altiſſimis, ac templo ex duriſſimo ligno affabre ſtructo ornata,

INTERPR. [a] *Drake.* [b] *Hawkins.* [c] *Cap Verd.* [d] *Wignal.* [e] *Fregates.* [f] *Iſles Vierges.* [g] *le chevalier Thomas Baſkerville.* [h] *Tello.* [i] *Sancho Pardo gouverneur de Puerto-rico.* [k] *San Domingo, & la Havana.* [l] *Rio de la Hacha,* [m] *Tapia, la Rancheria, & Sallamca.* [n] *Lemond.* [o] *Nombre de Dios.*

CIↃ IↃ XCV.
HENRICUS IV.

ornata, ceterum loco admodum inſalubri poſita, ut quae ob paludes circum jacenteis continuis imbribus infeſtetur. Inde Baſkervillus aſſumptis IↃ CCC ad [a] Panamam, quae in iſthmi illius altero litore ſita eſt urbs, ire ſtatuit; nam ob id praecipue expeditio ſuſcepta fuerat: ſed magnum et impeditum iter emenſus, quamvis non ita longum ſpatium interjaceat, ab indicibus viarum deluſus, ſive ipſorum locorum ignarus, infeſtum maxime iter habuit, per XXX milliaria montibus et arboribus ubique caeſis interſectum; et a praeſidio C Hiſpanorum in monte viae anguſtae imminente ſtructo valde infeſtatus eſt, [b] Marckhamo ſummo ordinum centurione, [c] Sampſone ſignifero, Mauritio [d] Williamo, interfectis: [e] Huntleius Draci legatus lethaliter etiam ſauciatus eſt, et [f] Baſkervillus ipſe in crure vulnus accepit. Tandem a Draco revocatus iter ſuſceptum omiſit: moxque incenſo Nominis Dei oppido et omni armamentario, ad Portum-bellum, qui III milliaribus ab eo verſus occaſum abeſt, claſſis conceſſit; ubi Dracus dyſenteria correptus, fruſtra adhibitis remediis, tandem laborioſae et tot periculis exercitatae vitae finem fecit, eadem intrepidi animi ſpecie qua vixerat: nam cum vocato ducum concilio eos quaſi pugnam conſerturus ad fortiter incommoditates, quae obverſabantur, et pericula ſuperanda hortatus eſſet, et regiarum navium curam ut haberent rogaſſet, ſurrexit, ſtantem imperatorem mori debere affirmans; ſed prae debilitate lecto impoſitus mox defecit, relicto herede Thoma fratre, qui aderat, et [g] Jona Bodenhamo teſtamenti primum conditi executore nominato. Juſta perhonorifice ab univerſis militibus ritu ſolemni imperatori ſuo perſoluta; mortuumque laudavit D. [h] Bridus, qui a ſacris ei concionibus erat. Draci morte ſumma praefectura ad Baſkervillum rediit; qui vix tandem variis incommoditatibus conflictatus, et cum claſſe Hiſpana, quae ſub id Havanam duce P. Guſmano [i] Tello appulerat, poſtremo juxta Cubam inſulam conflixit, deteriore, ut Angli ſcripſerunt, Hiſpanorum conditione; tandemque [k] S. Antonii ſuperato promontorio, tantum deinceps cum mari pugna fuit, in quo pleraeque vi ventorum disjectae et amiſſae naves; ceterae ineunte Aprili inſequentis anni in patriam re male geſta reverſae ſunt.

IV. NEC majore fructu, majore fortaſſe rerum in his provinciis non ſatis exploratarum fide, Gualterus Raleighus eques Anglus, qui Virginiam ante X annos exploraverat, hoc etiam anno, non hoſtili, ut Dracus, animo, ſed Guianae ampliſſimae ſecundum [l] Peruviam Indiarum Occidentalium provinciae luſtrandae cauſa, navigationem ſuſcepit: quam et ipſe poſtea deſcripſit ac publicavit, aurum, quod in ea regione reperitur, optimum eſſe aſſerens; contra quam a ſenatore quodam Londinenſi, qui rei monetariae praeerat, affirmabatur. Is, cum Nonis Februariis [m] Plimoutha ſolviſſet, XI Kal. Apr. ad S. [n] Trinitatis inſulam appulit, quae VII circiter gradibus ab aequinoctiali linea abeſt: progreſſuſque [o] Picam uſque portum, inter multa dulcia aquae flumina, unum aquae ſalſae reperit; in cujus ripa multa oſtrea in ramis arborum enaſcebantur, ſalſa ac boni ſaporis; cujuſmodi pleraeque arbores in Guiana eſſe perhibentur. Repetiuntur et circa hunc portum reſinacei lapides innumeri, ex quibus pix optima exprimitur, ac navibus maxime idonea; quippe quae ſolis ardore, ſicut ea quae ex ſeptentrionalibus locis advehitur, minime liqueſcat. Tandem cum ad promontorium [p] Hiſpanorum, quod indigenae Conquerabiam vocant, veniſſet, Ant. [q] Berreum inſulae praefectum partim vi, partim aſtu, per [r] Calfieldum comprehendit, et V ex dynaſtis inſulae, quos ille vinxerat, liberavit; ex quibus quam crudeliter miſeros Indianos vexaret didicit; quippe quos larido candenti aſpergere et exquiſitis hujuſmodi cruciatibus torquere conſueſſet. Poſtea S. Joſephi civitas, quae ab Hiſpanis inſtaurari

INTERPR. [a] *Panama.* [b] *Markham ſergent major.* [c] *Sampſon.* [d] *Williams.* [e] *Huntley.* [f] *le capitaine Nicolas Baſkerville.* [g] *le capitaine Jonas Bodenham.* [h] *Bride.* [i] *Tello.* [k] *Cap St Antoine.* [l] *Perou.* [m] *Plimouth.* [n] *Iſle de la Trinidad.* [o] *Piche* incolis, Hiſp. *Tierra de Brea.* [p] *Puerto de los Eſpañoles.* [q] *de Berreo.* [r] *Calfield capitaine.*

inſtaurari coeperat, funditus ab Anglis incendio conſumpta eſt. Haec in conſpectu Indianorum acta, qui poenas de Hiſpanis ſumi non aegris oculis cernebant: quibus poſtea convocatis, Raleighus, unde veniret profeſſus, ſe miſſum a potentiſſima virgine regina dicit, ut ipſos ac univerſos Indianos a diriſſimo Hiſpanorum jugo liberaret, et Guianae regnum contra eorum impetus tutum redderet; effigie etiam Elizabethae ad ſpectaculum propoſita, quam illi, paulum aberat, adorabant, ac tanquam numen venerabundi contemplabantur. Demum imperator, relictis in mari navibus, cccc Anglica milliaria in continenti emenſus, ut in Guianam penetraret, jam inclinata magis tempeſtate quam putabat, cc adhuc ſupereſſe agnovit; nec eo, variis difficultatibus retardatus, penetrare potuit. Sic autem, tum ex [a] Berreo captivo aliiſque Hiſpanis, tum ex dynaſtis regionum vicinarum, comperiebat; Guianam Americae partem opulentiſſimam eſſe, et Peruvianae portionem, in quam, Guaſcare ab Atabalipa fratre trucidato, Guaſcar junior Guianacapa dictus cum magna militum manu confugit, et ſedem ſibi inter Amazonum fluvium et Baraquanam, Orenoquam alias vocatam, fixit; regnum ipſum ſub linea aequinoctiali eſſe, et metropolim habere Manoam, ad lacum cc leucarum longitudine porrectum aquae ſalſae, paulo minorem Caſpio mari: de cujus praeſtantia et magnitudine ac auri copia, opibuſque, regia ſupellectile, hortis Guianacapae Ingae, ejus qui nunc rerum in eo potitur, multa praeterea a Franciſco [b] Lupo incredibilia commemorari. Ad civitatem illam Jo. [c] Martinem, munitionum ſub [d] Ordaco principem, primum navigationem et ingreſſum aperuiſſe, deſcriptione regionis delineata: [e] Aurelianum deinde, cum ad Manoam expugnandam inſtructus proficiſceretur, in mari ſubmerſum. Huic ſucceſſiſſe Didacum Ordacum ex Hiſpania cum IↃC militibus profectum; ſed cum ad Guianae fineis acceſſiſſet, cum ſuis omnibus interfectum et naveis ſubmerſas ac everſas. Cum eo fuiſſe Martinem; qui, poenam militarem veritus, cum navicula elapſus ad Guianos et Manoam uſque penetravit, et poſt VII menſium in urbe moram ad [f] Orenoquam remiſſus eſt, ac primus [g] civitatem illam auri copia celebrem ſingulari nomine [h] Auratam indigitavit; nam in ea auro cuncta ſplendeſcere, et regionis duces ac praefectos ſtrenuos potatores, cum ad convivium cum rege accumbunt, ſic ſe parare: corpore nudato illini albo balſamo, quod Curca vulgo vocatur; poſtea a regio famulatu ad hoc miniſterium delecto tenuiſſimum ex auro pulviſculum exilibus calamis per univerſum eorum corpus aſpirari, ita ut toti inaurati appareant. Poſt Martinem ſive Ordacum idem tentaſſe [i] Petrum Oſvam, ex regno Peruviano aggreſſione facta; quem [k] Lupus Aguierres Cantaber, qui centurionis munere fungebatur, notae immanitatis ac perfidiae, juxta fluvium Amazonum, excitato tumultu ob commeatus penuriam, interfecerit, ſeque ducem militi ad vaſtandas eas potius quam indagandas provincias praebuerit; poſt innumera exquiſitae ſaevitiae in regno novo Granatenſi, Margarita inſula, S. Martha, exempla edita, poſtremo interfectus; inaudita prius immanitate filia, quam ex N. Mendoza ſuſceperat, ne in Hiſpanorum manus veniret, et ſub jugum eorum miſſa ſubinde ſe tyranni ac proditoris filiam eſſe audire cogeretur, propria manu trucidata. Aguierri in ea expeditione ſucceſſiſſe Hier. [l] Ortalum Caeſaraugustanum, naufragiis variis huc illuc disjectum; et mox Petrum Silvam Luſitanum: qui, [m] Roderici Gomeſii Silvae gentilis ſui favore ſublevatus, cum idem iter ingreſſus eſſet, ad [n] Marananum ſive Amazonum fluvium caeſus miſere periit. Petrum Ferdinandum [o] Serpiam poſtea cum ccc a Cumana terreſtri itinere ad Orenoquam uſque progreſſum, a [p] Vikiris Indis, qui montana ſeptentrionem verſus incolunt, pariter profligatum eſſe.

Ultimum

INTERPR. [a] *de Berreo.* [b] *Lopez.* [c] *Martinez.* [d] *Ordas.* [e] *Orellana gentilhomme Eſpagnol.* [f] *Orenoque r.* [g] *Manoa.* [h] *el Dorado.* [i] *Pedro de Oſva chevalier Navarrois.* [k] *Lopez Aguire Biſcayen ſergent.* [l] *Ortal de Saragoça.* [m] *Ruy Gomez de Silva.* [n] *Maragnon.* [o] *de Serpa.* [p] *Wikiri.*

CIϽ IϽ XCV.
HENRICUS IV.

Ultimum Guianam tentaſſe [a] Conſalvum Ximenem Caſadam, fruſtra in eam expeditionem expenſis ccc aureorum CIϽ; qui filiam [b] Berreo apud [c] Raleighum captivo deſponderit, et filiae Guianam quaſi dotalem vanitate Hiſpana aſſignaverit. Berreum autem, ſoceri monita ſecutum, CIϽ IϽ milliaria Anglica confeciſſe antequam Guianam attigiſſet; et ex Granatenſi novo regno venientem cum IϽ CC armatis [d] Caſſamarii fluvii oram legiſſe, qui in [e] Patum fluvium exoneratur: Patum vero in [f] Metam, et Metam in [g] Bataquanam ſive Orenoquam labi. Praeterea Berreus captivus Raleigho narrabat, quanquam nemo hactenus ex iis praeter Martinem in Guianam penetraſſet, tamen eos qui ad Amazonum fluvium navigant, in iiſque Gallos etiam memorabat, ſemper auro onuſtos rediiſſe, quod illuc ex Guiana videlicet importatur. Ipſum ſe aiebat Amapaiam regionem peragraſſe, ad [h] Caroli fluvium uſque progreſſum, ab indigenis, qui Anabes vocantur, imaginibus ex auro puro clenodiis affabre factis donatum. In ea autem regione admodum depreſſa ac paluſtri paſſim rivulos ſcaturire rubei coloris ac venenatis vermibus plenos, qui Berrei initio rei ignari militibus et equis perniciem attulerunt, ita ut ex omni eorum numero, quos adduxerat, intra VI menſium ſpatium vix CXX ſuperſtites fuerint, pecoribus omnibus praeterea extinctis: tandem experimento conſtitiſſe, aquas illas ſub meridiem hauſtas minus noxias fuiſſe. His incommodis ac difficultatibus revocatum Berreum Orenoquam verſus iter repetiiſſe, et in Emeriam regionem deſcendiſſe, ac cum Carapana rege amicitiam contraxiſſe, viro prudente, jam tum C annorum; quam aetatem plerique illis locis attingunt. Ab eo ad [i] Morequitum alium dynaſtam in finibus Guianae ditiſſimum remiſſum Berreum; cujus perfidiam cum ſeverius ultus eſſet, tanto odio apud populos illos ob id flagraſſe, ut, omnium rerum penuria poſtremo victus, re infecta ad Trinitatis inſulam redire coactus fuerit. His utcunque ex Berreo aliiſque ſeorſim cognitis, et an conſentanea inter ſe eſſent prudenter examinatis, Raleighus iter in Guianam perſequi ſtatuit, multum dehortante Berreo; et, relicta in litore claſſe, biremem fluviis tranandis commodiorem cum aliquot celocibus inſtruit; praemiſſiſque [k] Jac. Whiddono, Georg. [l] Giffordio legato, et Jo. [m] Duglaſſio, et per Amanam ingreſſus, ad Orenoquam pervenit, initio fluxu maris, dein etiam remigii vi, contra aquarum rapiditatem adjutus. Orenoqua ſive Baraquana maximus fluvius ab oriente in occaſum et ſeptentrionem tendens, et innumeris fluviis acceptis auctior, poſtremo per VII oſtia in oceanum exoneratur. Facit et innumeras inſulas, quarum pleraeque [n] Vectim Britannicam aequant; aliae ſuperant; quaedam etiam minores ſunt. A ſuperiore oſtio ſive Amana ad inferius, quod [o] Capuris dicitur, C leucae intercedunt. A Maio ad Septembrem ad XXX pedes aſſurgit, ac XX ſupra terram effunditur, ita ut incolae tuguria mutare neceſſe habeant. Infra [p] Orenoquapanos, ita incolae vocantur, ſunt Cannibales anthropophagi, et Epuremei, qui Macureguaraiam civitatem ampliſſimam illis locis condiderunt. Antequam ad Guianos magis ad auſtrum vergenteis perveniatur, et rurſus infra Guianos, occurrunt Amazones, quae mulieres ſunt bellicoſae, in anno ſemel ac menſe Aprili cum viris congredientes. Ita ex relatione Hiſpanorum aliorumque refert Raleighus: nam Huldricus [q] Schimidelus Straubingenſis, cujus navigatio ſive peregrinatio per Americam XX annorum ante quinquennium Latine verſa et edita eſt, ter aut quater cum viris congredi, et alteram tantum mammam habere ſcribit; et ſi quidem maſculum pariant, illum patri domum remittere; ſi foeminam, ſecum retinere, eique dextram mamillam adurere, ne creſcere amplius et arma olim tractaturae impedimento eſſe poſſit. Raleighus igitur, aliquot dierum iter per

vaſtitates

INTERPR. [a] *Don Gonçalez Ximenes de Caſada.* [b] *de Berreo.* [c] *Raleigh.* [d] *Caſſamar.* [e] *Pato.* [f] *Meta.* [g] *Baraquan qui eſt autrement appellé Orenoque.* [h] *riviere de Caroli.* [i] *Morequito.* [k] *Jacob Whiddon capitaine.* [l] *Gifford vice-amiral de la flotte.* [m] *Douglaſi.* [n] *Iſle de Wight.* [o] *Capuri.* [p] *Orenoqueponi.* [q] *Schmidel de Straubingen.*

vaſtitates illas variorum fluviorum inter ſe complicatorum emenſus, cum tandem regni Guianae montes eminus aſpicere coepiſſet, Toparimacam divertit; a loci domino panibus, piſcibus, carnibus, pomis, et vino ex aromatibus et herbarum quarundam ſucco confecto, humaniter donatus. In eo loco ſenes longiſſimi aevi cernuntur, eo indicio, quod, cute ſenio deſiccata, et venae et oſſa facile in iis dinumerari poſſent. Teſtudinibus majoribus totus hic tractus ſcatet, qnod commodum Anglis famelicis et alioqui natura voracibus accidit. Heic ad dextram [a] Gainia vallis navigantibus apparebat, quae ad [b] Cumanam et Carrucam porrigitur, a IV diverſis populis habitata; in queis ſunt [c] Vikiri illi, qui P. F. [d] Serpiam ex Cumana venientem eccidetunt. In iis ſunt et [e] Arorae Aethiopes ſagittandi peritiſſimi, praeſentiſſimo ac diriſſimo veneno tela inficientes; quippe quo tacti ac vulnerati protinus colore lurido ac piceo contracto in furorem agantur, atque ita diſtendantur, ut ventre rupto inteſtina maximo cum foetore effundant. Adverſus tantam peſtem [f] Tuparae radicis liquor efficaciſſimum remedium eſt, quae et praeterea febres arcet, et tuptas in corpote venas aliaque interiora vulnera ſanat. Ibi cum Aromaiae dynaſta, qui Orocotonae ſedem habebat, collocutus Raleighus, ab eo inter alia animali quodam, quod [g] Armadillum vulgo Hiſpani vocant, Rhinocerotis ſpeciem referente, donatur. Ex ejus caudae oſſibus pulverem tritum eam vim habere ſcripſit Monardes, ut auribus immiſſus ſurditati medeatur. Tandem ad [h] Caroli oſtium perventum, qui ex Caſſipa lacu XL milliaria Britannica lato, magno ſtrepitu, utpote variis cataractis interſectus, ut et [i] Arvius, derivatur; circa quem Caſſipagoti, Eparagoti, et [k] Arovagoti populi habitant, auro abundantes, ut Epuremeis ita Hiſpanis infeſti. Jamque Orenoqua, Carolus, aliique fluvii, ad V pedum altitudinem creverant. Itaque Raleighus in proximos montes aſcendit, ut ſubjectam regionem circumſpiceret; qua pulchriorem ſibi nunquam viſam affirmat. Fidem ſuperat, quod in tabulis geographicis paſſim exprimitur, in ripa [l] Atoicae et Caorae fluviorum juxta Arvium labentium eſſe homines bellicoſos et ſagittandi peritiſſimos, qui capita humeris impoſita non habent, ſed in pectore, et os paulo infra pectus; crineis vero a tergo per humeros ſparſos, quos [m] Evaipanomas vulgo vocant. Verum Raleighus id paſſim in ore eſſe vicinorum populorum, eaque de re vulgo pueros in [n] Aromaia et Canuria loqui, affirmat. Et ſimileis homines in Aſia Plinius, in Libya Iſidorus Hiſpalenſis, naſci memorant; et ſua aetate Carthagine in vico Martis opere muſivo delineatos vidiſſe teſtatur beatus Auguſtinus. A Carolino fluvio cum jam aquis intumeſcentibus de reditu Raleighus vereretur, a dynaſta tegiouis monitus vaſa conclamat; et, quia ſecundo deinceps fluxu navigabatur, celerius, quam venerat, ad claſſem rediit, foedis ac continuis imbribus maxime afflictatus, crebris item tonitruis ac fulgetris jam proxima hyeme per ea loca frequentibus. De provincia illa cum multa praeclara refert Raleighus, tum maxime opes, abundantiam ſoli, et ſalubritatem coeli commendat; quippe in qua homines centeſimum annum vulgo ſupetant, et ipſe toto eo tempore, quo in illa fuit, ſemper ſub dio ſomnum capiens nullis morbis conflictatus eſt. Tum commodiſſimam ac omnino VI menſium eſſe navigationem dicit: nam, ſi ex Anglia ineunte Julio ſolvatur, in Guianam circa aeſtatem perveniri; in qua per Octobrem, Novembrem, Decembrem, Januarium et Februarium, commorari licet; et, cum inde Aprili ſolveris, commode domum Junio menſe reverteris. Terra adiri non poteſt: nam undique altiſſimis montibus, qua provincias ab Hiſpanis infeſtas ſpectat, ac vaſtiſſimis ſylvis, acutiſſimis vepretis, ſenticetis, arenoſis vallibus, ut aquae penuria terreſtri itinere venientibus maxime

INTERPR. [a] *la plaine de Sayma.* [b] *Cumana, & Caracas.* [c] *Wikiri.* [d] *de Serpa.* [e] *Aroras.* [f] *Tupara.* [g] *Armadilla.* [h] *Caroli r.* [i] *Arvi r.* [k] *Arawagotos.* [l] *Atoica, & Caora.* [m] *Ewaipanoma.* [n] *Aromaia, & Canuri.*

CIↃ IↃ XCV. HENRICUS IV. maxime laborandum ſit, cingitur; tantumque per illos fluviorum nondum omnino exploratos maeandros ad eam acceſſus eſt: itaque Hiſpani ex Peruviana irrumpentes hactenus fruſtra fuerunt. Cum haec omnia Raleighus in patriam ſine ulla jactura reverſus, allatis quibuſdam aureis imaginibus et metallorum fruſtis, ſumma fide ac aſſeveratione reginae adprobaſſet, juſſu ejus ſequenti anno alteram navigationem ad Guianam ſuſcepit; de cujus ſucceſſu, cum ad eum locum venerimus, ordine ſuo dicemus.

CIↃIↃXCVI. V. ANNO ſequenti motus ruſticorum in Auſtria recruduit, et ad XVIII CIↃ hominum in agro [a]Krempſmonaſterienſi convenerunt, uxoribus ac liberis cum omni ſupellectile domi relicta; primo commeatum tantum ſibi ſuppeditari a vicinis oppidis poſtulantes, de cetero ab omni injuria erga arces ac caſtella nobilium abſtinentes: ſed, creſcente cum numero audacia, cunctos per agrum factioni ſuae dare nomen ſubigunt; eorum qui recuſabant equos, armenta, greges, atque adeo uxores liberoſque rapientes, et cauponibus ac tabernarum inſtitoribus oppignerantes. Quo cognito Caeſar ſubito ad eos mittit, poenam perduellionis commiſſam ſignificans, niſi quamprimum ab armis diſcedant: quod ſi protinus faciant, gratiam praeteritorum facit. Verum illi ob id minime paruere; ſed, concurrentibus ad eos inferioribus [b] Aniſianis, ita ut omnis multitudo L CIↃ hominum efficeret, paſſim publicant libertatem ſibi vita potiorem eſſe, ac tempus veniſſe, quo principes ac proceres diſcant, ſubditis non tanquam mancipiis, ſed tanquam hominibus per Chriſtianam fidem in libertatem aſſertis, uti.

VI. BELLI Pannonici initium hoc anno factum eſt a Nic. Palfio et [c] Terkenſi comite, qui in CCCC Turcos incidentes eos ſub portas uſque [d] Wihitzae perſecuti ſunt, aliquot ex iis interfectis; agrumque circum populati, parta ingenti praeda, [e] Strigonium incolumes reverſi ſunt. Excurſionibus et utrinque certatum ab Heiducis, qui in praeſidio Palottae erant, et Turcis, haud magno operae pretio. Mox et [f] veteris Budae et [g] Sicambrae incolarum precibus exoratus Palfius, eos cum uxoribus ac liberis et ſupellectile Strigonium hominibus fere vacuum deduxit. Capita cenſita ſunt omnino II CIↃ CLX; quae CLXXV navigiis vehebantur. Iis agri inter Strigonium et [h] Wivariam colendi ab eodem aſſignati. Exeunte Januario cum Tatari Wihitzam auxiliares veniſſent, [i]Hatuanae praefecto et Wihitzenſi de belli gerendi ratione conſultantibus, convenire non potuit; cum hic Novigradum, ille [k] Seſeinum, ducendas copias ſuaderet: eoque contentionis calore deventum eſt, ut paulum abfuit quin Tatari, qui praedae avidi jam totum Seſeinenſem agrum ſpe devoraverant, in Wihitzenſem impetu facto ipſum oppreſſerint. Inde in praedas effuſi, cum ſe aliquanto tempore exſatiaſſent, ſuperveniente [l] Tornahuſio provinciae praefecto repreſſi ac cum damno pulſi ſunt. Paulo poſt cum Temeſvarae purpuratus ad Portam revocatus convaſatis rebus in viam ſe dediſſet, Heiduci, qui [m] Lippae et Genae erant, inſidias Belgradum tendenti ſtruunt, caeſumque omnibus impedimentis exuunt; et ipſius inter pugnandum occiſi caput conto affixum [n] Albam Juliam victores retulerunt. In [o] Dacia, ſpe ſubſidiorum a Caeſare ſubminiſtrandorum, ſemel accenſo bello, cum Sigiſmundus, jam tumultuantibus [p] Siculis, cum quibus anno ſuperiore tranſegerat, et multis ab armorum conſilio alienis, res ſuas in magnas anguſtias videret redactas, ex conſilio pontificii oratoris et Alfonſi [q] Carilli e Jeſuitico ſodalitio, qui illi a ſacris confeſſionibus erat, aliiſque minus prudentis conſilii auctoribus, ipſe ad Caeſarem proficiſci ſtatuit. Itaque, familia omni in XII eiſia compoſita, per Caſſoviam facto itinere Pragam pridie Nonas Februarias venit, perhonorifice a proceribus aulae exceptus. Sed mox in febrem acutiſſimam non ſine vitae periculo incidit: ex qua paulum recreatus,

INTERPR. [a] *Krempſmunſter.* [b] *ceux de la riviere d'Ens.* [c] *le comte de Terck.* [d] *Wibitz.* [e] *Gran.* [f] *Alt-Offen, entre la nouvelle Bude & Wizzgrade.* [g] nunc *Schambri prés de Bude.* [h] *Wivar.* [i] *Hatwan.* [k] *Setſchin.* [l] *Tornehauſen.* [m] *Lippe, & Genen.* [n] *Weiſſenburg.* [o] *Tranſylvanie.* [p] vulgo *Zekel,* al. *Ciculus.* [q] *Carillo.*

Digitized by Google

recreatus, cum ad majus templum ſacro audiendo delatus eſſet, compoſita ab eccleſiae praepoſito oratione, quo belli perſequendi majores ſtimuli juveni imprudenti adderentur, publice laudatus eſt: ad quam ille Latine non incommode reſpondit, et in propoſito conſtantiam ſe ſervaturum dixit, et Auſtriae familiae atque adeo Imperio Romano ſemper devotum futurum; viciſſim ſperare, ut minime a Caeſare Imperioque deſeratur: quod ſi promiſſa ab initio auxilia ſuppeditentur, non dubitare quin majores ex infeſto Chriſtiani nominis hoſte, aſpirante Dei gratia, victoriae brevi reportentur. Poſtea in colloquium admiſſus, et magnis promiſſis oneratus, cum muneribus dimiſſus eſt. Promiſſa III peditum CIↃ et II CIↃ equites per trimeſtre ſtipendio Caeſareo alendi, et XXIV talerorum CIↃ ſingulis menſibus arbitrio Sigiſmundi diſpenſanda. Pontifex etiam per legatos XL CIↃ ducatorum ſingulis menſibus dependenda pollicitus eſt, dato negotio Franciſco Mariae [a] Montano, ut militem Tranſylvano praeſto futurum in Italia ſcriberet. Petito commeatu per [b] Lintzium Viennam venit V Eidus Martias, pari magnificentia ubique exceptus, et, quo magis ad bellum incenderetur, in patrum Jeſuitarum ſchola publice tanquam alter Joſue laudatus. Inde [c] Graecium profectus ad Mariam [d] Baioaram ſocrum, cognito cardinalis Bathorii et Stephani gentilis ad Turcas inclinantis molitionibus res domi turbare, mutato conſilio domum propere reverſus eſt. Interea praeſidiarii Novigradi et Vicegradi, quibus praeerat Palfius, evocatis qui Pallancae et [e] Scabraci erant Heidueis, Februario exeunte nocte intempeſta [f] Vaciae ſupra [g] Paeſtum poſitae ſcalas admovent, et ſuperato muro, caeſis excubitoribus ac clauſtris revulſis, ſuos intra urbem admittunt, praetorianis graviter ſe defendentibus. Incendium in aedeis, quas tenebant, immiſſum, multique Turci flammis abſumpti: qui periculum ignis evaſerunt, cum in vicinum Danubium praecipitaſſent, vorticoſo gurgite hauſti ſunt. Ad triremem paratam quidam perfugerant; quae frequenti machinarum diſploſione quaſſata tandem ſubſedit, et cum vectoribus ſubmerſa eſt. Arx ſuperabat; quam cum Palfius expugnare tam cito non poſſet, incenſa urbe diſceſſit. Dein V Eid. Apr. acriter certatum eſt ad [h] Sambocam, ac paene oppidum captum: nam noſtri ſugientibus Turcis immiſti irruperant; ſed mox ab oppidanis agniti, amiſſis aliquot ſuis ejecti ſunt. Triduo poſt ad beati [i] Martini montem inter [k] Javarinum et Papam noſtri, duce Fr. Naſdaſtio et Georgio Stephano, Turcis inſidias ſtruxerunt, et illectos ad certamen hoſteis poſt aliquantum certaminis in ſugam verterunt, captis aliquot; ex quibus cognoverunt, Sultanum ipſum Mahometum cum tribus potentiſſimis exercitibus in [l] Pannoniam venturum, duobus ex iis in Walachiam et Moldaviam ablegatis. Quo cognito, Caeſar et Tranſylvanus omnia ad impetus ejus ſuſtinendos, quantum in illis erat, parant, et ad pontificem diligenter ſcribunt, ut delectus per Italiam haberi et auxiliareis ſummitti curaret. Caeſar iis Ferrarienſem ducem praefici cupiebat: et ille, ſi quidem pontifex Ferrarienſem principatum in Caeſarem [m] Ateſtinum, quem heredem deſtinabat, conferret, grandem pecuniam in illud bellum et operam ſuam ultro pollicebatur: ſed pontifex nunquam aſſentiri voluit. Itaque Maximiliano fratri, qui in ſuperiore, ut Matthias in inferiore, Pannonia rem gerebat, ſumma imperii delata eſt. Dum in eo ſunt, crebris excurſionibus et velitationibus certabatur. Lippae praeſidiarii injuſſu Georgii [n] Barbeli ſpe praedae longius provecti, cum a Tataris et Turcis, qui in agro Temeſvarenſi hyemabant, circumventi eſſent, ad unum caeſi ſunt, haud minore hoſtium numero caeſo. Eodem tempore Tatari inſulam [o] Maruſiam haud hinc longe ſitam infeſto animo ingreſſi ferro flammaque vaſtarunt, ſenibus trucidatis, junioribus tam foeminis quam viris in captivitatem abductis: quos noſtri ad Zinam adſecuti IↃ CCC ex iis caedunt.

VII. BARBELUS,

INTERPR. [a] *del Monte.* [b] *Lintz.* [c] *Gratz.* [d] *de Baviere.* [e] *Chabrac.* [f] *Vacia.* [g] *Peſt.* [h] *Sambotzka.* [i] *Martinſberg.* [k] *Raab.* [l] *Hongrie.* [m] *da Eſte.* [n] *Barbeli.* [o] *Iſle de Marons.*

CIϽ IϽ XCVI.
HENRICUS IV.

VII. Barbelus, poſt acceptam ſuorum imprudentia cladem cum exiguo praeſidio Lippam teneret, loco metuens auxiliareis ſibi a Palſio ſummitti petit. Miſſa VIII CIϽ et intra urbem accepta; quibus fretus Barbelus fortiter locum tutatus eſt. Erant in hoſtinm ad obſidionem haerentium caſtris omnis generis hominum ad XL CIϽ; qui, de Sigiſmundi adventu fama ſparſa, retro ceſſerunt: ſed ubi eum non advenire cognoverunt, rurſus ad obſidionem reverſi ſunt, cum XVII machinis, foſſorum magno numero, et apparatu bellico. Barbelus, crebris aſſultibus fatigato milite, aſtu hoc uſus eſt: catenis ferreis ac trabibus, globis, clavis ſaxiſque XVI tormenta onerat, et in medio oppugnationis fervore ea locis idoneis ante portam ſtatui juſſit; dein ſubito portam aperiri. Rati noſtros rebus ſuis deſperare Turci, et de fuga cogitare, protinus confertis ordinibus, non expectato ducum juſſu, irrumpunt. Igne ſub id immiſſo ingens edita ſtrages, brachiis, cruribus, capitibus, paſſim per aëra volitantibus. Nec tamen proelio abſtinuerunt hoſtes ultionis avidi: iterumque ac tertio quartoque repetita diſploſio, noſtris interim ſtationem gnaviter ſervantibus; cum ſubito, poſt VI amplius horarum obſtinatum certamen, Turci repente in fugam vertuntur, caſtris deſertis, machinis et impedimentis. Hac in fuga Amethes Giulae et Tiſon [a] Calamicenſis praefecti occubuerunt, dum ſuos ſiſtere conantur protriti. Ceciderunt praeterea ex hoſtibus IV CIϽ, ac multi capti. Cauſam tam repentini pavoris quaerentibus noſtris poſtea conſtitit, eodem tempore quo Lippa oppugnabatur, [b] Lugenſem praefectum, ſub portas Temeſvarae excurſione facta, ſuburbia diripuiſſe et captivos Chriſtianos complureis recepiſſe; dein ignem in domos immiſiſſe, qui tantum incendium, vento vireis addente, excitavit, ut flamma ex caſtris hoſtium conſpiceretur; quo illi conſpecto, ſuos inſigni infortunio affectos rati et noſtros a tergo imminere, protinus ſe in fugam dederunt. Sub id de Sinanis purpurati natione [c] Epirotae morte allatum eſt; qui bello primum Arabico, dein expugnata Goleta clarus, et adverſus Perſas Muſtaphae ſummiſſus, atque bello Pannonico poſtremum adverſus Caeſarianas vireis ſummus imperator delectus, hoc anno ſenio effoetus, quippe jam octogenarium quartum vitae agens, Belgradi ineunte Maio deceſſit: in cujus locum ad primi Viziris dignitatem evectus eſt Ibraimes Amurathis defuncti gener; quo rurſus, ſeditione inter praetorianos exorta, amoto, Mahometes purpuratus eandem dignitatem meruit. Haud multo poſt, dum Sigiſmundus in limite exercitum inſtruit, Heiduci II CIϽ IϽ, tranſmiſſo paulo ſupra Nicopolim Danubio, [d] Plivianum exiguum oppidum ad [e] Iſcham ſitum occupant, et praefectum ab Hadrianopoli huc paulo ante miſſum cum uxore liberiſque ac pleriſque Judaeis capiunt, locoque flammis vaſtato ſecum abducunt. In itinere cum praetorianis, qui Nicopoli erant, rurſus conſerta pugna: ex qua, diu nutante victoria, ſe tandem exiguo eum damno extricarunt, et cum captivis ad Sigiſmundum reverſi ſunt. Is ſub id ad Temeſvaram caſtra poſuerat, recenti clade affectis praeſidiariis inſtandum ratus: jamque magnam murorum partem diruerat; cum, poſt decimum ab obſidione diem, VIII Kal. Jun. Tatari per Ponti Euxini litus in Bulgariam ſe effundentes, pars Temeſvaram profecti ſunt; numeroque XL CIϽ aucti Turci noſtrorum caſtra a tergo invadunt, quibuſcum noſtri obſtinato proelio conflixerunt. Ambiguam diu victoriae nox ſuperveniens controverſiam diremit. Major numerus ex majore hoſtium numero caeſus: deſiderati CIϽ IϽ Chriſtiani. Sigiſmundus diu pro mortuo habitus fuit, proelio abſcedere, ut poſtea compertum eſt, a ſuis coactus. Poſt certamen ſoluta Temeſvarae obſidio, nuſquam comparentibus a Caeſare promiſſis auxiliaribus. Haud diu poſt Palſius ad Sambocam, quod eſt oppidum loco amoeniſſimo ſitum inter [f] Strigonium, Budam, et

INTERPR. [a] *Kalmancze.* [b] *de Lugas.* [c] *Albanois.* [d] *Pliviano.* [e] *Iſch r.* [f] *Gran, Bude, & Stul-Weiſſenburg.*

et Albam regalem, quod plagiariis et praedonibus receptum dabat, copias admovit; et poſt horrendam trium horarum oppugnationem locum expugnavit, deletis ad internecionem copiis quae in eo erant: equi et cetera praeda incendio conſumpta eſt. [a] Fallaca haud longe a Lippa paulo poſt a Tranſylvano poſt admota tormenta deditione recepta eſt, praeſidiariis vitam et res ſalvas pactis.

VIII. DIVERSA parte Cliſſa in Dalmatiae et [b] Liburniae finibus, haud longe a Salonae ruinis, ad litus Hadriaticum munitiſſimum caſtellum, Februario proximo fruſtra ab Uſcocis tentatum, tandem Nonis Aprilibus interceptum eſt a [c] Segenſibus: ad quod recipiendum mox Boſniae purpuratus copias admovit. Nec [d] Leucovitius provinciae proximae praefectus periculum obſeſſorum neglexit; qui, ſubito XL navibus exſtructis ac IV CIↃ armatorum cum commeatu in eas impoſitis, cum Segenſi praefecto ſuppetias Cliſſenſibus ferre inſtitit. Inter navigandum Venetam triremem, Turcis apparatum bellicum et commeatum, ut jactabatur ab Auſtriacis, ferentem, cepit ac diripuit. Praeſidiarii interim pacto doloſo Turcis illuſerunt, depenſis XXIV CIↃ ducatorum locum ſe tradituros polliciti: nam accepta pecunia portam Turcis aperuerunt, tanto eorum admiſſo numero ut ipſi ſuperiores eſſent, admiſſoſque ad unum trucidant. Sub id Leucovitius cum claſſe [e] Siretum juxta [f] Travum appulit, ſubitoque expoſitas copias propius Cliſſam ducit; et nocte continuato itinere ſub auroram ad caſtra hoſtium acceſſit, nec opinato adventu ſuo adeo conſternatorum ut mox vallum reliquerint. Sed dum Uſcoci, genus hominum plus praedae quam pugnae avidum, jam de victoria certi caſtris diripiendis incumbunt, fuſi diſſipatique Turci ordines reſtituunt, et ſolutos palanteiſque noſtros aggreſſi, omnes ad unum Dalmatas ferro ſternunt; et inde in alios, qui ordines ſervarant, invecti, eos caſu ſociorum confuſos caedunt et in fugam vertunt: Leucovitius et Segenſium praefectus vix cum paucis in oppidum incolumes admiſſi ſunt. Id actum VI Kalendas Junias. Biduo poſtcum IↃC eruptione tentata, cum ſperaret ſe cum ſuis ad naveis incolumem perventurum, fruſtra fuit, in itinere rurſus circumventus; vixque cum tribus ex ſuis periculum evaſit. Inde verſa vis ad arcem; quam praeſidiarii omni auxiliorum ſpe deſtituti poſtremo dediderunt, vitam et fortunas ſalvas pacti. Dum haec paſſim aguntur, tandem legio Suevica a ſuperiore Rheni circulo miſſa cum adveniſſet, Adolphus [g] Schuartsburgius ſummus peditum tribunus, et Sig. Eberſtenius ſummus armamentarii praefectus, exeunte Junio in armis eſſe juſſi. Is, eductis [h] Zerina, ubi hyemaverat, copiis, ad [i] Craſtovitzium caſtra locat. Cum Haidar purpuratus obſeſſis opem laturus adveniſſet, conſerta pugna, a noſtris in montana compulſus eſt, amiſſis VIII ſignis et III machinis. Rurſus ad obſidionem reditum, et poſt oppugnationem: in qua dum haeret Eberſtenius, ex literis Sultani interceptis cognitum, Giafferem purpuratum cum XL CIↃ armatorum in Pannonias venire, ut Temeſvaram obſidionis periculo liberet; alia centum CIↃ cum mox ſubſecutura, quibus ſe Tatarus cum L CIↃ adjuncturus ſit; quibus omnibus copiis ſubnixus Giaffer Sigiſmundum rebellem omni ditione ſua ſit expulſurus: ipſum vero Sultanum cum CC peditum CIↃ et CL CIↃ equitum, X CIↃ camelorum, Giafferi victori ab expeditione redeunti ad Budam occurſurum, ac primo Viegradum expugnaturum ac ſolo aequaturum; dein ad Viennam caſtra poſiturum, nec ab obſidione diſceſſurum, niſi urbe capta, et omnibus tam oppidanis quam defenſoribus ad internecionem caeſis: in reditu [k] Strigonium recepturum, et [l] Zigethi oppidum amplius muniturum. His ſuperbae et jactationis Turcicae plenis literis additum erat; ſi Chriſtiani adventui ejus praeverterent, viderent locorum praefecti,

INTERPR. [a] *Fewlack.* [b] *Croatie.* [c] *ceux de Segna* ou *Segni.* [d] *Leukowitz.* [e] *Sirето.* [f] *la ville de Trau* ou *Trau en Dalmatie.* [g] *le baron de Schwartzenburg.* [h] *Zrin.* [i] *Craſtowitz.* [k] *Gran.* [l] *Zighet.*

praefecti, ne quid [a] Javarinum et Pappa interca detrimenti accipiant; res integrae in adventum ſuum ſerventur: ſi contra Budam Chriſtiani arma vertunt, praeſto futurum [b] Cicadam purpuratum cum C armatorum CIƆ, et L CIƆ camelorum annonam portantium. Secundum haec cum aliquoties antea belli contra Chriſtianos decreti, ac Mahometi ipſius ad exercitum profectionis, publica Conſtantinopoli denunciatio eſſet facta, nt eodem tempore et mari et terra terror ac magnitudo Othomanicae potentiae oſtenderetur, XVII Kal. Quintil. Halis purpuratus [c] maritimae rei hoc anno praepoſitus, commeatu a Sultano petito, deducentibus eum honorifice ceteris purpuratis, praetoriam triremem regali ſumptu et tribus fanalibus inſignem conſcendit; in eaque lautiſſimo convivio [d] Hebraimum purpuratum cognatione conjunctum, Cicadam, et [e] Aſſanem eunuchum olim Aegypti praeſidem, alioſque proceres, excepit.

IX. EODEM die tentorium imperatorium per Hadrianopolitanam portam ſolemni pompa eductum eſt, et poſt illud purpuratorum, belli ducum, aliorumque papiliones; hiſque erectis circa tabernae omnium opificum per vicos quaſi in ipſa urbe diſpoſitae, tanta rerum omnium copia et hominum frequentia, ut appareret novam Romam et Imperii ſedem eſſe non Conſtantinopoli, ſed ubicunque Sultanus eſſet, nec loco certo aut muris parietibuſve includi, ſed regiae imperatoris perſonae inhaerere. Admirationem auxit, inter tantam hominum multitudinem, quae aut ad ſpectaculum coiret aut in comitatu erat, tam confuſas nationum omnium linguas, tam diſpares ritus ac mores, in media armorum licentia altiſſimum ubique ſilentium, et paratiſſimum ad imperata obſequium. Poſtridie in caſtra CCCC campeſtres machinae, cum apparatu bellico carriſque innumeris ad majores machinas ſubvehendas fabricatis, adductae. Biduo poſt Mahometus, ut a religione tantam expeditionem inciperet, ad templum profectus eſt, ſupra Jobi ſepulturam gladio militari accinctus: inde ad tentoria luſtranda cum aulico omni comitatu exſpatiatus eſt. Princeps illud tentorium muro linco fimbriato II CIƆ paſſuum circundatur, ipſum in medio ſpatio eminet; in eoque plateae, camerae, aulae, porticus, hoſpitia, balnea, culinae, ſtabula, tanta amplitudine et ornatu viſuntur, ac ſi princeps in ipſa urbe eſſet. In circuitu intra illud pomoerium et alia ſtructa ſunt tentoria, in eorum uſum qui Sultano ad res domeſticas praeſto ſunt. Extra murum Hebraimi, Cicadae, aliorumque purpuratorum ac procerum tentoria ſpectabantur. Aliud ejuſdem magnitudinis tentorium ſemper unius diei itinere praecedit, cum CIƆ domeſticis, tot enim erigendo et inſtruendo inſerviunt. Demum rebus omnibus paratis Sultanus XII Kal. Quintil. urbe profectus eſt, ingenti pompa. Praecedebant bombardarii, [f] ſcloppetarii pedites, et haſtati equites, [g] Gibegos vulgo vocant: tum cubicularii equites ſeu Chiauſſi cum maſſis argenteis inauratis ac lapillis diſtinctis, cum pharetris et arcubus, accincti gladiis, longo ordine, plerique VIII aut X adoleſcentes egregie inſtructos ſecum trahentes, cum mulis onerariis et pediſſequis, incedebant. Sequebantur praetoriani in equis ſigna tribunorum ſuorum praeferentes, pennarum criſtis inſignes. In eorum ultimo agmine ſuperbum praetorianorum vexillum ſpectabatur; ſequebanturque praetoriani ſcloppetarii pedites, cum galeris et cornu quiſque argenteo. Vexillum viride, quod ſumma religione inter Turcos colitur, utpote Mecha allatum, a fanaticis religioſis vulgo creditis, qui virideis galeros et ipſi geſtant, et ad Machometum deteſtandae ſectae auctorem genus referunt, circumſonantibus cum horrido concentu variis inſtrumentis ac vocibus, praeferebatur. Poſt eos X equi a totidem equitibus manu ducebantur, quos Sultanus pro arbitrio mutabat, aureis monilibus, ſellis et fraenis, inſuper

pretioſis

INTERPR. [a] *Raab.* [b] *Cigala Baſſa.* [c] *capitaine general de l'armée navale.* [d] *Ibrahim Baſſa.* [e] *Aſſan.* [f] *Topecz* ou *arquebuſiers à pied.* [g] *Gibeges: hommes à cheval avec la ſalade en teſte & les lances à la main.*

pretioſis gemmis, ſuperbe ornati: ad haec ſtragulis clypei impoſiti erant. Tum purpurati Portae egregie ornati in equis veſtibus inſignibus apparebant, et confertis ordinibus quaeſtores, judices, et ſacris rebus inſervientes miniſtri. Poſtea ſequebantur c circiter praetoriani ad venationes deſtinati, et quiſque eorum binos leporarios canes ac lacones loris trahebant: ipſi, togis auro argentoque elaboratis ac ſubſtrictis, bini incedebant. Proximi his erant, qui vulgo vocantur Solaci, regii corporis ſtipatores circa ipſum Sultanum incedentes. Ipſe holoſerico raſo albo amictus cum inſigni turbinato diademate, cui duae ex ardearum plumis criſtae lapillis ac gemmis rariſſimis ornatae erant affixae, et adamantem immanis pretii in pollice oſtentans, cum Mophti, hoc eſt, ſuae legis ſummo pontifice, ſermones inter eundum conferebat, ut praecipuum pietatis in hoc bello ſtudium populis ſuis approbaret. Tum confuſi proceres, domeſtici, eunuchi, muli cum falconibus, et cc circiter juvenes, quos [1] Hieroglanos dicunt, quibus praepoſiti ſunt eunuchi, circumfuſi tergum Sultani claudebant; et poſt eos ſigniferi, tubicines, tympaniſtae, ac mox currus ac quadrigae; inter quas princeps panno aureo elaborato tecta conſpiciebatur, qua Sultanus interdum vehebatur. Magno numero in ultimo agmine equites ſive Spahi, aliique muli, cameli, et cetera aulici comitatus impedimenta. Aſſan, olim Aegypti praeſes, Conſtantinopoli, ut ſummae rerum per Sultani abſentiam praeeſſet, relictus; cui, quod eunuchus eſſet, major libertas Sultanae compellandae et familiareis cum ea ſermones habendi: quod aliis viris apud ſuſpicaces Turcos non aeque licet. Moniti mox Franciae et Angliae oratores, ut Sultanum ad eam expeditionem ſequerentur. In id attributi XXXVI cameli ad impedimenta eorum portanda; et ſingulis in ſingulos dies per annonarios diſtributi V verveces, XX gallinae, CC panes; ſacchari XII librae, totidem mellis; butyri, piperis, gingiberis, nucis aromaticae et hujuſmodi rerum, libra una; candelarum ſebacearum XII librae, totidem cerearum; riſi, quantum homo portare poteſt; ligni et foeni, quantum duo equi; hordei, loco avenae, hemina cum ſemi. Quae omnia a ditionis Turcicae urbibus ac municipiis, per quae iter antea pronunciatum erat, per parochos ſedulo praebebantur, ut olim ſtante imperio Romano in uſu erat; addita in eos, ac locorum decuriones, ſi officio defuiſſent, capitis poena. Haec, ut ex eorum qui aderant fide accepi, quanquam non invitus multa ſimilia tranſire ſoleam, eo diſtinctius heic commemoranda duxi, quod ad oſtentandum aulae illius ſplendorem, opum magnitudinem, imperii Othomanici potentiam, et foris domique exactam diſciplinam, facere viſa ſint; et ut noſtri tandem aliquando mirari atque adeo indignari deſinant, ſi, dum Chriſtiani orbis principes otio inter foedas voluptates marceſcunt, et odiis ac mutuis aemulationibus ſe conficiunt, homines in aſtricta diſciplina educati, a luxu et ignaviae vitiis alieni, ſolaque fortitudinis via ad opes et honores graſſantes, tam parvis initiis in tantam amplitudinem imperium ſuum extulerint. Haud multo poſt, exeunte Junio, juxta [a] Wihitzam inſulam, ex adverſo Vaciae ſupra Budam in Danubio poſitam, Palfius [b] Strigonienſi praeſidio fretus binas triremeis aggreſſus claſſiarios certamini impares in flumen dejecit, et triremibus ac inſtrumento omni potitus eſt, CCC Chriſtianis, quorum pleríque Itali, ſolutis. Inde Wihitzam iterum tendit, et oppido ſpoliato, quod arci expugnandae pares non eſſent, Strigonium revolat; continuoque cum [c] Naſdaſtio Pragam excurrit, acinaces, gladios, arcus, ſagittas ex hoſtibus honoraria ferens, ductis etiam ſecum captivis libertati reſtitutis, ut erant, nationum habitu. Cum urgerent ut auxilia maturarentur, juſſi in Pannoniam propere redire; et Chriſtophorus [d] Tiſenbachius Caſſoviam miſſus, facta ſpe ut brevi

INTERPR. [a] *Wibitz.* [b] *de Gran.* [c] *Nadaſdi.* [d] *de Tieffenbach.*

NOT. [1] *dele* Hieroglanos, *lege* Itzoglanos. *Put.* Ce ſont comme enfans d'honneur du prince. *Leuncl.*

brevi promiſſae copiae ſubſequerentur. Demum adventante Giaffere Temeſvarae obſidio ſolvitur; et copiae Lippam reducuntur.

X. Ad hoc bellum cum magnum momentum allaturam Polonici regni foederationem appareret, pontifex ſemper antea, et nunc quoque, omni ratione egerat, ut id Sigiſmundo perſuaderet, efficeretque, ut rex auctoritate, qua apud Poloniae optimates pollebat, ad Dei gloriam et Chriſtiani orbis ſecuritatem tam pium conſilium ſuis amplectendum inſinuaret; nam debileis alioqui et Caeſaris, et principum, ordinum, ac civitatum Imperii vireis contra praepotentem hoſtem futuras. Quod cum fruſtra jam per oratores tentaſſet, hoc anno Henricum Cajetanum cardinalem ad Caeſarem legavit, ut acceptis ab eo mandatis cum ipſius oratoribus in Poloniam proficiſceretur, et in publicis regni comitiis regem proceresque ad ſociandas contra Turcos vireis ac conſilia inflecteret. Is igitur cum [a] Wratiſlavienſi epiſcopo aliiſque oratoribus ad Warſavienſia comitia venit, et luculentam orationem coram regni ordinibus habuit, quae poſtea typis excuſa eſt; qua pontificis egregiam in iis quae ad rei Chriſtianae amplificationem pertinent voluntatem ſupra modum laudabat: omneis ab eo non tantum ſpiritualeis ſed temporaleis in Turcicum bellum theſauros conſumptos, immaneiſque ſumptus factos; ſed nullo profectu, quod Poloni praecipui, ad quos commune periculum ſpectat, a foedere ſe alienos huc uſque oſtenderint: miſiſſe nunc ſe legatum cum plena poteſtate, et Caeſarem ſuos oratores deprecatores adjunxiſſe: igitur orare, ut inter ſe Poloni de foedere toties agitato ſerio decernant, ei necne adſcribi velint: quod ſi recuſent, ſimul cogitent, quanta ipſos maneant incommoda; nam Caeſarem cum Turco pacificari ſi contingat, fore ut ipſi non ſolum ad Turcorum, ſed et aliorum principum, injurias exponantur. Ad haec reſponſum a comitiorum praeſide epiſcopo, magnas merito pro tam pia ſolicitudine pontifici habendas gratias, ipſiuſque vicario cardinali. Tum in memoriam revocatum, quid ſuperiore anno Poloni egerint, ut Tatarorum in Pannoniam deſcenſum impedirent, quamque multos e ſuis in crebris contra eos velitationibus amiſerint: velle ſe ac cupere in eo negotio, quod aequum et in ſua poteſtate ſit; de foedere mentionem injectam longius deliberandi ſpatium requirere. Deſinentem excepit Wratiſlavienſis epiſcopus; et jam multoties Caeſarem literis et legationibus Polonos de foedere ſolicitaſſe dicit, ſed irrito ſucceſſu; nunc, cum pontifex legatum cum plena poteſtate miſerit, nihil aliud ſupereſſe, quam ut diſtincte ad poſtulata reſpondeant: Caeſarem quaſcunque aequas conditiones accipere paratum; viciſſim ſperare eas a Polonis propoſitum iri, quae nec majeſtati ſuae turpes futurae ſint, nec inutiles: proinde obſecrare proceres, ne a comitiis diſcedant, antequam certi aliquid ſuper hoc negotio ſtatuant. Cum nihilominus ordines tam cito de eo decidere poſſe ſe negarent, dilata res, dimiſſuſque re infecta Cajetanus; cujus Polonica legatio haud majore fructu quam Gallica recens confecta eſt.

XI. INTEREA poſt longas cunctationes, quod auxilia e longinquo et a diverſis principibus mutuanda erant, XV Kal. Sextil. Viennae Maximilianus ſummus imperator deſignatus armiluſtrium celebravit, vexillo praelato, quod erat e ſerico Damaſceno. Ab una parte aquila biceps imperialis nigra, ab altera imago beatae Mariae inſcripta erat cum elogio, *Patrona Hungariae.* Praeter ſignum praetorianum, quod CCC equitibus conſtabat, totidem erant in caſtris Sileſii equites, CIϽ IϽ Weſtphali, CCCC equites ex Franconia, IϽ ex Bohemia, ex [b] Marcomannis CIϽ IϽ. Ab Anhaltino CIϽ CC equites quoque propediem exſpectabantur, nec non et Baioari et Solmenſis copiae. Aderant et V CIϽ peditum et X CIϽ armatorum in Tranſylvaniam deſtinata. Sub id Wihitzani incolae pejora veriti, tranſlatis Peſtam pecoribus et armentis ac omni ſupellectile, locum deſeruerunt, et tormenta, quae ſecum abducere non potuerunt,

terrae

INTERPR. [a] *de Breſlau.* [b] *Moravie.*

terrae defoderunt; quae noſtrorum in poteſtatem mox venere. Cum abeuntes oppido et arci ignem injeciſſent, ſupervenientes noſtri incendium, quantum in illis fuit, reſtinxerunt, et mutua opera bis CIↃ peditum et equitum auxiliarium ſub id ab Adolpho [a] Schuartsburgio miſſorum magnam partem conſervarunt, et feſtinatis operibus poſtea muniverunt, impoſito CC equitum, IↃ Huſſarorum praeſidio, ac praeterea III peditum ſignis. Haerebat adhuc ad Craſtovitzium Eberſtenius cum V peditum CIↃ, trans Unnam caſtris poſitis; et tum in eo erat ut pontem amne ſterneret, cum hoſtibus numeroſis advenientibus rem proelii aleae committere minime conſultum duxit, ſed mature ad Petrinam ſe contulit. Poſt Eberſtenii diſceſſum inter hoſteis, qui ad XX CIↃ convenerant, agitatum fuit de Petrina aſtu intercipienda; et ſcalae aliaque inſtrumenta jam magno numero parata erant: ſed, re a captivis Chriſtianis, qui aufugerant, detecta, conatus fruſtra fuit. Interea noſtri, ne nihil agerent, XVIII Kal. Sept. Hatuanam obſidione cingunt, quod eſt oppidum ad [b] Zagivam ſupra Zolnocum poſitum: tantaque celeritate id actum, ut Turci prius eos conſpexerint, quam de adventu eorum quidquam intellexerint, rati quoſdam pabulatum emiſſos. Locum tenebant CIↃ praeſidiarii latiſſima foſſa et validiſſimo ſepimento munitum; ad quod attractis inter velitandum tormentis, per quatriduum continuata verberatio. Tum obſeſſi acri eruptione noſtros non levi damno affecerunt, in conflictu [c] Greiſio tribuno caeſo: cujus milites, quod laboranti duci praeſto non fuiſſent, poſtridie ignominioſa miſſione caſtris exire juſſi ſunt. Tandem quaſſato muro duplici ligneo, et terra extracta ac turre dejecta, cum praeſidiarii de ſalute deſperarent, eaſdem conditiones, quae Strigonienſibus anno ſuperiore datae fuerant, petierunt; ſed minime auditi ſunt: et cum arbitrio noſtrorum permittere ſe juſſi recuſaſſent, extrema oppugnatio tentata III Nonas Septembreis, paratis ad eam a Jo. Alberto [d] Sprintzeſteinio ſupremo ſabticenſi III navigiis, quae ab uno latere altis trabibus et craſſis aſſeribus firmata, ſuperne robuſtis aſſamentis concamerata et bubulis tergoribus conſtrata, tormentorum ictus et igneis artificioſos militibus ruinam ſuperaturis defenderent. Tum in amnem, qui oppidum alluit, et juxta Zolnocum in Tibiſcum exoneratur, immiſſa rotis ſubjectis. Ab ea parte et ab altera per terram quatuor locis vis a noſtris facta; qui poſt obſtinatum IV horarum certamen ſub veſperam tandem loco potiti ſunt, lamentis et gemitu ac mulierum puerorumque ejulatu inter armorum fragorem paſſim exaudito. Nuſquam atrociore rabie ſaevitum: nulli aetati aut ſexui parcitum; non ſupplicibus et ad genua provolutis alicujus nominis ac dignitatis Turcis vitae gratia facta, ſed omnes ferro deleri. Tantum quaedam magnatum uxores liberique ac praefectus unus ſervari, et pauci alii, ut ex iis per tormenta de rebus hoſtium cognoſceretur. Vagientes in cunis pueri et foeminae praegnantes crudeliter occiſae: praecipuaque Belgarum intemperies fuit, qui etiam quibuſdam mulieribus gravidis ventres diſſecuerunt, ut foetus in utero conſpicerent: nonnullis et foeminis ac viris cutis vivis detracta; et ex ea, diro ſpectaculo, lora ligulaeque confectae. In ea expugnatione III CIↃ Turcorum perierunt; ex noſtris CCC, in iiſque Belgarum tribunus. Incendio quod partim a noſtris irrumpentibus, partim ab hoſtibus immiſſum fuerat, reſtincto, ingens parta praeda. Terskius primus cum centuria in murum inſiliit, quem [e] Ruſurmius mox ſecutus eſt. Eodem tempore quo Hatuana capta eſt, Turcl Petrinam arctiſſima obſidione cingebant. Boſniae purpuratus cum vicinorum locorum praefectis et XXX CIↃ armatorum foſſorum opera et infeſta VII dierum verberatione tantam jam ruinam ediderat, ſuffoſſa etiam munitione a Cruſtano olim ſtructa, ut nihil ſpei niſi in

INTERPR. [a] *le baron de Schwartzenburg.* [b] *Zagywa.* [c] *le colonel Greys.* [d] *de Sprintzeſtein intendant des armuriers.* Vid. Notit. Imp. [e] *Ruſworm.*

CIↃ IↃ XCVI
HENRICUS IV.

in obſtinata defenſotum virtute ſupereſſet. Tandem Jo. Sig. Eberſtenius et Georgius Leucovitius, collecto ex Croatiae et [a] Vindiae praeſidiis milite, laborantibus ſuis ſubvenire cupientes, cum apparatu omni bellico deſtituerentur, nec in Culpa pontem haberent quo copias traducerent, Siſſecum divertetunt, praeſentia ſua animos obſeſſis facturi, et hoſtem, ne pugnationem tam vicinis auxiliaribus tentaret, aliquantum retardaturi. [b] Banus Siſſeci praefectus pontem ſtruxerat: quo cognito Boſnenſis, qui putabat noſtros fugam meditari, VI CIↃ delectorum tranſmiſſo Culpa in eos properare jubet. Nec illi ſegniter pugnam capeſſunt; iſque exitus fuit, ut Turci repulſi ac poſtremo in fugam ſint conjecti: CCCC primo conflictu caeſi, multi praeterea in Culpae tranſitu aquis hauſti; quidam capti cum magno equorum numero. Succeſſum inſperatum urgere certi noſtri fluvium ſuperant; et cum caſtra hoſtium invaſuri incederent, obvium habuerunt purpuratum cum VIII CIↃ equitum et aliquot peditum ſignis; quem in noſtros acriter invectum fortiſſime repulerunt, ac in fugam, multis Turcis interfectis, compulerunt. Capti quidam, ex quibus cognitum, tormenta jam a Petrina deducta eſſe, et purpuratum cum reliquo equitatu et praetorianis in veſtigio ſtare noſtros exſpectantem, ne fugae ſimilis diſceſſus ejus reputaretur. Noſtri eo profecti vacua caſtra invenerunt, ac compererunt CIↃ IↃ Turcos duabus oppugnationibus occubuiſſe; majorem numerum in Culpae tranſitu periiſſe, praeter eos qui in pugna ceciderunt; conſilium vero purpurati fuiſſe, capta Petrina [c] Catoloſtadium petere. Sub id Heiduci, praedis faciendis homines nati, ſuperato Danubio Bulgariam ingreſſi, Babam mercimonio opulentum oppidum inopinato occuparunt, et crudeliter direptum incenderunt, captivis pleriſque tam viris quam foeminis ac pueris abductis; quos inſequentibus Turcis in itinere deciderunt, praeda omni quam reportabant igne conſumpta, ut ad receptum expeditiores eſſent. Capta et quaedam a Walachis in Danubio navigia commeatu onerata, qui ad praeſidia Turcica vehebatur.

XII. JAMQUE Mahometus, praemiſſis quas habebat copiis et CCC campeſtribus machinis, Belgradum venerat; unde cum toto exercitu movit, et Budam poſtridie Kalendas Septembreis venit: unde XL CIↃ Temeſvaram duce Giaffere purpuraro miſit. Quo cognito, Maximilianus archidux Hatuanae metuens caſtra movet, et IↃ CC pedites ac IↃ equites, quos praeſidio impoſuerat, deducit, moxque locum incendi juſſit, tanta trepidatione ut ex caſtris terror Viennam uſque proceſſerit; ubi juſſi cuncti arma ſumere, munitiones collapſas inſtaurare, novas inſtituere. Mandatum et a Caeſare fuerat ut ſuburbia incenderentur; ſed deprecantibus civibus ſuſpenſum a magiſtratu mandatum, ac poſtremo a Caeſare omnino revocatum eſt. Dum noſtri, ad Wihitzam caſtris munitis, quo conſilia hoſtium verterent opperirentur, Sultanus, qui Budae erat, praemiſſa parte exercitus in ſuperiorem Pannoniam contendit, cum Hebraimo, Aſſane, et Cicada purpuratis; et caſtra inter Danubium et Tibiſcum ad [d] Agriam poſuit, quae et Erlavia dicitur, Solimano olim imperante ſaepius irrito conatu tentatam. Urbs eſt ad [e] Vizzam amnem ſita, epiſcopali ſede nobilis, foſſa et moenibus firma; in quam Chriſtophorus Tiſenbachius III peditum CIↃ, duce Jo. Jacobo [f] Turni comite, paulo ante miſerat: ac ſub adventum Turcorum Wenceſlaus [g] Terskius comes cum Paulo [h] Niatio et inſigni Germanorum ac Italorum manu, ac praeterea CIↃ delectis ſcloppetariis, urbem tuendam ſuſcepit. Excitatis ab hoſte quinque propugnaculis pulſati urbis muri totos VI dies, tanto impetu, ut defenſores noctu diuque abſque intermiſſione in armis eſſe coacti fuerint. Septimo deſerta urbs et incenſa, praeſidiariique, rebus omnibus in arcem tranſlatis, aufugerunt: quorum veſtigiis inhaerentes Turci, cum una perrumpere conarentur, inſigni cum damno repulſi ſunt. Mox ad

propugnaculum,

INTERPR. [a] *Windiſche-marck.* [b] *Bahn.* [c] *Carlſtadt.* [d] *Erla.* [e] *Wizze r.* [f] *Turn.* [g] *Terſki.* [h] *Niari.*

propugnaculum, quod arci adjacebat, omnis verſa vis: quod violenta bidui pulſatione diſturbatum, duodecies repetita oppugnatione, fruſtra cum occupare conati eſſent, tertia decima tandem ſuperarunt: verum illud poſtridie noſtrorum erumpentium virtute recuperatum fuit, in iiſque conflictibus magnus hoſtium numerus occubuit. Stabat obſeſſis, quos ſpe auxilii Maximilianus per literas lactabat, ad ultimum vitae ſpiritum locum tueri; et, patibulo in foro erecto, Terskius enixe vetuerat, ne quis deditionis mentionem faceret; in idque ſingulos milites ſacramento adegerat. Quod per exploratores et transfugas cum reſciviſſet Sultanus, veritus ne ex deſperatione extrema conſilia caperent, et ſupervenientibus interim auxiliaribus res ſuae in diſcrimen vocarentur, maturare ſtatuit, et tentatis obſeſſorum animis opimas conditiones propoſuit, vitam et res ſalvas pollicitus; minis inſuper additis, niſi conditiones acciperent, fore, ut non mitius quam Hatuanae ſui haberentur. Cum nihil neque pollicitis neque minis moverentur obſeſſi, et viderent hoſtes parum hue uſque tormentis profectum, in foſſa, quae arcem et collem vitiferum, quem ab initio Tiſenbachius inſederat et poſtea deſeruerat, interjacet, faſcibus et lignorum ſtrue implenda a milite laborari coeptum; Sultano ipſo et purpuratis ordines obequitantibus, quo in opere feſtinando diligentiores eſſent. Interea omnium votis ſuppetiae exſpectabantur, quae modicis itineribus incedebant, ad gravitatem exercitus accedente difficili per corruptas foedis imbribus vias tormentorum ſubvectione. Itaque, quamvis crebris obſeſſorum literis ſolicitarentur, pulverem nitratum deficere, et numero defenſorum valde imminuto animos militi in dies concidere, ſignificantium, tantum X Kal. Oct. [a] Strigonium appulerunt; vaſtatoque circum Budam agro poſt triduum Palfius cum VI CIↃ peditum, IV CIↃ equitum Hungarorum ruſticos referentium, in caſtra venit. Sigiſmundus XVIII CIↃ bellatorum undique contraxerat, et in his VIII CIↃ mercenariorum equitum, CIↃ IↃ e ſua nobilitate. Peditatus ruſticis e ſua ditione conſtabat, ceterum minime bello exercitatis. Cum his copiis et XL tormentis Maximiliano advenienti obviam profecturus [b] Boſtkaium ſuum vicarium in provincia reliquit, ſi quid [c] Ciculi aliique ab hoc bello alieni per abſentiam ſuam molirentur, ad omneis caſus praeſto futurum. Inter haec Turcis obſidionem urgentibus praeſidiarii erumpunt, et acri impreſſione Turcicas ſtationes diſturbant, Hebraimumque auxilio laborantibus ſuis accurrentem in fugam conjiciunt, paene ut amiſſo [d] tulipanto in noſtrorum manus devenerit. In ea Terskius in capite vulnus accepit. VI Eid. Oct. quatuor repetitis oppugnationibus a Turcis vis facta, quas praeſidiarii ſumma virtute repulerunt: quinta hoſtes antiquum caſtrum novae arci vicinum poſt obſtinatum certamen manu armata occuparunt, captoque IↃ CCC Chriſtianos trucidarunt; ac poſtridie CCC capita a corporibus reciſa Sultano ante tentorium ejus ad ſpectaculum propoſuerunt. Tum ad arcem XIV locis cunei acti, et ſuffodi coeptus murus, ac biduo poſt pulvis injectus; quo ignem concipiente certum et inevitabile exitium obſeſſis imminebat. Cum itaque res conclamata eſſet, nuſquam ſuppetiis comparentibus, quamvis omnem operam darent Terskius et Paulus Niarius, aliique tribuni, ut militis animum obfirmarent, eoſque ſpe certa auxiliorum quotidie implerent, minas interdum addentes et ſacramenti initio obſidionis dicti admonentes, tandem tumultuari miles; ſe deluſum dicere, ad extremum arma injuſſu tribunorum rapere, et colloquium cum hoſte poſcere. Heic Terskius et Niarius, cum aliud non poſſent, ad genua militum advolvi ſupplices, et tantam ignominiam a ſe nomineque Chriſtiano deprecari; ſi a foedo ac pernicioſo nollent diſcedere, ſe prius occiderent, ne decori ſuo ſupereſſe cogerentur. Inter has deprecationes aliquot ex iis, CC circiter, majorem partem Itali, agmine facto clam ex arce elabuntur, et ad hoſtem transfugiunt: quo cognito ſocii prohiberi

neutiquam

INTERPR. [a] *Gran.* [b] *Boſtkay.* [c] *Zekel.* [d] *Turban.*

neutiquam potuerunt, quin ſtatim petito cum hoſte colloquio de deditione tranſegerint. Vita incolumi cum gladiis et impedimentis praeſidiarii dimiſſi, ea lege, ut Terskius, Niarius, et Italorum praefectus, aliique tribuni captivi manerent, cum aliis captivis, qui a noſtris tenebantur, permutandi. II CIↃ Agria III. Eidus exierunt, qui paulum progreſſi a Tataris Turciſque, quod [a] Hatuanae a noſtris actum eſſet exprobrantibus, contra datam fidem, paucis exceptis, interfecti ſunt. Captivi ad Sultani tentorium deducti cum de caede ſuorum expoſtularunt, pleriſque purpuratis res diſplicuit, ad exemplum et diſciplinam pertinere exiſtimantibus, ne ſub Sultani oculos tam male ducum dictis audiens miles eſſet, ut interpoſitam ab ipſo fidem violare non reformidaret; praeſertim ſubeunte memoria Strigonienſis deditionis, in qua fidem noſtri tam religioſe ſervaverant. Itaque praetorianorum praefectus in crimen vocatus, et juſſu Sultani ob id militari ſupplicio in fruſta conciſus eſt. Paulo ante Zigethenſis purpuratus [b] Boboſcam aſtu tentaverat, per [c] Serinii comitis abſentiam, ſed irrito ſucceſſu; et noſtri circa [d] Strigonium et Comaram magnas praedas agebant: et cum Michaël [e] Weida, qui CCC equitibus praeerat, et Altenburgo aliiſque circumpoſitis locis imperabat, in ſuſpicionem clam agitati cum hoſtibus conſilii veniſſet, captus et Viennam ut ſe purgaret deductus eſt.

XIIII. Maximilianus interea tarde incedebat, et gravi tormentorum ac impedimentorum per corrupta imbribus itinera ſubvectione retardatus, cum vix XIV diebus XII milliaria Hungarica emenſus eſſet, vix tandem XVI Kal. Nov. cum X CIↃ equitum, totidem partim Belgis, Italis, quibus Straſoldus non obſcuri nominis tribunus praeerat, Weſtphalieiſque, et VIII CIↃ peditum ac XX tormentis, ſero, jam amiſſa Agria, Caſſoviam venit, et poſtridie vireis cum Sigiſmundo conjunxit. Inde ad Tiſenbachium et Palfium profecti exercitum recenſuerunt; in eoque numerata XXXII expeditiſſimorum equitum, et XXVIII CIↃ peditum, CXX tormenta cum apparatu bellico egregie inſtructa, et XX CIↃ quadrigarum, quibus ſub veſperam per ſingulos dies in orbem diſpoſitis totum exercitum veluti vallo claudebant. Ut detrimentoſam moram aliquo operae pretio emendarent, inſtructa acie exercitus promotus, eo conſilio, ut ſtataria pugna cum hoſte de ſumma rerum decerneretur. IX Kal. Nov. per ericetum Agriam verſus iter fuit; et milliaris ſpatio amniculus interjacebat, qui a Giaffere purpurato cum XX CIↃ tam praetorianorum quam Tatarorum ſervabatur. Occupanti vadum, circa paludibus et aquis reſtagnantibus impeditum, magna ad rem gerendam commoditas afferebatur; et Giafferis conſilium erat, loco amplificato in eo univerſis copiis capiendis caſtra munire. Sed noſtri anteverterunt, et poſtridie, quantum per anguſtias et viarum difficultates licuit, promotis copiis cum hoſte conflixerunt. In eo conflictu praecipuae partes Tiſenbachii fuerunt; qui ope Belgarum, ad veſperam extracto certamine, tandem loco potitus eſt. CC praetoriani occiſi, et XX tormenta capta. Propter tenebras mox ſubortas minime munita caſtra, ſed ſolicita inter ſolutos et palanteis nox fuit; accedente ad ceteras difficultates ligni penuria, cum intenſiſſimo frigore noſtri afflictarentur. Nocte exacta inter belli duces decretum fuit, ut caſtra paulo infra vadum, ad ligni et pabuli copiam, munirentur: et cum controverteretur, trans amniculum, an in citeriore ripa, caſtris locus deligeretur, per transfugas cognitum, hoſtes in propinquo eſſe, et inſtructa acie ad nos contendere. Itaque citra flumen, ut altiore et commodiore ſitu, ſubſiſti placuit, diſtributis hoſpitiis, et tormentis ad loca idonea diſpoſitis. Cum tranſitum ſervandum eſſe prudentioribus placeret, Tranſylvanus, juvenili ardore praeceps et ſucceſſibus proſperis inflatus, Maximiliano auctor fuit, ut X Tatarorum CIↃ, qui ſemper a Turcis praemitti ſolent, liberum tranſitum permitteret; dein, intercluſo ſequentibus aditu,

jam

INTERPR. [a] *Hatwan.* [b] *Bobotzka.* [c] *de Zrin.* [d] *Gran, & Comor.* [e] *Weide.*

jam praetervectos caederet. Non plus III CIↃ praemiſſi; qui diſploſis ſtatim machinis partim diſcerpti, partim in fugam converſi ſunt. Heic [a] Dithmarus Regiomontanus majore tormento ictus occubuit; Fronſpergerus Baioarici equitatus vicarius graviter vulneratus fuit; ſicuti ex hoſtibus Tokaii praefectus. Jamque in conſpectum alter alterius exercitus venerat, amniculo tantum medio, ex quo utrique aquam hauriebant; et, inſtructis longa ſerie ordinibus, pulcherrimum longe ac jucundiſſimum invicem ſpectaculum praebebant. Concilio belli ducum inter noſtros habito, expedire viſum fuerat, ut tranſitus validis ſtationibus firmaretur; ſic enim fore, ut hoſtes, vigiliis fatigati et pabuli commeatuſque penuria laborantes, intra paucos dies fatiſcerent, et fugae ſimili receptu terga vertere cogerentur, et, lente per hoſticum incedentes, tormentorum totque impedimentorum jacturam facerent: cum contra noſtri in ſuo ſederent, et a tergo commoda pabuli et annonae ſubvectione juvarentur. Quanquam ita placuiſſet, Tranſylvano inſtante edictum fuit, ut poſtridie ad tertium tormenti diſploſi ictum cuncti in aciem inſtructi loco deſignato comparerent; et in arcano convenerat, ut, ſi hoſtes tranſitum tentarent, ſimul ac amnem tranſiiſſent, cum toto exercitus robore confligeretur; et, ſi fortuna, quod ſperabatur, votis reſponderet, cum delecto equitatu tantum et valido peditatus Germanici agmine fugientium veſtigiis trans flumen inſiſteretur; ceteri in citeriore ripa ſervatis ordinibus exitum opperientes remanerent. Dum igitur VII Kal. Nov. IV CIↃ Tatarorum et VI CIↃ equitum ac praetorianorum ſeriatim incedentes amnem tranſmitterent, diſpoſitis ad collapſi juxta templi macerias praetorianis cum XXIV machinis, noſtri, conſultum rati ne plures tranſire paterentur, ut erant recte inſtructi, in ſolutos, antequam ordines reſtituiſſent, invecti, eos cum magna caede trans flumen pellunt, provectique ulterius XL tormenta capiunt, et ad tentorium uſque Sultani fugienteis inſequuntur, victoriam ubique inclamantes. Quo cognito, contra ducum imperia, qui in citeriore ripa erant injuſſi amnem ſuperant, confuſique, tanquam jam certa victoria, ad praedam ruunt. Heic diſſipatis ordinibus ſupervenit Cicada purpuratus, qui ultimum agmen XL CIↃ armatorum ducebat; et integer in confuſos impreſſione facta facile eos in fugam vertit. Peditatus omnino caeſus, a fugiente equitatu noſtro fere protritus. Qui ſuperfuere non in caſtra, ad quae tutus receptus erat, ſed pudore praepediti, nocte appetente, alii alio per tenebras palantes longe ab exercitu abierunt. Maximilianus nemine perſequente eundem errorem erravit, et deſertis caſtris Caſſoviam ſe contulit: Tranſylvanus diverſa via ad limitem ſuum contendit. Cautiores Turci, et dicto tribunorum audientiores, pulſis Chriſtianis in ripa amnis conſtiterunt, neque ulterius fugientibus inſtiterunt. Periere ex noſtris ad X CIↃ, et in iis Pletembergus ſummus Baioarorum auxiliarium praefectus, Wenceſlaus Poppelus, [b] Petrus Pekius militum tribuni; II juniores [c] Holſatiae principes, Weſtfalicorum equitum Italicaeque levis armaturae duces omnes, plerique alii; caeſi ſauciatique peditatus fere duces omnes, ſigniferi ac centuriones. Ad caſtra cum [d] Palfius et Burgovius cum Joanne [e] Perneſteinio rei tormentariae praefecto ſe recepiſſent, profunda nocte de ſumma rerum cum ceteris belli ducibus, qui aderant, conſultatum fuit, ſi qua ratione reliquiae exercitus et tormenta in tutum deduci poſſent: et cum propter gravitatem tormenta ac tentoria deſeri placuiſſet, per legiones in ſummo ſilentio moniti praefecti, ut quiſque, igne conſumptis quae aſportari non poterant, pretioſiora ſecum ferens tacita fuga ſibi conſuleret. Ita nuſquam inſequente hoſte dilapſi quacunque viſum eſt expeditius Chriſtiani; qui, ſi omiſſa praeda poſt primam aciem ordines ſervaſſent, pulcherrimam victoriam

INTERPR. [a] *Dithmar de Konigsberg.* [b] *Prettipeki.* [c] *Holſtein.* [d] *le comte Palfi, & le marquis de Burgau.* [e] *de Perneſtein.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV. victoriam eo die reportaturi erant; aut, ſi poſt cladem, diſcurrente ad praedam milite acceptam, tranſmiſſo amne ordines reſtituiſſent, ſaltem fugae ignominiam ſervatis tormentis et impedimentis ſarcire potuiſſent. Nam Turci, prima impreſſione adhuc attoniti, convaſatis rebus pretioſioribus eadem nocte retro ceſſerunt, tanta trepidatione, ut per biduum tentoria, tormenta, et graviora impedimenta in caſtris ſine idoneis ſtationibus relicta fuerint. Qui caeſorum in [a] Agriae obſidione, et pugnae [a] cc poſt Nicopolitanam annis ad [b] Kereſtum commiſſae, ſic enim locum proclii vocant, utrinque rationem inierunt, XX CIↃ ex noſtris, ex hoſtibus L CIↃ, deſiderata prodiderunt.

XIV. SULTANUS, relicto Agriae X CIↃ praeſidio qui urbem et arcem inſtaurarent, partem copiarum per hyberna deduxit, et cum reliquiis et aulico comitatu per Zolnocum, Belgradum, et inde modicis itineribus Conſtantinopolim, ſe contulit; in ultimo agmine per Bulgariam a Michaële Walachiae Tranſalpinae deſpota aliquantum juxta Nicopolim infeſtatus. Palfius cum ſuis rediens Strigonium caſu trepidum novo praeſidio firmavit. Maximilianus cum VI ciſiis Caſſovia Viennam venit exeunte Novembri, ubi Burgovium et [c] Schuartsburgium obvios habuit. Budenſis purpuratus, poſt tot proſperos ſucceſſus infractas ubique Chriſtianorum vireis ratus, proximam [d] Wihitzam invaſit. Sed cum milites qui in praeſidio erant minime animis concidiſſe ſe oſtenderent, crebris eruptionibus Turcos infeſtantes, ille primo cunctantius agere: dein, ubi fama percrebuit aliquot noſtrorum CIↃ conveniſſe, ut laborantibus ſuppetias ferrent, ab obſidione omnino diſceſſit.

XV. IN [e] Boruſſia et Suecia hoc anno res ob religionem paulum turbavere. Nam Sigiſmundus Poloniae rex apud Auguſtanae confeſſionis ſocios urgebat, [f] Culmenſi et Uladiſlavienſi epiſcopis inſtigantibus, ut templa Catholicis olim adempta reſtituerent, et publicam Catholicae religionis profeſſionem relinquerent. Jamque [g] Mevae et Stargardiae Uladiſlavienſis templa a Proteſtantibus olim occupata receperat, et [h] Thorunae templum primarium ipſo beati Joannis Baptiſtae feſto occupaverat, paſtoribus in agro paſſim remotis: [i] Gedanenſibuſque intercedentibus [k] Subcoviam primum, dein [l] Olivam evocatis, Marianum templum urbi contiguum et beatae Brigittae coenobium ſibi reſtitui poſtulabat, Jacobo Fabricio gymnaſii rectore tanquam damnatiſſimi Calviniſtici dogmatis doctore Subcoviam citato. Sed cum is ſenatu excuſante non compareret, miſſi ab epiſcopo qui Gedani cum ipſo legibus agerent. Sed ſenatus interpoſita rurſus proteſtatione interceſſit, privilegia ſua ac libertates et pacta cum deceſſoribus regibus inita violari cauſatus. Itaque rex partes ſuas interpoſuit, et Gedanenſium magiſtratum ac ordines civitatis ad cauſam dicendam in aulam citavit. Verum, ſub id capta a Turcis Agria Poloniae limiti proxima, cum tam formidoloſi hoſtis conatibus avertendis occupata eſſet regio, induciae Gedanenſibus ad ferias Paſchaleis anni inſequentis datae ſunt.

XVI. EODEM tempore Sigiſmundus, de majorum religione in hereditario Sueciae regno, a quo exulabat, reſtituenda cogitans, cum conſiliis ſuis Carolum patruum proregem adverſari videret, ut ejus auctoritatem et potentiam everteret, inſtituta de prava regni adminiſtratione per ſuam abſentiam querimonia, a quibuſdam perſuaſus, ac praecipue a Nic. [m] Flemingo Finlandiae praefecto, qui praetextu belli Moſcici licet jam compoſiti militem in regno ſcripſerat, delegatos quaſi a Poloniae ordinibus miſit; qui [n] Stocolmiae VI Kal. Oct. auditi ſunt: exorſique a conjunctione utriuſque regni, quod Sigiſmundus veluti uno nodo tanquam caput membris impetitans conſtringat, ſui officii Polonos duxiſſe, Suecos errorum in publica adminiſtratione, ut qui

INTERPR. [a] *Erla.* [b] *Kereſte.* [c] *le baron de Schwartzenburg.* [d] *Wihitz.* [e] *la Pruſſe, & la Suede.* [f] *de Culm, & de Wladiſlau ou Cujavie.* [g] *Meva, & Stargard.* [h] *Thorn.* [i] *ceux de Dantzick.* [k] *Subcow.* [l] *Oliva.* [m] *Flemming gouverneur de Finlande.* [n] *Stockholm.*

NOT. [a] du tems de Charles VI. *Put.*

qui magnis plerumque turbis caoſam praebeant, pro ſoederatione antiqua et amicitia recenti commooefaecere: pernicioſius autem errari oon poſſe, quam cum, ſpreto ac praeterito legitimo imperio, ad concilia publica alieno vocatu convenitur; ſicut ſuperiore anno factum fuit [a] Sudercopiae, rege oon aſſentiente et vetante: in eo leges oovas latas, collationes pecuniarum et aliarum rerum ſubditis imperatas; miniſtros regios loco motos, et formam adminiſtrationis publicae ſine regis auctoritate mutatam; arces regias in aliorum poteſtatem traditas; diplomata regia reſciſſa; monetam alieno oomine percuſſam; provocationes ad regem inhibitas; et majeſtatem regiam multis modis circumſcriptam ac labefactatam fuiſſe. Haec mature perpendi et digna ſatiſfactione corrigi petebant oratores, ne turbis, quales in Francia et Belgio noſtra memoria exortae ſunt, ex ea occaſione materia praebeatur. Ad haec Carolus tam ſuo quam ordinum regni nomine, conſcripta apologia, reſpondit, et de conjonctione utriuſque regni meotiooem longe ſibi jucundiſſimam praefatus, ſimilitudinem capitis membrorumque amantiſſimis regum ſuorum Suecis minime inculcandam fuiſſe dicit; quippe cujus illuſtrius teſtimonium extare noo poſſit, quam quod regni vetuſtiſſimi ac liberrimis ſuffragiis in regum creatione utentis ſucceſſionem ſemper maſculae regum propagini, ſervata aetatis praerogativa, reſervarint: proinde fateri ſe, regnum quidem a rege ut corpus a capite gubernari, ſed ea lege, ne membrorum, quae parere neceſſe habent, officia confundantur, nec praeter jus et antiquas regni leges quicquam fiat; denique ratio habeatur, ſi rex, qui rerum potitur, in regno vel extra regnum ſit. De Sndercopienſi conventu quod queruntur, mirari ſe, Polooos tam aliena ab officio et mutua benevolentia erga ſocios et amicos cenſura uti, et male de rebus Suecicis inſtructos ſalcem in alienam ſegetem mittere: nam nihil eo conventu actum contra dignitatem regiam, vel patriae jura; neque novas leges latas, ſed jam latas denuo firmatas et executioni demandatas; et pacem religionis, qua regia tranquillitas continetur, ſancitam; regium jusjurandum conſtitutum et tabulas hereditarias: id auctoritate Caroli proregis factum; idque regi abſenti ſignificatum, cui jus cooventus indicendi, ſi in regno fuiſſet, competebat. Licere ordinibus, cum rex non oppugnatur ſed propugnatur, etiam praeſentibus regibus convenire: quid enim io eo actum, quod non e re publica ſuerit? In eo aeris alieni a Joanne parente relicti diſſolvendi rationes initas, et ſtipendii, quod militibus debebatur, exſolvendi, ad liberaodam regis fidem; quae niſi integra ſervetur, protinus regiam majeſtatem concidere: praeterea actum de dote regis ſoroti aſſignanda, quod niſi collatione extraordinaria expediri non poterat:. praeterea exorientibus novis malis remedium a regni ordinibus per regis abſeotiam mature petendum fuiſſe, et jusjurandum regium denuo firmari oportuiſſe ob religionis diſſidium, quod, cum rex hereditarium regnum crevit, oondum exortum fuerat; eoque decreto accedere debuiſſe ſenatus auctoritatem, ſine qua per regni leges regibus ipſis minime liceat in gravioribus negotiis quidquam ſtatuere. Ad appellatiooes quod attinet, ounquam eas ad regem tanquam ſupremum magiſtratum, vel ſummae rerum a rege praepoſitos, impeditas; ſed reſervatas, ut in foro majeſtati regiae competeoti in Suecia diſceptarentur; noo autem ut in alienum a Suecia regnum, atque adeo in Poloniam, transferrentur. In Luſitania, Neapolitano regno, in Sieilia, non ad Caſtellae regnum provocari, ſed a proregibus ac magiſtratibus in iis regnis a rege conſtitutis negotia decidi. An vi et armis ſubactos a Polonis Suecos, ut cogantur ab iis jura et leges petere? Quantum praeterea ex longinquitate itineris et ſumptuum magnitudine incommodi ac moleſtiae ſecuturum, ſi a Succis in Poloniam provocandum eſſet? Miniſtros regios non tam ordinum decreto motos, quam quia jurejurando regio ita cavebatur; ut potius id executioni jurisjurandi regii,

quod

INTERPR. [a] *Sudercopen.*

quod abſente rege fieri licuit, quam Sudercopienſis conventus anctoritati, tribuendum fuerit. Regia mandata non reſciſſa, quae vere regia fuerint: ſed licuiſſe ſemper eas literas, quae legibus regio jurejurando firmandis adverſentur, non reſcindere, verum, ut honos regis dextrae ac ſigillo ſervetur, ſuſpendere; non quod plus ſibi quam regi tribuendum putent, ſed quia regum in Suecia poteſtas legibus circumſcripta ſit, in eoque liceat regibus quod honeſtum eſt, eaque poſſint quae jure poſſint: nam et in regno Galliae hereditario ſaepe immoderatas regum largitiones incolumi majeſtate revocari. Franciae et Belgii exemplum merito delegatis ipſis reponi poſſe: non enim obſequii detrectatione, ſed ob violentiam, et aſtus eorum qui Proteſtantium religionem eliminare conabantur, bella civilia inter Gallos toties recruduiſſe, et tertio tanquam arbitro ad regnum praetexta religionis cauſa invadendnm portam patefactam fuiſſe. Nicolaum Flemingum, licet jam cum Moſco pace facta, militem provinciae gravem ſeribere, non poſſe non graviter ferre regni ordines, ex eoque ſuſpicari aliud per illos delectus intempeſtivos agi, quam quod propalam ſimulatur: proinde rogare regem, arma deponi et controverſias in regno ac regni legibus decidi jubeat; ab eoqne tanquam ab irato principe ad melius conſultum provocare, atque demiſſe obſecrare tam Carolum quam ſenatum, ne ipſo rege, Carolo vicem regiam fungente, ſenatu conſulente, regni jura convellantur. Legibus regni non abolitis cautum eſſe, ut negotia publice per regum abſentiam ab indigenis conſiliariis ac proceribus explicentur; eorumque officio incumbere, ne regum extra regnum degentium juſſa, aliter quam ſi per ſenatum conſulta fuerint, executioni demandentur. Eaſdem conſtitutiones a Guſtavo avo et Erico Guſtavi filio, cum in Angliam profecturus eſſet, renovatas eſſe: cumque rex Hiſpaniae Philippus Mariam Anglam in uxorem duceret, jurejurando mutuo cautum eſſe, ut, alterutro in alterius regnum licet hereditarium migrante, neutrius dignitati praejudicaretur. Et, ut ad cetera reſpondeatur, nullum in Sudercopienſi conventu tributum imperatum eſſe, ſed ſponte, uti lex exigit, oblatum ad ſumptus belli reſarciendos. Monetam Caroli nomine cuſam, non ſine exemplo: nam [a] Vaſteni, Joannis et principis fratris nomine conjunctim appoſito, idem factitatum; et regem poſtea duci fratri percutiendae monetae, quamdiu viveret, facultatem conceſſiſſe. Haec, ad laeſae majeſtatis non crimen ſed ſuſpicionem purgandam, ut rex in bonam partem accipiat, orare, atque adeo ipſos Polonos obteſtari, qui acerrimi patriae libertatis vindices privilegiorum aſſertorum praecipuam ſemper laudem meruerunt, nt ſereniſſimi ex regis animo hanc ſiniſtram de Suecis conceptam opinionem evellant, perſuadeantque ut juxta regni leges hanc controverſiam citra belli violentiam dirimi patiatur. Ita dimiſſi legati in ſpeciem amice, ſed per illam legationem bellum ſibi denunciatum interpretantibus regni proceribus: cujus non ſatis conſiderate ſuſcepti, et mox non magis feliciter geſti, haec praeludia fuere.

XVII. PAULO ante Anna Sigiſmundi filia, Sigiſmundi Auguſti ſoror, quae Stephano nupſerat, ultima ex Jagellonum familia, cum LXX annum expleviſſet, Warſaviae ex hac vita migravit, relictis ampliſſimis theſauris, quos Sigiſmundo et Annae Suecis Catharinae ſororis liberis teſtamento legavit. Corpus ineunte Novembri Cracoviam tranſlatum, ac perhonorifice juxta Stephanum maritum conditum. Eodem anno ineunte Philippus Brunſvicus Philippi filius, Alberti nepos, ſine liberis deceſſit; cujus adhuc ſpirantis arces aliquot Henricus Julius familiae princeps, ac ſtatim eo extincto reliquam ditionem, ſolus occupavit. Unde magna inter eum et Brunſvicae ac Luneburgicae gentis principes agnatos, qui [b] Cellae, Tannebergae, et Harburgi ſedem habent, controverſia exorta; qui ſe gradn propinquiores a Julio praeverti fremebant, et legitima hereditate ſpoliatos ante omnia reſtitui debere contendebant.

Sed

INTERPR. [a] *Vaſtena.* [b] *Zell, Dannenberg, & Harburg.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

Sed Julius cum pactorum antiquorum praeſcriptione ſe tueretur, jam poſſeſſione adepta, ad controverſiam jure diſceptandam provocavit; quae tandem certis conditionibus principum vicinorum interventu compoſita eſt.

XVIII. APUD nos interim rex ad [a] Faram poſitis ſuperiore anno caſtris adhuc haerebat; et, cum diuturnam fore obſidionem animo provideret, auxiliaribus tam vicinis, ad idonea loca copiis hoſpitia metatus fuerat, quo aditum ad oppidum intercluderet, tandemque obſeſſos commeatus inopia ad deditionem compelleret.

XIX. IN proximo Belgio poſt Erneſti mortem Albertus cardinalis frater, qui Luſitaniae regno praeerat, a Philippo ſucceſſor et gener deſignatus, in dies exſpectabatur, ut poſt tot proſperos ſucceſſus tumultuantem ſtipendii defectu militem praeſentia et pecunia, quam copioſam ſecum advehere putabatur, placaret, et Farae obſeſſis ſubveniret. Is jam exeunte anno ex Hiſpania in Italiam trajecerat, ſecum adducto Philippo Gulielmo Naſſovio Arauſionis principe, quem Philippus ſuperſtite parente et poſtea jam multos annos captivum tenuerat: tunc vero, Infantis Eugeniae Clarae Eliſabethae, cui Belgium deſtinaverat, precibus exoratus, cum et libertati reſtituerat, et velleris aurei torque donaverat, comitemque Alberto addiderat, quod ejus interventu futurum ſperaret, ut Mauritius ejus frater et Ordines Belgii, qui parentem ejus tam propenſo favore proſecuti erant, ad pacis rationes inflecti poſſent. Ubi Genuam appulit Albertus, ipſum ad pontificem per diſpoſitos equos ablegat, excuſaturum quod non ipſe Romam iret; nam a Philippo ſibi mandatum, ut, nulla mora in itinere facta, quamprimum in Belgium, quod alioqui periclitetur, ſe conferat. Inde per [b] Inſubres in [c] Allobroges deflexit, et ſuperatis Alpibus ac [d] Juraſſo monte in [e] Sequanos deſcendit, novis copiis ubique conſcriptis: ac tandem Lucemburgum venit exeunte Januario; obvioſque habuit provinciarum illarum, quae Philippo parent, proceres; nec non [f] Fontanum, Feriae ducem, ac praeter eos Erneſtum Baioarum Colonienſem archiepiſcopum ſeptemvirum, qui cum numeroſa ſuarum ditionum nobilitate ſtatim advolavit. Inde, paratis ad ejus adventum pompis et arcubus triumphalibus, III Eid. Febr. inſigni comitatu per [g] Lovanienſem portam Bruxellas ingreſſus eſt.

XX. REX ad [h] Folembracum praetorium in [i] Codiciaca ſylva ad venationes a Franciſco I exſtructum divertit; dumque in eo eſſet, Meduanii negotium cum Petro [k] Janino Divionenſi praeſide agitatum finem accepit. Ejus deciſionem aliquantum remoratus eſt ſcrupulus de regis deceſſoris paricidio, quod a ceteris edictis, quibus praeteritorum gratia fiebat, ſemper exceptum fuerat, ejuſque integra perſecutio Aloiſiae ejus viduae et cognitori regio relinquebatur: nam Meduanius non id eximi, ſed, antequam omnino tranſigeret, plenius de eo a rege ipſo cognoſci, petebat; ita ut poſt edictum promulgatum, eadem de re amplius queri non poſſet. Itaque juſſi Achilles [l] Harlaeus ſenatus princeps et Petrus [m] Seguierius praeſes, cum Jacobo [n] Gueſlaeo cognitore regio aliiſque ex ampliſſimo ordine delegatis, ad aulam venire, et probationes antea confectas ſecum afferre, quibus Michaelem [o] Martellum praecipuum ab initio ſeditionis Pariſienſis incentorem conſilii participem fuiſſe apparebat. Tandem, annitentibus qui circa regem erant, et reconciliationem cum Meduanio ad praeſentem rerum ſtatum tam juſtae alioqui ultionis perſecutione plus momenti afferre exiſtimabant, edictum in illius gratiam Januario menſe conditum eſt, XXXI capitibus abſolutum: quo rex, multa praefatus de calamitatibus publicis, et excuſata eorum, qui ob religionis cauſam ad ciendos animos validiſſimam a regio obſequio defecerant, pervicacia,

praeteritorum

INTERPR. [a] *la Fere.* [b] *le Milanois.* [c] *Savoye.* [d] *Mont Jura.* [e] *la Franche-Comté.* [f] *le Comte de Fuentes.* [g] *la Porte de Louvain.* [h] *Folembray.* [i] *Foreſt de Coucy.* [k] *Jeannin preſident de Dijon.* [l] *de Harlay.* [m] *de Seguier.* [n] *de la Gueſle procureur general.* [o] *la Chappelle Marteau.*

praeteritorum gratiam oblivione ſancita Meduanio facit, eique [a] Cabillonum ad Ararim, Inſubrum pagum, hodie Seurcum vocant, et Auguſtam Sueſſionum ſecuritatis cauſa ad ſexennium attribuit, in quibus per id tempus Proteſtantibus publice ad conciones convenire non liceat: omnia judicia, decreta, ſententias contra Meduanium, principes, proceres, civitates, univerſitates, alioſque cujuſcunque conditionis et ordinis, qui ejus partes ſecuti ſunt, latas revocat; ſacerdotiis, dignitatibus, bonis, unde ob rebellionem dejecti fuerant, reſtituit: qui praeſentis edicti beneficio uti volent, intra XL dies a promulgatione edicti in ſingulis regni curiis et earum praefecturis facta, et digniores quidem perſonae regi ipſi aut apud curiarum ſupremarum acta fidei ſacramentum praeſtare, alii in praefecturarum archivis nomina ſua inſcribere, teneantur, fidemque obligare, ſe regi in poſterum obedienteis fore, et ab omni foederatione tam in regno quam extra regnum contracta diſceſſuros. Tum VI capite praeteritorum omnium facta gratia, primo cum ſolemni exceptione regis paricidii; mox additum, poſtquam regi, inſpectis probationibus de ea re factis, et coram conſanguineis principibus, aliiſque principibus ac proceribus et ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus, diligenter excuſſis, conſtitit, principes tam viros quam foeminas (id appoſitum Catharinae Lotharingicae [b] Monpenſeriae, quae magnam invidiam ob id ſuſtinebat, cauſa) qui a regis partibus defecerant, ab eo crimine innocenteis eſſe, et ſolemni jurejurando ipſi coram ſe purgarunt, ſuam majeſtatem graviſſimis de cauſis ad id inductam non intelligere, ut exceptio illa ad eos porrigatur, ejuſque rei perſecutionem cognitori regio et cognitionem omnem regni curiis interdicere. Sepulta itidem memoria caedis Florimondi [c] Halvinii Menelaci marchionis Fatae ante quadriennium interfecti, poſtquam eam praeter voluntatem ſuam contigiſſe Meduanius teſtatus eſt; neve de ea in crimen [d] Magnius ſtiparorum Meduanii vicarius vocetur, expreſſe prohibetur. Scripta, literae, libelli ab anno CIƆ IƆ XXCIX quacunque de cauſa publicati, fraudi ne auctoribus eſſent, aut propterea in eos anquireretur, ſtatuitur; dignitates, magiſtratus, militias a Meduanio civitatibus et urbibus quas tenebat ac ſuis ſequacibus conceſſas rex confirmat, modo a ſe ſeu cancellario nova diplomata accipiant. Id autem digne ille executus eſt, juſſis adferri Meduanii diplomatis, et, antequam regia obſignaret, in publico auditorio concerptis. Et, quia illa venalia fere erant, et qui detrimentum inde ſentiebant ab eo delegatis aut ipſi negotium faceſſere poterant, decretum, ut in eum eoſque nulla propterea actio competeret. Praeterea a decimarum praeſtatione ex ordine ſacro exempti, qui belli tempore partes illius ſecuti decimas ei perſolviſſent. Comprehenſi omnes eadem gratia qui beneficio edicti uti vellent, ac nominatim [e] Maſſilienſes; qui mox alia ratione regi reconciliati ſunt: Philippus Emmanuel Lotharingus Mercurii dux, et Carolus Lotharingus Aumalae dux, in quem abſentem et contumacem paulo ante ignominioſae mortis ſententia promulgata fuerat; cujus proinde amplior executio ad tempus inhibita eſt; intra quod ſi ille ad officium rediret, rex declarat, ſententiam quoque omnino ſe revocaturum: gentilibus ſuis proxime accenſiti Henricus [f] Jouſae dux, [g] Villarii marchio, et [h] Monpeſatus fratres; [i] Eſtrangius qui [k] Anicium in Velaunis, [l] Santoffangii fratres qui [m] Rupifortium, Petrus [n] Cornutus Pleſſius qui [o] Cratumnum in Andibus, et Euſebius Pedifolius [p] Sevrius qui [q] Ganachiam itidem praeſidio ejus nomine tenebat. Poſtremo, ut tanta gratia etiam regia liberalitate cumularetur, ad exſolvendum aes alienum tam a ſe quam amicis hujus belli tempore contractum donata CCCL CIƆ aureorum duobus annis proximis pendenda, et inſuper XXVII CIƆ aureorum ad uſuras luendas, omni contra ipſum actione

creditoribus

INTERPR. [a] *Chalons ſur Saone, Seurre, & Soiſſons.* [b] *Madame de Monpenſier.* [c] *de Hallwin marquis de Meygnelers,* al. *Menelay.* [d] *le Sr de Magny lieutenant des gardes.* [e] *ceux de Marſeille.* [f] *de Joyeuſe.* [g] *des Prez marquis de Villars.* [h] *des Prez Sr de Montpezat.* [i] *le Sr de l'Eſtranges.* [k] *le Puy en Velay.* [l] *de St Offange.* [m] *Rochefort.* [n] *Cornu Sr du Pleſſis.* [o] *Craon en Anjou.* [p] *du Puy du Fou Sr de la Severie.* [q] *la Ganache.*

creditoribus interim denegata, et in regem tranſlata; qui et obligationes, ob Helvetiorum, Germanorum tam equitum quam peditum, Lotharingorum, aliorumque exterorum ſtipendia a Meduanio contractas, in ſe taoquam regis ac coronae Francicae cauſa factas eodem edicto ſuſcepit, ab iiſque Meduanium liberavit, ac eas diſſoluturum ſe primo quoque tempore promiſit. Cum multas in promulgatione ſubørituras difficultates providerent qni circa regem erant, conſilium ei dederant, ut, vocatis Gulielmo [a] Albaſpinaeo Caſtrooovio Aloiſiae cancellario, ac Ludovico [b] Buiſſone procuratore ejus generali, aliiſque miniſtris, enixe injungeret, ne nomine illius in ſenatu intercederent, alioquin indignationem ſuam incurſuri. Igitur allato in curiam edicto, cum nemo non indigniſſime ferret, adeo regis defuncti cauſam, cujus exemplum ad regiam majeſtatem regnique ſecuritatem pertinebat, ab omnibus neglectam jacere, nemo tamen contra regis juſſa hiſcere auderet, [c] Diana a Fraocia Engoliſmenſis Franciſci Momorantii vidua, virilis animi foemina, quanquam per Pomponium Bellevreum regis nomine monita ne ſe huic negotio interponeret, conſtantiam ſervavit, et, libello propria manu ſcripto ac ſubſcripto ac per ſe ſenatui oblato, Aloiſiae nomine interceſſit: et cum ſingulare ea de re Aloiſiae mandatum ab ipſa exigeretur, illa petito ſpatio propere nobilem e domeſticis ad reginam mittit, quae tunc [d] Cenoncellis ad Carim erat, et intra triduum ampliſſima mandata ab ea accepta rurſus obtulit. Secundum haec a ſenatu decretum III Eid. Mart. ut interceſſioois a regina factae inſtrumentum ei concederetur, qno, prout expedire videretur, tempore et loco uti poſſet, ac ſine praejudicio interceſſionis vocatis nniverſis curiae claſſibus de edicti promulgatione deliberaretur. Id additum, quod edictum illud non ut alia ſingulis conceſſa ad univerſi regni pacificationem pertineret: et praeterea ei adjunctum erat aliud edictum, quo rex in Meduanii gratiam [e] Auguſtae Sueſſionum praeſidialem curiam et qnaeſtorum ſedem inſtituebat, quod niſi ab uuiverſo ſenatu approbari non poterat. Igitur biduo poſt coactis univerſis claſſibus, cum denuo creditores interceſſiſſent, audito cognitore regio decretum fuit, ut edictum et articuli edicto adjuncti ex regis expreſſo ac repetito mandato in acta curiae referreotur, ſine approbatione clauſulae edicto appoſitae, qua Meduanius religionis Catholicae cauſa quae fecerat feciſſe credi volebat; et ea praeterea lege, ut antequam patricii et conſiliarii loco in ſenatu ſedere queat, declarare teneatur, crudeliſſimum, inhumaniſſimum, ac ſumme deteſtabile Henrici III beatae memoriae regis defuncti paricidium proditione et ſcelerato ac damnabili conſilio patratum fuiſſe, et, ſi quid de eo reſciviſſet, id omni ratione impediturum fuiſſe, curiaeque ſupplicare, ut ita rem habere ſibi perſuadeat; inſuper fidem obliget, ſi qui paricidii conſcii et complices in locis ei ſecuritatis cauſa attributis reperiantur, bona fide curaturum ut ii comprehendantur, et vincti curiae ſiſtantur. Poſtremo additum, ut nullum eo edicto creditoribus praejudicium factum intelligatur, et contractus ac obligationes cum Meduanio aut ejus amicis ac miniſtris factae in priſtino ſuo vigore maneant. Id ubi in aula cognitum, iiſdem qui Meduanii cauſae adeo favebant inſtigantibus, rex ad curiam mittit novum diploma XIII Kalendas Aprileis; quo ſe velle teſtatus, ut gratiae Meduanio factae nulla conditione appoſita derogetur, ſed ipſe ea, prout conceſſa eſt, plene fruatur, jus interceſſione a regina interpoſita et a curia reſervata quaeſitum in id tantum valere poſſe declarat, nt extet apud eos qui nunc ſunt, et poſt erunt, inſigne ac ſumme laudabile pietatis, qua regem maritum defunctum proſecuta eſt, teſtimonium: et quantum ad conditionem adjectam attinet, ſine approbatione clauſulae, qua Meduanius quae fecit religionis cauſa feciſſe credi voluit, mandatur, quando ſimilis clauſula in aliis edictis pleriſque appoſita legitur, et rex pro certo egregiae ſuae erga Meduaninm voluntatis et de ipſius ſinceritate conceptae opinionis documento

INTERPR. [a] *de l'Aubeſpine Sr de Chaſteauneuf.* [b] *Buiſſon.* [c] *Madame d'Angouleſme veufve du mareſchal de Montmorency.* [d] *Chenonceaux ſur Cher.* [e] *Soiſſons.*

CIƆ IƆ XCVI.

HENRICUS IV.

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV. documento eam apponi voluerit, ut ſine illa exceptione pure et ſimpliciter fiat promulgatio: nec praeterea Meduanius teneatur, antequam priſtinum in ſenatu dignitatis locum recuperet, declarare de regis defuncti paricidio quae ſenatuſconſulto facere jubetur; nam ſufficere regi, quod eam declarationem apud ſe fecerit; quam proinde aeque valere velit, ac ſi in ſenatu eſſet facta. Ad extremum mandatur, ut, contra quam conditionibus a curia adjectis cautum fuerat, ut nullum praejudicium creditoribus per edictum fieret, tam ipſe Meduanius, quam amici ac miniſtri ejus, ab omni aere alieno belli tempore contracto liberatus intelligatur, obligationibus et actionibus, quae ex iis in ipſos competebant, in regem regnumque tranſlatis, ac ab ipſo ſuſceptis. Cum allato in curiam diplomate decretum eſſet, ut edictum propter urgentium regis negotiorum neceſſitatem ex ipſius expreſſo mandato in acta referretur, rurſus tertium diploma in caſtris ad [a] Traverſum VIII Eid. Apr. conditum mittitur; quo mandabatur, ut, ſublatis his verbis, Propter urgentium regis negotiorum neceſſitatem et ex expreſſo regis mandato, quae minus liberam deliberationem arguebant, et gratiam regiam quadantenus imminuere videbantur, edictum non ſolum in acta pure et ſimpliciter referretur, ſed etiam publicaretur, ut quod ad publicam regni pacificationem pertinebat. Secundum haec poſt tam crebras juſſiones edictum poſtremo pure et ſimpliciter triduo poſt in [b] ſenatu, in rationalium curia Nonis Maii, et ſubſidiorum tribunali IV Kalendas Junias, publicatum eſt; frementibus pleriſque inultum regis paricidium ignavo ſilentio ſepeliri, et digniorem de marchionis [c] Menelaei caede quam de regis morte ſive excuſationem ſive inficiationem edicto contineri. Eodem menſe edictum itidem [d] Folembraei conditum in Henrici [e] Sabaudi Nemorenſium ducis gratiam, ab Anna [f] Ateſtina parente, ut praefatio ejus fert, perſuaſi, ut ad obſequium regis rediret. Eo ſepulta praeteritorum, tam quae ejus quam Caroli fratris defuncti auſpiciis belli tempore geſta, patrata, capta, et quomodocunque facta fuerant, memoria, et conjurationis nuper contra Viennam detectae, et coronae aureae, quae Caroli Calvi Caeſaris fuerat, et ſumma in veneratione in [g] Dionyſii-fano religioſe aſſervabatur, obſidionis tempore conflatae, aliorumque donariorum in uſus belli diſtractorum. Praeterea hae conditiones dictae; ut praeſidia, quae in [h] Arvernis, Seguſianis, Velaunis, Nemoroſius habebat, porro iiſdem ſtipendiis, quae antea militi numerabantur, haberet; [i] juridicum tribunal, ob belli occaſionem regis juſſu tranſlatum, Monbriſonium reſtitueretur, et urbi priſtina privilegia ac immunitates confirmarentur; omniſque contra eum et Annam parentem ob aes alienum creditorum perſecutio intra annum quieſceret. In eorum gratiam Alfonſo Ferrariae duci fratri et avunculo, tanquam bene erga Francicum nomen et regem affecto, conceſſum, ut [k] Carnutum principatum, [l] Giſortii comitatum, [m] Cadomi, Baiocaſſium, Faleziae vicecomitatus, ut antea ſic deinceps, poſſeſſum iret. Poſtremo rex ampliſſimas, quas Nemoroſius ad limitem in Sabaudi ducis ditione poſſeſſiones ac caſtella tenet, in patrocinium ſuſcipit. Edictum pridie Kalendas Junias, audito cognitore regio, in acta curiae relatum eſt.

XXI. TERTIUM denique eodem Januario ad Folembraeum edictum pro Toloſae civitate in Henrici Jouſae ducis itidem gratiam factum; quo, praeteritorum, ut in aliis, ſopita memoria, et nominatim caedis Jo. Stephani [n] Durantii ſenatus praeſidis, et Joannis [o] Daſiſii patroni regii, ante ſeptennium IV Eid. Febr. patratae, et interdicta omni ob id in jure perſecutione, Jouſa tribunus equitum, qua dignitate parens ejus ornatus fuerat, creatur; qui paulo ante a pontifice, precibus Franciſci cardinalis fratris

INTERPR. [a] *Traverſy.* [b] *le Parlement, la Chambre des Comptes, & la Cour des Aydes.* [c] *de Menelay.* [d] *Folembray.* [e] *de Savoye duc de Nemours.* [f] *d'Eſte.* [g] *S. Denis.* [h] *Auvergne, Forez, & Velay.* [i] *l'exercice de la juſtice au bailliage & election de Forez.* [k] *Chartres.* [l] *Giſors.* [m] *Caen, Bayeux, Falaiſe.* [n] *Duranti.* [o] *Daffis.*

fratris exorato, ex Capucinorum ſodalitio in [a] Melitenſem militiam adoptatus fuerat, CIↃ IↃ XCVI.
et tunc non ſolum militiae ſaeculari nomen dedit, ſed etiam S. Spiritus equeſtrem HENRICUS IV.
torquem, quo a rege defuncto inſignitus fuerat, reſumpſit. Praeterea quaecunque ipſe belli tempore fecit, religionis cauſa feciſſe, neque aliud toto hoc bello cogitaſſe aut ſpectaſſe, declaratur: religionis Catholicae ante omnia cultus omnibus locis, a quibus eliminatus fuerat, reſtituitur: Proteſtantes propius [b] Toloſam, quam [c] Villemurii, Carmanii, et Inſulae Jordani, coetus ſuos celebrare prohibentur: cavetur item ne amplius [d] Alethi, Auriaci, Fiaci, et Monteſquii conveniant. Senatus, qui ad [e] Saracenorum caſtrum deſerta urbe ſeceſſerat, et cum iis qui [f] Biterris ad jus in ea provincia dicendum a rege inſtituti fuerant, et jam ad Saracenorum caſtrum convenerant, Toloſam redire, et jus in loco majorum dicere, jubentur; ea lege addita, ut numerus, qui in immenſum excreverat, deinceps morte minueretur. Inferioris item ſubſellii magiſtratus, qui alio belli tempore tranſlati fuerant, et [g] quaeſtorum ſedes reſtituuntur: immunitas a capitali tributo urbi ad c annos conceſſa, quae anno CIↃ IↃ LXIII exſpiraverat, bis mille et IↃ libris tantum ab eo tempore exactis, et in pontis [h] Garumnae impoſiti ſtructuram regis defuncti juſſu expenſis, ad alios c annos prorogatur; bis mille IↃ libris itidem, quae xx adhuc annis exigantur, ad pontis ejuſdem ſtructuram deſtinatis. Arces novae ubique in Toloſani ſenatus juriſdictione exſtructae a fundamentis dirui jubentur. Poſtremo, ut ſuſpicionibus provincialium, qui maxime omnium ſenſum injuriarum ſervant, proſpiceretur, decernitur, licere intra biennium proximum, tam iis qui factioni Henoticae adhaeſerant et in urbe remanſerunt, quam iis qui regias partes ſecuti domos deſeruere et Biterris et Caſtri Saracenorum commorati ſunt, uſque ad c, qui ab Anna [i] Levio Ventadurio et [k] Jouſa nominabuntur, in cauſis civilibus et criminalibus v ex ſenatoribus a judicio nulla expreſſa cauſa rejicere, ſalvis aliis juris exceptionibus. Edictum Toloſae, poſtulante cognitore regio, ſine Proteſtantium religionis approbatione, ac ſub conditionibus in acta relatis, lectum ac publicatum fuit pridie Eidus Martias. Tot edictis, pactionibus, ac contractibus ad res pacificandas cum principibus, proceribus, civitatibus, ac locorum praefectis, qui a regiis partibus defecerant, initis, plus [l] ſexageſies centena CIↃ aureorum depenſa conſtat; quae miſerae plebi per bella mirum in modum vexatae et levamentum quaerenti impoſita, et praeter ordinaria tributa ab ea immaniter exacta, non ſolum ipſam plebem, ſed honeſtiores familias, quorum poſſeſſiones ac vectigalia plebe ſpoliata ad nihilum redacta ſunt, paene exhauſerunt: bellique religionis cauſa et ad populum levandum in ſpeciem ſuſcepti is exitus fuit, ut civilium motuum impietate religio ubique oppreſſa, obliterata, ac pedibus calcata ſit, et plebs non ſolum in agro, ſed per urbes ac civitates, ac honeſtiores etiam familiae ad extremam inopiam ſint redactae; principes vero, proceres, ac nobilitas licentiae aſſueta et ſupra vireis profuſa, grandi ſe aere alieno merſerint; ut nunc in media pace tantum Dei beneficium exoſi arma depoſita ultro requirant, et ad privatas ruinas farciendas opus ſibi civili bello eſſe exiſtiment.

INTERPR. [a] *Chevaliers de Malte.* [b] *Toulouſe.* [c] *Villemur, Carmain, & Liſle-Jourdain.* [d] *Aleth, Aurias, Fiac, & Monteſquiou.* [e] *Caſtel-Sarrazin.* [f] *Beziers.* [g] *Bureau des treſoriers de France.* [h] *la Garonne.* [i] *de Levi duc de Ventadour.* [k] *de Joyeuſe.* [l] *de ſix millions d'or.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS SEXTUS.

EPITOME.

DIGUIERII in Provincia uſque ad Februarium menſem geſta. II. *Carolus Caſalius Maſſiliae rerum potens ex Henotica factione ad Hiſpanorum partes facili tranſitione migraverat. A Jo. Andrea Auria ſolicitatur.* X *triremes Carolo Auria duce in Maſſilienſi portu. Ab exulibus Caſalio infeſtis Guiſius ad urbem recuperandam incitatur. Martigia, et mox Hircina turris, aliaque oppida in poteſtatem redacta. Guiſius copiis diem condicit; et, monitis in urbe conſciis, ad Juliani-fanum* II *a Maſſilia leucis venit. Bauſſeti a Caſalio urbe pulſi ad Petrum Corſum, cui Libertati nomen, oratio, et fides utrinque interpoſita. Ad* XIII *Kal. Mart. Guiſius cum ſuis ante auroram ad portam regiam comparet. Petrus conſcios pridie ſub veſperam alloquitur. Mane cum ad portam veniſſet Caſalius, demiſſo raſtro a Petro opprimitur. Admiſſus dein Guiſius, et nomen regis ubique inclamatum.* III. *Regi ad Farae obſidionem haerenti Meduanius nuper reconciliatus praeſto eſt.* IV. *Ordines ad Phil. Gul. Arauſionenſem dant literas, quibus de libertate recepta gratulabantur. Alberti hinc capta occaſione ad Ordines literae. Edicto ab Ordinibus facto interdictum inter populos Philippo ſubjectos et urbes foederatas commercium.* V. *A Georgio Baſta ſuppetiae feliciter Farae immiſſae.* VI. *Albertus, ut noſtros a Farae obſidione averteret, Caletum obſidendum decernit. Ronaeo praemiſſo Novambrigae pontem occupat. Poſt acrem oppugnationem Risbana turris capta. Rex fruſtra ſuis auxilia laturus Valerici-fanum proficiſcitur. Oppidum deditum, Bidoſſano intra arcem ſe recipiente. Campaniolus intra arcem cum* CCL *delectis accipitur. Tandem, Anglicis auxiliaribus ſerius advenientibus, Campaniolus ab omnibus deſeritur, et arce capta capitur.* VII. *Rex ad Farae obſidionem redit. Batavorum per Alberti abſentiam liberae excurſiones.* VIII. *Ronaeo auctore Albertus contra Ardeam ducit. Vallo ducto ſuburbium ab hoſte captum, et ſtatim receptum; ac mox, Belinio jam nutante, amiſſum. Belinius clam, renitentibus belli ducibus, colloquium cum hoſte poſcit, et perſcriptis conditionibus tranſigit. Belinius, conſpectu regis prohibitus, ad Cl. Caſtreum equitum tribunum, ut ſe purgaret, remittitur.* IX. *De Fara ab Alvaro Oſorio ante Ardeam deditam cum rege tranſactum. Cum Flandriae Ordines apud Albertum inſtarent ut copias jam tum Oſtendae admoveret, expeditio difficilior viſa eſt, quam ut tunc temporis ſuſcipi poſſet.* X. *Foedus Anglicum arctius a rege miſſis ad reginam legatis urgetur.* XI. *Sancius cum Gul. Cecilio agit; et ſuperveniente Bullionio, cui plena a rege tranſigendi poteſtas data, crebrae et plerumque acerbae cum Cecilio altercationes.* XII. *Tandem foedus conventum* VII *Kal. Jul. Id rex Meloduni poſtea ratum habuit.* XIII. *Ancellus, qui cum Bullionio erat, in Hollandiam, et poſtea in Germaniam ad foederatos Imperii principes, profectus eſt.* XIV. *Bullionius poſt ictum cum Angla*

foedus

foedus Hagam ad Ordines venit, et longa ac vehementi oratione ad foedus invitat, et ſuppetias regi tam neceſſario tempore ferendas. Perſcriptae conditiones. XV. *Eſſexius et Carolus Howardus maris praefectus infeſta claſſe Hiſpaniam petentes ſcriptum evulgant. Gadeis exeunte Junio appellunt. Cruentum inter claſſes infeſtas certamen.* XVI. *Poſt Faram receptam rex Lutetiam venit, ut Alexandrum Medicem pontificium legatum exciperet. Is ubique perhonorifice toto regno exceptus. Ad urbem venienti, cum prius rex ad eum ſalutandum obſoleto habitu per diſpoſitos equos excurriſſet, miſſus obviam Henricus Borbonius Condaeus primarius ſanguinis princeps, adhuc puer. Poſt ab ordinibus urbis ſalutatus ſolemni pompa Lutetiam ingreſſus eſt.* XVII. *Diplomati in ſenatum allato conditiones adjectae. Summa legati totum biennium, quo apud nos fuit, moderatio.* XVIII. *In adipiſcendis ſacerdotiis remedium tempore prohibitionis Romam mittendi a majoribus uſurpatum, cum poſt regis cum pontifice reconciliationem ceſſaret, ſenatuſconſultum conditur, quo Romam mittere, ut prius, jubebantur omnes. Cum promulgatio fieret, cognitor regius petiit, ut acta huc uſque ex curiae praeſcripto facta rata haberentur; exempliſque in re ſimili uſurpatis, ac Jo. Gerſoni aliorumque teſtimonio, id amplius confirmat.*

Ex auctoribus,

Diguierii militari diario, Guiſii relatione, Jo. Parvo, Caeſare Campana, Regia ephemeride, Legationis Anglicanae actis a Gul. Vario qui aderat ſcriptis, Actis publicatis, Actis curiae Pariſienſis.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS SEXTUS.

DUM in reconciliatione tot procerum ac civitatum laboratur, in Provincia res feliciter geſta. [a] Diguierius, qui aegre ferret militem inedia perire, et equitatum ſtipendii penuria in dies diſſipari, idque livore aemulorum fieri animadverteret, ne nihil ageret, [b] Auriaco praemiſſo Nonis Januarii [c] Aquis Sextiis proficiſcitur, et primis caſtris [d] Pauli-fanum venit, quo colubrinam [e] Pertuſo advehi juſſerat. Ibi cognito [f] Vinonium Auriaco per [g] Bonefidium praeſidii praefectum deditum, poſtridie [h] Regium tendit, et [i] Moſſoni-podium obſidione cingit, et locum colubrina et tormento murali, quod [k] Ciſtertione advehendum curaverat, pulſatum deditione capit, his conditionibus, ut vita ſalva dimitterentur. L omnino erant [l] Barjolium in tutum deducti, cum impedimentis et armis, quorum illis gratiam fecerat Diguierius; qui et [m] Serram ex [n] Adacmari Montelio hominem ſtrenuum cum praeſidio loco impoſuit. Id actum XIV Kalendas Februarias: eodemque die peditatus dimiſſus, quod in ejus ſtipendium [o] Provinciae ordines pecuniam conferre recuſarent. Quarto poſt die Regio [p] Norantam itum cum iis quae ſuperabant copiis, ut [q] Senates, Blioſium, Andreae-fanum, et loca vicina in fidem adigerentur. Verum oppidani ſtatim delegatos miſere, qui oppidanos imperata facere paratos oſtenderent. Itaque diſtributus ex Guiſii voluntate per ea loca equitatus. Quibus actis Diguierius, qui res in Delfinatu per ipſius abſentiam turbare intellexerat, plebe ruſtica praeſidiorum onus ubique deprecante, continuo domum

CIↃ IↃ XCVI.
Henricus IV.

INTERPR. [a] *le Sr de Leſdiguieres.* [b] *d'Auriac.* [c] *Aix.* [d] *S. Pol.* [e] *Pertuis.* [f] *Vinon.* [g] *Bonnefoy.* [h] *Riez.* [i] *Puy-moiſſon.* [k] *Siſteron.* [l] *Barjols.* [m] *le Sr de Serez.* [n] *Montelmart.* [o] *de Provence.* [p] *Norante.* [q] *Senez, Blious, & S. André.*

CIƆ IƆ XCVI. domum revolat, ut comitiis ad Fanum-Marcellini indictis intereſſet. Itaque, facto per
HENRICUS IV. [a]Diniam, Mauri-podium, et Diguieriam itinere, [b]Gratianopolim III Eid. Feb. venit.

II. [c]MASSILIAE paulo poſt magna rerum mutatio ſecuta eſt. Urbem nominis claritudine, amplitudine, opibus, civium bellicoſorum robore firmam, et portus opportunitate quaſi toti Mediterraneo mari circum imperitantem, tenebat cum ſuae factioni addictis Carolus [d]Caſalius conſul, homo natura ferina et ad quodvis ſcelus promptus; qui, caedibus complurium civium efferatus et ultionem metuens, ex Henotica factione ad Hiſpanorum partes facili tranſitione migraverat, a Joanne Andrea [e]Auria Melfiae principe, qui Hiſpanam claſſem in proximis [f]Liguriae portubus habebat, etiam X triremes Maſſiliam duce Carolo filio immiſerat, grandibus promiſſis ſollicitatus. Sed cum rem exitu periculoſam provideret, huc uſque diſtulerat, dum offenſos placaſſet, ſuſpectos ſibi conciliaſſet, conſiliis ſuis adverſaturos ita infregiſſet, ut Philippi nomen et inſignia per urbem inclamaturo obſiſtere non poſſent. Interea Guiſius, qui nuper praeſidis ſupremi titulo in Provinciam venerat, ab exulibus Caſalio infeſtis in horas monebatur, ut mature ſe perditi ac deſperati hominis conſiliis opponeret; alioqui fore, ſi longior mora interponeretur, ut bellum ipſi regique non cum Caſalio ac ejus ſequacibus, ſed cum Philippo et univerſis praepotentis illius imperii viribus porro gerendum eſſet: rem adhuc integram eſſe, et civeis immanitatem Caſalii peroſos quieſcere; qui nunc, nuſquam comparentibus regiis, metu parent, mox, ubi libertatis per vicina auxilia ſpes vel e longinquo affulſerit, arma capient, et crudeliſſimi tyranni jugum excutient: non deeſſe in urbe, qui, periculo diriſſimae ab Hiſpanis ſervitutis propoſito, eos incitent; ſed duce et auctore opus eſſe, qui exemplo ſuo ac virtute concivibus in tam laudabili conatu praeeat: neque vero eos defuturos, modo ſciant conatu ſuſcepto vireis regias praeſto futuras; nam, vicinis adeo Hiſpanis et Philippi triremibus in portu ſtationem habentibus, pleroſque formidine attineri, ne quid pro libertate licet chariſſima audeant: ſegnitiem eorum non tam metu quam ſpe excitandam eſſe: itaque conſultum videri, ut Guiſius, alterius expeditionis evulgata fama, propius cum delectis accedat, et libertatis vindices per fidos de tempore ſui adventus certiores faciat. Guiſius tunc [g]Aquis Sextiis erat, poſt [h]Ciſtertionem et Regium in fidem receptum, cum belli ducibus de ſumma rerum deliberaturus. Alii alia tentanda ſuadebant. Cum non convenirent, Guiſius anxius periculo, ſive Maſſiliae, ſi negligeretur, ſive ſuorum, ſi exſulum ultione caecorum temeraria conſilia ſequeretur, contra Martigiam feliciter vireis vertit. Urbs eſt cum inſula cognomine in iſthmo ſinus, qui vulgo [i]Martigium mare ob id dicitur. Inſula ponte cum continenti conjungitur. Infra eam altera inſula in oſtio maris ſita eſt, in eaque [k]Turris Hireina aſſurgit, pro ſpecula navigantibus poſita. Tumultuantibus Hiſpanorum metu oppidanis, Gaſpar [l]Ponteveſius Carſii comes a Guiſio cum [m]Croſa miſſus in tempore advenit; qui, altera parte confirmata, citra pulſationem locum in poteſtatem redegit, et mox Hircinam turrem recepit. [n]Graſſa eodem tempore, quanquam longe diſſita, cum arce in fidem accepta eſt. Arridente ubique fortuna Guiſius fiduciae plenus etiam ad Maſſiliam tentandam animum adjecit; et periculum virtute ac felicitate ſuperandum ratus, ut conſilium magis tegeret, [o]Tolonium, cui olim Taurentae nomen, contendit, et, [p]Arearum oppido vicino capto, arcem obſidione cingit. Idem [q]Draguiniani et ad Eutropii-fanum, quod eſt in [r]Grimaldino ſinu oppidum, factum. Inde ad [ſ]Gardam Tolonio vicinam munitum ab Eſpernonio caſtellum, ex quo Tolonio imminebat, caſtris poſitis obſidionem tentat, diſploſis

tormentis

INTERPR. [a] *Digne, Puymore, & Leſdiguieres.* [b] *Grenoble.* [c] *Marſeille.* [d] *Caſaux.* [e] *Doria prince de Melphi.* [f] *la Genoveſat.* [g] *Aix.* [h] *Siſteron, & Riez.* [i] *Golfe de Martigues.* [k] *Tour du Bouc.* [l] *de Pontevez comte de Carces.* [m] *le Sr de Croſe.* [n] *Graſſe.* [o] *Toulon.* [p] *Hieres.* [q] *Draguignan, & S. Tropez.* [r] *Golfe de Grimaud.* [ſ] *la Garde.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

tormentis et oppugnatione repetita. Dum in ea haerere putatur, ſtatim vaſa conclamar, et reductis Tolonium tormentis [a] Albaniam non intermiſſo itinere xv Kal. Mart. improviſus advolat, aliquantum [b] Caderiae moratus, ut peditatum tardius incedentem opperiretur. Ibi condictum univerſis copiis ad horam decimam veſpertinam tempus, quo convenirent ad [c] Juliani-fanum, vicum duabus a [d] Maſſilia leucis diſtantem. Sic autem compoſitus ordo interventu [e] Bauſſeti juriſconſulti, qui a [f] Caſalio urbe pulſus exulabat, et arctam cum [g] Petro Libertato Corſica oriundo viro ſtrenuo amicitiam colebat. Is injuriam et patriae deſiderium cum impatienter ferret, Libertatum, ex occaſione extra urbem profectum, ad colloquium ſeductum hac oratione aggreſſus dicitur: Majores tui, ut ex te ſaepius audivi, praeclarum hoc et cunctis nomen optabile ob aſſertum in libertatem [h] Calvium in inſula natali meruerunt; quam poſtremo ſub Genuenſibus amiſſam ut recuperarent, lares ac facultates in hanc urbem tranſtulerunt. Ea nunc periculoſius Maſſiliae, quam olim Calvii, periclitatur ab Hiſpanis, qui nunc ex Genuenſium portu egreſſi cervicibus noſtris inſidiantur: nam quas ſtrageis illos daturos putas, ſi Maſſilia occupata per eam Mediterranei maris imperii potentes fiant? Auriam vides, qui non tam potentiſſima urbe ad Philippi, cujus ſtipendiis militat, ampliſſimas ditiones adjecta gloriabitur, quam Genuenſium injurias a Corſis, qui in hunc tanquam ſecuritatis portum confugerunt, acceptas ulciſcendi occaſionem ſibi datam laetabitur. Truculentiam oris meminiſti, et innatum adverſus Corſos odium; quod et ipſe et Genuenſes in ſanguine tuo exſatiabunt, ſi fortuna votis Hiſpanorum reſponderit. Expleta ultione, ſemel conceptum Hiſpanorum adverſus eos quos tam graviter offenderint odium nunquam deſinet. Igitur mature occupandum tibi, et peſtis, quae in viſceribus haeret, contraria peſte expedienda eſt. Rem ſine controverſia vel tuo judicio juſtam et honorificam, nec confectu adeo difficilem, ſuadeo, et de qua deliberandi amplius ſpatium urgentis periculi neceſſitas minime permittit. Jam de religione non agitur: rege cum pontifice reconciliato, quis ſcrupulus ſupereſt? Imo non eum regem fateri, quem pontifex pro primogenito eccleſiae filio publice agnovit, cui benedictionis beneficium impertivit, cujus oratores in aula ſua priſtinum dignitatis gradum tueri patitur, ſumma religio eſt. Et Meduanius, qui ob religionem arma ſumpſerat, cum rege convenit. Libertatis nunc cauſa agitur, quam majores tui Calvii aſſertam, innumerique Corſi qui in urbe ſunt, ut tuerentur, inſulam natalem reliquerunt. Nunc alio tibi aliiſque migrandum eſt, niſi paucorum hominum pernicioſa conſilia anteverteris. Praeter Caſalium eique addictos, quos ſcelera et egeſtas ad extrema ſtimulant, cuncti ad libertatem proclamant, anxii metu et in ſpem erecti. Neque animus ſed dux deeſt: eum te profiteri aude: illi omen protinus captabunt, et felicia nominis tui auſpicia impavidi ſequentur: Guiſius cum regiis copiis praeſto erit. Quem reſtiturum aut conatibus tuis ſe oppoſiturum metuis? Hiſpanae triremes, in quarum praeſidio factioſi omne robur ac fiduciam ponunt, cum ſe undique quaſi indagine cinctas ſentient, potius de fuga quam de pugna cogitabunt; ſi cunctabuntur, victori in praedam ceſſurae. Nec dubium eſt, quin captivi ad dulce libertatis nomen ſtatim ſolutis compedibus conſurgant, et quot remiges in iis ſunt, tot infeſtiſſimos hoſteis habituri ſint claſſiarii. Verum celeritate opus ad opprimenda factionis capita; ſicque tibi perſuadere debes, morae poenam ſervitutem, celeritatis contra libertatem praemium futurum. Bauſſeti monitis excitatus Petrus, Potius ſtimulos viam libertatis conſpicienti addis, inquit, quam conſilium das. Jampridem ex his plagis, quibus conſtrictus teneor,

INTERPR. [a] *Aubagne.* [b] *Cadieres.* [c] *S. Julien.* [d] *Marſeille.* [e] *Bauſſet.* [f] *Caſaux.* [g] *le capitaine Pierre de Libertat.* [h] *Calvi.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

teneor, extricare me qua ratione poſſim apud animum meum conſulo; et hactenus cum ſolis urbanis viribus rem tentare periculoſum exiſtimavi, ne, ſi minus ex voto ſuccederet, Hiſpanis, qui auxiliareis et amicos ſimulant, ex occaſione hoſtilis animi declarandi et urbis occupandae commoditatem praeberem, et praecipitato temere conſilio ſalutem publicam, nulla libertatis ſemel amiſſae in poſterum recuperandae ſpe, proderem. Itaque certum alioqui propoſitum non ſine occulto conſcientiae morſu apud me preſſi; et gratulor tibi patriaeque, quae intercluſam ad libertatem viam per hoc colloquium mihi hodie aperuit. A te peto, ut, quemadmodum celeritatem urges, viciſſim diligenter cures ut res ſilentio tegatur: nam in ejuſmodi conatibus, ut ſcis, id maxime exigitur, et ſucceſſu potior eſt quiſquis imparatum antevertit. De cetero, ubi de Guiſii voluntate mihi certo conſtiterit, et de tempore inter nos convenerit, dabo operam, ne Maſſilia eandem in me, quam in majoribus meis Calvium expertum eſt, porro virtutem et conſtantiam deſideret, efficiamque ut omnes intelligant, periculoſam libertatem mihi potiorem quieto ſervitio viſam eſſe. Cum Bauſſetus de Guiſii voluntate cum juberet ſecurum eſſe, et brevi diem, horam, ac locum condicturum recepiſſet, poſt amicos amplexus, et interpoſitam de ſilentio ſervando fidem, utrinque tunc diſceſſum eſt. Bauſſetus ad Guiſium revertitur; condictaque inter partes hora ac die ad XIII Kal. Mart. ante aurotam, qua ad portam regiam Guiſius cum copiis ſuis compareret, Petrus, cui portae illius cuſtodia obvenerat, pridie ſub veſperam fidos ſibi privatis in aedibus ſeducit, Bartholomaeum fratrem, Joannem [a] Laurentinum, [b] Imperialem, [c] Rentium, Hervetum, et paucos alios urbis tribunos ac centuriones, talique oratione compellat: Eam de virtute veſtra, amici ac concives, et erga patriam egregia charitate fiduciam cepi, ut ad rem, de qua vobiſcum acturus ſum, minime praefatione opus eſſe cenſeam. Idem vobis ſenſus, eadem voluntas ac deſiderium, quod mihi eſt; nec animus, ut ſpero, deerit, cum ex me rem intellexeritis. Libertatis non tam ſub [d] Caſalio, quam Hiſpanis et Genuenſibus, qui in aere Philippi ſunt, periclitantis vobis vindicandae hodie auctor ſum. Rem glorioſam per ſe, cunctis civibus ſalutarem, Francico nomini ad maris Mediterranei imperium conſervandum neceſſariam, aggredior. Contra periculum ſalutem publicam, ex periculo adito gloriam, ex gloria fructum provenientem, aeſtimate; et poſtea me temeritatis arguite. Periculum in propulſando periculo ante oculos obverſatur; verum ut conſtantia in adverſis, ſic fortitudo in periculis ſpectatur; quae quo praeſentiora urgent, eo paratiorem audaciam requirunt. Nemo extremam neceſſitatem nihil auſus, niſi muliebri ingenio, exſpectat. Non amplius protelandum aut diſſimulandum: facto opus eſt, niſi fortaſſe gravioris metu ſervitii a repetenda libertate terremini. Quid moramini? An, dum ſingillatim pertimeſcitis, ut in timore potius quam virtute univerſi opprimamini? Ferventiſſimis rebus rapienda non quaerenda ſunt conſilia. Cervices ſuas quiſque reſpiciat, uxorem et charitates domeſticas cogitet, avitas patriaſque fortunas; et ſciat his imminere Hiſpanos. Verum in perſuadendo nimius ſum: ad conſilii tam laudabilis quam neceſſarii explicandi rationem venio. Regiam portam firma ſtatione teneo, militeſque licet facti ignaros exemplum meum ſecuturos habeo. Stat mihi ſententia, Caſalium, eo cum [e] Ludovico Aquenſi vicario, quem cum paucis ſtudiorum conſenſione cum illo conjunctum ſcitis, venturum, cum ſocios pro more extra portam mane emiſerit, raſtro demiſſo, quod ſignum auxiliaribus dedi, inter portae repagula incluſum interficere, et populum atque adeo remiges, qui in claſſe Hiſpana ſunt, ſtatim ad libertatem vocare: tum, admiſſis auxiliaribus, ad portum et plateas aliaque loca firma manu victrici diſcurrere decrevi. Guiſius provinciae

INTERPR. [a] *le capitaine Laurent.* [b] *le capitaine Paul Imperiale.* [c] *de Rents, & d'Hervien.* [d] *Caſaux.* [e] *Louis d'Aix viguier.*

provinciae praeſes in propinquo eſt, cum quo conveni; quo duce vereri non debetis, ne arma religionis cauſa ſumpta in truculentos dominos ac furioſos tyrannos inſeliciter retorqueamus. Veſtrum eſt videre ac curare, ut amicos in ſtatione quiſque ſua paratos habeatis, et per eos ſavorem libertatis et odium adverſariorum ad virtutem veſtram adjiciatis. Id vellent, probarentque, et exequi parati eſſent, cum ſingulos rogaſſet, illi prona aſſenſione operam detulerunt, potiuſque vitam quam repetendae libertatis animum depoſituros ſe religioſe polliciti ſunt: nam ita cunctis perſuaſum erat, ſublato factionis capite plebem continuo in ſuas partes tranſituram, quae, Caſalium ob religionis cauſam ab initio ducem ſecuta, nunc metu ſervitii alieniore ab eo eſſe animo coeperat. Igitur ubi primum illuxit, Petrus, foeda exorta pluvia veritus ne non Guiſius cum ſuis in tempore adeſſet, Rentium rogat, ut portum tranſgreſſus videret ecquid adverſae factioni addicti molirentur: nam tumebant in urbe omnia, et eo res ſtatu erant, ut magni motus brevi ſecuturi eventu civium animi ſoliciti ac ſuſpenſi ubique eſſent. Cum Rentius pacata cuncta affirmaſſet, porta aperta [a] Paulianus quidam ſacerdos ex proximo urbi coenobio ſuperveniens renunciavit, haud hinc longe XV armatos ſibi viſos, quos hoſteis rebatur: ſubitoque Ludovicus Aquenſis vicarius, qui cum Caſalio venerat, porta exit, et XX circiter delectos ſcloppetarios ex ſtipatoribus ſuis praemittit; in quos [b] Lamanonus Guiſianorum illac excurrentium dux acriter invehitur, caeſoſque fundit, et, ſub portam uſque fugienteis inſecutus, machinis diſploſis primo petitus eſt; ex eoque in ſuſpicionem non levem adductus eſt, quaſi aut Petrus Guiſio illuſiſſet, aut in conatu ab adverſa factione oppreſſus eſſet. Itaque impetum aliquanto tempore inhibuit, jam clara luce, interim monito Guiſio ut tantiſper conſiſteret, dum certiora nunciare poſſet. Sub id raſtrum demittitur, quod erat ſignum a Petro dandum: quo facto ille Caſalium, perfidiam homini exprobrans, qui pretio corruptus urbem Hiſpanis tradere in animum induxiſſet, inter utramque portam incluſum ſtricto cominus gladio tranſverberat, Bartholomaeo fratre eum dimidia fariſſa ictus repetente; ita ut, quamvis gladium poſt primum ictum ſtrinxiſſet, a circumfuſo Petri ſatellitio ſtratus et multis vulneribus ſit confoſſus. Pauci qui cum Caſalio erant, opem ferre conati, et cum Petro et Bartholomaeo aliquandiu luctati, tandem ſtrato duce ſuo in fugam vertuntur; et nuncio mortis ſparſo potius pavorem ſuis incuſſere, quam animos ad inſtaurandam factionem fecere. Aquenſis urbe excluſus, quod erat veritus, non tamen animum deſpondit, ſed diviſis copiis, ut Guiſianis incumbentibus ſe periculo ſubduceret, ipſe parte alio praemiſſa ad portum extra urbem tendit; et ſuperatis moenibus, quae ab illa parte valde humilia ſunt, ſcapha in ulteriorem urbem tranſit. Guiſius ſigno cognito jam meliore ſpe erat, et eventum haud hinc longe opperiebatur: ad quem aperta porta Laurentinus equo [c] Africano inſidens et Imperialis a Petro ſtatim mittuntur, ut eum de ſucceſſu ac caede Caſalii certiorem facerent. Ipſe, diſpoſitis aliquot e ſuis qui portae ſuperiora tuerentur, cum Bartholomaeo fratre et Herveto ad portam interiorem, quae urbem reſpicit, a Guiſii copiis adjutus ſe contraxit; ubi Aquenſem et Fabium Caſalium filium, ſparſa contraria fama, quaſi Caſalius leviter ſauciatus adhuc viveret, cum CC factioni Hiſpanae addictis ad oppugnationem ruentem fortiter ſuſtinuit, ac tandem retro cedere coegit. Jamque auxiliares portae exterioris potentes, quam [d] Belli-locus a Guiſio ad fortuita impoſitus ſervabat, In urbem proceſſerant, cum [e] Bernardus praeſes juridicus, cum iis quos potuit regii nominis ſtudioſis, in armis prodit, et Guiſianis ad aedeis-publicas, quas Aquenſis cum IↃ circiter occupabat, invadendas ſe ducem praebuit. Heic poſt aliquot ſcloppetorum ictus diſploſos, vicarius ſibi metuens, facta ſpe obſeſſis ut auxiliis recentibus eos

juvaret,

INTERPR. [a] *Minime.* [b] *le Sr de la Manon.* [c] *un barbe.* [d] *de Beaulieu.* [e] *le preſident Bernard.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV. juvaret, ſcapham cum Fabio Caſalio conſcendit; ejuſque diſceſſu ceteri territi, pars in ſcaphas huc illuc ſparſas inſilit, pars per urbem dilabitur: qui ſuperfuere, ut periculo ante oculos verſanti praeverterent, regium nomen et libertatem inclamant; quibus a regiis vita, libertas, et gratia promiſſa. Inde Bernardus ad proximam ſtationem, quae ad Joannis-fanum haud longe ab ingreſſu portus CIↃ circiter armatis conſtans excubabat, tendit; attonitoſque, vitae et libertatis, ut aliis, gratia facta, in fidem accipit. Ad treis alias ſtationes idem factitatum: tantum quidam, quibus diffidebatur, centuriones ac tribuni amoti. Haec intra horae et ſemis ſpatium acta, quo urbs antea in ſpeciem Hiſpanienſis repente Gallicana facta eſt. In turribus et propugnaculis, et S. Joannis praecipue turre, quae portum claudit, reliquiae factionis pavore conſternatae perfugium habuerunt: ad quas cum nemo ex plebe ſe adjungeret, Carolus [a] Auria de receptu cogitare coepit; et, ut in improviſo metu, inter clamores, celeuſmata, remigum luctantium convicia, armorum fragorem, ſcaphas feſtinanter ſcandentium horridas voces, res peracta, confuſo adeo tumultu, ut, incitatis ad catenam tranſcendendam triremibus, CIↃ CC Hiſpani, qui in portu erant, in eas imponi non potuerint. Auria, S. Joannis turrem et [b] Mauri-caput ſine damno praetervectus, a praeſidio [c] Iſianae arcis tantum infeſtis tormentorum ictibus petitus fuit, haud magna jactura, quippe e longinquo. [d] Aquenſis et Fabius Caſalius, collectis factionis ſuae reliquiis, hic quidem [e] Mariae-fanum in ſpecula portui impoſitam munitionem occupavit, ille Sanvictorianum coenobium haud hinc longe tuendum ſuſcepit. Guiſius Hiſpanos litus legentes, ut triremeis in altum provectas adſequerentur, per [f] Sellium alae ſuae vicarium ſequi inſtitit. Sed praeter arma et impedimenta, quae illi, ut expeditiores eſſent, abjecerant, haud grande operae pretium factum; tantum ſignum unum captum. Guiſius mox ipſe per portam, quam [g] Belli-locus ſervabat, urbem ingreſſus eſt; et cum miles jam ad praedam diſcurreret, praeſentia ſua eum a maleficio abſtinuit: tantum Aquenſis et Caſaliorum aedes direptae, et paucae aliae. Captivorum remigum praecipua intemperies fuit, qui homines facinoroſi, e duro ſervitio repente libertatem conſecuti, vix cohiberi potuerunt, quin omni licentiae ac libidinis genere promiſcue graſſarentur. Qui S. Joannis turrem et Mauri-caput tenebant, ſtatim ſe arbitrio Guiſii dediderunt; idem fecere qui paſſim ad propugnacula ac turreis urbis receptum habuerant; quibus omnibus vitae ac bonorum gratia facta; Aquenſi et Caſaliis interim nihil hoſtile molientibus uſque ad V Nonas Martias; quo vitam et res ſalvas ſibi fuiſque pacti, locis quae tenebant Guiſio deditis, in liburnicas commodatas impoſiti Genuam ſe contulerunt. Petrus a Guiſio laudatus, et poſtea pro tam praeclaro facinore feliciter ſuſcepto ac patrato natalium nobilitate regis beneficio cohoneſtatus, gratiaque eadem Bartholomaeo fratri et poſteritati ejus conceſſa; addito inſigni elogio, quod in marmore portae regiae affixo ad perpetuam rei memoriam conſignatum eſt. Petrus praeterea [h] vicarius, id eſt juriſdictionis urbanae munus, in locum Aquenſis conſtitutus, et honorifico donativo remuneratus fuit. Ita Maſſilia paene captiva, cui a tot annis Hiſpani imminebant, et cujus potentes, Francici nominis decore per totum Orientem extincto, atque Italia univerſa veluti ſub jugum miſſa, ſe late rerum potituros ſperabant, incredibili felicitate citra ſanguinem ac direptionem legitimo principi ſuo reſtituta, Guiſii ductu, et virtute unius hominis, priſtinam libertatem recuperavit.

III. INTEREA, dum [i] Farae obſidio urgetur, rex [k] Folembraeo [l] Moncellum conceſſerat, ut Meduanium nuper reconciliatum [m] Auguſta Sueſſionum ad ſe cum delectis copiis venientem exciperet: quem, poſt amicos amplexus et habitum de republica colloquium, inde in caſtra ſecum abduxit. Albertus, qui nuper ex Hiſpania in Belgium

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *Teſte de Maure.* [c] *Chateau d'If.* [d] *Louis d'Aix, & Fabie Caſaux.* [e] *Noſtre Dame de la Garde.* [f] *le baron du Sel,* vulgo *D'Uvelles.* [g] *de Beaulieu.* [h] *le viguier.* [i] *la Fere.* [k] *Folembray.* [l] *Monceaux.* [m] *Soiſſons.*

Belgium praeſidis titulo deſcenderat, cum ad famam pertinere exiſtimaret, ne in oculis ac conſpectu ſuo oppidum, quod unicum rot ſumptuum ac laborum hoc bello in Gallia navatorum pignus Philippo reſtabat, ſine ullo obſeſſis ſubveniendi conatu caperetur, omnem operam dabat, ne officio hac in parte deeſſe videretur. Nec minus de provinciae ſibi creditae rebus animi angebatur; ſicque apud ſe reputabat, ſexennio abhinc occupatis in Gallia Philippi viribus, magna detrimenta in Belgio accepta; ab eoque tempore res foederatorum ſemper creviſſe, et, in alieno dum militant, proprii jacturam ſumma imptudentia feciſſe. Itaque, dum auxilia parat, tentari Ordinum animos primo ſuo adventu placuit.

IV. JAM ante, dum adhuc Albertus in Lucemburgico principatu eſſet, Ordines de Philippi Gulielmi Naſſovii Arauſionenſis adventu certiores facti ad eum literas amantiſſimas dederant, quibus initio ei libertatem poſt longam captivitatem gratulabantur: ea enim patris in patriam merita eſſe, ut nec illius nec parentis ejus ullo tempore immemores eſſe poſſint: ſed libertatem ejus ſuſpectam ab illis reddi, qui tanto beneficio ipſum prius injurioſo carcere vexatum devinxiſſe credi volunt: verum patriae libertatem, qua nunc fruuntur, laboribus et moleſtiis patris ipſius partam, ac ſanguine tandem obſignatam, cum recordantur, non poſſe non aegerrime ferre, quod is illis libertatem debeat qui patriam tot annos oppreſſerunt, et ejus liberatorem perfidioſe interfecerunt: proinde orant, ne in Belgium pedem inſerat, niſi eundem animum, qualem habebat cum pedem ex eo primum extulit, induat; opportuniuſque tempus exſpectet, quo cum bona eorum, quos ipſum diligere ex animo ſciat, gratia et fide publica in ſoederatas provincias venire poſſit. Ad has literas, re prius cum Alberto communicata, ab Arauſionenſi reſponſum Kalendis Februariis: ſe agere gratias quod ipſi libertatem ſemper optaverint, et nunc pro accepta tantopere exultent, nec unquam ſui memoriam inter has calamitates publicas depoſuerint: viciſſim ipſos pari benevolentia ſemper proſecutum eſſe, ſed quaedam interveniſſe, quae mutuam illam benevolentiam impediverint: nunc beneficio libertatis recuperatae ad communem patriae utilitatem et pacem in ea conſtituendam uti conſtituiſſe, nihilque facere, in quo ſuam in Belgium charitatem et pietatis officium merito deſiderare poſſint; ac ſperare ut Deus eandem mentem cunctis immittat, nihilque in eo negotio fiat, quod non ad publicam ſalutem, felicioris anni ac diuturnae pacis initium, tendat. Ad extremum Deum optimum maximum orat, ipſis ut eam largiatur gratiam, qua non tantum viam mandatorum ejus inſiſtant, ſed coronam etiam gloriae ſecundum laudabile ipſorum propoſitum aliquando conſequantur. Inde cum Albertus Bruxellas veniſſet, et ſolemni pompa urbem ingreſſus eſſet, in bellum Gallicum intentus, quo cuncta pacata a tergo haberet, ad Mauritium et ſoederatos Ordines dat literas, quibus adventus ſui cauſas ſignificabat; ſe nimirum a Philippo in has provincias miſſum ut diſſidia componeret, pacem et concordiam a Belgio jampridem exulantem reſtitueret, ac calamitoſo tot annorum bello optatum finem imponeret: proinde ab ipſis petere, ſe tranquillitatis a cunctis expetitae ſtudioſos oſtendant, et delegatos de pace ſecum acturos mittant. Similis argumenti literas ad fratrem dare juſſus Arauſionenſis, quibus ſe medium et paratum in pacis negotio offerebat. Verum cum Ordines, id minime ſerio agi ſuſpicati, eo Hiſpanorum conſilia tendere interpretarentur, ut pacis mentione injecta ipſorum conatus infringerent ac retardarent, a colloquio ſe omnino alienos oſtenderunt. Igitur Albertus cuncta ad bellum parat. Cum Arauſionenſis commeatum ab Ordinibus in Bataviam veniendi, ut cum Mauritio fratre ac ſorore Philippo Hohenloo comiti nupta colloqueretur, peteret, ab Ordinibus id nequaquam impetravit: tantum permiſſum, ut [a] Bergas ad Somam accederet; nam eo ſororem venturam.

INTERPR. [a] *Bergen-op-zoom.*

CIↃIↃXCVI. HENRICUS IV.

venturam. Ordines, ludificari ſe rati, quo ad bellum acrius quam antea gerendum populos ſuos confirmarent, edictum admodum ſeverum condunt pridie Nonas Aprileis, quo utrinque commeatus interdicebatur, niſi facultate ab Ordinibus aut ſenatu, aut Mauritio ac Willelmo ejus gentili, data; qui ſecus ſecerit, gravibus poenis mulctetur. Eodem edicto ſancitum, ut omnes fautores et addicti pernicioſae ac ſanguinariae ſectae Jeſuiticae, haec ſunt verba edicti, foederatis provinciis prorſus eliminentur: omnes item ex eo ſodalitio, aut qui apud profeſſores illius collegii literis operam dederunt, provincias accedere prohibentur; alioqui pro hoſtibus habeantur, et capitis ſupplicio afficiantur, etiam ſi cum publicae fidei literis venerint. Praeterea omnes ejuſdem ſectae intra duos menſeis excedere provinciis jubentur, durante bello minime reverſuri, niſi ejerato Philippi obſequio plene magiſtratui ſatisfecerint. Poſtremo cautum, ne qui extra provincias ſtudiorum cauſa Jeſuitarum ſcholas adirent aut frequentarent; alioqui omnium munerum publicorum incapaces haberentur, et ſingulis menſibus, quibus in illis ſcholis merentur, C [1] carolinos dependerent; quorum ſolutio ſi ex ipſorum bonis exigi non poſſet, parentes aut tutores aere ſuo mulctam luere cogerentur: item ne quis Ordinibus ſubjectus ſcholas [a] Duaci, Lovanii, Dolae in Sequanis, aut alias quaſvis in urbibus quae Philippo parent inſtitutas, adiret; alioqui quotannis CIↃ [2] carolinorum mulctam committeret: item in eos qui, jurejurando Catholicae religionis defendendae interpoſito, inſignia dignitatum ceperint, ad nullas deinceps in provinciis foederatis dignitates aut munera publica admittantur, niſi intra ſex menſeis a jurejurando ſolvantur, et Philippi imperium coram magiſtratu ejurent, et de fide ſua porro idonee caveant; quod intra menſem a promulgato edicto facere tenebuntur.

V. DUM verbis utrinque res agitur, ſummiſſa ab Alberto obſeſſis Farae auxilia. Id negotii datum Georgio [b] Baſtae Epirotae ſtrenuo levis armaturae duci, qui delectas X equitum turmas ad [c] Rahium-pontem in agro Duacenſi convenire juſſit IV Eidus Martias. Inde [d] Caſtellum, ſuperiore anno a Fontano captum, ſub veſperam Baſta contendit ſummo ſilentio; moxque portas claudi juſſit, ne adventus ſui fama ad noſtros emanaret. Heic vocato ducum concilio, quid ab Alberto mandatorum haberet aperit, eoſque gravi oratione hortatur, ut expeditionem, quo magis periculoſam eo glorioſiorem, et in qua ad famam et res Philippi ſtabiliendas maximum momentum eſſet, gnaviter ſuſciperent. Quum ſe paratos illi oſtenderent, quicquid diſcriminis occurreret virtute repellere, juſſi ſinguli ſacculum frumenti et funiculum collo innexum, quo maxime egebant obſeſſi, ſecum ferre. Duabus ante noctem horis in viam ſe dant, monito prius Alvaro Oſorio, qui Farae praeerat; et, tenebris ſub id ſubortis, ad [e] Fervacenſe monaſterium Somonam tranſmittunt; [f] Quintinique fano ad dextram relicto, paulo ante auroram oppido propinquant. Gabriel [g] Rodericus, qui primum agmen ducebat, ſicuti convenerat, inde dat ſignum. Quo conſpecto Oſorius paratas ad id naviculas per [h] Eſiam emittit; in quas ſumma celeritate frumentum ab equitibus portatum imponitur cum funiculo. Cum totis caſtris ad arma conclamaretur, Baſta, qui veniendo [i] Traverſii in Germanorum ſtationem impetum fecerat, et jam Germanos equites in armis eſſe, ut redituros interciperent, minime ignorabat, non ad Quintinifanum, quo venerat, iter intendit, ſed Guiſam verſus deflexit, et exiguo cum damno in [k] agrum Cameracenſem ſe recepit.

VI. SED cum commeatus importatus vix ad duos menſeis ſuffecturus eſſet, et rex eo diligentius caſtra muniviſſet, ne denuo urbs ab hoſte annona juvari poſſet, in Alberti concilio mature agitatum fuit, quid facto opus eſſet. In eo erant Franciſcus Mendoza [l] Aragoniae maris praefectus, [m] Conſalvus Garillia, Hier. Zapata, Jo. Bapt. Taxis,

INTERPR. [a] *Douay, Louvain, & Dole en Franche Comté.* [b] *Baſta Albanois.* [c] *Pont à Raſſy.* [d] *le Caſtelet.* [e] *Abbaye de Fervacques ſur la Somme.* [f] *St Quintin.* [g] *Rodriguez.* [h] *l'Oyſe.* [i] *Traverſy.* [k] *le Cambreſis.* [l] *Amirante d'Arragon.* [m] *Gonçalo Garilla.*

NOT. [1] *lege* florenos. [2] *lege* florenorum. *Put.*

Taxis, Carolus [a] Arembergii comes, alii: nam Fontanus paulo ante cum Stephano Ibarra in Hiſpaniam diſceſſerat; cujus felices ſuperioris anni ſucceſſus non parvos ſtimulos Alberto injiciebant, futuri anxio, et de [b] Farenſis obſidionis fine ullo operae pretio ſuo exitu ſolicito. Itaque cum exiguo commeatu in urbem illato parum profici, cum totis viribus ad obſidionem ſolvendam proficiſci periculoſum videbatur, quippe rege equitatu pollente, cui peditatus Alberti, licet florentiſſimus, Faram tendenti per apertos campos x leucarum ſpatio ducendus, impar judicabatur; ad haec infeſtis [c] Hanae, Guiſae, Peronae, et Sanquintini circumpoſitis praeſidiis, et quibus ſe effundentibus Alberto ipſi cum exercitu circumſeſſo non minus ab commeatus penuria quam obſeſſis metuendum erat; tandem placuit, ut locus in ditione Gallica munitus et opportunus peteretur, quo capto plus emolumenti ad res Philippi, quam amiſſa Fara damni, rediret. Cum Perona, Guiſa, Quintini-fanum, [d] Monſtrolium, et Caletum proponerentur, ſuperiora, ut non tanti momenti aut Farae viciniora, quibus proinde commode a noſtris non omiſſa obſidione ſubveniri poſſet, rejecit Albertus; et ad Caletum remotius, et cujus amittendi metu noſtros a Farae obſidione revocari poſſe ſperabatur, animum appulit, inſtigante Chriſtiano [e] Savinio Ronaeo ſummo caſtrorum praefecto, qui locum jampridem diligenter exploraverat, et rem fama majorem quam confectu difficiliorem fore affirmabat. Is error ad hunc diem multos tenuerat, ut Caletum toto illo tractu munitiſſimum eſſe atque adeo inexpugnabile propugnaculum crederent, idque Anglis pariter et Hiſpanis impoſuerat: ſed nulli pernicioſiore errore quam noſtri decepti ſunt; qui, quemvis alium potius locum quam Caletum petituros Hiſpanos cum ſibi perſuaſiſſent, ad defenſionem neceſſaria quaſi ſecuri neglexerant. Interea crebris noſtrorum excurſionibus vaſtatus in [f] Atrebatibus et per Hannoniam ager, magnaeque praedae abactae: et cum regem diuturnae obſidionis taederet, veritum, quod accidit, ne per illud tempus hoſtes alia loca in limite oppugnarent, ut deditionem penuria commeatus ſecuturam nova incommoditate obſeſſis objecta acceleraret, ſibi perſuaderi paſſus eſt, obſtructo fluminis per molem in eo ſtructam curſu, aquam foſſa excavata derivatam ab antiquo alveo poſſe averti, et, ducto aggere ad exterius foſſae labrum, eam per interius labrum exundantem in ſubjectos campos et oppidum campis ſubjectum rejici, ita ut, XVIII pedum altitudine in illo reſtagnans, cellas et promptuaria omnia inferiora, ad haec diverſoria, in quibus greges, armenta, et equi ſtabulantur, late mergeret ac corrumperet. Id, magna operum vi et immani ſumptu tentatum ac peractum, tandem exitu caruit, quippe conatus ſtructoribus in metienda altitudine deceptis: nam aqua regurgitans in oppidum non plus quam pedem cum ſemi excrevit; et obſeſſi, qui de re intellexerant, cum in loca ſuperiora greges, armenta, equos, aliaque quae corrumpi poterant, mature tranſtuliſſent, nihil damni paſſi ſunt. Majore periculo conflictati Germani pedites qui regi militabant, rupto ſtatim aggere ab aqua inundante praeter opinionem circumventi, qua paene obruti ſunt, vitamque celeri fuga et majoris impedimentorum partis amiſſione aegre redemerunt. Albertus de petendo Caleto certus, ut tamen itineris ratione conſilium ſuum celaret, copiis univerſis [g] Valentianas, quo convenirent ad Kalendas Aprileis, condixit. Ipſe III Kal. Apr. Bruxellis profectus cum aulico omni comitatu eodem venit, et exercitum luſtravit. In eo erant VI CIↃ Hiſpanorum, II CIↃ Italorum, IV [h] Belgarum, totidem Germanorum peditum; et bis mille [i] Sequani, et III CIↃ equitum, partim cataphractorum, partim levis armaturae. Ibi re denuo in concilio agitata miſſus Carolus Croius Arſchotanus cum delecta manu [k] Caſtellum, cui Georgius Baſta et [l] Auxius provinciae regulus adjuncti, ut ſuſpenſos ambiguo metu noſtros, quaſi auxilia laturus, in obſidione retineret.

INTERPR. [a] *d'Aremberg.* [b] *de la Fere.* [c] *Han, Guiſe, Peronne, & S. Quintin.* [d] *Monſtreuil, & Calais.* [e] *Savigny de Roſne mareſchal de camp general.* [f] *Artois, & Hainaut.* [g] *Valenciennes.* [h] *Wallons.* [i] *Franc-Comtois.* [k] *le Caſtelet.* [l] *d'Auxy.*

CIↃ IↃ XCVI. retineret. Miſſus et Monſtrolium Ambroſius [a] Landrianus cum aliquot levis armatu-
HENRICUS IV. rae alis. Albertus [b] Audomari-fanum cum toto exercitu perrexit, praemiſſo Ronaeo; cui adjuncti Ludovicus Velaſcus et Alphonſus Mendoza cum ſua quiſque legione, et duae Belgarum legiones [c] Bucoii comite et Claudio [d] Burlota ducibus, et CCCC circiter equites quos [e] Montiſcuculi comes ducebat. Huic negotium datum, ut loca, per quae ſuppetiae introduci poſſent, ante omnia occuparet. [f] Pons Novae-brigae altero ab urbe lapide turribus ac pomoerio vallatus, et amni, qui ex [g] Ardea fluit, impoſitus, a terra [h] Caletum petentibus aditum inde intercludit: inde Risbana turris veluti portum claudit, et per mare accedenteis naveis prohibet; ita ut obſeſſuri Caletum fruſtra conari videantur, niſi horum duorum propugnaculorum prius ſint potentes. Eo profectus Ronaeus cum IV circiter peditum et equitum CIↃ, ac II tormentis majoribus totidemque mediis, primo appulſu, poſt magnam jumentorum per paſcua vicina ſecure agentium praedam abactam, Novam-brigam inopinato ſuperveniens capit, magna praeſidiariorum, qui XL circiter erant, ignavia. Ad [i] Risbanam turrim, quae LX praeſidio tenebatur, plus negotii fuit; nec niſi poſt tormentorum diſploſionem et acrem oppugnationem capi potuit. Id actum V Eidus Aprileis. Rex, quem locum hoſtis peteret adhuc incertus, Carolum Monlucium, Petri ad [k] Fortunatas inſulas ante XXXII annos interfecti filium, et [l] Blaſii famoſi illius ducis nepotem, caſtrorum praefectum, [m] Monſtrolium, quod peti dicebatur, cum bis mille peditum praemiſerat; nec niſi ad Eidus de Caleto obſeſſo cognoſcere potuit: quo die et reſcivit Franciſcum [n] Aurelianum Fani-Pauli comitem, et Franciſcum [o] Avertonum Scrilliacum Belinium ejus vicarium, cum ipſo Monlucio ad [p] Valerici-fanum ſe conjunxiſſe cum CC loricatis et delecta IↃC peditum manu, eo conſilio, ut per mare profecti Caleto ſe includerent. Verum illi adverſo vento rejecti fruſtra fuere. Miſſa protinus ab Ordinibus auxilia, [q] Dominico et Grouio ducibus belli expertis. Verum illi nec protinus intra arcem aut in urbe accepti, ſed in ſuburbio, quod ante portum eſt, a Franciſco [r] Sanpaulo Bidoſſano, qui urbi praeerat, relicti. Eodem tempore in Angliam miſſi qui promiſſa auxilia ſolicitarent, quae jam in naveis impoſita in dies exſpectabantur. Scripſerat et ad Ordines Fani-Pauli comes, monueratque ne periculum tam vicini oppidi negligerent. Rex etſi proviſa omnia, quantum per temporis anguſtias licebat, ad defenſionem ſciebat, tamen ſuis deeſſe noluit; relictoque ad Farae obſidionem Henrico Momorantio equitum magiſtro, et adducta ſecum praetoriana legione et IↃ circiter equitibus, in viam ſe dat XVII Kal. Maias, et tertiis caſtris [s] Abbatis-villam venit: cognitoque Novam-brigam, Risbanam turrim, ac [t] Curgium ſuburbium, in cujus defenſione Grouius Batavorum auxiliarium alter tribunus occiſus eſt, ab hoſtibus jam occupata eſſe, et Fani-Pauli comitem tempeſtate adverſa jactatum [u] Bononiam rejectum eſſe, ad Valerici-fanum tendit, ut inde Bononiam per mare peteret; quo eadem adverſa tempeſtate repulſus pervenire non potuit. Interea Albertus, Auguſtino Mexia cum legione ſua Pauli-fanum praemiſſo, ſubſequitur, et ad Monſtrolium deflectit, ſi Caletum expugnatu difficilius videretur, caſtra poſiturus. Sed cum intellexiſſet hactenus conatum Ronaeo feliciter ſucceſſiſſe, literis ejus invitatus, quanquam coelo pluvioſo, Caſalium maritimum eodem die pervenit; ubi domus a noſtris munita hoſtium adventu ſtatim deſerta eſt. Locus leucam a Caleto diſtat; quem ut arctius cingeret Ronaeus, qui jam portus oſtium inſederat, trans portum in viam qua Gravelingam itur legionem miſit, duce Alfonſo Mendoza. Poſtridie undique ſeorſim ab Alberto

INTERPR. [a] *Landriano.* [b] *S. Omer.* [c] *Bucquoy.* [d] *la Bourlote.* [e] *Montecuculi.* [f] *Pont de Nieullay.* [g] *Ardres.* [h] *Calais.* [i] *Tour du Riſban.* [k] *les Canaries.* [l] *Blaiſe de Montluc.* [m] *Monſtreuil.* [n] *d'Orleans comte de S. Paul.* [o] *d'Averton Sr de Serillac & de Belin.* [p] *S. Valery.* [q] *les capitaines Dominique, & Grou.* [r] *de S. Paul de Bidoſſan.* [s] *Abbeville.* [t] *Fauxbourg de Courquet.* [u] *Boulogne.*

Alberto miſſae copiae advenerunt, et una tormenta VIII a Mexia adducta ſunt, praeter IV quae Ronaeus penes ſe habebat; XV praeterea mox Gravelinga cum omni apparatu advecta. Ita autem diſpoſitae erant copiae, ut [a] Velaſciana, Billiana, Griſonia legiones Riſbanam turrim ſervarent. Ad Mendozam, qui in via Gravelingenſi ſtationem habebat, adjuncta Claudii [b] Burlotae Belgica legio. Inter Riſbanam et [c] Cataractae pontem Hiſpani munitionem excitaverant, ut Bononia venientibus aditum intercluderent; eamque tuendam [d] Trivici marchioni cum ſua Neapolitanorum legione commiſerant. Pone ſtationem habebant Germani et [e] Atrebatum praeſidia, quibus praeerat [f] Boſſuvius comes; Flandrici item delectus et Arauſionenſis principis et [g] Sorae comitis copiae mediterranea magis occupabant. Ipſe Albertus ad [h] Petri-fanum hoſpitium ſumpſerat, et circa ſe Mexiae legionem habebat; munitis in eum modum caſtris, ut ſtagnis, paludibus inacceſſis, et, ubi opus erat, aggere, foſſa, a noſtrorum incurſionibus tutus eſſet. Nequicquam annona obſeſſis a Batavis ſummiſſa navigiis parvis; quae obſeſſi ſigno dato cum admittere tentarent, a Riſbanae praeſidiariis et infeſta tormentorum diſploſione infeſtati re infecta intro ſe recepere, et Batavi, amiſſis aliquot navigiis, retro vela facere coacti ſunt. Ipſo Paſchali die ac ſequenti diſpoſita ac directa tormenta duobus locis: ex Riſbana turre XVI, quae propugnaculum ſuburbii ſeptentrionem verſus pulſabant; in via Gravelingenſi VIII in aggeribus diſpoſita: editaque ingenti ruina cum jam adveſperaſceret, tamen dilata oppugnatio uſque in multam noctem, donec aeſtus decreſceret: quo recedente impetus factus utrinque; ſed a Riſbana turre ſimulate cum paucis, ut noſtri vireis dividere cogerentur. A Gravelingenſi via ſerio res acta cum CCCC Hiſpanis Alſonſi Mendozae et CC Burlotae, qui plerumque umbilico tenus mari extantes rem ſtrenue geſſerunt; et, fruſtra propugnantibus noſtris, et ex navibus, quas in portu habebant, et ex oppido tormenta diſplodentibus, tandem loco, qui foſſa tanquam aqua plena ab urbe disjungebatur, potiti ſunt: noſtri, prius igne injecto, ſe recepere. Ab ea parte muri admodum debiles erant, nullis munitionibus aut pomoerio firmati. Itaque vallo nihil opus fuit; ſed ſtatim in labro foſſae diſpoſitis tormentis pulſatio inſtituta: cumque in eo eſſent ut vim facerent, per tympaniſtam petitum colloquium. Summa colloquii fuit, ut VIII dierum induciae pangerentur, intra quas ad regem mitterent; qui niſi auxiliis idoneis obſeſſos juvaret, deditio fieret. Cum induciae omnino negarentur, tandem in has leges conventum, oppidanis intus contra Bidoſſanum praefectum tumultuantibus, ut ipſe cum praeſidiariis in arcem ſe poſſet recipere, et oppidani qui vellent, aſportata omni ſupellectile, tantumque annona in oppido relicta, et ſex dierum ſpatio ab armis utrinque ceſſaretur; intra quod niſi auxilio juvarentur, deditionem facere tenerentur. Rex tempeſtate rejectus [i] Crotoium primo et inde Monſtrolium conceſſerat; ubi per curſorium navigium a Roberto [k] Ebroico Eſſexiae comite certior fit, fore, ut intra quatriduum eum VIII CIↃ bellatorum, in queis erant CIↃ ex delecta nobilitate, in [l] Bononiae conſpectu compareret. Itaque ſtatim Monſtrolio Bononiam profectus eſt; poſtridieque, qui in X Kalendas Maias incidebat, cum neque Anglos ac Batavos auxiliareis tam paratos quam ſperaverat reperiſſet, ut tantiſper dum illi advenirent deditionem arcis remoraretur, CCL delectos ductu Bertrandi [m] Patraſſii Campanioli Bononiae praefecti mittit, quos Henricus [n] Turrius Bullionii dux cum CC cataphractis equitibus in conſpectum arcis deduxit. Illi vero noctis opaco defenſi, ſummo ſilentio inter Riſbanam turrem et munitionem quae ab Italis ſervabatur incedentes,

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Regiments de Velaſco, de Billy, & de Griſon.* [b] *la Bourlote.* [c] *Pont de l'Eſcluſe.* [d] *Trevico.* [e] *Artois.* [f] *de Baſſut.* [g] *Solre.* [h] *S. Pierre.* [i] *le Crotoy, & Monſtreuil.* [k] *d'Evreux comte d'Eſſex.* [l] *Boulogne ſur mer.* [m] *de Patras Sr de Campagnol.* [n] *de la Tour duc de Bouillon.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

incedentes, recedente aeſtu canalem tranſmiſerunt, et intra arcem accepti ſunt, nuſquam ſe commoventibus hinc inde ſtationibus: quod graviſſime tulit Albertus, nimia ſecuritate Italis ignominioſe exprobrata, atque inde Trivico amoto, et in ejus locum Ludovico Velaſco cum ſua Hiſpanorum legione ſuffecto. Rex Eſſexium ſerius quam ſperaverat adventantem Bononiae praeſtolatus, poſtremo, ubi adveniſſe cognovit, eum rogat, ut ad locum deſignatum III a Caleto leucis exſcenſionem faceret: eo mox ſe venturum cum IV CIↃ peditum et CIↃ CC delectis equitibus; quibus copiis ſubsidia Monpenſerio e [a] Neuſtria opportuno maxime tempore adductis ſubnixus, cum hoſte congredi, ſi Angli praeſto fuiſſent, ſe paratum oſtendebat. Verum cum de loco et exſcenſionis tempore inter partes non conveniret, ac de conditionibus ſecretis aliquandiu altercatum eſſet, tantum temporis effluxit, ultro citroque commeantibus hinc inde nunciis, ut Albertus, qui introductis intra induciarum ſpatium auxiliaribus noſtros fide data ſolutos videret, vim extremam ſibi tentandam exiſtimaverit. Ad eam ſuſtinendam obſeſſi ſe parabant, a Campaniolo confirmati, qui ita jubere ac velle regem affirmabat, et ad famam pertinere oſtendebat, ut munitiſſimi toto illo tractu crediti loci defenſio ſtrenue ſuſciperetur; ex ea nimirum pendere ſucceſſus: regem obſeſſis praeſto cum auxiliaribus futurum, praemium ſi animum obfirment, ſi demittant, ignominioſam poenam deditis irrogaturum. Arx forma quadrata IV propugnaculis diſtincta duobus in portum prominet. Ad alterum, quod contra urbem ulteriorem proſpectum habebat, et intus cavum aut terra friabili et ad primos tormentorum ictus aperto muro diſſilitura oppletum, ex Ronaei conſilio, qui id notaverat, verberatio dirigitur; et, continuata ad meridiem pulſatione, poſt IↃCC ictus diſploſos disjecto late propugnaculo, ab eadem parte, quae anguſta alioqui foſſa nec multum profunda defendebatur, fit impetus, et una atque altera oppugnatione repulſi hoſtes, plus e ex illis deſideratis. Verum ex noſtris plures periere; et [b] Bidoſſanus ipſe arcis praefectus ictu tormenti, dum in primis ordinibus fortiter pugnat, diſcerptus. Cujus morte cum ſumma ad Campaniolum recidiſſet, aliquandiu tertia oppugnatione a noſtris certatum fuit: ſed pleriſque ſauciis, nec integris ſuccedentibus, et oborto foeminarum et aliorum oppidanorum, qui in arce erant, ploratu, linqui animis praeſidiarii ac poſtremo cedere, et diverſi huc illuc diffugere, coeperunt. Qui ad templum arcis confugerant, primum furorem irrumpentium hoſtium evaſerunt; nam nulli obvio parcitum. Reliqui aut interfecti, aut, dum per foſſam ſe praecipitant, varia peſte perierunt. Campaniolus re bene geſta a cunctis deſertus tandem captus eſt, occiſo Dominicus auxiliarium Batavorum dux, ejuſque vicarius. Ex hoſtibus alicujus nominis deſiderati [c] Fregnanus Seſſus comes, fariſſa per utramque auriculam trajectus, et [d] Vidus Ubaldus Paciotus Iſidori illius adeo clari Antuerpianae arcis architecti filius, in aede arcis ſepulti: tres praeterea ordinum ductores Hiſpani, I Belga, et Hadriani [e] Noiellae Montignii Rigiaci Atrebatum praefecti vicarius. Magna praeda parta, et copioſus repertus commeatus, multaque tormenta, quae Henrici VIII Anglorum regis inſignibus notata erant. [f] Hama mox et Guina, quam olim Guiſio oppugnante ſtrenue Angli defenderant, ad primam tubicinis denunciationem dedita. Albertus ad farciendas Caletenſis arcis ruinas X totos dies in oppido commoratus eſt, veritus ne rex totum exercitus robur illuc ſtatim converteret, paucis ad Farae obſidionem relictis copiis, quae alioqui ad paucos dies deficiente commeatu reſtitura credebatur. Jamque ubique jactabatur, Hiſpanos non totum trimeſtre [g] Caleto potituros; quippe rege Anglicis et Batavis auxiliaribus ſubnixo, qui minime paſſurus eſſet, ut opportunus adeo portus, qui eadem facilitate, qua captus erat, recipi poſſet, praeſertim arce ſemidiruta, in hoſtium poteſtate diutius remaneret.

VII. VERUM

INTERPR. [a] *Normandie.* [b] *le Sr de Bidoſſan.* [c] *il conte Fregnano Seſſo.* [d] *Guidobaldo Paciotto.* [e] *de Noyelles Sr de Montigny gouverneur d'Arras.* [f] *Ham, & Guiſnes.* [g] *Calais.*

VII. VERUM rex, qui Anglos non ſatis bona fide in eo negotio verſari videret, ac metueret ne, recuperandi [a] Caleti, quod longius abeſt, nimio deſiderio, certam de potiunda Fara penitus in regni viſceribus haerente ſpem amitteret, Caleto in praeſens omiſſo, quod recuperari Anglorum non minus et Batavorum quam ſua intereſſe judicabat, ac proinde de eo commodiore tempore deinceps capiendo minime dubitabat, ad [b] Farae obſidionem rediit, [c] Monſtrolio et Ardea, ut ſibi videbatur, prius optime munitis. Excurrebant interim, capta ex Alberti abſentia occaſione, Batavi per [d] Atuaticorum mediterranea, et, [e] Scaldi ad [f] Halam haud longe a [g] Dieſto ſuperato, [h] Parcenſe coenobium juxta Lovanium uſque venerant, cuncta agentes ferenteſque; cum Itali, qui tumultuaverant, et Halae tunc erant, id ad ſuam ignominiam pertinere rati, monito Croio [i] Havreci marchione, quem Albertus Bruxellis cum ſummo imperio reliquerat, eos perſequendi impetum cepere. Illi vero, quibus praeter ſpem acciderat, ut Italos, quos obnoxios putabant, hoſteis experirentur, in Namurcenſem agrum deflexerunt. Itaque Itali Tilemonem redierunt: ſed cum ſub id Havrecus iis ut Lovanium pergerent per literas ſignificaſſet, nam eo Nicolaum Baſtam cum ccc equitibus et delecto peditatu, Brabantiae item praefectum vocatis provinciae delectibus, praeſto futuros, illi juſſa fecere. Sed cum nemo ad tempus eo loci compareret, ne nihil egiſſe viderentur, ulterius progrediuntur, et Batavos ad [k] Gemblacum adſecuti, cum tantum CL equites et CC tirones pedites ſubſidio ab Havreco miſſos reperiſſent, haud magna mole conflixerunt. Batavi ingentem praedam factam ſecum impune avexerunt.

VIII. IN Alberti concilio, poſt ſartas utcunque Caletenſis arcis ruinas et oppidum pro tempore firmatum, agitatum fuit, quo duci placeret: et cum Monſtrolium peti non placuiſſet, quod ut captu facile ita defendi difficile poſſet, de Ardea obſidenda diu belli duces altercati ſunt; cum alii, capto citra magnum damnum praeter ſpem et opinionem Caleto, nihil magni momenti temere tentandum cenſerent, ne, ſi minus ex voto ſuccederet, famae ex ea victoria per totam Europam ſparſae ſplendor obſcuraretur. Ardeam, licet ambitu parvum oppidum, tamen et ſitu et arte munitiſſimum eſſe, ab Anglis olim intactam; ideoque vulgo inter Gallos dici, virginitatem ſervare adhuc eam: clivo inſidere, ex quo ſubjectos campos deſpicit, ſpatio leucae nec amplius, qua latiſſime, porrectos; planitiei ſylvas undique circundatas, per quas Galli locorum gnari citra periculum et cum oppugnatorum damno caſtra inimica petere ac laceſſere poſſunt: in eam ultra praeſidium ordinarium CIↃ IↃ delectos immiſſos, et Belinium ac Monlucium juvenem ſtrenuum loco ſe incluſiſſe: ad extremas anguſtias Faram redactam; qua dedita nullam remoram Henricum habiturum, quo minus cum totis viribus obſeſſis ſuppetias ferat: pollere illum equitatu, qui plurimum locis apertis valet; et quotidie novas ad eum copias confluere, quibus impar Albertus ſit futurus: nam aut propius urbem vallo et foſſa ductis praeſidiarios tanquam ex ſuperiore loco pugnanteis multum incommodaturos, aut, ſi longius colles verſus caſtra muniantur, ex ſylvis undique erumpentibus Gallis proculdubio fore, ut aut vaſa conclamare cogantur, aut caſtris exuantur, tormentis et impedimentis amiſſis. Contra diſſerebat Ronaeus loci obſidendi auctor et ſuaſor, et pericula ac difficultates in bellicis expeditionibus non ita moroſe conſiderandas dicebat, alioqui nullum magnum facinus unquam patratum iri: multa in bello fortunae committenda; cum prudentia humana rem aggrediendam quantum licet expenderis, proviſis in praeſens quae neceſſaria ſunt, deinceps facto opus eſſe, inprimiſque ſucceſſus urgendos, et Numinis, quod proculdubio Philippi rebus arrideat, favori inſtandum; conſternatis ubique per limitem defenſoribus ſpatium deliberandi minime concedendum: neque tam Ardeae ſitum

INTERPR. [a] *Calais.* [b] *la Fere.* [c] *Monſtreuil, & Ardres.* [d] *Brabant.* [e] *l'Eſcault.* [f] *Halle.* [g] *Dieſt.* [h] *l'Abbaye de Perck près Louvain.* [i] *le marquis d'Havreck.* [k] *Gemblours.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

ſitum et munitiones, quam alacritatem victoris militis, et ignaviam paſſim dedentium ſe ſpectandam: ad tuendam in Caleti expugnatione partam victoriam opus eſſe victori ut Ardeam in poteſtate habeat, quae tribus a Caleto, duabus a [a] Guina leucis abeſt, et circundatum Caleto territorium claudit: nec auxiliarcis nuper immiſſos, aut [b] Belinii in eam ingreſſum obſtare debere, quo minus res tentetur: ubi pavor ſe ob inſignem cladem militum animis inſinuavit, quo majore numero ſunt, eo confuſiora inter eos eſſe omnia: notum ſibi ingenium Belinii eſſe, cum Lutetiae eſſet, et nuper egregium ad [c] Durlanium virtutis ſuae experimentum dediſſe: nondum collectis ex illo pavore animis inſiſtendum videri; certe ſe majorem ex illius praeſentia fiduciam capere, ac ſperare, ut praeſidiarii ducis pericula exhorreſcentis animos induant, eoque citius de deditione agant: neque vero [d] Faram ad eas anguſtias redactam, ut ante Maium exactum periclitetur; neque exiſtimandum, regem, ut Ardeae obſeſſis opem ferat, ab ea obſidione diſceſſurum: intra illud tempus aut Ardeam in poteſtatem venturam, aut Henrico procul poſito citra periculum expeditione adeo ad firmandas in illo tractu Philippi res neceſſaria ſe defuncturos: in magnis conatibus audendum, et ſucceſſum plerumque audaciam ſequi; qui ſi minus voto reſpondeat, at in parte gloriae poni, quod rem ingenti virtute dignam aggreſſi fuerint. Re deliberata Joannes [e] Rivas expertus belli dux et [f] Sluſarum praeterea praefectus cum valido praeſidio Caleto imponitur. Albertus pridie Nonas Maii primis caſtris Guinam venit, alteriſque ante Ardeam conſedit, et hoſpitia copiis diſtribuit. Ant. [g] Coquellio legionis Belgicae tribuno, et Auguſtino Mexiae alterius Hiſpanae, valli ducendi cura data; quod illi protinus brevibus jam noctibus executi ſunt, non ſine damno ſuorum, quippe ad ictus e ſuperiore loco directos expoſiti, et crebris noſtrorum eruptionibus infeſtati. Mexia eam partem inſederat qua [h] Bononiam itur; ubi et ſuburbium eſt paludibus circundatum, quod urbi ſubeſt. Per illud CL. circiter auxiliares Bononia ſummiſſi. Obſtructi deinde diligentius aditus, aedificatis ad loca idonea caſtellis. Tum ad ſuburbium vis ab hoſtibus facta, ſed infelici ſucceſſu: nam cum primo impetu captum fuiſſet, XL. circiter praeſidiariis interfectis, [i] Borbonius Montacutus ex Lavedenſium vicecomitum familia vir ſtrenuus, qui Henoticorum partes antea ſecutus fuerat, ut fidem et virtutem ſuam regi approbaret, multum diſſuadente Belinio, cum legione ſua poſt acrem dimicationem, plus CCC ex hoſtibus deſideratis, locum amiſſum recepit. Ardeae praefectus erat [k] Iſambartus Boſco Anneburgus ex [l] Caletenſi Neuſtriae proximae pago nobilis, vir admodum prudens et rei bellicae longo uſu peritus, qui nihil hoſti cedendum, et de ſingulis ſoli obſeſſi palmis obſtinate certandum, ſuadebat. Contra Belinius, qui locum ad ultimum ſpiritum innato oſtentandae virtutis ſtudio defendendum ſuſceperat, in infirmis locis minime immorandum dicebat: nam in iis militem amitti, et iis captis animos hoſtibus ſucceſſu creſcere, noſtris infringi; ad firmiora contrahendas vireis, et conſervandum ad extrema militem integrum. Dum hoc diceret, hoſtes de ſuburbio rurſus occupando et clade ſuorum ulciſcenda conſilium ineunt, Jacobo Texedae, Mexiae, Coquellio tribunis dato negotio, ut diverſis partibus, quo praeſidiariorum vires pluribus locis occupatae dividerentur, vim facerent. Id factitatum: et, quia Belinius a defendendo ſuburbio alienum ſe oſtenderat, haud multum a praeſidiariis contra pugnatum; qui cum incumbentibus hoſtibus ad urbem receptum paratum ſperarent, demiſſo forte raſtro intercepti ſunt, et ad unum miſere caeſi. [m] Ronaeus, qui initio haerebat, hoc caſu confirmatus, jam ſe perſpicere Alberto dixit ex Belinii ſententia res in oppido adminiſtrari; ac ſperare, ut, vel invitis aliis belli ducibus, ipſe ſibi

INTERPR. [a] *Guiſnes.* [b] *de Belin.* [c] *Dourlans.* [d] *la Fere.* [e] *de Rivas.* [f] *l'Eſcluſe.* [g] *Coquelles colonel d'un regiment Wallon.* [h] *Boulogne.* [i] *de Bourbon de la maiſon de Malauſe & Lavedan.* [k] *Iſambart du Boſc Sr du Bois d'Annebourg.* [l] *Pays de Caux en Normandie.* [m] *de Savigny de Roſne.*

ſibi conſulat; quippe ſeire ſe Anneburgi conſilium ab Initio fuiſſe, ut ſuburbium obſtinatius defenderetur; quo nunc eitra certamen capto, nihil dubii ſupereſſe quin eadem ignavia oppidum brevi dedatur. Sub id et res incidit, quae non mediocriter noſtrorum animos labefactavit, et Belinium jam nutantem omnino inelinavit. Monlucius, cujus in virtute multum ad loci defenſionem momentum erat, dum ex ſuperiore loco arduus toto corpore deſpicit, eminus ictu ſeloppeti petitus eſt, ex quo paucos poſt dies deceſſit. Capto ſuburbio arctius cinctum oppidum, ita ut omnis ad illud aditus eſſet interclusus. Tum XIII Kal. Jun. advectae [a]Caleto IV machinae murales, praeter XXVI quae jam in caſtris erant: et, quia difficillima videbatur ab ea parte quam Mexia inſedebat oppugnatio, quamdiu aqua in foſſa interjecta reſtagnaret, prima cura fuit de aqua derivanda; quod ducto infra canali ſtatim ſactum. Poſtea ad propugnacula directa verberatio; quam obſeſſi, contraria verberatione confractis plerumque tormentorum hoſtilium rotis, irritam reddebant. Verum Belinius, qui defenſione urbis et decore ac rerum regiarum ſalute potiorem ſuam haberet, vocato ducum concilio ſibi conſtare dixit, [b]Faram, quae jam de deditione agebat, ad complures dies adhuc reſtituram, neque regem ab ea ante deditionem diſceſſurum; itaque nullam ab eo tempeſtivam auxiliorum ſpem ſupereſſe: jam amiſſos pleroſque milites, et conſumptam magnam apparatus bellici vim, neque copiam idoneam ſuppetere ad diuturniorem obſidionem ſuſtinendam: itaque conſultum videri, ne roboris delecti quod supereſt manifeſto exitio tam alieno tempore exponant, et, antequam res ad extremas anguſtias redigantur, mature ſibi conſulant. Cum contradiceret Anneburgus, et, ſi animus illi eſſet, ſe capitis periculo oppidum ad complures dies, atque adeo donec rex Faram recepiſſet, defenſurum polliceretur, et ſibi ſepoſitam ad fortuita magnam pulveris nitrati vim affirmaret, quae toto illo tempore ſuffectura eſſet, excanduit Belinius, et commiſiſſe in militareis leges ipſum retulit, qui quod annonae et apparatus bellici reconditum haberet ſe provinciae praefectum celaſſet. Hunc ab initio, ut pleriſque perſuaſum fuit, aſtum commentus fuerat Belinius, ut magnam pulveris nitrati jacturam faceret, diſploſis nullo operae pretio tormentis; quo cum opus eſſet, citra neceſſitatem certaminis deficiente eo honeſtiorem maturandae deditionis occaſionem haberet. Nec Vaſconicus aſtus Neuſtrio ingenio virum fefellit, qui hominem jactabundum ſedulo antea ſemper monuerat, ut tam erebrae et inutili diſploſioni parceret, potiuſque pulverem ad neceſſaria ſervaret; cumque illum contra contumaciter niti videret, caute partem ſepoſuerat; quod ille aegerrime tulit, ereptam ſibi pudendi, quod jam meditabatur, conſilii excuſationem moerens. Nec ſecius in incepto perſtitit, et inconſultis ducibus tubicine extra oppidum miſſo colloquium popoſcit; cujus ſumma haec fuit, ut induciae, intra quas ad regem mittere liceret, pangerentur. Cum id negaretur, re detecta, duces apud Belinium intercedunt, et operam quiſque ſuam large pollicetur. [c]Manſirmus primarius praeſidii dux, cui propugnaculi ad Mexiae vallum oppoſiti cuſtodia obvenerat, vallo intus ducto ſic ſe muniverat, ut eum ſuis ſe parem omni oppugnationi ſuſtinendae oſtenderet; quod ſi idem alii facerent, ut illos facturos proculdubio erat, minime dubitabat quin cum damno hoſtem ab obſidione eſſent repulſuri. Idem Carolus [d]Ramburius provinciae regulus vir fortiſſimus in regione ſibi commiſſa ſe facturum recipiebat. Sed Belinius, obſirmato contra ſaniora et honeſtiora conſilia animo, ſuperbe reſpondebat, tot fortiſſimorum virorum, quos rex ſibi commiſiſſet, rationem ei non ipſis reddendam eſſe; ac proinde, cum temeritate propria valere illis juſſis, ſuae prudentiae reſervavit, ut, pro imperio quod in provincia habebat, ex occaſione pro univerſis conſilium caperet.

INTERPR. [a] *Calais.* [b] *la Fere.* [c] *Mainferme.* [d] *de Rambures.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

caperet. Itaque poſtridie, contradicentibus omnibus, Deumque et homines obteſtantibus, rurſus colloquium popoſcit; et praeſcriptae conditiones, quibus licebat praeſidiariis cum armis et impedimentis, ad tympani pulſum et ſignis explicatis, exire; oppidanis autem qui eos ſequi vellent re omni ſalva, ac ceteris qui in oppido remanerent, pariter conceſſa, dummodo obſequii ſacramentum Philippo dicerent. Belinius convaſatis rebus ſuis propere profectionem edicit x Kalendas Junias, qui in Aſcenſionis diem incidebat, Manſirmo adhuc in ſuo propugnaculo haerente; a quo non niſi admotis tormentis avelli potuit. Bis mille paulo minus egreſſi, ſani ac valentes, et egregie armis inſtructi: quod co ſtudioſius duces eorum fecerant, ut admirationem hoſtibus, Belinio pudorem, incuterent. Certe Hiſpani, de obſidionis exitu paulo ante deſperantes, ad noſtrorum conſpectum Alberti felicitatem laudibus in coelum tollere, et Belinii ſegnitiem incuſare, non ceſſabant; ut vel eorum teſtimonio rex alioqui clementiſſimus in crimen male rei geſtae illum vocare coactus fuerit. Conſpectu regis, cum admitti peteret, ob id prohibitus, a Claudio [a] Caſtreo equitum tribuno et Carolo [b] Turcantio libellorum ſupplicum magiſtro interrogatus eſt, et commiſſi cum eo praeſidiarii duces, centuriones, ac quidam milites; qui nulla neceſſitate urgente, ſe contradicentibus, factam deditionem arguebant: ſuſpenſis tanti judicii exſpectatione omnium animis, quod tandem ſpem fefellit; nam hominis in aula gratioſi, commendatione quorundam, et gynaecei inprimis, decori parcitum; tantumque Picardiae praefectura ei nullo judicio interpoſito adempta: [α] qua in re rurſus pudori ejus conſultum eſt, diviſa in plureis, quae unius fuerat, provinciae adminiſtratione.

IX. AUXIT indignationem, quod, cum [c] Ardea dedita eſt, jam de [d] Fara tranſactum fuerat. Nam Alvarus Oſorius, qui ſub [e] Colaſio, Montelii Adaemari viceſeneſcallo et ſe Farae comitem indigitante, praeſidio Hiſpano praeerat, veritus, ſi extremis ſe anguſtiis premi pateretur, ne deditionem regis arbitrio facere cogeretur, mature ſibi conſuluit, et XVII Kal. Jun. per Demetrium [f] Capoſſomadium Epirotam agere coepit. Haeque conditiones propoſitae ac conventae, ut cum armis, impedimentis, ad tubarum clangorem et tympani pulſum, ſignis explicatis, pilas in ore habentes, tantumque pulveris nitrati ſecum ferentes quantum diſplodendis decem ictibus ſatis eſſet, dimitterentur, et in tutum quo Albertus juberet deducerentur: praeterea unicum tormentum Hiſpanicis inſignibus coelatum cum x pilis adveherent: geſta, tranſacta, donata a vice-ſeneſcallo tanquam Farae comite rata manerent; neque fraudi oppidanis eſſet, quod eo inſtigante contra Florimondum [g] Halvinium Menelaei marchionem urbis praefectum arma ſumpſiſſent, eumque interfeciſſent. Hoc illis conceſſum, ſi quidem, ut aiebant, tantum annonae in urbe reperiretur, ut ad duos menſeis ſufficeret; ſin minus, vita ſalva cum puro ſcipione ſine armis et impedimentis aut aliis conditionibus exirent. Dati ab Oſorio obſides Capoſſomadius et Petrus [h] Gallecus. Miſſi in urbem Ant. [i] Sillius Rupipotii comes et [k] Corbinerius annonae praefectus, qui IↃ XX ſextarios avenae, CXX tritici, VI hordei, XXV ſalis, CIↃ gallinas, XXX vaccas, XXIII verveces, XXC equos pingueis ac nitidos repererunt. Quod cum ad regem retuliſſent, rex conventis capitibus ſubſcripſit. Subſcripſere ex alia parte Colaſius tanquam Farae comes et Alvarus Oſorius. Cum quidam quaererent, cur ille non potius proprium nomen, ambitioſis et falſis titulis hoc praecipue tempore rejectis, adſcripſiſſet, ſuperbe reſponſum, tanti beneficii auctorem gratiae factae optimum fidejuſſorem fore; tamque ſibi hoc licere, quam Balagnio ſe [l] Cameraci principem appellare. Rurſus cum

VAR. LECT. [α] qua in re rurſus pudori ejus conſultum eſt, diviſa in plureis, quae unius fuerat, provinciae adminiſtratione, *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed in* Ed. Gen. 1626 *leguntur, e MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig. deſumpta.*

INTERPR. [a] *le mareſchal de la Chaſtre.* [b] *Turquant.* [c] *Ardres.* [d] *la Fere.* [e] *Colas vice-ſeneſchal de Montel-mart.* [f] *Capuſimadi Albanois.* [g] *d'Halluin marquis de Meygnelers.* [h] *Gallego.* [i] *de Silly comte de la Rochepot.* [k] *la Corbiniere.* [l] *de Cambray.*

cum quaereretur, cur praemature adeo, cum adhuc copioſa annona ſupereſſet, Oſorius colloquium popoſciſſet, reſponſum fuit, ei enixe mandatum fuiſſe, ut vice-ſeneſcalli rationem haberet, neque ſe ad eam neceſſitatem compelli pateretur, ut eum victori nectendum dedere cogeretur. Cum initio conditionibus aſcriptum fuiſſet, ut citra fraudem oppidum dederent, ſimpliciter ſe tradituros oppidum reſponderunt; deditionis et fraudis nomina, ut ignaviae et perfidiae plena, quae in ſe non caderent, Hiſpana vanitate averſati. Eadem vanitate obſides a rege oblatos accipere recuſarunt, verboque tantum promiſerunt, quod tamen ſcripto comprehendi noluerunt, cum ante regem tranſirent, ſigna ſe ſummiſſuros. Dimiſſis Hiſpanis rex pridie quam Ardea dedita eſt Faram pompa armata ingreſſus eſt, et urbi eum praeſidio Joannem [a] Longovallum Manicanum, arci [b] Minvillam, impoſuit. Tum quotidie novis copiis toto regno, ubi aut pax aut induciae erant, ex praeſidiis in caſtra confluentibus, cum aliquid auſurus crederetur, ſatis habuit loca munita, iis quae ab hoſte tenebantur circumpoſita, valido praeſidio diligenrer firmare. Albertus, ne rem proelii aleae committere cogeretur, mature [c] Audomari-fanum ſe recepit, diſtributis per vicina loca copiis. Ibi delegatos ordinum Flandriae audivit; qui, pecunia, annona, milite, et apparatu omni bellico prolixe promiſſis, eum ad Oſtendae obſidionem ſupplices jam tum hortabantur. Quorum preces ne negligere videretur, quanquam majoris molis conatum eum judicaret, Claudium [d] Burlotam harum rerum peritiſſimum, cum ex vulnere in capite ad Ardeam accepto vix dum bene convaluiſſet, eo mittit, ut ſitum et naturam loci diligenter exploraret, et ad ſe referret. Quod ille cum feciſſet, ad Albertum reverſus, non harum virium neque hujus temporis expeditionem eam eſſe oſtendit; quippe paludibus undique loco cincto, et lato canali ad auxiliareis per mare venienteis excipiendos, vel invitis oppugnatoribus, ſemper aperto; praeterea xx peditum vexilla in oppidum ab Ordinibus loco metuentibus immiſſa, et apparatum bellicum, annonam, ac recentem militem in horas ex Zelandiae inſulis eo transfretare. His rationibus perſuaſus Albertus apud Flandriae ordines ſe excuſavit; et ad fraenandas Oſtendani praeſidii excurſiones expeditum videri dixit, ſi munitiones locis idoneis ſtruerentur, et valido praeſidio firmarentur. Verum illi, qui ſumptum omnem inutilem exiſtimarent, niſi in Oſtendam capiendam impenderetur, cum rem non probari belli ducibus viderent, in commodius tempus eam reſervarunt: et Albertus, ne potius regiarum virium metu quam operae pretii faciendi conſilio longius a limite receſſiſſe videretur, copias exeunte Junio inde deduxit, et ineunte Quintili Gandavum venit, ut cum belli ducibus de nova expeditione tentanda deliberaret; copiiſque in [e] Vaſatenſem agrum tranſire juſſis incertum diu reliquit, [f] Gertrudis montem, Bredam, Bergas ad Somam, Hulſtumve peteret. Sub id Ludovicus [g] Melzius Sicambrorum praefectus cum ſua equitum ala et altera ſcloppetariorum equitum, dum [h] Trajecto ad Moſam iter faceret, in Bergenſeis et Bredanos praeſidiarios incurrit; a quibus male mulctatus fuit, ita ut Albertus ſupplere ejus alam coactus fuerit.

X. ANTE [i] Caletum captum rex, qui omnem belli externi vim in ſe verſam cerneret, et amiſſis tot in limite oppidis aliorum jacturam brevi ſecuturam animo provideret, arctius foedus cum Anglis et Batavis non ſolum pro regni defenſione, ſed etiam ad inferendum Philippo bellum, ſibi quamprimum ineundum duxit; ſic fore judicans, ut armis in hoſtieum tranſlatis, et agro, ex quo hoſtis vireis ſumebat et limiti noſtro incommodabat, vaſtato, Hiſpani domum revocarentur, et auxiliares, qui antea regiis ſtipendiis merebant, porro ſuis in hoſtico bellum gererent; denique ut, fama per eam acceſſionem rebus ſuis conciliata, ceteri principes, qui potentiam et incrementum

INTERPR. [a] *de Longueval de Manican.* [b] *de Minville.* [c] *S. Omer.* [d] *la Bourlote.* [e] *Pays de Waes.* [f] *Gertruydenberg, Breda, Bergen-op-zoom, & Hulſt.* [g] *Melzi gouverneur de Gueldre.* [h] *Maeſtricht.* [i] *Calais.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

incrementum Hiſpanorum ſuſpectum habent, ad vireis et conſilia ſocianda invitarentur; quod alioqui, quamdiu Gallos tantae moli ſuſtinendae impares viderent, minime auſuri credebantur. Id jam ante cum Thomae [a] Sidneio ab Anglorum regina ad regem miſſo propoſitum fuiſſet, diu reſponſum dilatum eſt. Tandem regina per [b] Henricum Untonum oratorem ſuum ordinarium regi ſignificandum curavit, placere ſibi ut tempus et locus negotio tractando deſignaretur. Itaque ante menſem Nicolaus [c] Harlaeus Sancius a rege delegatus fuerat, ut in Angliam proficiſceretur, et ea de re cum regina ageret; quem mox ſubſecuturus eſſet Henricus [d] Turrius Bullionius cum plena poteſtate, ut de negotio tranſigeret. Sed, aliis atque aliis ſubortis difficultatibus, non prius quam XII Kalendas Maias Sancius Londinum ſub veſperam venit, cum jam de amiſſo prorſus Caleto fama percrebuiſſet: quam ille contraria aſſeveratione conſtanter refutavit; peritoque per [e] Edvardum Staffordum ante aliquot annos reginae apud regem defunctum oratorem colloquio, arcem adhuc in poteſtate regis eſſe affirmavit, et, ſi ſuppetiae in tempore mittantur, fore dixit, ut obſidio cum damno hoſtium ſolvi poſſit; alioqui fore, ſi Caleti periculum negligeretur, ut graves et utrique parti damnoſi eventus, ad quorum cogitationem totus cohorreſcebat, ex eo ſequerentur. Poſtridie tantum [f] Greenwici, ubi regina erat, deductus Sancius, et in conſpectum reginae admiſſus; cum nocte intermedia Thomas Sidneius curſorio navigio ad regem, qui [g] Bononiae erat, miſſus eſſet, ſpem auxiliorum mox ſummittendorum facturus, ea conditione, ut Caletum in reginae manus ſecuritatis cauſa traderetur. Quod rex indigniſſime tulit, addito, non ſine acerbitate verborum, paſſurum ſe aequiore animo, ut ab hoſtibus quam ab amicis ſpoliaretur; quippe omneis arma tenenti quicquid acciderit fortunae, plerumque virtutis conatibus adverſanti, imputaturos; contra, quicquid ſecerit ceſſeritve, ignaviae aſſignaturos. Poſtea acerbitas literis ad reginam ſcriptis mollita, et regina viciſſim apud Sancium excuſavit quod de Caleto per Sidneium cum rege egerat: nam non eo conſilio factum, ut illud retineret; ſed quia, rege aliis in locis occupato, verebatur ne locus ad res gerendas adeo opportunus in hoſtium communium manus veniret: ceterum Roberto [h] Ebroico Eſſexiae comiti claſſis in Hiſpaniam deſtinatae ſummo imperatori mandaſſe, ut naveis ad portandos auxiliareis quamprimum inſtrueret.

XI. INDE Sancius ad Gulielmum [i] Cecilium magnum regni quaeſtorem, penes quem ſumma rerum erat, adit, a quo ambiguum et alienioris animi reſponſum tulit: Antea reginam cum rege religionis cauſa conjunctam; nunc, vinculo illo ſoluto, tantum vicinia utriuſque regni et antiquorum foederum ratione, quam fere principes commoditate et privata utilitate metiuntur, conjungi. Cum replicaret Sancius, utilitatem utriuſque regni ex unione et arcta conſiliorum conſenſione pendere, tam potente adverſario utrique imminente; retulit Cecilius, Hiſpanos longe maxima laude dignos, qui, tanti momenti expeditione ſuſcepta, Gallos nihil de ea ſuſpicanteis et ſecreto et celeritate ſumma fefelliſſent. Rurſus ad haec Sancius, qui fortunae vitia calamitoſis Galliae temporibus imputari indignaretur, toto ſe pectore Deum orare dixit, ne Anglorum res eo redigerentur, ut ex eventu conſilia et ſucceſſus ipſorum cenſeri oporteat: plures in Galliam aditus patere, ad quos eodem tempore, regiis viribus tot locis occupatis, occurri difficile eſſet. Poſtea tamen conſilii de non mittendis auxiliaribus, niſi [k] Caleto tradito, poenituit; et mandatum Eſſexiae comiti fuit, ut copias promiſſas Bononiam tranſportaret, reginae juſſa eo in loco opperiturus. Verum interim amiſſa Caleti arce Londinenſis plebs periculum ſuum verita, tam vicinis Hiſpanis, paulum a tumultu abfuit, eorum qui circa reginam erant palam ſeu

ſegnitiem

INTERPR. [a] *Sidney.* [b] *le chevalier Henry Unton.* [c] *de Harlay Sancy.* [d] *de la Tour duc de Bouillon.* [e] *le chevalier Edward Stafford.* [f] *Greenwich.* [g] *Boulogne.* [h] *D'Evreux comte d'Eſſex.* [i] *Cecil baron de Burghley.* [k] *Calais.*

ſegnitiem ſeu tergivetſatiouem inctepans, qui in tempore auxilia obſeſſis uon ſummiſiſſent. Sub id Bullionius in Angliam appulit, cui ſoederis cum tegina icendi plena poteſtas a rege tradita ſuerat. Is Eſſexium [a] Doverae convenit; et, cum ptovideret ſore, ut, ablegata coutra Hiſpaniam claſſe, in foedere faciendo regina et proceres Anglicani de auxiliis, quibus tex opus inpraeſeutiarum habebat, propere mitteudis ſe excuſarent, ab ea expeditione quibus potuit rationibus dehortatus eſt: videre ipſum debere, quo tempore, et qua ex occaſione patriam relinquat: aſtu aemulorum abſentiam ejus ab aula urgeti, et ſucceſſum expeditionis, quicunque tandem futurus ſit, proculdubio ipſi exitioſum ſote; nam feliccm, ei invidiam apud proceres creaturum, et ſuſpectam ex eo nimiam ipſius potentiam apud reginam ſore; ſi ſecus accidat, odium ei apud populos et amicos, quos bonis ſecum evertat, conciliaturum: eo abſente multa aecidere poſſe, quae ei in patriam reditum omnino intercludant; aut hujuſmodi ea futura, ut eorum eventus ei imputari poſſiut, quippe qui ambitioni ſuae ſerviens vircis domeſticas longe a patria tranſtulerit. His monitis nutantem Eſſexii animum paene inflexit Bullionius, tantumque ſibi e aureorum CIↃ in expeditionem de ſuo et amicorum pecunia expenſa reſarciri petebat. Sed factio adverſa pervicit, et, numeratis ei IV ſterlinarum CIↃ ex regia peeunia, vela facere jubetur. Laborabat febte quartana Bullionius, et per Sancium cum regis literas reginae obtuliſſet, dicta dies colloquio Gteenwici Nonis Maiis, cum biduo ante de [b] Draci et Hawkinſi clade in Indiis accepta allatum eſſet; quod negotium inter partes coeptum nou parum conturbavit. Adetant nomine teginae Gulielmus Cecilius magnus regni quaeſtor, [c] camerarius, [d] Cobhamus, Buckhurſtus, Forteſcutus, primarii reguli, et Robertus Cecilius Gulielmi filius: regis nomine, praeter [e] Bullionium et [f] Sancium, Gulielmus [g] Varius libellorum ſupplicum magiſter, et nuper in arcanum conſiſtorium cooptatus; qui, cum animi gtatia ſine peculiati mandato in Angliam tranſmiſiſſet, egregiam admodum operam in eo negotio navavit. His acceſſit et Gulielmus [h] Ancellus variis legationibus in Germania defunctus, et inde ad Imperii principes orator deſtinatus. Ibi aliquandiu altercatum, antequam ad rem veniretur; cum Cecilius ſe collegaſque a regina delegatos diceret, ut noſtrorum mandata intelligerent, et ad ipſam referrent; Bullionius jam eonſtare teſponderet, cujus ergo a Chriſtianiſſimo tege miſſi eſſent, de foedere nimirum acturi; ſed oportere ante omnia, ut inter partes conveniat, an foedus ici placeat: tunc enim ipſos conditiones propoſituros; alioqui fruſtra de iis diſceptationem inſtitui. Heic Ceeilius, Quaudo res tegis eo redactae ſunt, ut praeſenti auxilio a regina opus habeat, ſoeduſque cum ipſa ob id expoſcat, videndum eſt, inquit, quid tex viciſſim teginae cauſa ſacere paratus ſit, et quid utilitatis ex eo ſoedere ad ipſam tedundaturae ſperari queat. Cui a Bullionio teſponſum, minime ipſum alioſque qui adſunt reginae nomine proceres ignorare, contra communem Fraucici et Auglicani regni hoſtem ſoedus proponi, nec parum utilitatis ad alterutrum redundaturum, ſi communis hoſtis conjunctis viribus petatur; alioqni Hiſpanis, quamdiu Galli Anglique ſeparatis viribus ſe tuebuntut, bellum contra utrumque confectu facilius futurum: neque vero dubium eſſe, quin potius Angliam quam Galliam petant; nam expeditiouem minus invidioſam, et ob religionis praetextum honeſtiorem ſore; ad haec propter ſitum commodiorem, et ad recuperandas in Belgio amiſſas provincias utiliorem: quod ſi tempeſtas in tegem, attritis diuturno bello civili propriis viribus, incumbat, merito ipſum vereri, ut iutegris potentiſſimi hoſtis viribus ſuſtinendis tobore par ſit, pracſertim cum non deſint inter ſuos, qui, ſpatſis artificioſe rumoribus, nova

INTERPR. [a] *Douvres.* [b] *Drake, & Hawkins.* [c] *Cary baron de Hunſdon grand chambellan de l'Hotel.* [d] *le baron de Cobham, le baron de Buckhurſt, & le chevalier Jean Forteſcue chancelier de l'Echiquier.* [e] *le duc de Bouillon.* [f] *de Harlay Sancy.* [g] *Du Vair.* [h] *Ancel.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

nova diſſidiorum ſemina jaciant: itaque, ſi contingat ut omoem vim Hiſpani contra ſe vertaot, proculdubio multas urbes ac civitates in conſpectu ſun periclitaturas, ex eoque ipſum in contemptum ſuorum venturum, ac tandem eum Hiſpanis pacem facere coactum iri, quod illi ſummopere expetunt, ut ſoluti Gallorum metu conatus in Angliam et Belgium jam pridem deſtinatos exſequantur: regem proinde pro jure amicitiae reginam monere, haec apud ſe mature examinet, et periculis tantis utrique impendentibus pro prudentia ſua, capto ſalutari conſilio, in tempore praevertat. Heic rurſus Cecilius foederis expetiri neceſſitatem deprecari. Quid enim amplius icto foedere facere reginam poſſe, quam quod hue uſque fecerit? Bellum cum Hiſpanis infeſtum geri, et mari terraque miſſas in Hiſpaniam, Galliam, et Belgium copias, et ounc claſſem ad vaſtandum Hiſpaniae litus ſolviſſe: regi plus quindecies centena aureorum CIↃ mutuo data, et ſummiſſas innumeras copias, ad arcendos Hiſpanorum in [a]Britannia Celtica impetus, et regnum Franciae tuendum, ut legatos potius in gratiis agendis qnam de novis poſtulatis faciendis fatigari conveniat: tot ſumptibus aerarium, de quibus nondum ſatisfactum ſit, exhauſtum: bellum illi io Batavis, quo Hiſpanos proxima aeſtate cum magnis copiis exſcenſuros undique afferatur, hoc anno habendum; praeter claſſem dnce Eſſexio miſſam, ſumptus in Draci claſſem factos ſarciendos, eo majore reginae dolore, quod claſſem illam ducibus morbo abſumptis citra certamen omnino diſſipatam eſſe audiat: LX CIↃ aureorum in eam expenſa, et nunc mercatoribus XXV CIↃ ad ſolutionem adhuc deberi: regem per ſe propriis viribus nune ſtare, pace cum pleriſque ſuorum facta ac Lotharingiae duce; nam inducias cum Sabaudo et Mercuriano pactas, et, ſi quas urbes amiſit, eas parvi momenti eſſe,, praeſertim ſi cum Maſſilia, quam onper feliciter receperit, contendantur: ſed longe majus periculum reginae in Hibernia impendere, ubi novis motibus per Hiſpanorum appulſum cuncta fremere audiat; vetus quippe inter Anglos proverbium vigere, per Hiberniam invadentibus Angliam internavigandum eſſe. His rationibus excuſanti ſe Cecilio a Bullionio reſponſum, longe diſparem regis et reginae in belli ratione conditionem eſſe: nam huic bellum gerenti vectigalia ſine ullo impedimento procedere; regi per bellum omnia vectigalia et cum vectigalibus regoum perire. Tum interfatus eſt Sançius; eam Anglorum prudentiam eſſe, ut dubitare non poſſint, quin foederatorum, quibus cum communi hoſte res eſt, periculum ad ipſos pertineat: atqui videre ipſos, regem, niſi ei ſubveniatur, eo redactum eſſe, ut cum Hiſpano paciſci neceſſe habeat; nec ullum habere circa ſe, qui aliter ſuaſurus ſit; et vicinorum maxime intereſſe, ne id faciat: porro utile Anglis futurum foedus, ſive ad arcendam Hiſpanorum Britanniae inhiantium invaſionem, ſive ad bellum communi hoſti inferendum: nam licere reginae, quam opportuniorem rebus ſuis judicaverit, Belgii partem aggredi; et ſi ab Hiſpanis petatur, regem eam milite, portubus, et navibus e proximo adjuturum. Ad quae verba cum Cecilius ad ſuos converſus patrio ſermone dixiſſet, Gallos urſi pellem venalem proponere, quod proverbio dici ſolet, qui aliena ut ſua venditaot; Sancius, qui linguam intelligeret, ſubito Gallice retulit, non pellem urſi venalem proponi, ſed ſalutare et optimum longe conſilium dari, ſi ipſi occaſione uti velint. Tum Cecilio ſermonem ingreſſo, et naveis promiſſas, ubi eſſent, quaerenti, a Saocio reſponſum, abunde navium [b]Rupellae, Burdigalae, et ad Maclovii-fanum eſſe. Et neganti eas in poteſtate regis eſſe, Bullionius, ut contentio paene rixoſa impediretur, ſubjecit, praecipuum ab exſcenſiooe claſſis Hiſpanicae Anglis metum eſſe: eam poſſe impediri, ſi exercitus, qui in Belgio eſt, aliqua expeditione contraria occupetur: nam militem ex Hiſpania receotem paene rudem ac tironem eſſe; et navalem exercitum mitti ad exſcenſionem veterani militis, qui oune

in

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *la Rochelle, Bourdeaux, & S. Malo.*

in Belgio eſt, adjuvandam: id patere ex ultima navali expeditione, quae non adducto ex Hiſpania milite, ſed copiis quae Parmenſi militabant, prorſus nitebatur: nunc autem univerſas Belgii copias non plus xiv cIↃ peditum et bis mille equites efficere: ſi contrariae vires a rege reginaque validiores, quod illis facile eſt, opponantur, conatum per mare Hiſpanorum inutilem fore: quod ſi regina, pro ea qua apud foederatos Ordines valet auctoritate, ab iis impetret, ut libertas commerciorum tollatur, de Philippi in Belgio rebus actum eſſe, et, diſſipato ejus exercitu, magnum ex fama ad regis reginaeque, atque adeo Ordinum ipſorum, res momentum acceſſurum: nam Italiae principes, quibus ſuſpecta eſt et formidabilis Hiſpanorum potentia, clam pecunia communem cauſam adjuturos; Germanos autem, apertos Hiſpanici nominis hoſtes, etiam militem ſuum ſociaturos. Heic rurſus cum Cecilius id ab Ordinibus impetrari poſſe pernegaret, quippe quorum vires libertate commercii conſtent, Sancius praefracte interfatur: et ſi quidem nulla ſpes foederis icendi, aut auxiliorum a regina propere ſummittendorum, ſubeſt, magnam ei gratiam regem habiturum dicit, ſi aperte quod ſui conſilii eſt declaret; nam ipſum ex eo reſponſo viciſſim conſilium rebus ſuis ſalutare capturum. Et ita res ad reginam a Cecilio remiſſa; et, de variis inter reges utriuſque regni initis foederibus injecto ſermone, poſtquam praecipue de eo, quod ante xxv annos cum Carolo ix Amboſiae ictum fuerat, [a] actum eſt, utrinque diſceditur. Biduo poſt rurſus delegati conveniunt, et, poſt eaſdem altercationes repetitas, mirari ſe dixit Bullionius, non videre Anglos praecipue ſe ab Hiſpanis peti; nam cum illi loca alia rebus gerendis in Gallia opportuniora et expugnatu faciliora capere poſſent, [a] Caletum tamen potius expugnandum ſuſcepiſſe, ut eo capto exſcenſionem in inſulam faciant, et toto ſeptentrione commercium, quo Belgii et Angliae opes conſtant, eadem opera conturbent. Tandem, cum Sancius non jam ſibi de foedere ſed de reditu in Galliam cogitandum eſſe diceret, Cecilius breviculum ex ſinu promit, quo reginam ob continua bella viribus et pecunia exhauſtam, ut tamen regi aliqua in re ſatisfaceret, non eodem numero copias quas Carolo ix, ſed iii cIↃ peditum tantum ſumminiſtraturam pollicebatur; addita lege, ut rex pecuniam ſcribendo militi ex aerario ſuo ſummitteret, nec prius illi ex Anglia ſolverent quam menſtruo ſtipendio accepto. Id cum Bullionius, re cum ſuis conſultata, a ſpe de benignitate reginae et egregia erga regem voluntate, atque adeo a praeſenti rerum neceſſitate, maxime alienum diceret, et, ſi quidem rex pecuniam ad manum habeat, longe majores in Helvetiis et Germania copias poſſe ſcribi, multumque mercenariorum ac foederatorum principum conditionem diverſam eſſe, pluribus demonſtraret; Angli contra reginae res non poſſe ferre oſtenderent, ut majora auxilia ſuppeditaret; Bullionius et Sancius quaſi commotiores ſurrexerunt, et tantum ſupereſſe dixerunt, ut cum bona reginae gratia quam primum in Galliam diſcederent. Tum ubi domum reverſi ſunt, re rurſus conſultata, placuit, antequam commeatum a regina peterent, ut ſcripto mandatorum, quae a rege habebant, ſummam, legationis cauſas, et diſceptatas utrinque in actione de foedere rationes, complecterentur, et ad reginam mitterent; quo praecipue id urgebant, de foedere icendo mentionem primam ab Untono reginae apud regem oratore injectam, ob idque Sancium in Angliam miſſum, qui de tractandi negotii tempore cum reginae conſiliariis conveniret, quo mox Bullionius, cui plena a rege data poteſtas fuerat, ipſe in Angliam tranſmitteret: tamen hujuſmodi propoſitas a reginae conſiliariis conditiones, ut iis ſpem de foedere conceptam ludificare potius quam ſerio agere videantur; neque vero ipſos adduci poſſe, ut eas a reginae voluntate proficiſci credant: quapropter ipſam orare, ut quid ſuae voluntatis ſit diſerte explicare dignetur,

VAR. LECT. [a] actum eſt *deſunt* Ed. Gen. 1620.
INTERPR. [a] *Calais.*

dignetur, ne diutius tempus inutiliter conſumere cogantur: nam ratione munerum ſibi a ſua majeſtate commiſſorum fieri, ut diuturniorem moram procul ab domo tam neceſſario tempore facere non poſſint. Lecto ſcripto regina, quae aegre de foedere aſſentiretur, neque re omnino infecta Gallos diſcedere cuperet, v Eidus Maias per Cecilium alias foederis conditiones proponit, quibus III CIƆ auxiliarium peditum cum ſemeſtri ſtipendio promittebantur, ſed ea lege, ut tantum per ſex menſeis nec amplius, nec aliis quam in [a] Neuſtria, Picardia, Bononienſi praefectura, Atrebatibus et Hannonia, regi militarent; nec eos regina mittere teneretur, quamdiu bellum in Hibernia duraret, et Eſſexius cum claſſe abeſſet: de pecunia vero jam in ſcribendo milite et ſtipendio ſemeſtri depenſa, ac bona fide reſtituenda, a rege IV obſides idonei darentur. Cum Bullionius regem a regina invitatum non futuri auxilii ſpe ſed praeſentis neceſſitate foedus urgere oſtenderet, alioqui, niſi intra ſex menſeis proximos ſuppetiis juvaretur, nullum ex foedere fructum percepturum; Cecilius in propoſito perſtaret; Sancius indignabundus totum negotium in aliud tempus rejiciendum cenſuit, quo Eſſexius cum claſſe rediiſſet, et res in Hibernia omnino quieſcerent. Tamen amplius deliberandi ſpatium Bullionius cum ſuis ſumpſit: et cum ſuper aliquot capitibus, aliter quam proximo colloquio convenerat conceptis, aliquandiu altercatum eſſet, ad majoris momenti quaeſtionem poſtremo deductus a Bullionio ſermo, de ratione belli communi hoſti quamprimum conjunctis viribus inferendi expedienda: nam de eo nondum actum, et tamen id maxime ad res utriuſque regni firmandas pertinere; ſic enim fieri, ut alii principes exemplo invitari poſſint, et conſternati populorum recentibus ſucceſſibus animi in ſpem meliorem erigantur, non prius ex primo illo ſe pavore collecturi, quam florentiſſimum exercitum ex utriuſque ditionis robore conflatum in aciem inſtructum conſpexerint. Ad haec Cecilius, ſe libere et ſincere reſponſurum profeſſus, reginam certiorem ex amicis factam dicit, de pace inter regem et Hiſpanos agi; neque commiſſuram, ut vireis iſtuc temporis tam numeroſas commodet, quibus rex ſubnixus opimiores ab illis conditiones in Anglorum perniciem poſtremo recaſuras ferat. Cum negaret Bullionius, nec niſi ab amicis omnino deſertum regem in pacem cum Hiſpanis conſenſurum religioſe affirmaret, eaque de re ipſum idonee cavere paratum oſtenderet; contra Cecilius regem a Mercuriano de pace cum Philippo facienda ſolicitatum diceret, et rationes ab eo negotii peragendi propoſitas; placuit, ut noſtri ſcripto caput de belli inferendi ratione complecterentur, ſic enim commodius reginam de tota re conſultaturam, et pro prudentia ſua ad legatorum poſtulata reſponſuram. Noſtri inſtabant, ut praeſenti auxilio [b] Ardeae, ad quam jam tormenta directa allatum erat, [c] Monſtrolio et Bononiae periclitantibus ſubveniretur; et Sancius XXV CIƆ aureorum, exiguam, ut aiebat, pecuniae ſummam, commodari quamprimum petebat: cui a regina reſponſum, toties hauſta aqua tandem puteum exaruiſſe: neque tamen omnino ſe excuſavit. Secundum haec denuo re agitata, cum inter partes minime conveniret, tantum XX CIƆ aureorum, ut Bononiae et Monſtrolio ſubveniretur, haud magna cum noſtrorum gratia ab Anglis promitterentur, XVI Kal. Jun. petitum a Bullionio et Sancio quaſi re infecta diſceſſuris cum regina ultimum colloquium, collectis jam omnibus impedimentis, et per Camperonem VIII CIƆ aureorum Monſtrolium et Bononiam ad neceſſaria praemiſſis. Impetrato commeatu Henricus [d] Brookus Cobhami reguli filius, et [e] Fontanus eccleſiae Gallicanae in Anglia paſtor, et mox Robertus Cecilius magni quaeſtoris filius, ſupervenit; et, excuſata reginae erga regem alioqui bene affectae voluntate, aegre ferre illam teſtati ſunt, quod aliis incommoditatibus preſſa ejus deſiderio ſatisfacere plene non potuerit: itaque cupere, ut rurſus cum

INTERPR. [a] *Normandie, Picardie, le Boulennois, Artois, & Hainaut.* [b] *Ardres.* [c] *Monſtreuil, & Boulogne.* [d] *Brook, fils du baron de Cobham.* [e] *la Fontaine.*

cum delegatis regiis, antequam diſcedant, colloqui poſſit. Summa colloquii poſt biduum fuit, velle ipſam, quantum in ſe eſſet, principis variis neceſſitudinum vinculis ſecum conjunctiſſimi deſiderio plene ſatisfacere, ac mandaſſe conſiliariis ſuis, ut Londinum profecti de foedere cum ipſis tranſigant, ſuſpenſa negotii extrema deciſione, donec rex conditiones adprobaſſet. Quod additum, partim ut pleniora mandata delegati noſtri interea a rege obtinerent, partim quod conditiones propoſitae, quia minus utiles viderentur, regis adprobatione egere viderentur. CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

XII. TANDEM, poſt novas hinc inde altercationes, VII Kal. Jul. in has leges conventum eſt, ut, foederibus prioribus in priſtino vigore manentibus, novum inter regem reginamque ad tuendos fineis et bellum regi Hiſpaniarum inferendum iniretur, ad quod invitarentur cuncti alii principes et ordines, quorum intereſt ſibimet ipſis in tempore cavere ab ambitioſis conatibus et machinationibus, quas Philippus contra vicinos ſuos molitur, et ad eos quot et ubi videretur oratores mitterentur: quam primum commode fieri poterit, et per utriuſque regis ac reginae negotia licebit, exercitus communibus viribus, tam ipſorum quam aliorum principum ac ordinum qui foedere comprehendentur, ad Philippi ditiones invadendas inſtruatur: neuter, ſive rex ſive regina, de pace vel induciis cum Philippo ejuſve ducibus ac praefectis agere ſine conſenſu alterius valeat: tantum induciae prorogari poſſint in [a] Britannia Celtica; quod ſi fiat, rex quantum in ipſo erit procurare tenetur, ut regina ejuſve ditiones iis comprehendantur: quod ſi regii praefecti cum Philippicis aliquas facere cogantur, non ultra duos menſeis ſine conſenſu utriuſque pangantur. Quam citiſſime fieri poterit, regina IV CIↃ peditum ſcriberet, qui regi militaturi ſint ſingulis annis per ſex menſeis in Picardia et Neuſtria locisque adjacentibus, modo non plus quam L [b] leucis a Bouonia diſtent: quod locum habeat, ſi res reginae id commode ferant; qua in re religioſae ejus aſſertioni ſtabitur. Poſtquam motus in Hibernia compoſiti fuerint, et ab omnibus turbis Anglia quieſcet, liberum reginae ſit ſubſidium IV CIↃ peditum augere. Stipendia auxiliari militi ex regis aerario procedant, a die quo in Galliam appellent, quouſque inde diſcedant, luſtrationis neceſſitate ſingulis menſibus impoſita, quae a delegatis curatoribus fiet: qui deerunt numero diligenter a regina ſuppleantur intra menſem poſt luſtrationem, modo in tempore monita fuerit. Ex pecunia reginae ſemeſtre ſtipendium numeretur, idque rex intra ſex menſeis reginae reſtituere, eique idonee cavere datis IV obſidibus ex nobilitate, teneatur. Liceat regi, ſi res reginae ferent, praeter IV CIↃ auxiliarium totidem in Anglia pecunia ſua ſcribere. Milites Angli, qui regi militabunt, coram judicibus regiis caſtrenſibus de delictis et criminibus, quorum poſtulati fuerint, reſpondere teneantur, ita tamen ut duces ac tribuni Angli judiciis interſint: quod ſi contingat, ut in ditiones reginae fiat invaſio, et illa auxiliareis a rege ex foedere petat, rex intra duos menſeis, ex quo interpellatus fuerit, IV CIↃ peditum ſumptibus reginae ſcribat, et in Angliam mittat, qui per ſex menſium ſpatium, nec amplius quam quamdiu illis ſtipendia conventa procedent, in Anglia militabunt, adjecta etiam conditione, ne plus L milliaribus in inſula progredi cogantur: auxiliares illi pariter judicibus caſtrenſibus reginae ſubjecti ſint, ita ut in judiciis tribuni ac ductores Galli adhibeantur. Rex, ex numero illo ſi qui defuerint, pariter ſupplementum mittere teneatur. Ad extremum utrinque conventum, uter armis, pulvere tormentario, et apparatu bellico egebit, ut ea avehere in regnum ſuum abſque ullo impedimento poſſit, modo id per alterutrius commoditatem liceat; qua in re religioſae utriuſque aſſertioni ſtabitur: liberum item commercium permittatur, et mercatores

INTERPR. [a] *Bretagne.*

NOT. [b] millibus paſſuum. *Camd.*

CIↃ IↃ XCVI.
Henricus IV.

mercatores utriuſqoe regni in alterios ditionibus tanquam proprii ſubjecti negotlari citra impedimentum valeant: commeatu item et rebus ad alendnm exercitum neceſſariis, quantum commode fieri poterit, utrinque ſubleventur: rex ſucceſſoreſque ejus non permittant quenquam Anglicanae ditionis ob religionem nunc in Anglia approbatam per Inquiſitores aut ullo alio modo vexari: ſi quis privata auctoritate cuiquam moleſtiam facere conetur, faciatve, id rex prohibeat, damoumque datum reſarciat. In eo foedere Angli inter eos qui ad illud invitabuntur comprehendi oolebant Belgii Ordines, quod eos patrocinio reginae defenſos ex ipſius volontate omnino pendere aequum eſſe docerent. Idque Cecilius maxime urgebat, ut tantum principes ad foederi ſubſcribendum invitarentur; non etiam alii populi et ordines, ne eorum oomine Ordines Belgici comprehendi intelligerentur. Sed regina tandem aſſenſit, nt generale Ordinum ſive Statuum nomen principibus adjiceretur; nam in executione foederis de ea controverſia facile cooventurum. Major io ſubſcribendo difficultas occurrit: nam Anglicani proceres nomina ſoa digniori loco aſcripſerant in inſtrumento quod noſtris tradituri erant, idque exemplis aliorum foederum ita ſubſcriptorum, quae ipſi ex archivis ſuis exhibebant, tuebantur. Contra ultimo foedere cum Carolo IX inito, quod prae manibus erat, obſervatum oſtendebant noſtri; et praerogativam regni, de qua nuoquam controverſia regibus Franciae mota fuerat, in medium adducebant. Res tamen ſilentio diſſimulata, quod rex nondum mandata miſerat, aut ratum foedus habuerat. Cecilius, ut par eſt credere, a Proteſtantibus noſtratibus ſolicitatus, conditionem ſeparatam adjecerat, qua illis amplius a rege caveri petebat. Verum cum ſe excuſaſſet Bullionius, et nihil eam cauſam cum foederis cauſa commuoe habere diceret, ad haec invidioſum ſibi apud alios aulae proceres fore provideret, ſi ipſe doctrinae Proteſtantium addictus foederi in ipſorum gratiam id addi pateretur, Gulielmus [a] Varius, io quem ut majorum religioni addictum Cecilius ſermoem directum aiebat, eum perſequitur, et benignitate regis abunde Proteſtantibus in Gallia jam conſultum et porro proſpectum iri dicit: neque vero regem aequo animo laturum, ot alius quiſquam praeter ſe patrocinium ſubditorum ſuorum ſuſcipiat; neque deſuturos circa regem, ſi regina in poſtulatis pergat, qui ipſum ad ſimilia apud reginam poſtulata facienda incitent. Cum Cecilius non eandem regis reginaeque hac in cauſa rationem eſſe replicaret, prudenter a Vario reſponſum, de aequitate poſtulatorum inpraeſentiarum minime ſe diſputare; verum hoc dixiſſe, nt oſtenderet quid incommodi ex illis ſequi neceſſe eſſet. Miraturis non immerito plerique, cur foedus tantopere a ooſtris expetitum infructuoſis adeo conditionibus cum Anglis initum ſit, ſubit ad regiorum procuratorum excuſationem conſiderare, quo in ſtatu tunc res ooſtrae eſſent, quibuſque rex anguſtiis domi foriſque conflictaretur. [b] Durlanio et Cameraco noſtra cum clade, nec minori famae diſpendio, [1] immane quaotum animis Hiſpani creverant, et recenti Caleti acceſſione inflati nihil non auſuri videbantur. Magna ex eo cooſternatio non ſolum apud oos, ſed in Anglia paſſim et Ordinom Belgicorum provinciis. Augebat ex eo natam ſoſpicionem Caeſarianorum oratorum recens in Belgium adventus, qui Caeſaris nomine a Philippo aequiſſimas pacis conditiones afferre dicebantur; et omnibus cooſtabat, conſiliarios, qui circa reginam erant, toto animo in pacem cum Philippo propendere, ejuſque incundae rationes prae manibus habere, [c] Vliſſinga et Briela traditis. Jamque de Vliſſinga cum Caleto permotanda ſermones paſſim jactabantur. Anglis autem et Batavis cum Philippo pacificatis, Gallia in praedam Hiſpaois relinquebatur; qui ab omni alio metu ſecuri, propriis viribus in unum coojunctis et domeſticis diſſidiis viam ad invaſionem aperientibus, proculdubio regem regioſque uodique circumventos oppreſſiſſent. Tempeſtati a regno avertendae

noo

INTERPR. [a] *Du Vair.* [b] *Dourlans, & Cambray.* [c] *Fleſſingue, & la Brille.*
NOT. [1] *ſupple* captis.

non alíud remedium prudentioribus viſum, quam ſi regina novo foedere cum Philippo committeretur; quod nullis precibus aut rationibus ab ea huc uſque obtineri potuerat: nam ex eo ſequebatur, ut ſuppetiis adverſus Hiſpanos regi laboranti ferendis obligaretur, et foederati Belgii Ordines intelligerent, ſibi in potentiſſimorum duorum principum foedere et concordia firmiſſimum eſſe repoſitum praeſidium, neque proinde ad conditiones pacis a Caeſare propoſitas jam facile inflecti poſſent. Ex eo et hunc fructum rex conſecutus eſt, ut regina Belgas clientelareis ſuos, quod ſemper antea recuſaverat, cum Gallia foedere conjungi paſſa ſit: qua re non mediocriter infringi ſpes Hiſpanorum, et conatus eorum retardari, apparebat; quippe qui videant, non jam ſibi cum Gallis ſolis, ſed cum Anglis et Belgis ſimul rem eſſe, atque adeo cum aliis principibus, qui odio Hiſpani nominis hujus foederis in ſocietatem venirent. Et ita adverſus externa mala proſpectum. Domi verò per illud foedus laborantibus provinciis, et de auxilio a rege aliis in locis occupato deſperantibus, animi additi; et rebus noſtris ubique ex fama conciliatus favor, erectique in ſpem de proſperis ſucceſſibus plerique in regno ipſo, qui de iis male ominati jam nutabant. Neque propterea pacis, quam populi ubique tam ardentibus votis expetebant, praeciſa ſpes; quippe quam viribus novis regno firmato, quam debili, facilius ab Hiſpanis obtineri poſſe procul dubio eſſet. Induciis autem per univerſum regnum pactis, quod alterum malis tantis remedium ab aliis proponebatur, idem quod metuebatur periculum conſequebatur, ut nimirum Angli et Batavi ad pacem cum Philippo mox inclinarent; quam ſi ille haberet, mox totis viribus in nos adhuc turbatos et factionibus ſciſſos incubiturus eſſet. Ut ille cum Anglis non conveniat, tamen inde hoc ſecuturum, ut Angliae expugnationem, quam tot jam annos parturit, confectu faciliorem habeat; in qua ſi voti compos evadat, novo milite, cujus penuria nunc laborat, auctus, eo nobis formidoloſior poſtremo ſit futurus. His rationibus rex confirmatus foedus, quamvis iniquioribus, quam cum Carolo IX prius initum fuerat, conditionibus, confectum poſtea ratum habuit [a] Meloduni IV Kalendas Septembreis, data ſyngrapha ſigillo publico firmata, qua reginae promittebat, bellum adverſus Philippum communibus viribus cum ipſa perſecuturum, quamdiu inter ipſum reginamque belli cauſae durabunt, neque cum eo pacem facturum, niſi prius monita regina, et ea in pacis tractatu, ſi velit, comprehenſa: quod idem illa regi publico inſtrumento promiſit. Icto cum Angla foedere Bullionius et Sancius, petito a regina commeatu, cum Vario domum reverſi ſunt.

XIII. GUL. [b] ANCELLUS, qui negotio interfuerat, acceptis foederis conditionibus in Bataviam cum Laevino [c] Calvartio Ordinum Belgicorum apud nos oratore, quem et rex foederis cum Anglis contra Hiſpanos actioni intereſſe voluerat, proficiſcitur, Bullionium opperiturus: qui ſpe ſetius, ac ineunte tantum Septembri, eo venit. Itaque fruſtra fuit, quod rex Ancello ad Germaniae principes legato mandaverat, ut Sextili proximo ad Daniae regem ſe conferret, ut ipſius inaugurationem eo tempore [d] Hafniae celebrandam praeſentia ſua honeſtaret. Paulus [e] Choartius Buzenvallius apud Ordines aſſiduus orator jam ante cum iis egerat, et [f] Hagae in conſeſſu publico Eidibus Aprilibus, cum primum fama de [g] Caleto ab Alberto cardinale circumſeſſo in Bataviam pervenit, gravem orationem ad Ordines regis nomine habuerat; qua poſt praefationem honorificam eorum ſegnitiem et veternoſam lentitudinem ſtimulabat, ut non tam Gallorum quam proprium periculum reſpicerent: nam quamvis bellum in Gallia ab Hiſpanis geratur, ita geri, ut potius Ordines foederati quam rex ipſe peti videatur: Caleto amiſſo, quo diu regnum florentiſſimum caruit, non tam Gallorum vireis infringi, quam maris imperium, quod his bellis penes Anglos et Ordines fuit,

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Ancel.* [c] *Calvart.* [d] *Copenhague.* [e] *Choart de Buzenval.* [f] *la Haye.* [g] *Calais.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

fuit, controverſi juris fieri: atqui libera per oceanum navigatione opes tam horum quam illorum conſtare, quam fere Galli propriis opibus et domeſtico robore potentes inſuper habent: ea nunc infeſtata, atque adeo adempta, quid reliquum eſſe, niſi ut tandem ex profundo ſopore experrecti omnia ſumma faciant, ut in periculo alieno proprium omnino neglexiſſe non videantur? Scire ipſos debere, regem de pace ab Hiſpanis ſolicitari, hoc agentibus, ut a Gallis ſecuri totum belli robur in Anglos et Belgas effundant: at eum optimum principem ad bella natum et inter arma educatum erga ſe aliosque omneis eundem, qui antea fuit, deinceps futurum, modo ne ab amicis deſeratur, quorum ſalutem propria potiorem habet: hoc generoſum propoſitum ad extremum ſpiritum conſtantiſſime ipſum ſervaturum, ut non ſolum Gallici nominis decus contra ambitioſos Hiſpanorum conatus tueatur, ſed vicinos diriſſimorum tyrannorum jugo liberet. His rationibus cum permoveri viderentur Ordines, et proprio periculo terreri, quod non artificioſe haec a noſtris fingi intelligerent, jam de ſuppetiis mittendis cogitabant: cum inter apparatus moras de Caleto et mox [a] Ardea captis affertur, interimque Ancellus et Calvartius appulerunt. Et ille quidem mandata ad [b] Buzenvallium a Bullionio et Sancio [c] Graveſendae v Kal. Jun. data attulit; quorum ſumma erat, ut pro tot cumulatis in regem beneficiis gratias Ordinibus ageret, et ad belli contra hoſtem communem gerendi ſocietatem eos invitaret: nam iis honorificum in foedere cum Angliae regina inito reſervatum a Bullionio locum, ut eo comprehendantur; et reginam ipſam ad eos propterea per Georgium [d] Gilpinum ſcripſiſſe. Quod additum erat, ut Ordines intelligerent, utili ipſis atque adeo neceſſaria contra Philippum contracta cum regina foederatione, id etiam a regiis miniſtris actum eſſe, ut ipſi a ſervitio Anglorum, quod illi in Ordines patrocinii praetextu uſurpaverant, per illam clauſulam eximerentur. Interea, quando rex in magnis anguſtiis poſt amiſſum Caletum et Ardeam, Hiſpanis undique incumbentibus, premeretur, poſtulare juſſus ab Ordinibus Buzenvallius, ut IV CIↃ peditum, quos Juſtino Naſſovio duce ſummiſerant, et quousque Farae obſidio duraret ut regi militarent tantum permiſerant, porro in caſtris manere paterentur, et qui numero deerant ab iis ſupplerentur: hoc foederationis novae auſpicato principio regem ſperare, ut Sextili proximo repulſo hoſte arma in [e] Atrebates et Hannoniam inferre poſſit, et locum in iis idoneum ſitu firmum munire, ex quo bellum nutantibus populis vaſtato circum agro eminus oſtentare poſſit: petere inſuper, ut pulvere tormentario, qui eodem quo nuper convenit pretio aeſtimetur, et VI fariſſarum CIↃ juvetur; nam penuria ejus rei in regiis caſtris laborari. Quo officio cum XVII Kal. Quintil. defunctus eſſet Buzenvallius, tamen haec omnia in Bullionii adventus tempus dilata; qui in Angliam prius tranſmiſit, ut nomine regis ſolemni ritu in foedus juraret.

XIV. INDE ſerius in Bataviam appulſo ſenatus Hagae datus IV Kalendas Octobreis. Heic ante omnia ſolemnibus actis gratiis, ſe poſt foedus in Anglia, quod ipſi minime ignorant, nuper initum a rege miſſum dicit, ut Ordines ſuae egregiae neque unquam immemoris erga ipſos voluntatis certiores faceret, atque ut vireis ſic conſilia ad communem totius orbis libertatem contra tyrannicos Hiſpanorum conatus tuendam cum ipſis ſociaret: ceterum ſcire ipſos velle, poſtquam cum pontifice reconciliatus eſt, non defuiſſe multos tam circa ipſum quam extra regnum foederatos et amicos pacem cum Hiſpano ſuadenteis. His et acceſſiſſe populorum praeteritis bellorum calamitatibus feſſorum aſſiduas querimonias: tamen illum ad decus et fidem amicis datam, quam ad ſuas ſuorumque commoditates domeſticas, potius ſpectaſſe; et bellum pro Gallici nominis dignitate ac amicorum libertate ſuſceptum perſequi, quam otium praeſens

INTERPR. [a] *Ardres.* [b] *Chouart de Buzenval.* [c] *Graveſend.* [d] *Gilpin.* [e] *Artois, & Hainaut.*

CIↃ IↃ XCVI.
Henricus IV.

praeſens cum eorundem diſpendio amplecti, maluiſſe: nec enim memoria excidiſſe, quam parato eos ſemper erga ſe animo ſit expertus, ſemel atque iterum miſſis in tempore ac nuper in obſidione [a] Rotomagenſi tam opportune ſuppetiis. Itaque, quanquam enm potentiſſimo hoſte pacem habere potuiſſet, bellum potius optaſſe; et, ut omnem dubitationis ac ſuſpicionis cauſam tolleret, etiam illud ultro ac publice denunciaſſe: ex quo quam gravia multa ei non omnino imprudenti acciderint, ipſos minime ignorare, tot urbibus ac locis munitis in limite amiſſis, quibus defendendis, ſuperiorum temporum malis debilitato atque exhauſto aerario, rex ipſe aliis locis occupatus minime par fuit: tamen, auxiliis ab ipſis in tempore ſummiſſis, non mediocriter in [b] Farac obſidione adjutum fuiſſe; idque grato animo libentiſſime profiteri, Sed cum provideret, poſt tot cladeis potentiori adverſus efferentem ſe in dies ex proſperis ſucceſſibus hoſtium ſuperbiam ſubſidio opus eſſe, ſociatis omnium, quibus nimia Hiſpanorum potentia merito ſuſpecta eſt, ad commune periculum propulſandum viribus, ab Anglorum regina, quae foederis ineundi jam ante aliquoties mentionem per ſuos oratores injecerat, principium feciſſe, eique Laevinum Calvartium ipſorum apud regem oratorem actioni intereſſe voluiſſe, ut eum teſtem apud ipſos haberet, quam propenſa voluntate et ſincera fide in communi negotio, quod eorum ſalutem praecipue ſpectat, verſatus eſſet. Eo teſte, atque adeo actore, operamque mutuam interponente, poſt multas difficultates cum regina tranſactum eſſe; quae non tam in eo negotio privati ſui commodi, nam facile eo foedere, ſicut ipſa ſaepius palam declaravit, carere potuit, quam, pro innata bonitate ſua et erga foederatos Ordines praecipua voluntate, ipſorum Ordinum ſalutis et orbis Chriſtiani publicae utilitatis rationem habuit. Foedere autem illo conventum, ut ipſi communibus ſuffragiis invitati in illius ſocietatem reciperentur. Hacpropter reginam ad ipſos per Gilpinum literas dediſſe: et ipſum, quamprimum rex foederis conditiones ratas habuit, eaſque in Angliam reverſus illius nomine coram regina religioſo ſacramento firmavit, ad Ordines veniſſe, ut ad foedus ipſorum potiſſimum gratia contractum eorundem nomen et auctoritas accedat. Hanc mentem, hoc intimis animi fibris expreſſum arcanum regis eſſe, quod ille coram amicis populis candide renudat, fide data, ſe eoſdem hoſteis, eoſdem amicos, cum ipſis porro habiturum, neque cum Hiſpanis, niſi prius monitis illis et de ipſorum conſenſu, de pace acturum: petere viciſſim, ut ipſi fidem in eaſdem conditiones obligent: et, ut oſtendat rex quanti eorum fidem faciat, quantamque fiduciam in eorundem amicitia reponat, rerum ſuarum, quarum periculum ad ipſos pertinere minime dubitare debent, cupere illos participes facere. Continuis bellis domi foriſque per octo amplius annos regnum afflictatum, quod adhue vim roburque ſervet, hominum ſpem viciſſe: ſed, quanto periculoſiore nunc malorum gurgite emergit, eo magis verendum eſſe, ne, ut in morbis pallido adhuc et effoeto corpore, major doloris remittente malo, quam in ipſo febris acceſſu, ſenſus porro ſit futurus. Reliquias morbi inveterati minime ipſos fugere: diſſidiorum et factionum ſemina ſupereſſe, ei in multorum animis altiores radices egiſſe, quam ut tam brevi tempore omnino evelli poſſint: civitates pleraſque male animatas, et populos factioſa peſte praeoccupatos, levi momento ad apertam perniciem, ſalutis omni cura poſthabita, impelli poſſe: bellum adhuc in Britannia noſtra ardere, ubi Hiſpani per furores Gallicos potentiae ſuae veſtigia alte admodum impreſſerunt: nondum Provinciae plagas cicatricem obduxiſſe; in Picardia vero et Campania vulnera miſerandum in modum aperta prope eſſe, ut in gangraenam evadant: adeo attenuatam plebem ruſticam, et ad extremam inopiam, atvis ubique vaſtatis, redactam, ut vectigalia regni annua

INTERPR. [a] *de Rouen.* [b] *la Fere.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

annua ab ea exigi nequeant: urbes ipſas, quarum opes pleraeque ab agro, aſſuetas ad regni neceſſaria collationes recuſare: poſtremam ad tantas calamitates contagioſam luem accedere, quae, quod militis paſſim licentioſe graſſantis rabies reliquum fecit, in urbibus et agris immaniter depaſcitur. His de cauſis orare obnixiſſime regem, ut, in laudabili juvandi res ipſius propoſito perſeverantes, ad aliquod tempus aſſueta ſubſidia ſubminiſtrare non graventur, quouſque regnum, ex diuturno adeo morbo refocillatis viribus, priſtinam valetudinem omnino recuperaverit, qua fretus ipſe proprio robore ambitioſos communis hoſtis conatus non ſolum repellere, ſed praeterea bellum in ejus ditiones transferre, poſſit. Petere igitur, ut ad petitas jam a Buzenvallio copias, CCCC equitum ſubſidium eorum benignitate addantur: ſic futurum, ut regem jam tot nominibus obnoxium magis ac magis ſibi devinciant, et ei ad injurias a ſuperbis Hiſpanis tam Galliae quam Belgio illatas, hac nova virium acceſſione firmato, ulciſcendas majores animos faciant, eaque liberali in res regias erogatione ipſi ſumptibus domi parcant, tranſlato longe a finibus in hoſticum bello, et radicis primum guſtantibus amarae dulceis olim fructus ſentiant; eademque opera, dum rebus ſuis conſulunt, efficiant, ut qui regis ob denunciatum nuper bellum conſilia in Gallia maligne carpunt obmuteſcant, cum viderint ſpem de Ordinum benignitate ab initio factam deſideriis publicis reſpondere, et ad bellum ipſorum cauſa ſuſceptum neque militem neque primarium belli nervum pecuniam tam neceſſario tempore deeſſe. Regem tanti beneficii memoriam aeternum ſervaturum, ipſoſque experimento ſuo probaturos, recte collocatae gratiae fructum certiſſimum eſſe: nam ita ſibi perſuadere debere, fore, ut ipſi ex regis copia aliquando eandem gratiam ſentiant, cum Gallici regni corpus vigorem antiquum receperit, et ſanguis, qui nunc vix alendo cordi ſat eſt, per cetera membra exuberans ad externas etiam partes diffundi coeperit. Ad hoc Bullionius ipſe poſtremo, pro ea qua apud regem et in regno pollet auctoritate ac dignitate, operam ſuam prolixe pollicetur. Inde res inter partes agitari coepit; tandemque, diſceptatis aliquandiu conditionibus, pridie Kal. Nov. conventum eſt, Georgio Gilpino reginae Anglorum nomine interveniente. Ordinum provinciae hae foederi aſcriptae, Geldria cum Zutfania, Hollandia cum [a] Weſtfriſia, Zelandia, Ultrajectum, Friſia, [b] Tranſiſelana regio, Groeninga, et Ommelandia, cum ordinibus, urbibus, et illarum indigenis; ac praeterea nobilitate, urbibus et arcibus Brabantiae, quae Ordinibus parent, nec non [c] Drentana regione. Igitur ex Mauritii Naſſovii comitis ex Arauſionenſium principum familia, [d] Veherae et Vliſſingae marchionis, generalis praefecti Geldriae, Zutfaniae, Hollandiae, Weſtfriſiae, Zelandiae, Ultrajecti, Tranſiſelanae regionis, urbium et arcium Brabantiae ac Flandriae, generalis item maris praefecti, (hi enim tituli Mauritio attributi) et aliorum conſiliariorum ſententia, hae leges perſcriptae: Reges Scotiae et Daniae, ſeptemviri, aliique ſacri Imperii principes, aliique reges, principes, reſpublicae, quarum intereſt ut ambitioſis Hiſpanorum conatibus obviam eatur, rogabuntur, quam primum fieri poterit foederi nomen dare; ob idque Ordines foederati ad eos mittent legatos, cum regi Chriſtianiſſimo opportunum videbitur. Anno proximo conventus omnium principum, aliorumque qui foederi ſubſcribent, celebrabitur, die ac loco qui a rege reginaque Angliae nominabuntur, in quo de belli regi Hiſpaniae ditionibuſque ejus eorum ſumptibus inferendi ratione decernetur. Exeunte Martio proximo exercitus regius in finibus Picardiae et [e] Atrebatum comparebit, nec non Ordinum Belgicorum exercitus, qui VIII CIↃ peditum et CIↃ IↃ equitibus conſtabit, cum tormentis et omni apparatu bellico, loco et tempore de quo inter Bullionium et Mauritium convenit. Ad legiones II, quibus

INTERPR. [a] *Weſt-Friſe, Zelande, & Utrecht.* [b] *Over-Yſſel, Groningue, & les Ommelandes.* [c] *Pays de Drenthe.* [d] *Veer, & Fleſſingue.* [e] *Artois.*

quibus Odetus [a] Lanovius et Rignacus tribuni imperant, et ex Ordinum pecunia ſtipendium procedit, praeterea II CIↃ addentur, et [1] CCCL florenorum ex eorundem aerario ſuppeditabuntur; quibus imperabunt vicarii aut caſtrorum praefecti a rege impoſiti. Rex IV illa peditum CIↃ ad Ordines ad primam interpellationem remittere tenebitur, ſi quidem contingat eos ab Hiſpanis in provinciis a ſe poſſeſſis peti; quo tempore hoſtiliter cum Hiſpanis ſine mora aut diſſimulatione agere, et, ſi rogabitur, ac per negotia aliaſque occupationes ejus licebit, IV CIↃ peditum et CIↃ equites auxiliareis ſummittere pariter tenebitur. Ad commercii ſecuritatem et mercimonii libertatem inter regiae ditionis Ordinumque mercatores conſervandam, pacta, contractus, et privilegia antiquitus ntrinque conceſſa, tam generalia quam particularia, quibus nullo alio tractatu poſtea derogatum eſt, ex utraque parte inviolabiliter ſervabuntur. Rex ſucceſſoreſque ejus commendatos habebit Ordinum ditionum ſubditos, ita ut libere navigare, negotiari, contrahere, nbique poſſint, iiſque de injuriis ac gravaminibus in jure tanquam aliis regiae ditionis ſubditis ſatisfiet. Et, quoniam Gulielmus Aranſionis princeps primus libertatis adverſus Hiſpanorum ambitionem et pernicioſos conatus tuendae fundamenta jecit, magnoſque labores ac ſumptus in communem cauſam impendit, pro eaque tandem proprium ſanguinem profudit, ac morte ſua immenſam bonorum ab hoſte occupatorum jacturam paſſus eſt, quam ob rem Flandriae et Brabantiae ordines, ut tot damna ab eo accepta aliqua ex parte ſarcirent, cum vidua liberiſque ipſius tranſegerunt; rex ſucceſſoreſque ejus commendatos habebunt viduam liberoſque illius, eoſque in bonis recuperandis, ſarciendis damnis, et juribus ac actionibus tuendis gratia et patrocinio ſuo adjuvabunt. Licebit regiis in Ordinum ditionibus, et Ordinum ſubjectis in regia ditione, merces vendere, emere, permutare, et quo libuerit libere tranſportare; neque propterea alia aut majora, quam quae a cujuſque ditionis ſubditis penduntur, tributa exſolvere compellentur; neque jura, quae Alibi-natorum dicuntur, contra regios in Ordinum ditionibus aut in Ordinum ſubjectos in regia ditione uſurpabuntur. Ad navigationis libertatem a praedonibus Hiſpanis aſſerendam licebit regiis Ordinumque navibus naveis hoſtileis vi armata perſequi; captaeque navis praeda ejus commodo cedet, quae prima in hoſtilem vim fecerit. Ad majorem ubique navigationis a piratis ſecuritatem licebit Ordinibus paciſci cum omnibus ubicunque, et praecipue cum Baltici maris civitatibus, ceſſabuntque ab hac die clarigationis et navium ſiſtendarum impetrata jam diplomata; neque deinceps ulla ejuſmodi concedentur, ſed jus aequabile inter partes dicetur, ita tamen ut aeris alieni ab Ordinibus ad belli neceſſitates contracti ratione nemini moleſtia creetur; navibus Gallicis, quae ſeptentrionem verſus ad frumentum aliaſque merces comportandas navigabunt, iter ſuum citra impedimentum in itu et reditu perſequi liberum erit, neque ad Ordinum portus appellere tenebuntur; et, ſi quidem tempeſtate adverſa in eorum litus rejiciantur, merces exonerare, eaſque vendere aut permutare, non compellentur: quod etiam locum habebit in navibus Batavicis, quae per regiae ditionis portus navigabunt, aut ad eos appellere ſubigentur. Haec ita tunc tranſacta Bullionius regem intra ſex menſeis rata habiturum promiſit, iiſque cum Buzenvallio ſubſcripſit. Seorſim ab Ordinibus petitum, et a Bullionio regis nomine promiſſum, ut qui ex Gallica juventute in academia [b] Lugdunenſi apud Batavos literis operam darent, et doctoratus inſignia ſumerent, iiſdem privilegiis, quae iis qui in aliis regni academiis ſtudiorum curſum peregerunt attributa ſunt, in poſterum ſtuerentur. Rex, Bullionio in Galliam reverſo, menſe Januario, cum adhuc [c] Rotomagi eſſet, conditiones ratas habuit, et ad Ordines tranſmiſit; quibus XVI Kal. Mart. traditae ſunt.

XV. DUM

INTERPR. [a] *de la Nouë, & de Rignac.* [b] *de Leyde.* [c] *Rouen.*

NOT. [1] Meteren met CCCCL CIↃ florenorum.

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

XV. DUM foedus novum a noſtris in Anglia et apud Belgicos Ordines agitaretur, Robertus [a] Ebtoieus Eſſexiae comes et Carolus [b] Howardus ſummus maris praefectus cum claſſe ſolverant, ſcripto prius ſuo nomine evulgato, quo claſſem ſibi ab Eliſabetha regina commiſſam ad bellum regi Hiſpaniae inferendum deſtinatam dicebant, quem illa certo ſciat in conſiliis dudum captis perſeverantem ingentcis ad invadenda ipſius regna apparatus moliri: eum jam ante immanem claſſem, qua majorem aetas noſtra in oceano non vidit, ante VIII annos in Angliam immiſiſſe; eodemque tempore, quo magis falleret, inſigni perfidia colloquium de pace Dunkerkae inſtituiſſe: verum ope Dei, et Anglorum erga reginam ſuam optime animatorum virtute, eam diſſipatam prorſus evanuiſſe: reginae omnia amicitiae officia integra cum ceteris orbis Chriſtiani principibus conſtare, excepto Hiſpanorum rege, qui a multis annis apertas inimicitias eum illa exercet; et, quanquam nulla prius injuria laceſſitus, non ſolum hoſtilibus armis ditiones ſuas invaſit, ſed deteſtanda et ad hoc aevum inter principes inaudita proditione vitae ejus ſaepius inſidiatus eſt: eapropter ſibi a regina mandatum, ut ab omni maleficio contra alias quaſvis nationes omnino militem abſtineant; tantum in Hiſpanae ditionis ſubditos hoſtilem vim exerceant, alioſque qui conſilio, pecunia, milite, navibus, apparatu bellico, annona, res ejus juverint: proinde, pro imperio ſibi a regina demandato, belli ducibus, tribunis, cunctiſque in claſſe militantibus ſevere praecipere, ut imperiis reginae ſe morigeros praebeant; et, quia difficiles de iis qui Hiſpanae ditionis non ſunt, et tamen Hiſpanis terra marique contra reginam opes ſuas commodare arguuntur, controverſiae oriri poſſunt, eapropter quam enixiſſime per Deum cunctos, qui Hiſpanae ditionis non ſunt, et nihilominus Hiſpanos navibus, annona, apparatu bellico huc uſque juverunt, obteſtari, ut naveis ſuas ex Luſitaniae aliiſque Hiſpaniae portubus, atque adeo a claſſe Hiſpana contra Anglos miſſa, domum confeſtim redituri abducant, aut cum Anglis ſe conjungant; nam ipſis de ſecuritate et immunitate, quam a benigniſſima regina ſperare poſſint, abunde cautum iri: quod ſi qui erunt qui hanc denunciationem ſpernant, hi ſibi praedictum ſciant; et, ſi cum iis deinceps hoſtiliter agatur, juſtam de injuriis querendi cauſam non ſubeſſe intelligant. Scriptum lingua Gallica, Italica, Germanica, Belgica, et Hiſpana publicatum, et per Luſitaniae alioſque Hiſpaniae portus, ut cunctis innoteſceret, diſſeminatum fuit. XXIV naves armatae ab Ordinibus Belgicis ſubminiſtratae, ducibus Joanne [c] Duvenvordio et Ludovico Naſſovio comite, et VI onerariae ſe claſſi adjunxerant; cum qua Eſſexius Hiſpaniam verſus navigavit, et Luſitaniam praetervectus exeunte Junio ad Gadeis appulit, ubi obviam Hiſpanam claſſem habuit, XXIV triremibus, IV [d] majoribus, I nave praegrandi cui Philippo nomen, IↃ CCC amphorarum capace et XXC machinis aeneis inſtructa, ac praeterea IV [e] liburnieis, quae XVI machinis bellicis itidem inſtructae erant, conſtantem. Diverſa admodum utrinque produntur: nam Angli memorant, commiſſa Anglicana praetoria cum Hiſpana item praetoria diu obſtinato certamine certatum, tandemque Hiſpanam, cum prius ignem concepiſſet, poſt tertiam oppugnationem cum omni apparatu bellico ac milite captam: mox ex reliquis triremibus poſt leve certamen XVIII deditas, ſed militi, exacerbatis Anglis, minime parcitum fuiſſe: III fuga evaſiſſe, totidem incendio abſumptas periiſſe; IV majores quoque triremes ceſſiſſe, et remiges catenis vinctos ſtatim libertati reſtitutos. Addunt praeterea in Gaditano portu VI naveis variis mercibus onuſtas, quae in Indiam navigaturae erant, et II alias, quae CL tormenta bellica [f] Oliſſiponam portabant, captas; ac poſtridie pontem, qui [g] Baeticam cum inſula conjungit, ab Anglis occupatum: demum Kalendis Sextilibus oppidum vi expugnatum, et trucidatis praeſidiariis prorſus incenſum: ſolam domum in qua Ludovicus Naſſovius hoſpitium habebat,

INTERPR. [a] *D'Evreux comte d'Eſſex.* [b] *l'amiral Howard.* [c] *de Duvenvoord.* [d] *Galions.* [e] *Pinaſſes.* [f] *Liſbonne.* [g] *l'Andalouſie avec l'iſle de Cadiz.*

habebat, illaeſam et ſalvam ab igne remanſiſſe; tantamque trepidationem ex eo in circumjaceotem regionem ſparſam, ut omnium ordinum homines domibus et bonis relictis fuga huc illuc dilaberentur: ad hunc caſum acceſſiſſe fortunae victricis beneficio XVIII naveis pretioſiſſimis mercibus onuſtas, quae ex India veniebant, et rei ignarae ad portum Gaditanum appulſae in praedam ceſſere. Sic autem Hiſpani ſcribunt, [a] S. Philippi et S. Andreae naveis praetorias, quae acie ſemilunae ſpecie inſtructa in medio pugnabant, poſt acre cum Anglicana praetoria certamen, ſuperveotu Batavae praetoriae ita pilarum ictibus laceratas ac coofractas, ut propugnatores animuoi deſpondentes partim caeſi ſint, partim enataverint: ipſas naveis poſtremo incenſas, haud incruenta Anglorum victoria, quippe quorum III majora ac pleraque minora navigia paritet depreſſa ſint: quo conſpecto reliquas triremeis, adverſus Anglicanae claſſis potentiam impares, in tutum ſine damoo ſe recepiſſe: diſceſſu claſſis [b] Gadeis, poſt obſtinatam praeſidiariorum defenſionem, tandem, cum nulla ſuppetiarum ſpes eſſet, iis noctu diffugientibus, captas et crudeliter direptas, nullique ſexui in oppido parcitum, dum Angli ſuorum, quos plus II CIↃ in ea obſidione amiſeruot, cladem ultum eunt. Certe conſtat poſt captas Gadeis nihil valde praeclari tota ea expeditiooe geſtum, Anglis, qui coelum illud inſalubre ferre non poterant, vario morborum geoere vexatis; et, cum Batavi ſucceſſus urgendos ſuadereot, et [c] Luciſeri-fanum in [d] Baetis aeſtuario petendum, ut tranſlato in Hiſpaniam bello Mauros vicinos ad belli ſocietatem invitarent, et periculum tam ab Anglia quam a Belgio avertereot, paulumque res inter eos a ſeditiooe abeſſet, Anglos praeda onuſtos recuſaſſe, ac tandem pejora veritos [e] Eſſexium et Howardum, quanquam invitos, converſis velis in patriam ineunte Septembri revertiſſe, haud magna gratulationis ſpecie a regina exceptos; quippe quae laetis expeditionis initiis exitum non reſpondere aegre ferret, et Ordines foederatos de Anglorum rapacitate palam conqueri impatientet audiret.

XVI. FARA recepta rex diſtributis in limite copiis Lutetiam redierat, ut adventum legati pontificii, de quo magna in animis omnium exſpectatio excitata fuerat, primaria regni urbe opperiretur. Is fuit Alexander Medices [f] Florentiae archiepiſcopus, candido vir ingenio et matura prudentia praeditus, qui ad generoſos familiae illuſtris ſpiritus magnam rerum agendarum peritiam ſibi in aula Romana comparaverat, et jam ante XXV annos Coſmi magni Etruriae ducis gentilis ſui negotia oratoris titulo magna fidei et ſolertiae laude adminiſtraverat: poſtea a Gregorio XIII, Franciſci I magni Etruriae ducis commendatione, ob id in collegium cardinalium cooptatus. Pootifex patria Florenrinus amicum ſibi ob merita alioqui virum cum huic legationi obeundae idoneum judicaſſet, tum regi, ad quem legabatur, gratioſum fore exiſtimavit, quod a factione Hiſpana alienus, et res Gallicas prono favore ſemper amplexus crederetur. Is igitur miſſus, ut promiſſas ac juratas a regiis procuratoribus conditiooes coram exigeret, et recoociliationem Romae factam in Gallia ſanciret, omni rebellandi factioſis, qui in armis adhuc erant, per praeſentiam ſuam praetextu ſublato. Summus ei ac praecipuus honos toto regno habitus. Franciſcus [g] Bona Diguierius, quanquam Proteſtantium doctrinae addictus, veoientem magno comitatu ac militari pompa in limite excepit, et [h] Lugdunum uſque deduxit. Poſtea Philibertus [i] Guichius provinciae praeſes, Gilbertus Chaſeronus, aliique ordine praefecti, ſic enim rex mandaverat, ipſum [k] Caſtrum uſque, quod IX leucis ab urbe abeſt, eadem pompa honorifice deduxerunt. Eo rex eum non regali pompa, ſed familiariter per veredarios equos inviſit, tantum primariis regni principibus ac proceribus ſecum ductis, in iiſque Meduanio

ouper

INTERPR. [a] *Galions de S. Philippes, & de S. André.* [b] *Cadiz.* [c] *S. Lucar de Barameda.* [d] *Guadalquivir.* [e] *le comte d'Eſſex, & l'amiral Howard.* [f] *le cardinal de Florence.* [g] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [h] *Lyon.* [i] *de la Guiche.* [k] *Chaſtrel.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

nuper in gratiam recepto; ut primo congreſſu legato manifeſtum faceret, quanta fiducia et comitate cum iis, quos infeſtiſſimos antea expertus fuerat, poſt reconciliationem uteretur. Poſtea, cum urbi propinquaret, miſſus eum magno procerum comitatu Henricus Borbonius primarius regii ſanguinis [α] princeps, qui legatum regis nomine ſalutaret: quo officio egregiae indolis puer decenter et magna cum legati ipſius laetitia defunctus eſt. Ubi ad S. Jacobi ſuburbium venit, ex antiquo more cuncti urbis ordines ad ipſum ſalutandum acceſſerunt. Pro ſenatu Achilles [a] Harlaeus ordinis ampliſſimi princeps verba fecit; et, cum illi felicem in Galliam adventum gravi oratione gratulatus eſſet, mentione ſeu comparatione Philippi Segae cardinalis, qui nuper, urbe a ſeditioſis occupata, non Dei pacem ſed belli facem veniens in regnum intuliſſet, nonnihil optimi viri animum pupugiſſe viſus eſt. Itaque cum ille reſponderet, longe aliter affecti erga Gallicum nomen animi ſibi conſcius, ſe, a communi omnium Chriſtianorum parente benigno ac pacifico miſſum, non hoſtili cum propoſito veniſſe teſtatus eſt; porroque effecturum, ut ſuo non poenitendo in Galliam adventu, qui regni ſalutem cupiebant, tam nunc et in poſterum laetarentur, quam aliorum legatorum temporibus turbatis miſſorum praeſentiam exhorruerant. Poſt ſolemnem in urbis ingreſſu pompam ampliſſima mandata, quae legato a pontifice apud S. Marcum III Nonas Aprileis paulo ante data fuerant, in ſenatum allata ſunt, cum regio diplomate [b] Abbatis-villa V Nonas Quintileis, quo rex ad exercitum excurrerat, miſſo; quo mandabat, ut more in Gallia recepto, omnique alia re poſtpoſita, facultates cardinali Florentino conceſſas, ſic mandata apoſtolica vulgo vocant, publicandas et in acta referendas curaret, ita ut pontifex intelligeret, ad cultum et affectum ei et ſanctae ſedi debitum plene teſtificandum nihil a ſe ſuiſque praetermiſſum eſſe.

XVII. SECUNDUM haec, audito et conſentiente regio cognitore, pro quo Lud. Servinus fiſci patronus honorifice admodum verba fecit, ſenatus cenſuit, ut tam diploma regium quam mandata pontificia recitarentur, publicarentur, et in acta referrentur, conditionibus in breviculo appoſitis. In eo aſcriptum erat, quia ampliora legato a pontifice mandata, quam jura regni ac libertates ferre poſſunt, conceſſa fuerant, et crebra concilii Tridentini et conſtitutionum Bonifacii VIII mentio in iis fiebat, ut promulgatio fieret ac locum haberet juxta conditiones in ſimilium diplomatum publicationibus anno CIↃ IↃI, III Eidus Decembreis, IX Kal. Quintil. anni CIↃ IↃ XLVII, XVII Kal. Jan. CIↃ IↃ LI, et X Kal. Quintil. CIↃ IↃ LVI, ſecundum ſancta decreta, concilia univerſalia, pacta appoſitas, ſalva regis auctoritate et praerogativis, edictis, conſtitutionibus ac juribus regni, juriſdictionibus ordinariis, curiae decretis, libertatibus et immunitatibus eccleſiae Gallicanae, et academiarum privilegiis; ea inſuper lege, ut tamdiu legatione fungi in hoc regno poſſit, quamdiu regi placebit; et ex eo diſcedens deponere teneatur in manus ejus qui deſignabitur inſtrumentorum a ſe in legatione confectorum acta: id ſyngrapha regi tradita, prout fieri conſuevit, caveat; ni faciat, nulla ejus inſtrumentorum ratio habeatur. Poſtremo additum, promulgationem factam ſine concilii Tridentini adprobatione, decretumque diplomati inſertum, ut omnibus innoteſceret. Cum haec ita cenſuiſſent patres, rex poſtea, ut legato hanc a ſe, ut aiebat, injuriam deprecanti gratificaretur, conditionem de inſerendo diplomati in promulgatione decreto remiſit, ſcivitque ut decretum in archiva curiae referretur. His mandatis prudentiſſimus ſenex moderatiſſime uſus eſt, quamdiu apud nos fuit; totum autem biennium fuit: et cum intelligeret, ad procurandam in regno cum ſancta ſede conjunctiſſimo tranquillitatem, ſibi non ſolum regis ſed omnium regni ordinum gratiam conciliandam, omnium offenſionum tam publice quam privatim occaſiones cautiſſime

VAR. LECT. [α] princeps, hoc enim titulo illi rex, nondum ſuſceptis liberis, attribuebat, qui legatum *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Harlay premier preſident.* [b] *Abbeville.*

cantiſſime ſibi vitandas putavit. Itaque nihil in jura ac libertates Gallicanas admiſit, ne regni curias ſibi adverſarias habere cogeretur, nec repullulantibus Henoticae factionis reliquiis ſe facilem exhibuit: nam ex iis plerique, ſive a factioſis ducibus ſubornati, ſive inconſiderato pietatis calore incitati, ad ipſum et alios circa ſe crebras querimonias quotidie deferebant; religionem Catholicam diſſimulatione ſeu patientia periclitari; multa in Dei gloriae contumeliam in omnium oculis fieri; Sectarium virus interim altiores ſemper agere radices, et lolium pravaſque herbas ſuccreſcenteis Dominicam meſſem, paulum abeſt, ſuffocare. Nec deerat dictis color: nam ſub id Catharina regis ſoror, quae ad reginae ampliſſimas [a] aedeis in S. Euſtochii paroecia diverterat, conciones publice habebat; id quippe illi gratiae a fratre conceſſum erat, ut, quanquam omnibus locis, in quibus rex erat, Proteſtantibus ad conciones et preces publice conveniendi etiam per edicta interdictum erat, tamen liceret ei non ſolum cum domeſticis, ſed etiam cum iis qui in regiu comitatu, atque adeo in urbibus ad quaſcunque rex ire contingeret, Proteſtantium doctrinae addicti erant, in aedibus ſuis publicos coetus celebrare: quod multarum offenſionum occaſionem praebebat, praeſertim in ea urbe, in qua ab annis amplius XXXVI magna hujuſmodi ſpectaculorum inſolentia erat. Verum ad haec omnia vir probus uno verbo reſpondebat, ſe a pontifice legatum ut pacem Galliae conciliaret; quae niſi ante omnia conſtitueretur, fruſtra de religione laborari; nam religionem cum imperio periclitari: id vero potiſſimum a regis virtute pendere, cujus prudentiae res tota committenda eſſet; nam alioqui de ejus pietate ac praecipuo in religione a Sectario veneno aſſerenda ſtudio minime dubitare pontificem; ſeque ita confidere, ut quem Deus contra tot hoſteis invictum praeſtitiſſet, eundem verae religionis adverſus Sectarios ſtrenuum propugnatorem habiturus eſſet.

XVIII. ANTE legati adventum ſtatim poſt reconciliationem ſenatuſconſultum factum fuerat, quo aliud [b] Caeſaroduni Turonum Kalendis Aprilibus anno CIↃ IↃ XCIV tempore ſciſſurae conditum revocabatur: nam cum Romam ad diplomata pro ſacerdotiis obtinenda mittere vetitum eſſet, multi in eorum adeptione aut ejeratione legitime facienda fruſtra laborabant. Quibus ut ſubveniretur, a curia ad diſciplinam ſacram conſervandam, cognitore regio poſtulante, decretum fuerat, ut diplomata ſacerdotiorum aut ſacrorum beneficiorum, quae a pontifice antea obtineri conſueverant, ab archiepiſcopis et epiſcopis impetrari poſſent; quod ſi facere archiepiſcopi et epiſcopi recuſarent, ſenatus partes ſuas interponeret. Poſtea per regis cum pontifice reconciliationem cum legitimum remedium in ſciſſura a majoribus noſtris uſurpari ſolitum ceſſaret, tamen multae lites ac querimoniae etiam ob id exoriebantur, quaſi praeter juris rationem factum eſſet, ut diplomatum hujuſmodi aut uſus tunc a curiis adprobatus invaluiſſet, aut nunc eorum ratio haberetur. Itaque ſcripto evulgato cognitor regius, quo auctore ſenatuſconſulta facta fuerant, et exemplis et juris teſtimoniis id tueri conatus eſt: nec enim novum eſſe, quod ab Ivone [c] Carnutenſi praeſtantiſſimo ſui ſaeculi epiſcopo alicubi ſcriptum eſt, cum de epiſcoporum a Germaniae regibus inauguratione facta loqueretur, ut quae aeterna lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate et utilitate eccleſiae inſtituta vel prohibita, ex eadem occaſione qua inventa ſunt ad tempus remittantur; ac proinde non eſſe damnandam inſtitutorum quaſi praevaricationem, ſed potius ſaluberrimam diſpenſationem laudandam. Denique hujuſmodi naevos eſſe in candido pectore, qui charitatis uberibus tegi debent. Sic uſum fuiſſe in Gallia; anno quippe CIↃ CCCCVI, Carolo VI rege, in concilio epiſcoporum regis auctoritate Lutetiae celebrato, cui archiepiſcopus [d] Toloſanus praeerat, tempore ſciſſurae decretum eſſe, ut archiepiſcopi a ſuperiore confirmationem peterent, aut, ſi de eo controverteretur, aut de primatis confirmatione ageretur, a ſeniore

epiſcoporum,

INTERPR. [a] *l'hôtel de la reine où eſt à preſent l'hoſtel de Soiſſons.* [b] *Tours.* [c] *Evêque de Chartres.* [d] *de Toulouſe.*

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

epiſcoporum, aut denique a concilio, confirmatio peteretur. Poſtea acta omnia in eo concilio confecta Alexandrum V in concilio Piſano, cui intererat, tempore ſubſtractionis, et cum neutri de pontificatu contendentium a neutris partibus obſequium praeſtaretur, tanquam legitime facta quinquennio poſt adprobaſſe et rata habuiſſe. Ita Joannem [a]Gerſonum eccleſiae Pariſienſis cancellarium tunc temporis famoſiſſimum theologum cenſuiſſe. Quadriennio item poſt cognitorem regium apud eundem regem de diſciplina eccleſiaſtica corrupta expoſtulaſſe, quod contra ſacri ordinis conſtitutiones regia auctoritate confirmatas, quibus cautum eſt, ut, interveniente ſacerdotiorum ad electionem pertinentium in regno et Delfinatu Viennenſi vacatione, via electionis, per eos ad quos jure, ratione, aut conſuetudine pertinet, tanto muneri pares aſſumantur, et ordinarii, ad quos confirmatio ſpectat, ita electos confirment, aut electionem irritam declarent, et omnis pecuniae extra regnum exportatio prohibeatur; tamen quidam archiepiſcopi et epiſcopi, aliique, quorundam impedimentorum ac diplomatum a pontifice impetratorum praetextu, magno non ſolum regni et aerarii detrimento, ſed conſtitutionum et publicae auctoritatis praejudicio, hujuſmodi confirmationes differrent, aut admittere recuſarent. Itaque regem, ex regis Siciliae, [b]Aurelianenſis et Barri ducum, archiepiſcopi [c]Senonenſis, [d]Laodunenſis et Noviodunenſis epiſcoporum conſilio, rem totam cancellario et curiae Pariſienſis praeſidibus ac ſenatoribus commiſiſſe, ut cum magni concilii aſſeſſoribus de ea conſultarent, et ad regem referrent. Secundum haec coetu in Inquiſitoria claſſe coacto, placuiſſe, ut rex conſtitutiones de immunitatibus et libertatibus eccleſiae Gallicanae et Delfinatus factas in uſum revocaret, et exſecutioni demandandas curaret: et, quia praefectus et aediles urbis intervenerant, et pecuniae ad Romanam curiam pro ſacerdotils impetrandis exportatione exhauriri regnum dicerent, conſultum iiſdem delegatis viſum, ne rex aurum argentumve Romam pro ſacerdotiorum, quae in electionem cadunt, impetratione exportari deinceps pateretur, appoſitis ad portus et in limite cuſtodibus et exploratoribus, et praemio indicibus ac denunciatoribus conſtituto. Recenti autem patrum noſtrorum memoria, cum ob bellum a Julio III contra regem temere ſuſceptum a ſenatu idem exemplum repetitum eſſet, Claudium cardinalem [e]Givrium Lingonum epiſcopum hortatu regis, quia diplomata a ſede apoſtolica propter itinerum difficultates commode obtinere non licebat, monaſterium [f]Septemfontium Praemonſtratenſis ordinis Petro [g]Thomaſſino ſanctae theologiae initiato regendum et adminiſtrandum commiſiſſe, inſtrumentumque ea de re publicatum Eidibus Decembribus anno CIↃ IↃ LI confici juſſiſſe. Idem Fr. cardinalem [h]Turnonium, tanquam patriarcham [i]Bituricenſem et Aquitaniae primatem, in coenobiis aliquot antea, nec non alios Galliae epiſcopos ac praeſules, feciſſe: idque eo minus mirum videri debere, quod in prima et ſecunda regia Franco-Gallorum ſtirpe conſtet, epiſcopos ab iis propria auctoritate et inſtitutos et aliquando depoſitos; quippe in diſciplina eccleſiaſtica turbantibus temporibus, etiam res hujuſmodi ſaepius turbaſſe. His rationibus excuſata per ſciſſuram inſtituta ſacerdotiorum inter regios diſpenſatio; quae adeo invaluit, ut ſecundum eam diu poſt in controverſiis de ſacerdotiorum poſſeſſione, de qua apud tribunal regium litigare in Gallia jus eſt, dirimendis conſtanter ſit pronunciatum.

INTERPR. [a] *Gerſon chancelier de l'univerſité de Paris.* [b] *les ducs d'Orleans, & de Bar.* [c] *l'archevêque de Sens.* [d] *les évêques de Laon, & de Noyon.* [e] *de Givry évêque de Langres.* [f] *l'Abbaye des Sept fontaines.* [g] *Thomaſſin bachelier en theologie.* [h] *de Tournon.* [i] *de Bourges.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

POST regis cum pontifice reconciliationem in Armorica ſolus Mercurianus in armis remanet. Miſſis Anceniſium uſque a rege delegatis ſemel atque iterum cum ejus delegatis actum. II. Campiniacus, qui Tiſſaugium in Pictonibus regis nomine tenebat, corruptus deficit. Carolus Gondius Bellae-inſulae marchio ad S. Michaelis in periculo maris munitionem cum ſuis oppreſſus eſt, et ipſe interfectus. III. Libellus ſupplex a Prateſtantibus regi oblatus, quo amplius ſibi caveri petebant. Qui cum iis agerent a rege nominati Emericus Vicus et Sofredus Calignonus. IV. Schombergius cum Jac. Aug. Thuano in Turones miſſus, ut Cenoncellis coram Aloiſia regina ſorore negotium diſceptaretur. Cum Mercurianus in pacis negotio moras necteret, ad arma parata omnia. Induciae ex occaſione Caſtri-briandi juſſu Momorantii equitum magiſtri intercepti abruptae. V. Rex conventum Rotomagi indicit, et multa propoſita exiguo profectu. VI. Filiola, quam ex Gabrielide Eſtraea rex ſuſceperat, magna et invidioſa pompa coram legato pontificio ſacro lavacro abluitur. VII. Carlota Catharina Tremollia Condaei vidua coram cardinali Florentino legato majorum religionem ſolemni ceremonia profitetur: ipſaque innocens a criminibus objectis in ſenatu declarata. VIII. Senatoria dignitate dignum decretum contra Jo. Flavianum ad aſſerendam regiam juriſdictionem latum. Latum et ſeverum judicium contra Franc. Rameum, qui ſe Caroli IX filium dicebat. Pons molatrinarum Lutetiae improviſa ruina concidit. IX. Mortes literis illuſtrium virorum, Franc. Toleti cardinalis, Petri Angelii Bargaei, Frid. Sylburgii, Jani Douzae, Nic Vignerii, Lamb. Danaei, Jo. Bodini, Anutii Foeſii, Q. Sept. Florentis Chriſtiani, Petri Pithoei. X. Iu Belgio miſſus ab Alberto Georgius Baſta, ut propius Hulſtum exploraret; qui, quantum in ipſo fuit, expeditionem diſſuaſit. Nihilominus ex Ronaei relatione decreta obſidio. Loci ſitus, et Vaſatenſis ſive Aquenſis regionis deſcriptio. Ronaeus in ea obſidione deſideratus. Ejus in bello ſolertia, ingenium ac mores. Solmenſis, qui loco a Mauritio impoſitus fuerat, XV Kal. Sept. cum Alberto tranſigit. XI. Bironus equitum tribunus in limite noſtro bellum gerit. Varamboni marchio et Montiscuculi comes ab ipſo capti. Pouli-ſanum a noſtris captum ac direptum. Praedae ingentes in limite a noſtris abactae. Itali praeſidiarii, qui Caleti erant, tumultuantes electum ereant. Penſiones a Philippo revocatae, et inde plerique inſtitores verſuram facere coacti. XII. Navigatio IV navium Batavicarum ſub titulo ſocietatis longinquae; quae cum Texela IV Non. Aprileis anno ſuperiore ſolviſſent, pridie Non. Jun. lineam aequinoctialem tranſierunt. Novo morbo, cui ſcorbuto nomen factum, adflictati vectores. Ad proximum litus appulſus. Hominum barbarorum conditio, victus, ingenium. Animalia in eo tractu. Ad S. Laurentii inſulam appulſus. Magna heic vectorum morbis abſumptorum ſtrages.

Ingenium gentis, victus, habitus, religio, animalia. VII *Eidus Junias Taprobanae propinquant. Ejus magnitudo.* XIII. *Ad Bentamam civitatem in Java majore accedunt* XII *Kal. Quintil. Ejus deſcriptio et amplitudo. Incolarum religio, mores, habitus, copia aromaticarum arborum, civitatum et oppidorum in inſula frequentia.* XIV. *Rurſus tentata tertia a* II *navibus per ſeptentrionem in Indias navigatio, quae re infecta in patriam redeunt.* XV. *Indicae claſſis, quae ad Javam haerebat, interim ſucceſſus. Ballamboae urbis a Paſſarvanae regulo vicino obſidio. Ad Balliam inſulam claſſis deflectit. Cum regulo colloquium. Ingenium, mores, arma, religio gentis. Rurſus promontorium Bonae Spei renavigant, et inde ad S. Helenae inſulam veniunt. Sargaſſi ſive lenticulae ac malabatri herbae magna illis locis copia. Halecum volantium nubes et miſera conditio. Tandem* III *Eid. Sextil. Texelam appellunt.* XVI. *Scorbuti origo, cauſae, et remedia.*

Ex auctoribus,

Actis publicatis, Legatorum documentis, Actis curiae Pariſienſis, Senatuſconſultis, Jo. Parvo, Caeſare Campana, Batavorum navigationibus publicatis, Plinio, Strabone, Hier. Reuſnero.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

CIƆ IƆ XCVI.
HENRICUS IV.

POST regis reconciliationem et legati in Galliam adventum ſolus ex factionis Henoticae principibus in armis ſuperabat Philippus Emmanuel Lotharingus [a] Mercurii dux, qui Hiſpanis viribus ſubnixus, quamvis non uſquequaque ei cum ſuperbis dominis ſemper conveniret, alia atque alia impedimenta cauſabatur, ac moras in dies novas nectebat, quo minus aliorum atque adeo gentilium ſuorum exemplo cum rege in gratiam rediret. Ea de re jam ante cum [b] Aloiſia Mercuriani ſorore deceſſoris ſui uxore vidua egerat, cum illa [c] Medontam ante triennium veniſſet, regem ſolemni oratione exoratura, ut de deteſtando viri paricidio per regni leges ei ſatisfieret: et illa quidem operam ſuam regi pollicita fuerat, atque ubi [d] Cenoncellas redit, ad fratrem mittit, et mox [e] Anceniſium proficiſcitur, quo ad ſe venturum illum ſpes facta fuerat. Cum fruſtra fuiſſet, Mercuriano ſe excuſante, accidit ut rex Lutetiam reciperet; cujus exemplo cum pleraeque toto regno non ſolum civitates ſed provinciae nutarent, et ad tranquillitatem tam rapido impetu, quam olim ad ſeditionem abreptae fuerant, inclinare viderentur, Mercurianus ſuis rebus diffidens, etſi in belli perſequendi propoſito pertenderet, defectionem metuens ſe quoque pacis conſilia amplecti paratum oſtendit, et per Joannem [f] Valetum Sanctae Trinitatis in Armorica priorem, qui Lutetiae litis de ſacerdotio motae praetextu tunc erat, Gaſpari Schombergio [g] Nantolii comiti ſignificandum curat, ſtare ſibi aequis conditionibus de pace tranſigere, ac cupere ut viri idonei ea de cauſa in provinciam mittantur. Agitatae et inter Schombergium regis juſſu ac Valetum conditiones, et ſcriptis mandatae, ita ut ſerio agi videretur. Itaque juſſi Phil. [h] Becus archiepiſcopus Remenſis, [i] Scipio Fliſcus comes, Ant. [k] Sillius Rupipotii comes Andium praeſes, Phil. [l] Mornaeus Pleſſius Salmuriae praefectus, et Gul. [m] Albaſpineus Caſtronovius reginae cancellarius, cum regina ipſa Anceniſium denuo

INTERPR. [a] *Mercœur.* [b] *la reine Louiſe.* [c] *Mante.* [d] *Chenonceaux.* [e] *Ancenis.* [f] *Valet prieur de la Trinité en Bretagne.* [g] *Nanteuil.* [h] *Du Bec archevêque de Reims.* [i] *le comte Scipio dal Fieſco.* [k] *de Silly comte de Rochepot gouverneur d'Anjou.* [l] *de Mornay Sr du Pleſſis gouverneur de Saumur.* [m] *de l'Aubeſpine Sr de Chateauneuf.*

denuo proficiſci: qui cum pridie Eidus Decembreis eo veniſſent, totum menſem juxta iniquis et abſurdis contentionibus contriverunt, cum Mercuriani totius Britanniae principatus nomine agere vellent, cum ipſe non dimidiam provinciae partem occuparet, et ordinum provinciae eam rationem haberi vellet, qua ante Annae cum Ludovico XII matrimonium, et antequam Franciſco I rege Francicae coronae unita eſſet, cenſebatur: qua re procul dubio antiquas de principatus ſucceſſione inter Monſortianos et Bloeſenſeis, atque adeo Pentevrienſeis, controverſias refricari apparebat. Praeterea et [a] Andinae, Neuſtriae, et Pictavienſis provinciarum nomine agi petebat, in quibus tantum [b] Rupiſortium et Guntheri-caſtrum, [c] Michaelis-fanum, et Ganachiam tenebat; quae loca, majorem partem infirma, non tanti erant ut propter illa totas provincias comprehendi neceſſe eſſet. Poſtremo regem minime regem nominabat, quanquam jam majorum religioni nomen dediſſet, ſed partium ſuarum ducem, ac veluti alterius ſactionis caput conſtituebat. His initiis cum adverſa pars alienum a pace animum ſatis proderet, tamen regii, ne re infecta diſcederent, conventum in proximum menſem anni ſequentis, qui hunc praeceſſit, remittunt; cui, praeter jam a rege delegatos, Franciſcus [d] Spinaeus Sanlucius provinciae praeſes, et ex ſenatorio ordine [e] Marignius et Graius rationalium praeſides interſuerunt. Heic prima de Almerico [f] Santoffangio Hurtaldo Rupiſortii praeſecto, qui [g] Cliſſone captivus attinebatur, libertati reſtituendo diſceptatio fuit. Niſi eo prius libero progredi in pacis negotio recuſabant Mercuriani. Cum ſpes libertatis facta eſſet, atque adeo fides interpoſita, de induciis ſermo ſuperiore conventu coeptus repetitur. Sed rurſus renovatae priores contentiones, cum illi totius Britanniae nomine agere vellent, et interregnum potius quam pacem mallent. Cum in eo eſſent, Pleſſius, qui ſciret quid inter Schombergium et Valetum actum eſſet, apud illum, qui heic forte aderat, de Mercurio expoſtulat, et ad conditiones in arcano Lutetiae perſcriptas ipſum vocat. Valetus ſe excuſare; nihil niſi Mercurii juſſu ſe feciſſe, ac putare illum in propoſito pacis perſeverare; ſed quouſque negotium ulterius proceſſerit, cogi ob Hiſpanorum ſocietatem diſſimulare et rem in longum extrahere; qui, ubi rem exitu non carituram, ſe vero citra periculum auxiliorum Hiſpanorum ope carere poſſe, certo compererit, procul dubio facilem ſe conditionibus propoſitis ſit praebiturus. Pleſſio contra has ludificationes non regi non reginae ſorori ferendas dictitante, et fidem ejus ſaepius appellante, tum concionatorum coram ipſo Mercurio ſeditioſas contra regem et contumelioſas voces exprobrante, regina etiam apud [h] Tornabonum praecipuum fratris miniſtrum de injuria ſibi privatim per adfectatas moras facta conquerente, tandem conventus ſolvitur Eidibus Martiis, re in menſem proximum dilata. Cum non comparerent ab eo delegati, et ipſe per literas ſe excuſaret, quod ab Aumontio interea acrius bello premeretur, poſt longas procraſtinationes ex regiorum conſilio regina pronunciat, coeptum de pace colloquium omnino ſolutum iri, niſi ipſe intra VIII Eid. Quintil. delegatos ad ipſam [i] Cenoncellas mitteret, aut eo tempore in itinere eſſe intelligat. Prorogato in ſequentem menſem ſpatio interveniens [k] Ragoterius XII Kal. Sextileis ſerio ridiculus fuit, [l] Comperae obſidione ſactum dicens ut delegati non venerint; quaſi induciae, quas Mercurius huc uſque recuſaverat, tunc initae eſſent: petiitque, dum delegati advenirent, duorum menſium induciae pangerentur, quae a Kalendis Sextilibus incipientes in Kal. Oct. exirent. Indignanti demum reginae, et tot tergiverſationum cauſas non ſine animi commotione quaerenti, tandem a Ragoterio praefracte reſponſum, non poſſe ipſius fratrem, antequam ab Hiſpania, quo Tornabonum miſerit, reſponſum acceperit,

INTERPR. [a] *Anjou, Normandie, & Poictou.* [b] *Rochefort, & Chateau Gonthier.* [c] *S. Michel, & la Ganache.* [d] *d'Eſpinay Sr de S. Luc.* [e] *de Marigny, & de la Grée preſidens de la chambre des comptes.* [f] *de S. Offange Sr de Hurtaut.* [g] *Cliſſon.* [h] *Tornabuoni.* [i] *Chenonceaux.* [k] *la Ragotiere.* [l] *Comper.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

acceperit, de pace agere. Quo dicto attoniti regii diu obmutuerunt, miratique ſublato velo tam aperte Mercurianum loqui, ex eoque conjectantes hoc illum agere, ut, partim ex regis ſucceſſibus, partim injecta Hiſpanis de pace ſuſpicione, utile rebus ſuis conſilium caperet, concorditer declaraverunt, ſibi non integrum eſſe amplius cum eo agere, qui conſilium ab Hiſpania exſpectet, aut Hiſpanos pacis negotio interponat: nullum ea de re ſe a rege mandatum habere; ac proinde a regina petere, ut cum bona ipſius gratia ſibi a colloquio diſcedere liceat. Poſtridie Ragoterius, qui colloquii ſine juſta cauſa abrupti invidiam metueret, ſpem fecit ut interim delegati mitterentur. Sed mox Mercurianus, cauſatus Meduanii literas, quibus ſignificabat ſibi treis menſeis ad deliberandum conceſſos, (nondum is tunc cum rege convenerat) XL. dierum ſpatium petiit, intra quod et cum Meduanio ageret, et ex ipſius reſponſo conſilium caperet. Sed diverſa longe utriuſque ratio erat, quippe cum Meduanius jam conveniſſet, et ſpatium illud non ad deliberandum de negotio jam tranſacto, verum ut amicos ſuos certiores faceret, a rege impetraſſet: at Mercurianus, antequam conveniret, beneficio morae illius uti volebat. Inſtante tamen regina regii delegati aſſenſerunt, ea lege, ut interim induciae per [a] Armoricam, Andeis, Pictones, Cenomanos, Turones pangerentur. Eae aliquanto poſt cum Sanlucio pactae ſunt ad treis menſeis, et ſubinde per ſingulos anni quadrantes poſtea renovatae. Nihil interim ad vitilitigatoriam vafritiem reliqui a Mercurianis in hoc negotio factum: nam, quia literae liberi commeatus aut in tempore miſſae non erant, quamvis his opus non eſſet, quippe jam induciis pactis, aut non ſatis idonee cautum delegatis eſſet, novae dilationes petitae, dilapſis interim re infecta delegatis regiis. Demum hoc anno cum jam Meduanius, Nemoroſius, et Jouſa cum rege reconciliati eſſent, et, miſſo a pontifice in Galliam legato, nulla procraſtinandi amplius iis, qui religionis ſcrupulo ſe attineri dicebant, juſta cauſa ſubeſſet; ad ultimum, cum aliud non poſſent, qui pacem nolebant, regis reconciliationem in dubium revocare coeperunt, ſugillata ipſius pontificis et collegii cardinalium, qui eam adprobaverant, ſeu fide ſeu prudentia. Unde hoc efficiebant, ſecura conſcientia Catholicos non poſſe cum rege convenire, antequam de poenitentia ſua vere ſincera plenam fidem feciſſet, exſtirpata toto regno Sectaria peſte, quae huic bello cauſam dediſſet. Haec palam jactabantur. In occulto rumor erat, ſerio cum Hiſpanis agi, ut, Infante Britanniae herede declarata, et compenſatione pro juribus [b] Pentevriae domus idonea accepta, bellum ejus auſpiciis in provincia gereretur: ea de cauſa miſſum in Hiſpaniam [c] Tornabonum, et habere ſuos in Alberti cardinalis comitatu procuratores Mercurianum, qui ad omneis occaſiones praeſto ſint. Tamen, ut res regeretur, miſſus ſub id [d] Cenoncellas [e] Ragoterius, qui [f] Salmuriam in itinere divertit exeunte Maio; ubi [g] Pleſſium, ſicuti juſſus erat, convenit, ſpemque fecit, ſi delegati a rege mitterentur, fore, ut Mercurianus ſuos quamprimum mitteret: nec [h] Caleti amiſſionem impedimento fore, quo minus aequis conditionibus de pace tranſigatur; nam eo magis ſuſpectam ac formidabilem Hiſpanorum potentiam eſſe, quorum conatibus, niſi pace in regno conſtituta, obviam iri non poſſit. Proinde Pleſſius rogatus ut ad regem ſcriberet: quod et ille, nec non regina a Ragoterio perſuaſa, fecit, miſſo etiam [i] Caſtronovio cancellario ſuo.

II. VERUM induciis exeuntibus, antequam renovarentur, tempus induſtria captatum, dum libere ad hoſtem [k] Campiniacus, qui [l] Tiffaugium [m] Carnutenſium vicedominorum ditionis in Pictonibus oppidum regio nomine cum praeſidio tenebat, deficeret. Is cum omni licentiae non ferendae popularibus genere graſſaretur, ſaepius

a Joanne

INTERPR. [a] *Bretagne, Anjou, Poictou, le Maine, & Touraine.* [b] *Penthievre.* [c] *Tornabuoni.* [d] *Chenonceaux.* [e] *la Ragotiere.* [f] *Saumur.* [g] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [h] *Calais.* [i] *de l'Aubeſpine de Chateauneuf.* [k] *de Champigny.* [l] *Tiffauge.* [m] *Vidames de Chartres.*

a Joanne [a] Chourſio Malicotnio provinciae praeſide increpitus, clam cum Mercuriano induciarum tempore convenerat, et tunc regias partes aperte deſeruit. Quod cum non licere per induciarum leges regii contenderent, et Malicornius de injuria ſatisfieri ante omnia peteret, aliquot dies inutiliter inſumpti, nec praeter ambigua reſponſa quicquam a Mercuriano reportari potuit, induciis, quia ſine populorum pernicie intermitti non poterant, interim ſemper prorogatis. Paulo ante cum Vincentius [b] Launaeus Querectanus Vauloëtus Fulgerii praefectus fatis conceſſiſſet, Mercurianus ejus praefecturam in Carolum [c] Gondium Bellae Inſulae [α] marchionem, quem demereri cupiebat, tranſtulit, eique [d] S. Michaelis in periculo maris munitionem olim ad ſtuporem conſtructam attribuit, ſi eam a [e] Kermartino, qui locum praeſidio tenebat, poſſet recipere. Is ſtatim Fulgerium [β] venit; et cum Fanum-Michaelis quaſi Mercuriani mandato occupaturus veniſſet, cum quinque circiter e ſuis intra primam portam admiſſus, ceteros, qui ſequebantur, intercludentem centurionem imperioſe increpuit, et ſuperbe, ut ſibi videbatur, reſpondentem enſe ſtricto tranſverberavit. Quo facto cum ſocios introducere vellet, a milite ſuperveniente [γ] interſectus eſt. Itaque illi trepida fuga Fulgerium, amiſſo duce ſuo, [δ] reverſi ſunt. Hoc certe caſu non multum indoluiſſe Mercurianum conſtat, qui, ſuſpecto ſibi homine ſublato, magna ſe ſolicitudine liberatum putabat; et [f] Machicolium munitiſſimam in Radeſiarum pago arcem, quam Valentinus [g] Lapardeus per Caroli abſentiam Carolo tractabilior tenebat, in poteſtate ſe deinceps habiturum ſperabat.

III. DUM rex ad [h] Faram adhuc haereret, Proteſtantes, qui [i] Lovioduni in [1] Turonibus convenerant, alieno maxime tempore ſupplicem libellum, querimoniarum et expoſtulationum, quas et commentario edito poſtea complexi ſunt, plenum, per Petrum [k] Vulſonem Gratianopolitanum ſenatorem e ſuo numero delegatum obtulerant: de quo rex, diſſimulato in praeſens dolore, ſe deliberaturum, et delegatos, cum primum a curis bellicis vacaret, miſſurum tunc reſpondit, et coetum, ne ſe invito haberetur, ut ipſi haberent permiſit; multum hortatus eos, viderent, ne turbatis ubique rebus ex illa occaſione nova diſſidiis materies praeberetur, moderationemque in ſuis deliberationibus ſervarent, et ad Dei gloriam publicamque tranquillitatem omnia conſilia ſua conferrent. Ex eo Proteſtantes capta occaſione partes ipſi in regno facere videbantur: per illam ſiquidem ſciſſuram fiebat, ut regiae vires maxime debilitarentur, praeſtantiſſimis belli ducibus, quorum opera rex uti conſueverat, ab exercitu abſentibus; magnamque ob id invidiam poſtea ſuſtinuerunt Claudius [l] Tremollius Thoartii et Henricus [m] Turrius Bullionii duces et amitini cognati. Id cum Mercuriano, alioqui

male

VAR. LECT. [α] marchionem, quem ſibi ſuſpectum demereri *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] venit, et oppugnatione repentina cepit; mox cum *Ed. Gen.* 1620. venit, et cognito ruſticos quoſdam, ut ſe ab injuria graſſantium ubique militum tuerentur, locis idoneis in proximo ſe muniviſſe, eo tanquam contra hoſtes ducit, et oppugnatione repentina captos omni crudelitatis ac licentiae genere afflixit: ſtupratae mulieres, et ferro ignique, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine, paſſim ſaevitum. Verum Deus haud diu id inultum tulit: nam cum ille Fanum Michaelis *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[γ] cum uno e ſuis interfectus *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[δ] reverſi ſunt. Albertus pater, tot cumulatis honoribus praeter meritum a regibus ornatus, qui in Italia morbo ſimulato, dubii belli eventum opperiens, latuerat, filio, qui antea regis partes ſequebatur, auctor fuiſſe creditur, Claudia Catharina Claromontia matre, quae in regis comitatu erat, multum repugnante, ut ad Henoticos tranſiret, quo ampliſſimorum bonorum, quae in illa provincia habebat, poſſeſſionem per eum retineret: ſed cautioris quam honeſtioris diſſimulationis hic fructus fuit, ut filius, nulla alia re quam proditione notus, per eos, ad quos ſumma ingratitudine deſciverat, defectionis regi poenas daret, dum injuriam inferre vult a propulſantibus injuriam propudioſa morte affectus. Hoc certe *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [b] *de Launay de la Cheſnay Vaulouet gouverneur de Fougeres.* [c] *de Gondy marquis de Belle-Iſle.* [d] *l'Abbaye du Mont S. Michel au peril de la mer.* [e] *de Kermartin.* [f] *Machecoul en Retz.* [g] *de la Pardieu.* [h] *la Fere.* [i] *Loudun en Poictou.* [k] *Vulſon conſeiller de Grenoble.* [l] *de la Tremoille duc de Thouars.* [m] *de la Tour duc de Bouillon.*

NOT. [1] *potius* Pictonibus.

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

male animato, non ſolum cavillandi ſed aperte res regias calumniandi occaſionem praeberet, et urgerent apud regem Proteſtantes ut delegatos ad eos quamprimum mitteret, id negotii initio datum fuerat Jacobo Auguſto Thuano, nuper in Auguſtini patrui fato functi locum praeſidi ſuffecto, cum ampliſſimis mandatis. Verum is invidioſum ſibi multis nominibus onus deprecatus eſt; et, cum ſemel atque iterum ut ſine tergiverſatione ſe in viam daret juberetur, poſtremo Sancii tunc in regis gratia adhuc pollentis interventu tenuit, ut cum bona ipſius gratia excuſaretur; et ejus loco delegati Emericus [a] Vicus et [b] Soſredus Calignonus Navarrae cancellarius, ambo ſacri conſiſtorii aſſeſſores.

IV. Ipse poſtea a rege delectus eſt, ut cum Gaſpare Schombergio, cum quo ſumma conſiliorum et voluntatum neceſſitudine conjunctus erat, cum Mercuriani delegatis ageret. Igitur illi prius [c] Cenoncellas cum veniſſent, et ad eos ſe adjunxiſſent [d] Rupipotius et Pleſſius, initium colloquio factum coram regina Eidibus Octobribus. Ibi gravi oratione Schombergius Ragoterium a Mercuriano miſſum compellat, et nullum amplius tergiverſationi locum ſupereſſe dicit, poſt regis cum pontifice reconciliationem et legati ejus in Galliam adventum: Mercurianum, qui armis ſuis hactenus a religione jus arrogavit, jam non poſſe cum rege non agere, quem pontifex regem Chriſtianiſſimum et filium dilectiſſimum nominat: itaque cum nuper Lutetiam allatum eſſet, Mercuriani mandatum [e] Condivicini publicatum clauſula adjecta, donec rex Catholicus in Gallia conſtitutus eſſet, legatum non mediocriter ſuccenſuiſſe, injuriam non ſolum regi ſed pontifici ſibique ejus vicario fieri clamitantem, ob idque ad Mercurianum literas IV Non. Sextil. [*] dediſſe. Cum Ragoterius ſilentio haec ſine alio reſponſo tranſegiſſet, et directo ad reginam ſermone, nam hoc ſedulo cavebat, ne ab alio quam a regina quidquam petere videretur, quaſi regina ſua auctoritate et non procuratorio, ut alii delegati, atque adeo regis nomine ageret, ſe agere paratum oſtendiſſet, poſtridie ſeorſim a regina, nam tunc illa ex ſamiliari catharro decumbebat, ſed juſſu ejus in Schombergii aedibus, ubi [f] Caſtronovius reginae cancellarius affuit, cum Ragoterio agi coepit: a quo et propoſitae conditiones, tam quae ad cauſam generaliter, quam ad ipſum Mercurianum peculiariter ſpectabant; et ad ſingulas a noſtris reſponſum. Primum poſtulatum fuit, ut cauſam armorum rex adprobaret, eadem, quae in edicto in Meduanii gratiam facto apposita erat, clauſula adjecta: quod ſine altercatione conceſſum. II, Ut pax aut multorum annorum induciae cum rege Hiſpaniae fierent. Ad ea reſponſum, ſi quidem rex Hiſpaniae agere de pace velit, regem quoque agere paratum. III, Ut in provincia ſacerdotia dignis et idoneis juxta ſacros canones et ſcita patrum attribuerentur. Quod et conceſſum, ita tamen, ut edicto, quod in Mercuriani gratiam conderetur, non aſcribatur; nam id jam ubique a rege obſervari. IV, Ut privilegia et jura, quae ſanctae ſedi in provincia competunt, confirmentur; et ſacerdotia, de quibus pontifex jam ſtatuiſſet, aut ii qui poteſtatem ab eo habent, penes eos manerent in quos collata eſſent. Ad hoc reſponſum, regem jam cum pontifice conveniſſe, neque opus eſſe ad majorem concordiam, ut quiſquam alius partes ſuas interponeret; et tamen, tradito beneficiorum conſiſtorialium breviculo, facturum regem, ut omnes intelligant, quantopere Mercuriano ad officium redeunti gratificari cupiat: de non conſiſtorialibus vero quoniam pleraeque lites exoriri poſſent, daturum judices tam ex ſacro ordine quam ex ſenatorio, qui cum judicibus ab ipſo nominandis, et epiſcopis quorum intereſt, controverſias has dirimant. V poſtulatum fuit de muneribus et dignitatibus a Mercuriano tempore belli aut propria auctoritate creatis, aut per abſentiam eorum qui regias partes ſequebantur in alios

VAR. LECT. [*] dediſſe, quae in Mercuriani manus traditae ſunt. Cum *MSS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Vic.* [b] *Sofred de Calignon.* [c] *Chenonceaux.* [d] *le comte de Rochepot, & le Sr du Pleſſis.* [e] *Nantes.* [f] *de Chateauneuf.*

alios collatis; quas ſuis conſervari petebat. Id quanquam iniquiſſimum et ad regis ſuorumque contumeliam redundaret, tamen, ut regii oſtenderent praecipuam pacis ſibi ſolicitudinem eſſe, aliquid de auctoritate regia libandum et neceſſitati publicae condonandum exiſtimaverunt. Itaque aſſenſi ſunt, ut qui a Mercuriano per mortem, aut per ejerationem eorum qui ipſius partes ſequerentur, muneribus publicis aucti eſſent, ea retinerent, nulla pecunia exſoluta; tantum diplomata de iis confecta tradere, et nova a rege accipere, tenerentur. De muneribus autem per mortem eorum qui regias partes ſequebantur vacantibus, quoniam ea jam rex in alios ſibi addictos contuliſſet, negatum: tamen gratia ſeorſim quibuſdam, quos Mercurianus nominabat, facta, ea lege ut ea alterutrius morte extinguerentur, ne numero dignitates vileſcerent, aut plebs aerariumque gravarentur. VI, Praefecti urbium et arcium, quae a Mercuriano tam in [a] Britannia, quam [b] Andibus, Cenomanis, Pictonibus, et Neuſtria occupabantur, penſionibus idoneis, ſalariis vectigalibus, quibus antea uſi fuerant, porro in ſeptennium fruerentur; intra quod ſi quos eorum decedere contingeret, alios praeficere in defunctorum locum Mercuriano jus eſſet: ſi poſt ſeptennium in vivis eſſent, eaſdem praefecturas cum iiſdem penſionibus et ſalariis quamdiu viverent retinerent. Nulla re obſtinatius a Mercuriano pugnatum, aut a regiis diligentius cautum, quam in hoc capite: nam ſtatim conceſſum, ut in locis, quae propria regis eſſent, id locum haberet, ea lege, ut praefecti nova diplomata a rege acciperent, et ſacramentum ei dicerent, et intra ſeptennium ſi qui eorum decederent, tres a Mercuriano nominarentur, ex quibus quem vellet rex eligeret. De urbibus et arcibus, quae propria regis non eſſent, acerrime altercatum fuit; cum ea dominis ſuis reſtitui et publicae tranquillitatis et ſuae auctoritatis rex, qui aequabile inter ſuos jus dicere debet, intereſſe ſummopere exiſtimaret; Mercurianus contra ad religionis, ut aiebat, ſecuritatem eadem omnino retinere vellet. Praecipua autem erant in Armorica [c] Belinium in Namnetibus, in [d] Venetis [e] Pontivium et Joſſelinium [f] Roanae ditionis oppida et arces, [g] Briandi-caſtrum in Redonibus Henrici Momorantii equitum tribuni arx tota provincia famoſiſſima: in [h] Cenomanis [i] Montejanum, quod ad Lavallae regulum pertinet, et [k] Cratumnum ac Rupifortium in Andibus, Tremolliorum muniſſima caſtella; ac poſtremo [l] Ganachia in Pictonibus itidem Roanae ditionis. Quae loca cum primariorum regni ſeu principum ſeu procerum patrimonialia eſſent, niſi reſtituerentur, eos in pace minime quieturos apparebat: et plerique illorum conſanguinitate aut proxima cognatione regem contingebant. Nam diviſione bonorum inter Claudium Tremollium familiae ſuae principem, et Carlotam Catharinam ſororem Henrici Borbonii Condaei [m] parentem, nuper facta, Cratumnum ei obvenerat. Roani autem, rege ſine liberis decedente, ampliſſimorum, quae Navarrae ſucceſſionem reſpiciunt, bonorum in Aquitania heredes erant. Cetera loca fere Catholicorum erant: nam Rupifortium, licet Tremolliae ditionis, oppigneratum habebat Joannes [n] Levius Mirapicenſis; et de eo a fundamentis evertendo, quod praedonibus ad provinciam infeſtandam receptum daret, compenſatione tam loci praefectis quam dominis data jam convenerat. Igitur ea omnino reſtitui rex volebat, addita conditione, ad amovendum omnem de religione ſcrupulum, ut locis, quae Proteſtantibus reſtituerentur, praefecti Catholici ab ipſo imponerentur: et ita generalibus Mercuriani poſtulatis a regiis abunde ſatisfactum. Privatim ſibi petebat Britanniae ſummam praefecturam, et ut in ea jura praefecti maris haberet: et, quanquam major nobilitatis pars intercederet, ne deinceps provinciae praefectura penes [o] Pentevriae familiae heredes eſſet, tamen

rex

INTERPR. [a] *Bretagne,* [b] *Anjou, le Maine, Poictou, & Normandie.* [c] *Belin au pays Nantois.* [d] *Pays de Vannes.* [e] *Pontivy, & Joſſelin.* [f] *de Rohan.* [g] *Chateau-Briand vers Rennes.* [h] *le Maine.* [i] *Montejan.* [k] *Craon & Rochefort en Anjou.* [l] *la Ganache en Poictou.* [m] *la Princeſſe de Condé.* [n] *de Levis de Mirepoix.* [o] *Penthievre.*

tex de provinciae praefectura aſſenſit. Quantum ad maris praefecturam ſpectaret, edictum deceſſoris ſui temporibus factum, quo inter ipſum et Annam Jouſae ducem maris praefectum ea controverſia certis conditionibus terminata fuerat, ut locum haberet juſſit. Nupet Sanlucio e provincia revocato, cui rex tormentorum praefecturam, abdicante ſe ea Philiberto [a] Guichio, attribuerat, Carolus [b] Coſſaeus Briſſaci comes equitum tribunus Britanniae cum ſummo imperio vicarius impoſitus fuerat. Hnné inviſum ſibi et multis nominibus ſuſpectum amoveri mirum in modum Mercurianus exoptabat, aliumque, quem ipſe regi nominaret, in ejus locum ſubſtitui; aut, ſi rex nollet, ſaltem eum pari dignitate in praefectura ſocium, quem ipſe itidem regi nominaret, addl petebat: quod rurſus negatum. Inſuper [c] Conkernavam portum cum oppido in Venetis commodiſſimum, inter alia quae ejus cuſtodiae peculiariter committebantur, tradi petebat Mercurianus: quod pariter illi ut iniqtuum petenti negatum fuit. Ad extremum CCCC aureorum CIↃ pro belli impenſis et grandi aere alieno, quod contraxerat, luendo, et annua L aureotum CIↃ acciperet. Conceſſum a rege, ut [α] CCLVI aureorum CIↃ acciperet; annuam penſionem XXXIII CIↃ aureorum haberet. De juribus Pentevriae domus et conttovetſiam tenovabat, pro quibus CC aureorum CIↃ, et, ſi rex ptaeſeutem pecuniam non haberet, Namnetenſem comitatum oppignerari petebat, eo conſilio, ut opulentiſſimam Britanniae [d] urbem, et arcem principalem, non ſolum ptaeſecti ſed comitis ritulo in poteſtate haberet, et jus per eam in univerſo principatu ad poſteros tranſmitteret. Verum de ea controverſia ſaepius tranſactum oſtendebant regii, ac ultimo cum Joanne [e] Broſſio Stampenſi ipſius auctore, ante XXXVIII annos; itaqne et legis et temporis praeſcriprione excludi. Tamen, ut Mariae Lucemburgicae nxori, in quam Pentevriae familiae jura reciderant, aliqua ex parte gratificaretur rex, qui de ejus filia unica Caeſari naturali filio deſpondenda jam tum cogitabat, conceſſum, ut ex regia liberalitate LXVI aureorum CIↃ acciperet. De Hiſpanis e provincia emittendis cum ſaepius in eo colloquio actum fuiſſet, tandem inter regios et [f] Ragoterium ita conventum eſt; Poſtquam Mercurianus regi fidem addixiſſet, IV menſium inducias Hiſpanis regis nomine concederet, quo temporis ſpatio ſe intra [g] Blavetum continerent, et ab omni tam contra ditionem regiam quam contra regis foederatos maleficio terra marique abſtinerent; quod reginae Anglorum cauſa additum: muniriones jam coeptas intermitterent, neque novas vireis acciperent: eodem intervallo Mercurianus ad regem Hiſpaniae mitteret, et de indueiis eum certiorem faceret, inter quas ſuos deducere teneretur, accepta certa pecuniae pro ſtipendio ſumma, quae a provincia intra annum exſolveretur, et de qua idonee ipſi caveretur; quam conditionem ſi Hiſpanus recuſaret, Mercurianus ei denunciaret, ſibi neceſſitatem pactis interpoſitam, ut ad Hiſpanos provincia expellendos ſanguinem et opes impenderet, idque ſe facturum religioſe regi promitteret: dimiſſis autem Hiſpanis, regis permiſſu ipſe ex nobilitate praefectum arbitrio ſuo Blaveto imponeret. Perſeriptis hujuſmodi conditlonibus eo perductum negotinm videbatur, ut poenitentiae amplius non eſſet locus; et Ragoterius ita a tegina diſceſſerat, ut teſponſum intra XIV Kal. Dec. a fratre ſe allatutum affitmaret. Vetum mox ad Schombergium ſcribit, Mercuriano, ut ad conditiones propoſitas reſponderet, conventum ad Briandicaſtrum ſuis indicere neceſſe fuiſſe, ob idqne ſe non prius quam pridie Kal. Dec. Cenoncellas redire poſſe. Spem de pace conceptam fallere non ſolum ſibi probroſum, ſed partibus ſuis ſumme detrimentoſum, cum judicaret Mercurianus, et tamen ejus abrumpendae occaſionem quaereret, conventum illum celebraverat, quo ſuos confirmaret, et pacis non factae invidiam in regios rejiceret. Hoc antem aſtu nſus eſt: jam

VAR. LECT. [α] CCLXVI *MS. Samm.*
INTERPR. [a] *de la Guiche.* [b] *de Coſſé comte de Briſſac lieutenant de roy en Bretagne.* [c] *Conkernau au pays de Vannes.* [d] *Nantes.* [e] *de Broſſes duc d'Eſtampes.* [f] *la Ragotiere.* [g] *Blavet.*

jam ante per [a] Valctum, cum [b] Ancenisii ab utraque parte complures delegati conveniſſent, Pleſſio ſignificandum euraverat, non placere ſibi, ut in tanta hominum fere opinionibus diſſidentium turba negotium agitaretur, neque finem ejus futurum, niſi ad pauciores contraheretur. Itaque ſolutum tunc colloquium cum poſtea Cenoncellis inſtauraretur, rex, re ex Pleſſio intellecta, pauciores delegatos adhibuerat, et primo neminem ex Britanniae provincia ſive ſenatorii ſive equeſtris ordinis. Inde rerum turbandarum occaſione captata, ad ſenatum, qui [c] Condati Redonum ſedem habet, [d] Caſtro-briandi VIII Kal. Dec. dat literas; et in colloquio de pace inſtituto ſibi de religionis ſecuritate et provinciae quiete ſerio cogitanti multa accidiſſe dicit, quae eventum ejus ſuſpectum fecerint: quod cum univerſae Britanniae nomine de religione agere vellet, a regiis minime auditus ſit: quapropter ab ipſis magnopere petere, ut vota ſua et auctoritatem ſecum conjungant, quo, religione, cujus ſolius cauſa arma ſumpſit, in tuto collocata, provinciae quieti conſulatur. Dein protelati negotii invidiam deprecatur, praecipitato eo providere animo ſe dicens, ut ab Hiſpanis gravia incommoda pati cogatur: ea propter conſulium videri, ut ante omnia cum iis agatur, ne, pace cum rege facta, ſaevius bellum ab illis oriatur. Poſtremo ſibi dolere ſignificat, quod neminem e Britanniae ordinibus colloquio adhibitum intelligat, reſque tractanda iis commiſſa ſit, qui, quo longius ab ejus malis poſiti, eo minore calamitatum provinciam vexantium ſenſu tanguntur. His literis cum diſſidii ſemina inter regios delegatos et provinciae ſenatum ſparſa crederet, praetextumque quaeſitum negotii, quod jam ſaepius diſtulerat, porro amplius procraſtinandi, Ragoterium pridie Kal. Dec. [e] Cenoncellas remittit, qui de Conkernava, [f] Namnetenſi comitatu, de provinciae praefectura cum Briſſaco partienda, de quibus obtinendis ſpes illi prorſus a regiis praeciſa fuerat, injectum prius ſermonem repeteret. De Tiffaugio interea nulla mentio, de quo ſibi nullum verbum a Mercuriano factum affirmabat Ragoterius: quanquam cum Malicornio conveniſſet, dum de tota re in proximo colloquio decerneretur, ut [g] Campiniacus ex eo diſcederet; Mercurianus x ex ſtipatoribus pro praeſidio loco imponeret; nullum opus novum in eo fieret, nec vicinae regioni eo per excurſiones incommodaretur. Cum nihil aliud afferret Ragoterius, tamen ſpem facit, ut XVII Kal. Jan. cum delegatis et ampliſſimis mandatis [h] Caeſarodunum ad Schombergium et Thuanum veniret, et inde omnes ſimul [i] Avaricum Biturigum contenderent, quo regina ob valetudinem Cenoncellis loco minus ſalubri proficiſci conſtituerat. Interea Schombergius, qui non differri negotium ſed ludificari ſe cerneret, quod alterum habebat mandatorum caput, ſi Mercurianus pacem nollet, ut bellum pararet, exequi certus, diem praefectis provinciarum vicinarum, miſſis ad eos regis literis, [k] Andegavi condicit; quo venere Carolus Lotharingus [l] Ellebovii dux Pictavii praefectus, Aegidius [m] Sovraeus Turonum praeſes, Urbanus [n] Lavallus Boſcodelfinius, Philippus [o] Mornaeus Pleſſius, a [p] Malicornio [q] Pictonum praeſide et a Briſſaco, qui ſe excuſaverunt, delegati; a ſenatu provinciae [r] Marignius praeſes, et Renatus [ſ] Marecus Monbarotus Condati Redonum praefectus: aderat [s] Rupipotius [t] Andium praeſes. In aedibus Ellebovii ad [u] Albini-fanum actum de ratione belli gerendi, pecuniarum a viciniis provinciis collatione, novo vectigali vinis in Britanniam comportandis imponendo, legionibus novis creandis, et ſtipendio iis attribuendo. Quibus pro tempore recte in ſpeciem ordinatis, Schombergius et Thuanus Caeſarodunum redeunt, Ragoterium

INTERPR. [a] *Valet.* [b] *Ancenis.* [c] *Rennes.* [d] *Chateau-Briand.* [e] *Chenonceaux.* [f] *de Nantes.* [g] *de Champigny.* [h] *Tours.* [i] *Bourges.* [k] *Angers.* [l] *d'Elbœuf gouverneur de Poictiers.* [m] *de Souvré gouverneur de Touraine.* [n] *de Laval de Bois-Dauphin.* [o] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [p] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [q] *Poictou.* [r] *de Marigny preſident.* [ſ] *de Marec Sr de Monbarot gouverneur de Rennes.* [s] *le comte de Rochepot.* [t] *d'Anjou.* [u] *St Aubin.*

CIϽ IϽ XCVI. HENRICUS IV.

Ragoterium et delegatos opperituri. Verum is ſe rurſus excuſavit, mole rerum oppreſſum Mercurianum ob negotii magnitudinem tam cito reſpondere non poſſe, et, exituris propediem induciis, opus eſſe ut delegatis ab eo venturis amplius caveatur. Mox ex [a] Caſtri-briandi, juſſu, ut jactabatur, Momorantii equitum magiſtri, nam minime conſciis delegatis regiis id actum, capti occaſione induciae omnino in Britannia abruptae ſunt. Verum id ad annum ſequentem pertinet.

V. INTEREA rex, parta pleriſque locis pace, ut res ex conſilio principum, procerum, et regni ordinum, quantum inpraeſentiarum licebat, ordinaret, delegatis ex praecipuis regni provinciis diem condixerat, qua in commune conſultarent. Graſſabatur tunc Lutetiae contagioſa lues; et, quanquam inſolitum ad hunc diem haberetur, ut comitia regni extra ſenatus Pariſienſis territorium haberentur, qui primariae regni curiae praerogativa inſignitur, tamen rex [b] Rotomagum delegit, in quo conveniretur; quo XIII Kal. Nov. venit, et urbem regali pompa ingreſſus eſt. Aliquot poſt diebus pridie Nonas Novembreis principium comitiis factum in [c] S. Audoëni aedibus. Rex in majore aula ſolio erecto ſedebat: infra ipſum ad laevam Henricus Borbonius [d] Monpenſerius provinciae praeſes, Henricus Sabaudus Nemoroſii dux, Henricus [e] Momorantius magiſter equitum, Jo. Ludovicus [f] Nogaretus Eſpernonii et Albertus Gondius [g] Radeſiarum duces, Jacobus [h] Gobio Matignonus equitum tribunus et Aquitaniae per Condaei abſentiam praeſes: pone eos quatuorviri a ſecretis epiſtolis: ex adverſo Alexander Medices cardinalis legatus, Petrus Gondius et Annas [i] Scarſius Givrius cardinales, epiſcopi plerique: infra eos, curiarum regni praeſides, Achilles [k] Harlaeus, Petrus [l] Seguierius, Gulielmus [m] Daffiſius Burdigalenſis, Petrus [n] Faber Sanjoranus Toloſanae; tum ex rationalium et vectigalium curiis delegati, quaeſtores et aliarum provinciarum juridici praetores, ac civitatum decuriones. Rex brevi oratione uſus eſt: Non oratoris ſibi partes in hoc conſeſſu ſumpſiſſe, ſed liberatoris et inſtauratoris titulos ut principi convenientioribus malle; quibus ut ſatisfaciat hunc conventum indixiſſe, longe diverſo a deceſſoribus ſuis inſtituto, qui comitia habebant ut voluntatum ſuarum approbationem ab illis extorquerent: at nunc heic comparere, ut ſe adſtantium conſilio ſummittat, et ex procerum aliorumque regni ordinum ſententia res confuſas ordinet, ſubſidia ad bellum neceſſaria, minore quam fieri poterit populi intertrimento, parentur: id raro exemplo fieri, ut principes, praecipue jam cani et poſt victoriam, ex ſubditorum arbitrio pendere velint, et veluti ſe in eorum tutelam dare; quod nunc libentiſſime faciat: quapropter ſingulos et univerſos obteſtari, quantum fides et patriae charitas Francicique nominis decus apud ipſos poſſunt, totis animi nervis et concordibus conſiliis ac voluntatibus in id incumbant, ut regnum, quod ipſe a periculo liberavit, ſubſidiis opportune collatis ab exitio vindicent, ſibique perſuadeant, ſuam ipſorumque ſalutem conjunctam eſſe. Tum Philippus [o] Huraltus cancellarius, ex quo cetera plenius intellecturi ſint, dicere juſſus orditur, et, prolixius exaggeratis ſuperiorum temporum calamitatibus, quas in anguſtias per bella civilia toties infeliciter renovata Gallia redacta ſit, demonſtrat: nondum arma civilia per totum regnum poſita, et jam recrudeſcere adverſus potentiſſimum hoſtem acrius quam antea bellum, ad antiquam Hiſpanorum ambitionem accedente odio, quod irreconciliabile poſt tot injurias ſit futurum; ſed minime dubitare regem, quin regni ordines, majorum fidei ac virtutis memores, quo majus periculum impendet, eo majoribus animis illud ſint propulſaturi. Ad id propoſitis domeſticis exemplis eos hortatur, inprimiſque regis ipſius conſtantia cunctis perſpecta; qui, innumeris pro ſuorum ſalute

INTERPR. [a] *Chateau-Briand.* [b] *Rouen.* [c] *St Ouyn.* [d] *le duc de Montpenſier gouverneur de Normandie.* [e] *le duc de Montmorency conneſtable.* [f] *de Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon.* [g] *de Retz.* [h] *de Goyon mareſchal de Matignon.* [i] *d'Eſcars de Givry.* [k] *de Harlay.* [l] *de Seguier.* [m] *Daffis.* [n] *Du Faur de S. Jory.* [o] *Hurault de Chiverny.*

ſalute periculis aditis, cum minime ſibi pepercerit, neque aequum eſſe ut in communi cauſa ipſi ſibi vitaeque ac ſumptibus parcant. Poſtridie delegati in claſſeis III diſtributi, ut ſeorſim deliberarent, et poſtea in commune conferrent, confectumque poſtulatorum codicillum regi porrigerent: qui tandem poſt maturam conſultationem confectus, et ab Henrico Borbonio Monpenſerio, Petro cardinali Gondio, Alberto Gondio Radeſiarum duce, Jac. Gobione Matignono equitum tribuno, ineunte anno proximo ſubſcriptus eſt. In eo multa praeclare poſtulata, potius quam decreta; et, quantum ad ſacrum ordinem pertinet, haec fere: ut, juxta ſancta decreta et canones, archiepiſcoporum et epiſcoporum creationes electionum via fiant; quod ſi minus regi inpraeſentiarum placeat, dum electiones reſtituantur, in nominationibus ab eo faciendis decretum comitiorum Bloeſenſium ante XX annos celebratorum ſervetur; inſuperque addatur, ut deinceps probationes ſuper religione, vita, moribus et eruditione, archiepiſcoporum quidem ab epiſcopo provinciae antiquiori et in ea reſidente, epiſcoporum autem ab archiepiſcopo in ea itidem reſidente, tribus ex ſacro eccleſiae vacantis collegio ſodalibus in conſilium adhibitis, ad id a ſodalitio delegatis, fiant, ad regem per magnum eleemoſynarium referendae, ut ad ſacras dignitates deſignati ex iis, quales quantique ſunt, certius cognoſcatur; probationumque illarum in literis, quas rex ad pontificem dabit, fiat mentio. Et, ut fraudibus obviam eatur, in probationibus, quae Romam mittentur, uſurpari ſoliris, eae conſimiliter ab archiepiſcopis et epiſcopis, ea qua dictum eſt forma, conficiantur; quae ſi omnino ſervata non fuerit, liceat ſacris collegiis ab exſecutione diplomatum pontificiorum, quaſi ab abuſu, juxta formulam in regno receptam, appellare; et, interpoſita ſemel appellatione, quouſque deciſa fuerit, praeſules vitio creatos ad poſſeſſionem capiendam admittere non cogantur. Eadem ratio in coenobiorum adeptionibus ſervetur, probationum conficiendarum poteſtate epiſcopo dioeceſano attributa. In monaſteriis virginum, in quibus, magna animarum offenſione et ſacri ordinis opprobrio, ſoluta omnino diſciplina eſt, ut ea inſtauretur, electiones reſtituantur: nam eas nominatim pactis a Franciſco I cum Leone X initis exceptas fuiſſe. Ad ſarciendam ubique fere temporum licentia collapſam ſacri ordinis diſciplinam archiepiſcopi admoneantur, concilia, ſynodos provinciales, intra annum celebrare, et ſingulis trienniis eas repetere; tum ſeveriſſime in fiduciarios anquirere: rexque edicto diploma a Sixto V contra ſimoniacos et fiduciarios factum ubique per regnum promulgandum et obſervandum mandet, ac praeterea ad profanationem locorum ſacrorum impediendam enixe prohibeat, ne deinceps in templis, delubris, ſacellis, ſtationes militares habeantur, aut equi in iis ſtabulentur, gravibus poenis in ordinum ductores et tribunos, qui talia a milite ſuo admitti patientur, etiamſi abſentes fuerint, tanquam regiorum edictorum violatores conſtitutis. In gratiam nobilitatis, quae tanquam primaria regni columna ruinam ejus ſola fere his bellis fulcivit, poſtulatum, ut in concurſu eorum, qui ad dignitates eccleſiaſticas nominabuntur, nobiles praeferantur: nulli nobilitatis jura, niſi ob inſignia merita et egregiam in bello navatam operam, concedantur: nobiles, qui in regni urbibus domicilium figent, priſtina libertatis et immunitatis jura ſervent, vigiliarum, cuſtodiarum, aliarumque angariarum onere ſolvantur. Quam poterit maximum numerum [a] puerorum rex in domeſtico comitatu alat, eoſque omni armorum et honeſtioris diſciplinae nobilitatem decentis genere inſtitui curet. Edicta ad provinciarum ſeneſcallos et ballivos, quos vulgo vocant, ſpectantia, qui ex ſola nobilitate peti debent, ſerventur: praetorum tam civilium quam criminalium, qui ſub illis jus dicunt, ſententiae ipſorum nominibus inſcribantur: non praetores aut regii cognitores et advocati literas a rege miſſas, ſi ſeneſcalli et ballivi adſunt, ipſis inconſultis auſint reſignare. Ignobiles, plebeii, quique nobilitatem pretio redemerunt, titulos

INTERPR. [a] *Pages.*

titulos inſignes ex arcibus, caſtellis, aliiſque juriſdictionibus a ſe emptis non ſumanr, aut in familias eorum a quibus emerunr, omiſſo proprio nomine, ſe inſinuent: conſtitutiones antiquae de delectibus per regnum tempore belli habendis ſerventur; a quibus ſexagenarii, et ii qui xx annorum ſpatio in regiis equitum alis militaverint, aur aliquo publico militiae munere functi ſint, eximantur. Ubi magiſtratus juridici, praeſides, conſiliarii, provinciarum praetores ad antiquum numerum redacti fuerint, ſicuti comitiis Bloeſenſibus cautum fuit, amplius venales non ſint; et nobiles in iis adipiſcendis, ſi digni reperti fuerint, aliis praeferantur. Regiae equitum alae ordinariae non niſi ex nobilitate ſuppleantur. Ut frugalitas majorum et modeſtia reſtituantur, et immodicae impenſae, quae, luxu per aemulationem inter nobileis graſſante, in dies creſcunt, minuantur, leges ſumptuariae in uſum revocentur: auri et argenti in veſtitu uſus, gemmae, uniones, et exoticae hujuſmodi immanis pretii merces prohibeantur. Conſtitutio ad Germani-fanum anno CIↃ IↃ LXXXVII de pretio in publicis Franciae diverſoriis ubique a tranſeuntibus pendendo diligenter ſervetur, judiceſque locorum, exacte annonae aeſtimatione per ſingulos annos facta, eam ſervandam curent; ſalaria patronorum et cognirorum in curiis ſupremis ad legitimum modum exigantur. Lis quae nobilitati cum tertio ordine in Delfinatu de privilegiis et immunitatibus intercedit, jam decreto Henrici II ante complures annos praejudicata, denuo in ſacro conſiſtorio, aut ubi regi viſum fuerit, terminetur; alioqui magnis et provinciae regnoque exitialibus diſſidiis cauſam praebitura, pleriſque ob eam cauſam ad Sabaudum quotidie transfugientibus. Tum rogatur rex, ut rationum ſuarum calculum ad populi levamentum inire velit: Initaque ratione totius exhauſti diuturnis bellis regni vectigalia ad nonagies octies centena circiter aureorum CIↃ aeſtimantur; ex quibus quinquagies centena aureorum CIↃ regi ad alendam familiam, belli ſumptus, aliaque dignitatis regiae ſuſtinenda onera, attribuuntur; cetera ad magiſtratuum aliorumque regiorum toto regno miniſtrorum honoraria, vectigalia immania a regibus obligata, aes alienum diſſolvendum deſtinantur, certis legibus ac conditionibus, quibus fraudibus ad expilandum aerarium admitti ſolitis aliquod remedium allatum putabatur. Additum, ut lites, vectigalium a rege oppigneratorum ratione contra vendenteis cedenteiſve, aut inter coheredes inſtitutae, intra biennium ſuſpendantur, ira tamen ut nullum propterea contractibus juribus et hypothecis praejudicium factum intelligatur, eaque de re edictum in regni curiis promulgetur. Nullae largitiones aur penſiones, niſi poſt exſolura ſtipendia ac cetera regni onera edicto initio anni propoſiro comprehenſa, expendantur. Magiſtratus juridici nulli principum procerumve, aut provinciae praefectorum, aut univerſitatibus, operam ſuam addicant, nullumque ab iis honorarium accipiant; ſi contra faciant, honoribus et dignitatibus tanquam indigni priventur. Edictum ſuper monetaria re anno CIↃ IↃ LXXVII factum ſervetur: et, quia pravi nummi, quales ſolidi ſunt, his bellis privata praefectorum auctoritate magno numero, non ſine manifeſto populi detrimento, cuſi ſunr, [a] rei monetariae praefectis mandatur, ne hujuſmodi nummos omnino recudant. Aurei panni, holoſerici, ex locis externis in regnum non importentur; et, ut artifices ad veniendum in Galliam invitentur, eadem privilegia, quibus regnicolae artifices utuntur, iis intra triennium attribuantur. Ratione aggerum imperatae ſuperiorum annorum collationes, et ob bella exorta nondum exactae, ne penſitationum ordinariarum curſus impediatur, non exigantur. Ad levamentum [b] Septimanorum comitia in ea provincia non niſi ſingulis trienniis celebrentur. De edictis fiſcalibus in gratiam Helveriorum xx abhinc annis in curiis promulgatis delegati diligenter cognoſcant; quippe cum conſtet, majorem eorum partem, quae fidiſſimorum regni auxiliarium commodo cedere debebat, ab aulicis interverſam.

Praefecti

INTERPR. [a] *Officiers des Monnoyes.* [b] *de Languedoc.*

Praefecti provinciarum, arcium, locorum, ad certum modum redigantur; nullumque locum iis ſine expreſſo regis mandaro deinceps munire liceat. Intra triennium conventus indicatur, in quo fidei perſpectae viri delegentur, qui de iis, qui praeſentibus decretis fraudem fecerint, diligenter cognoſcant. Et, cum primum per regis occupationes ac oegotia licebit, generalia regni comitia convocentur. Multa inſuper decreta de vectigalibus, quae tum ab ignobilibus ratione perſonarum in compluribus regni provinciis, tum in aliis ratione fundorum, penduntur; de immani magiſtratuum et aliorum officialium ad legitimum modum coercendo numero, eorum moderandis ſtipendiis, quaeſtorum regni munere: item de regio patrimonio magnam partem fraudulentis contractibus alienato; de ſubſidiis a regno praeſtari ſolitis, de quibus vectigalium curia cognoſcit: poſtremo de ſalinis tam [a] Aquitaniae quam Septimaniae, ex quibus grandis pecunia a rege quotannis exigitur. In hoc coetu praeterea actum de controverſa juriſdictione inter cancellarium et curiarum delegatos; conventumque ut de omnibus cauſis, qoarum cognitio ad praefectos juridicos provinciarum pertineret, cum de iis appellaretur, ſolae ſupremae curiae cognoſcereot, excluſo privato regis, quod vocant, concilio: de edictis item, aliiſque reſcriptis regiis, quae in curiis promulgata eſſent. Verum hoc, ut alia multa ſalntariter in eo conſeſſu deliberata minime exitum habuerunt. Nulla majore in Gallia vexatione populi adflictantur, quam confuſarum juriſdictionum contentione, quae a libellorum ſupplicum magiſtris et concilii illius privati aſſeſſoribus, multiplicato eorum XXX abhinc annis in immenſum numero, invecta hodie res turbat, et familiarum qoietem obique ſolicitat, judiciorum conſtantia, qua publica ſecuritas conſtat, in dubium revocata. Nemo id non videt, nemo non fatetur: et tameo, quoties querimoniae de ea re oriuntur, oriuntur autem creberrime, toties ipſorum, qui id alioqui non diffitentur, aſtu eluduntur.

VI. DUM rex [b] Rotomagi eſſet, filiola, [α] quam ex Gabrielide [c] Eſtraea ſuſceperat, ſacro lavacro [β] abluta eſt, [d] Monpenſerio et aliis regni primoribus, qui ſupervenerant, per vicos populo frequenteis longa ſerie praecedeotibus, et oratoribus principum, qui in regio comitatu erant, ad ſpectaculum iovitatis: quod indignationem prudentioribus movit, [γ] qui id ſaltem in legati pontificii et delegatorum regni conſpectu oſtentari minime oportuiſſe exiſtimabant.

VII. EODEM tempore Carlôta Catharina [e] Tremollia, Heorici Condaei, qui ad [f] Joannis-fanum in Santonibus anno CIↃ IↃ LXXXVIII IV Non. Mart. periit, vidua, et Henrici Condaei patri poſthomi, quem rex ſuperiore anno in aulam venire juſſerat, parens, religionem majorum publice Rotomagi profeſſa eſt; idqoe pontificio legato datum, ut ipſe ſuas partes io eo negotio interponeret; quanquam cardinalis Gondius tanquam epiſcopus Pariſienſis id ad ſe ſpectare contenderet. Lautiſſimo coovivio poſt ſacra peracta eam excepit legatus, ad quod vocati principes et primores aulae. Id ſerius poſt adventum ejus in aulam actum, quod, poſt viri mortem crimiois poſtulata et a judicibus non competentibus damnata, de Catholica religione amplectenda, quod pridem decreverat, prius aſſentiri nollet, quam ſe innocentem in ſenatu Pariſienſi, ad quem a rege remiſſa fuerat, ſolemni judicio approbaſſet, oe potius eo facto gratiam cauſae ſuae apud judices quaerere, quam quod ſalutare ſibi ad vitam aeternam crederet

conſilium

VAR. LECT. [α] quam ex Gabrielidis Eſtraeae contubernio ſuſceperat, *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] abluta eſt, intempeſtiva et affectata, ut pleriſque perſuaſum fuit, ad tentandam Gallorum patientiam pompa, Monpenſerio *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[γ] qui rem omni tempore celari debuiſſe, ſaltem *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Guienne, & Languedoc.* [b] *Rouen.* [c] *d'Eſtrées.* [d] *le duc de Montpenſier.* [e] *de la Tremoille.* [f] *S. Jean d'Angely en Saintonge.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

conſilium ſequi, videretur. Ante VIII annos, dum captiva a delegatis judicibus in Santonibus detineretur, jam tum ab iis ad ſenatum provocaverat; et ſenatua partes ſuas interpoſuerat, facto decreto pridie Non. Maias anni CIↃ IↃ LXXXVIII, quo cognitionem cauſae ſibi ſumpſerat, eamque delegatis judicibus ut incompetentibus aliiſque omnibus interdixerat, et omnia acta ac probationes contra ream factas in curiam afferri juſſerat, idque ut delegatis judicibus ſignificaretur mandaverat. Per apparitores regios [a] Niortii et Mediolani Santonum, quae vicina ſunt [b] Fani-Joannis oppida tunc a regio praeſidio firmata, decretum publicatum, et ad portas Fani-Joannis, quando ad urbem non eſſet tutus acceſſus, exemplum ejus affixum. Poſtea V Eid. Sextil. ejuſdem anni decretum, ut libelli a rea porrecti exemplum Franciſco [c] Contio et Carolo [d] Sueſſioni Condaei defuncti fratribus traderetur; interdictumque ne apud alios judices, quam in ſenatu, ream perſequerentur. Et, quia judices delegati, ſpreto priore decreto, et poſt ejus publicationem in cauſa cognoſcenda perſtiterant et ſententiam interpoſuerant, mandatum, ut, ubicunque comprehendi poſſent, in curia ſiſterentur; bona eorum interim annotarentur, et ſequeſtri in illorum poſſeſſionem mitterentur. Decretum, ut prius, publica auctoritate ad Fani-Joannis portas affixum. Sententiae a delegatis judicibus interpoſitae, qua ream quaeſtioni ſubjiciendam pronunciaverant, ſuſpenſa executio fuerat, donec illa puerperio levata eſſet. Sed, cum filium poſtea Kalendis Septembribus enixa eſſet, ſententiae ſuae judices poenituit, et perſecutio omnis intermiſſa, donec Carolus cardinalis [e] Vindocinus Condaei defuncti frater anno inſequenti [f] Caeſaroduni Turonum in arcano conſiſtorio per libellum petiit, ut rex cognitionem veneficii, ex quo Condaeus periiſſe dicebatur, ſibi ſumeret, eamque cunctis aliis judicibus interdiceret; de eo anquiri per delegatos, probationes, quae jam factae eſſent, aliaque acta ad ſe perferri juberet; quibus inſpectis judices, qui de cauſa cognoſcerent, daret. Id, referente Jacobo Auguſto Thuano, decretum IV Eid. Maias. Poſtea longum de re tota ſilentium fuit, quouſque rex, libello a fratre cognatiſque [g] Tremolliae porrecto, totum negotium ſuperiore anno, cum [h] Divione eſſet, ad ſenatum remiſit. Igitur hoc anno allatis Fano-Joannis olim confectis probationibus, et ſententia a delegatis judicibus tunc pronunciata, reque Contio et Sueſſioni denunciata, cum non comparuiſſent, aſſentiente cognitore regio, acta et probationes contra Tremolliam a delegatis judicibus factae, tanquam contra regis et ſenatus auctoritatem factae, nullae et irritae pronunciantur; cautumque ne quis, cujuſcunque dignitatis et conditionis ſit, illarum fide in poſterum uti poſſet: inſuper decretum, antequam in Tremolliae innocentia declaranda, quod illa petierat, amplius pergeretur, Contius et Sueſſio ex ſenatus auctoritate denuo in jus vocarentur, ut quas illi contra ream probationes haberent, ederent. Id actum VI Kalendas Maias. Secundum haec cum citati illi minime comparerent, ac, ſenatus juriſdictione declinata, regem Franciaeque pares, qui de cauſa cognoſcerent, vocari peterent, et per procuratores ſuos intercederent, medio tempore poſtulante Tremollia, ut acta, quae irrita ſenatus pronunciaſſet, omnino ſupprimerentur et abolerentur, ne ex iis, quae probationem nullam inducere poterant, calumniae occaſio malevolis praeberetur, ſenatus V Kal. Jun. cenſuit, ut acta tam in Joannis-fanum quam alibi contra ream facta ſupprimerentur; eodemque die coram Achille [i] Harlaeo ſenatus principe et Edoardo [k] Molaeo cauſae relatore ab amanuenſi criminali flammis conſumpta ſunt: quod Contium et Sueſſionem maxime exaſperavit. Qui cum non comparerent, et per procuratores [α] ſuos proteſtari ſe paratos oſtenderent, datis ad judices

ſeorſim

VAR. LECT. [α] ſuos apud Rabanum Aſſam amanuenſem criminalem proteſtari voluerunt, datis *MS. Bamm.*

INTERPR. [a] *Niort, & Saintes.* [b] *S. Jean d'Angely.* [c] *le prince de Conti.* [d] *le comte de Soiſſons.* [e] *de Vendoſme.* [f] *Tours.* [g] *de la Tremoille princeſſe de Condé.* [h] *Dijon.* [i] *de Harlay.* [k] *Molé rapporteur.*

ſeorſim literis, ipſis procuratoribus in curia auditis, et re cognitori regio communicata, poſtremo Tremollia a criminibus objectis pura et innocens declarata eſt IX Kalendas Sextiles. Praecipitatum judicium cauſati fratres per procuratores ſuos apud actuarium proteſtari voluerunt, deque ea inſtrumentum ſibi tradi poſtularunt. Quod cum ille recuſaſſet, eoſque ut Harlaeum convenirent, qui in cauſa praeſidis loco ſediſſet, monuiſſet, illi eum adierunt, et gravitatis plenum reſponſum retulerunt, nihil niſi rite recteque in ea cauſa actum; adverſus ſupremarum curiarum decreta uſu noſtro proteſtationes non admitti; nullorumque magis intereſſe, quam familiae regiae principum, rerum in primaria regni curia judicatarum auctoritatem conſervari: toties vocatos eos non comparuiſſe, decretumque a ſenatu fuiſſe, ut, non habita praeſcriptionis fori ab iis propoſitae ratione, in cauſa pergeretur; idque ipſos per denunciationem publicam reſciviſſe: manentibus his decretis ſecutum neceſſarium ultimum, quo Tremollia pura et innocens a criminibus objectis declarata fuit: nam nullas ab iis contra eam allatas probationes; et indubitati juris regulam eſſe, ut, accuſatore non probante, reus abſolvatur: eundem ordinem olim in Ludovici Borbonii Condaei ipſorum parentis cauſa, et nuper in Franciſci Momorantii itidem cauſa, ſervatum fuiſſe; neque quenquam repertum, qui adverſus ſenatuſconſulta pro eorum innocentia facta ſit proteſtatus: proinde prudentiſſime facturos fratres, ſi judicii auctoritatem in dubium non revocent, neque committant, ut, dum mortis fraternae ſe vindices approbare cupiunt, filio poſteriſque ejus periculum vitae et exiſtimationis creare videantur. Cum hoc reſponſo dimiſſi procuratores, ab eoque tempore res quievit. Tremollia poſtea a rege diploma impetravit, quo mandabatur, ut ſenatuſconſultum pro innocentia ipſius factum in ceteris regni curiis promulgaretur, et in acta referretur. Quod ſedulo ubique factum, nulla ab defuncti fratribus proteſtatione contra interpoſita.

VIII. ALIA et duo judicia veniunt commemoranda, alterum Kalendis Februariis, Aegidio [a] Riantio et Joanne Magiſtro praeſidibus, contra Joannem [b] Flavianum ſacri collegii Senonenſis ſodalem ad aſſerendam regiam juriſdictionem latum. Huic lis cum Joanne [c] Mieta ejuſdem eccleſiae archidiacono intercedebat ob atroces verborum contumelias et injurioſum carcerem, quo Flavianus Mietam vexaverat: in qua cum Mieta regii judicis opem imploraſſet, ille contra eum a communione eccleſiae ſeparatum aiebat; praeterea concilio Tridentino caveri dicebat, ne quis ſacro ordini addictus pari dignitate praeditum in jus quacunque de cauſa apud alium quam eccleſiaſticum judicem convenire poſſit, alioqui in eccleſiae cenſuras incurrere. Cum nihilominus criminalis aſſeſſor Senonenſis ſententiam in Flavianum pronunciaſſet, et, poſthabita fori, qua ſe tuebatur, exceptione, decreviſſet, ut, praeſentibus ipſo et litis cognitore, in ſacrario collegii, quo ſodales conveniunt et Mieta praeeſſe ſolet, coram ipſo Mieta contumelioſa in eum verba prolata retractaret, Flavianus ad ſenatum appellavit; ubi, re cum cognitore regio communicata, ipſo poſtulante, additum eſt ad ſententiam, ut Flavianus in ſacrario collegii, vocatis praetore et aſſeſſore criminali et IV tribunalis conſiliariis, cognitoris item regii vicario et patrono regio, coram univerſo collegio ſtans nudo capite, Mieta ſedente, declararet, ſe temere, erronee, et contra juſtitiae dignitatem, dixiſſe ac ſcripſiſſe, Mietam jure ab eccleſiae communione excluſum eſſe, quod ipſum alioſque eccleſiaſticos apud judicem regium conveniſſet; eam aſſertionem tanquam falſam et erroneam, contra ſacras conſtitutiones et edicta regia factam, ſe damnare profiteretur, eoque facto ſcriptum coram ipſo laceraretur. Alterum contra Franciſcum Rameum, qui ſe Caroli IX et Eliſabethae Auſtriae filium, et a Catharina regis parente expoſitum, et in [d] Pictonibus apud Aegidium Rameum e nobilitate provinciali

INTERPR. [a] *les preſidens de Riants, & le Maiſtre.* [b] *Flavian chanoine de Sens.* [c] *Miett.* [d] *Poictou.*

CIↃIↃXCVI. HENRICUS IV.

provinciali virum, a quo nomen [a] Ramei motuatus erat, educatum aſſerebat, et inde in [b] Veromanduos tranſierat, uſuſque Joanois [c] Foſſerii agricolae contuberoio aliquandiu latuerat, ad impoſturam additis fanaticis, quas coelo immitti ſibi ait, apparitionibus; quas et ipſe Foſſerius, quaſi contagione quadam, interdum ſe videre jactabat. Utrique animos feciſſe ſavorem et gratiam quorundam magnatum poſtea compertum, qui, commiſerationis contemplatione, taoquam vitio fortunae potius quam ſtio cum inopia conflictantibus profuſa pecunia ſubveniebant. Jamque rei fama late pervaſerat, et ad primos rumuſeulos eredulorum animos occupaverat. Cumque nova ſeditionibus et defectionibus per ementitum regis Caroli nomen materia quaeri videretur, Petri [d] Amorii ſenatoris Pariſienſis, qui in provincia illa ad res ordinandas poſt recentem pacificationem a rege miſſus fuerat, diligentia ambo comprehenſi ſunt. Poſtea [e] Durocortori Remorum ad mortem damnatus Rameus Pſeudocarolus, tanquam divinae homanaeque majeſtatis reus peractus, prius impoſturam palam profiteri, de eaque a Deo et rege veniam petere, juſſus. Foſſerius eandem ignominioſam profeſſionem publice facere et ſupplicio Ramei intereſſe quoque juſſus. Cum uterque ad ſenatum appellaſſet, iiſdem praeſidibus ſententia confirmata eſt; additumque, ut corpus Ramei poſt ſupplicium flammis aboleretur. Id Lutetiae decretum VIII Eidus [α] Martias. Exeunte anno caſus Lutetiae triſtis intervenit: in beati Thomae pervigilio [f] Molatrinarum pons, qui juxta Aurificum pontem ſtructus continua rotarum ſuccuſſatione ruinam minari jampridem videbatur, ſpreto nihilominus periculo tranſitum hinc inde commeantibus praebebat; tuneqoe ſub veſperam repeote corruit, oppreſſis qui commeabant, et molatrinarum operariis. Numerati omnioo CXL, qui illo caſu perierunt: tantum unus periculum evaſit, ſornicato tigno ab oppreſſione defenſus, et ruderibus purgatis ſpirans adhuc raro Dei beneficio repertus.

IX. FUIT hic annus multorum virorum literis illuſtrium mortibus triſtis. Primus memorabitur Franc. [g] Toletus, [h] Corduba utriuſque Senecae cunis nobiliſſima [i] Baeticae civitate, eeterum bumili loco, natus; qni animi virtutibus et ſedula inſtitutione, quod ipſi a natalibus deerat ſupplevit, [k] Salmaoticae brevi magnum nomen adeptus, ita nt philoſophiae profeſſor prima adoleſcentia ſuerit: quod ooo niſi jam aetate provecta alii conſequuntur. Poſtea pietatis ſtodiis cum ſe totum devoviſſet, Jeſuitico ſodalitio, quod illo tempore paſſim in Hiſpania et praecipue Salmanticae florebat, oomen dedit; et Romam evocatus, gymnaſio cum aliqoot annis praefuiſſet, a ſacris conciooibus Pio V poſt Benedictum [l] Palmium et Alfooſum Salmeronem ſuit; et, magnis negodis par tractandis, Jo. Franciſco [m] Commendono eardinali in Germaniam ad Maximiliaoum Caeſarem et Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem, ut de ſacro foedere contra Turcos icendo ageret, legato comes additus, noo minorem prudentiae, quam antea eruditionis ac pietatis, laudem meruit. Dein ſub Gregorio XIII magnis negotiis diſceptandis adhibitus fuit, et ſub Sixto V Bibliis recognoſceodis operam navavit; ac tandem a Clemente VIII primus ex ea [β] ſocietate io collegium cardinalium cooptatus eſt. Ante triennium in negotio de regis cum ſancta ſede reconciliatione admodum promptam et egregiam navavit operam, ſicuti paulo ante demonſtravimus; ac tandem boc anno XVIII Kal. Oct. in palatio Vaticano placide ad Deum migravit, LXXIV annum ſupergreſſus, et ad S. Mariae majoris marmoreo tumulo a baſilicae illius ſodalibus, quibus pecuniam ad pios uſus legaverat, honorifice conditus eſt,

VAR. LECT. [α] Mart. et executioni mandatum. Exeunte *MS. Samm.* [β] ſocietate, intercedentibus ac multum refragantibus ejuſdem ſodalitii patribus, in collegium *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de la Ramée.* [b] *Vermandois.* [c] *Foiſſier laboureur.* [d] *D'Amours.* [e] *Reims.* [f] *le Pont aux Meuſniers,* [g] *de Tolet.* [h] *Cordoue.* [i] *Andalouſie.* [k] *Salamanque.* [l] *Palmis, & Salmeron.* [m] *Commendone.*

eſt. Scripſit multa, quorum praecipua ſunt quae in Ariſtotelem, deinde in Joannem, CIↃ IↃ XCVI.
Lucam, et epiſtolam ad Romanos, edita ſunt. Conciones ab eo habitae, et ſcriptis HENRICUS IV.
poſtea mandatae, nondum lucem viderunt. Ante Toletum eo quadriennio major pridie Kalendas Martias Piſis obiit Pet. [a] Angelius Barga Etruriae caſtello natus, variis peregrinationibus in adoleſcentia per Graeciam et Aſiam exercitatus, et poſtea Piſis complures annos in florentiſſimo gymnaſio humaniores literas profeſſus, et Romae in comitatu Ferdinandi Medicis tunc cardinalis poſtea commoratus. Poëtica praecipue excelluit, et Cynegetica ejus ac Syrias merito inter complura alia egregia excellentis illius ingenii monumenta commendantur. Virginiam filiam reliquit, quae patris exuvias in ſepulchrum [b] Boccarum, quae familia in ea civitate nobiliſſima eſt, Joſepho Bocca permittente, in majoris templi coemeterio recondi curavit. Fridericus Sylburgius, [c] Vetteris, quod Cattorum oppidum eſt, ortus, minime praetermittendus videtur, qui quamplurima veterum praeſertim Graecorum ſcripta partim jam edita, denuo recognita, variis lectionibus, notis, indicibuſque illuſtravit, partim primum ipſe ſumma cura adhibita publicavit; eoque nomine magnam ab omnibus qui rei literariae conſultum cupiunt, et a poſteritate non ingrata, inivit gratiam; eoque majorem meruit laudem, quod in tam laudabili publicae utilitatis promovendae ſtudio aſſiduus propriam gloriam contemnere viſus eſt. Deceſſit Heidelbergae xv Kalendas Martias, non ita ſenex, ſed improbo labore ac vigiliis attenuato corpore, ad beati Petri ſepultus. Sub id et Janus [d] Douza, Jani et literarum et fortitudinis in [e] Lugdunenſi obſidione olim probatae nomine clari filius, juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrina cum rara morum ſuavitate conjuncta praeditus, cum ex peregrinatione longinqua rediiſſet, quaſi in portu naufragium fecit, anno aetatis XXIV ereptus. Ut noſtros dicam, Nicolaus Vignerius feriis Paſchalibus Lutetiae deceſſit, [f] Barro ad Sequanam in Campania noſtra anno CIↃ IↃ XXX natus patre fiſci patrono, nec tenui, nec obſcura familia; ſed attritis opibus ob bella civilia ſolum vertere coactus eſt, et in Germaniae principum aulis aliquandiu medicinam fecit. Inter philoſophiae et praeſtantiſſimae illius ſcientiae, in qua feliciter excelluit, ſtudia, praecipuam habuit hiſtoriae omnis et temporum ad exactum calculum putatae rationis cognitionem; et jam ante Onufrii Panvinii et Caroli Sigonii faſtos editos illuſtrandae antiquitati Romanae eandem curam impenderat, ab iis interdum diverſa ſentiens: et tamen cum illi praevertiſſent, ne actum agere videretur, ab iis edendis, qua erat modeſtia, abſtinuit, et de faſtis commentarium vernacule ſcriptum, quo tantum quoſdam eorum annos in antiquitate controverſos diſcutit, publicare ſatis habuit. Multa praeterea illuſtrandae hiſtoriae ſcripſit; ſed inter alia inſigne exſtat opus chronologicum, ab ipſo, cum beneficio pacis poſt longam a ſuis abſentiam honorificis a rege ſtipendiis invitatus Lutetiam veniſſet, editum, quo a primis mundi incunabulis certas temporum epochas, imperiorum regnorumque initia ac converſiones, veras populorum et familiarum origines, admirabili cura ac judicio excuſſit, digeſſit, explicavit. Eccleſiaſticam hiſtoriam auctori poſthumam, cum nondum ultimam ejus manum recepiſſet, Nicolaus et Joannes filii publicarunt. Poſt eum commemorandus venit Joannes [g] Bodinus in [h] Andibus natus, et puer, ut quidam certo affirmarunt, in Carmelitarum coenobio vitam religioſam profeſſus; dein voto immatura aetate facto ſolutus gnaviter literis operam dedit, linguarumque non vulgari peritia ſibi comparata omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus eſt. Cumque initio in foro Pariſienſi patronum egiſſet, contentioſae illius militiae pertaeſus ſcriptioni ſe totum addixit; periculoque in Oppiani Cynegeticis

INTERPR. [a] *Angeli di Barga.* [b] *di Caſa Bocca.* [c] *Wetter au pays de Heſſe prés de Marpurg.* [d] *Vander Doez.* [e] *de Leyde.* [f] *Bar ſur Seine en Champagne.* [g] *Bodin.* [h] *Anjou.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

Cynegeticis ingenii facto, qoae et eleganter Latine ac ſcite vertit, et doctiſſimo commeotario interptetatus eſt, egregio documento per illa, quantum in literis humaniotibus valeret, edito, mox animum ad majora appulit, et, poſt Methodum hiſtoricam, et de re monctaria accuratas contra [a] Malaſtretum diſſertationes, opus magnum de republica Gallice publicavit; in quo ut omni ſcientiarum genere non tincti ſed imbuti ingenii fidem ſecit, ſic nonnullis, qui recte judicant, non omnino ab oſtentationis innato genti vitio vacuum ſe probavit. Poſtea et Daemonomaoiam Gallice itidem ſcripſit; in qua dum materiam ab aliis tantopere agitatam adverſus Joannis [b] Wieri plerumque ſcotentiam enucleatius rerractat, magicae rei ac vetitatum iſtiuſmodi artium erimen minime effugit. Dum haec ſcriberet, a rege Henrico III, qui literatis diſcepiationibus per otium oblectabatur, ad familiare ſecretum cum pleriſque aliis viris doctis ſaepius eſt admiſſus, magnamque laudem ex iis reportavit; quippe qui ingenium in numerato haberet, et paratam ad omnia, quae proponereotur, pulcherrimarum rerum copiam, qoa pollebat, acri memotia effunderer. Aemulatione dein quorundam, qui in aula plus poterant, cum ſe gratiae loco motum videret, in Franciſci Alençoniorum ducis, qui poſtea Belgicarum provinciarum Ordinibus deſcrentibus principatum inivit, familia ob raram eruditionem et oon vulgarem rerum externarum cognitionem honorificum locum tenuit, cumque in Angliam et Belgium aliquot annis ſecutus eſt. Poſtea eo mortuo [c] Laoduni Clavati praetura donatus eſt, ad quam ſe recepit, et jus magna probitatis et integritatis opinione aſſiduc dixit, uſque ad annum CIↃ IↃ XXCVIII; quo, turbatis ubique rebus, cum ab initio Proteſtantium doctrinae addictus erederetur, neque tunc ab ea multum alienus putaretur, Henoticae factioni cum aliis nomen dedit, et multa de rege legitimoque ejus ſucceſſore haud ſatis digne pronunciavit, quae magno factioſorum plauſu ubique evulgata ſunt. Sed eum errorem admirabili de inſperata horum motuum clauſula praeſagio ſtatim emendavit, annumque et menſem, quo pax, cum minus putabatur, coirura eſſet, praedixit; eventuſque ejus judicium comprobavit. Demum hoc anno incunte Maio ſeptuagenario major peſtiſera lue correptus, publicato prius Naturae theatro, quo rerum cauſas et effectiones ad principia ſua repetitas exſequitur, quaſi cycnea cantione vitam, variis ſtudiis ſic et fortuna agitatam, Laoduni clauſit. Lambertus [d] Danaeus Aureliano natus, [e] Caſtris in Septimania, quo ſe [f] Orthcſio in Bencarni pago, ubi docebat, contulerat, deceſſit. Anutium [g] Foeſium et hic annus abſtulit; qui, [h] Divoduri Mediomatricum natus, Luretiae Pariſiorum, poſt utriuſque linguae exactam peritiam et philoſophiae decurſum curriculum, medicae laureae ſumpſit inſignia, atque inde in patriam teverſus XL annos medicinam ſumma intet conciveis ſuos peritiae ac felicitatis laude fecit, a Lotharingiae principibus ſaepe per occaſionem evocatus; quibus tamen operam ſuam, libertatis ingenuae et in ſtudiis aſſiduus, nunquam addicere voluit. Principium lucubrationum a libro II Hippocratis de morbis vulgaribus fecit, quem Latine verſum copioſiſſimis commentariis explieavit anno aetatis XXX: dein Pharmacopoeam quoque edidit. Poſtea, cum Oecooomiam Hippocraós ſive Nomenclatorem publico dediſſet, certatim non ſolum a Gallis, ſed Germanis et Italis rei medicae ſtudioſis rogatus fuit, quod Hippocratis editio ab Hieronymo Mercuriali nuper publicata publicae exſpectationi minime ſatisfaceret, ut ipſe totum Hippocratem vertendum ſuſciperet; quod, periculo perfectae taoti auctoris cognitionis in Nomenclatore ſuo facto, probe coofecturum cum cuncti rebantur. Igitur opus multarum vigiliarum aggreſſus Graeca ad manuſcripta exemplaria et pleraſque editiones contulit, et exacto ſtudio elaboratam verſionem ac commentarios addidit, ſuaque induſtria effecit,

INTERPR. [a] *Maleſtroit.* [b] *Wier.* [c] *Laon.* [d] *Daneau d'Orleans.* [e] *Caſtres en Languedoc.* [f] *Ortez en Bearn.* [g] *Foës.* [h] *Mets.*

effecit, ne Gallia, quae in re medica inter ceteras nationes ſemper primas tulit, in principe tantae ſcientiae ſcriptore edendo Italis Germaniſve cederet. Tandem emeritus ſenex poſt tot exantlatos pro republica labores, annos natus LXVIII, urbe in patria deceſſit VII Kalendas Octobreis. Eodem menſe anno aetatis LVI deceſſit Quintus Septimius [a] Florens Chriſtianus, Gulielmi, ex nobili in Armoricis familia oriundi, quique inter Henrici II medicos primarium locum tenuit, etiam literis elegantioribus haud mediocriter excultus, ut ex Ocelli Lucani verſione patet, filius; ſic dictus, quod numero quintus ex compluribus liberis ſeptimo menſe natus eſſet: utriuſque linguae peritia, et verſuum iiſdem linguis pangendorum laude, cum priſcis ipſis comparandus: ad haec ingenio excelſo et liberali praeditus, ut nihil ſerviliter et contra animi ſententiam, ut aliis placeret, quod pleriqne alii calamo venali hodie faciunt, ſcriberet: interdum mordacior, ita tamen ut non tam ſenſum doloris in eorum ingeniis quos mordebat, quam ſtimulum ad ſe ab iiſdem amandum, relinqueret. Itaque Petrus Ronſardus, qui poëticam noſtra aetate ad ſummum culmen evexit, et Vidus [b] Faber Pibracius a me tam ſaepe honorifice appellatus, poſtqnam a Florente aculeate perſtricti ſunt, ab eodem amari et laudari in magna gloriae parte duxerunt. Regi, qui nunc feliciter imperat, ab inſtitutione fuit; et cum [c] Aureliano, ubi munia quaedam militaria ſtrenue obierat, [d] Vindocinum lares tranſtuliſſet, in oppidi ab Henoticis occupatione oppreſſus, et expugnatione poſtea captus, memoris diſcipuli benignitate e manibus graſſatorum ereptus eſt, qui pretium pro ipſo exſolvi curavit. Pleraque ſcripſit Graece et Latine, nec non et vernacula lingua, quae majorem partem apud Claudium filium adhuc latent, aliquando lucem, magno ſtudioſorum et elegantiorum ingeniorum bono, viſura. Amico arcta mecum neceſſitudine conjuncto, quod inſcripta mihi ipſius quaedam ad aeternitatem victura monumenta teſtantur, alterum uberibus lachrimis deflendum cogor adjungere, Petrum [e] Pithoeum [f] Auguſtobonae Tricaſſium natum, familia nobili ex inferiore Neuſtria oriundum, virum noſtra aetate maximum, ſive probitatem morum et veram nec fucatam pietatem, ſive ingenium excellens, exactamque et omnium rerum quas perſpectas habuit, habuit autem plus quam alius quiſquam multis retro ſaeculis, reconditam cognitionem, et tum in ſuis tum in alienis cernendis acre et ab omni livore purum judicium, ſpectes. Cum enim ſic vitam inſtituiſſet, ut commoda publica ubique propriis negotiis praeverteret, toto laudatiſſime ejus vitae decurſae ſpatio in literarum ſtudiis ſic verſatus eſt, ut, aſſidue exquirendo et ſerutando bibliothecas, antiquorum ſcripta vel a mendis vel ab interitu vindicaret, vel alios, quos in ea re aliquid poſſe judicabat, exhortando, impellendo atque juvando, nullo tempore non aliquid moveret ac promoveret; ſub ipſum vitae exitum beati Hilarii fragmentis hiſtoricis, et Phaedri Auguſti liberti fabulis publicatis. Et, ut alia in illum merito a Nicolao [g] Fabro individuo vitae et ſtudiorum Pithoei comite cumulata elogia non ſileam, nemo melius unum quempiam auctorem novit, quam ipſe omneis antiquos utriuſque linguae ſcriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria et concoxerat: nemo privata et domeſtica negotia exactius tenuit, quam ipſe Gallicam externamque hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, foedera, conventiones, vel exterorum inter ſe vel nobiſcum geſta, leges, mores, conſuetudines provinciarum ſingularumve urbium: quarum omnium rerum a teneris annis indefeſſo labore ſibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, ſenatus, rationalium, urbium, monaſteriorum comparaverat, inſtrumentorumque ipſorum atque actorum bonam partem propria manu deſcripſerat.

In

INTERPR. [a] *Florent Chreſtien.* [b] *Guy du Faur Sr de Pibrac.* [c] *Orleans.* [d] *Vendoſme.* [e] *Pithou.* [f] *Troyes.* [g] *le Fevre.*

In jure autem civili Romanorum ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus praeceptore Jacobo Cujacio dici jure potuerit, hunc diſcipulo praeripuiſſe ne primus juriſconſultus eſſet, illum praeceptori ne ſolus. Verum haec omnia, quae in quovis homine ſingula magnum virum et cum cura dicendum efficiant, in Pithoeo coacervata eundem ad ſummum laudis culmen evehebant, quantula portio ſunt illius ſapientiae, quam ingenii judiciique felicitate ex rerum cognitione, aſſidua lectione atque uſu comparata, velut ex antiquorum omnium inventis, qui ſapientiae commendatione floruerunt, conflatam ſibi quaeſiverat? Quantum a civili prudentia abſunt; qua praeditus ille non ſolum de privatis rebus et fori maxima cum facilitate et aequitate reſpondere ac ſtatuere, ſed etiam de iis quae ad ſummam rempublicam ſpectant ſapienter deliberare, conſiliorum exitus proſpicere, dubiis ac periculoſis eventis provide occurrere, noverat? Nam quamvis ab omni ambitione vitaeque fulgore, niſi quem virtus emitteret, alieniſſimus vixerit, et honores ac magiſtratus vel ultro delatos ſemper reſpuerit, tamen patriae juvandae deſiderio, quo ultra modum flagrabat, eos, quos ſua ſors clavo admoverat, aſſidue excitabat aut commonefaciebat, ſuggerebatque quae vel ab antiquis paribus in negotiis probata fuerant, vel ipſe, ut erat peracri ac ſolidiſſimo judicio, facienda exiſtimabat; nec illi temere quicquam magni momenti aggrediebantur, de quo non ante Pithoeum conſuluiſſent: ita ut privatus publicum negotium et abſque purpura perpetuum magiſtratum geſſiſſe videatur; innocentia atque indeflexo per omnes vitae partes probitatis tenore id praeterea conſecutus, ut non ſolum togatorum doctiſſimus, ſed et prudentiſſimus juriſconſultus, civis optimus ac plane vir bonus, audiret. Praeter innumera veterum ſcripta e tenebris, dum inter nos degeret, primum eruta, aut meliora publico data, moriens reliquit conciliorum Gallicorum diligenter conquiſitorum ac digeſtorum collectionem, Franciſci fratris viri doctiſſimi fidei, ut ederet, commiſſam. Vixit annos LVII. Ad aeternam beatitudinem evolavit [a] Novigenti ad Sequanam, quo ſe, graſſante [b] Auguſtobonae Tricaſſium per illum autumnum populari morbo, contulerat, Kalendis Novembribus natali ſuo; quo eodem die parens meus ante XIV annos obiit, quem Pithoeus et vivum coluit, et mortuum in me porro colere non deſiit: ita ut incomparabilis amici morte, quicum partiri curas, et non ſolum de ſtudiis, ſed etiam de republica, conſilia communicare conſueveram, coeptae hiſtoriae penſum protinus e manibus excuſſerim, abjeciſſemque pror ſus, niſi tanti viri et de me ac patria tam bene meriti memoriae hoc debere exiſtimaſſem, ut quod illo auctore inchoaveram, ad publicam utilitatem, cui noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe olim judicabat, quamvis tanto adjutore deſtitutus, aliis undecunque, quae ab illo ſolo ab initio ſperaveram, conquiſitis ſubſidiis, ad exitum tandem perducerem.

X. NUNC Belgica hujus anni quae reſtant continua ſerie exſequemur. Albertus cardinalis, [c] Caleto et Ardea captis, et viciſſim [d] Fara a rege recepta, Gandavum conceſſerat; omiſſoque de Oſtenda obſidenda, quod adeo Flandriae Ordines urgebant, conſilio, quo ducendum videretur, cum belli ducibus conſultabat. Ex quatuor locis, Breda, [e] Bergis ad Somam, Gertrudis-fano, Hulſto, cum ultimum peti placuiſſet, miſſus ad locum explorandum Georgius Baſta Epirota vir bello expertus: qui, cum magnas in eo difficultates reperiſſet, expeditionem, quantum in ſe fuit, diſſuaſit, his ferme rationibus; quod Hulſtum undique aqua navigabili aut paludibus cingeretur, per quas tormenta ſubvehendi vix facultas eſſet: nam adverſo flumine fruſtra id tentari; refluente mari rem periculo non carituram, quippe ad aggeres exſtructis munitionibus, ex quibus levi negotio vectores propulſari poſſent: ad haec locum III CIↃ

praeſidio

INTERPR. [a] *Nogent ſur Seine.* [b] *Troyes.* [c] *Calais, & Ardres.* [d] *la Fere.* [e] *Bergen-op-zoom, Gertruydenberg, & Hulſt.*

praeſidio firmatum eſſe; nec ulla arte aditum auxiliaribus intercludi poſſe: quod quam in omni obſidione conſiderandum ſit, Parmenſem nuper in Lilloae oppugnatione magno ſuo cum damno expertum eſſe, et ſaepius poſtea belli duces ut caverent, monuiſſe: ad haec periculum a rege Franciae imminere, quem, recenti Caleti et Ardeae jactura irritatum, et alioqui arcta cum foederatis neceſſitudine conjunctum, Philippicis incommodandi occaſionem minime praetermiſſurum; et, ſi quidem a tergo veniat, inopinato cum noſtris inter paludes et mediam urbem conflictantibus congreſſu rem in ſummum diſcrimen adducturum vero ſit ſimile: quod ſi contingat cum auxilio non venire, at Caleti aut Ardeae repetendae conſilium proculdubio capturum; et eo rem confectu faciliorem fore, quod ſine ſummo diſcrimine auxiliares eo ſummitti nequeant: itaque conſultum videri, ut conatus tot difficultatibus et periculis implicatus in praeſentiarum omittatur, et, ad reprimendas praeſidiariorum per Flandriam et Brabantiam excurſiones, praeter [a] Auſtrium et Fontanum jam exſtructa munimenta, tertium inter Hulſtum et [b] Axelam excitetur validoque praeſidio firmetur. Cum inſtarent nihilominus provinciarum Ordines, miſſus poſt Baſtam Chriſtianus [c] Savinius Ronaeus cum Claudio [d] Burlota et Alfonſo Mendòza tribunis ad luſtrandum denuo locum; quorum ex relatione decreta obſidio. Sed, quo res magis tegeretur, Ronaeus revocatis copiis quaſi Bredam petiturus Antuerpiam verſus iter intendit, et cum VII CIↃ peditum et equitatu Scaldim tranſmittit pridie Nonas Julias. Inde ſuſpicio Mauritio injecta; qui, Bredae metuens, navigiis ad id paratis militem undique et ex Hulſti praeſidio collectum imponit, eoque devehendum curavit. Sed mox ſe deluſum ſenſit, Hoeſtrato copiis, quouſque proceſſerat Ronaeus, Antuerpiam Alberti juſſu revocatis, et in [e] Waſiam immiſſis. Ea, uberrimo ſolo poſita, Scaldi a ſeptentrione et ortu, ab occaſu mari, a meridie [f] Moëra Axelam alluente, qui cum [g] Durma inter [h] Teneramondam et Rupelmondam influente in Scaldim canali jungitur, peninſulae ſpecie undique clauditur, habetque Hulſtum caput egregie muris cinctum, et ſob eo Axelam, [i] Bouchoutum et Aſſenedam municipia populoſa ſine moenibus. Supra Hulſtum amniculus ex vico, cui [k] Chelderico nomen, oritur, qui locum alluit, et flexu in occaſum tendens Zelandico mari abſorbetur: ſed, averſa ex eo aqua, quod illis locis frequentiſſimum, canalis Axelam verſus derivatus eſt, novuſque hodie dicitur. Rurſus ex amniculo canalis contrario ſete curſu ducitur, qui in Scaldis oſtium, quod vulgo Honta vocatur, ortum verſus exoneratur. Occupato ante quinquennium loco a foederatis aggeres utrinque ducti et munimentis firmati, immiſſa in ſubjectum ſolum aqua, ut ex loco inacceſſo, navigiis ad id paratis devecti, vicinis regionibus per excurſiones impune incommodarent. Contra eas Fontanum et Auſtrium propugnacula, pone aggerem qui canali in Scaldim ortum verſus tendenti ſubeſt, extructa, quibus trans canalem duo alia a Mauritio oppoſita ad laevam; alterum, cui [l] Moeriſiano nomen; alterum ad dextram, quod vulgo [m] Rapa vocatur: et, ut tranſitus anguſtias magis impediret, tertium inter ea munimentum ſtructum, inter quae Philippicis, ut ad Hulſtum penetrarent, incedendum erat. Id negotii datum Burlotae; qui, aſſumptis ſecum CCCC delectis Hiſpanis, IↃ CCC Germanis, totidem Belgis, ad Fontanum munimentum ſub noctem venit, indice viae Biſſa, qui, antea exercitus curator, tunc Waſiae praefecturam tenebat; et VI navigiis vix magna operum vi per uliginoſas voragines canalem medium tranſmiſit; et, cum haud longe a tertio munimento illo incederet, eruptione a praeſidiariis, qui exiguo numero erant, aliquantum infeſtatus, ad extremum pulſis defenſoribus et ad Rapam proximam confugere

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *les forts d'Auſtriche, & de Fuentes.* [b] *Axel.* [c] *Savigny de Reſne.* [d] *la Burlote.* [e] *Pays de Waes.* [f] *Moere r.* [g] *Durme r.* [h] *Dendermonde.* [i] *Bouchout, & Aſſenede.* [k] *Chieldrech.* [l] *Moerſchantz ou fort des Marais.* [m] *le fort de la Rape.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV. confugere coactis, locum occupavit; quem feſtinatis operibus tota nocte reliqua firmavit, impoſito valido praeſidio, et apparatu bellico et annona, quam ſecum aſportaverat, in eo tanquam in tuto collocata. Illuceſcente demum die ſuos in aciem inſtruit, ut hinc inde Mauritianis, qui Rapae ad dextram, et Moeriſii ad laevam erant, terrorem incuteret; a quibus utcunque tectus erat. Sed a fronte ex Hulſto ipſo a tormentis infeſtabatur: itaque [a] Tiſelingo Germanorum tribuno datum negotium, ut ab ea parte vallum ſemilunae ſpecie duceret. Interea Albertus alias atque alias copias eadem via ſummittit, placatis ante Italis qui Tilemone erant, et numeratis Lovanii CCC XXX CIↃ aureorum: quod Jo. Hieronymi Auriae interventu factum, non ſine occulto Jo. Jacobi [b] Bellijocenſis comitis livore, qui in tumultu componendo antea ſedulam operam navaverat. Primi ex Neapolitana [c] Trivici marchionis legione CCC, et totidem Hiſpani, ad Moeriſianum munimentum ſe muniverunt, aggere, qui ex eo Hulſtum pertingit, interciſo, ne hinc inde defenſores commeare poſſent. Heic eruptione ab Hulſti praeſidio facta, et [d] Moeriſianis in latus incumbentibus, Germani, ſeu labore nocturno feſſi, ſive vallo nondum ad juſtam altitudinem perducto impares, loco ceſſerunt. Nec minor aliorum trepidatio fuit. Eo in conflictu dum Tiſelingus ſuos voce et manu incitans huc illuc, ut pugnam ſiſtant, diſcurrit, cum paucis, qui eum non deſeruerunt, interfectus eſt, magno ſui relicto deſiderio; quod, celebratis Antuerpiae exſequiis admodum honorificeis, Albertus teſtatus eſt. Occiſo Tiſelingo Burlota ſolus ſuperabat; qui, cedenteis et palanteis ſuos ad ſigna revocare conatus, poſtquam nullum precibus minisque locum reliquum vidit, ad medium munimentum caute ſe cum milite recepit; ubi hinc inde crebra tormentorum diſploſione quantumvis infeſtatus, concepto militis pavore paulatim evaneſcente, ſuos adhortatus ut ſe ſequerentur, et infamiam certam, ſi ſe desererent, quam dubiae mortis periculum vitandum ſibi potius ducerent, arrepta dimidia sariſſa, in confertum Mauritianorum agmen, antequam ad foſſam munimenti accederent, vadit, eoſque poſt acre de vita et decore certamen tandem in fugam vertit. Utrinque eo die C cecidere. Capti in fuga ex defenſoribus [e] Potteius et Niveltius, qui recentes egreſſi ex oppido, ſignis explicatis, ut ſuos recedenteis exciperent, in Germanos acrius invecti fuerant. Quod eminus conſpicatus Burlota ſuos revocavit, et interim munimentum, de quo paulo ante deſperaverat, feſtinatis operibus firmavit. Nec ceſſabat Mauritius; qui, ſe ab Alberto aſtu deluſum indignatus, per [f] Campenam in inſulam penetravit, et navigiis militem impoſitum ſecum in oppidum duxit; atque ordinatis in eo rebus, et Georgio Eberardo Solmenſi comite arcta eum ipſo cognatione conjuncto ad defenſionem cum III CIↃ militum relicto, [g] Sanbergam infra Rapam conceſſit, eventum opperiturus. Diverſa parte Ronaeus tranſmiſſo Scaldi cum robore exercitus advolavit, et canalem medium recedente mari tranſvadavit. Mox Hiſpanae II legiones Antonii [h] Sunicae et Ludovici Velaſci, et I [i] Belgarum duce Antonio [k] Coquellio, in inſulam traductae, et nocte proxima quod ex legione Trivici ſupererat, et legio Auguſtini Mexiae ſecuta eſt. Omnino VIII CIↃ delectorum militum in caſtris Philippicorum numerabantur, praeter equitatum; quos obſeſſi, ſpe citius ſe circumventos videntes, cum vi non amplius pelli poſſe cernerent, ad artes verſi, inciſis aggeribus in campos jam reſtagnanteis per aeſtum mare inducere conati ſunt, quo aquae dulcis uſum eis adimerent: ſed inſtauratis ſtatim aggeribus conatus exitu caruit. Tum longius a tertio munimento, quod Philippici occupaverant, aliud ad [l] Pauli-fanum, quod tormenti jactu ab illo diſtat, inter hortos loco edito ſtruitur. Reliquus exercitus in [m] Waſia locis idoneis diſpoſitus, et Albertus cum robore equitatus ad Nicolai-fanum hoſpitium ſibi ſumpſit. Moeriſianum

muoimentum

INTERPR. [a] *le colonel Teſchlinghe.* [b] *de Belgioioſo.* [c] *Trevico.* [d] *ceux du fort de Moer-Pottey, & Nivelt.* [f] *Campen.* [g] *Santberg.* [h] *Zuniga, & Velaſco.* [i] *Wallons.* [k] *la Coquelle.* [l] *le polder de S. Pol.* [m] *Pays de Waes.*

CIƆ IƆ XCVI.
HENRICUS IV.

munimentum Philippicis ante omnia capiendum erat; alioqui fruſtra in obſidione laborabatur, difficili non ſolum annonae, ſed etiam tormentorum et apparatus bellici ſubvectione, quamdin illud et Naſſovianum, quod inter Axelam et Hulſtum ſtructum erat, in poteſtate foederatorum eſſet. Igitur ad ea verſus impetus, ſecuro ab Anglis, quorum vires in [a] Gaditana expeditione occupatae erant, et a rege ipſo, qui interim ad interiora regni venerat, limite. Dum in eo ſunt, nocte, quae VI Eid. Quintil. praeceſſit, eruptione a praeſidiariis cum interulis facta acriter pugnatum fuit; tandemque illi a Philippicis intra oppidum compulſi: ſed, recenti milite ſummiſſo, reſtitutum denuo certamen, ita ut pari utrinque damno diſceſſum fuerit. Triduum poſt a [b] Burlota cum IƆC productum vallum in tumulo, et egregie firmatum. Interea in tranſvehendis tormentis laborabatur; quod vado adeo humili cum commode fieri non poſſe crederetur, inventa eſt ratio, qua, praeter opinionem obſeſſorum atque adeo Philippicorum ſpem, res exitum ſortita eſt, ſtructis pontonibus planis, qui carinam ita explicatam habebant, ut pondus accipere et vehere poſſent. III initio traducta, poſtea operarum vi in loco ad munimentum pulſandum deſtinato collocata; et totidem ex munimento in tranſitu prius occupato deducta, et adverſus Moeriſianum directa: eorumque diſploſione confractae duae tormentorum, quae in eo erant, rotae, ita ut nullo uſui deinceps fuerint. Inde ſecura per pontones navigatione reddita, alia atque alia tormenta traducta. Exterius Moeriſiani munimenti labrum praeſidiarii numero circiter CXL, inciſo aggere medio, tuebantur, eoque in loco tumulum firmaverant; cumque in aperta oppugnatione periculum ſubeſſe cerneret Burlota, aſtu rem conficere ſtatuit; et XV Kal. Sextil. ſub veſperam duo Italorum ſigna, ducibus Octavio Spina et Latino Florido ex [c] Pratae comitibus viro ſtrenuo, mittit, qui vim ad tumulum inopinato facerent: eodemque tempore mari recedente per campos aqua reſtagnanteis C ſariſſophori Germani, duce Hieronymo [d] Sambante, ad exterius labrum procedere et ſtationarios impetere juſſi. Magna utrinque contentione certatum, hinc Juſtini Naſſovii vicario, hinc Latino [e] Florido graviter vulneratis. Tandem occupato tumulo, praeſidiarii, qui labrum exterius propugnabant, ceſſere. Albertini jam aggeris potentes eum inter oppidum et munimentum inciderunt, ita ut auxiliares commeare non poſſent. Tum directa tormenta, quae ſtructas ex terra friabili munitiones non ſolum facile diſſolvebant, ſed dejecta terra aſcenſum enitentibus facilem praebebant. Jamque pontonibus ſtratis Galeotus Marcellus et Floridi cohortes poſt ruinam editam ad oppugnationem ſe parabant, cum defenſores, praeciſa omni auxiliorum ſpe, linqui animo coeperunt, et ante vim tentatam praemature deditionem fecere, cum armis et ſignis explicatis dimiſſi. Quod admodum graviter tulit [f] Solmenſis, et paulum abfuit quin de [g] Beurio loci praefecto poenae ſumptae ſint; qui tamen ſe invito et a milite tumultuante factam deditionem excuſabat, culpamque in Friſios praecipue rejiciebat. Pridie quam id actum IV ex praeſidio Bergenſi equitum alae, fratrum [h] Regiorum, Boſci et Donki, in inſulam per [i] Campenam ingreſſae CCC circiter Hiſpanos pabulatum emiſſos interceperunt; et tribus molatrinis incenſis, ut Albertinis incommodarent, ad ſua reverſi fuerunt. Creſcente ubique in caſtris omnium rerum penuria, eo magis accelerandum rati duces, trans oppidum, inter Naſſovianum munimentum et Axelam, Alfonſum Mendozam cum ſua legione et IƆ Germanis ac totidem Belgis miſerunt, qui ſe in aggere munirent, et tranſitum Axela Hulſtum petentibus intercluderent. Non citra periculum res geſta, tormentis ex oppido et Naſſoviano munimento venienteis infeſtantibus. Tandem arctius cingi oppidum coeptum, attributa tribunis ſingulis regione propria. Burlota et Trivici marchio aggerem

Moeriſianum

INTERPR. [a] *de Cadix.* [b] *la Bourlote.* [c] *Prata.* [d] *Saibante.* [e] *Florido.* [f] *le comte de Solms.* [g] *Beauvry.* [h] *de Roux, du Bois, & de Donck.* [i] *endroit appellé Campen.*

CIƆIƆXCVI.
HENRICUS IV.

[a] Moeriſianum ſervabant cum Belgica et Neapolitana legionibus, nec non Alfonſi Riberae cohorte, et CL delectis Hiſpanis ex Antuerpiana et Gandenſi arcibus in caſtra miſſis; quos a tergo defendebat Germanica legio, ad annonae, tormentorum, et bellici apparatus cuſtodiam deſtinata. Infra canalem juxta [b] Fontanum propugnaculum ſtabat [c] Sequanica legio duce [d] Griſea regulo, cum valida militum ex aliis legionibus delectorum manu: ad ſeptentrionem verſus [e] Pauli-fanum II legiones Hiſpanae Velaſci et Sunicae hoſpitium habebant. Juxta canalem veterem Ant. [f] Coquelius et [g] Buquoii comes, et Mexiana legio, cui per tribuni abſentiam Hieronymus [h] Monregius praeerat, conſederant. Praeſidiarii contra tormentorum diſploſione Albertinos undique infeſtabant, Solmenſi, quamdiu per valetudinem licuit, omnia militaria munia ſedulo obeunte. Sed, accepto in crure vulnere, dum domi ſedet, Jo. [i] Pironus, qui tribus aliis tribunis, Joanni [k] Eemondano, [l] Takhetingio Ludovici Naſſovii vicario, et [m] Dorpio Zirixeae ammiralio, ab eo praepoſitus fuerat, treis cuneos ſub pomoerio excavat; ex quibus crebras eruptiones faciebat. X Kal. Sextil. acriter eruptione pugnatum ad vallum quod [n] Trivicus tuebatur, vallumque ipſum aliquandiu occupatum fuit, capto in eo Jo. Dominico [o] Spingardello ordinum ductore. Poſtea erumpentes in media luce ex Naſſoviano munimento praeſidiarii ad A. Mendozae propugnaculum vim fecerunt, et tormentum clavis confixerunt, LX circiter ex Hiſpana legione occiſis. Exeunte demum Julio, cum de Anglorum proſpero ad [p] Gadeis ſucceſſu nuncium accepiſſent, inſolita tormentorum diſploſione laetitiam publicam teſtati ſunt; quae, Pirono, dum in pomoerio vices obit, graviſſime vulnerato, mox mutavit, quod in ejus diligentia Solmenſis ipſe ex vulnere aeger magnum praeſidium reponeret. Eo extra oppidum ad vulnus curandum elato ſuffectus eſt Dorpius. Interea [q] Ronaei juſſu ad [r] Beguinarum portam promotum vallum, et foſſa ab ea parte occupata. Sed obſeſſi contra ſubterraneos ſpecus excavaverant, ut, ſi hoſtis porta potiretur, igne injecto mox inde dejiceretur. Intus autem foſſam lunae ſpecie duxerant, in qua pariter ut in portu occupando Hiſpanis periculoſum certamen reſtabat. Rebus a Ronaeo ad oppugnationem inſtructis per biduum continuata verberatio; cumque in eo eſſet ut vim tentaret, dum ſub tentorio a Velaſcianis pro vallo ſuo non ſatis caute erecto, quippe quod ad ictum tormentorum ex oppido indeſinenter fulminantium patebat, munia inter tribunos et ordinum ductores diſtribuit, pila ferrea in caput adacta ſubito interfectus eſt, incredibili ſui cunctis nationibus, quae in Philippi caſtris merebant, relicto deſiderio. Ex praenobili Saviniorum in Lotharingia familia ortum habuit, in Gallia educatus, ubi et uxorem Jacobi [s] Angluriae Etaugiae vicecomitis filiam et heredem duxit. Alençonio, cum res apud nos turbarent, et poſtea cum in Belgium profectus eſt, operam navavit. Dein, mortuo eo, ad Lotharingos ſuos rediit: et, cum per has defectiones Philippus non ſolum rerum noſtrarum arbitrium ſed ſummum imperium ſibi ſumpſiſſet, Hiſpanis ſe totum mancipavit, Parmenſi primum, dein Petro Erneſto Mansfeldio comiti et [t] Fontano ac ipſi Alberto, ob militarem laudem percharus: praeſentia ingenii in explicandis negotiis, ſagacitate in hoſtium conſiliis indagandis praeſtans, et caſtrorum metationis ac expugnandorum locorum ſua aetate, vel Hiſpanorum alienae gloriae fere invidentium confeſſione, peritiſſimus dux; quippe ejus ductu ac conſilio Parmenſis in Gallia, et Fontanus et Albertus in Belgio, res praeclaras, eo ſublato nihil memorabile Hiſpani poſtea geſſere. Ad haec varios et diſpares mores attulit: fuit enim vafritie in miſcendis rebus ac calliditate inſigni, fidei datae, niſi quatenus jurantis intererat, contemptor, rectique et honeſti ſummus deriſor, ſui negligens, alieni

profuſus;

INTERPR. [a] *de Moer.* [b] *le fort de Fuentes.* [c] *le regiment des Franc-Comtois.* [d] *de Griſe.* [e] *le poldre de S. Pol.* [f] *la Coquelle.* [g] *Bucquoy.* [h] *de Monterey.* [i] *Piron.* [k] *d'Egmond.* [l] *Tacketinck.* [m] *le capitaine Dorp amiral de Zirickzee.* [n] *le marquis de Trevico.* [o] *Spingardello.* [p] *Cadiz.* [q] *Saugny de Roſne.* [r] *le porte des Beguines.* [s] *d'Anglure vicomte d'Etauges.* [t] *le comte de Fuentes.*

CIϽ IϽ XCVI. HENRICUS IV.

profuſus; pacem in damno, publicas calamitates in lucro reputabat; amicitias commoditate et voluptate ſola metiens; ut extra belli neceſſitatem haud magnam in eo jacturam factam arbitrarentur, qui hominis mentem penitius noverant. Summus honos mortuo ab Alberto habitus, magnaeque ac principe viro dignae exſequiae Bruxellis celebratae. Vidua autem XV CIϽ aureorum penſione initio donata, et ad aes alienum diſſolvendum praeſenti pecunia XXX CIϽ aureorum numerata, ut hoc egregio gratitudinis ac beneficentiae regiae exemplo liberi ejus eandem voluntatem ſervarent, et alii ſpe paris gratiae invitarentur. Tanto duce orbato exercitu, non tamen ſe belli duces deſeruere; ſed Alberti juſſu, qui ſub id Nicolai-ſano ad Fontanum munimentum venit, a Ronaeo deſignatam oppugnationem eodem die aggreſſi ſunt. Velaſcus angulum objecti propugnaculi poſt acre certamen cum ſuperaſſet, ſtationem in eo firmavit. Trivici marchio, nam Burlota ex vulnere aeger aberat, non eodem ſucceſſu pugnavit, a [a] Cordo [b] Potei vicario gnaviter rem gerente repulſus; ſatiſque habuit ad pedem propugnaculi, quod tentaverat, ea nocte ſtationem fixiſſe; ubi cuneum tanta feſtinatione duxit, ut poſt biduum, angulo in altum vi pulveris nitrati rotato, et praeſidiariis XX circiter diſcerptis, ſtationem ſupra induxerit. Sed mox cuneo, quem obſeſſi intus duxerunt, ignem concipiente, plures ex Neapolitanis diſcerpti: nihilominus ad extremum loco potiti ſunt. Demum Eidibus Sextilibus acriter utrinque pugnatum, Naſſoviani munimenti praeſidiariis ad pellendum hoſtem egreſſis, et Hiſpanis pro victoria retinenda egregie certantibus; eoque in conflictu Ludovicus Manrices deſideratus, et cum eo Octavianus Spina et Octavianus Thomaſſinus Neapolitani. Latinus Floridus, quantumvis graviſſime majoris ſcloppeti ictu laeſus, poſtea convaluit. Inde feſtinatae ubique operae, et in foſſa aquae derivandae incilia excavata. Tum ad Trivici vallum V tormenta, in [c] Coquellii regione VIII, in Velaſci VII, in foſſam directa; aliaque idoneis locis diſpoſita, quae, vadente ad ruinam milite, ne a defenſoribus infeſtaretur prohiberent. Summa oppugnatione ad XVII Kal. Sept. ab Alberto pronunciata, poſt acrem verberationem cum obſeſſi per tubicinem propoſitis honorificis conditionibus deditionem facere juberentur, [d] Solmenſis generoſe recuſavit, tubicinique reſpondit; Hiſpani, quantum in ipſis eſſet, ſumma omnia ad victoriam facerent; etiam ſe extremam pro defenſione vim pati paratum. Tum miſſi qui ruinam inſpicerent: ſed cum referrent, militi difficilem adhuc in eam aſcenſum ſuperare, et aquam adhuc in foſſa reſtagnare, egregieque animatos praeſidiarios ad defenſionem ſe parare, quippe qui ex ignis indicio tormentorum vim caute vitantes per intervalla in pomoerium citra perniciem comparere didiciſſent; igitur in concilio belli ducum re agitata, ex Camilli Caraccioli [e] Avellini principis, qui quae referebantur confirmabat, ſententia, oppugnatio ab Alberto dilata, periculum verito, et bis mille amplius toto obſidionis tempore ex ſuis deſideratos comperiente; proſpectumque, ut tormenta propius admoverentur, et, diſcuſſis quae ſupererant munitionum pinnis, irrumpenti militi nihil in latus aut a fronte nocere poſſet. Albertus, qui videret, ſi obſidio longius extraheretur, intercludendum eſſe commeantibus Axela auxiliaribus ad Hulſtum acceſſum, eo proceſſerat, ut commodum munimento exſtruendo locum deſignaret: ſed mox a Trivico monitus obſeſſos colloquium poſcere, acceptis a Solmenſi, Erneſto Caſimiro Naſſovio et Jo. Ecmondano obſidibus, [f] Trivicum et Sorae comitem in oppidum miſit, qui cum Solmenſi de deditione tranſigerent. Tandem XV Kal. Sept. in has conditiones conventum: Ut Solmenſis cum omnibus belli ducibus incolumis dimitteretur, ſignis explicatis, ad tympani pulſum, funibus accenſis et pilis in ore, et in tutum, ſi per terram

INTERPR. [a] *la Corde.* [b] *Potey.* [c] *la Coquielle.* [d] *le comte de Solms.* [e] *d'Avellino.* [f] *le marquis de Trevico, & le comte de Solre.*

CIↃ IↃ XCVI. HENRICUS IV.

terram iter facere vellet, deduceretur, commodatis ad id carris; Hulſtum et Naſſovianum munimentum viciſſim tradere teneretur: Trivici legio in ruina interim ſtationem haberet, neque ultra progrederetur, donec praeſidiarii exiiſſent, Trivicuſque ipſe et Sorae comes obſides manerent: capti obſidionis tempore, qui de pretio nondum conveniſſent, utrinque libertati reſtituerentur: liceret oppidanis quo vellent abire citra moleſtiam cum omni ſupellectile, et intra anni ſpatium latifundia et mobilia vendere, et poſt annum eorundem poſſeſſionem retinere, et per procuratores adminiſtrare, modo in loco neutri parti addicto domicilium fixiſſent: qui vellent libere in oppido manerent, et bonis ſuis ſecure fruerentur, modo ne cui offenſionis cauſam darent, et fidem quam debent regi ſervarent: praeteritorum oblivio ſanciretur, neque cuiquam periculum ob id crearetur; privilegiis et immunitatibus, quibus antea uſi fuerant, ſalvis: exules, et qui ob quamcunque cauſam ſolum vertiſſent, his conditionibus comprehenſi intelligerentur, hiſque domum redire liberum eſſet. Cum Solmenſis aqua devehi ſive commodius ſive tutius duxiſſet, biduum dilata deditio. Ubi in Bataviam cum ſuis appulit, varie affectis ob ſucceſſum animis varii quoque ſermones ſparſi; aliis Solmenſi ſuccenſentibus, quod praeptopere deditionem feciſſet, et militi nimis ſe facilem ea in re praebuiſſet; aliis prudentiam et ſolertiam laudantibus, qui obſidionem, quamdiu citra manifeſtam perniciem licuiſſet, in longum extraxiſſet, et poſt omnia ſumma ad defenſionem facta captato tempore, antequam ad extremas anguſtias redactus miſericordiam victoris implorare cogeretur, leges deditionis dixiſſet potius quam accepiſſet, flore veteranorum, quos penes ſe habebat, ſervato. Certe ſic exiſtimabant Hiſpani, nullum ſtrenui ducis ab eo praetermiſſum officium, et ita conditionibus perſcriptum erat; pluſque oppiduli illius, quam [a] Caleti et Ardeae, quorum tanta fama erat, expugnationem Alberto conſtitiſſe; nec optandum eſſe, ut aliis in expeditionibus tanti victoriam redimerent. [b] Biſſa loco impoſitus cum valido praeſidio ad prohibendas Axelenſium excurſiones, qui mox ruinas et aggeres perfoſſos feſtinatis operibus ſarcivit. Inde Albertus Antuerpiam revertitur, ubi triumphali pompa ob rem feliciter geſtam exceptus eſt. Tum diſtributus per praeſidia miles, et pars equitatus in Lucemburgicum agrum miſſa. [c] Melzius eques cum ſuis in [d] Sicambros, alii in [e] Atrebates venerunt, ut ſe cum Marco [f] Ria Varamboni marchione conjungerent.

XI. IN limite relictus a rege fuerat Bironus cum CCC circiter delectis equitibus, qui continuis excurſionibus hoſtem fatigabat, Imbercuria in limite occupata. Tam exiguo numero ſibi illudi indignatus Varambonus viribus longe ſuperior, quippe qui IↃC equites ſecum trahebat, ineunte Septembri in Bironum haud longe a Pauli-fano incidit; qui [g] Santandreano vico veniens, relicto poſt ſe Jo. Bapt. [h] Severolio, cum LX equitibus ſolus pugnae principium fecit, et aliquandiu ambiguo cum [i] Montiſcuculi comite, qui primum agmen ducebat, eventu certavit, donec ſupervenientibus ſuis omnem hoſtilem equitatum in fugam vertit. Jo. Jacobus [k] Bellijoci comes, cum ultimus in veſtigio fortiter pugnans manſiſſet, ad extremum ſolutis et diſſipatis ubique ordinibus, et acceptis aliquot vulneribus, fuga quoque ſibi conſuluit. Caeſi ſive capti circiter CC. Varambonus et Montecuculus in Bironi poteſtatem venerunt; et ad regem, cum [l] Rotomagi eſſet, deducti, poſtea ſe grandi pretio redemerunt. Captae apud eum repertae literae, quibus de conjuratione contra regem inita fides fiebat: quod ille quaſi ignarus excuſavit, neque propterea durius habitus, exſolutis LX florenorum CIↃ libertatem recuperavit. Poſtea [m] Pauli-fanum captum ac direptum: et cum ruſtici munitis templis ac turribus ſe defenderent, negata quae ab eo imperabatur pecunia,

variis

INTERPR. [a] *Calais, & Ardres.* [b] *le Sr de la Biche.* [c] *il cavalier Melzi.* [d] *Gueldre.* [e] *Artois.* [f] *de Rie marquis de Varambon.* [g] *le village de S. André.* [h] *Severoli.* [i] *Monte-cuculi.* [k] *Belgioioſo.* [l] *Rouen.* [m] *S. Pol.*

vsriis modis adflictati ſunt. Varamboni in locum Carolns [a] Croius Araſchoti dux ſuffectus ab Alberto fuerat; qui ubi [b] Rigiacum Atrebatum venit, Gallorum circa [c] Bapalmam, Curcellas, Benvilleriam ad praedas excurrentium injuriis irritatus, pone urbem copias in aciem inſtruxit. Tantum incendiis tunc graſſati noſtri praeda abacta ad limitem revertuntur, tertioque e veſtigio redeunt, et denuo praedas circa [d] Atiram, Betunam, et Tarvennae ruinas agunt: et cum in [e] Agincuriae campis aciem inſtruxiſſent, nemine inſequente praedam avexerunt. Araſchotanus, acceptis IↃCCC ex Burlotae legione peditibus, Rigiaeo profectus, circa Pauli-ſanum caſtra munivit: quem Bironus praetergreſſus Nonis Octobribus ad Rigiacum deflexit, et juxta [f] S. Eligii coenobium in propinquo conſedit, ac ſexto poſt die ſub [g] Duaci portas excucurrit; et, jam inclinata tempeſtate, in interiorem limitem abacta ingenti praeda ſe recepit. Sub id ſolemnis ſeditio inter Italos, qui in [h] Caleti praeſidio erant, ob negatum ſeu dilatum ſtipendium orta, [i] Electo etiam creato; quae vix tandem capto Electo diu poſt componi potuit. Cauſam ſeditioni dediſſe penſionum, quae negotiatoribus in Indiis et Hiſpania aſſignatae fuerant, revocationem creditum fuit: ſiquidem diplomste XII Kal. Dec. [k] Pardi ſubſcripto Philippus, ingentia debita et ſumptus, quos pro orbis Chriſtiani ſalute faeere in dies cogitur, maximos cauſatus, non aliam belll et aliis imperii neceſſitatibus ſubveniendi rationem iniri poſſe declaraverat, quam ſi injuſtis ac gravibus uſuris oppreſſum aerarium levetur; quarum proinde curſum in poſterum ſiſtit, revocatis penſionibus ex quacunqne cauſa negotiatoribus poſt decretum anni CIↃ IↃ LXXV et CIↃ IↃ LXXVII aſſignatis, eaſque in aerarium inferri mandat. Hnjus diplomatis publicatione triſtis nbique non ſolum in Italia et Hiſpania, ſed in Germania et Belgio, ac maxime Antuerpiae, Amſterodami, et [l] Mildeburgi facies; cum plerique mercatores verſuram facere et creditoribus ſnis decoquere cogerentur, et apochas ipſas Alberto ad exſolvendum militi ſtipendium ex Hiſpania tranſmiſſas menſarii teſtatione contraria interpoſita paſſim admittere recuſarent.

XII. NAVIGATIONES in orientem et per ſeptentrionem a Batavis circa hoc tempus ſuſceptas nnne exſequar. Superiore anno IV naves, quibus nomina indita, Mauritius, Hollandia, Amſterodamum, [m] Columbula, ſub titulo ſocietatis longinquae, Jo. [n] Janſonio, Jo. [o] Dignunio, Joanne [p] Jacobo Schellingero, Simone [q] Lambertio naucleris, tormentis et hominibus CCXLVIII egregie inſtructae, IV Non. April. Texela ſolverunt; et, curſu totum menſem et ſeqnentem continuato, pridie Nonas Junias lineam aequinoctialem flante caecia tranſierunt; et VI Kal. Sextil. ſub altitudine XXXVIII graduum alterius poli ad ſubſolanum et meſocaeciam cum vela direxiſſent, morbi genere, quod ſcorbutum vocant, graviter sdflictati, quarto poſt die arundines tubi-formes cum radicibus eminus fluctuare conſpicantur, certiſſimo indicio haud longe abeſſe promontorium Bonae Spei. Itaque propius accedentes Nonis Sextilibus ln terram exſcenſionem faciunt, aquae dulcis copia abundantem, ceterum nullis arboribus fructiferis, non citriis et hujuſmodi malis, conſitam: pſitraci et cercopitheci ibi frequentes. Homines carnibus crudis et inteſtinis minime purgatis veſcuntur, ob idque deformes et ſpiritu graveolenti. Loquentes glociunt ore, ut gallopavones et gallinae Numidicae; bovilla pelle veſtiuntur ſuperiora corporis tegenre: pars inferior nuda, tantum pudenda alicujus animalis cauda velant; nonnullis pellis teſſellata pro ornatu eſt: arma ipſorum haſtae longae lato ferro praefixae. Interiora habitant: itaque tuguria eorum Batavis videre non licuit. Gibboſi apud eos boves, oves optimi ſucci, carnoſa adeo cauda, nt quartae apud nos ovis parti praeponderet.

Ferri,

INTERPR. [a] *de Croy duc d'Arſchot.* [b] *Arras.* [c] *Bapaume, Courcelles, & Benvilliers.* [d] *Aire, Bethune, & Terouenne.* [e] *Azincourt.* [f] *l'Abbaye de Mont S. Eloy.* [g] *Douay.* [h] *Calais.* [i] *Eletto.* [k] *Pardo.* [l] *Middelburg.* [m] *le Pigeon.* [n] *Janſſen.* [o] *Dignuns.* [p] *Jacob Schellinger.* [q] *Lambert.*

CIƆ IƆ XCVI. HENRICUS IV.

Ferri, quod barbaris illis gratiſſimum, permutatione comparatae boves et oves. Inde III Non. Sept. inſulam [a] S. Laurentii, quae aliis Madagaſcar dicitur, ſub XXVI graduum altitudine appulerunt, ardeis crebris aliiſque avibus litus circumvolantibus frequentem. Ut amica omnia ad promontorium Bonae Spei, ita hic infeſta, inſulanis incurrentibus et undique jacula in hoſpites jaculantibus; plureſque ex morbo in claſſe graſſante deſiderati, in iiſque Joannes Dignunius navis Hollandicae ductor, ita ut Coemeterium Batavorum ob id is ſinus vocatus ſit. Emiſſa liburnica, quae directe ſub tropico Capricorni navigans ſinum ingreſſa eſt VI Eidus Octobreis, rebus ad victum neceſſariis locum copioſum nacta, ceteroqui haud humaniore populo, quippe qui hoſpites ſpoliandi et inſidioſe invadendi nullam occaſionem praetermittunt. Robuſtis et expeditis in inſula hominibus color niger eſt; nudi incedunt, ſubligaculo goſſypino pudenda tantum tegentes. Foeminae velum altius ſubſtringunt, ita ut ubera pateant: ornatus illis armillae aeneae brachiis circumdatae; ſed ſtannum pluris aeſtimant. Boveis gibboſos et oveis itidem habent, non lanoſas, ſed piloſas, ut ſunt apud nos caprae, quarum ſingulae caudae XII libris pendebant: ejuſmodi tamen ſex oveis uno cochleari ſtanneo inſulani permutaverunt. De religione eorum nihil compertum, niſi quod circumciſi eſſent; ex eoque conjectura facta, quod Mahumetanae impietati addicti ſint. Dum Batavi inſulam S. Laurentii circumnavigant, ineunte hoc anno Nonis Januariis S. Mariae inſulam appulerunt ſub poli altitudine XVII gradnum. Ex ea lembis advecti in eurbe oryzam, aliquot arundines ſaccharinas, mala citria, et gallinam detulerunt, piſceis item et zingiber viride. In adverſo ad auſtrum ſinus vaſtus eſt [b] Anton-Gilli vulgo dictus, cujus rex comparuit, in capite bina cornua ex capillis contorta, in brachiis aeneas armillas habens, inferiora goſſypino linteo tectus. Homines nigerrimo colore, verum non criſpos capillos aut barbam, ut Mauri, aut labra tumida et nareis ſimas habent. Maxime ebrietati dediti ſunt, potuque utuntur ex melle et oryza cocto. Pro poculo longae illis arundinis pars in uſu, quae obturamento clauditur. Concinnant ſibi ſtoreas eleganteis, quibus inſident: domos ſine parietibus quatuor aut quinque palis fulciunt, et a terra duorum pedum altitudine ſuſpendunt, ut ſe a venenatis ſerpentibus et lacertis defendant. Sylvae citriorum apud eos crebrae, et copia dulcis aquae e montanis defluentis. Heic cum aliquandiu commorati eſſent Batavi ut ſe ex morbis reficerent, curſum perſequi inſtiterunt, in itinere ſiti praeter alia incommoda maxime afflictati, quippe intenſo aeſtu et aqua dulci deficiente. Tandem poſt quadrimeſtrem continuam navigationem, nulla in terram toto eo ſpatio exſcenſione facta, VII Eid. Jun. Taprobanae propinquarunt, quae vulgo Sumatra dicitur, et a celocibus obviis aliquantum dulcis aquae copia ſublevati ſunt. Miſſa in continentem liburnica ubi ad ſuos rediit, bono animo eos eſſe juſſit, Indicas nuces, melones, cucumeres, cepas, alia ſecum deferens; praeterea piperis aliorumque aromaticorum fructuum ſpecimina. Sumatrae prorex III Eid. Jul. ad naveis Batavas acceſſit turbinata cidari et chlamyde ac acinace Turcico indutus, truci vultu, parvis oculis, promiſſis palpebris, et rara barba, ita ut pili ejus numerari poſſent. Praelata a ſervis et miniſtris, qui cum comitabantur, umbella incedebat. Foeminae ac ſervi in caniſtro betclem portabant, quem dentibus aſſidue comminuere ſolent; eoque munere navarchos donavit, amicum animum prae ſe ferens.

XIII. HEIC ab inſulann, qui pretium pactus ultro in Mauritium ingreſſus eſt, via ad [c] Bentamam civitatem indicata, inter crebras inſulas curſus fuit, ac XII Kal. Quintil. Bentamam venerunt, in Java majore, quae exiguo freto ortum verſus tendentibus a Sumatra disjungitur; et, ut vero ſit ſimile, ob eam propinquitatem utriuſque inſulae aliarumque circumpoſitarum tanta magnitudo a veteribus Taprobanae afficta,

INTERPR. [a] *Iſle de S. Laurent.* [b] *Golfe d'Antongil.* [c] *Bantam.*

afflicta, ut eam Britannia majorem crederent. Bentamae prorex, miſſis qui de hoſpitibus percootarentur Luſitanis, cum cognoviſſet eos e Belgio negotiaodi gratia veniſſe, per eoſdem benigne reſpondit, veram Batavos terram piperis appulſos eſſe, et abunde piperis ſupereſſe ad onerandas ipſorum naveis; jam tempus ejus legendi inſtare. Poſtea infeſtos Luſitanos, qui eos non mercimonii cauſa, ſed tanquam exploratores, in inſulam pedem intuliſſe criminabaotur, experti, poſt quadrimeſtre, re non bene curata, Novembri ineunte diſceſſerunt. Sic autem de Bentama memorant; urbem eſſe Amſterodamo magnitudine parem, rivo treis pedes cum ſemiſſe profundo circundatam, et moenibus duorum pedum craſſitudine ex latere cocto fabricatis ac propugnaculis cinctam, tormentiſque aeneis, quibus tamen uti neſciunt, ſcilicet a Luſitanis eo advectis, munitam. Domus ex ſtramine et arundine ſtructae quatuor ſcapis inſident ſub nucibus quae cocos ferunt, myreſticas heic nuces vocamus, et quarum in urbe magna eſt copia. In iis divites cubicula habent, cortinis ſericis aut goſſypinis ſeparata. Tria in urbe fora ſunt, ad quae omnium nationum, ac praecipue Sinenſium, magnus fit concurſus ſingulis Januariis menſibus, porcellanica vaſa, ſericum, pannos damaſcenos, filum aureum, ſartagines magno oumero advehentium. Nucis myreſticae libra ſeſquidenario a Batavis empta. Templum in ea magnum ex ligno aedificatum, in quo ritu Mahumetano tenuiores ad preces conveniunt; nam divites in aedibus ſuis ſingula templa habent. Mahumetanam impietatem ante XXXV annos tantum populi amplexi ſuot, cum prius gentium ſuperſtitiooi addicti eſſent, ſicuti aiebant Sinenſes, qui miſere in ea urbe, ut Judaei inter nos, degunt, lucri cauſa nullum vile aut ſordidum miniſterium reputantes: nam aquam ardentem ex oryza nucibuſque Indicis magna diſtillant copia, quam Javani noctu ab ipſis emuot, et in arcano bibunt; nam lege ſua potu eo uti propalam prohibentur. Javani autem natura pertinaces ac ſuperbi ſunt; praeterea mendaces, furaces, ac perfidi. Plebs linteo goſſypino, ditiores ſerico praecinguntur, ſuperiore et inferiore corporis parte nuda. Mahumetanae ſectae addictiores cidarim in capite, quidam pileolum, geſtant; ceteri, qui plerique adhuc gentiles ſunt, aperto capite incedunt. Praeter pugiones, quibus pueri, juvenes, et ſenes cinguntur, parmas et haſtas longas gerunt, ac plerumque ſariſſas tubulis plenas, per quos ſagittas crebras exſufflant. Uxores quot alere poſſunt ducunt, ac inſuper pellices, quae raro pariunt; nam uxores toxico earum infantes in ventre necant. Leviſſima autem de cauſa uxores repudiantur, ac frequenter poſt quinque aut ſex dierum concubitum eae patri reſtituuntur. Majoris dignitatis matronae curioſe ab eunuchis cuſtodiuntur, ſervique ac reliqua familia affineſque a gynaeceo arcentur: illae autem totam noctem dentibus [a] betelem comminuunt, et habent ſervas, quae aſſidue jacentibus corpus fricant. Concubinae heras, cum in publicum prodeunt, tanquam pediſſequae comitantur, et arbitrio dominorum venduntur emunturque: nudis pedibus et intecto capite, niſi quod comam in nodum ſubſtringunt, vulgo incedunt: ſed, cum ad nuptias eunt, coronam auream in capite geſtant, ex auro obryzo nonnullae; et brachia armillis itidem aureis, nonnullae argenteis, ornant. Quinquies aut ſexies in die lavant, et quoties alvum exonerant, ſive mingunt, aut cum viris coeunt, toties in aquas profluenteis ſe immergunt; eoque fit ut aquae in urbe minus ſalubres ſint, quippe in quibus ſanae, morboſaeque, nec non etiam lue venerea infectae, promiſcue lavant. Itaque et multi ex Batavis aquae illius hauſtu perierunt. Deſides ſunt foeminae, totoque die nihil agunt, per mancipia et ſervos munia domeſtica obeuntes. Viri item in ſtoreis reſidentes deſidiam mulierum imitantur, betelem mandentes. X aut XII ex iis circumfuſas habent; cumque

INTERPR. [a] *Betel.*

cumque lotium reddunt, mox una ex illis pudenda abluit: et ita dies noctibus continuant, inter tripudia et ſervas choraulas, quae barbaro riti organa, ſambucarum noſtrarum inſtar, et pelveis aeneas interdum inconcinne pulſant. Piper circa urbem copioſum in arbores lupuli modo aſcendens, et oblongum per racemos creſcens, ita ut uva una cc grana emittat: primo viride, dein matureſcendo nigreſcit, et Sextili exeunte ac ineunte Septembri legitur. Tota Java crebris civitatibus et oppidis habitatur, totidemque regulos habet, qui continuis bellis ſe infeſtant. In ea praeter Bentamam memorantur praecipuae urbes [a] Ballambua, Panarucana, Paſſarvana, Joartana, [b] Gerricia, quae duae ſalinis nobiles ſunt; Surubaia, [c] Brandaona, Sidaia, [d] Juama, Patis, Tubana, Cajoana, Mandalica, Japara, Jacatra vel Sundacalapa, aliae. In inſula elephanti, rhinocerotes, crocodili, et majores teſtudines naſcuntur. Mures item ſomniculoſi, bubali, apri, boves ſylveſtres, cervi: denique cati, ſimiles iis ex quibus ſtrigmentum vulgo ziberum dictum in Guinea exprimitur; quod tamen apud Javanos in uſu non eſt. In ea reperiuntur animalia capite vulpino, corpore viverram referentia, pedibus ſimiae, quae arboribus inſident: ex volatilium genere pavi ſylveſtres, papagalli ſeu pſittaci, et crebra ſalacium paſſerum examina. Betelem, quae piperis inſtar, aut hederae lupulique, arboribus adhaerens creſcit, et [e] Arecam, quae dactylorum ſpecie in praealtis arboribus naſcitur, aſſidue mandunt. Apud eos et naſcuntur Mangas, Samaca, Annanas, et Azevar, ex quo aloë vulgaris conficitur: Talaſſa, papyrus, Cubebe, Aſſa Doriana, myrobalani, lacca, cinnamomum ſive canella, caſſia fiſtularis, [1] carcapeli, palmar, coſtus Indicus, calamus aromaticus, piper longum, [f] Santalium lignum, [g] Camphora in paſtillos coacta ex circumpoſitis inſulis Bentamam advehitur. Batavi poſt trimeſtre, livore Luſitanorum interdicto omni commercio, ad [h] Cidanum IV Non. Dec. appulerunt, et caryophylla, nuces odoratas, aliaque bellaria a rege miſſa acceperunt; et inter alia avem Emem ab indigenis vocatam, mirabilis formae ac naturae, quam ipſi Amſterodamum vivam poſtea advexerunt. Ea duplo cycnum magnitudine excedit, colore nigro, penniſque nigris tegitur, ex ſingulis earum ordinibus binas pennas grandiores emittens, ſtruthionis pennis pulchritudine pares. Peltam veluti in capite pro criſta habet: alis caret, et, quod mirabilius, lingua: proinde quicquid ore accipit ſtatim deglutit, pomumque pugni magnitudine vorat, prunaſque ardenteis; [2] glaciei item fruſta et ferrum illaeſa tranſmittit. Heic cum de Molucis petendis conſilium initum eſſet, tandem domum redire placuit, plus de ſalute propria quam de lucro jam ſolicitis navarchis.

XIV. EODEM hoc anno tentata tertia, majore quam antea rerum mole, per ſeptentrionem navigatio, haud feliciore quam antea exitu: et, quanquam non Ordinum ſumptu ſuſcepta eſt, tamen navigaturis idonee cautum fuit, ſi ſucceſſus exſpectationi reſponderet, ut impenſa ex aerario ſarciretur, et ad impenſam publicae liberalitatis teſtimonium accederet. Igitur duae naves inſtructae, Jacobo Heemskerkio Henrici filio et Joanne [i] Riipo Cornelii filio navarchis: Gulielmus Barentſonus, jam ſuperioribus navigationibus expertus, delectus nauclerus; aſſumptique fere juvenes extra maritos, ne conjugum charitate et patriae repetendae deſiderio tam cito tangerentur. Cum Amſterodamo VI Eid. Maias ſolviſſent, curſu eurum-boream verſus continuato, poſtquam Iſlandiam aliaſque inſulas ad laevam reliquerunt, Kal. Junii ad LXIX graduum et XXIX ſcrupulorum altitudinem nullam noctem habuerunt. Quatriduo poſt ad LXXI altitudinem progreſſis parelii tres apparuere, variaeque irides parelios interſecantes, quarum inferior ſupra horizontem XXVIII gradibus attollebatur.

Inde

INTERPR. [a] *Ballambuan, & Panarucan.* [b] *Gerrici.* [c] *Brandam.* [d] *Juama, Patis, Tuban, Cajoano, Mandahcan, Japara, & Jacatra.* [e] *Arek.* [f] *Sandal.* [g] *Camphre.* [h] *Cidas.* [i] *Riip fils de Corneille.*

NOT. [1] Carcapeli fructus eſt ceraſi magnitudine, inſulam Sundam proventu ſuo nobilitans. *Put.* [2] *Lege* vitri.

Inde [a] Veigatio ſinu ad dextram relicto, quem declinare omnino illis conſtitutum erat, in mare congelatum perrexerunt; glaciemque eminus conſpicati cycnos rebantur, donec in medias glacies delati, quaſi in anguſtiis in medias terras navigantes, horridis periculis conflictati ſunt ſub altitudine poli LXXIV graduum. Progreſſi dein XXX ſcrupulis inſulam appulerunt V Eid. Junias, quae, ut ipſi conjecere, V leucarum ſpatium complectitur. Heic rurſus cum urſis albis certamen fuit, ob idque inſula urſorum a Batavis dicta. Inde [b] Groënlandiam verſus curſum intenderunt, et XIII Kal. Quintil. ad altitudinem XXC graduum pervenerunt, vento adverſo, quo minus in terram exſcenſionem facerent, prohibiti. Pergentibus cum inimico urſo albo ad naves natatu allapſo res fuit; quem vix tandem haſtis, contis, et ſcloppetis repulſum caeſum poſtremo interfecerunt, et pellem XIII pedes longam mortuo detraxerunt. Heic paſſim ova gaviarum cinericearum, quod genus eſt avium palmipedum, reperta; anſerum item, quos a vocis ſono [c] Rotganſenos vocarunt, prorſus iis ſimilium qui [d] Wiringenae in Batavia magno numero capiuntur. Quia vero ubi locorum incubarent minime conſtaret, quidam auſi ſunt affirmare, apud Caledonios in Scotia ex foliis arborum in aquas cadentibus hujuſmodi genus anſerum progigni. Nunc per hanc navigationem cum de veritate conſtet, magna gratia a rerum naturalium ſtudioſis habenda eſt iis, per quos illud de foliorum in aveis metamorphoſi figmentum, quod multis huc uſque impoſuit, penitus evanuerit. Tractus ille ſub XXC graduum altitudine poſitus, quem Groënlandiam eſſe putant, herbis paſcuis viret, habetque animalia ſicuti rangiferi cervi ſunt, quae ex iis aluntur; cum Zembla Nova, quae tantum ad LXXVI graduum altitudinem aſſurgit, prorſus omni herba careat; ut vitium ſoli potius quam coeli illud eſſe appareat. [e] Valruſſeorum et dentes, de quibus alias diximus, in eo tractu reperti, quorum duo libris ſex pendebant. Demum Kalendis Quintilibus ad altitudinem LXXV graduum cum navigarent, naves duae iter dividunt; et Riipus ad LXXX graduum altitudinem ſeptentrionem verſus curſum perſequi, Heemſkerkius inferius auſtrum verſus ire inſtituit. Inde V Eid. Quintil. promontorio [f] Candinarum ſuperato, ubi mare album ſive congelatum incipit, ad Zemblam Novam deflexerunt juxta [g] Lombsbaiam; et XIV Kal. Sextil. ad [h] Crucis inſulam appulerunt, quo minus ulterius progrederentur, glacie hinc inde premente in arctum coacti. Tandem, [i] Naſſovium promontorium ſub altitudine LXXVI graduum praetervecti, glaciem fluitare ubique conſpicantur; parumque a pernicie navis abfuit, vi cumulorum congelatorum fere inclinata. Quo periculo defuncti, cum infeſtis urſis natatu ad navem appellentibus ſaepius certarunt, et tandem ad [k] Vliſſingenſe promontorium venerunt; et, exſcenſione demum Nonis Septembribus in terram facta, per treis ex navicula riis binarum leucarum ſpatium emenſis cognitum, aquae dulcis amniculum in continente eſſe; et magna lignorum ſtrues reperta, aeſtu maris in litus rejecta. Praeterea crebra caprearum ſylveſtrium et alcium veſtigia illis viſa: quod ita eſſe ex forma pedis conjectabant. Quatriduo poſt ningere coepit, et glacies IV pedum altitudine navem circundedit. Tandem communi omnium ſententia placuit, quando eo uſque progreſſi eſſent ut citra certum naufragii periculum domum redeundi eo anno facultas non eſſet, illo in loco caſtrum ſtruere, quo a frigore et ferarum immanium peſte ſe defenderent, et illius regionis ac coeli tempeſtates commodius obſervarent, quo uſque vere appetente aut ulterius navigationem perſequendi, aut, ſi per locorum inclementiam aut alias incommoditates negaretur, patriam repetendi, conſilium inirent. Itaque, ligno ex illa ſtrue vix magno negotio per nivem et glaciem comportato, coeptum et fabricatum opus; in eamque ingreſſi primum Batavi IV Eidus Octobreis,

CIↃ IↃ XCVI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Golfe de Weygatz.* [b] *Groenlande.* [c] *Rotganſen.* [d] *Wieringen.* [e] *Valruſſes.* [f] *le cap de Candinas.* [g] *Lombſbay.* [h] *l'Iſle de Ste Croix.* [i] *le cap de Naſſau.* [k] *le cap de Fleſſingue.*

CIƆ IƆ XCVI. Octobreis, nondum ſtructo camino, ita ut ignis accendi non potuerit; quo factum,
HENRICUS IV. ut tam denſa ubique nive et intenſo frigore multum adflictati ſint. Conſtrata ex tabulis caſa velum ſuperimpoſitum, et, ne vento diſturbaretur, arena injecta ſaburratum fuit. Tum horologium, quod pulſu horas indicabat, inſtructum, et lampas accenſa, quae tota nocte arderet, ex ſebo urſino ad id commoditate ſuppeditata: nam urſi maxime tunc adipoſi, adeo ut ex uno ab illis mactato C librae expreſſae ſint. Tandem ſol, qui in XI gradibus et XLVIII ſcrupulis Scorpii erat, paulatim imminui, nec amplius ſupra horizontem apparere coepit, atque omnino defecit pridie Nonas Novembreis; continuaque nox ab eo tempore fuit, eoque frigus intentius. Ex chirurgi conſilio balneum ad reficiendas ex praeteritis laboribus vireis paratum. Cum ſole pariter urſi immanes, a quibus tantopere infeſtabantur, evanuere, eorumque in locum vulpes albae lucifugae ſucceſſerunt; quas decipulis captas, aut ictibus ſcloppetorum ad lunae ſplendorem interfectas, ad eſum ſeponebant: erat enim boni ſucci illarum caro, cuniculorum ſaporem prorſus referens; ex pellibus quoque earum pilei confecti. Exeunte Decembri panni et linteamina inter navicularios ab Heemskerkio diſtributa; et contra frigus adeo intenſum cum ignis non ſufficeret, ac plerumque fumus venti violentia intra caſam glomeratus incluſos paene ſtrangularet, lapides calefacti, et ad pedes cujuſque jacentium poſiti. Erat omnino frigus intolerabile, adeo ut vinum Hiſpanum generoſiſſimum in amphoris congelaretur, nec niſi ad ignes reſolvi potuerit. Calcei, albicantibus e pruina ligneis interioris caſae ubique parietibus, ita obrigebant, ut quaſi cornei pedibus aptari non poſſent. Ita ex ligno calopodia confecta, tam laxa, ut calceos pelliceos etiam triplices caperent. Cum ne ſic quidem frigori ferendo pares eſſent, ex ceſpitibus in nave adſportatis, qui vice carbonum ſunt, ignem accendi placuit, camino etiam et oſtiis, quo magis calor contineretur, obturatis: quod paene perniciem illis attulit, vapore ſpiſſo ſenſim vertigines ac poſtremo deliquia inducente. Verum unus inter eos, qui jam ex aegritudine decumbebat, ſemianimis repertus, vitandi ceteris periculi in exemplum fuit; qui ſtatim camino et oſtiis apertis ſpiritum recepere, prae violentia frigoris veſicis et ampullis per auriculas et os enaſcentibus. Tandem X Kalendas Januarias, cum ſol Capricorni tropicum, qui a linea aequinoctiali auſtrum verſus XXIII gradibus et XXVIII ſcrupulis diſtat, ingrederetur, Barentſonus altitudinem poli menſus eſt; et ſubducta ratione ex humero

CIƆIƆXCVII. dextro Orionis eum ad LXXVI gradus aſcendere reperit. Annum ſequentem inter eaſdem incommoditates iniere. Epiphania, ſolemni regis creandi ritu renovato, inter compotationes celebrata; regnumque ſorte obvenit tormentariae rei praefecto, qui rex Novae Zemblae, quae CC leucis in longitudinem inter duo maria patet, a convivis ſalutatus eſt, largiuſque vino propinato exhilarati totum biduum extractum: ac pridie Eidus Januarias denuo a Barentſono inita altitudinum ratio, coelo tunc forte ſereniore. Ex ſtella in Tauri oculo clara inter alias, quae ſupra horizontem XXIX gradibus LIV ſcrupulis aſſurgebat, declinatio XV graduum erat et LIV ſcrupulorum verſus ſeptentrionem aequinoctialem: quibus ex ea altitudine deductis remanent XIV integri gradus; quibus rurſus ex XC gradibus ſubſtractis, remanent pro poli altitudine LXXVI circiter gradus. Cum vero X poſt diebus navicularii, ut ſe orbis jactu exercerent, et torporem excuterent, egreſſi, lucem clariorem ſibi circa horizontem videre viderentur, nec longe ſolem abeſſe ex eo conjicerent, praeterea urſos per tenebras non viſos redire, vulpes nocte gaudenteis ad decipulas rarius confluere, animadverterent; Barentſonus tamen rei aſtronomicae valde peritus contradixit, et ſolem, qui tunc in V gradu et XXV ſcrupulis Aquarii erat, non prius ſub altitudine LXXVI appariturum, quam XVI gradus et XXVI ſcrupulos emenſus ſit, confirmavit. Tamen IX Kal. Feb. apparuit, cum pridie Nonas Novembreis prorſus evanuiſſet. Quod magnas inter rei

nauticae

nauticae peritos contentiones excitavit, cum in temporis putandi ratione alii erratum dicerent, alii exactum ſemper initum calculum affirmarent, et Joſephi [a] Scalae ephemeridum, quae Venetiis ante VIII annos publicatae ſunt, fide id demonſtrarent: ex iis ſiquidem conſtare Novam Zemblam ſub altitudine LXXVI graduum, in longitudine CXII graduum et XXV ſcrupulorum, ſitam, et Venetiis, quae in longitudine XXXVII graduum et XXV ſcrupulorum poſitae ſunt, ad orientem plus LXXV gradibus porrectam eſſe; ac LX longitudinis gradus, qui CC leucas ſolummodo efficiunt, ad [b] promontorium Tabinum atque extremum Tatariae angulum ſupereſſe; quo ſuperato paulum ſpatii ab [c] Aniano freto interjacere, atque inde meridiem verſus facilem ad Indias deſcenſum eſſe. Verum haec contentio facile petita ex optica ratione componi potuit: nam Barentſonus ex artis peritia loquebatur, et, quod alii ſibi videre viſi erant, ſol non erat; quippe qui nondum IX Kal. Feb. emenſus eſſet XVI gradus et XXVI ſcrupulos; quod tamen neceſſe erat, ut ſub altitudine LXXVI appareret. Sed ſolis imago erat in aëreo vapore, qui praeſertim locis illis propter tam diuturnam ſolis abſentiam non niſi ſpiſſus et denſus eſſe poteſt, refulgens; ſicque diu ante oculos ſpectantium repraeſentata, quum ſol vere appareret. Quod exemplo pelvis demonſtrare in promptu eſt, cujus in imo ſi quod auri alteriuſve hujuſmodi materiae fruſtum reſideat, quod ab eminus ſedentibus cerni non poſſit, aqua infuſa uſque ad labrum, imago fruſti illius in fundo reſidentis protinus in ſumma aqua apparebit, et ita in ſpectantium, quamvis in eodem veſtigio maneant, oculos incurret, ut rem ipſam vere ſibi videre videantur. Ab eo tempore Batavis rurſus cum urſis, qui cum ſole aut ſolis initio imagine redierant, et intenſiore ſemper frigore nivibuſque, quae caſam plerumque obruebant, res fuit: quotidieque, niſi violentia ventorum prohiberentur, ſedulo oſtia aperiebant; et aſſidue fodiendo, nive utrinque rejecta, limen purgabant, pleriſque in labore deficientibus. Quo ad Nonas Martias continuato, cum viderent glaciem circa navem non ſolvi, neque ſpem eſſe ut ea tam cito extricari poſſet, magnis anguſtiis conflictabantur; et, cum calceis coriaceis ob duritiem uti non poſſent, coactili ex galerorum panno detrito pedulia fecerunt: tandemque liberius VII Eid. April. egreſſi, ſolvi e longinquo glaciem et in cumulos fluctibus attolli conſpexerunt, tanta mole, ut oppida, montes, et cum munimentis turres in mari enatae viderentur. Tandem maria aperta, et a Kalendis Maii nulla nox ſub illa poli altitudine fuit. Tum procuratis balneo corporibus Batavi corpus a chirurgo exercere juſſi; moxque de reditu in patriam cogitare coeperunt. Nec Barentſonus valetudini diffidens abnuebat; ſed Heemskerkins navarchus contradicebat, et ineuntem Junium exſpectandum eſſe dicebat, ſi forte navem adhuc glacie obſeſſam extricare poſſet. Interea navem ſecundariam et ſcapham inſtrui placuit: et ſcapha, quia tutior, ſecari et longior effici coepta; quod, ut commodius ad navigationem, ita cum per glaciem vi contorum et operarum eam deduci oportuit, moleſtiam incredibilem miſeris Batavis attulit. Re omni praeparata Barentſonus et Nic. [d] Andreanus graviter aegrotare coeperunt; eoque magis maturatum: et cum mactato forte urſo ex ejus jecore avide comediſſent, periculoſo morbo correpti ſunt. Tandem purgatis itineribus navis et ſcapha refecta in mare deductae Eidibus Junii, nave principe ſemper inter glaciem haerente: qua proinde omiſſa cum Barentſonus, antequam caſa egrederetur, totius itineris rationem dietim explicatam breviculo complexus in camino appenſam reliquiſſet, XVIII Kal. Quintil. Deum propitium comprecati ſe rurſus cum nave ſecundaria et ſcapha mari commiſerunt, et foedis tempeſtatibus circa Arauſionenſeis inſulas et promontorium glaciale infeſtati, navibus quippe ſine tegumento ad coeli injuriam apertis,

CIƆIƆXCVII.

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *de la Scala.* [b] *le cap Tabin.* [c] *deſtroit d'Anian.* [d] *Andrien.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

apertis, XII Kal. Quintil. Barentſonum et Andreanum amiſerunt, quibus in litore ſepultis juſta ritu ſuo fecerunt, Berentſoni praecipue, in cujus peritia ſummum praeſidium reponebant, morte moeſtiſſimi. Inde circa Novae Zemblae ſinus et promontoria vi remigii plerumque connixi, uſque ad [a] S. Laurentii ſinum et [b] Veigati fretum CLXIII leucarum iter confecerunt, diverſis ventis uſi. A quo curſu paulum verſus occaſum declinato in Ruſſiam contenderunt, et CXC leucarum iter vi remigii fere confecerunt, uſque ad [c] Kilduinam inſulam et Nicolai-fanum. Toto eo tempore inter glaciem aſſidue cum mortis periculo luctati, Valruſſarum piſcium, avicularum item maritimarum, quas innumeras eo in tractu repererunt, captura ſe refecerunt. Nec interim a continuo cum urſis rabidis bello ceſſabatur; quorum cum unum ſcloppeto interfeciſſent, alter urſum illum dentibus prenſum per inaequalem planitiem expeditus longe abripuit, et ſemeſum inſequentibus Batavis reliquit: quem tamen dimidiatum vix quatuor homines in altum attollere potuerunt; ut vel ex eo de incredibili illorum urſorum robore cunctis conſtare poſſit. Circa Veigati fretum in Ruſſorum [d] Lodigiam, id genus navigii eſt, inciderunt; a quibus humaniter accepti magna ſe laetitia affici ſenſerunt, quod poſt XIII menſeis hominum conſpectu tunc primum frui illis licuiſſet; nec minus [e] Britannicae herbae adverſus ſcorbutum morbum inter ipſos frequentem, cujus illo in tractu magna copia eſt, praeſentiſſimo praeſidio recreati ſunt. Inde ad Candinarum promontorium V crucibus impoſitis conſpicuum, mutata navigatione, XV Kal. Sept. cum appuliſſent, eo ſuperato per mare album XXX horis XC leucarum ſpatium emenſi ad VII inſulas primum, poſtremo ad Kilduinam inſulam, pervenerunt VII Kalendas Septembreis, quae a Lappis incolitur, miſſo inde Nicolai-fanum Lappo cum uno ex ſuis, ſi forte navem, quae in Bataviam tenderet, nanciſceretur; qui mox cum literis Joan. Cornelii [f] Riipi, qui ſuperiore anno ad inſulam Urſorum iter cum [g] Heemskerkio diviſerat, rediit. Vix primo adhibita fides, cum eum jam pridem periiſſe arbitrarentur. Dum de eo ambigitur, ipſe ſcapha vectus Kilduinam appulit, et [h] Roſtochienſis cerviſiae amphoram, vinum, et aquam vitae, panem, carnem, laridum, ſalmonem et ſaccharum copioſe ſecum attulit; quo ſocii, de vita ejus ſalva, de qua deſperaverant, ante omnia gratulati, valde refocillati ſunt. Inde ſimul curſu inſtituto tridui navigatione in ſinum Nicolai-fani deſcenderunt, et Riipi navem juxta ſalinas ingreſſi ſunt. Ibi poſt tot menſium iter arbores primum conſpicati ſunt, ac ſub veſperam Nicolai-fanum venerunt. Ruſſi Lappique hunc tractum incolunt, homines miſeri, pellibus horridis veſtiti, et vitam piſcatu tolerantes. Non majoribus navibus, quarum nullum uſum in mari congelato putant, utuntur, ſed naviculis litus legunt; quas, ad vitandum in ſuperandis promontoriis naufragii periculum, in humeros ſublatas de ſinu in ſinum terreſtri itinere transferunt. Ibi ſubducta in oppidum navicula et ſcapha, Batavi, quibus contra omnem ſpem tam periculoſa navigatione defuncti erant, eam, cum bona principis Ruſſorum praefecti, qui aderat, venia, in memoriam facti ad perpetuam rei memoriam conſecrarunt, exoneratis prius mercibus et annona, quae ſupererat, et in Riipanam navem impoſitis: quam demum XVII Kal. Oct. conſcenderunt, et quarto poſt die [i] Vartuſam praetervecti, [k] Moſamque IV Kal. Nov. ingreſſi, facto per [l] Delſos, Hagam, et Harlemum itinere, Kalendis Novembribus Amſterodamum incolumes pervenerunt: erantque ex omni numero ſuperſtites Heemskerkius princeps navarchus, Petrus [m] Voſſius Petri filius, [n] Gerardus Veerus, qui navigationem deſcripſit, Jo. Voſſius chirurgus, Jacobus [o] Jenſenius Sterrenburgus, Leonardus [p] Henricius, Laurentius [q] Gulielmius, Jo. Hildebrandus, Jacob. Jenſenius

INTERPR. [a] *Golfe de S. Laurent.* [b] *deſtroit de Weygatz.* [c] *Kilduin, & Archangel.* [d] *Lodigie, vaiſſeau d'eſcorce d'arbres.* [e] *l'herbe Britannique. Ainſi met la Relation.* [f] *Rip.* [g] *Heemſkercke.* [h] *la Relation met Bierre de Roſtwick.* [i] *Wardhuys.* [k] *la Meuſe.* [l] *Delft, la Haye, & Haerlem.* [m] *Vos Peterſon.* [n] *Gerard de Weer.* [o] *Jenſens Sterrenburg.* [p] *Henri.* [q] *Guillaume.*

Jenſenius [a] Hochuvotus, P. [b] Cornelius, Jo. [c] Buiſenus, et Jacob. [d] Evertius; quorum ex relatione tandem cognitum, deſperatae temeritatis eſſe, per ſeptentrionem in orientem navigationem inſtituere. CIↃ IↃ XCVII. HENRICUS IV.

XV. EODEM anno claſſis IV navium, quae ante biennium in Indiam ſolverat, et circa Javam extremo anno ſuperiore haerebat, in patriam rediit. III Eid. Jan. navis, cui Amſterodamum nomen, ob nautarum defectum communi conſilio, mercibus prius exoneratis, exuſta eſt. Dum navis, cui Mauritio nomen, oram inſulae occidentalem circumnavigat, ſcaphis appulſis, ex Luſitanae linguae perito cognitum, urbem [e] Ballamboam, in Javae [f] notapelioticis partibus ſitam, a vicino [g] Paſſaruanae regulo obſeſſam; regulum autem illum Ballamboae reguli filiam in uxorem duxiſſe, et poſt concubitum eam necaſſe; nec ſcelere contentum, patrem ejus nunc obſidione cingere: regem autem Ballamboae eundem eſſe cujus mentionem facit Thomas Candiſhus in ſuo Indico itinere, qui tunc annum aetatis CLX agebat. Interverſa aqua et occluſis aditibus valde in anguſto obſeſſorum res erant, ac pleraque pars jam fame perierat. Mahumetani erant qui urbem oppugnabant, obſeſſi contra gentilium cultum ſervabant; haecque belli cauſa obtendebatur. Fruſtra petitum a Batavis auxilium ob locum vadoſum ſe excuſantibus, quo fieri dicebant, ut propius appellere non poſſent. Dum in anchoris haererent, noctu veſpertilionum magnitudine cornicis cinericiae ſupra navem volitantium nubem conſpicati ſunt; quibus et inſulanos veſci intellexerunt. Ciconiae et crebrae illis locis volare tunc viſae et per campos ſedere, quae non niſi hyeme exacta ad nos advolant. Inde ad inſulam [h] Balliam in partibus ſubſolanis Javae ſitam curſus fuit, et ad partem notolibycam appulit VI Kalendas Februarias. Poſtridie ſcapha ad Mauritium acceſſit, monueruntque qui in ea erant, loci regulum cupere hoſpites convenire, et de rebus ſuis cum iis negotiari; tantum quaerere unde venirent. Cum reſpondiſſent, ex Hollandia, poſt ſuperatum ſummo cum diſcrimine objectum promontorium, obſides utrinque dati, a Batavis Emmanuel Rodenburgus Amſterodamenſis et Jacobus Cuperus Delfenſis; miſſa et ab iis dona panni ex holoſerico variegati et ſcloppeti eleganter fabricati, quae gratiſſima regi fuerunt. Inſula eſt oryzae et citriorum ferax, volatilibus, porcis admodum ſapidis, aliiſque armentis abundans; quae tamen fere macra et arida ſunt. Equorum in ea copia. Incolae gentilium ſuperſtitionibus addicti: hic vaccam, ille ſolem adorat: quiſque prout libet. Cum vir moritur, uxores ſe in rogum paratum conjiciunt, et L unius viri gratia, nam tot habere illis licet, ſe flammis injiciunt; ſi recuſant, impudicae exiſtimantur. Veſtitus mulierum, item virorum, nec non arma eadem quae Bentamenſibus Javanis. Manu tubulum tenent, cui haſta ſeſquiorgyiae longitudine juncta eſt, quo exigua jacula ſpiritu ejaculantur; de cetero pharetras ſagittis plenas habent, infeſti admodum Mauris et Luſitanis. Nobiles in ſella ſupra humeros ſervorum vehuntur. Rex majore quam Bentamenſis pompa habitat, et in publicum prodit. Stipatores praecedunt haſtati, mucrone chalybeo et haſtis auro puro circundatis. Ipſe curru ſublimis, praelato a ſervo, qui poſt eum in eodem curru ſedet, uraniſco, vehitur, duobus albis bubalis egregie inſtratis juncto: proceres ſequuntur eodem cultu armati. Obſides retinere illi in animo erat, inſito erga exteras nationes amore. Verum illi prae patriae deſiderio manere recuſarunt. Eodem Franciſcum Dracum ante XIX annos appuliſſe, recenti adhuc ejus inter indigenas memoria, cognitum. V Kal. Mart. cum Batavi ſolviſſent, domum repetituri, uſque ad Eid. Mart. notapeliota flante, et paulum ad auſtrum inclinante, ſub altitudine XIV graduum, dein ad africum curſu inſtituto, cognoverunt Javam non habere eam latitudinem, neque tanto ad auſtrum porrigi, quantum in tabulis depingitur. Tum malacia ſuperveniente parcius

annona

INTERPR. [a] *Hoockwout.* [b] *Corneille.* [c] *de Buiſen.* [d] *Everts.* [e] *Bullanbuan.* [f] *Sud-Eſt.* [g] *Paſſaruan.* [h] *iſle de Bali à l'Eſt.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

annona inter claſſiarios diſtributa. Tandem ſub altitudine XXXIII graduum continentem Aethiopiae aſpexerunt; et ex tubiformibus arundinibus, pluribuſque magnis avibus, quae roſtra alba habent, parviſque aliis variegatis ventre albo et pennis in dorſo maculatis, promontorium Bonae Spei haud longe abeſſe conjecerunt. Inde pridie Non. Maias directus ad beatae Helenae inſulam curſus; ac VII Kal. Jun. ad eam ſe cum ſociis navibus, quae deerraverant, magna laetitia conjunxerunt. Demum VII Eid. Jun. lineam aequinoctialem flante ſubſolano, et VI Kal. Quintil. flante caecia tropicum cancri, tranſiverunt, [a] ſargaſſi herbae ſive lenticulae ac malabatri magna illis locis copia navigantibus occurrente. Hic halecum volantium nubes conſpecta. Horum miſera conditio, quibus nec in mari natantibus, nec in aëre volantibus, tutus uſquam receptus; naturamque in utroque elemento novercam experti, cum ut ſe a pernicie cognatorum piſcium aſſerant, in altum evehunt, mox ab avibus circumvolantibus rapiuntur; quarum ſi roſtrum fugiendo evaſerint, areſactis alis deficientes rurſus in aquas praecipitant, et volando feſſi a piſcibus infeſtis glutiuntur. Itaque mediam ſortem eligentes plerumque in obvias naveis involant, et praeda hominum fiunt, nequaquam meliore fato quam quod vitatum cupiebant. Ad XXXVIII graduum altitudinem [b] Caſſiteridas praetervecti Batavi, malacia item ſuperveniente, et ſcorbuto inter claſſiarios graſſante, mirum in modum adflictati ſunt, cum et cibus ſanis et remedia aegris deeſſent. Tandem Nonis Sextilibus anguſtias inter [c] Britanniam et Armoricam noſtram ingreſſi meliore ſpe fuerunt, et [d] Texelam III Eid. ejuſdem menſis incolumes pervenerunt, amiſſo tantum uno ex ſociis in reditu.

XVI. SCORBUTI in navigationibus aliquoties facta mentio me admonet, ut aliquid de eo morbo heic pro libri clauſula adjiciam. Peculiaris ille, hodie Danis, Suecis, Norvegis et Lithuanis nomine hoc, quod ruptas tibias, aut, paulum inflexa appellatione, diſruptam buccam ſignificat, cognitus, nec veteribus, apud quos ſcelotyrbe et ſtomacace dictus putatur, ignoratus fuit. Eo correptis fauces et gingivae putreſcunt, ventriculus diris cruciatibus torquetur; dentes ſtupent ac vacillant, compages in genibus ſolvitur, carnoſae partes tument, et caro ſub cute lurida tanquam cera tabeſcit, ac digitorum impreſſioni cedit. Plinius ſub Caeſare Germanico in maritimo Germaniae tractu ſaeviiſſe huic ſimilem narrat, cui Britannica herba a Friſiis commonſtrata, et in Veigati freto, de quo modo dixi, frequens, auxilio reperta eſt, non nervis modo et oris ulceribus, ſed contra anginas ac ſerpentes, ſalutaris. Strabo etiam in Arabia per exercitum Romanum illuc ab Aelio Gallo deductum ſcribit graſſatum; ut non tam populos ad boream quam ad auſtrum poſitos infeſtaſſe videatur. Septentrionalibus tamen magis familiarem eſſe ex eo fit veroſimile, et in Arabiam potius illatum quam in ea natum, quod ex cibis ſale et ſuffitu maceratis, eſculentis frigidis ac crudis, atque ex pane non probe piſto, generari creditur. Quae omnia populis illis et longinquas navigationes ſuſcipientibus ad eſum cum uſurpentur, haud mirum ſi frequentius inter eos nautaſque crudelis hic morbus, qui novus vulgo exiſtimatur, omni tempore ſaevierit. Ad eum profligandum vino abſinthite aut veteris cum butyro cerviſiae, in qua abſinthium quoque maceratum ſit, potu utuntur: alia et remedia experientia addidit, quae, quoniam ad inſtitutum noſtrum minime faciunt, ad alia properantes libenter praetermittimus.

INTERPR. [a] *Herbe nommée Sargaſſe.* [b] *les Açores.* [c] *Angleterre, & Bretagne.* [d] *le Texel.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

ANCELLI ad Germaniae principes legatio, ejuſque in exagitanda Hiſpanorum ambitione vehemens oratio. II. Omnes de foedere ſe excuſarunt, et opes ſuas nihilominus regi amiciſſime detulerunt. Eodem tempore Philippus per oratores ſuos Germaniae principes ſolicitat. III. Poloniae rex ad belli Turcici ſocietatem invitatus ſe excuſat. IV. Franc. Mendoza Iberica pompa Germaniam perambulat, et in Poloniam uſque penetrat. Ejus ſecreta ad Caeſarem mandata. Mendoza triumphabundus in Belgium venit, et ſumma equitatus praefectura ab Alberto donatur. V. Albertini Varaſſio comite duce ad Tornahutum a Mauritio caeſi. Tornahutum direptum, et arx recepta. De cauſa Aemiliae Meurſiae dominae per Colonienſis ſeptemviri delegatos cum Mauritio actum. VI. Samarobriga in Ambianis a Ferd. Tello Portocarrero in media luce VI Eid. Mart. intercepta. VII. Rex, nuncio accepto, ad limitem excurrit, et Corbiam ad Somonam ſupra urbem captam venit. Joannes Guſmanus cum auxiliaribus intra urbem acceptus. Carolus Bironus equitum tribunus ab ea parte, qua Durlanium itur, foſſam ducit. IV CIↃ Anglorum tempeſtive in caſtra veniunt. VIII. Stenvica in Friſia irrito conatu ab Albertinis tentata. Venloa et fruſtra a Mauritio tentata. Neomagi in Sicambris praeſidiarii a Lud. Melzio male mulctati. IX. Eruptione a Portocarrero et Montenegrio marchione ad Samarobrigam pugnatum. X. Portocarrerus ictu ſcloppeti ſternitur. Hier. Carafa Montisnigri marchio in ejus locum ſuffectus. XI. Biduo poſt Franc. Spinaeus Sanlucius rei tormentariae praefectus in foſſa glandis ictu occiditur. Ejus ingenium, liberi, digna patre ſoboles. XII. Albertus ad ſuppetias ferendas ſe comparat. Copiae recenſentur. Praemiſſi ex hoſtibus uſque Bapalmam in fugam compulſi. Albertus Rigiacum Atrebatum et inde Durlanium venit. Ordo incedendi. XIII. Albertus, cum de rebus noſtris certo quicquam cognoſcere non potuiſſet, fruſtra fuit; et, aciem inſtructam oſtentare contentus, ſub noctem re infecta ſe recepit. XIV. Spe auxiliorum per Alberti receſſum praeciſa Montenegrius cum rege tranſigit. Rex tradita urbe ſub Rigiaci portas excurrit, et poſtridie Paſſi in hoſtico Urbanum Lavallum Boſcodelphinum equitum tribunum creavit. Durlanium obſidione, ſed irrita, cinctum. XV. Interim Richardotus praeſes Alberti nomine cum Villaregio agit, ut res ad pacem adduceret. XVI. Proteſtantes apud nos primum Julioduni, dein et Vindocini cum Merico Vico et Sofredo Calignono agunt; et poſtremo mandatum a rege venit, quo Schombergius et Thuanus cum iis agere jubentur. XVII. Pactae ineunte anno cum Mercuriano induciae. Grangia in Pictonibus crepitaculo admoto capta et munita; ex qua infeſtae magno populorum detrimento excurſiones. Altercatio de Briandi-caſtro a noſtris intercepto et querimonia renovata. Mercurianus Villaboſium, qui Mirabellum tenebat, ad ſuas partes

perducit. Dein Chinonem et Eraldi-caſtrum, corruptis locorum praefectis, intercipere, ſed irrito conatu, tentavit. Conjurationis initae convicti capite luerunt. XVIII. *Cruceius quidam Bellovacenſis, Samarobrigae ab Hiſpanis captae nuncium ad Mercurianum ferens, Salmuriae cum literis capitur. Carpentarius ex ſuſpicione et indiciis compreheuſus, et a Nicolao Rapino convictus, cum Cruceio ad mortem damnatur. Euſebius Pedifolius Severius, qui Gañachiam tenebat, ad regis partes tranſit.* XIX. *In Armorica poſt captam ab hoſtibus Samarobrigam, quaſi deploratis rebus noſtris, extrema conſilia inter regios et Proteſtanteis in Pictonibus inita. Fontanellae infeſtae excurſiones. Painmarka a Surdeaco expugnata. Pleſſium Bertrandi a regiis irrito conatu obſeſſum. Caſtrum Briandi a Mercuriano receptum.* XX. *Ledeſma a Philippo in Armoricam miſſus ad componenda Mercuriani cum Jo. Aquila diſſidia. Is cum Petro Audoëno Carthuſiano de ſicario in regis perniciem ſubornando agit: re detecta Audoeno gratia communis a rege, ubi Condivicinum Namnetum venit, facta, et reverentiae ſacri ordinis hoc condonatum. Guleuius ad Georgii-fanum contra ruſticos ferro, libidine, et igne graſſatur.* XXI. *Negotium Proteſtantium ex Samarobrigae ſucceſſu adhuc incerto pendens variis protelationibus extractum. Tremollius et Bullionius ex Schombergii conſilio copias conſcribunt. Samarobriga dedita res mutavere; et Thuanus et Vicus ad regem miſſi, ut edicti conditiones controverſas coram eo diſceptarent. Induciae poſt captam Samarobrigam Andegavi renovatae. Monmartinus ad accelerandum regis in Armoricam adventum mittitur. Schombergius* c *aureorum* CIↃ *et* XX *tormenta inſtructa cum annona copioſa a provinciae ordinibus impetrat.*

Ex auctoribus,

Ancelli relationibus, Thomae Sallii de Franc. Mendozae legatione commentariis, Jo. Parvo, Caeſare Campana, Regia ephemeride, Actis probatoriis, Jo. Monmartini Maſſae commentariis.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS.

CIↃIↃXCVII.
Henricus IV.

SOCIETATE belli cum Eliſabetha et foederatis Belgii provinciis contra Hiſpanos ex ſententia Bullionii inita, Gulielmus [a] Ancellus, legationis in Anglia et Batavia comes, cum regiis mandatis in Germaniam miſſus eſt, ut juxta clauſulam in foedere appoſitam Imperii principes et civitates ad ſocietatem ejus invitaret. Is ſerius profectus cum in tempore in Daniam appellere non potuiſſet, ut inaugurationi regis intereſſet, Roterodamo Hamburgum vix exeunte anno appulit; et inde modicis itineribus ſine ſtrepitu, ne dignoſceretur, [b] Norimbergam tendit; quo Jacobus [c] Bongarſius, vir eruditione, judicio, et virtute praeſtans, qui jampridem regis negotia in Germania procurabat, cum mandatis propriis condicta die venit. Ab Eliſabetha legati et Ordinibus Belgicis promiſſi in tempore minime comparuere. Ancellus et Bongarſius, poſtquam de communi negotio contulerunt, in eam ſententiam venerunt, ut a Friderico ſeptemviro Palatino, in cujus egregia voluntate et maxima inter ceteros principes auctoritate plus fiduciae erat, principium fieret. Is tunc domo aberat, [d] Onosbachium profectus, ut cum Georgio Friderico Brandeburgico Onosbachii marchione ſe venationibus

INTERPR. [a] *Ancel.* [b] *Nuremberg.* [c] *Bongars.* [d] *Anſpach.*

venationibus oblectaret. Commodum viſum, ut cum duobus ſimul ageretur. Erat CIƆIƆXCVII.
tunc in Germania Carolus Arenbergii comes, qui Alberti nomine delectus urgebat, HENRICUS IV.
Caeſaris fratris favore adjutus; et Franciſcus Saxo Lauenburgi dux equitem ſcribebat, tempore captato, quo, dimiſſis in Pannonia copiis, undique ad ſtipendium miles confluebat, quod ille dimidium ſingulis menſibus proprio nomine pollicebatur: nam alioqui ob revocatas edicto in Hiſpania penſiones, ſicuti ſupra memoravi, Alberti fides et exiſtimatio paſſim labaſcebat. Ubi Onosbachium Ancellus venit, admiſſus in colloquium Palatinum et marchionem tali oratione compellavit; Dolere ſibi, quod non citius ad eos venire potuerit, ſicuti a rege juſſus erat, ut conſiliorum nuper in Anglia et cum Ordinibus Belgicis initorum pro jure amicitiae et antiquae foederationis ipſos certiores faceret: ſed magnitudine negotii, quod non niſi mature explicari potuerit, et itinerum difficultate prohibitum fuiſſe. Negotii autem, quod inſtat, ante omnia cauſas expendendas. Eas a violentis Philippi conſiliis originem ducere, qui XXXVI abhinc annis, atque ex quo in Hiſpaniam reverſus eſt, nihil aliud animo agitavit, quam ut, quod magnanimus ac praepotens parens ejus fruſtra armis tota vita conatus fuerat, aſtu et fraudibus perficeret, et monarchiam totius orbis Chriſtiani, principibus ceteris ſub jugum intolerandum miſſis, uſurparet. Principium a regno Franciae factum, cui, tempore captato, quo poſt Henrici II exceſſum res omnis ad reges minores aetate pervenit, eorum qui circa ipſos erant opera uſus, impune tot modis illuſerit. Neque ſincerius fidem cum Angliae regina ſervaſſe, aut Belgicis populis pro tot beneficiis vicem rependiſſe; quos, religionis colore quaeſito, contra jurisjurandi religionem immaniter vexatos, tandem ad deſperationem adegit. Quid enim non ab eo factum, imo quid praetermiſſum, ut auro, promiſſis, minis, precibus, populorum fidem ſolicitaret, nobilitatis et procerum pudorem expugnaret, ſacri ordinis quietem inextricabili bello involveret? Eo rem videlicet tandem deveniſſe, ut per oratores ſuos peculiariter ob id miſſos non erubuerit, poſt Henrici III mortem, aperte regnum Franciae ambire, in quo jus illi nullum, Deo res noſtras proſpectante, unquam competet. Eadem audacia minime dubitaſſe claſſe immani reginam Angliae oppugnare, ſtructis etiam vitae regis defuncti, et contra regem qui nunc feliciter imperat, ipſamque reginam Angliae, perfidioſe inſidiis. Quoties idem adverſus principem Arauſionenſem tentatum, ac poſtremo, eum ipſius qui juſſit conſcientiae morſu et publica univerſarum nationum offenſione, exceptis unis Hiſpanis ſcelerum tantorum auctoribus, perpetratum? Horrere ad inſatiabilem ejus ambitionem cunctorum principum animos, et ipſius pontificis, quem plus juſto facilem huc uſque expertus erat, gratiam in dies erga ipſum refrigeſcere: nec proinde tamen, aut publica indignatione territum aut pudore conſcientiave revocatum, ab injurioſis ac ſanguinariis contra vicinos ſuſceptis conſiliis ipſum quieſcere; tantam in animo ambitione caeco ſuperbiam eſſe, aut alieni invadendi ſitim accenſam, ut opum, in quibus plus praeſidii quam in virtute propria reponit, fiducia nihil non facere audereve paratus videatur. Maxime omnium regem Chriſtianiſſimum ab ea peſte infeſtatum, praeſertim poſtquam Hiſpanos regno expulit: nam ſtatim illos conjunctis copiis, quas prius divulſas habebant, ad regni limitem, quem bellis ſuperioribus ſumme debilitatum ſciebant, omnem vim vertiſſe, et, captata occaſione cum rex longe in [a] Sequanis abeſſet, [b] Cameracum civium defectione, qui nunc perfidiae ſuae ſub inſolenti Hiſpanorum dominatione poenas abunde luunt, proditum occupaſſe; et poſtea, cum rex itidem in [c] Farae ad Eſiam obſidione haereret, [d] Caletum et Ardeam cepiſſe; et nunc terra marique ingenteis exercitus inſtruere, ut anno proximo hinc Franciam, inde Angliam, invadat, et, profligatis, ſi Deo placet, florentiſſimis Europae regnis, inſolenti faſtu ceteros

deſpiciens

INTERPR. [a] *la Franche Comté.* [b] *Cambray.* [c] *la Fere ſur Oyſe.* [d] *Calais, & Ardres.*

CIƆIƆXCVII.
HENRICUS IV.

deſpiciens ſolus in orbe Chriſtiano imperet. Ad haec audenda facere illi animos Portugalliae regnum, nuper, legitimis heredibus ſpoliatis, eodem jure, quod in aliis regnis ſibi vindicat, ad ſuos principatus additum, Indiaeque Orientalis opes cum eo cumulatas: contra quas cum rex, exhauſto bellis civilibus, quae Hiſpani de induſtria per tot annos in eo aluerunt, regno, non habeat aut opum aut hominum ſatis, quos poſſit opponere; ac merito verendum ſit, ne in tam juſta cauſa non ſolum cum ſuo, ſed omnium vicinorum principum, quorum ditionibus deſideriorum immodici Hiſpani inhiant, certiſſimo exitio ſuccumbat; aequum et juſtum eſſe, ut illi quoque, proprio periculo admoniti, conſilia, vireis, et opes conſocient: nam tempore et quiete diuturna opus eſſe, ut regnum ſplendorem priſtinum ac robur recipiat, quo per ſe ſine alienis opibus, ut olim, diſturbandis tam potentis hoſtis conatibus par ſit; interea in communi periculo propulſando commune auxilium neceſſarium eſſe. Hiſpanos autem homines ſagaciſſimos, et qui non ſine aliquo rerum ſuarum intertrimento ambitioſa adeo conſilia coquunt, nihil non facere, quo conjunctionem illam impediant, ſparſis rumoribus, quaſi in eo ſint ut propediem cum rege conveniant, impetrata etiam a Caeſare et Imperii aliquot principibus honorifica ad Ordines Belgicos legatione; cum interim nullum tempus intermittant, colligendis viribus, quo Gallos, Angloſque, atque adeo Belgicos Ordines, imparatos opprimant. Eapropter regem mature cum Angla et Ordinibus foedus iniiſſe, in eoque caviſſe, ut communi legatione Germaniae principes ad eidem foederi ſubſcribendum invitarentur. Se ob id ad ipſos miſſum, ut tam regis quam Angliae et Ordinum nomine, qui et ipſi legatos ſuos miſſuri ſunt, roget, ne commune periculum negligant. Quamvis enim Hiſpani conſcripto exercitu non recta fronte et aperte Germaniam inpraeſentiarum invadere videantur, et Philippus ipſe, qui non mediocrem in Imperio partem facit, ejus principes ab omni metu ſecuros eſſe jubeat; ſic tamen prudentiores merito exiſtimare, inexplebilem illius cupiditatem Rheni finibus minime contineri, et hoſteis apud eum reputari, quicunque conſtituendae univerſi orbis Chriſtiani, quam tamdiu animo parturit, in familia ſua monarchiae remoram aut impedimentum aliquod afferunt. Itaque nihil reliqui facere, quo principum miniſtros muneribus ac praemiis, interdum et minis, corrumpat, eorumque opera dominos in poteſtate habeat, et ſpecie patrocinii undique circumſeſſos arbitrio ſuo circumagat. Exempla in Italia omnium oculis ſubjecta eſſe, in qua paucae ſunt hodie ditiones, quae non eo praetextu a ſacro Imperio avulſae ſub crudeli Hiſpanorum jugo oppreſſae gemant. Nec melius Germaniae ſperandum, in qua jam [a] Berka ad Rhenum praeter jus omne et aequitatem praeſidio externo tenetur, et Starkenburgenſis arx in Weſtfalia in dies approperatis operibus munitur. Notas in Heſſiam uſque Hiſpanorum ſuperioribus annis excurſiones. His initiis quid non eos auſuros facturoſque? Severam adeo et perverſam in [b] Aquiſgranenſium cauſa actionem per Philippicos inſtitutam nullum dubitationi locum relinquere: quod vero et Palatini et Brandeburgici principes a [c] Clivenſis ditionis adminiſtratione omnino excluſi ſunt, et Caeſar partes ſuas eo in negotio Philippicorum inſtigatu interpoſuerit, caecis et nullo ſenſu praeditis manifeſtum ſatis facere, quo ambitioſa illorum conſilia tendant. Quid vero aliud ſibi velle ſuperbum illud edictum ante ſeptennium [d] Madriti VIII Eid. Mart. propoſitum, quo Philippus declarabat, ſe poſt purgatam Franciam arma in eas omneis provincias, quae peſte Sectaria infeſtae ſunt, converſurum? Eo pertinere tam frequenteis ac toties repetitas de rege Romanorum creando ſolicitationes, ut ſcilicet Caeſare gentili ſuo, antequam de ſomno capiendo cogitet, imperiali dignitate tanquam veſte ſpoliato, alium, qui ex ejus nutu pendeat, in vivi ſpirantiſque locum ſubſtituat. His argumentis et indiciis cum de injurioſis

Hiſpanorum

INTERPR. [a] *Rhemberg.* [b] *ceux d'Aix la Chappelle.* [c] *Duché de Cleves.* [d] *Madrid.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

Hiſpanorum conſiliis conſtet, quid amplius cunctandum? An ut principes, quos ipſi graviter offenderunt, ultionem metuentes occaſione data opprimant? Fruſtra Gallorum auxilium imploraturos, qui Gallis in tempore et in communi cauſa praeſto non fuerint: nam Gallis, dum deliberatur, interim oppreſſis, et florentiſſimo regno, quod unum controverſam univerſalis monarchiae cauſam Hiſpanis facit, penitus profligato, cunctos neceſſitate impoſita ſub tyrannicum Hiſpanorum jugum tranſituros. Itaque regem minime dubitare, quin Imperii principes, ad quos praecipue commune periculum ſpectat, imminentibus malis idoneum remedium quaeſituri ſint, et oblatum libentiſſime amplexuri. Nullum autem praeſentius quam in foederatione belli tam inferendi quam ſuſtinendi remedium eſſe, cui jam potentiſſimi et primarii Europae principes ſubſcripſere. Nec excuſationis loco accipiendam belli in Hungaria gerendi neceſſitatem, cujus cauſae qui patriae charitate tanguntur, merito cetera omnia chariſſima poſthabeant; tantae quippe molis illud eſſe, tamque formidabilem Turcorum potentiam, ut adverſus eam vix conjunctae omnes omnium principum vires pares eſſe poſſint. Quod ſi ita eſt, nihilominus facto Philippum ſatis oſtendere, ſe non ita de Turcis exiſtimare; aut non ita bene erga Germaniam, cujus ſe praecipuum membrum jactitat, affectum eſſe; quippe qui communis patriae periculum manifeſte negligat, et, cum tam modicis auxiliis Caeſarem ceteroſque gentiles ſuos juvet, hoſtem tam formidoloſum contemnere videatur. Illum ſe Germania oriundum atque adeo Germanum profiteri; cum vero de obſequio Imperii conſtitutionibus debito, aut Belgio ab Imperii collationibus exonerando, agitur, tunc ſe pro hoſpite et extero gerere. Neque vero mirum, ſi de magnitudine ſua ex Francici nominis ruinis exſtruenda cogitat, cum per agnatae familiae in Germania everſionem ſuae, quae eadem eſt, incrementum quaerat; quodque jam antea patre patruoque ſuperſtitibus fruſtra tentavit, de imperio in Hiſpaniam transferendo conſilia tamdiu intermiſſa repetat. Cum igitur duos praepotenteis cervicibus Germaniae imminenteis hoſteis habeant; alterum vi aperta graſſantem, indefeſſum, terribilem, inſuperabilem; alterum inſidioſe et per cognatorum principum ruinas ad imperium ſibi viam ſtruentem; caute videndum ipſis, utrum formidabiliorem exiſtiment, comparatione Alcorani cum Inquiſitione Hiſpanienſi facta, et an potius cum orientali quam cum occidentali Turco ſibi rem eſſe velint. Et, ſi quidem res merito ſuo ac ſemoto omni affectu privato aeſtimetur, haud dubium eſſe quin optione data orientalem eligant; quippe ut viribus praepollentem, ſic victis tolerabiliorem futurum. Et vero fruſtra de eo debellando cogitari, quouſque impotenti nationi fraeno impoſito pax in orbe Chriſtiano ſarciatur, et per eam publica libertas, quam ſparſis ubique diſſidiorum ſeminibus Hiſpani oppreſſum eunt, conſtituatur: ſic enim fore, ut ſimul Franciae regnum, cujus opem vicini populi ac principes ſemper ſalutarem experti ſunt, evehenti ſe nationis ubique gravis ſuperbiae magnitudine ſua praeponderet: tuncque, ubi ab hoſte domeſtico quies erit, cunctos eo metu ſolutos conjunctis animis ac viribus adverſus hoſtem omnino exterum arma expedituros; quod, inclinata nominis Francici fortuna, nequaquam ſperandum. Ex iis liquere, quam bene Imperio adverſus Turcicas invaſiones conſulatur, ſi foedus propoſitum pro publica libertate quamprimum ineatur; quantumque illis debitura ſit Germania, qui icendo foederi principium fecerint. Sed aliud rurſus impedimentum nonnullos cauſari, conſtitutiones nimirum Imperii, quae cum exteris foedus iniri prohibent: quaſi vero ii ipſi qui hoc objiciant, quique Imperii conſtitutionibus ut ceteri principes tenentur, non in hanc legem quotidie peccent, cum de ſumma reipublicae per oratores hinc inde commeanteis cum communi hoſte conſultant, atque adeo in gravioribus negotiis, de quibus in Germania et inter Germanos decerni debet, quid Philippo Madriti et apud Eſcurialem ſedenti placeat, per veredarios miſſa reſponſa

praeſtolantur. Alioqui, ſi hoc ſcrupulo generoſae principum mentes attineantur, ad foedam et indignam ſervitutem exponi Germaniam, et qui libertatis publicae vindices ubique praedicantur, ſuos minime futuros. Non ita Mauritium Saxonem, laudabilis ad omnem poſteritatem memoriae, foederis cum Henrico II auctorem, ſenſiſſe, cui Germania recuperatam libertatem debet, ab Hiſpanis tunc oppreſſam, et nunc magnopere periclitantem, niſi mature ſubveniatur. Diſſimulatione et nimia principum ac civitatum Imperii patientia malum creviſſe, et nunc ingraveſcere, quod jam pridem depulſum oportuit, ſi validiora conſilia, atque adeo ſana regis Chriſtianiſſimi monita, locum habuiſſent. Nunc facto opus eſſe: id rogare et urgere regem, non tam ſua cauſa, quam pro communi orbis Chriſtiani ſalute ac libertate, cui ſua conjuncta eſt. Neque vero id agere, ut, icto ſtatim foedere, oneri, quod in ipſum nunc incumbit, et mox in Imperii principes recaſurum eſt, humeros ſubducat. Non petere ut illi arma capiant, niſi cogi ſe, eaque rebus ſuis ſalutaria ſentiant: non eos ad pulverem et ſudorem bellicum vocare, ut ipſe deſes in umbra latitet, decoris et officii oblitus. Jam pridem enim oblatam pacem repudiaſſe, et glorioſum bellum quam pacem degenerem ſemper maluiſſe, Achillis exemplo, qui, quanquam a Thetide parente de fato ſuo monitus, ſi ad bellum Trojanum proficiſceretur, ſatius duxit vitam anguſtis annorum ſpatiis clauſam inter milites tubaſque per famam extendere, quam in otio inter muliercularum greges obſcure conſeneſcere. Ita regem, cum opimae ab Hiſpanis conditiones offerrentur, ſi ab armis abſtinere vellet, maluiſſe periculo ſuo bellum perſequi, quam committere ut plus de quiete propria, quam de amicorum principum ac vicinorum populorum ſalute, ſolicitus fuiſſe videretur. Neque id aut odio in Hiſpanos, aut vanitate, tractandorumve armorum, quibus innutritus eſt, deſiderio, feciſſe: abunde illi de Hiſpanis toto regno, quod nuper ſpe et armis ſuis complectebantur, depulſis ſatisfactum, et ad gloriam vixiſſe ſatis, qui vivus ſpiranſque incolumi ſama fruitur: quicquid acceſſurum eſt, potius praeterita obſcuratutum quam illuſtraturum. Sed ea prudentia, quam omnes in eo norunt, praeditum regem ſic exiſtimaſſe, Philippum, ſi, Gallis domi ſedentibus, in expeditionibus ſuſceptis voti compos evadat, ad tempus forte diſſimulaturum; ceterum odia nunquam depoſiturum, et, arridente olim fortuna, conſilia de monarchia in familia ſua conſtituenda denuo reſumpturum, ac poſtremo victricia arma in Gallos ab omnibus deſertos, qui ſoli claritudine ſua luminibus ejus officiunt, converſurum. Eandem prudentiam in Germaniae principibus regem deſiderare; ac multum pro antiqua amicitia orare, ne tam opportunam occaſionem e manibus ſibi eripi patiantur, ſed periculo, quod imminet, mature praevertant; ſicque ſibi perſuadeant, quam regi opem in communi cauſa tulerint, eandem illis apud regem, cum tempora incident, paratam ſemper fore. De conditionibus foederi ſanciendo interponendis, et qua ratione ſibi a rege caveri velint, liberam ipſis deliberationem permittere; ceterum expeditum videri, dum amplius deliberetur, ut ante omnia venientibus ex Hiſpania et Italia copiis, et per limitem Germaniae iter fere facientibus, via praecludatur; quod jam edicto propoſito in ſuis ditionibus Palatinum ſeptemvirum feciſſe magna ſua cum laetitia intelligat. Additae a rege petitiones, ut communibus principum ſumptibus IV CIↃ peditum Germanorum, CIↃ equites, per totum biennium alerentur; quibus rex VIII CIↃ peditum Gallorum, II CIↃ equitum et VI CIↃ Helvetiorum, adjuncturus eſſet: idque ea lege, ut, ſi contingeret Caeſarem et Philippum manu armata in Juliacenſem principatum aliaſque foederatorum ditiones impetum facere, rex commodatas copias ſtatim remittere teneatur, totidemque numero alias ex iis quae ſtipendiis regiis merent ad eas adjungere, foederatis in eo bello militaturas.

II. POSTQUAM

II. POSTQUAM Ancellus peroravit, actae a Palatino et marchione pro tam honorifica legatione gratiae, additumque fore, ut ad regia poſtulata amplius reſpondeatur. Igitur poſtridie delegati a principibus miſſi, quibuſcum Ancellus ageret: qui cum foederis in Anglia initi exemplum ſibi dari poſtulaſſent, eo tradito, poſt biduum a principibus reſponſum eſt, placere ſibi multum, ac ſumma laode dignum videri generoſum regis conſilium; ſed rem ejuſmodi eſſe, ot, antequam cum regibus Daniae et Scotiae, qui foedere comprehenſi ſunt, aliiſque Imperii foederatis principibus egerint, de ea commode ſtatuere nequeant. Inſtante Ancello ut non ulterius deliberatio differretur, ipſique, quos primos rex conſilli ſui participes facere voluiſſet, auctoritatem quoque ſuam primi interponerent, et exemplo ſuo aliis ad foederi ſubſcribendum praeirent, excuſaverunt ſe principes, et tutius ac honorificentius fore dixerunt, ſi communi omnium conſilio foedus ſanciretur, et auxilia per illud petita decernerentur. Ante annum priuſquam foederis mentio injecta eſſet, Palatinus ſeptemvir, marchio, Fridericus dux Wirtembergicus, ultro regi ſinguli cohortem ccc peditum Germanorum ſe miſſuros receperant, quam de ſua pecunia annum integrum alerent. Ancellus, cum aliud non poſſet, ut alteras totidem cohortes jam promiſſis adderent, poſtremo rogavit. Sed et cum ſuper ea re ſe io commune deliberaturos reſpondiſſent, ne tempus interim ſibi periret, Ancellus alios principes ex illorum ſententia ſioi conveniendos eſſe conſtituit; interea per amicos, quid principes viciſſim a rege petituri eſſent, expiſcatus. Sic autem reperiebat, Palatinum ſeptemvirum vehementer expetere, ut rex [a] Argenrinenſi negotio partes ſuas interponeret, et Lotharingiáe ducem ad conditiones accipiendas precibus et auctoritate ſua ſerio compelleret; quodque id factum non fuiſſet, ſicuti ab initio ei promiſſum fuerat, crebrae inter ſuos querimoniae exaudiebantur. Marchio privatim petebat, ot, ſicut Albertus Brandeburgicus olim a regis deceſſoribus, et nuper Joannes Willelmus Saxo, penſionibus hoooriſicis donati eſſent, ipſe quoque eodem munerario hooeſtaretur. Conjunctim autem petebant, ot rex operam daret, quo induciae moltorum annorum intet Caeſarem et Turcos pangerentur; nam bello illo inutiliter opes Germaniae atteri. Quod prolixe ab Ancello regis nomine promiſſum; eoque magis, quod quidam ex iis ſpem feciſſet, ut, quieſcente a bello Paononico Germania, commodius ſtipendia in futurum foedus ex communi pecunia procederent: nam haud dobia ejus icendi initio ſpes erat, fama de ſuſpecto Proteſtantibus foedere inter Caeſarem, Philippom, Tranſylvanum, pontificis interventu ſpecie contra Turcos contracto in majus ſparſa; nam quia non diſerte contra Turcos, ſed generali voce contra Infideleis initum jactabatur, id artificioſe a pontifice factum interpretabantur, ut pacata [b] Pannonia bellum contra ſeipſos verteretur.

III. Ao illod tunc ſtudioſe invitabator Sigiſmundus Poloniae rex; eaque de cauſa cardinalis Cajetanus ad ipſum a pontifice miſſus nihil non agebat, ot nutantem principem, ſicuti antea Tranſylvanum, ad bellum impelleret. Sed, ſive diſſuadente ſive intercedente Joanne [c] Samoſcio regni cancellario et generali exercituum imperatore, et ſciſſa factionibus nobilitate, fruſtra fuit. Praeterea angebat Sigiſmundum Caroli patrui Finlandiae ducis in Sueciae regno gravis auctoritas, quam ad defectionem ſpectare interpretabatur. Itaque nuptias Joach. Friderici Brandeburgici Magdeburgici adminiſtratoris cum ſorore magnopere urgebat, ut iis peractis aliquo colore Magdeburgicum in Sueciam proregis titulo mitteret, et patruum a regni gubernacolo removeret. Id eum retinebat, quo mious pontifici, cujus alioqui monita fere ſequebatur, ea in re obſecundaret, veritus, ſi foederi ſubſcriberet, ne, re evulgata, Soecos a patruo removendo et Magdeburgico admittendo alieniores experiretur. Eodem tempore Caeſar comitia

INTERPR. [a] *de Straſbourg.* [b] *Hongrie.* [c] *Zamoyſki.*

CIƆIƆXCVII. HENRICUS IV. comitia Imperii decernendis ad bellum Pannonicum auxiliis urgebat, et impetraſſe dicebatur: ſed de die nondum conſtabat. Itaque maturandum ſibi ratus Ancellus inde ad Philippum Ludovicum Baioarum Palatinum divertit; mandatiſque expoſitis, ille protinus ſe excuſavit, quod ultimae Caeſaris ad Belgicos Ordines legationi ſuos legatos adjunxiſſet, pudore ſeu poenitentia facti; quippe qui Caeſari ea in re gratificari cupiens, ſummam ejus erga ſe ingratitudinem expertus eſſet, introductis propria auctoritate in Clivenſem ditionem Hiſpanae factionis praefectis, citra ſororiorum principis conſenſum. Cum ſtimulos ex ea occaſione ſubjiceret Ancellus, ut eo magis foederi ſubſcriberet; alioqui fore, ut a ſucceſſione illa, quae ipſum coheredeſque ejus reſpiciebat, omnino excluderetur; bona ſe ſpe eſſe reſpondit, ut princeps brevi priſtinam valetudinem recuperaret: neque tamen a foedere ſe alienum oſtendit, exemplum Palatini ſeptemviri familiae ſuae principis ea in re ſequuturus. Inde ad Fridericum Wirtembergicum [a] Stutgardiam itum, quo Furſtembergius comes a Caeſare venerat: tuncque forte de principatu Wirtembergico ab Auſtriaca juriſdictione eximendo et ſub Imperium reducendo inter partes agebatur, cui negotio Gallici legati interventus non niſi ſumme intempeſtivus eſſe poterat. Itaque a foedere ſe prorſus excuſavit, cauſatus ſibi negotium cum Caeſare eſſe, quod ſalvis rebus ſuis foederi cum ceteris principibus ſubſcribere eum minime pateretur. Videri ſibi e re ſua melius facturum regem, ſi, foederis mentione omiſſa, amicitiam antiquam renovare contentus, a ſingulis auxilia, prout ipſi bene animati eſſent, aut ſuae rationes ferrent, exigeret. Tandem poſt dimiſſum Furſtembergium ſe II cohortes, ſingulas CL peditum Germanorum, et ſtipendium ad annum ſubminiſtraturum reſpondit, et prout Palatinus et marchio [b] Onoſbachius facerent, ſe quoque facturum. Cum Erneſto Friderico [c] Badenſi Durlaci marchione, qui tunc ex morbo decumbebat, cum agere non potuiſſet Ancellus, a delegatis ejus aliud reſponſum ferre non potuit, quam ſummas regi gratias agere marchionem, quod ea ſe legatione dignatus eſſet; ceterum ſuae conditionis memorem, non poſſe in tanto negotio ſententiam exprimere, antequam ex ceteris principibus, quid ſuae voluntatis ſit, plenius intellexerit. Inde per Francofurtum facto itinere [d] Muſulbergum venationibus opportunum locum tendit, quo, ut peſtem [e] Caſſellis graſſantem fugeret, Mauritius [f] Heſſiae princeps nuper e Saxonia reverſus ſeceſſerat. Ab eo id reſponſi tulit, ut majus a [g] Pannonia periculum quam ab Hiſpanis Germaniae imminere oſtenderet; tamen ea aetate eſſe, ut non niſi conſultis fratribus patruiſque de tanta re poſſet ſtatuere: ceterum omnia ſumma facturum, ut rex intelligeret, ſe a majorum ſuorum egregia erga Francogalliae regnum voluntate minime degeneraſſe. Muſulbergo per [h] Mindam in Saxoniam iter ſecit, quo Daniae regem nuper ex [i] Holſatia eo profectum ſe conventurum ſperabat Ancellus. Verum ubi Wolfenbutelum venit, Julii Brunſvici primariam arcem, jam diſceſſiſſe Danum et [k] Dreſenam abiiſſe comperit. Brunſvicus teſtamento patris ſibi diſerte interdictum reſpondit, ne ſine ſuae ditionis ordinum conſenſu cum ullo principe foedus iniret, aut bellum ſuſciperet: eos ut cogat, longiorem fore ac difficiliorem deliberationem, quam ut ſperatum ex eo conventu fructum rex tam cito poſſit percipere; praeſertim cum nondum de aliorum principum voluntate conſtet. Cum periculum ab Hiſpanis proximis ingereret Ancellus, et, niſi mature per foedus ſibi conſuleret, de epiſcopatibus, quos in Saxonia ipſe teneret, eccleſiaſticos principes, inſtigatu Hiſpanorum, illi proculdubio controverſiam moturos; nihilominus in propoſito perſtitit, ac ſperare ſe dixit, ut rex excuſationem ſuam in bonam partem acciperet: nam cum nuper apud Caeſarem plura petentem ſe excuſaverit, non niſi juſtum et aequum videri regi poſſe, ſi ſe erga ipſum

INTERPR. [a] *Stutgard.* [b] *d'Anſpach.* [c] *Erneſt Frederic marquis de Bade Durlach.* [d] *Muſelberg.* [e] *Caſſel.* [f] *le Landgrave de Heſſe.* [g] *Hongrie.* [h] *Minden.* [i] *Holſtein.* [k] *Dreſden.*

ipſum excuſet: ceterum ſe ob foedus cum Angla et Batavis percuſſum bona ſpe eſſe, ut rex tanto praeſidio ſubnixus, ſine ope minorum principum, non ſolum ad repellendos Hiſpanos, ſed etiam ad bellum illis inſerendnm, par ſit futurus. Ita quod apud Germanos ſumptibus parcenteis ad arma ſocianda incitamentum eſſe debuit, iiſdem Germanis excuſationis materiam praebuit. Nullum melius erga regem animatum quam Magdeburgicum nactus eſt Ancellus, quem [a] Wolmeſtadii convenit: nam et publicae libertatis cauſam, pro qua foedus inibatur, ſibi praecipuam eſſe oſtendit, et officio ſe minime defuturum recepit; ſed nihil poſſe decernere, antequam illuſtriſſimus ipſius parens ſeptemvir ei in hoc negotio praeierit, et ceteros principes conſuluerit, atque inprimis Onosbachium marchionem; a quo nondum ſibi quidquam de eo perſcriptum affirmavit, quamvis eum ab eo et Palatino ſeptemviro diſceſſit Ancellus, uterque apud alios principes, ac gentileis ſuos praecipue, operam ſuam prolixe detuliſſent. Cum vero ad diſturbandum foedus, de quo jam per Germaniam diſſeminatus erat rumor, artificioſe a factioni Hiſpanae addictis ſolicitati eſſent concionatores Lutherani, odio Helveticae confeſſionis, quae in Gallia et Anglia ſervatur, et publice et ex ambone regis reginaeque inſtigatu illud fieri dicerent, dum bellum tanta mole a Turcis in Pannonia gereretur, Ancellus, calumniae populorum animos ubique occupanti mature occurrendum ratus, ſcriptum Latine exaratum epiſtolae forma publicandum curavit, quo facti invidia a rege reginaque in commenti auctores derivabatur. Deinde ineunte Martio Deſſaviae cum Anhaltinis principibus actum; qui ingenue Ancello declararunt, non eſſe cur diutius vana ſpe ſe lactari pateretur: nam principes in foedus, quod proponebatur, nunquam conſenſuros; regique ſufficere debere, ſi a ſingulis ei ſubveniatur; quod jam monuerat Wirtembergicus: verum habere inpraeſentiarum regem, quo ſe ſoletur; nam Arembergici conatus et delectus a [b] Lauenburgo duce inſtitutos prorſus evanuiſſe, partim defectu ſtipendii, partim ob edicta tam a [c] Saxone quam aliis principibus propoſita, ne delectus niſi ad auxilia in Pannoniam deſtinata in ſuis ditionibus habeantur. Inde Berlinum proficiſcitur Ancellus, ut Joannem Georgium Brandeburgicum ſeptemvirum conveniret; quem ob minus proſperam valetudinem alloqui non licuit. Per delegatos coram principibus filiis auditus, poſt actas honorifice gratias hoc reſponſum per eoſdem tulit, ſeptemvirum ſacri Imperii reverentia, cui multis modis devinctus ſit, et arcta cum ceteris ſeptemviris conjunctione prohiberi, ne quid animi ſui ſit, et quid regis cauſa facere velit, niſi prius conſultis iis, amplius declarare poſſit: porro ſi res in deliberationem deducantur, effecturum, ut quod e re Chriſtiana eſſe et ad Germaniae ſecuritatem pertinere exiſtimabit, et quantum in ſe erit, juſtis regis Chriſtianiſſimi deſideriis plenius ſatisfiat; laudata ſubinde in orbis Chriſtiani tranquillitate procuranda ac libertate tuenda regis egregia voluntate et conſtantia. Cum Friderico Guilielmo Saxoniae adminiſtratore, qui tunc forte ſolemni pompa filii recens nati luſtralia [d] Torgae celebrabat, remiſſius actum; quem per literas ſalutare, et quid illum vellet breviculo ſignificare, ſatis habuit Ancellus, ita ab amicis monitus. Summa autem erat, non ut eum de foedere ſolicitaret, a quo eum, praevalente Hiſpana apud eum factione, abhorrere minime ignorabat, verum ut illum rogaret, ne ſuas ac pupillorum curae ſuae commiſſorum ditiones delectibus militum contra regem Chriſtianiſſimum a Philippo deſtinatis exhauriri pateretur. Addita quaedam in ejus invidiam, qui de orbis Chriſtiani monarchia ſemper cogitans ſemper in armis eſſet, neque alios quieſcere pateretur. Cum Ancellus [e] Norimbergam rediiſſet, ineunte Aprili, a Saxone literas accepit; in quibus,

INTERPR. [a] *Wolmerſtadt.* [b] *le duc de Saxe-Lauenbourg.* [c] *l'electeur de Saxe.* [d] *Torgau.* [e] *Nuremberg.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

quibus, deplorata horum temporum conditione, dolere ſibi ſummopere dicebat, quod duo potentiſſimi orbis principes infeſtis adeo animis inter ſe digladiarentur, hortabaturque regem, ut ab hoc bello ſe abſtineret, et cunctas opes ſuas terra marique contra Turcos verteret. Ad quae ex Palatini ſeptemviri ſententia reſpondit Ancellus IV Kal. Maias; et hortatus ejus pios prudenteiſque potius ad Hiſpanos Gallici nominis hoſtes eorumque aſſeclas, turbarum omnium auctores et incendiarios, quam ad regem Chriſtianiſſimum ab ipſis diuturno bello vexatum, et per ſacrilegas ipſorum inſidias in graviſſimo vitae fortunarumque diſcrimine tot annos verſantem, pertinere ait: nam ſi in ejus voluntate ſitum, aut ex arbitrio quodammodo penderet, ut, conciliatis animis et conjunctis terra marique omnium regum Imperiique principum copiis, barbarorum impetus repelli poſſent, non tam diu laboraturum fuiſſe orbem Chriſtianum, neque Turcorum potentiam per Chriſtianorum infirmitatem, ab Hiſpanis paſſim in Germania, Anglia, Belgioque miſerrime labefactatorum, auctam et excitatam, tantumve Germaniae periculum creaturam fuiſſe: ſed videre ſuam celſitudinem, cauſarum hujus belli minime ignaram, quibus artibus quibuſve machinis rex Chriſtianiſſimus non jam ut aliena invadat, aut regnum deceſſori, paulum abfuit, per omne nefas ereptum recuperet, ſed ut vitam fraudulentiſſimis Hiſpanienſium conſiliis, modiſque etiam inter truculentiſſimos hoſteis nuſquam uſurpatis, varie petitam tueatur, et Galliam ipſam legitimo jure ad ſe devolutam a praeſenti exitio, univerſumque orbem Chriſtianum ab Ibericae Inquiſitionis tyrannide et invaleſcente ubique monarchia, vindicet: non tam parum adflictos Pannoniae populos genteſque finitimas pia commiſeratione regem proſequi; imo animis angi et diſcruciari, quod ſibi per aſſiduas Hiſpanorum inſidias ac dolos talentum a Deo acceptum adverſus fidei Chriſtianae oppugnatores more majorum expendere, et militaris rei peritiam, quam per tot diſcrimina a pueritia didicit, ad totius reipublicae ſalutem et gloriam exercere non liceat: Hiſpano autem Gallicis provinciis undique inhiante, atque Hungaris ceteriſque, quorum res proxime agitur, nec rogantibus nec monentibus, ut patrium regnum deſerat, ac per ſuam ruinam non tolerabiliori ſervituti, quam quae a Turcis impendet, Germaniam exponat, qui ſuaſerit, nae eum merito ſuſpectum parumque aequum conſultorem viſum iri; laudandamque potius eſſe celſitudinis ſuae cum admirabili prudentia conjunctam pietatem, quae Saxoniae milites in Pannonia tantum militare, neque in aliud bellum, niſi petita a ſe venia, conſcribi, paſſa eſt. Hoc additum, ut Saxo ſpecioſi ſui reſponſi memor ſe neutrum in hoc bello gereret, neque auxiliareis, quos Gallis negabat, Hiſpanis concederet: nam ſub id allatum fuerat, ipſum VIII CIↃ equitum ſcripſiſſe, colore quaeſito, ut tot hominibus undique ad ſigna confluentibus fineis ſuos tueretur; quod regi Belgiciſque Ordinibus valde ſuſpectum erat. Eodem tempore et Edvardus Fortunatus [a] Badenſis peditem Germanum legebat, Hiſpanis addictus, in alium, ut credi volebat, uſum; qui paulo poſt circa Limburgum ſtipendii defectu diſſipatus eſt. Regis Daniae, qui ſub id Torgam venerat, cum Saxone collocuturus, et mox exiguo comitatu domum redierat, quanquam bene in cauſa publica affectus eſſet, et jam tum ad Imperium per eam ſibi viam ſternere velle videretur, tamen, quod juvenis eſſet, et aliorum ſuper ea re principum judicium potius quam proprium ſecuturus crederetur, ac pleroſque circa ſe conſiliarios factioni Hiſpanae addictos haberet, animum tentari minime placuit; tantumque de foedere antiquo, cum majoribus ejus Franciſco I et Hentico II regibus inito, cum ipſo nunc renovando agi. Sed, archetypo per haec bella amiſſo, cum exemplum fruſtra inter Caroli [b] Danzaei, qui in Dania res regias diu procuravit, ac tandem obiit, chartas veſtigatum eſſet, negotium in aliud tempus dilatum fuit. Tandem, cum nemo de foedere

INTERPR. [a] *le marquis de Baden.* [b] *de Danzé.*

foedete aſſentiretur, ſinguli alias atque alias excuſationes praetexerent, univerſi invidiam ejus deprecarentur, Palatinus et [a] Onosbachius, quos primos ut melius animatos convenerat Ancellus, ſcripto manu propria et ſigillo firmato reſponderunt, ſacri Imperii reverentia ſe prohiberi, ne ſoedus cum rege Chriſtianiſſimo percutiant; idque ſemper in cauſa fuiſſe, cur alias, cum major neceſſitas urgeret, et ampliora auxilia ſperare poterat, ab eo abſtinuerint: de cetero, quae Jacobo Bongarſio privatim antea polliciti ſunt, exſequi paratos; ac dolere ſibi, quod Turcici belli ſumptibus, aliiſque ſuperiorum bellorum temporibus in Gallia factis, id Palatini cauſa additum, exhauſti, plus regis cauſa non poſſint: non diffiteri id ſibi perexiguum pro tanta belli mole, quod Chriſtianiſſimi regis humeris incumbit, ſuſtinenda ſubſidium videri, ac cupere ut legio II CIↃ IↃ peditum cum ſemeſtri ſtipendio in Galliam mittatur: ſed, niſi a ceteris principibus pecunia conferatur, ipſos per ſe tot ſumptibus faciendis pares non eſſe. Ita poſt honeſta verba hinc inde commutata dimiſſus Ancellus, ſpe tamen facta, ut regis aliunde rebus ex alia occaſione non parum adjumenti adferatur. Id primo minime explicatum; poſtea compertum, [b] Reideri reguli viri rerum experientiſſimi interventu tentatas Clivenſium ordinum voluntates, et, ſi mature Palatinorum et Brandeburgicorum principum, ad quos ea ſucceſſio ſpectat, nomine II legiones peditum cum bis mille equitibus mitterentur, ad defectionem ſpectare. Ut in ejus belli ſocietatem venirent ſolicitati ab Onosbachio Palatinus ſeptemvir, et ab Ancello regis nomine Wirtembergicus; quod ſi ab illis ſerio ſuſcipiebatur, non parva ex eo ad regem utilitas redibat: nam, etſi auxiliares a Germanis ſperati minime obtinebantur, per eos tamen excitato in Belgii limite bello periculoſo, et parte copiarum Alberti in eo occupata, tantundem vires Hiſpanorum contra Galliam deſtinatae minuebantur. Verum hoc, ut et alia multa conſilia, quae non ab unius imperio ſed ex plurium auctoritate pendent, conſumpto inter itus reditusque tempore et ducum belli ardore reſtincto, prorſus evanuit.

IV. DUM Ancellus pro rege Chriſtianiſſimo in Germania laborat, Franciſcus Mendoza in Aragoniae regno maris praefectus cum Philippi et Alberti ſecretis mandatis principum et epiſcoporum Imperii civitates Hiſpana pompa perambulat. Igitur ex Lucemburgico agro profectus, per [c] Treviros, Moguntiacum, Herbipolim, Norimbergam facto itinere, tandem in aulam Caeſaream pervenit exeunte anno ſuperiore. Inde ad Ferdinandum archiducem perrexit, eumque [d] Graecii, quod eſt Stiriae caput, convenit: poſtea [e] Salisburgum Norici metropolim deflexit, ubi Hannibalem [f] Rotenavium in Calatravae ordinis equitum collegium Philippi nomine cooptavit. Actum et, reflexo [g] Auguſtam Vindelicorum verſus itinere, cum Matthia archiduce; et poſtea Viennae cum Maximiliano fratre, qui poſt cladem ad [h] Agriam acceptam, vix admiſſo ſolatio, ſe moeſtus eo contulerat. Inde in Poloniam, ſicuti per veredarios in itinere miſſos a Philippo jubebatur, contendit; ac, facto per [i] Olmucium itinere, XV Kal. Febr. Cracoviam venit, cum Sigiſmundus rex ad comitia Warſaviae indicta abeſſet. Heic reliquum menſem cum Andrea Ratzivilio cardinali urbis epiſcopo, et Henrico Cajetano itidem cardinali, a Clemente VIII ad foedus inter Caeſarem et Polonum ſanciendum miſſo, contrivit, et Warſaviam, quae Maſſoviae caput eſt, IV Eid. Febr. pervenit, ut in tanto procerum conſeſſu, ſumma magnificentia exceptus; inter quos Joannes Samoſcius regni cancellarius et generalis exercituum imperator eminebat, qui tum ſplendore comitatus, tum morum gravitate et apud omneis auctoritate, regem potius, quam quod in ea republica munus gerit, referre videbatur. Cum filiae recens Sigiſmundo natae e ſacro lavacro ſuſcipiendae

deſtinatus

INTERPR. [a] *le marquis d'Anſpach.* [b] *Reider.* [c] *Treves, Mayence, Wirtzburg, & Nuremberg.* [d] *Gratz en Stirie.* [e] *Saltzbourg.* [f] *Rotenaw.* [g] *Augsburg.* [h] *Erle en Hongrie.* [i] *Olmutz.*

deſtinatus eſſet, adverſa puellulae valetudine effectum erat, ne diutius ritus ſolemnes differri potuerint: quod apud Mendozam excuſavit regina. Summa legationis erat, ut amicitia poſt acerbas adeo contentiones inter Auſtriacos Polonoſque jam aliquo modo compoſita, amplius accedente Philippi auctoritate, ſanciretur, foeduſque novum, ſi fieri poſſet, adverſus communem hoſtem iniretur; efficereturque, ut in regni comitiis bellum ei, niſi a bello Hungarico ſe abſtineret, denunciaretur; quod cardinalis Cajetanus a pontifice miſſus praecipue urgebat: tum de Belgii in Claram Eugeniam Iſabellam filiam transferendi conſilio rex certior fieret, ab eoque peteretur, ne ſpecie commercii quidquam in foederatarum provinciarum, quae contra legitimum principem ſuum rebellaſſent, gratiam in comitiis decerneretur. Addit Thomas [a] Sallius e ſodalitio Jeſuitico legationis comes, inſigni Mendozae induſtria et pietate factum, ut ſubdolae Anglorum artes, quibus cancri inſtar cuncta in portubus maritimis arrodere ſtudent, et emolumenti perituri ſpecie animarum lucrum impedire, omnes ſint detectae, ac ipſe titulus, quo reges Poloniae hucuſque reginam Angliae tanquam fidei defenſatricem honeſtaſſent, merito in poſterum fuerit ſublatus; tantumque ea legatione profectum dicit, ut porro quod mordeat et necat regina ſit habitura, ſi quae ipſius collo aptata ſunt ad finem pertexantur. Poſt innumera a Philippo Albertoque oblata, et lautia viciſſim data, commeatu accepto Mendoza Kalendis Martiis diſceſſit. De foedere contra Turcas nihil impetratum: quam in partem licet rex propenderet, a Jeſuitis patribus perſuaſus, tamen diſſentiente procerum conſilio, et Samoſcio inprimis, qui Stephani deceſſoris ſui ſapientiſſimi principis ſententiam in contrarium adducebat, et Sigiſmundo Bathorio Tranſylvano, id jam damnoſum ac porro damno ſuorum fore augurabatur. Ne tamen communis Chriſtianorum cauſa belli in ſpeciem juſtiſſimi excuſatione deſeri videretur, cum legato Tatarorum, qui ad comitia de more venerat, actum, ut ſe a Turcis deinceps alieniores praeberent. Inde Pragam reditum. Qui res penitius ſerutantur, aiunt haec ſecreta mandata Mendozae data, ut [b] Veſontionis vicecomitatum, qui in [c] Cabilonorum familia hereditarius per ſucceſſionem legitimam ad Naſſovios tranſlatus fuerat, per Gulielmi [d] Arauſionis principis proſcriptionem ad Imperium devolutum, in Philippum vicarii titulo conferri peteret: inſuper ut Caeſar aperte bellum iis Imperii principibus indicat, qui pacem cum Belgii Ordinibus impediunt; ut gubernatorem et ſenatum in [e] Clivenſi et Juliacenſi ditione conſtituat, qui quamdiu princeps morbo praepeditus, quo minus rebus ſuis intereſſe poſſit, publicam rem imperiali auctoritate adminiſtrent; ut ſententia contra [f] Aquiſgranenſeis lata, ad coercendam eorum omni gratia indignam contumaciam, ſine dilatione executioni demandetur: maritimis civitatibus mature imperiali decreto proſpiciatur, ad refraenandas Anglorum piratarum viſcera Imperii arrodentium audaces et temerarias depraedationes: liceat Philippo VI aut VII legiones in Belgio contra rebelleis militaturas per Imperii ditionem conſcribere. Ad I caput a Caeſare reſponſum, non poſſe inconſultis Imperii principibus et ordinibus de Veſontiorum vicecomitatu ſtatui, ſed de eo proximis comitiis actum iri, ſpe facta, ut Philippi ea in re deſiderio cumulate ſatisfiat: ad II et VI, expectandum quid delegati ad Ordines Belgicos reſponſi ab iis relaturi ſint, ex eoque conſilium in tempore captum iri; nunc intempeſtivum videri, ut, Germania tota in bellum Hungaricum intenta, ipſe in Imperio militem alio deſtinatum ſcribi patiatur: ad III, decreviſſe homines majorum religioni addictos in Cliviam mittere, qui periculo impendenti praevertant; interim Philippum per ſuos belli duces ad omnia intentum eſſe debere; ea tamen cautione adhibita, ne eorum, ad quos ea ſucceſſio ſpectat, animi per ſuſpiciones irritentur;

nam

INTERPR. [a] *Sailly.* [b] *Beſançon.* [c] *Chalons.* [d] *Orange.* [e] *Cleves, & Juliers.* [f] *Ceux d'Aix la Chapelle.*

ńam Caeſaris et Imperii tranquillitatis intereſſe, hoc praeſertim rerum ſtatu, ut potius CIↃIↃXCVII.
eos placatos quam adverſos habeat: de IV et VIII in proximis Imperii comitiis actum HENRICUS IV.
iri, neque inpraeſentiarum aliud decerni poſſe. Mendoza cum his reſponſis diſceſſit XI Kalendas Junias, accepto a Caeſare inter alia munera ad Albertum fratrem perferendo pulvere tormentario, qui abſque ſtrepitu glandes emittit. In itinere [a] Norimbergae cum [b] Andrea a Curia patricio urbis in arcano agit de templo Catholicis in ea aſſignando, ſicuti [c] Auguſtae Vindelicorum et [d] Francofurti ad Moenum fiebat: cumque ad id operam ſuam prolixe detuliſſe memorat Sallius; ejuſque rei tam Caeſarem quam oratorem pontificium, qui in ipſius aula erat, certiorem feciſſe Mendozam; qui inde, per [e] Herbipolim, Francofurtum, [f] Moguntiacum facto itinere, Coloniam deſcendit, et mox Aquiſgranum venit, ut animos ſacro ordini, paucisque majorum religioni in urbe addictis, adverſus Proteſtanteis, qui viribus praepollent, faceret, et auxilia a Caeſare et Alberto promitteret. Tandem per [g] Leodicum, Namurcum, Nivellas, Bruxellas ad Albertum reverſus eſt; a quo ſumma equitatus praefectura, quam meritis ſuis debitam jampridem Camillus Caracciolus Avellini princeps ſpe devoraverat, excluſo illo, ob rem egregie ea legatione geſtam, non ſine publica ac Italorum praecipue indignatiobe, donatus eſt.

V. INTEREA res vario eventu in Belgio geſta. Poſt Hulſtum captum et dimiſſas in hyberna cópias de inſtruendo novo exercitu cogitans Albertus negotium dederat Roberto Barbanſono Arenbergii comitis fratri, ut delectus in Colonienſi ditione haberet, et [h] Hachicurtio, ut [i] Coquellii ſupplendae legioni militem legeret; locumque univerſis copiis [k] Tornahutum deſtinaverat, ad quem praeterea [l] Burlotae et Trivici legiones, et Germani, qui ſub [m] Sultzio comite merebant, et aliquot alae equitum Hiſpanorum, Joanne [n] Cordubenſi, Alfonſo [o] Dracone, Joanne Guſmano [p] Grobendonco ducibus, et levis armatura, cui Nicolaus Baſta praeerat, die dicta convenirent. Univerſis impoſitus Marcus Ria [q] Varaſſii comes Varamboni frater, nobilitate quam belli experientia melior; qui, dum in loco nec ſitu nec arte munito ſecurius agit, Mauritio ad omnia intento ejus invadendi commoditatem praebuit. Is igitur ex vicinis praeſidiis delectos, partim pedites, partim equites, ad IV CIↃ [r] Fanum-Gertrudis praemittit. Ipſe eodem XII Kal. Febr. venit cum comite Solmenſi, Philippo Hohenloi comite, Franciſco Veero, aliiſque belli ducibus; eodemque mox et venit Robertus [s] Sidneius Vliſſingae praefectus cum CCC Anglis, et [t] Brielae praefectus cum CC. Poſtridie inſtructis ordinibus progreditur, et Revelium haud longe a Tornahuto acceſſit, jam de Mauritii conſilio certis Philippicis. Sed confuſa omnia erant in eorum caſtris, incerto quid ageret Varaſſio. Tandem, cum [u] Erentalium peti placeret, inſtructa per tumultum acies, eo ordine, ut Germani praecederent, in acie Belgae ſtarent, Hieronymus [w] Denticius, qui per Trivici abſentiam Neapolitanis praeerat, ultimum agmen clauderet. Dum incedunt ad vadum haud longe a Tornahuto relicta delectorum ſcloppetariorum manus, quae equitem recedenteis inſequentem diſtineret. Equites CCCC numero in IV agmina diſtributi dextrum latus tegebant; laevum ſylva objecta defendebatur. Mauritius, diſceſſu hoſtium cognito, equites praemittit; et, vado protinus a CC majoribus ſcloppetariis, quos Franciſcus Veerus ducebat, ſuperato, Hohenloo dat negotium, ut Neapolitanos in ultimo agmine crebris aſſultibus eo uſque laceſſeret, donec ipſe cum equitatus et peditatus integro robore adveniſſet.

Incumbente

INTERPR. [a] *Nuremberg.* [b] *André Imhoff.* [c] *Augſburg.* [d] *Francfort ſur Mein.* [e] *Wirtzburg.* [f] *Mayence.* [g] *Liege, Namur, & Nivelle.* [h] *d'Hachicour.* [i] *la Coquielle.* [k] *Turnhout.* [l] *la Bourlote, & de Trivico.* [m] *de Sultz.* [n] *de Cordouë.* [o] *Dragon.* [p] *Grobbendonck.* [q] *de Rie comte de Varax.* [r] *Gertruydenberg.* [s] *Sidney gouverneur de Fleſſingue.* [t] *la Brille.* [u] *Herentals.* [w] *Dentici.*

CIↃIↃXCVII. Incumbente Hohenloo Neapolitani primo conſiſtere; dein frontem vertere: ſed mox HENRICUS IV. hinc inde impulſi a recentibus, neque multum ab equitatu ſuo defenſi, primo ſoluti, ad extremum diſſipati, fugere; cum Mauritius cum equitatu et peditatu ſupervenit, qui in diſpalaros effuſus magnam ſtragem edidit. Ex Neapolitanis, qui primi impetum Mauritianorum ſuſtinuere, et Germanis bis mille et amplius cecidere: capti cc circiter, et in iis junior comes Mansfeldius. Varaſſius, ut erroris admiſſi culpam expiaret, inter primos deſideratus. Septimus [a] Fabius, ex Romana nobilitate vir primarius, inter caeſos graviter ſauciatus et ex vulneribus deformatus cum aliquandiu jacuiſſet, tandem ex oris ſpecie, poſtquam a lixis tanquam mortuus ſpoliatus eſt, a victore agnitus, humaniter acceptus ac curatus priſtinam valetudinem recuperavit. Amiſſa XXXVIII ſigna peditum, II equitum, Alfonſi Draconis vexillum, et omnia fere impedimenta, nec non et pecunia, quae exſolvendo militi ſtipendio paulo ante eo miſſa fuerat. Mauritius, Tornabuto direpto, et arce poſt triduum territis praeſidiariis recepta, eique [b] Heraugerio Bredae praefecto impoſito, Hagam mox reverſus eſt, ob rem bene geſtam ubique feſtis plauſibus exceptus. Ibi Erneſti [c] Baioari Colonienſis ſeptemviri legati auditi, qui de excurſionibus continuis, quae ab Ordinum praeſidiariis tam in [d] Eburones quam [e] Ubios fiebant, querimoniam inſtituerent, et de [f] Aemiliae Meurſiae dominae cauſa, cujus patrocinium Ordines ſuſceperant, cum iis transigerent. Ea Philippo Momorantio [g] Hornaeo primum nupſerat, dein Adolfo Nuenarae comiti ante VIII annos ad Arnhemium caſu miſerabili extincto, qui Erneſto ſemper infeſtus hoſtis, belloque cum Gebbardo confecto ab eo proſcriptus fuerat, tanquam archiepiſcopatus Colonienſis beneficiarius. Verum illa Meurſiae comitatum Hermanni fratris ſucceſſione ad ſe devolutum mariti crimine amitti non potuiſſe cauſabatur. Nihilominus Parmenſis locum occupaverat, et Camillum [h] Modillianam ei muniendo praefecerat; qui et ipſe crebris excurſionibus vicinos admodum infeſtabat. Cum res ad concordiam inclinare videretur, tamen, ſubortis novis difficultatibus, nihil agi potuit. In [i] Schenkiano caſtello, a Martino illo famoſo belli duce ad Moſam exſtructo, novis operibus muniendo, nec non [k] Noviomago in Sicambris validiore praeſidio firmando, quod petituri Albertini credebantur, ab Ordinibus tunc praecipue laborabatur.

VI. ALBERTUS Bruxellis, poſt Tornahutanam cladem ſupplendis legionibus et expediendae rei pecuniariae intentus, magnis difficultatibus conflictabatur, cum, haerente eo ac paene de rebus ſuis deſperante, fortunae variantis inopinato beneficio caſus in Ambianis accidit, qui res noſtras illiuſque multum erexit turbavitque, ac tandem feliciore quam putabatur exitu ad pacem inter utroſque principes ſanciendam maximum momentum attulit. [l] Samarobriga, caput gentis, urbs dives, ac populo armorum, ut in limite, non inexperto potens, templiſque ac pulchris aedificiis ornata, ob praecipuam in reges fidem ab antiquo ampliſſimis privilegiis et immunitatibus quoque donata fuerat, cuſtodia urbis penes [m] decurionum collegium, quod in ea magnae auctoritatis erat, manente. Itaque neque novo tributo ullo, neque praeſidio tam intra urbem quam in ſuburbiis accepto, gravari poſſe per privilegia ſua cauſabatur, ut fide, ſic libertate ſemper inviolata ſervata, uſque ad poſtremos tumultus Gallicos; a quibus in partes ut aliae pleraeque raptata, tandem regi reconciliata, rurſus antiquorum privilegiorum ab eo confirmationem impetraverat. Capto [n] Durlanio aliiſque in propinquo locis, a rege ſaepius moniti decuriones, ut ſibi tam vicino hoſte diligentius caverent, et ad tempus Helvetiorum praeſidium in ſuburbiis ſaltem acciperent, ſemper recuſaverant, pares ſe cuſtodiendae urbi, quam

tot

INTERPR. [a] *di Fabii.* [b] *Heraugieres.* [c] *de Baviere.* [d] *Liege.* [e] *Cologne.* [f] *Amelie comteſſe de Meurs.* [g] *le comte de Herne..* [h] *de Modigliana.* [i] *le fort de Schenck.* [k] *Nimegue en Gueldre.* [l] *Amiens.* [m] *le corps de Ville.* [n] *Dourlans.*

CIƆIƆXCVII.
HENRICUS IV.

tot annos incolumem regibus ſervaſſent, eſſe ſuperbe confirmantes. Et cum, miſſis nuper XXV majoribus tormentis cum omni apparatu bellico, Helvetii, qui ea deduxerant, in domibus urbi proximis hoſpitium ſumpſiſſent, non deſtiterunt decuriones, privilegia ſemper ſua ac fidem virtutemque ſtolida vanitate obtendentes, apud Franciſcum [a] Aurelianum Fani-Pauli comitem provinciae praeſidem, qui tunc in urbe erat, donec illi ad pagum IV ab urbe lapide diſſitum ablegati ſunt. Exulabat ab urbe quidam [b] Dumolinus nomine; qui, ſive impunitatem ſceleribus, ſive rebus attritis ſuis ſubſidium quaerens, notato in urbe noctu excubias ex vetere inſtituto diligenter obiri, interdiu oppidanos numero confiſos ad portarum cuſtodiam infrequenteis ſedere, per amicos ad Ferdinandum a Tello [c] Portocarrerum Durlanii praefectum introducitur, et urbem quantumvis magnam ac populoſam media in luce intercipi poſſe oſtendit, ſi ſilentio res tegatur, et idoneo numero copiae improviſae ad eam admoveantur. Rem minime negligendam ratus Portocarrerus, per Franciſcum [d] Arcum ſtrenuum centurionem et Gallicae linguae peritum, et [e] Cruceium ordinum ductorem, portas et acceſſum et cuſtodias diligenter explorari curat. Qui cum conatum ſuccedere poſſe affirmarent, ad Albertum Kalendis Martiis Arcus mittitur, ut eum de re tota edoceret, et mandata ab eo ad ceteros praefectos acciperet. Auditus ab Alberto in arcano Arcus, cum denuo, ſi ſolertia militaris adhiberetur, expeditionem exitu non carituram confirmaret, e veſtigio ad Portocarrerum remittitur; eodemque tempore ad vicina praeſidia ſeorſim ſcribitur, imperato ſingulis ſilentio. Delecti IƆC equites, et II CIƆ pedites, ſcloppetariorum equitum alae II, Rogerio [f] Taccone et Sebaſtiano Gaudeto ducibus; ſcloppetariorum loricatorum ala I duce Daniele [g] Gauro, VI haſtatorum, Hier. [h] Auriae, Caroli [i] Sangrii, [k] Vergii et [*] Oſii primariorum in Sequanis regulorum, Joannis Guſmani, et Andreae [l] Lambreſii; quibus univerſis praeerat Hieron. [m] Carafa Montis-nigri marchio: pedites CCC Hiſpani ex Alfonſi Mendozae legione, Didaco [n] Durango, Inico Otalora ducibus; quibus ad [o] Malabovium et Bavacum hoſpitium attributum fuerat, iiſque praeeſſe juſſus Alfonſus Ribera: totidem ex Auguſtini Mexiae legione Cameraco evocati, Didaco [p] Naſuera, Alfonſo [q] Tauſto, et Sunica ducibus; quibus praeerat Ferdinandus Deza: CCL Hipris evocati ex legione Antonii [r] Sunicae, Alfonſo Conſalvo et Olao ducibus. [f] Caleto arceſſiti IƆ partim [s] Sequani, partim Germani, cum ſcloppetariis equitibus Petri [t] Galeci, qui univerſis praeerat; CCCC ex Hibernica [u] Stanleii legione duce [v] Baſtoco, et CC Belgae, quos [w] Emmius provinciae regulus [x] Bapalmae praefectus ducebat. Convenire omnes juſſi ad [y] Orvillam haud longe a [z] Durlanio ſub veſperam VI Eidus Martias; quibus eadem hora ſupervenit Portocarrerus expeditionis dux. In [aa] Altilia tranſmittendo tantum temporis conſumptum, ut in tempore ad [bb] Samatobrigae portas eſſe deſperarent, ſiquidem VII leucae interjacebant, et ad diſponendas inſidias temporius advenire neceſſe erat. Tamen a viae ducibus incitati, et praecipue a Jo. Baptiſta [cc] Dognano Mediolanenſi, in viam ſe dederunt, et ante auroram ad locum deſtinatum venerunt. Sic autem compoſitus ordo: ad ſacellum, quod non plus ſcloppeti jactu ab urbe abeſt, Franciſcus Arcus et Cruceius, qui locum exploraverant, CC ſcloppetarios, quibus Deza et Otalora praeerant, juſſi ducere, qui [dd] portam Monteſcutanam occupaturis

INTERPR. [a] *d'Orleans comte de S. Paul gouverneur de Picardie.* [b] *Du Moulin.* [c] *Puerto-carrero.* [d] *del Arco.* [e] *la Crux.* [f] *les capitaines Tacon, & Gaudet.* [g] *de Gaure.* [h] *Doria.* [i] *de Sangre.* [k] *de Vergy, & d'Oyſi.* [l] *Lambreſe.* [m] *Carafa marquis de Montenegro.* [n] *Durango, & Iniguez de Otalora.* [o] *Maubeuge, & Bavay.* [p] *de Naguera.* [q] *les Eſpagnols le nomment Alonço de Tauſte.* [r] *de Zuniga, Alonço Gonçalez de Guadalaxara, & Miguel de Olaque.* [f] *Calais.* [s] *Franc-Comtois.* [t] *Gallego.* [u] *Stanley.* [v] *Boſtock.* [w] *le Sr d'Emme.* [x] *Bapaume.* [y] *Orville.* [z] *Dourlans.* [aa] *Authie r.* [bb] *Amiens.* [cc] *Dognano.* [dd] *le porte de Montreſcut.*

NOT. [*] *Oſii.* Il n'y a point dans la Franche Comté de maiſon de ce nom, mais bien d'Oyſelet. Il faut que ce ſoit le baron d'Oyſi en Cambreſis. De Vergy eſt de la Franche Comté. *Put.*

occupaturis praeſto eſſent. Portocarrerus ad [a] Magdalenae coenobium altero ab urbe lapide cum reliquo peditatu conſedit, et cum loricatorum ala Danielis Gauri: longius equitatus, quem Montenegrius ducebat, in valle ſubjecta inter ſaliceta latitabat. Jam hora VIII inſtabat, a qua per quadrageſimam in templis conciones haberi ſolent. Tum, per Arcum, qui proceſſerat, ad Portocarrerum relato, omnia in urbe quieta eſſe, ac nullum inſidiarum metum, Dognano portae Monteſcutanae occupandae negotium datur; eique XIV delecti rei antea omnino ignari comites adjiciuntur, qui ruſticorum habitu, cum penulis oblongis ut arma tegerent, incedebant; ac III primi carrum, III equis tractum et craſſis paxillis palea deſuper ambiente oneratum, ducebant: ii erant, Belga quidam miles ſtrenuus, qui aurigae officio ſungebatur, ad dextram Dognanus, ad laevam Cruceius. Eos pone ſequebantur IV eodem habitu, ſaccos pomis et nucibus plenos deferentes; et rurſus VI alii, quibus Germanus centurio praeerat: ultimum Franciſcus Areus quaſi agmen claudebat. Poſtquam carrus ſub raſtris haeſit, ſcloppeto diſploſo, ut ſignum ſociis daretur, oppidani ſolidum raſtrum confeſtim laxarunt, quod carrus ſuſtinuit: alterum, quod ex trabibus decuſſatis conſtabat, et uncis dentibus ferreis horrebat, paene comminutum; ita ut porta omnino obſtrueretur, niſi forte dente uno in carro ſuſpenſo irrumpentibus aditus per eum patuiſſet. Interim VI, quos Germanus ducebat, ad ſignum abjectis ſaccis arma expediunt, et ſtationarios aut interficiunt aut diſturbant. Porta occupata, moxque CC Hiſpanis, qui in ſacello proximo latebant, ſupervenientibus, pauci ex oppidanis, qui ex templis ad ſtrepitum armis raptis accurrerant, parvo negotio caeduntur; ante alios Dognano rem ſtrenue gerente, qui in capite ictus ex vulnere occubuit. Hiſpanis ingreſſis ſtatim comparuerunt ceterae tam pedeſtres quam equeſtres copiae, quae in inſidiis erant; et Daniel Gaurus cum XXV ex ſuis loricatis in pedes deſcendit, et, repulſis oppidanis, Portocarrerus juxta compoſitum ordinem ſingulos duces per ſingulos vicos diſtribuit, qui conferti palanteis opprimerent. Hiſpani cum equitatu per majorem vicum ad plateam majorem perrexerunt. Baſtocus, qui Hibernos ducebat, ad laevam, ut pomoerium occuparet, et portam, qua ingreſſi erant, ſervaret, deflexit. [b] Galecus cum ſuo agmine ad dextram verſus [c] portam Bellovacenſem contendit. Montenegrius cum Rogerio [d] Taccone, Daniele Gauro, et Ludovico [e] Guiſcardo, Sebaſtiano [f] Gaudeto, ſtrictis enſibus hinc inde diſcurrebant. Sed vehementi pavore ob caſum inopinatum correpti oppidani poſt exiguum certamen huc illuc ſubito diffugere, praeſertim ubi ſenſere [g] Fani-Pauli comitem urbe per portam Bellovacenſem digreſſum, ſi forte Helvetios aliaſque equeſtreis copias in propinquo ciere, et, dum Hiſpani praedae intenti eſſent, ad recuperandam urbem in tempore poſſet adducere. Verum diligenter caverat Portocarrerus, diſpoſitis ubique ſtationibus, ne, antequam urbs in poteſtatem plene redacta eſſet, ad praedam diſcurreretur. Ita capta urbs populoſa a III CIƆ, cum in ea XV CIƆ amplius armatorum numerarentur; ex quibus LX circiter deſiderati, ex hoſtibus non amplius V.

VII. TANTAE jacturae, tamque alieno tempore acceptae nuncius regem nihil tale cogitantem, cum nuper [h] Rotomago a comitiis revertiſſet, Lutetiae oppreſſit; qui, turbatis omnibus, ipſe intrepidus, omiſſis ſtatim aulae oblectamentis, [i] Bellovacum et Deſiderii montem contendit, et oppidis iis praeſentia ſua confirmatis [k] Corbiam perrexit, locum ſupra [l] Samarobrigam ad Somonam ſitu firmum, ſicuti [m] Piquinium infra eſt, ut qui haec duo loca teneat, taurum, hoc eſt urbem mediam, ambobus cornibus tenere videatur. Multa eum et diverſa ſimul angebant, animo reputantem, tot amiſſas intra breve tempus in limite, ex quo ſolo belli externi moles in Galliam incumbebat,

INTERPR. [a] *l'Abbaye de la Magdelaine.* [b] *Gallego.* [c] *le porte de Beauvais.* [d] *Tacon.* [e] *Guiſcardi.* [f] *Gaudet.* [g] *St. Paul.* [h] *Rouen.* [i] *Beauvais, & Montdidier.* [k] *Corbie ſur Somme.* [l] *Amiens.* [m] *Piquigny.*

incumbebat, urbes, et ipſam Samarobrigam, quae vi aperta inexpugnabilis credebatur, aſtu tam facili ab hoſte interceptam; eaque capta crebro Hiſpanos ſub portas uſque Lutetiae excurſuros, et urbem regiam, inque regni viſceribus ſitam, pro limite futuram, aſſuetoſque otio et quieti populos aſſiduis complorationibus aures ipſius fatigaturos: ad haec non bene confirmatos civitatum nuper reconciliatarum animos, et incertas pleriſque regni locis voluntates: Mercurianum adhuc in Armorica praepotentem, quae provincia Hiſpanorum jus in ea ſibi vindicantium conatibus valde opportuna eſt. His accedebat Proteſtantium veluti ſeceſſio; qui, porrecto ante annum in Farae obſidione ſupplici libello, ab eo tempore permiſſum a rege conventum variis protelationibus continuabant, ex eaque occaſione praecipui belli duces a regiis caſtris aberant. Nuſquam triſtior in regno facies, quaſi illo ictu regia majeſtas et Gallicum nomen concidiſſent, attonitis ubique animis, et in omnem eventum ſuſpenſu, ſive urbs dolo militari capta in poteſtate Hiſpanorum maneret, ſive a rege vi reciperetur: nam ex eo ſucceſſu aut imperii diſſolutionem, aut regii faſtigii inſtaurationem, ſecuturam. Contra tot impendenteis calamitates, tot undique prementeis anguſtias, invictam in adverſis conſtantiam et inſitam in periculis inſtantibus animi praeſentiam rex opponebat, urbem aſtu amiſſam vi recuperare certus; ſeque interim apud omneis et in colloquiis ac per literas ea maxime ratione ſolabatur, quod non culpa ſua, ſed obſtinata oppidanorum pervicacia, qui praeſidium nunquam accipere voluiſſent, Samarobriga in hoſtium poteſtatem veniſſet. Itaque ubi Corbiam venit, ſtatim [a] Carolo Guntaldo Birono equitum tribuno negotium dat, ut cum iis quas penes ſe habebat in limite copiis, eae autem vix III CIↃ peditum, partim Gallorum partim Helvetiorum, Gaſpare [b] Galatia et Baltazare Griſſaeo tribunis, et IↃC equites initio excedebant, urbem ab ea parte cingeret, quae, licet munitior, auxiliaribus ex hoſtico venientibus patebat. Ille jam ad [c] Longum-pratum, id pago urbi proximo nomen, ſe muniverat, et aſſiduis hinc inde excurſionibus tam ex urbe erumpenteis hoſteis quam [d] Durlanio venienteis fatigabat. Albertus, etſi tanto ſucceſſu ultra modum laetus, tamen in ſumma ob revocatas in Hiſpania penſiones pecuniae penuria non mediocriter animi diſcruciabatur, undiquaque circumſpiciens qua ratione partam fortunae beneficio gloriam tueretur. Sic enim judicabat, ad famam ſummopere pertinere, quod tantam urbem, cum minus putabatur, in Gallico limite cepiſſet; ſed prudentiores id fortunae, potius quam virtuti, aſſignaturos: contra, ſi captam ſervare nequeat, non tanti fuiſſe illam capi, ut eam ante oculos, ſummo cum exiſtimationis Hiſpanorum diſpendio, a Gallis magna ſua cum clade recipi patiatur; idque Hiſpanorum imbecillitati, et virtuti Gallorum, tributuros. Igitur ſumma omnia faciebat, ut, poſtpoſito quod imminebat a Batavis periculo, quos nihil non tentaturos interim minime dubitabat, totas vireis et opes in deſendenda Samarobriga expenderet; et ita per Franciſcum [e] Arcum rei bene geſtae nuncium ad ipſum miſſum, et ob id cohortis praefectura donatum, Portocarrero confirmaverat. Secundum haec ſuburbia ab Hiſpanis incenſa, et in iis [f] S. Joannis coenobium admirandi operis, quod urbi imminebat. Ab ortu Somona ex Corbia deſcendens urbem intrat, et divortio aquarum ſeptentrionem verſus tendens arcus ſpecie eam complectitur, ac tandem ab occaſu eandem deſerit, [g] Piquinium et Abbatis-villam verſus labens; tribuſque pontibus in urbe jungitur, et cum altero brachio confluens inſulam oblongam efficit; ad Monteſcutanam portam humilior, quod editior is locus ſit. Itaque Portocarrerus ab ea parte, qua noſtri vim praecipue facturi erant, aquae urbem ineuntis aditum obſtruxerat, ita ut aqua in foſſa ſpatioſi

INTERPR. [a] *Charles de Gontaud de Biron mareſchal de France.* [b] *les colonels Galati & Griſſac.* [c] *le village de Longpré.* [d] *Dourlans.* [e] *del Arco.* [f] *l'Abbaye de S. Jean.* [g] *Piquigny, & Abbeville.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

ſpatioſi propugnaculi portae objecti VIII pedum altitudine regurgitaret, cum prius vix duos pedes alta eſſet, et in campos ſubjectos, ſed exiguo noſtrorum incommodo, Corbiam verſus reſtagnaret. Dum feſtinatis a Birono operibus vallum ducitur, antequam aditus omnino praecluderentur, Joannes Guſmanus ineunte Aprili cum IↃ equitibus miſſus, in quibus erant ſua, Simonis [a] Loterii, Fr. [b] Fontei, Tiliae, et [c] Lilii alae, et III ſcloppetariorum equitum: qui cum ad labrum foſſae ſub ſolis ortum perveniſſet, dum ſignum datur, et porta aperitur, ad arma totis caſtris conclamatum, et acriter certatum; maloque loco res auxiliarium erant, cum, eruptione ab Hiſpanis facta, Alfonſus Ribera et Rogerius [d] Tacco cum equitatu, et Ferdinandus Deza cum delecta peditum manu, jam inclinantibus ſuis praeſto fuere. Deſiderati tamen ex iis aliquot et plerique vulnerati; Rogerius Tacco in pede ſcloppeto ictus, F. Deza lethaliter vulneratus XII Kal. Maias deceſſit. Bironus impiger dux ſub id Durlanium, unde obſeſſis ſubſidia veniebant, et quo capto magnas ad anguſtias res eorum redigebantur, tentavit, admotis ſcalis; quae breviores repertae conatum irritum reddiderunt. Jamque IV CIↃ Anglorum ex foedere in caſtra venerant, et novae Gallorum copiae quotidie undique confluebant. Nec Albertus quieſcebat, qui per [e] Scregelium tribunum III CIↃ peditum in Lucemburgico principatu legebat; qui vix exeunte Junio ad ſigna convenerunt. Serius et venere IV CIↃ Germanorum a Friderico Gulielmo Saxoniae adminiſtratore contra datam Ancello regis legato fidem ſummiſſa, et III CIↃ a Franciſco [f] Lauenburgo duce conſcripta, ob ſtipendii defectum; qua re maxime res Philippicae eo anno labefactatae ſunt. Alfonſus [g] Davalus in Italiam profectus propediem cum novo peditatu exſpectabatur, cui Belgici Ordines in tranſitu ſe oppoſituri credebantur.

VIII. INTEREA excurſionibus varioque aſtu hinc inde res gerebatur. Stenvica aſtu tentata XVII Kal. Apr. Ad [h] Hamam juxta Ommenam conſcii poſtquam convenerunt, inde per avia profecti cum pontibus portatilibus, ne per vicos tranſire neceſſe haberent, ſub alteram noctis horam portis urbis propinquavere, et in hortis proximis conſedere, commodum opperientes, dum nox ſubluſtris paululum obſcuraretur. Tum hora tertia matutina ad aliam urbis partem, qua impetum facturi erant, horrendis clamoribus ſtrepitum cient, tubaſque canere ac tympana pulſari jubent. Interea CC [i] Zantheno duce in foſſam ad ſeptentrionem taciti deſcendunt cum ferris, dolabris, objectum palorum murum inciſuri; magnaque vi rem gerunt: ſed ab oppidanis ad motum excitatis et ſeminudis ad defenſionem ſtrenue ſe parantibus pomoerio depulſi; totidemque duce [k] Malagamba pulſis ſuccedentes eadem oppidanorum alacritate, ac rurſus CCC duce Hermanno Henſio, poſt obſtinatum certamen, cujus fragor longiſſime exaudiebatur, tandem omnino diſturbati ſunt, et, aſportatis interfectorum corporibus, ſe receperunt. Captus Malagambae vicarius, ex quo inſidiarum ordo cognitus. Nec felicius ad Venloam aſtus proceſſit, quamvis et Mauritius ipſe cum pedite et equite delecto intereſſet, et omnia ex voto ad rem tentandam parata eſſent. Duae naves ad id inſtructae, quarum minore Matthias [l] Heltus expeditionis dux et ipſius vicarius cum L delectis, altera majore CC circiter portabantur. Porta ab Helto occupata cum caio urbis, dum praeſidiarii et oppidani gnaviter ſe defendunt, altera navis inter alias onerarias naveis, ut in tumultu, concurrenteis, aeſtu recedente, ad pulvinos in Moſa haeſit, et a Leodicenſibus naviculariis a tergo infeſtata ſuis laborantibus praeſto eſſe in tempore non potuit. In conflictu Heltus et [m] Skaleus ordinum ductor deſiderati; Helti vicarius graviter vulneratus vix ſariſſis decuſſatis ab Anglis exportari potuit. Conſcii aut ſuſpecti in oppido mox capti, et aliquot ex iis ſupplicio affecti.

INTERPR. [a] *Lotier Bourguignon.* [b] *la Fonte & Tellez, Eſpagnols.* [c] *de Giglies.* [d] *Tacon.* [e] *Skregel.* [f] *le duc de Saxe-Lauenbourg.* [g] *Davalos.* [h] *Ham près d'Ommen.* [i] *le capitaine Zanthen.* [k] *les capitaines Malagamba, & Herman van Ens.* [l] *Helt.* [m] *Schalck.*

affecti. Eodem tempore [a] Bellovaſius Rigiaei Atrebatum praefectus [b] Hulini-montem, CIƆIƆXCVII.
quod eſt inter [c] Ardeam et Bononiam munitum caſtellum, aggreſſus, quod praeſidium HENRICUS IV.
in eo imparatum ſe reperturum confideret, fruſtra fuit, accepto in facie vulnere inde cum damno repulſus. Diverſa parte Lud. [d] Melſius eques, qui [e] Wertum in limite ad Germaniam poſitum tenebat, cum ſua equitum ala per Colonienſem ditionem excurrens, [f] Neomagi praeſidiarios praedatum emiſſos magna clade affecit, caeſis plus C, et in illis [g] Edmundo Scoro ſtrenuo ordinum ductore: capti et plerique, ac C equi generoſi. Paulo poſt, vice verſa, in [h] Campena regione cum Friderici [i] Bergenſis comitis ala equitum ſe inconſulto praefecto licenter ad praedas effudiſſet, ab iiſdem praeſidiariis caeſa eſt, et capti ex illa plerique.

IX. DUM haec toto Belgio agerentur, eruptione ab obſeſſis [k] Samarobrigae certatum. IƆ delecti equites, ipſo Portocarrero et Montenegrio ducibus, egreſſi IX Kal. Junias. In fronte ſtabat [l] Fonteius et Tilia, qui cum Tacconis vicario et XX ſolis munitionem ad [m] Longum-pratum excitatam perruperunt, ac ſupervenientibus ſociis noſtros pepulerunt, aliquot occiſis. Sed mox accurrens cum ſuis Bironus locum recepit ſine damno obſeſſorum, quippe Didaco [n] Durango, Fr. Areo et Falma Hiberno, cum delecto peditatu ex compacto egreſſis et ſuos tegentibus. Haud multo poſt ineunte Junio rex Lutetia, quo ad rem pecuniariam expediendam excurrerat, in caſtra venit, ut vallum et munitiones inſpiceret, et res ex ſententia ordinaret. Trans [o] Somonam Bironus foſſam XL CIƆ orgyiarum ſpatio duxerat, ſinnoſo admodum tractu, VII propugnaculis quinquangulis firmatam, ponte ſub Longo-prato amne ſubjecto ſtrato, qui utrinque ſtructis munimentis defendebatur. In medio rex, erectis in circuitu procerum ac nobilium tentoriis, hoſpitium ſibi ſumpſit ad [p] S. Magdalenae delubrum, cujus deſtructo tecto fornix reſtabat, in quo ſomnum capiebat, non ita ab ictibus tormentorum ſecurus: nam, licet colle inter urbem et illam caſtrorum partem oppoſito, diſploſis illis pilae ſupervolabant, et multos in illo tractu quotidie diſcerpebant; ex iiſque una fornicem, in quo rex jacebat, ſtringens, in arbore proxima jam relangueſcente ictu haeſit, et ad facti memoriam diu poſtea conſpecta eſt. Erant in exercitu regio omnino XII CIƆ peditum et III CIƆ equitum, quibus, ne dilaberentur, ſtipendia menſtruatim procedebant, et ab ipſo Nicolao [q] Neovillo Villaregio, cujus opera rex in aliis majoribus negotiis utebatur, ne fraus interveniret, ſingulis luſtrationibus diſtribuebantur; qui, diligenter putatis rationibus, poſtea referebat, ter vicies centena aureorum CIƆ in illa obſidione abſumpta, quorum decies centena CIƆ ipſe viritim praeſenti pecunia diſtribuerat. Praeterea idem referebat, IƆC circiter, nec amplius, ex noſtris in obſidione deſideratos; ac notaſſe paene neminem, niſi qui lethaliter vulneratus eſſet, ex iis periiſſe, ob conſtantem in regiis caſtris coeli ſalubritatem; cum contra in urbe crebri morbi contagioſi graſſarentur, et nulli fere vel leviſſime vulnerati mortem evaderent. Sub id conſilium de tradenda urbe a quodam milite initum, qui Auguſtiniani eremitae habitu in urbem irrepſerat, et cum oppidanis quibuſdam conſciis turrem ad ortum poſitam caeſis ſtationariis occupaturus erat; quo facto noſtri in inſidiis parati ab ea parte ſcalis admotis vim facerent. Sed, re a quodam ex complicibus detecta, conſcii capti et ſupplicio affecti ſunt. Suſpecti ex illo Auguſtinianorum collegio in carcerem truſi. Septimo poſt die ad portam delecti juſſu Bironi in foſſam deſcendunt, et in munitionem inferiorem humi ſtructam pulverem nitratum corio inſutum forma botulorum longa ſerie demittunt; quo ignem concipiente magna muri vicini ruina edita: ſed pauci ſtationarii occiſi; cumque noſtri vim per eam facturi

INTERPR. [a] *de Beauvais gouverneur d'Arras.* [b] *Mont-Hulin.* [c] *Ardres, & Boulogne.* [d] *il cavalier Melzi.* [e] *Weert.* [f] *Nimegue.* [g] *le capitaine Edmonds, Eſcoſſois.* [h] *Pays de Kempen.* [i] *le comte Vanden Berghe.* [k] *Amiens.* [l] *la Fonte, & Tellez.* [m] *Longpré.* [n] *Durango, Fr. del Arco, & Falme Irlandois.* [o] *la Somme.* [p] *l'egliſe de la Madeleine.* [q] *de Neufville Sr de Villeroy.*

CIↃIↃXCVII. facturi eſſent, incumbentibus ex editiore loco hoſtibus ceſſere, haud magno praeterea HENRICUS IV. utrinque damno. Menſe exeunte eruptionibus acrius certatum, primo cum aliqua noſtrorum jactura; qui, ſtructis poſtridie ad Joannis coenobii ruinas inſidiis, eam ulti ſunt: nam egreſſi ad praedas plerique lixae occiſi; vixque Didacus Benavides periculo ſe ſubduxit, capto ipſius inter pugnandum centurione. Majore mole pugnatum, impreſſione ab obſeſſis ad ſacellum, quod Bironus muniebat, facta: nam cum v equitum alae et cc peditum cohortes ad latus incedentes erupiſſent, et noſtri numero impares in latus petiti aegre ſe defenderent, tandem Anglicana legio laborantibus praeſto fuit; qui dio ambiguo certamine cum Montenegrio et Taccone conflixerunt, tandemque erumpenteis non ſine damno intra moenia compulerunt, pro labro foſſae fixis vexillis. Ex noſtris cc amplius deſiderati: ſed dolor ſtatim evanuit, poſtquam non minori damno obſeſſos adfectos fuiſſe intellectum eſt, amiſſo Joanne Guſmano perilluſtri in Hiſpania familia orto, qui in illo conflictu cum ſoo centurione cecidit, et ad S. Franciſci honorifice ſepultus eſt. Tandem ad ſacellum directae a Birono XI murales machinae; ad quas diſturbandas ſemel atque iterum vis ab obſeſſis facta, nullo exitu. Portocarrero conſilium erat, Gallos in vallo propius ducendo occupatos aſſiduis aſſoltibus fatigare, ac tempus eo uſque extrahere, donec Albertus, contracto exercitu qui pellendis iis par eſſet, laborantibus ſuis ſubvenire poſſet. Itaque et [a] Melzius ex [b] Sicambris nuper revocatus fuerat, et [c] Durlanio impoſitus, qui cum VII alis equitum Gallos crebris incurſionibus vexaret, et omnia infeſta circum redderet. Maxima omnium clades a noſtris accepta XVI Kal. Sextileis, eruptione a Fr. [d] Arco et Didaco [e] Durango facta cum cc in primo agmine, partim Belgis, partim Hiſpanis; quos ſequebantur ccc, partim Hiſpani, partim Hiberni ac Germani, ac delecti equites ex Caroli [f] Auriae ala. Ii duobus locis impreſſionem fecere, et totam fere Picardicam legionem ad internecionem trucidarunt, [g] Montignio, Fleſſano, et Foquerollio tribunis occiſis: ſed tandem ab Anglis ſupervenientibus repulſi hoſtes plus LXX ex ſuis amiſerunt. Ab eo tempore ab eruptionibus ceſſatum, multum imminuto ſeu morbis ſeu caedibus praeſidiariorum numero, et Portocarrero non ſatis oppidanis fidente; qui, quoties eruptiones fiebant, cum equitatu armatus plateas inſidere neceſſe habebat: cumque noſtri labrum foſſae aperuiſſent, jamque in eo eſſent ut viam tectam occuparent, Fr. Arcus et Durangus paxillis fixis eam aliquot dies defendendam ſuſceperunt, et ita rem variis certaminibus extraxerunt, ut ante Kal. Sextil. noſtri foſſa potiri non potuerint. Sub id [h] Lupus Buthronius equitum dux tormento ictus triduo poſt deceſſit V Eidus Sextileis, ad beati Franciſci ſepultus. Tandem, gerris in foſſa exſtructis, per viam tectam VIII machinae murales a Franciſco [i] Spinaeo Sanlucio ſummo tormentorum praefecto directae; quorum diſploſione IV terrena munimenta dejecta, everſo praeterea cuneo, qoem defenſores ſub munitione terrena remotiore egerant. Inde regis juſſu erectus in proximo vallo tumulus, ex quo propugnacula minora circumpoſita pulſabantur. Sub ponte propugnaculo vicino munitio terrena erat, per quam praeſidiarii crebro erumpebant, quam ante omnia occupari placuit. Igitur IX Kal. Sept. ad eam factus impetus, quam [k] Inicus ordinum ductor et Carrera centurio defendebant, et poſt obſtinatum certamen captus locus; quem poſt aliquot dies hoſtis recepit, et Durangus deinceps tuendum ſuſcepit. Jamque noſtri ad pedem muri ſtabant, et ſuffoſſione rem agebant, cum Portocarrerus, concilio belli ducum coacto, quid tam vicinis Gallis facto opus eſſe videretur, ſententiam ſingulorum rogavit. [l] Montenegrius cenſebat, ut, muro, qui facile defendi non poterat,

INTERPR. [a] *Melzi.* [b] *Gueldre.* [c] *Dourlans.* [d] *del Arco.* [e] *Durango.* [f] *Doria.* [g] *de Montigny, de Fleſſan, & de Fouquerolles.* [h] *Lopez de Buitron.* Coloma le nomme *Don Gomez de Buitron capitan de cavallos.* [i] *d'Eſpinay Sr de S. Luc grand maiſtre de l'artillerie.* [k] *le capitaine Inigo.* [l] *le marquis de Montenegro.*

poterat, deſerto et ponte inciſo, ad brachium Somonae ſubjectum ſe munirent; et eo uſque ſe continerent, donec Albertus, qui ſpem auxilii ferendi in dies faciebat, advenire poſſet: nam ab ea parte propter altitudinem nullum pomoerium erat, in quo foſſa duci poſſet; et ſuffoſſo propugnaculo in oppugnatione ſuſtinenda obniti periculoſum videbatur. Sed contra aliis placebat, defendi murum aſcenſu difficilem, et in quo defenſores ſtare aliquandiu poterant, [a] aliquot dies debere; alioqui deſerto fruſtra ſperari, ut ad amnis ſubjecti ripam victoris irrumpentis fraenari poſſit impetus; nam nec terram vallo ducendo, nec tempus ſtruendis munitionibus ſuppetere. In eam ſententiam itum; et Petro Galleco negotium datum, ut in muro, quo enixuros noſtros apparebat, ſemilunam duceret, et ope oppidanorum latera muniret, terra ſportis ex ſubjecto ſolo in altum comportata. CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

X. SECUNDUM haec IV Non. Sept. facta ad propugnaculum pulſatio; ac poſtridie caſus intervenit, qui res obſeſſorum non mediocriter conturbavit, Portocarrero, dum, ſigno forte pugnae dato, per pontem, velo ad proſpectum noſtris ex foſſa jaculantibus adimendum extenſo defenſum, in urbem tranſiret, ictu ſcloppeti per latus transfixo, ex quo ſtatim concidit. Fuit vir ſagax et in exiguo corpore ingentes ſpiritus gerens; qui, ut propriae gloriae in urbe capienda decus ſervaret, defenſionem ad perniciem uſque obſtinaturus credebatur; a qua milites ſe eo ſublato alieniores oſtenderunt. Tumulatus eſt in majore urbis templo juxta altare, cum ſuperbo elogio in tabula lignea villoſo ſerico nigro tecta literis aureis inſcripto, armis affixis; quae qui vidiſſet, pueri eſſe credidiſſet. Summa imperii Hieronymo Caraſae Montiſ-nigri marchioni ſummo omnium ducum conſenſu delata eſt, quippe qui primas a Portocarrero teneret, et equitatui, qui in praeſidio erat, univerſo praeeſſet.

XI. HANC hoſtium cladem altera non minor biduo poſt a rege accepta penſavit, Franciſco Spinaeo Sanlucio, in capite vulnere accepto, dum muneri ſuo obeundo intentus in foſſa incautius diſcurrit, interfecto. Erat enim vir moderatus et ſolers, et rei militaris ſtudioſe peritus, elegantia ingenii non mediocribus literis exculti cum Givrio, quamdiu is vixit, certans: ad haec in aula, cujus artes apprime callebat, gratioſus; nec rei familiaris negligens, quam multis modis auxit, et liberos IV reliquit ex Joanna [a] Coſſaea Caroli Briſſaei equitum tribuni filia, Timoleontem grandiorem natu [b] Broagii praefectum, avunculo ante XXX annos ad [c] Mucidanum in Petrocoriis interfecto cognominem, Carolum, et Franciſcum Melitenſem equitem, et Arturum [d] abbatem Rhedonenſem. Aliquot diebus elapſis, dum cunei ſub majore propugnaculo acti inſtruerentur, tandem XVIII Kal. Oct. ob ortu ſolis ad horam pomeridianam angulus propugnaculi pulſatus, immiſſoque in cuneos igne ſubverſus; et porta vicina cum tanta ruina dejecta, ut aſcenſus per eam pateret, et defenſores, qui in propugnaculo ſtabant, ſtrage lapidum obſtructo in urbem aditu, omni auxilii accipiendi ſpe excluderentur. Tum ad eam partem, inde a Gallis, inde ab Anglis, factus impetus: quem Fr. Arcus, qui locum defendendum ſuſceperat, et voce et manu ſociis animos faciens, ut in deſperata ſalute obſtinatiſſime ſuſtinuit, multis utrinque cadentibus, extractoque ad noctem certamine; dum interim Montenegrius, Ribera, Durangus in purgandis ruinis laborarent, quo, patefacto ad propugnaculum aditu, feſſis ac laborantibus auxiliareis recenteis ſummitterent. Igitur Carrera, [e] Pierius, alii, partim Hiſpani, partim Hiberni, miſſi; feſſique, ut ſe ex labore et vulneribus reficerent, deducti. Noſtri, non omnino loco potiti, in ruinis vallo ducto ſe muniverunt. Quod propugnaculi in ſummo ſupererat, et ab Hiſpanis adhuc occupabatur,

Fridericus

VAR. LECT. [a] aliquot dies debere *deſunt* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *de Coſſé.* [b] *Brouage.* [c] *Mucidan en Perigort.* [d] *l'Abbé de Redon.* [e] *Pieri.*

[a] Fridericus Paciotus comes, illius qui in [b] Caletenſi obſidione ante annum perierat frater, Montenegrii juſſu muniendum ſuſcepit.

XII. JAM Alfonſus Davalus ex [c] Inſubribus cum Italico peditatu novo, aliaeque copiae nuper ſcriptae ante menſem ad ſigna convenerant; cum Albertus, relictis in Belgio Bergenſi et Briae comitibus cum Germanis, qui contra Mauritii conatus ſe opponerent, reliquas omneis copias [d] Duacum praeire jubet: ubi luſtrato exercitu recenſita XVIII CIↃ peditum, CIↃ IↃ levis armaturae, totidem cataphracti equites. Poſtea in concilio diſputatum, [e] Samarobrigam recta, ubi caſtris ſe validis adeo noſtri muniverant, an, ad avertendum ab obſidione regem, [f] Peronam aut Quintini-fanum peterent. Et cum Samarobrigam ſummo in periculo verſari conſtaret, cujus amiſſione plus damni, quam capta Perona et Quintini-fano emolumenti, ad Albertum redibat, et jam multoties facta ſpes eſſet obſeſſis ut brevi eis ſubveniretur, tandem ad urbem obſeſſam duci placuit; praemiſſique qui regia caſtra inſpicerent, Claudius Burlota, Texeda, tribuni, Nic. Baſta et Gaſto Spinola; quibus adjuncti [g] Carpiniae comes, Jo. [h] Bracamontius, Vincentius [i] Guerrerius comes, et Jo. [k] Contrera, aliique primarii viri, qui ſponte et ſine ſtipendiis Philippo militabant. Ii cum IↃ delectis exeunte Sextili Durlanium venerunt, Melzio tunc forte ex morbo periculoſo decumbente, non ſine peſtis ſuſpicione. Itaque, ala ejus aſſumpta, protinus in viam ſe dant Corbiam verſus, ut loca venientibus et recedentibus ſuis opportuna notarent, et regiorum caſtrorum eminus formam contemplarentur. Verum, rege, qui de adventu eorum cognoverat, cum paucis initio occurrente, et mox Birono et Franciſco [l] Grangeo Montinio ſupervenientibus, Contera univerſi equitatus curator auctor fuit ut [m] Bapalmam ſe reciperent: et jam amnem, qui [n] Miramontio labens ad [o] Corbiam in [p] Somonam influit, tranſmiſerant, cum Bracamontius et Baſta, ex pavore animos colligentes, Contreram hortantur ut curſum ſiſteret, et aciem inſtrueret. Cum ille nulla ratione adduci poſſet, confuſi fugam arripiunt, et inſequentibus noſtris uſque ſub Bapalmae muros turpiter compulſi ſunt, amiſſis III vexillis, et plus CC equis; quos deficienteis, ut in vicinis ſylvis commodius latebras quaererent, in via reliquerunt. Spinola, qui eandem ſortem aegerrime expertus fuerat, poſtea, tanquam de probroſa ſibi ſociiſque facta injuria, apud Albertum conqueſtus fuit, Contrerae pudorem appellans: et ex acerbitate verborum res ad duelli neceſſitatem procul dubio veniſſet, niſi Albertus, tempus hoc a diſcordia maxime alienum ratus, excuſata hinc Contrerae ſolicitudine, qui tam vicino hoſte nihil temere fortunae committendum duxiſſet, hinc laudata Spinolae ſociorumque generoſitate, qui ad receſſum fugae ſimilem adactos ſe tam impatienter ferrent, ambos quieſcere juſſiſſet, et tempus pugnae proximum concordibus animis exſpectare, quo quiſque virtutis ſuae et fidei in longe pulcherrima occaſione experimentum facturus eſſet. Igitur Duaco profectus [q] Rigiacum tendit; aſſumptoque ſecum P. Erneſto Mansfeldio comite tot ſtipendiorum duce, qui etiam in illa aetate lectica vectus ſummi caſtrorum praefecti munere fungebatur, adductiſque XII tormentis, [r] Avenas, et inde [ſ] Durlanium venit: ubi cognito ex Melzio, qui priſtinam valetudinem recuperaverat, regem, majoribus quam ad ipſum perlatum fuerat copiis ſubnixum, et novis nuper a Monpenſerio adductis firmatum, [s] Altilia paulo infra tranſmiſſo tormenta ſaepius diſplodi jubet, ut obſeſſis auxilii vicini ſignum daret; et iter perſequitur, eo ordine. Praecurſores ducebat Didaeus Pimentellus. In prima acie agmen quadratum erat [t] Carolo Coloma tribuno, II in media acie, quae Alfonſus [u] Davalus et Ludovicus Velaſcus ducebant. Albertus cum Carolo [w] Lotharingo Aumalae

INTERPR. [a] *il conte Federico Paciotto.* [b] *de Calais.* [c] *Eſtat de Milan.* [d] *Doüay.* [e] *Amiens.* [f] *Peronne, & S. Quintin.* [g] *Carpegna.* [h] *Bracamonte.* [i] *Guerrieri.* [k] *Contreras.* [l] *de la Grange Sr de Montigny.* [m] *Bapaume.* [n] *Miraumont.* [o] *Corbie.* [p] *la Somme.* [q] *Arras.* [r] *Aveſnes le Comte.* [ſ] *Dourlans.* [s] *Authie r.* [t] *Carlo Coloma.* [u] *Davalos, & Luis Velaſco.* [w] *de Lorraine duc d'Aumale.*

Aumalae duce, et Philippo [a] Naſſovio Arauſionis principe, aliiſque proceribus delectis, huc illuc inter agmina diſcurrebat. Peditatum tegebant hinc inde carri numeroſi catenis ferreis inter ſe colligati, quibus praeter impedimenta naviculae et pontones ad amneis obvios trajiciendos impoſiti erant, cum copioſo commeatu et militari ſubſidio, quod Samarobrigam intromitti debebat. Inter carros admiſti IϽ circiter ſcloppetarii erant, ad fortuita praeſto futuri. Extra carros equitatus procedebat, et ante cum levis armatura; atque in fronte VI media tormenta, cum quinque ſcloppetis majoribus rotae impoſitis. Poſt ſcloppetarios equites in VI alas diſtributos VI alia tormenta ſequebantur, quae reſiduum equitatus cum delecta peditum manu claudebat. Ad [b] Berticuriam coenobium prima nocte ſtativa habuit Albertus, ſtationibus diligenter ordinatis, quod haud hinc longe Monpenſerium ad [c] Vignacuriam cum delecto equitatu conſediſſe cognoviſſet. Rex perſuaſum habebat, Albertum aut omnino non venturum, et tantum copias in propinquo ad oſtentationem inſtructurum, aut, ſi veniret, protinus copias, ne quid fortunae temere committeret, trajecturum. Itaque, plus de obſeſſis intra moenia coercendis quam de externo hoſte repellendo ſolicitus, [d] Longum-pratum, quod ponti a ſe in Somona ſtrato imminebat, diligentius munire ſus deque habuerat; cum hoſtis, tranſmiſſo amniculo, qui pleriſque locis vadabatur, et ad [e] Eſpinoium in Somonam conditur, praeter omnium ſpem et opinionem, eo quem memoravi ordine incedens, eminus conſpicitur: ac poſtquam [f] Piquinium duorum milliarium ſpatio praetervectus eſt, cum obvio regis equitatu aliquanto tempore conflixit, paucique hinc inde cecidere: ex noſtris [g] Furnatius Dieppenſis vir ſtrenuus, qui regiam levis armaturae alam ducebat; ex hoſtibus captus Annibal [h] Macedonius, gravi prius vulnere accepto. Juſſi [i] Melzius et [k] Carolus Vicecomes inter pugnandum circum ire, et caſtrorum regiorum formam propius contemplari: nam de ea re nihil certi hactenus ab hoſte cognoſci potuerat. Verum, noſtris crebris aſſultibus inter fumum pulveremque praemiſſos infeſtantibus, fruſtra fuit eorum diligentia et induſtria. Interea rex ſenſim ſervatis ordinibus recedebat, tormentariis, quibus Joan. [l] Durfortius Bornius poſt Sanlucii mortem praeerat, accelerare juſſis, ut hoſtem tumulum oppoſitum, qua Longum-pratum venientibus tranſeundum erat, ſuperantem crebra diſploſione infeſtaret. Ubi [m] Sanſalvatorium pagum ventum, quod erat primum Gallorum ad eam partem ad Somonam praeſidium, Carolus [n] Longa-vallius Buquoii comes, cui id negotii datum erat, cum CIϽ ex unaquaque legione delectis et apparatu ad ſternendum in fluvio pontem ab exercitu paulum deflexit, ut, occupatis utrinque velitari pugna viribus, a tergo in urbem cum auxiliaribus et commeatu penetraret. Naviculis in amne diſpoſitis ad ſacellum, quod in citeriore ripa a noſtris tenebatur, aliquandiu certatum. Tandem, [o] Fabritio Sanmango cum CCC delectis miſſo, deſertum ſacellum. Et jam Buquoius partem ſuorum et apparatus bellici trajecerat, cum Guil. [p] Altamerus Fervaccus, Fr. [q] Grangeus Montignius, qui levi armaturae praeerat, Odetus [r] Lanovius, Dominicus [ſ] Vicus, ad Longum-pratum ponti a fronte occurrere, et Buquoium poſt acrem defenſionem, relicto in Somona pontone, in ulteriorem ripam compulere.

XIII. ALBERTUS interea rerum noſtrarum ignarus, colle inſeſſo, cum Longum-pratum recta petiturus crederetur, a quo perſuaſus incertum, ſtatim curſum inhibuit; et, ſeu tormentorum diſploſione infeſtatus, ſive, quod antequam de rebus noſtris certius cognoviſſet, quidquam aleae committere minime tutum exiſtimaret,

ut

INTERPR. [a] *de Naſſau prince d'Orange.* [b] *l'Abbaye de Bertincourt.* [c] *Vignacourt.* [d] *Long-pré.* [e] *Eſpinoy.* [f] *Piquigny.* [g] *le capitaine Fournier de Dieppe.* [h] *Macedonio.* [i] *Melzi.* [k] *Carlo Viſconti.* [l] *de Durfort Sr de Born lieutenant general de l'artillerie.* [m] *S. Sauveur.* [n] *de Longueval comte de Bucquoy.* [o] *il capitan Fabritio Santomango.* [p] *de Hautemer Sr de Fervacques.* [q] *de la Grange Sr de Montigny.* [r] *de la Noue.* [ſ] *de Vic.*

ut in veſtigio paulo infra a tormentis tectus eſſet, caſtra munivit. Nuſquam inſigniori exemplo patuit, veriſſimum eſſe quod dicterio militari obtinuit, ſi caſtra de caſtris certo cognoſcerent, plerumque peſſime cum caſtris actum iri. Nam ad improviſum hoſtium adventum turbata initio in caſtris omnia, cum recta Longum-pratum, quod primum Piquinio venientibus occurrebar, nondum vallo munitum petituri crederentur: quo capto mox et ponte ſubjecto potiebantur, et fluvium tranſvecti quantum neceſſe erat auxiliarium, commeatus, et bellici ſubſidii in urbem citra negotium importabant. Nam citerior illa urbis pars libera remanſerat, ſive quod ad tantum ſpatium ambitu caſtrorum complectendum vires regi non ſuppeterent, ſive quod ab ea parte, quae regni interiora ſpectabat, amne medio, quem hoſtes tranſire non poterant, nihil periculi ſubeſſe videretur. Tantum aliquot militares ſtationes circumpoſitae, quae pabulatores infeſtarent, et in arctum obſeſſos excurrenteis cogerent. Ita Albertus, dum rebus noſtris certius cognoſcendis intentus ſedet, pulcherrimam rei gerendae occaſionem ſibi eripi paſſus eſt, Meduanio ad Longum-pratum, quod tuendum ſuſceperat, totam noctem in opere aſſiduo, ita ut poſtridie nullus locus in noſtris caſtris firmior fuerit. Nox utrinque, tam vicinis caſtris, ſolicite exacta. Ubi Albertus Longum-pratum tam diligenter ope foſſorum vallatum mane conſpexit, errorem ſuum ſero agnovit, qui non pridie locum primo impetu expugnaſſet: tuncque de eo capiendo deſperans, cognitoque Buquoii conatum in ponte ad Sanſalvatorium ſternendo irritum fuiſſe, ex Mansfeldii, Alſonſi Mendozae [a] Cameraci praefecti, Manuelis Vegae, ac Texedae tribunorum, et Gaſtonis Spinolae conſilio vaſa conclamari jubet, inſtructoque in aciem exercitu ordine eodem quo venerat ſe recepit, in fronte debilioribus copiis et impedimentis ac parte tormentorum collocata, et robore in media acie et agmine ultimo relicto. Rex contra, relictis in vallo et aggere qui obſeſſorum eruptioni ſuſtinendae pares eſſent, reliquas copias in aciem educit. Certatum inter eos excurſionibus; et in iis [b] Nigellae marchio vulneratus, [c] Pecherius eques Melitenſis interfectus eſt. Recedenteis rex aliquandiu inſecutus eſt, per praecurſores ſemper ultimum agmen, in quo Melzius et Ambroſius Landrianus erant, carpendo, de cetero haud aliquo memorabili certamine. Ubi vallem tranſgreſſus Albertus in colle ſummo conſtitit, copias quaſi ad pugnam inſtruit: et cum noſtri copias ex adverſo ordinarent, ipſe iter coeptum perſecutus eſt, et ſub noctem ad [d] Berticuriam monaſterium, nulla alia re interim geſta, hoſpitium habuit: proximis caſtris [e] Ruben-pratum venit; ubi biduum reficiendo militi commoratus, [f] Altilia ad [g] Orrevillam tranſmiſſo, [h] Rigiacum pervenit.

XIV. REX in caſtra reverſus per tubicinem obſeſſis denunciat, invitum ſe facere, ut ſanguinem Chriſtianum, cui parcitum, quantum in ſe eſſet, cuperet, praeſidiariis in obſidione ſuſtinenda animos obfirmantibus funderet; itaque hortari ipſos, ut, quando Alberti receſſu omnem auxilii ſpem praeciſam videant, mature ſe reſpiciant, et honorificas conditiones a ſe accipiant. [i] Montenegrius nuncio accepto concilium cogit; ex cujus ſententia ſecuritatem a rege pro delegatis ad Albertum mittendis petit, qui, demonſtrato praeſenti rerum ſuarum ſtatu, quid poſtremo imperaret ex ipſo plenius cognoſcerent. Rex, qui videret ad ſummas anguſtias res in urbe redactas, et obſeſſos lue inde contagioſa infeſtatos, hinc funis ac pulveris nitrati penuria laboranteis, honeſtam urbis deſerendae rationem quaerere, facile petitionibus eorum annuit, hoc colloquii de deditione proxime facienda praeludium interpretatus. Igitur a Montenegrio Orrevillam ad Albertum profecti Fridericus [k] Paciotus comes et Andr. [l] Ortiſius major centurio: per quos Albertus obſeſſis ſignificandum curavit, de virtute et fide praeſidiariorum abunde ſibi conſtare, nihilque illos reliqui feciſſe, quo ſe

ſtrenuos,

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *Neſle.* [c] *le chevalier du Pechê.* [d] *l'Abbaye de Bertincourt.* [e] *Rubenpré.* [f] *Authie r.* [g] *Orreville,* [h] *Arras.* [i] *le marquis de Montenegro.* [k] *Paciotto.* [l] *Ortiz,*

ſtrenuos, fidoſque regi ſuo approbarent; proinde placere, ut deinceps ſibi conſulant, et quam honorificis fieri poterit conditionibus de urbe tradenda tranſigant. Eae fuerunt, ut monumenta, tam Portocarrero quam aliis belli ducibus in templis poſita, maneant integra, modn nihil in illis contra Francici nominis decns adſcriptum ſit; et, quandocunque videbitur, cadavera ſuorum inde aſportare illis liceat: milites omnes, cujuſcunque ſint nationis, dimittantur ſune accenſo, ſignis explicatis, ad tympani pulſum, cum armis, equis, impedimentiſque omnibus; quibus exportandis, nec non aegris et vulneratis, [a] Bapalmam uſque aut [b] Durlanium, carri a rege commodabuntur: liceat civibus aliiſque in urbe, cujuſcunque conditionis ſint, cum praeſidiariis illinc migrare, et quae ſua ſint libere ſecum aſportare; quae a ſeplaſiariis et pharmacopolis procurandis vulneratis acceperunt, exſolvere nnn teneantur: captivi utrinque ſine pretio libertati protinus reſtituantur: tres ex praeſidiariis ad Albertum mittere liceat cum x equitum comitatu, qui eum de conditionibus certiorem faciant: utrinque per ſex dies ab armis ceſſetur, et, niſi intra ſextum diem auxiliares bis mille in urbem introducantur, eam ipſi regi tradere teneantur: IV obſides dentur; nihil interea novi operis in aggere aur in urbe fiat. Secundum haec cum VII Kal. Oct. jam ſex dies exiiſſent, nec auxiliares ab Albertn comparerent, facta deditio. Henricus Mnmorantius equitum magiſter, et Bironus, et Hercules [c] Roanus Monbazonii dux ad [d] portam Bellovacenſem accedunt; et, ponte ſtatim demiſſo, Montenegrium marchionem cum CL delectis equitibus et totidem ſcloppetariis, qui tanquam ſtipatores ejus erant, egredientem, in equo generoſo ſedentem, ſine ocreis et cum ſcipione puro, medium accipiunt, et poſt amicas ſalutatinnes ad regem milliaris abhinc ſpatio in latis campis in equo ſedentem, cum [e] Contin principe, [f] Mnnpenſerio, Nemoroſio, Meduanio, [g] Jonvillae principe, [h] Nivernio, CIↃ IↃ C equitibus praelatn vexillo regio ipſum circumfundentibus, ſiſtunt: qui ſubito in pedes deſcendens, et affixo ocreis regiis nſculo, En urbem, inquit, quae civium erat, nunc, poſtquam eam cepiſti, juris tui effectam, in manus tuas, pntentiſſime princeps, trado, ut de ea deinceps arbitrio tuo ſtatuas. Quibus dictis, et benigno a rege accepto reſponſn, equum repetit, et iter coeptum perſequitur, ab iiſdem ultra duas leucas uſque ad hoſticum deductus. Eum ſequebantur II CIↃ IↃC pedites, et IↃC equites, et pleraeque foeminae, cum CLX carris, quibus aegri et vulnerati vehebantur. Rex, cum mille circiter equitibus ſub horam quartam pomeridianam urbem armata pompa ingreſſus, recta ad majus templum perrexit ſtructura cumprimis admirandum; in quo hymno beatorum Ambroſii et Auguſtini a ſymphnniacis pueris ſumma laetitia decantatn, ſub veſperam in caſtra reverſus eſt. Pnſtridie, qun caſu incertum, ſubitn incendio miſerabiliter conflagrarunt ipſa caſtra, tentnriis principum ac procerum et impedimentis omnibus cum iis abſumptis: qua ex occaſinne direpta pecunia regia, cujus et pars ignis violentia conflata eſt. Quod ſi ante deditinnem contigiſſet, regi exitioſum, poſt receptam urbem fauſta interpretatione acceptum eſt, quaſi accenſis in publicae laetitiae ſignum ignibus. Urbi ruinis foedatae et ob peſtis contagia paene deſolatae Dominicus [i] Vicus, cujus virtuti et fidei rex plurimum tribuebat, cum XX peditum ſignis et III equitum alis impoſitus. Rex de Durlanio obſidendn, ſi per anni tempeſtatem jam inclinatam liceret, certus, interea, ne magnum hoſpitem, Albertum intelligebat, qui ad ſe cum tanto comitatu nuper veniſſet, inſalutatum relinqueret, ipſe ſub Rigiaci portas excucurrit, quo ille aeger conceſſerat, Davali legione in ſuburbiis collocata. Inde in urbem uſque diſploſione tormentnrum facta, etiam aliqua pugnae proluſione certatum,

INTERPR. [a] *Bapaume.* [b] *Dourlans.* [c] *de Rohan duc de Montbazon.* [d] *la porte de Beauvais.* [e] *le prince de Conti.* [f] *les ducs de Montpenſier, Nemours, & Mayenne.* [g] *Joinville.* [h] *le duc de Nevers.* [i] *de Vic.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV. certatum, ac [a] Paſſum ſub veſperam reditum; ubi poſtridie Urbanum [b] Lavallum Boſcodelfinium equitum tribunum creavit, ſcipione in praefecturae militaris ſignum ritu ſolemni coram proceribus tradito.

XV. Cum rex ad Durlanii obſidionem, quae tunc irrito conatu coepta, haereret, [c] Villaregius et Joannes [d] Richardotus ab Alberto miſſus, ſecuritate utrinque accepta, loco in finibus condicto collocuti ſunt. Bonaventura a Calatagirona, a nobili Siciliae pago, in quo natus erat, ita dicto, [e] Franciſcani ordinis principe, ultro citroque commeante, et pontificis nomine partes ſuas interponente, placuit inter eos, ut primo quoque tempore delegati ab utraque parte mitterentur, qui de pacis conditionibus ſerio agerent. Amiſſa caſu et regis virtute Samarobriga recepta maximum ad eam momentum attuliſſe creditur, quippe in qua fortunae utriuſque principis, et inde potentiae noſtrae, inde infirmitatis Hiſpanorum, periculum factum ſit. Itaque poſt amiſſam urbem et ante eam receptam pernicioſi toto regno motus excitati ſunt, bonis de ſalute publica deſperantibus, et malis rerum novarum occaſionem ubique quaerentibus.

XVI. Protestantes initio [f] Julioduni congregati, ad quos a rege Mericum [g] Vicum et Sofredum Calignonem, viros virtutis et fidei perſpectae, miſſos diximus, cum poſtea [h] Vindocinum veniſſent, et cum delegatis regiis, dum rex adhuc [i] Rotomagi eſſet, fruſtra egiſſent, tandem ipſis inſtigantibus viſum regi, ut huic negotio, quod hoc rerum ſtatu maximum omnium putabatur, praeficeretur Gaſpar Schombergius [k] Nantolii comes, toties perhonorifice, ut meruit, appellatus, nec non Jacobus Auguſtus Thuanus, qui ſe ab initio excuſaverat, ambo ad agendum cum [l] Mercuriano miſſi, quod alterum magnae molis negotium in regno explicandum reſtabat.

XVII. Pactae ineunte anno induciae [m] Andegavi, quibus Jacobus Auguſtus Thuanus et Ragoterius ſubſcripſerunt, quod tunc Schombergius morbo ſontico [n] Caeſaroduni attineretur; iiſque conventum, ut [o] Tiffaugio [p] Campiniacus exiret, locus ſequeſtraretur, et a VI ex Mercuriani cuſtodibus ſervaretur, quouſque in primo colloquio de eo inter partes decideretur. Tamen de Tiffaugii reſtitutione toto eo tempore minime actum; et exeuntibus induciis [q] Perroderius, contra quam conventum fuerat, cum legione ſua et II levis armaturae alis, Campiniaco ſemper arcem tenente, locum Mercuriani mandatu ingreſſus eſt; imperataque circumpoſitis pagis pecunia res regiae in futuras ubique anguſtias redigebantur. [r] Grangia, quae [ſ] Sanſtephani arx eſt in [t] Pictonibus, crepitaculo admoto capta et feſtinatis operibus munita, addito valido praeſidio; ex qua continuae excurſiones magno popularium detrimento fiebant. Cum rurſus Andegavi delegati conveniſſent, et inducias noſtri uſque ad Octobrem medium proponerent, quo meſſis et vindemia colligi per otium poſſet, eaeque terra marique locum haberent, Ragoterius Mercuriani nomine tantum ad Julium medium eas porrigi voluit, et ut tantum terra locum haberent, quo Fontanellae liberam piraticae contra foederatos regi Anglos exercendae poteſtatem relinqueret. Dum [u] Condivicinum itur ad reſponſum accipiendum, caſus intervenit, qui novum impedimentum attulit: nam, inſciis delegatis regiis, [v] Santaegidius [w] Briandi-caſtrum, mandatu, ut aiebat, Henrici [x] Monmorantii equitum magiſtri, cujus id proprium eſt, Nonis Januariis occupavit, praeſidiariis, qui locum Mercuriani nomine tenebant, caeſis. Tum ille publicam fidem appellare, violatam eam conqueri, nullas conditiones admittere, niſi prius de tanta injuria ipſi plene ſatisfiat. Cum noſtri, factum ſibi dolere atque infectum velle praefati, contra ſimilia multa per temporum

licentiam

INTERPR. [a] *Pas.* [b] *de Laval de Boiſ-Dauphin.* [c] *de Villeroy.* [d] *Richardot.* [e] *General de l'Ordre de S. François.* [f] *Loudun.* [g] *de Vic, & Sofred de Calignon.* [h] *Vendoſme.* [i] *Rouen.* [k] *de Nanteuil.* [l] *le duc de Mercœur.* [m] *Angers.* [n] *Tours.* [o] *Tiffauges.* [p] *le Sr de Champigny.* [q] *de la Perrodiere.* [r] *la Grange.* [ſ] *de St Eſtienne.* [t] *Poictou.* [u] *Nantes.* [v] *de S. Gilles.* [w] *Chateau-Briand.* [x] *le conneſtable de Montmorency.*

licentiam admiſſa cauſarentur; ſic enim [a] Primellum et Penmarkam in Armorica, Tiffaugium et Grangiam nuper in Pictonibus occupata, de quibus nondum ſatisfactum ſit; ac proinde petere, ut nihilominus in induciarum negotio pergatur; nunquam flecti aut placari potuit Mercurianus, qui, quod ſibi licere volebat, ut induciarum tempore regiae ditionis loca interciperet, aut irrito exitu tentaret, idem a rege regiiſque condonari nulla ratione admitteret. Inter has altercationes multum temporis contritum, magno popularium continuis excurſionibus vexatorum incommodo, nec ſine Mercuriani aliquo emolumento. Nam cognito Monpenſerium urgere, ut [b] Mirabellum ſuae ditionis caſtellum in [c] Andinae provinciae finibus, ea parte ſitum quae [d] Salmurienſi praefecturae ſubjecta in Pictonibus protenditur, ſibi reſtitueretur, [e] Villeboſium autem loco a [f] Rupipotio impoſitum aegre facere ut locum deſereret, cum homine vili ac proſtituti pudoris agit, eumque pecunia et promiſſa impunitate corruptum ad ſuas partes pertrahit. Igitur induciis exeuntibus, dum renovantur, Villeboſius, hoſtili ſe erga regem animo profeſſus, praeſidium a Mercuriano accipit, quo Pictones, qui belli civilis incendia huc uſque toleraverant, omnino vaſtati ſunt. Cum igitur noſtri inſtarent, in renovandis induciis, quo provincialium levamento conſuleretur, ut inde Caſtrum-briandi, inde Mirabellum, viciſſim reſtituerentur, et utriuſque loci praeſidiarii quaſi neutri parti addicti omnino a bello abſtinerent; Mercurianus, ſpe concepta ut brevi, ſicuti accidit, Caſtrum-briandi contrario aſtu interciperet, aſſentiri noluit: moxque experimento patuit, per has expoſtulationes non tam ab armis ceſſationem, quam rei gerendae occaſionem, quaeri: nam poſt [g] Samarobrigam ab Hiſpanis interceptam cum regiae res ubique conſternatae viderentur, [h] Chinone idem ab eo tentatum; et [i] Bernacos fratres, quos Fr. [k] Regius Chavignius pueros in familia aluerat, loci etiam, cui ſenectutem ſuam orbam, de cetero vegetam, crediderat, cuſtodia commiſſa, itidem ingentibus promiſſis ſolicitavit: vixque illi iniquis conditionibus a rege conceſſis, et interventu amicorum, in officio retineri potuerunt. Nec non et [l] Eraldi-Caſtrum, quo Proteſtantes delegati convenerant, et tunc a rege miſſi aderant Schombergius, Thuanus, Vicus, Caligno, aſtu tentatum: et [m] Gardcolii fratres primarii praeſidii duces contrario aſtu intercepti, ac juſſu Schombergii in vincula traditi, cum conjurationem contra Hectorem [n] Preolium loci praefectum iniviſſe ſcripto convicti eſſent, ut eo ſublato de urbe arbitrio ſuo ſtatuerent, praeſidiali judicio damnati capite luerunt.

XVIII. Nec multo poſt quid animo agitaret Mercurianus, et cum quibus conſilia ſociaret, ex literis interceptis palam factum. [o] [1] Cruccius juvenis Bellovacenſis, qui in Belgio Henoricis operam navabat, in Samarobriga capienda, *cum ſeu comes furtivae expeditionis, ſive ab initio ad conatum ordiendum explorator fuiſſet, urbe capta per diſpoſitos equos cum ſecretis mandatis ac literis in [p] Armoricam per Andeis tendebat, ut felicis ſucceſſus Mercurianum, cujus ipſe magna pars fuerat, certiorem faceret, et cum Alberto arctioris amicitiae vinculo conſtringeret. Dum ad Salmuriam imperia Philippi [q] Mornaei Pleſſii in [r] Crucis viridis ſuburbio exſpectat, nam equi veredarii tranſeuntibus non aliter a publici curſus praepoſitis dabantur, ipſe Pleſſius cum magno comitatu forte ad hoſpitium venit, ut [ſ] Ellebovii uxorem ex [t] Pictonibus venientem honorifice viſeret; percontatuſque ex homine, unde et quo iret, cum pallere et parum ſibi conſtantia dicere videretur, retineri juſſit, donec officio, quod inſtabat, defunctus eſſet. Demum, ſalutata Ellebovii uxore, cum ad hominem rediiſſet,

INTERPR. [a] *Primel & Painmark en Bretagne.* [b] *Mirebeau.* [c] *Anjou.* [d] *Seneſchauſſée de Saumur.* [e] *de Villebois.* [f] *le comte de Rochepot.* [g] *Amiens.* [h] *Chinon.* [i] *de Vernay.* [k] *le Roy Sr de Chavigny.* [l] *Chatelleraut.* [m] *les capitaines Gardeuil.* [n] *du Preau.* [o] *la Croix.* [p] *Bretagne.* [q] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [r] *Faubourg de la Croix verte.* [ſ] *la ducheſſe d'Elbœuf.* [t] *Poictou.*

NOT. [1] Son vrai nom eſtoit Des Loges; mais pour le deguiſer il s'appelloit la Croix. Il n'eſtoit pas de Beauvais, mais bien ſon pere.* *Put.*

Digitized by Google

CIƆIƆXCVII.
HENRICUS IV.

tediiſſet, cognito interim chartas aliquot ab ipſo in ſtabuli ſterquilinio occultatas, iis repertis in vincula conjicitur, ſub id fere tempus, quo Schombergius, Thuanus, [a] Vicus et Caligno Salmuriam appulerunt, ut cum Proteſtantium delegatis regis nomine agerent. Inter Cruceii chartas repertae Alberti literae Januario proximo datae, quibus [b] Mercurianum hortabatur ad amicitiam ſervandam, fide data, ut nulla Philippi nomine cum rege pacificatio iniretur, niſi ipſo Mercuriano comprehenſo. Additae erant ejuſdem Alberti ad Rodericum [c] Mendonem literae, qui Philippi res in Armorica procurabat, ejuſdem argumenti, ut promiſſae fidei ſubinde Mercurianum admoneret; et ei, quae a Philippo promiſſa erant, religioſe ſervatum iri confirmaret. Inter eas et quaedam literis furtivis et notis, quaedam obſoletis verbis ſcripta erant, mentione per intervalla injecta auxiliaris propediem ex Hiſpania venturi exercitus: ex floribus nigris jam rubros flores enatos, ac recenter in Picardia, alioſque brevi per omnem Franciam atque in media Lutetia brevi e folliculo predituros. Itaque res digna viſa, de qua rex certior fieret; atque adeo, ex [d] Bullionii, [e] Tremollii, qui aderant, [f] Pleſſii Salmuriae praefecti, et Schombergii, aliorumque regis delegatorum ſententia, juvenis Nicolao [g] Rapino ſuccincto magiſtri equitum quaeſitori ad regem ducendus traditur, ut obſcura et ambigua in literis coram explicaret. Eo Lutetiam ducto intercipiuntur Mercuriani literae ad N. [h] Carpentarium in curia patronum, Jacobi famoſi in academia Pariſienſi philoſophiae profeſſoris, qui olim memorabiles cum Petro Ramo contentiones exercuerat, ipſi Ramo ad extremum exitiabileis, filium, VI Eid. Apr. ſcriptae; quibus ſibi admodum de Cruceii caſu ejuſque literis interceptis dolere teſtabatur, nec aliam ſe illius liberandi rationem videre, quam ſi Albertus eum vindicet, et tanquam domeſticum pretio oblato repetat: nam invidioſum ſibi et communi cauſae damnoſum eſſe, ut partes ſuas interponat; quippe recentem [i] Samarobrigae amiſſionem aeque omnibus in Gallia, tam Henoticis quam iis qui regias partes ſequuntur, diſplicere: itaque non poſſe, ſine publico etiam ſuorum odio, hominis, qui illius ergo gratulaturus venerat, patrocinium ſuſcipere. Addebat, a delegatis regiis urgeri plurium menſium inducias; ſed ſibi fixum ſtare, non ultra Quintilem proximum eas paciſci: nam eo menſe per ſuos, qui in Philippi aula ſunt, de auxiliaris exercitus adventu ſe certiorem futurum, eodemque tempore Albertum ex compacto in Galliam ingreſſurum: quod ſi contingat, regem undique preſſum ad extremas anguſtias redactum iri: ſe quidem, ſi ſub id quo Samarobriga capta eſt, militem et pecuniam paratam ex Hiſpania habuiſſet, multas non ſolum in Armorica ſed toto regno urbes, etiam non admotis tormentis, recepturum fuiſſe: et nunc, ſi Albertus occaſione utatur, minime dubitare, quin regis, prout meritus eſt, quippe in occulto Catholicorum juratus hoſtis, fortuna omnino everti poſſit: in Hiſpaniam ante triduum [k] Tornabonum miſiſſe, ut, expoſito rerum publico ſtatu, cum Philippo ſedulo agat, oſtendatque, ſi nihil a ſe exigatur quod decori et conſcientiae ſuae praejudicium aut vim afferat, fore, ut multa admirandaque, ſupra quam credi poſſit, magno Philippi ipſiuſque commodo ſit executurus: verum opus eſſe milite, ac praeſenti pecunia ex Hiſpania advehenda; ad haec tormentis aliquot et pulvere nitrato, quem ex Belgio ſubminiſtratum iri ex Hiſpania confirmatur: optare, ut ad aliquot menſcis in Belgium evolare poſſit, quo Albertum de conſiliis ſuis et egregia erga ipſum voluntate coram melius edoceat, eique vel infimi centurionis loco inſerviat; ſic enim fore ut regi Franciaeque multum negotii faceſſat: ſed quando haec potius voveri quam ſperari poſſint, reliquum eſſe, ut quiſque cum exercitu proprio in Galliam deſcendat, tempore, quo induciae proximo Quintili exiturae eſſent, deſignato,

et

INTERPR. [a] *de Vic, & de Calignon.* [b] *le duc de Mercœur.* [c] *Mendone.* [d] *le duc de Bouillon.* [e] *de la Tremoille duc de Thouars.* [f] *de Mornay Sr du Pleſſis gouverneur de Saumur.* [g] *Rapin prevoſt de la conneſtablie.* [h] *Charpentier avocat.* [i] *Amiens.* [k] *Tornabuoni.*

CIϽIϽXCVII.
HENRICUS IV.

et juxta [a] Lutetiam aut Rotomagum, ubi multorum votis ipſe exſpectatur, ſe conjungant, et de republica in commune capita conferant. Eadem literis [b] Valeti ſimul interceptis et diſtinctius explicata continebantur, mentione etiam interjecta occulti de [c] Sangermani arce, quo rex ſaepius excurrebat, capienda conſilii, quod [d] Carpentarius maxime urgebat: ſed additum erat, non id peti, ut arx, quae aegre defendi poſſit, ſed is cujus illa erat, in poteſtate habeatur. Non appoſitum erat literis verum Carpentarii nomen, ſed ſuppoſititium. Tandem ex conjectura re a ſagaciſſimo Rapino detecta, et Carpentario comprehenſo, fraudes patuere; commiſſiſque inter ſe reis, cum conſtaret Carpentarium eum eſſe, qui literas ab Alberto nuncioſque Lutetiae acciperet, et in [e] Armoricam aliaſque regni provincias ad Philippi partibus addictos perferendas curaret, ipſe et [f] Cruceius ad mortem tanquam perduelles ac patriae proditores damnati confractis membris rotae impoſiti ſunt. Nec a bello interim in Armorica et [g] Pictonibus vicinis ceſſabatur. [h] Ganachiae (id eſt [i] Roanorum ditionis in maritimo Pictonum tractu haud longe a [k] Bellovario oppidum) praeerat Euſebius [l] Pedifolius Severius, Jo. [m] Bellomanerio Lavardino equitum tribuno addictus; qui cum Hiſpanorum praeſidio impoſitorum inſidias ſaepius vitaſſet, et [n] Epirotas duce [o] Alerano immiſſos eluſiſſet, tamen huc uſque in Mercuriani fide manſerat: erat enim ex eorum numero, qui religionis ſolius cauſa arma ſumpſiſſe credi volebant; cujus ſecuritati quamprimum proſpiceretur, ea quoque confeſtim eſſent depoſituri. Igitur ſive ea voluntate ſemper ab initio fuerat, ſive nunc a Lavardino perſuaſus occaſionem ad regias partes tranſeundi quaeſiverat, monitus ab amicis inſidias ſibi ſtructas, et, captato nundinarum tempore, quo cuncti promiſcue in oppidum admittebantur, delectos qui tumultu excitato praeſidium expellerent, eo ſibi cautius agendum duxit: et cum jam [p] Gulenii, Perroderii, Vauvrillii legiones in propinquo eſſe cognoviſſet, et a [q] Mauleono, cui oppidi praefectura deſtinabatur, immiſſos homines obſoleto habitu, qui ad diverſorium publicum a foemina conſcia excepti occaſionem opperiebantur, mature ſumptis armis conatum eorum antevertit, et admiſſos intra oppidum poſt acre certamen ad unum omneis trucidavit; ipſe in tumultuario conflictu protritus, et ſuffoſſo equo non mediocri in diſcrimine verſatus. Qui ad ſtrepitum extra oppidum erant, vi ad majus propugnaculum facta, itidem cum damno repulſi ſunt. Acciditque eodem tempore, ut [r] Petreius, qui cum praeſidiariis aliquot excurrebat, in [f] Grangiae Marronneriae, quae ab hoſte tenebatur, praeſidiarios, cum in eo eſſent ut ſe Gulenio conjungerent, inciderit, eoſque nec opinato aggreſſus ceciderit. Id actum XIII Kalendas Junias. Diverſa parte Carolus Coſſaeus Briſſacus equitum tribunus, nuper provinciae cum ſummo imperio praepoſitus, cum exiguis quas habebat copiis ad refraenandas hoſtium incurſiones [s] Condate Rhedonum progreditur: nam magna annonae anguſtia in Armorica eo anno laboratum eſt. Erant omnino CIϽ CC pedites ex legionibus [t] Molaci, Tremblaii, Trochii, Bellomontii, Tercantii, Monbaroti filii multum imminutis conflati, et CC egregie inſtructi equites, quos Renatus [u] Marceus Monbarotus parens, Caideus, Kuerinanus, Sarrocta ducebant. Dum incedunt, et Monbarotus ac Molacus ultimum agmen clauderent, Jo. [v] Avaugurius Sanlaurentius Dinami praefectus et primarius illis locis Mercuriani dux, tranſmiſſo ad [w] Plaincoëtum amniculo, cum omnibus, quas undiquaque cogere potuit, copiis, XIII Kal. Sextil. aciem inſtruit, quaſi de ſumma cum regiis pugnaturus. Sed poſt leve certamen, in quo Molacus fortiſſime

INTERPR. [a] *Paris, & Rouen.* [b] *Valet prieur de la Trinité.* [c] *S. Germain.* [d] *Charpentier.* [e] *Bretagne.* [f] *la Croix.* [g] *Poictou.* [h] *la Ganache.* [i] *de Rohan.* [k] *Beauvoir.* [l] *du Puy du Fou Sr de la Severye.* [m] *de Beaumanoir mareſchal de Lavardin.* [n] *Albanois.* [o] *Alerano.* [p] *de Goulennes, de la Perraudiere, & de Vauvrille.* [q] *de Mauleon.* [r] *le cap^ne la Perriere.* [f] *la Grange Marroniere.* [s] *Rennes.* [t] *le baron de Molac, & les Srs de la Tremblaie, de la Troche, de Beaumont, & de Terchant.* [u] *de Marec Sr de Monbarot, de Caydieu, de Querinan, & de Sarrouette.* [v] *d'Avaugour Sr de S. Laurent gouverneur de Dinan.* [w] *Plainccuct.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

fortiſſime ſe geſſit, cum Monbarotus et Sarroëta acrem impreſſionem facturi eſſent, compreſſo utrinque impetu diſceſſum eſt. Briſſacus [a] Moncontúrium perrexit, [b] Guincampum inde petiturus, et ad [c] Laudrani caſtrum hoſpitium ſumit; quo ad eum Renatus [d] Riuſius Surdeacus Breſti praefectus venit: moxque Tremblaii et Monbaroti filii legiones a ſignis diſceſſerunt; quas tamen Briſſacus, cum [e] Quintini-fanum veniſſet, poſtea revocavit.

XIX. Post interceptam ab Hiſpanis [f] Samarobrigam cum plerique res regias profligatas crederent, animis ubique nutantibus varia conſilia agitabantur; et, cum de nomine regio actum putaretur, quiſque rebus ſuis privatim conſulere non alienum a fide exiſtimabat. Itaque in procerum illius provinciae conſeſſu, cui Briſſacus ipſe interfuit, Monpenſerio, qui in [g] Neuſtria proxima erat, ut creditur, non inſcio, [h] Bullionio item et [i] Tremollio, qui in Pictonibus erant, decreta in Angliam legatio, neque tamen obita: et ex compacto in arcano inter Proteſtanteis altera decreta, a Gabriele [k] Poliniaco Sangermano obita; qua, tanquam deſperatis rebus, ſeu regno ſeu religioni patrocinium ab Eliſabetha Anglorum regina petebant. In hoc incerto rerum ſalo fluctuanteis animos impulit et diſſeminatus ſub id, ſive a Mercuriano, ſive a turbidis ingeniis inter regios novis motibus occaſionem quaerentibus, artificioſe rumor, regem moerore in lethalem morbum incidiſſe; qui, anteqnam evanuiſſet, miros ac paene exitiabileis motus in animis hominum excitavit; vixque tandem, ſcribente Joanne [l] Maſſa Monmartino, qui in regis comitatu erat, et datis ad amicos in [m] Armorica literis, de regis valetudine eos ſecuros eſſe jubebat, multi jam ad extrema conſilia inclinantes in fide et obſequio manſerunt. Briſſacus, rebus ubique turbatis, qui Condato Redónum metueret, eo profecturus copias auxiliareis dimittit, parte Surdeaco attributa: qui cum iis ac propriis quas adduxerat, et aſſumptis ſecum Helvetiis qui in Armorica militabant, contra Guidonem [n] Ederum Bellomanerium Fontanellam ducit, hominem natalibus quam moribus meliorem, qui poſtremo dignum nefaria vita exitum habuit. Is mari terraque, divinis humaniſque juribus violatis, infeſta circum omnia reddebat, et [o] Cornubienſem dioeceſim paene deſolaverat, in arce [p] Painmarka ſtipendiarios praedones terra excurrenteis habens, et ex [q] Dovernenenſi inſula piraticam exercens. Ad Painmarkam primus impetus a Surdeaco factus, ad quam advecta Breſto tormenta. Ea expugnata, qui ferri aciem effugerunt, ad unum omnes in furcam acti ſunt, digni ab omnibus judicati, qui potius carnificis quam militis manu perirent. Inde ad Dovernenenſem inſulam itum, qua tanquam ſpelunca ad abactas undique praedas recipiendas Fontanella utebatur, in fluxu maris undique inacceſſa; cum recedebat, ad eam partem excitatis munitionibus egregie firmata, et re omni copioſe instructa. Itaque conſultum viſum, cum locus vi expugnabilis non videretur, ut tantum acceſſus undique obſtruerentur, ad refraenandas ejus incurſiones. Interea [r] Greſillius Tremblaius, qui ad pagum [ſ] Guinanum ſe contraxerat, cognito Sanlaurentium Dinamo egreſſum ad ſe venire, aciem inſtruit, et conſerta pugna caedit ac in fugam vertit; in qua legionis [s] Trochianae, quam [t] Pommereus ducebat, praecipua laus fuit. Is ſucceſſus ad majora audendum regiis animos fecit. Erat in propinquo arx, cui [u] Pleſſio Bertrandi nomen, ex qua [v] Maclovienſes jam a rege in gratiam recepti magna ſe quotidie incommoda accipere querebantur. Cum tormenta, pulverem, ac ſtipendium in menſem offerrent, Tremblaius conditionem accipit, et evocato Jacobo Mongomerio comite ab [w] Orſonis ponte, qui mox cum ſcloppetariis equitibus ſuis advolavit, et adductis a Joanne [x] Coaquini marchione Maclovii-fani praefecto II minoribus tormentis et apparatu bellico, caſtris ad arcem poſitis, res

opinione

INTERPR. [a] *Montcontour.* [b] *Guincamp.* [c] *Chateau-Laudran.* [d] *de Rieux Sr de Sourdeac gouverneur de Breſt.* [e] *Quintin.* [f] *Amiens.* [g] *Normandie.* [h] *le duc de Bouillon.* [i] *de la Tremoïlle duc de Thouars.* [k] *de Polignac de St Germain.* [l] *Du Mas Sr de Montmartin.* [m] *Bretagne.* [n] *Eder Sr de Beaumanoir baron de Fontenelles.* [o] *le dioceſe de Cornoüaille.* [p] *de Painmarck.* [q] *Dovernenes.* [r] *de la Greſille Sr de la Tremblaie.* [ſ] *le village nommé Guinan.* [s] *de la Troche.* [t] *le Sr de la Pomeraie.* [u] *du Pleſſis Bertrand.* [v] *ceux de S. Malo.* [w] *Pont-Orſon.* [x] *Coeſquen.*

opinione difficilior reperta; caſuque difficultas aucta, Tremblaio, dum in vallo ducendo laborat et capite intecto huc illuc diſcurrit, ictu ſeloppeti interfecto. Itaque ſoluta obſidione Coaquinus Maclovii-fanum abductis ſecum tormentis, Mongomerius Orſonis pontem, redit: [a] Manevius, qui [b] Bordagii equitatum ducebat, ad ſua quoque ſe recepit, peditatu relicto; quem, Tremblaio ſublato, [c] Brumenſanius Caſtellionis praefectus in tutum deducendum ſuſcepit. Ex omni equitatu vix reliquos habebat xx loricatos, inſtituto Orſonis pontem verſus itinere, cum Sanlaurentium adventare cognoſcit, confuſis, ut in certa victoria, ordinibus. Hic Brumenſanius, ab omnibus legionum praefectis, qui poſt ſolutam obſidionem huc illuc dilapſi erant, deſertus, minime ſe deſeruit; ſed, acri protinus impreſſione in ſolutos et ad paratam victoriam ruenteis hoſteis facta, ipſos inclinavit, ac poſtremo in fugam vertit, occiſis pleriſque, et cc circiter equis captis. Nox ſuperveniens pleniorem victoriam Brumenſanio invidit, qui magnam laudem ex re eo die bene geſta reportavit, amiſſi paulo ante Tremblaii exiguum ſolatium. Nec multo poſt, variante vices fortuna, [d] Briandi-caſtrum aſtu contrario a Mercuriano receptum eſt; illo ipſo, qui locum prius prodiderat, interfecto. CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

XX. ERAT grave diſſidium Mercuriano cum Jo. [e] Aquila Hiſpanorum in Armorica praefecto, quod occultis inter eos ſimultatibus alebatur. Ad quod componendum miſſus a Philippo [f] Ledeſma; qui, cum [g] Condivicini eſſet, ad Carthuſianorum coenobium in ſuburbio crebrius quaſi religionis ſpecie divertebat. Ibi cum Petro [h] Audoeno Lavallenſi ex illo ſacro collegio, homine non ſatis mentis compote, et qui propter ſolutos mores a ſodalibus mulctatus in Hiſpaniam aliquando aufugerat, ibique diſciplinae impatiens aliquandiu latuerat, ob linguae commercium familiaritatem contraxit; et, ingenium turbidum conſiliis extremis opportunum nactus, facile ei perſuadet, ut, ad liberandam haereticis et principe tyranno patriam, ex notis ſibi aliquem manu promptum in regis perniciem ſubornaret. Quod ille ſe gnaviter facturum recepit; eaque de re cum quodam ſecum cognatione conjuncto, qui in regiis caſtris militabat, egit, montes aureos ei, et honorificentiſſimas facinore patrato nuptias, pollicitus. Is vero paulo poſt extinctus incertum reliquit, an factum probaret damnaretve, aut certe tanquam a furente profectum conſilium contemneret, et propter proximitatem diſſimulatione eludendum exiſtimaret: nam nihil ea de re regi revelavit, quod crimen perduellionis evitaturo neceſſe erat. Verum ſceleris inſtigator, natura garrulus, cum de eo in confeſſionis arcano cum Franciſcano quodam homine probo Condivicini conſultaſſet, aliiſque, tandem res emanavit, et ad regem ſequenti anno delatus. Audoenus, Lavalli, quo poſt Mercurianum cum rege reconciliatum conceſſerat, comprehenſus, a Jacobo Auguſto Thuano et Carolo Turcantio interrogatur; factique per teſteis et ex confeſſionibus convictus ſummam regis clementiam expertus eſt, qui Carthuſiani ſodalitii reverentiae et hominis inſaniae crimen condonavit, probationes juris ſervato ordine confectas collegiſſe contentus, quibus de rei veritate conſtaret, et de ea aliquando apud Hiſpanos expoſtularet. Aquila, etſi alieno maxime eſſet a Mercuriano animo, tamen, quia per [i] Daradonios fratres eorumque ſororium Ludovicum [k] Montinium, qui in [l] Venetorum civitate ccc Hiſpanorum praeſidium acceperat, ſummum populorum favorem experiebatur, et ad ſervandum [m] Blavetum patientia opus eſſe judicabat, comiter cum eo amicitiam colebat. Interea [n] Gulenius, qui cum ſuis copiis nullo non licentiae genere in ruſticos graſſabatur, ad pagum cui a Georgii-fano nomen, quo ſe illi ſtructo munimento contraxerant, vim facit; et loco expugnato non ſexui, non aetati, parcit, igne poſt crudelitatem et libidinem ſatiatam immiſſo.

XXI. OBSIDIONIS a rege inſtitutae incertus exitus animos multorum ſuſpenſos tenebat; et Proteſtantes ipſi in negotio, quod rex per delegatos ſuos tantopere urgebat, lentius

INTERPR. [a] *le Pleſſis Maineuf.* [b] *du Bordage.* [c] *le Sr de Brumenſany gouverneur de Chaſtillon.* [d] *Chateau-Briand.* [e] *del Aquila.* [f] *de Ledeſma.* [g] *Nantes.* [h] *Ouyn de Laval.* [i] *de Daradon.* [k] *de Montigny.* [l] *Vannes.* [m] *Blavet.* [n] *de Goulaines.*

CIↃIↃXCVII. lentius progrediebantur, conſilium ex eventu capturi. Itaque cum nihil proficeretur,
HENRICUS IV. indeciſo negotio, neque tamen deſperaro, a colloquio delegati diſcedunt, et Lutetiam, ubi rex erat, rebus ad obſidionem neceſſariis parandis intentus, cum eo de conditionibus controverſis amplius conſulturi veniunt; a quo paulo poſt [a]Caſtrum-Eraldi, quo illi [b]Salmuria conceſſerunt, remittuntur, Schombergio praemiſſo; qui prius in [c]Armoricam excurrit ad res in provincia ordinandas, quae, ſciſſis ducum, qui regias partes tuebantur, ſtudiis, valde confuſae erant. Heic Briſſaco animi anxio tanti viri prudentia praeſto fuit: qui mox, compoſitis pro tempore motibus, ad delegatos, qui jam Caſtrum-Eraldi venerant, revolat, et cum Bullionio et Tremollio agit; et efficaci, qua pollebat, eloquentia oſtendit, magna ipſos invidia apud omneis regni ordines laboraturos, ſi regem tam neceſſario tempore deſerant; magnum et communi Proteſtantium cauſae ex eorum culpa odium conflatum iri, et edicto, quod cum bona populorum gratia obtinendum erat, adverſaruros ob id multos: hiſque rationibus utrique perſuadet, Tremollio, ut III peditum legiones, Petro [d]Pideo Neda, Marco Antonio [e]Marraeo Boſcoguerinio tribunis, in Pictonibus conſcriberet, eaſque occaſione prima ad regem duceret; [f]Bullionio, ut in [g]Lemovices profectus militem quoque ſcriberet. Secundum haec conſcriptae III legiones; quae, ad refraenandas [h]Villaboſii, qui nuper rebellaverat, [i]Perrauderii, Commerondi, et Gulenii excurſiones in limite excubare juſſae, in tempore in regia caſtra duci non potuere. Bullionius vero turbatas res in [k]Arvernis et Gabalis cum reperiſſet, ob [l]Mimatum a Franciſco [m]Momorantio Foſſenſi occupatum, et ab Anna [n]Levio Ventadurio Septimaniae vicario obſeſſum, longiorem moram fecit, quam ut ad [o]Samarobrigae obſidionem, ſicuti promiſerat, tempeſtive venire potuerit. Schombergius interim capta occaſione [p]Caeſarodunum revertitur; indeque Thuanus et [q]Vicus per diſpoſitos equos ad regem profecti, quid cum Proteſtantibus actum eſſet, plene expoſuerunt, ſpe facta, quandoquidem Deus tam proſperos ipſi ſucceſſus annuiſſet, fore, ut tractabiliores deinceps ſuorum animos in negotio tam perplexo experiretur. Pridie Kal. Oct. ſeverum in receptatores eorum qui Mercuriano adhuc militabant, continuis excurſionibus infeſta circum omnia reddentium, flagitante cognitore regio in ſenatu decretum factum; quod in [r]Turonibus, Andibus, Pictonibus, Cenomanis, in Bloeſenſi et Aurelianenſi praefecturis, ubi illi graſſabantur, gravibus additis poenis promulgatum eſt. Tandem induciae, quas alia atque alia ſubinde cauſatus huc uſque eluſerat Mercurianus, eventum Samarobrigae ſcilicet opperiens, a Schombergio et [ſ]Rupipotio [t]Andegavi pactae, et XVI Kal. Nov. publicatae, quae ab eo die inciperent, et in Kalendas Januarias proximas exirent; ita tamen, ut arma ante medium Januarium et niſi poſt denunciationem utrinque non ſumerentur. Id deliberandi veluti tempus Mercuriano conceſſum, ut errorem praeteritum matura poenitentia emendaret, Joanne [u]Maſſa Monmartino, qui inter haec ſemel atque iterum a Schombergio ad regem miſſus fuerat, cum extremis mandatis in Armoricam remiſſo, ut de regis proximo in provinciam adventu cunctos ordines ac ſenatum inprimis certiorem faceret. Petebat rex, aerarium ſuum recenti expeditione exhauſtum cauſatus, ut ipſi in propria cauſa ſibi ſubvenirent, et C aureorum CIↃ praeſenti pecunia, XX tormenta inſtructa, propediem in provinciam venturo ſubminiſtrarent, cum idonea alendo exercitui annona; quod Schombergius ab iis impetravit: et, Monmartino Fanum Maclovii miſſo, civitas ultro tormenta, pulverem, pilas, in adventum regis pollicita eſt; poſt Samarobrigam receptam mutata ubique rerum facie, et, quo fortuna inclinabat, favore hominum in regias partes propendente.

JACOBI

INTERPR. [a] *Chatelleraut.* [b] *Saumur.* [c] *Bretagne.* [d] *Pideux Sr de Neſle.* [e] *Marreau Sr de Bois-Guerin.* [f] *le duc de Bouillon.* [g] *Limouſin.* [h] *de Villebois.* [i] *les Srs de la Perraudiere, de Combren, & de Goulaines.* [k] *Auvergne & Givaudan.* [l] *Mande.* [m] *François de Montmorency l'aîné qualifié baron de Foſſeux ſeneſchal & lieutenant general en Givaudan.* [n] *de Levi duc de Ventadour lieutenant general au gouvernement de Languedoc.* [o] *Amiens.* [p] *Tours.* [q] *de Vic.* [r] *Touraine, Anjou, Poitou, le Maine, & les bailliages de Blois & Orleans.* [ſ] *le comte de la Rochepot.* [t] *Angers.* [u] *du Mas Sr de Montmartin.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER CENTESIMUS DECIMUS NONUS.

EPITOME.

IN Allobrogibus Dignierius bellum contra Sabaudum renovat, tam felici ſucceſſu, ut tota Sabaudia cis Iſaram XLI dierum ſpatio ſub regis poteſtatem redacta ſit. II. Barralium in terra Francia munimentum ſtruendum ſuſcepit Sabaudus. Peſtis Gratianopoli graſſatur. Sabaudi a Convallenſibus ſemel atque iterum caeſi. III. Ad Villam-francam in Campania a noſtris feliciter contra Gaucherium certatur. IV. Aquitaniae ſumma praefectura Condaeo donata. Matignono ſub id Burdigalae decedente, in ejus locum Alfonſus Ornanus ſufficitur. V. Franc. Lucemburgus Pinaei dux Romam miſſus, qui maxima pompa obedientiae praeſtandae officio defunctus eſt. VI. Novum contra Jeſuitas ſenatuſconſultum XII Kal. Sept. factum. Aliud et decretum XVII Kal. Nov. factum contra quendam nomine Porſanam Lugdunenſis ſcholae praefectum, qui olim in eo ſodalitio literas profeſſus fuerat. Simonis Marioni fiſci patroni adverſus eum ordinem oratio. VII. In Belgio Mauritius Alpenam Meurſiae ditionis arcem et Berkam ad Rhenum deditione capit. Fruſtra Berka ab Erneſto Colonienſi ſeptemviro ab Ordinibus repetitur. Camillum propugnaculum Mauritii juſſu deſtructum. Meurſium eodem ſucceſſu receptum. Ad Grollam caſtra poſita. Tandem locus, praeciſa omni auxilii ſpe, deditur. Breſortium vi captum et crudeliter direptum. Eſcheda, Oldenzeela, Goora, et alia caſtella in fidem accepta. Lingena obſeſſa, et tandem a Frid. Bergenſi comite pridie Eid. Nov. Mauritio tradita. Aemilia Mauritii ſoror Emmanueli Antonii electi Luſitaniae regis filio, fratre inſcio, nubit. VIII. Ad pacem cum Philippo faciendam Daniae rex partes ſuas apud Ordinet interponit. Ordines ab omni de pace actione ſe excuſant. IX. Paulus Dzialinius inſtigatu Hiſpanorum a Sigiſmundo Poloniae rege ad Ordines miſſus, exaggerata in majus Philippi potentia, eodem officio defungitur; nec commodius reſponſum ab Ordinibus tulit. Cum ad Eliſabetham in Angliam tranſiiſſet, et liberius cum ea ageret, generoſa foemina graviter oratione Latina legatum increpuit. X. Carolus Nucelius eodem tempore ad Ordines a Caeſare miſſus fruſtra fuit. XI. Oſtenda fruſtra tentata. Alberti cum Iſabella matrimonium Bruxellis IV Non. Dec. publicatum. XII. In Suecia Carolus Sigiſmundi Poloni patruus et regni prorex, praefectura ſuprema, quam a Sigiſmundo conceſſam huc uſque tenuerat, ſe abdicat, eamque ab Ordinibus delatam reſumit. Conventus ab eo Arbogiae indictus. Inde in regno ſciſſura, et omnes regni provinciae in Caroli verba adactae. In ſequentem annum Sigiſmundi dilata profectio. XIII. Crebrae de Anglis libertatem mercimonii impedientibus in Germania querimoniae. Edictum Caeſareum contra Anglos mercatores Pragae Kal. Sextil. promulgatum. Eliſabethae contraria edicta contra Germanicos. Chriſtiernus IV Daniae rex cum Anna Catharina Joachimi Friderici Brandeburgici filia nuptias V Kal. Dec. celebrat. XIV. In

Auſtria plebs praeſidiariorum licentiu exaſperatu in apertam defectionem erumpit. Motus incentores ſupplicio adfecti. XV. *Berneſtenius et Palſius Totiſam et Puppam cupiunt. Ad Javurinum poſita caſtra. Variae et proſperae noſtrorum in hoſticum excurſiones. Tatari caſtris exuti, et praeda ingens abacta. Adventu Turcici exercitus Javarini obſidio ſolvitur. Turci Totiſam nuper u noſtris receptam capiunt.* XVI. *Buthorium Tranſylvanum temere ſuſcepti contru Turcos belli poenitentiu ſubit.* XVII. *Virorum literis illuſtrium mortes, Gilb. Genebrardi, Suffridi Petreii Leovardienſis, Gabr. Puleoti cardinalis, Franc. Patricii, Aldi Manuccii, Fr. Raphelengii, Hier. Commelini.* XVIII. *Principum obitus, Gunillae Joannis* III *Sueciae regis ſecundue uxoris, et Eliſabethae ejuſdem Joannis ſororis, Catharinae Infantis quae Sabaudo nupſerat, Alfonſi* II *Ferrariae ducis; qui ſine liberis cum deceſſiſſet, inter pontificem et Caeſarem Ateſtinum ortu controverſia. Ateſtinus trina denunciatione citutus cum non compareret, diris devovetur. Refrigeſcit priſtinus Caeſaris ardor, et ab amicis monitus ad quietu conſiliu inclinat; miſſiſque ad curdinalem Aldobrandinum, qui Faventiae ſubſtiterut, delegutis, ineunte Januario cum eo tranſigit. Conditiones inter pontificem et Caeſarem Ateſtinum perſcriptae, quas pontifex poſtea ratas habuit. Aldobrandinus ad urbem accedit cum* V CIↃ *peditum et* CIↃ *equitibus, pompu regia exceptus.*

EX AUCTORIBUS,

Diguierii militari diario, Actis publicatis, Curiae Pariſienſis actis, Jo. Parvo, Caeſure Campana, D. Chytraeo, Jacobo Typotio.

LIBER CENTESIMUS DECIMUS NONUS.

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

NEC In [a] Allobrogibus hoc anno ceſſatum eſt; nbi Franciſcus [b] Bona Diguierins in aulam antea profectus, acceptis a rege mandatis, bellum majore quam antea mole cum Sabaudo renovavit, et, Junio ineunte VI peditum CIↃ et IↃ equitibus conſcriptis, ad [c] Roberti-fanum circa Gratianopolim locum, quo univerſi convenirent, condixit ad XII Kalendas Quintileis. Poſtridie [d] Vouraeum tendit, eum Alfonſo Ornano colloquuturus, ut ſparſam ſiniſtram famam, quaſi inter eos male convenitet, amica de republica conſultatione dilueret. Serius coeptum bellum, quod pecnnia ad manum non eſſet, et qnia per aſpertimos et nivoſos montes ad intercludendum exercitui ex [e] Inſubribus venienti aditum ineedendum erar, et torrenres plerumque vadandi, qui adulta aeſtate humiliore alveo fluunt. Maxima in annona parandadifficultas fuit, quod ut in Armotica, ſie toto regno, ſumma caritas ejus erat. Biduo poſt luſtratae copiae, et iter ad [f] Joannis-fanum in Maurienna intenditur; qno, ſuperatis montibus oppoſitis, et in ſummo, quod hoſtes vallo tranſverſo muniverant, levi conſerto certamine, perventum. Civitas eſt undique aperta, regionis metropolis, epiſcopali ſede ornata, in planitie ut inter montes ſaris ampla, quae treis valleis concutrentes aſpicit; quarum una pracaltis montibus interſecta ad [g] Burgum Oſanum ducit V leucis diſſitum; ſecunda ad [h] Ceniſium montem pertinet; tertia [i] Confluentem
et

INTERPR. [a] *Savoye.* [b] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [c] *S. Robert prés Grenoble.* [d] *Vouray.* [e] *le Milanois.* [f] *S. Jean de Maurienne.* [g] *le Bourg d'Oyſans.* [h] *Mont Cenis.* [i] *Conſlans.*

CIƆ IƆ XCVII.
HENRICUS IV.

et [a] Monmelianum reſpicit: quae duae quaſi pro canali ſunt rapido torrenti, in [b] Aronem ex Ceniſio cum fragore labenti, et ſupra Monmelianum ad Confluentem Iſarae aquas miſcenti. Eo poſitu Moriennenſis civitas tribus pontibus a [c] Camera venientibus aditur; quos Diguierius ante omnia per [d] Sanjoannem legionis tribunnm òccupandos curavit, praemiſſo ad dextram [e] Roſano, qui pontem [f] Villarinm inſideret, dimidia a [g] Michaëlis-fano lenca diſtantem: ſed cum a ruſticis, qui in ulteriore ripa ſe muniverant, eum ruptum offendiſſet, ipſe in citeriore conſedit. Fatigatis aeſtu et difficultate incedendi copiis, poſtridiani imbres ſupervenere haud minus militi faſtidioſi, ita ut toto biduo poſt appulſum ad Joannis-fanum nihil tentatum ſit. [h] Martinengus, qui Sabaudi nomine provinciae praeerat, III alas eqnitum et II legiones peditum circa ſe habebat; qui comportatis ceſpitibus ſuburbia [i] Camberii, alioſque ad urbem aditus, quanta poterat celeritate muniebat. Tandem, poſt acceptum ex Hiſpania reſponſum, [k] Inſubres copiae in Belgium deſtinatae per [l] Salaſſos itet ingredinntur, et [m] Eporediam ac Praetoriam Auguſtam praetervectae in [n] Tarentaſiam deſcenderunt: aliae ex [o] Subalpina regione venientes, quas [p] Salinas ducebat, per Ceniſium montem et Moriennae vallem iter habuerunt, quae X alis equitum et bis mille peditibus conſtabant. Iis ad [q] Aquambellam condictus locus, quo ſe cum Martinengi comitls copiis conjungerent. His acceſſerunt IV legiones recenter ſcriptae, et X aliae equitum alae; ita ut omnino eſſent VIII legiones, et XX equitum alae. Eodem, quo [r] Diguierius Joannis-fanum venit, die, Salinas [ſ] Laneburgum cum ſuis appulit, et ruſticis in ulteriore ripa ſe munientibus praeſto fuit, ſumpto ad Michaëlis-fanum hoſpitio; ex quo, incumbente cum delecta manu Carolo Crequio et ruſticis huc illuc diffugientibus, pulſus, in proximum Ceniſium montem propere ſe recepit, relicto in arce [s] Jacobo Carrecto cum ſua cohorte: incenſae et in tumultu quaedam aedes. Diguierius VI Kalendas Quintileis, relicto ad Joannis-fanum [t] Paſquerio cum ſua legione, Fanum Michaëlis venit; cumque in eo eſſet ut ad intercipiendas Inſubreis copias iter perſequeretur, neque in arce capienda ſibi diutius immorandum exiſtimaret, nullis quippe advectis tormentis, ſine quibus capi non poſſe apparebar, Carrectus minis noſtrorum territus colloqnium poſcit, et honeſtis conditionibus deditionem paciſcitur. Capta nec opinato arce Diguierius ad Andreae-fanum progreditur; ubi ponte fere corrupto longior mora in tranſeundo facta, et ad eum reficiendum [u] Serranus cum CC peditibus relictus. Eodem die [v] Modanam ventum populoſum municipium, quod medius [w] Arus dividit, prima acie in [x] Aurelios praemiſſa, haud longe ab [y] Ocellis, ubi Salinas caſtra muniverat in ſaxo undique praerupto, quod tranſverſo tractu ad montes porrigitur, et ſubjectam vallem dirimit. Salinas, quamvis loco firmo inſiſteret, veritus ne a copiis, quae amnem tranſmiſerant, a tergo circumveniretur, intempeſta nocte ſine tympani pulſu ſe in tutum recepit, praemiſſis impedimentis et accenſis circum ignibus, ut magis in diſceſſu ſuo falleret. Quo poſtridie cognito Diguierius recedentem inſecutus eſt uſque ad Laneburgum, ad [z] Cottiarum Alpium radices poſitum municipium. Verum hoſtes jam trans montem [aa] Suſionem verſus evaſerant; in eaque expeditione tantum temporis inſumptum, ut interim Inſnbres jam parvum S. Bernardi montem ſuperaverint, inter imbreis aſſiduos ét aſpera montium et nive jam albicantia ſnmma Alpium faſtigia conflictante regio exercitu. Igitur per [bb] Brammantium facto itinere Kalendis Quintilibus ad Michaëlis-fanum ventum, ubi [cc] Greneterius ſtrenuus ordinum ductor cum ſua cohorte impoſitus; nam de munitione in

INTERPR. [a] *Montmelian.* [b] *Ar r.* [c] *la Chambre.* [d] *de S. Jean.* [e] *de Roſan.* [f] *le pont de Villars St Clement.* [g] *St Michel.* [h] *le comte Martinengo.* [i] *Chambery.* [k] *Milanois.* [l] *le Val d'Aouſte.* [m] *Ivrée & Aouſte.* [n] *la Tarantaiſe.* [o] *Piedmont.* [p] *le comte de Salinas.* [q] *Aiguebelle.* [r] *le Sr de Leſdiguieres.* [ſ] *l'Annebourg.* [s] *le capitaine Jacques Carretto.* [t] *le Sr de Paſquiers.* [u] *le Sr de Serré.* [v] *Modane.* [w] *l'Ar r.* [x] *Aurient.* [y] *Ocelx.* [z] *Mont Cenis.* [aa] *Suſe.* [bb] *Bramant.* [cc] *le capitaine Grenetiere.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

in monte Ceniſio exſtruenda conſilium fruſtra fuit. Inde ad Joannis-fanum reditum; quod feſtinatis operibus munire aggreditur, IV propugnaculis ad [a] Villarium et Hermillionem pontes hinc inde exſtructis. Alteris caſtris [b] Fanum-Onufrii venit, et leges militareis publicat, quas in hoſtico religioſe ſervari mandat; et inde [c] Cameram progreditur, prima acie [d] Catharinae-fanum praemiſſa. Quo eodem die Sabaudus, ſuperatis Alpibus, Tarentaſiam venit; miratuſque Diguierium, quem ad Hiſpanos ex Inſubribus venienteis debellandos tantum veniſſe putabat, adhuc in Sabaudia haerere, protinus ad Hiſpanos, qui jam [e] Claudii-fanum in Sequanis proceſſerant, ſcribit, et precibus enixis ut ad ſe redirent rogat. Verum illorum praefectus, condicta die Romilii, quo ad colloquium convenirent, cum Sabaudus non comparuiſſet, iter in Belgium perſequi inſtitit. Diguierius III Non. Quintil. [f] Aquam-bellam verſus procedit, et locum per otium contemplatus [g] Argentinam revertitur, locum ferri fodinis nobilem, cui ab Ato amne nomen inditum indigenae putant. Poſtridie pontes Argentinae et Aquae-bellae refecti; et [h] Crequius Aquae-bellae peditatum diſtribuit, hoſtibus in arcem proximam confugientibus. Ea in ſaxo difficili acceſſu ad montium fauces, qui vallem ad [i] Ceniſium montem pertinentem efficiunt, ſita. Arum ſubjectum habet, et ponti imminet, atque adeo municipio populoſiſſimo, quod ponte ligneo jungitur. In ſummo ſaxo planities porrigitur, et in imum locis duobus deſinit, per CL paſſus arctiſſima. Ab arce murus antiquus praetendebatur; et ad ſeptentrionem [k] Carbonaria turris aſſurgit, olim a Bertoldo Saxone I Sabaudiae et Mauriennae comite, ut creditur, fundata, et cunis Thomae Humberti III Sabaudiae comitis et [l] Subalpinae principis filii, anno CIƆ CLXXVII nati, nobilis. Montes ab occaſu non ita longe abſunt, ab ortu longius diſſiti, amne medio. Martinengus, ut moram Gallorum conatibus interponeret, miſerat ad Diguierium, habere ſe ſignificans quae cum ipſo communicare neceſſe haberet; et [m] Brunellus ad eum confeſtim miſſus fuerat: nihilque interim cunctatus Diguierius, cum tormenta non haberet, [n] Gratianopoli advehenda curat, [o] Auriaco, qui in Delfinatu adhuc erat, dato negotio, ut cum III equitum alis et totidem peditum ſignis [p] Goſſelium veniret, ad ſubita praeſto futurus. Eodem die Sabaudus ipſe per veredarios [q] Monmelianum venit, quod res ubique turbatas ac confuſas praeſentia ſua egere intellexiſſet, qui mox copias ſecundum amnem a [r] Confluentia [s] Miolanum uſque et [t] Petri-Albeniaci-fanum, II aut III ab exercitu regio leucis, diſtribuit, inciſis ubique pontibus, et aquarum eluvione ſublatis vadis, ne ad eum Galli tranſire poſſent. Interim ad Carbonariam turrem caute admotae copiae, quod ab ea parte dejectis ſaxorum per praecipitia fragmentis noſtri valde infeſtarentur. Diguierius relicto ad obſidionem Crequio [t] Rupellam progreditur, venientibus tormentis occurſurus cum CIↃ peditibus. Arcem tuebantur LX praeſidiarii a Camerae marchionibus impoſiti. Primo impetu ſuburbia et oppidum, admotis ad murum ſub meridiem crepitaculis, a Gallis captum, praeſidiariis et oppidanis in arcem confugientibus; qui poſt biduum, diſploſis aliquot tormentorum ictibus, deditionem fecere. [u] Bardonnanchius cum III ſignis loco impoſitus. Tum itineribus purgandis, qua vehenda erant tormenta, ſequens dies impenſa: et XL paſſuum ſpatio Monmeliani pons, tabulis in ſubjectum flumen praecipitatis, juſſu Diguierii ruptus. Inde, ſupervenientibus V equitum alis et totidem peditum ſignis, ad [v] Chaumuſſetum admotae copiae, quod eſt caſtellum ad laevam paulo a via diſſitum in tumulo aſſurgens, quod praeſidio firmaverat Sabaudus, et paulo infra ad ripam Iſarae munimentum

inchoaverat,

INTERPR. [a] *Villars S. Clement, & Armillon.* [b] *le pont à Mefroy.* [c] *la Chambre.* [d] *le bourg Ste Catharine.* [e] *St Claude en la Franche-Comté.* [f] *Aiguebelle.* [g] *Argentine.* [h] *le Sr de Crequy.* [i] *Mont Cenis.* [k] *la Tour Charbonniere.* [l] *Piedmont.* [m] *Brunel.* [n] *Grenoble.* [o] *d'Auriac.* [p] *Gouſſelm.* [q] *Montmelian.* [r] *Conflans.* [s] *Miolans.* [t] *S. Pierre d'Albigny.* [t] *Chateau de la Rochette.* [u] *le Sr de Bardonnanche.* [v] *le fort de Chamoſſet.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

inchoaverat, et XXIV horarum ſpatio jam ad altitudinem ſatiſſae erexerat, ſoſſa excavata, et tormentis aliquot impoſitis, eo conſilio ut pontem ex navibus in eo conſtrueret, per quem tranſmiſſis copiis [a] Chaumuſſetum teneret, et noſtris ad Aquae-bellae arcem haerentibus, annonae et bellici apparatus ſubvectione impedita, incommodaret. Id eminus conſpicatus Diguierius ad Crequium mitrit, et cum II CIↃ IↃ peditibus eo tendere jubet: qui impiger imperata facit, et, acri ad Inchoatum propugnaculum conſerta pugna, hoſtem in ulteriorem ripam compellit. Moxque admoventur tormenta; quibus haud magno profectu diſploſis, [b] Virodunus cum III cohortibus vim facit, et inter ſcloppetorum ex propugnaculo et ulteriore ripa diſploſorum ictus, fumum, et ſtridorem, per gradus ab operariis ad faſceis et ceſpiteis portandos in ſoſſa relictos perrupit, et praeſidiarios numero CC diſturbat; qui de ſalute ſua deſperantes, majorem partem in ſubjectum flumen praecipitati, ad inſulas circumpoſitas nocte proxima perſugium habuere: plures aquis hauſti, pauciores occiſi, et in iis [c] Calvirius regulus Comitatenſis. [d] Juſtus, qui loco praeerat, cum aliquot centurionibus captus. [e] Philippinus Sabaudi nothus frater obſolero amictu in inſulam ſubjectam arboribus tectam evaſit. Ex noſtris XX deſiderati; LX amplius ſauciati. Sequens dies propugnaculo deſtruendo impenſa, ſpectante Sabaudo, qui in olteriore ripa cum VI CIↃ peditum et IↃ CCC equitibus ſtabat. Exemplo territi qui Chaumuſſetum tenebant, ſpe auxilii praeciſa, vitam et res ſalvas pacti deditionem ſecere XIII Kalendas Sextileis; et Petrus [f] Andreanus loco cum valido praeſidio impoſitus eſt: eodemqne die Diguierius ad Aquam-bellam redit, et ad [g] Argentinam hoſpitium habuir. Totum triduum tormentis dirigendis, et amne, in quem praecipitaverant, extrahendis, inſumptum; quorum unum in colle ſummo, qui ab occaſu arcem deſpicit, ſtatuitur. Eo duodecies diſploſo ſub veſperam colloquium poſcitur, et poſt aliquot altercationes arx honorificis conditionibus deditur, ex II ſignis, quae in ea erant, altero penes deſenſores, qui CL erant, manente. Loco [h] Darſius cum CC delectis imponitur, qui totum eum diem, is in VI Kal. Sextil. incidebat, et ſequentem ruinis ſarciendis inſumpſit. Inde ad [i] Alquitiam arcem, quae [k] Camerae marchionum hereditaria eſt, exercitus docitur; et peditatus, per Chaumuſſerum facto itinere, alteris caſtris ad [l] Villarſalam venit; Diguierio cum ſua equitum ala ad Argentinam haerente, ut annonae, quae Joannis-ſano Aquam-bellam comportabatur, ſubvectionem adjuvaret. Kalendis Sextilibus duae legiones recenter in [m] Vivarienſi pago et Septimania ſcriptae, [n] Corona et Maſerano tribunis, in caſtra venerunt; et mox conſultatum inter belli duces, quid facto opus eſſet: nam Sabaudus cum univerſis copiis jam reſecto ponte jactabundus ad proelium ſe parabat, et in dies Iſaram tranſmiſſurus putabatur. Cum magna ſe alacritate noſtri ad tentandam ſortunae aleam contra pararent, Diguierius [o] Gratianopolim et ubique ad amicos ſcribit; qui ſubito tanquam ad nuptiale ſeſtum magno numero confluxere. Interea maturata Alquitiae obſidio, quae munitiſſima in tota Sabandia arx putabatur, ſupra [p] Ropellam in altiſſimo monte poſita, valido muro et pomoerio firmata, et duplici ſoſſa vallata, ſed anguſta. Itaque, admotis tormentis et diſploſis circiter LXXX ictibus, neqne magna ruina edita, in ſequentem diem oppugnatio dilata; quo repetita pulſatione cum pulvis deſeciſſet, et novus Gratianopoli non ita cito advehendus exſpectaretur, [q] Baius, qui arci praeerat, praeſidiariis tumultuantibus, quod plerique ut in loco anguſto ſaxorum fragmentis graviter infeſtaſentur,

INTERPR. [a] *le fort de Chamouſſet.* [b] *de Verdun.* [c] *le baron de Chauveriey de la Franche-Comté.* [d] *le colonel Juſt Piedmontois.* [e] *Don Philippin.* [f] *le capitaine André.* [g] *Argentine.* [h] *le Sr d'Arſet.* [i] *le fort de [a] l'Eugli.* [k] *de la Chambre.* [l] *Villarſale.* [m] *le Vivarais, & le Languedoc.* [n] *les Srs de la Couronne, & de Maſeran.* [o] *Grenoble.* [p] *la Rochette.* [q] *Bay.*

NOT. [a] *Eugli* eſt un terme Savoyard qui ſignifie *Eguille.* *Put.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

infeſtarentur, colloquium poſcit, et, vitam ac res ſalvas pactus, cum armis et impedimentis poſtridie dimiſſus eſt. Loco cum valido praeſidio [a] Blancus impoſitus. Atque ita intra XLI dierum ſpatium, raro fortunae ſemper victricis beneficio, tota Sabaudia cis Iſaram, ratione ad Delfinatum habita, Diguierii ductu ſub regis poteſtatem venit. VII Eid. Sextil. delectus pugnae conſerendae locus, ne hoſtis [b] Charrae pontem a tergo occuparet, et liberum a Delfinatu tranſitum impediret. Diguierius ad Eſſedum hoſpitium ſumpſit, peditatu ad [c] Moletas, equitatu ad [d] Capellam albam collocato. Sabaudus ad [e] Helenae ſanum caſtra munivit. Citra [f] Iſaram duo colles aſſurgunt, leucae ſpatio a Monmeliano diſſiti: in altero Moletae, in altero, qui Monmeliano proximior, Helenae-ſanum eſt ad ſeptentrionem cum arce. Media palus interjacet late porrecta, quae juxta Moletas contrahitur, et CIↃ [g] jugerum prato locum facit. Rurſus inter paludem et prata amniculus fluit [h] orgyiam latus, et admodum profundus. Pratum e regione Iſarae ad laevam praealto [i] luco, cui Coſae nomen, ad dextram caedua ſylva et ſepibus, clauditur; quae uſque ad alterum collem, cui arx S. Helenae inſidet, extenditur. Inde hoſtis cum in planitiem improviſus deſcendiſſet, initio in caſtris regiis turbatum eſt; et, ſi quidem recta noſtros imparatos adortus eſſet, plenam de iis victoriam reportare potuiſſe creditur: ſed, ſpatio muniendis caſtris et colligendis ex ſubito pavore animis conceſſo, confeſtim parata ad defenſionem omnia. Helvetios auxiliareis, qui in Sabaudi caſtris erant, certamen detrectaſſe hoſtes prodidere, quod noſtri in ſuo ſtarent, et, citra foederis, quod ipſis cum regibus intercedit, violationem, in terra Francia contra Francos militare non licere exiſtimarent. Tantum ad amniculum medium acriter pugnatum, quatuor aut quinque horarum ſpatio; et ex hoſtibus CC, ex Gallis XXX circiter cecidere: LXXX vulnerati. Ad majorem ſtatim caſtrorum ſecuritatem ex caeſpitibus agger in amniculi ripa erectus, et pontes II in eo ſtrati, ad latera munimentis tumultuario opere ſtructis; ita ut levibus aſſultibus tantum deinceps ſit certatum. Heic cum Philippinus Sabaudi nothus frater ad duellum Crequium provocaſſet, et ille ſubito comparuiſſet, Sabaudus auctoritatem interpoſuit, et ſe inſcio provocationem factam irritam declaravit, duellumque inhibuit. [k] Sanjurſius et a Tarnavate altero notho Sabaudi fratre ad duellum provocatus cum ſui copiam feciſſet, Tarnavas eandem excuſationem praetexuit. Demum XIX Kal. Sept. audaci et temerario conatu caſtra Gallorum adortus eſt Sabaudus, admotis ad pontes a Diguierio in amniculo ſtratos tormentis; ad alterum, qui Coſam lucum reſpicit, II colubrinis; ad alterum ſuperiorem in Monmeliana via II minoribus tormentis. Tum, ſigno notha machina ex Helvetiorum caſtris dato, tam acris oppugnatio hora tertia pomeridiana coepta, ut eo die de ſumma certamen inſtitutum putaretur. Eodem tempore ſupra paludes miſſus Ambroſius tribunus cum CCC delectis ſcloppetariis, qui ad Crequii caſtra vim faceret. Tunc in ſtatione erat Petrus [l] Andreanus, qui minime ſe ab ea parte muniverat, quippe palude, ut rebatur, defenſus. Tribus partibus obſtinatum fuit certamen, ſed potiore defenſorum conditione, quippe qui munimentis tecti in ſuo pugnabant. Diguierius ad ſtrepitum protinus capto circuitu, cum ſua praetoria ala in peditatum hoſtilem incumbens, ſolutos huc illuc ſternit. Nox proelium diremit, in quo ex hoſtibus amplius CCCC cecidiſſe memorantur, cum ex regiis vix VI perierint, et in iis [m] Nardotius falconis pila ictus: multi utrinque vulnerati: Crequius ſcloppeti majoris ictu in brachio dextro ſauciatus eſt. Temeritatem Sabaudi excuſat, quod a Jacobo monitus fuerat, noſtros in eo eſſe ut res ſuas ea nocte convaſarent, [n] Poëtum jam Charrae-pontem verſus

INTERPR. [a] *le capitaine Blanc.* [b] *Pont-charra.* [c] *les Molettes.* [d] *la Chapelle blanche.* [e] *Ste Helene.* [f] *l'Iſere.* [g] *prairie nommée Praquin de mille arpent.* [h] *large d'une toiſe.* [i] *bois de haute futaye nommé le Bois de Coiſe.* [k] *de St Jeurs, & de Ternavas.* [l] *le capitaine André.* [m] *le Sr de Nardetz.* [n] *du Pouët.*

verſus cum parte impedimentorum proceſſiſſe; et ita ſibi perſuaſerat, ſi ſub id oppugnationem tentaret, fore, ut confuſos, et de diſceſſu potius quam de pugna cogitantes, facile opprimeret. Verum periculo ſuo ſenſit, longe aliud Diguierio propoſitum fuiſſe; quippe qui, in veſtigio manens et caſtris ſe continens, hoſtem patientia vincere decreviſſet. Itaque triduo poſt ipſe vaſa conclamat, inſtituto [a] Greſivadanam vallem verſus itinere. Noſtri, ultimum agmen ejus carpentes, Fanum-Helenae ingreſſi municipium et arcem incendunt; quam injuriam hoſtes poſtea contrario incendio ulti ſunt. Noſtri ſub id, reperto in Iſara vado, e regione prati in quo caſtra muniverant, egreſſi, ad LX equites, ex hoſtibus plures nec opinato adorti caedunt, et in iis [b] Turrium ditiſſimum [c] Argentinae mercatorem: [d] Baius Alquitiae arcis praefectus inter eos captus.

II. TANDEM conſilium jamdudum ambitioſe in animo ſuo conceptum Sabaudus exſequi conſtituit, ut munimentum aliquod inſigne, bello contra Delfinatum aliquando acrius gerendo, quod aſſidue meditabatur, opportunum, in terra Francia exſtrueret. Id ad [e] Barralium IX Kal. Sept. inchoavit, qui beato Bartholomaeo ſacer eſt, atque ab eo nomen loco fecit, renovata etiam, ut creditur, caedis tot hominum Lutetiae aliiſque regni in urbibus ante XXV annos eodem die patratae invidioſa memoria, et Diguierio aemulo cumprimis moleſta. Diguierius, diſpoſitis ad loca occupata praeſidiis, et vallo juxta [f] Iſaram ducto, ne [g] Paſquerii legio, quae ad Joannis-fanum excubabat, a Sabaudo damnum acciperet, [h] Gratianopolim revertitur, peſte graſſante paene ad ſolitudinem redactam, ita ut ex ejus conſilio ſenatus [i] Romanium ad aliquot menſeis migrare coactus ſit. Jam antea Sabaudus, noſtris ex [k] Ocellis in [l] Subalpinam regionem trans montes excurrentibus, conſilium ceperat de [m] Convallenſibus ſub jugum mittendis, ſublata libertate illis a parente ſuo ante XXXVI annos conceſſa: quod uxoris aſſiduis exprobrationibus datum, quae indignum dicebat, ut qui Sectarios in alieno oppugnaret, in ſuo vivere et in dies viteis novas ſumere pateretur. [n] Pontius id in ſe ſuſceperat, et XV Kal. Sextil. ſepimenta a Convallenſibus in ſummo et in imo [o] Feneſtellae colle poſita invaſerat, et eodem tempore per [p] Sanmartinianam vallem impetum fecerat. A Suſionis praefecto Feneſtellae munimentum captum: ſed cum [q] Balſacus Convallenſium ductor propere cum IↃCC ſcloppetariis illuc accurriſſet, conſerta acri pugna victores cum damno repulit. Ad inferius munimentum a Pontio obſtinatius pugnatum per ſeptem horas continuas; iſque exitus fuit, ut pugnam non coepiſſe quam viciſſe ſatius duceret. Ad Sanmartinianam vallem [r] Pragelatenſes cum antevertiſſent, aditu, quo Sabaudi irrupturi erant, inſeſſo, hoſtem inclinatum primo impetu fuderunt, et per praecipitia revolutum ad internecionem deleverunt. Pontius, repulſae pudore exulceratus, non propterea ceſſavit; et, acceptis a Sabaudo bis mille peditibus cum machina murali ac colubrina, Peroſiam venit, ut rem denuo tentaret, et exeunte Sextili in Prati-gelati vallem perrupit: quo de ſucceſſu paſſim in laetitiae ſignum accenſi a Sabaudo ignes. [ſ] Iſus et Aſtreus cum CC auxilio Convallenſibus a Diguierio miſſi; et circa [s] Barcinonem [t] Villeta cum valida peditum cohorte excubare juſſus, ad impediendos ab illa parte hoſtium conatus. VI Eid. Sept. magnam cladem accepit equitatus hoſtilis a noſtris. Cum Sanctius [u] Salinas cum delectis Gratianopolim verſus excurſurus eſſet, Antonius [v] Auguſtodunus Balmius et [w] Sanjurſius Diguierii juſſu cum CC equitibus et C ſcloppetariis equitibus ad vadum tranſmiſſo Iſara in inſula arboribus conſita inſidias ſtruunt, et praetervecto Salina protinus ex inſidiis

erumpunt,

INTERPR. [a] *Greſivandan.* [b] *la Tour.* [c] *Argentine.* [d] *Bay gouverneur du chateau de l'Eugli.* [e] *Barraux.* [f] *l'Iſere.* [g] *le Sr de Paſquiers.* [h] *Grenoble.* [i] *Romans.* [k] *Exilles.* [l] *Piedmont.* [m] *ceux des vallées.* [n] *le colonel Ponte.* [o] *Col de Feneſtrelles.* [p] *Vallée de S. Martin.* [q] *le capitaine Balſac.* [r] *ceux de la Vallée de Pragelas.* [ſ] *les Srs d'Iſe & d'Aſtres.* [s] *Barcellonette.* [t] *le Sr de la Villette.* [u] *de Salinas colonel de la cavallerie legere.* [v] *de la Baume d'Autun.* [w] *de St Jeurs.*

CIƆIƆXCVII. erumpunt, et, altero Iſarac brachio tranſmiſſo, cum juxta [a] Frettam adoriuntur. HENRICUS IV. Praecurſores XL ducebat Sanjurſius, cum X ad laevam et totidem ad dextram ſcloppetariis equitibus: ſecundum agmen regebat [b] Aramontius cum XX loricatis: in ultimo erat Balmius cum LXXX cataphractis, et XX ad laevam ac totidem ad dextram equitibus ſcloppetariis. Impreſſione a Sanjurſio facta Salinas ſuos ut in tumultu ſiſtit; ſed, antequam aciem ſtruxiſſet, Balmius incumbens confuſos adhuc ſolvit; moxque in alterum agmen, quod Evangeliſta ducebat, invectus, haud magno negotio ſolutos in fugam vertit. Deſiderati ex hoſtibus circiter CC, et inter eos [c] Evangeliſta, Riarius, Probius equitum duces: pauci aut nulli ſpoliati; nam enixe a Balmio prohibitum fuerat, ne quis ex ſuis ex equo deſcenderet, prius quam omnino debellatum eſſet. CC equi capti, et L ex praecipuis; ex quibus fuere Salinas ipſe, Jo. [d] Toquus Salinae ſororius, [e] Parmenion, [f] Gatinarae comes, levis armaturae duces, Salinae vicarius. Ex noſtris tantum VI interſecti, et aliquot ſauciati. Aliquanto poſt, dum [g] Barralianae munitioni extruendae attenderet, [h] Foreſti legione et II Subalpinis cum univerſo equitatu, qui plus CCCC conſtabat, circum diſtributis, Dignierius, accepta Philiberti [i] Guichii [k] Lugduni praefecti equitum ala, tranſmiſſo Iſara, pridie Non. Oct. ſub noctem Charrae-ponte profectus in equitatum vim facit; et cum hoſteis a transfugis monitos jam in equis offendiſſet, tamen eos caſtris et impedimentis exuit, occiſis pleriſque. Paulo ante [l] Fonquovertus, qui legionem ex [m] Septimania adduxerat, Andreaefano, quo in loco ſe muniverat, ab hoſte cum CIƆ IƆ peditibus et CC ſcloppetariis equitibus incumbente caſtris exutus fuerat. [n] Ferrerius peditatui, [o] Sarravallius comes equitatui, praeerat; quos in eodem loco Crequius nec opinato cum CIƆ circiter aggreſſus VI Eid. Dec. magna clade affecit, Fonquoverto ſtrenue rem gerente, ut dedecus recenter a ſuis acceptum elueret: IX ſigna capta. Plus IƆ ex hoſtibus deſiderati, et in iis Ferrerius; Sarravallius captus. Nec id ſine aliqua noſtra clade; nam cum hoſtes impedimenta et apparatum bellicum et annonam in templum congeſſiſſent, Galli incaute ingreſſi ſunt, et, dum ad praedam conferim diſcurritur, igne forte in pulverem immiſſo totum templum everſum eſt, praedonibus in ipſa ruina oppreſſis, ac praeda omni ac majore municipii parte incendio conſumpta.

III. EODEM anno et in Campaniae limite feliciter a regiis pugnatum eſt, ad [p] Villa-francam inter [q] Stenaeum et Dunum Lotharingicae ditionis loca, ad [r] Moſam ſitum oppidum, VII a Sedano leucis. Id veluti praeſidium a Franciſco I eo in loco poſitum eſt, IV propugnaculis diſtinctum; cui tunc ex provinciali nobilitate vir ſtrenuus [ſ] Tremeletus praeerat, cum III peditum ſignis et equitum ala. Cui cum inhiare jam pridem hoſteis in limite cognoviſſet, et [t] Gaucherium quoſdam ex praeſidiariis, qui rem Tremeleto detexerant, de prodendo loco ſollicitaſſe, fraudem contrario aſtu revincere cupiens, ſuis ut cum Gaucherio convenirent, cumque pecunia emungerent, permiſit. Igitur, pecunia data et majore promiſſa, dies conſcio praefecto ad III Nonas Sextileis, quae in Dominicam incidebat, tradendae a conjuratis arcis condicta. Interea moniti a Tremeleto Claudius [u] Joïuſa Granpratenſis comes Muſonii, Ludovicus [w] Mallius Rumenillius Mauberti, et [x] Stivallius Sedani praefecti, ut ſub veſperam cum ſuis per avia Villa-francae propinquantes in inſidiis loco deſignato conſiderent, ac ſignum exſpectarent. Gaucherius is ex gregario milite importunis in Galliam per haec bella excurſionibus impigri ducis gloriam meruerat, et late ſui nominis terrorem ſparſerat, eam, ut ſibi videbatur, in majus aucturus, ſi voti compos evaſiſſet. Igitur ad condictam

INTERPR. [a] *la Frette.* [b] *d'Aramont.* [c] *les capitaines Evangeliſta, Riario, & Probie.* [d] *Tocco.* [e] *Don Parmenion.* [f] *le comte Gaſtinat.* [g] *le fort de Barraux.* [h] *la Foreſt.* [i] *de la Guiche.* [k] *Lyon.* [l] *de Foncouvertes.* [m] *Languedoc.* [n] *le colonel Ferrero.* [o] *le comte de Serravalle.* [p] *Villefranche.* [q] *Stenay, & Dun.* [r] *la Meuſe.* [ſ] *de Tremelet.* [t] *le capitaine Gaucher.* [u] *de Joyeuſe comte de Grand-pré gouverneur de Mouſon.* [w] *de Mailly Sr de Rumeſnil gouverneur de Maubert-fontaine.* [x] *d'Eſtivaux gouverneur de Sedan.*

condictam horam cum ſuis venit, et media a Villa-franca leuca conſtitit; eoſque ex equo deſcendere jubet, et ad foſſam, qua deſcendendum erat, ſummo ſilentio erepit: tum ſigno tormenti diſploſione dato ipſe gradum accelerat, jam praecurſoribus intra oppidum acceptis; ſubitoque Rumenilius, qui auxiliareis adduxerat, ex inſidiis erumpit, et a tergo hoſteis invadit, qui utrinque circumventi ferro et artificioſis ignibus ad extremam perniciem infeſtantur. c occiſi, totidem capti, ac praeterea complures equi: Gaucherius, qui equum manu ductum ſequi juſſerat, ubi inſidias ſenſit, propere eo conſcenſo ſe periculo ſubduxit. CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

IV. SUPERSUNT et quaedam ſeu domeſtica ſive ſingularia, quae ad res noſtras pertinent. Rex ab initio ampliſſima [a] Aquitaniae, quam ipſe ante adeptum regnum et parens ejus ac avus maternus obtinuerant, praefectura Henricum Borbonium Condaeum Henrici fratris patruelis filium vix bimulum donaverat, eaque de re diploma obſignandum curaverat, quod hoc anno in ſenatu publice recitatum eſt, audito et conſentiente cognitore regio, XVI Kalendas Aprileis. Ludovicus [b] Dolaeus in cauſa peroravit, ac multa de regis prudentia, claritudine Aquitaniae, indole Condaei, qui tunc novennis erat, dixit; et ad extremum adjecit, optime ſactum, ut Aquitanica provincia, quae primum ducatus titulo a Ludovico IX poſtea in Divos ob ſummam pietatem relato inſignita eſt, Condaeo, qui familiae a beato Ludovico propagatae nunc princeps eſſet, regenda olim committeretur. Interim adminiſtratio Jacobo [c] Gobioni Matignono equitum tribuno jam ante XV annos attributa ſub eo continuata, in qua ſummam fidei et prudentiae laudem meruit: ac ſub id ex apoplexia cum [d] Burdigalae deſeciſſet, ei ſuffectus Alphonſus [e] Ornanus nuper equitum tribunus creatus.

V. INEUNTE anno rex Franciſcum [f] Lucemburgum Pinei ducem, jam nobis toties memoratum, Romam miſerat, qui pontifici more ſolemni obſequium deferret, et aliquanto tempore oratoris aſſidui partes in illa aula obiret. Is XVI Kalendas Maias Romam ſub veſperam ingreſſus eſt, per [g] portam Angelicam, magno procerum ac nobilium urbis comitatu, qui obviam juſſu pontificis proceſſerant. Inde ad Herculis [h] Taſſoni Ferrarienſium principum gentilis aedeis, ſumma magnificentia et arcu triumphali in pylone ſtructo ornatas, deducitur. Inſignia pontificis ad dextram, regis ad laevam, ipſius legati illuſtriſſima toto orbe familia nati ſubjecta viſebantur, cum variis inſcriptionibus Graecis, Latinis, Italicis. Poſtridie majore, quam venerat, non ſolum equitum ſed carrucarum comitatu in Vaticanum perrexit Lucemburgus, ad pedum oſculationem admiſſus. Poſtea ei datus ſenatus; et [i] Mauritius Breſſius Sebuſianus, jam in illa aula poſt M. Anton. Mureti mortem aliquoties eodem munere defunctus, orationem habuit. Poſt, peractis ceremoniis, pontifex lautiſſimo convivio legatum excepit, et in eodem conclavi menſis diviſis cibum ſumpſit; et poſt prandium, longumque cum ipſo ſermonem, a ſe quam humaniſſime dimiſit.

VI. ANTE triennium in Joannis [k] Caſtelli paricidio vindicando in Claromontanae ſcholae [l] ſodales ſenatuſconſultum factum fuerat, quo tanquam regni hoſtes, erronearum opinionum diſſeminatores, juventutis corruptores, regno pellebantur: idque tantum in ampliſſimo ſenatus Pariſienſis territorio, quod dimidiam regni partem, paulo minus, efficit, in Burgundiae item et Neuſtriae juriſdictione locum habuerat; minime vero in Toloſano et Burdigalenſi ſenatu, ubi crebrae eorum ſcholae adhuc erant. Inde fiebat, ut plerique filios, contra quam ſenatuſconſulto cautum fuerat, ad literarum ſtudia illuc ablegarent, ac plerique rurſus ex illo ſodalitio, quaſi

ejerato

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Dolé.* [c] *de Goyon mareſchal de Matignon.* [d] *Bourdeaux.* [e] *le mareſchal d'Ornano.* [f] *de Luxembourg duc de Piney.* [g] *la porta Angelica.* [h] *Taſſone.* [i] *Breſſius Breſſan.* [k] *Chaſtel.* [l] *les Jeſuites.*

CIƆIƆXCVII. HENRICUS IV.

ejerato Jeſuiticae ſocietatis voto, in alias ſcholas habitu diſſimulato [a] irrumperent. Cumque treſviri apud regem ſaepius inſtitiſſent, ut, diplomate ad ceteras regni curias miſſo, ſenatuſconſulti promulgatio imperaretur, idque ſemel atque iterum in regis conſiſtorio decretum fuiſſet, quorundam tamen, qui circa regem erant, aſtu factum fuerat, ut rei executio ſemper retardaretur. Itaque ne ſenatuſconſultum omnino illuſorium eſſet, et, quantum in ſe eſſet, ejus executionem adjuvarent, apud patres de tanta injuria ampliſſimo ordini per has illuſiones facta expoſtulant; petuntque, ut, gravi poena indicta, civitatibus, collegiis, univerſitatibus mandetur, ne quem ex illo ſodalitio, quamvis voti ejerationem praetexat, ad conciones ullumve ſacerdotale miniſterium et puerorum in literis inſtitutionem privatim vel publice admittant: et ita a ſenatu decretum fuit XII Kalendas Septembreis. Poſtea, cum allatum eſſet Lugdunenſem civitatem ſcholae ſuae praefeciſſe quendam nomine [a] Porſanam, qui olim in eo ſodalitio literas profeſſus fuerat, Simo [b] Marionus fiſci patronus petiit a ſenatu, ut dies tam praefecto mercatorum et aedilibus urbis quam ipſi Porſanae diceretur, ad quam ſe in judicio ſiſtere tenerentur. Cum per procuratores praefectus mercatorum et aediles comparuiſſent, Porſana non adeſſet, ſed illi, qui cauſam ejus tuendam ſuſceperant, minime in ſenatuſconſultum a ſe vel ab eo commiſſum contenderent, quippe qui diu ante ſenatuſconſultum IV Kal. Jan. anno CIƆ IƆ XCIV factum a ſodalitio ſponte diſceſſiſſet, Marionus gravi et longa oratione demonſtravit, et ſenatuſconſultum jure prudentiſſimeque factum, et jam ante XXXIII annos, cum academia Pariſienſis ſodalitio Jeſuitico litem intendiſſet, treſviros, qui tunc erant, jam tunc animo providiſſe ac publice teſtatos eſſe, fore, ut per hujus ſodalitii patres diſcordiae fax in media Francia aliquando accenderetur, et Hiſpanis, quorum illi emiſſarii erant, ad regnum invadendum porta aperiretur: tamen cauſam tunc temporis comperendinatam, et temperato judicio toleratam eorum ad tempus in academia ſcholam; quanto cum regni malo, tandem patuiſſe deteſtando Joannis Caſtelli illo ſodalitio adulti paricidio; ob idque merito auctores in Hiſpaniam, unde pedem tulerant, relegatos; quippe fidem populorum ſolicitaſſe, juventutis mores corrupiſſe, conſilio de regis defuncti caede et paricidio in rege ante triennium tentato participaſſe, convictos: levioribus de cauſis totos ordines jam adprobatos, quod de Jeſuitis dici non poteſt, omnino exſtinctos eſſe: ſic enim Templarios olim a Philippo pulchro, et noſtra aetate Humiliatos in Italia abolitos: nuper et conventualem Franciſcanorum ordinem in Hiſpania ſublatum; quin et Martinum ab Azpilcueta Navarrum vulgo cognominatum doctorem ſcribere, in auditorio Staniſlai Hoſii cardinalis magni poenitentiarii deciſum fuiſſe, cum, qui de ſe huic [c] ordini devovendo fidem obligaſſet, extincto ordine, voto minime teneri; ut intelligant omnes, vel Hiſpanorum teſtimonio, eos, qui vel huic ſodalitio jam nomen dederunt, aut porro ſe daturos receperunt, nunc jure, merito exilii poena damnato illo ſodalitio, minime ad votum obligari: tria in illo ſodalitio vota uſurpari; quorum cum duo jam expleverit Porſana, diuturnaque mora mores et doctrinam eorum plane imbuerit, jure metuendum eſſe, ne eadem doctrina porro alios imbuat: inveteratum vulgi, qui de rebus ſemper prave exiſtimat, hunc errorem eſſe, hujuſmodi ſodalitii patres ad puerorum in literis inſtitutionem prodeſſe; nam fere eos bonas literas, et omnem politiorem antiquitatem, tam Graecam quam Latinam, neſcire, aut perverſe docere, mutilatis, luxatis, et interpolatis inaudita audacia veterum ſcriptis; quod antiqui theologi minime fecerunt: nec melius in ſcientiarum traditione facere, dictata et quaeſtiuncularum argutias pro Ariſtotelica veritate, quam

aut

VAR. LECT. [a] irrumperent, et damnatum inſtitutionis virus in teneros puerorum animos inſtillarent. Cumque *MSS. Reg. & Samm. Put.* & *Rig. niſi quod pro* damnatum *MS. Samm. habet* pravae, & *MSS. Put & Rig. ponunt* damnatae.

INTERPR. [a] *Porſan.* [b] *Marion avocat du roy.*

NOT. [c] ordini in Hiſpania devovendo *Put.*

aut ignorant, aut nunquam diſtincte interpretantur, auditoribus ingerenteis, more eorum qui per breviaria et epitomas integris veterum ſcriptis perniciem attulerunt; atque adeo id unum agere, ut, multiplicatis per ſingula regni oppida ſcholis ſuis, omnem puerorum inſtitutionem ad ſe unos revocent, et antiquas regni academias, in quibus frequenti hominum tanquam ad mercaturam coeuntium concurſu pulcherrimae artes per aemulationem, exemplum, et animorum praemiis et honeſtis contentionibus accenſorum conſcenſionem, tanquam in hortis irriguis et ampliſſimis viridariis, antea florebant, ad ſolitudinem redigant, et ad extremum pro amoenitate literarum et diſciplinarum meram barbariem et ſcholaſtici fermenti ſenticeta inducant: proinde petere, ut, non habita exceptionum a Lugdunenſibus propoſitarum ratione, ſenatuſconſultum Sextili proximo factum etiam in Lugdunenſi ſchola locum habeat, et Porſana tanquam contumax in Palatii carceribus ſiſtatur, et ad probationes, quas adverſus eum habent, reſpondere teneatur. Secundum haec ſenatuſconſultum XVII Kal. Nov. factum; quo et cautum, ut idoneus moderator ac praeceptores minime ſuſpecti ſcholae illi praeficiantur.

VII. ALBERTO in limite noſtro occupato, foederati Ordines exeunte Quintili per Rhenum et Wahalim CCCC omnis generis navibus exercitum impoſitum devehunt, duce Mauritio: qui [a] Berkae obſidendae certus, cum copias ante oppidum traduxiſſet, ad [b] Alpenam [c] Meurſiae ditionis arcem, et quam Adolfi [d] Nuenarii comitis vidua vindicabat, caſtra ponit; admotiſque II tormentis, [e] Bentingus centurio, qui cum LX praeſidiariis locum tenebat, non expectata pulſatione deditionem fecit VI Eidus Sextileis. Eodem die Berka obſidione terreſtri cincta, navibus et pontonibus, quos Mauritius adduxerat, ad [f] Weſaliam in Clivenſi ditione relictis. Poſtridie, navibus appulſis, hoſtiles naves captae, et inſula e regione oppidi occupata; ex eaque directis tormentis et ex navibus pulſata turris in epiſcopi aedibus, quae in amnem ſubjectum deſpiciebant, multis ictibus diſploſis fracta ac disjecta. Nulla interim ab obſeſſis eruptione certatum; tantum contraria pulſatione res geſta, unde Mauritiani multum damni accipiebant, pila etiam in tentorium Mauritii forte vibrata, quae [g] Sonſveltii olim pueritiae ejus moderatoris et tunc praecipui conſiliarii veſtem ſummam ſtrinxit. Itaque foſſorum opera agger excitatus, ſex pedum altitudine, qui tormentorum ictus tentoriis eo in loco fixis defenderet. Demum vallo ducto, et directis XXXVI contra oppidum tormentis, inchoata pulſatio XIV Kalendas Septembreis: quae poſtquam bihorium continuavit, jam muris nutantibus, [h] Snaterus, qui loco praeerat, deſperatis ab [i] Hermanno Bergenſi comite, qui cum valido equitatu circum diſcurrebat, auxiliis, colloquium ſub veſperam poſcit; et per Philippum Hohenloi comitem his conditionibus convenit, ut poſtridie cum praeſidiariis et caſtrenſi omni comitatu ac impedimentis, in armis, ad tympani pulſum, ſignis explicatis, exirent, et cum certo carrorum numero Geldriam deducerentur; liberum eſſet quibuſcunque aliis ex oppidanis, et iis qui operam Philippo navabant, tam ſacris addictis quam aliis, inde migrare, manentibus in Mauritii poteſtate navibus, et rebus omnibus quae Philippi aut quae Meurſii comitis viduae propriae eſſent: privilegia et libertates oppidanis, uti iis antea uſi eſſent, ſalvae et intactae manerent. Snatero feſtinatae deditionis dedecus vitio datum, quam ille in militem tumultuantem rejiciebat; cum praeſidiarii contra ignaviae Snaterum inſimularent: qui et mox, ubi Geldriam venerunt, ob ſtipendii defectum tumultuare coeperunt; neque tamen, licet a Mauritio ſolicitati, aliquot menſium oblata ſtipe, a fide omnino diſceſſerunt. Haud multo poſt ab Erneſto Baioaro [k] Colonienſi archiepiſcopo ſeptemviro et ſacri illius collegii ſodalitio legati venerunt,

INTERPR. [a] *Rheinbergen.* [b] *Alpen.* [c] *Meurs.* [d] *de Newenar.* [e] *le capitaine Benting.* [f] *Weſel au pays de Cleves.* [g] *Sonsfelt.* [h] *Snatere.* [i] *le comte Herman de Berghe.* [k] *de Cologne.*

CIƆIƆXCVII. HENRICUS IV. venerunt, [a] Berkam ſuae ditionis oppidum repoſcentes: quibus nomine Ordinum Belgicorum reſponſum, pluris ſibi oppidi tam rebus ſuis ac Friſiae praecipue detrimentoſi, dum ab Hiſpanis occuparetur, recuperationem conſtitiſſe, quam ut illud tam cito petentibus reſtituerent: et exemplum retinendi illius recens ante oculos obverſari, in [b] Bonna et Noveſio Colonienſis ditionis oppidis, quae vix ac ne vix ipſi ab Hiſpanis recipere potuerint: quapropter ad tempus quieſcerent, et commodius tempus, quo de ejus reſtitutione ageretur, exſpectarent. Berka capta late terror in praeſidia vicina ſparſus. Andreas Miranda Hiſpanus, qui [c] Camillum propugnaculum duarum horarum itinere inde diſſitum, de Camilli [d] Sachini Meurſio a Parmenſi olim impoſiti nomine dictum, tenebat, non exſpectato dum Mauritiani advenirent, ad primum duarum navium armatarum conſpectum protinus loco incenſo diſcedit, relictis in eo duabus machinis bellicis. Mox miſſi a Mauritio foſſores, qui munitionem demolirentur. Impoſitus Berkae cum valido praeſidio [e] Scaephius. Inde Meurſium ducitur VII Kalendas Septembreis, quod IƆ praeſidio tenebatur; et loco diligenter luſtrato ac vallo ducto poſt ſeptimum diem, antequam tormenta admoverentur, defenſores, recenti Berkae amiſſae, cui nulla ope ſuccurſum eſſet, exemplo territi, deditionem honeſtis conditionibus paciſcuntur. Mauritius regionis circumpoſitae potens, et adempto hoſti Rheni tranſitu, ulterius progreditur; et, fluvio ad Berkam ſuperato, ad [f] Grollam pridie Eidus Septembreis caſtra ponit, in qua X ſigna peditum, III alae equitum erant, duce Friderico Bergenſi comitis Hermanni fratre. Primum derivata ex foſſa aqua, et porticus ſubſtructae, per quas ad ſuffoſſionem muri penetrari coeptum. Tum admota XXIV tormenta, et artificiales ignes in oppidum a Joanne [g] Boverio harum rerum inſigni architecto, qui anno poſt miſerabili caſu, atque adeo arte ſua, [h] Dordraci periit, immiſſi; quibus correptae pleraeque domus magno obſeſſorum incommodo et terrore conflagrarunt. Nec ab iis interim ceſſabatur, crebro erumpentibus, et contraria tormentorum diſploſione Mauritianos infeſtantibus. Tandem, cum nulla auxilii ſpes eſſet, rebus cunctis ad vim extremam tentandam paratis, Fridericus juſſus deditionem facere his conditionibus convenit, ut cum armis et omnibus impedimentis ipſe ac praeſidiarii incolumes dimitterentur, fide data militem intra trimeſtre in Friſia et Tranſiſelana regione contra Ordines foederatos non militaturum, ſed intra Moſam conſtiturum; equi penes Mauritium manerent: quos ille tamen gratiae loco repoſcenti Italo levis armaturae ductori conceſſit. Commodati et carri ad aegros et ſauciatos in tutum exportandos. Id actum XIV Kalendas Octobreis. Vallo caſtrorum complanato et impoſito Grollae praeſidio, ineunte Octobri [i] Breſortium in Tranſiſelana regione ſitum caſtellum exercitus ducitur; quod a Damiano Gardetta cum Hiſpano praeſidio tenebatur, paludibus undique cinctum, et ad quod proinde difficilis acceſſus. Itaque munita faſcibus lignorum, cratibus, aſſeribus, ad locum via, et erectis in ea vimineis doliis ac ſtatutis XX tormentis, ad turreis, quae portam orientalem et occidentalem tegebant, directa verberatio. Cum praeſidii dux natione Lotharingus deditionem facere recuſaret, aliquot ictus diſploſi. Cum ne ſic quidem, ſeu fiducia virium ſive arcis firmitate fretus, flecti poſſet, tandem poſt acrem verberationem et magnam ruinam editam, jam parata oppugnatione ſerius petitum colloquium, et miſericordia ab oppidanis fruſtra implorara: nam oppidum impetu captum, defenſoribus in conflictu LXX circiter occiſis, et ceteris in arcem confugientibus. Praefectus periculum veritus, ſi ſe arce cum aliis includeret, in cella latitare maluit; ubi deprehenſus et ad Mauritium ductus vitae gratiam impetravit. Direptum crudeliter oppidum, et militis abdita per noctem ſcrutantis imprudentia igne immiſſo aliquot aedes

INTERPR. [a] *Rheinbergen.* [b] *Bonn & Nuys.* [c] *le fort de Camille.* [d] *Sachino gouverneur de Meurs.* [e] *Schaef.* [f] *Groll.* [g] *Bouvier.* [h] *Dort.* [i] *Brefort en Over-Yſſel.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

aedes inflammatae; unde vento incendium glomerante paene totum oppidum conflagravit. Qui in arce erant victoris arbitrio ſe permiſere; qui in deditos clementer uſus eſt, vita conceſſa, et pretio moderato ad ſe redimendum impoſito: quod minime vir magnificus ſibi ſumpſit, ſed pro rei bene geſtae praemio inter milites diviſit. [a] Grolla et Brefortio captis [b] Enſchedam itum, oppidum ſpatioſum, ſed non ita munitum; cujus praeſidiarii Breſortianorum periculo territi, cum de auxiliis deſperarent, mature deditione facta ſibi conſuluerunt, vitam et res ſalvas pacti; ceterum fide data intra Moſam ad tempus quieturos, neque trans Rhenum militaturos. Id actum XVI Kalendas Novembreis. Poſtridie castra ad [c] Oldenzeelam poſita, triplici foſſa et muro firmatam urbem, in eadem Tranſiſelana, quae IↃ praeſidio tenebatur. Praevaluere in ea oppidanorum ſibi metuentium adverſus praeſidiarios ſeu preces ſeu minae; et antequam tormenta admoverentur, poſt quatriduum, iiſdem quibus Enſcheda conditionibus dedita eſt. Interea Georgius Everardus Solmenſis comes a Mauritio [d] Otmarſumam miſſus, exiguum oppidum, in cujus obſidione ante quinquennium Carolus [e] Lievinus Famarſius fabricenſium praefectus occubuerat. [f] Goora et alia propugnacula circum ab Hiſpanis ſtructa, ex quibus aſſidue ſub portas [g] Stenvicae, Daventriae, Campenae, Haſſeltii, Zwolae, magno popularium incommodo excurrebant, eodem ſucceſſu ſeu capta ſeu recepta, et mox opera ruſticorum, ſummam in eo alacritatem prae ſe ferentium, ſolo aequata. Quibus actis, ad Tranſiſelanam, Friſiam, et Groeningenſem regionem omni hoſtili vexatione aſſerendam, [h] Lingena arx et oppidum reſtabant, quae terra Hamburgum, [i] Bremam, Weſtfaliam, Emdenam et Oldenburgum tendentibus aditum obſtruebant. Ea urbs proprium territorium et juriſdictionem habet, quam Ordines, ut gratum animum erga bene meritam de ſe familiam teſtarentur, ad ſarciendas tot ab ea acceptas jacturas, compenſationis potius titulo quam beneficii loco, in Mauritium contulerunt. Fridericus Bergenſis amiſſa Grolla Lingenam venerat, IↃ delectorum praeſidio et tormentorum numero egregie munitam, certus eam adverſus Ordines tueri, praeſertim tam vicina hyeme, quae iis locis in caſtris et ſub tentoriis degentibus valde incommoda eſt. Mauritius Tranſiſelana egreſſus in Friſiam deſcendit, et laxius militem per circumpoſitos pagos, qui frequentes in ea ſunt, diſtribuit. Ipſe in nobilis cujuſdam arce hoſpitium ſumpſit. Ductum ad urbem vallum haud magno negotio, quippe quae collieulis undique cincta eſt, et ad labium foſſae exterius uſque promotum, derivata ex ea aqua. Tum porticus in foſſa ſtructae ad arcem, et IV Nonas Novembreis directa ad eam XXIV tormenta; quorum diſploſione cum pomoerium et duo propugnacula jam in eo eſſent ut corruerent, et foſſores in opere aſſidui ultimam ruinam minarentur, Fridericus deſperata defenſione colloquium popoſcit, et pridie Eidus ejuſdem menſis deditionem fecit. Ita provincia omni ultra Rhenum ſpoliati Hermannus et Fridericus Bergenſes fratres, ipſis tanquam addictiſſimis a Philippo attributa, ut periclitantis ejus ac amiſſae dedecus, ſeu damnum, potius ad illos quam ad Hiſpanos [α] pertineret. Inter proſperos Mauritii ſucceſſus Aemilia ſoror germana, ipſo inſcio, cum Emmanuele Antonii regis Luſitaniae electi filio nuptias fecit.

VIII. INSTANTE

VAR. LECT. [α] pertineret. Tot proſperos Mauritii ſucceſſus cum fauſta ubique popularum ac civitatum acclamatio ſequeretur, virtutem ejus ſupra omnes aevi ſui imperatores extollentium, nonnihil ſuam ex eo laetitiam conceptam imminuit calamitas domeſtica, Aemilia ipſius ſorore germana, ſub id, fratre inſcio, cum Emmanuele Antonii Luſitaniae regis electi naturali filio, puellari levitate clandeſtinas nuptias pacta. Inſtante apud *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Groll & Brefort.* [b] *Enſchede.* [c] *Oldenzeel.* [d] *Ootmarſum.* [e] *Lievin de Famars General de l'artillerie.* [f] *le fort de Goor.* [g] *Steenwiick, Deventer, Campen, Haſſelt, & Zwol.* [h] *Lingben.* [i] *Breme.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

VIII. INSTANTE apud Caeſarem Philippo Imperii principes rogati fuerant, ut ad conciliandam in Belgio pacem partes ſuas interponerent. Et Chriſtianus Daniae rex, Caeſaris, ut creditur, inſtigatu, oratores ſuos in Angliam primum, deinde ad Ordines hoc anno miſit Arnoldum [a] Witfeldium et Chriſtianum [b] Bernekarum. Mandatorum haec ſumma erat, ut amicitiam, quae Friderico parenti ſuo cum Gulielmo Naſſovio Arauſionis principe et provinciis foederatis interceſſerat, renovaretur, et, ut ille pacis non ſolum inter eos ſed in toto Chriſtiano orbe conſtituendae ſemper cupidus fuerat, ſic ipſe paternis veſtigiis inſiſtens, et in eadem erga ipſos egregia voluntate perſeverans, ejus olim feliciter inchoatae nunc communicato cum Ordinibus conſilio ad optatum exitum perducendae cum aliis Imperii principibus negotium ſuſciperet: tantum quid ſuae voluntatis eſſet candide aperirent, et quibus conditionibus cum Philippo convenire parati eſſent amplius declararent: Daniae regem nihil ea in re praeter Dei gloriam et publicam tranquillitatem ſpectare, ac proteſtari ante omnia, omnem conciliationis rationem ex animo deteſtari, quae Proteſtantium doctrinae, in qua natus, educatus, et ad hanc uſque aetatem imbutus fuerit, ac porro Deo adjuvante ad ultimum ſpiritum ſit perſeveraturus, aut ipſorum libertati praejudicium ullum adferat: eadem de re jam cum Anglorum regina Eliſabetha egiſſe, ac ſperare ut in cauſa tam conjuncta conjunctis animis ac voluntatibus res utriuſque partis bono amice componi poſſit: petere interim, ut neutras in hoc bello partes foventibus libera navigatio et commercium ubicunque maneat. Addita et pro [c] Steinio Maltenſi Dano, qui Ordinibus aliquando in Friſia militaverat, deprecatio, ut in diſpungendis rationibus admiſſus in ejus damnum error corrigeretur. Ad ea poſtulata Ordinum delegati Hagae convenientes IX Kal. Nov. reſponderunt, et, poſt actas pro hereditaria principum Daniae erga Ordines et Naſſovios egregia voluntate gratias, longa oratione diuturni et non ſolum ſibi ſed vicinis moleſti belli invidiam in Hiſpanos rejiciunt, repetita praeteriti temporis memoria. Cum enim [d] Sanaldegondius et Campiniacus primum anno CIↃ IↃ LXXIV ad ineundas pacis rationes conveniſſent, irritum colloquium fuiſſe, quod Hiſpani religioni et libertati patriae nullo pacto cavere vellent. Anno poſt, Gonthero Schuartzemburgo comite a Maximiliano Caeſare miſſo, Bredae fruſtra a delegatis pacis mentionem repetitam; neque alium conventus exitum fuiſſe, quam ut, prorſus negata religionis, quae petebatur, ſecuritate, per Zelandiam et Hollandiam populares ad ſolvendam unionem ſolicitarentur. Demum biennio exacto, cum poſt Ludovici Requeſenii mortem cuncti Ordines unionem contra Hiſpanos et exteros ſumma concordia ſanxiſſent, et pacificatio Gandenſis eam ſuiſſet conſecuta, a Philippo ipſo rata deinceps habita; mox adventu Joannis Auſtrii turbatam quietem, et, occupata Namurcenſi arce, Hiſpanos Italoſque, qui juxta pacificationem Gandenſem Belgio pulſi fuerant, revocatos; et, [e] Sellio ex Hiſpania poſtea ad pacis rationes ineundas miſſo, dum delegati colloquuntur, ſecutam [f] Gemblacenſem ſtragem, et mox [g] Mechliniae ab Ordinum unione defectionem, [h] Burſio, qui urbem Ordinum nomine tenebat, una transfugiente. Nec [i] Lovanii melius cum Ordinibus actum; ubi conventus publici ſpecie, cui Caeſaris, regis Galliae, et reginae Angliae oratores interfuerunt, Sellio eodem inſtigante, ceteri proceres ab unione jurata diſceſſerunt. Coloniae, cui conventui Caeſaris et Imperii principum legati intervenerunt, eaſdem artes tentatas. Nec his omnibus locis unquam ab Hiſpanis extorqueri potuiſſe, ut religionis cauſa in tuto collocaretur. Secutam poſtea [k] Sylvae-ducis et aliarum urbium ab unione defectionem. Cumque Ordines viderent nullam ſecurae pacis cum Hiſpanis ſpem ſupereſſe, extrema

neceſſitate

INTERPR. [a] *Witfeld.* [b] *Berneker.* [c] *Stein Malteſen.* [d] *les Srs de Ste Aldegonde & Champigny.* [e] *le baron de Selles.* [f] *de Gemblours.* [g] *Malines.* [h] *le Sr de Bours.* [i] *Louvain.* [k] *Boiſleduc.*

neceſſitate coactos poſt denunciationem publicam, qua Philippum omni in Belgio jure excidiſſe pronunciatum eſt, Franciſcum [a] Alençoniorum et Andium ducem regis fratrem ab iis evocatum, et in eum provinciarum conſenſu ſummum imperium illarum collatum. Originem autem motuum ab iniqua et violenta Hiſpanorum dominatione, et pernicioſis eorum ad publicam libertatem opprimendam conſiliis, profectam eſſe. Notam Albani immanitatem, qui [b] Ecmondanum et Hornanum bene de Philippo et Belgio meritos contra fidem datam comprehendi juſſit, et poſtea immeritos ſupplicio affecit, eo conſilio, ut, Belgio in duram captivitatem redacto, extinctis proceribus, arcem in eo Hiſpanae ſive Inquiſitionis ſive tyrannidis ſtatueret, ex qua ad Germanorum, Anglorum, et Gallorum perniciem exercitus immitteret, ſpecie religionis conſtituendae, revera ad monarchiam ſuam, quod jam pridem Hiſpani meditantur, totius orbis Chriſtiani cervicibus imponendam. Dum hoc illi agunt, nihil conſilio deteſtabile, dictu horrendum, facto improbum, exitu triſte eſſe, quod non ſibi impune putent licere. Indicio eſſe [c] Montinium et Bergenſem publica fide in Hiſpaniam Margaritae [d] Parmenſis permiſſu profectos et indigna morte affectos, tot proceres ſecuri percuſſos, et plus XXCIↃ innocentium hominum carnificis mann mactatorum, totas urbes aut inandita crudelitate direptas aut ad internecionem deletas, Mechliniam, [e] Naërdenam, Zutfenam, Odevateram. In his anguſtiis conflictante Belgio publicae libertatis vindicem a Deo excitatum Arauſionenſem principem, quem et illi toties inſidiis petitum ad extremum inſigni paricidio de medio ſuſtulerunt. Nec ullo illuſtriore exemplo perfidiam hominum ad ſcelus omne obfirmatorum patuiſſe, quam cum, claſſe illa immani adventante, quam flatu ſuo Deus diſſipavit, colloquium [f] Burburgi inſtitutum eſt, quaſi de pace ſerio in eo agi deberet. Tandem patri patriae ſucceſſiſſe patre tanto digniſſimum filium Mauritium, qui non ſolum Ordines virtute ſua tutatus eſt, ſed eorum fineis longiſſime propagavit: et ex ejus conſilio cum Anglorum regina foederationem initam, fidemque datam, cum Hiſpanis Ordines minime inconſulta ea conventuros: poſtea et arctiorem cum rege Galliarum et ipſa Eliſabetha foederationem iniviſſe; a qua citra fidei violatae impietatem diſcedere nequeant. Has in bonam partem excuſationes ut accipiat rex Daniae maxime optare, ſimulque apud ſe perpendat, quo ambitioſa Hiſpani conſilia tendant; qui, non contentus Belgium petere, etiam Angliae et Galliae invadendae propoſitum diu diſſimulatum, ad extremum, cum datam ſibi a fortuna occaſionem putabat, aperte renudavit: itaque minime mirari aut regem Daniae aut ceteros Imperii principes debere, ſi, nullam pacis ineundae, ſalva religione ac patria libertate, rationem cum videant, ad principum intercedentium poſtulata minus commode reſpondeant. Ad privata mandata quod attinet, neutris in hoc bello populis, civitatibus, ac principibus, nunquam liberam ubivis navigationem prohibuiſſe, neque nunc prohibere. Et quantum ad [g] Steinium Maltenſem ſpectat, abunde illi ſatisfactum: Nicolao item Steinii fratri, qui [h] Schageno tribuno poſtea militavit: et ſi quid ad plenam ſtipendiorum ſolutionem deeſt, id ut aliquando ſuppleatur, finem hujus belli exſpectandum eſſe; ſic enim cum aliis belli ducibus et tribunis conveniſſe. Ita dimiſſi legati, qui in reditu in caſtra ad Mauritium, cum is ad Lingenae obſidionem haereret, venerunt, ut eodem amicitiae deferendae et antiquae in poſterum renovandae officio defungerentur. A quo quam benigniſſime excepti, poſt deditam Lingenam et mutua delata prolixe a Mauritio obſequii et amicitiae officia, domum reverſi ſunt.

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

IX. ANTEA Paulus [i] Dzialinius ab epiſtolis a Sigiſmundo Poloniae rege miſſus Hagam ineunte Quintili venerat, eodem conſilio: qui potentiam Hiſpanorum in majus

INTERPR. [a] *le duc d'Alençon & d'Anjou.* [b] *les comtes d'Egmond, & de Hornes.* [c] *le baron de Montigny, & le marquis de Berghe.* [d] *la ducheſſe de Parme.* [e] *Naerden, Zutphen, & Oudewater.* [f] *Bourbourg.* [g] *Stein Malteſen.* [h] *Schagen.* [i] *Dzialinſki.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

majus cum extuliſſet, et minari potius quam oratoris partes obire videretur, haud commodius ab Ordinibus reſponſum tulit. Cum vero in Angliam diſceſſiſſet, eademque verborum pompa minas precibus admiſcens, Auſtriacam affinitatem ſupra modum jactitans, uteretur, generoſa foemina et ſupra ſexum ingenteis ſpiritus gerens legatum non tulit, et Latine loquentem oratione Latina graviter increpuit, multum exſpectatione ſua ſe deceptam dicens; quippe pro legatione expoſtulationem inſtitutam, pro legato ſecialem ad ſe miſſum: non putare, regem, ſi adeſſet, his verbis ſecum uſurum; aut ſi ejuſmodi mandata a ſuo rege habeat, quod vix credat, ideo factum exiſtimare, quod is adhuc juvenis, neque ſucceſſione ſed electione ad regnum Polooiae promotus, non adeo accurate naturam conditionemque horum negotiorum, quae ipſi cum deceſſoribus ejus interceſſerunt, ac fortaſſe cum ſucceſſoribus intercedent, intelligat: ad affinitatem novam cum domo Auſtriaca minaci jactatione objectam quod attinet, meminiſſe Sigiſmundum debere, ex ea familia nuper quoſdam tegnum Poloniae adſectaſſe, atque ipſi eripere voluiſſe. Querebatur Polonus vetera ſuae gentis in Anglia privilegia non ſolum non aucta, ſed Eliſabetha regina valde imminuta eſſe; contra jus gentium commereinm cum Hiſpanis interdictum; mercatorum bona io fiſcum redigi: his injuriis modnm ſtatui, ablata reſtitui, verſus occidentem navigantibus liberum commeatum praeberi, petebat. Quae cum ſcripto comprehenſa tradidiſſet, et quod aſperius aliquanto loquutus eſſet ſe purgaſſet, a conſiliariis reginae poſtea reſponſum eſt, adventum legati ſuae majeſtati fuiſſe longe gratiſſimum, ut qui ab eo veniat quem fratris loco huc uſque coluerit, et cujus commodorum praecipuam rationem ſemper habuerit: argumento eſſe inducias primum, dein pacem apud Othomanicam Pottam interventu oratorum ſuorum impetratam; pro quo tamen beneficio qui gratias ageret, neminem hactenus in Angliam veniſſe: moleſtam ipſi legati orationem fuiſſe; patienter tamen andiviſſe, et regie ad eam reſpondiſſe: de quibus accuſaretur, extra omnem culpam eſſe: neque legato ſuccenſere, quem ea tantum quae in mandatis habuerit expoſuiſſe intelligat; ſed nihil tale ab Sigiſmundo ſibi exſpectandum duxiſſe; ac ſic exiſtimare, pleraque ad ipſum non ex rei veritate, ſed hominum ſtudiis et fama, eſſe delata; nam liberam eſſe Polonis in Anglia terra negotiationem: maritimarum civitatum privilegiis, Edvardo VI tege, quod multis in rebus ab officio diſceſſiſſent, multum fuiſſe derogatum; tamen poſtea conceſſum eſſe, ut aequo jure cum Anglis ipſis nterentur: quare non eſſe cur conditionem communem recuſent, aut praecipuum aliquid et ſingulare ab ipſa poſtulent; niſi forte ſibi perſuaſerint, bono paſtori potiorem eſſe debere alieni gregis curam, qnam ſui; aut nutticem illam landandam putent, quae, proprio abjecto, partum foveat alienum: navigatiooem qood impediat, frumento praeſertim et apparatu bellico hoſteis adjuvantium, multas juſtaſque cauſas habere: ne[?]ue obſtare maritimarum civitatum privilegia, in quibus diſerte haec clauſula appoſita eſt, a poſterioribus regibus ſubinde repetita, ne ad regni hoſteis commercii ſpecie commeare liceat: neque novi rem eſſe exempli; nam et Sueciae et Poloniae reges non ſemel antea naveis Anglicanas hoc praetextu retinuiſſe, cum bellum cum Moſcis gererent. Ad haec cum non habere ſe quid reſponderet, retuliſſet Polonus, et tantum ut mandata exponeret ſe miſſum diceret, honorificentius dimiſſus quam acceptus fuerat, ad ſua reverſus eſt.

X. CAROLO [a] NUCELIO a Caeſare ad Ordines miſſo ſub id VI Eid. Quintil. ſenatus [b] Hagae datus. Is petebat, ut legatos tam Caeſaris quam ceterorum Imperii principum, de pacis rationibus cum ipſis acturos, admitterent. Cui reſponſum, orare Caeſaream majeſtatem ut ſe excuſatos habeat, ſi actionem recuſent: non id deſpectu ipſius facere, quem ſemper unice, prout tenentur, coluerunt, ſed potius

ne

INTERPR. [a] *Nutzel.* [b] *la Haye.*

ne in ejus indignationem incurrant, ſi admiſſos legatos ſine commodo reſponſo a ſe dimittant: quo minus autem nunc de pace agere poſſint, tum ob alias cauſas, tum praecipue ob recentem eum rege Galliae et Eliſabetha initam foederationem prohiberi; quibus inſciis et minime conſentientibus de re tanti momenti liberam non eſſe conſultationem. Dum haec ultro citroque agerentur, rex, adverſa anni tempeſtate ingruente, a [a] Durlanii obſidione diſcedit, et per [b] Villaregii cum [c] Richardoto colloquium jam de pace certior in interiora regni redit, relicto [d] Samarobrigae cum delectis copiis per loca vicina diſpoſitis Henrico [e] Monmorantio equitum magiſtro, qui cum ſummo imperio limiti praeeſſet; dum Dominicus [f] Vicus urbi praefectus omnem operam dabat, ut caſtrorum munitionibus deſtructis ruinas farciret, et arcem deſignatam feſtinatis operibus exſtrueret. Albertus diverſa parte poſt tot acceptas cladeis ſpe pacis in occulto recreabatur, ut ea nobiſcum facta totas vireis contra Ordines foederatos verteret. Interim in re pecuniaria explicanda, quae ob revocatas a Philippo in Hiſpania penſiones multis difficultatibus implicata erat, laboratum, et legionibus ſupplendis, quae cladibus et morbis valde imminutae erant. [g] Trivici marchionis legio, licet antiquior, tamen qnia ille aberat, et ad modicum numerum erat redacta, ſub Alfonſi [h] Davali legione recenſita eſt, in IV cohortes diviſa; quibus praeeſſe juſſi Fridericus [i] Paciottus comes, Marcellus [k] Judex, Fabritius [l] Santomangus, et Ludovicus [m] Zerbinatus, non ſine Neapolitaoorum murmure; qui cladem ad [n] Turnahutum et in [o] Hulſti obſidione fortiter pugnando a ſuis acceptam in dedecus ſuum verti, et praepoſtero favore antiquiorem legionem in recentiorem contra omne jus transfundi, indignabantur. Tum diſtributae in hyberna copiae, et Belgicus ac Hiſpanus peditatus cum majore equitatus parte in [p] Atrebates et Hannoniam miſſus. Italis [q] Flandria et Campinia aſſignata eſt; et ex XVI cohortibus VII [r] Herentalium ablegatae, quibus praeeſſe juſſus Jo. Petrus [ſ] Gabus centurio; [t] Dieſtam III, Ludovico [u] Reina, Veſpaſiano [v] Maggio, et Caeſare [w] Bonnetio ducibus; [x] Tilemonem totidem.

XI. FRUSTRA ante tentata Oſtenda; ad quam obſidionem nihil non Flandriae Ordines offerebant, quod praeſidiariorum excurſionibus valde infeſtarentur; ob idque Albertus [y] Brugas venerat, ut ex propinquo aggreſſuris favorem adſpiraret. Sed in deſtituendis in portu navibus ad egreſſum impediendum cum fruſtra laboratum eſſet, poſt amiſſos in eo conatu CC delectos, exeunte Novembri Bruxellas rediit; ubi matrimonium Alberti cum ſereniſſima Infante, cujus conditiones inter cetera mandata attulerat Franciſcus Mendoza, exeunte anno IV Non. Dec. ſolemni ritu publicatum fuit, ultro citroque commeante Calatagirona, ut delegati ab utraque parte acturi loco condicto mitterentur.

XII. HOC anno longe maxima rerum mutatio in Suecia ſecuta eſt, et quae tandem regni a legitimo herede in alium transferendi cauſa exſtitit. Carolus, Sigiſmundi Poloniae regis et patrii Sueciae regni heredis patruus, cum ex pacto Sueciae prorex conſtitutus hucuſque regnum adminiſtraſſet, et Auguſtanam confeſſionem omni alia rejecta in comitiis ſanxiſſet, Sigiſmundus, qui ſpecie religionis multa adverſus ſe parari cauſabatur, conciliatis ſibi aliquot proceribus ac primoribus magiſtratibus, et miſſis ſubinde in Sueciam ex Polonia aliquot legationibus, quibus de Caroli patrui injuriis, quanquam cum verborum temperamento, conquerebatur, poſtremo patruum ceteroſque regni proceres cum eo ſentienteis eo adegit, ut ſe regni praefectura, quam a Sigiſmundo

INTERPR. [a] *Dourlans.* [b] *de Villeroy.* [c] *Richardot.* [d] *Amiens.* [e] *le conneſtable de Montmorency.* [f] *de Vic.* [g] *Trevico.* [h] *Davalos.* [i] *Paciotto.* [k] *del Giudice.* [l] *Santomango.* [m] *Zerbinato.* [n] *Turnhout.* [o] *Hulſt.* [p] *Artois, & Hainaut.* [q] *Flandre, & Kempenland.* [r] *Herentals.* [ſ] *Cabo.* [t] *Dieſt.* [u] *Reina.* [v] *Maggi.* [w] *Bonneti.* [x] *Tillemont.* [y] *Bruges.*

CIƆIƆXCVII. HENRICUS IV.

Sigiſmundo conceſſam in [a] Sudercopienſibus comitiis ſuperiore anno tenuerat, abdicaret, eandemque non tam a rege, qui ejerationem ab eo factam ſe ratam habiturum oſtendebat, ſed ab regni ordinibus delatam mox denuo reſumeret. Ea igitur accepta Carolus conventum concordiae et conſtantiae, hi tituli programmati additi, [b] Arbogiae ad XII Kal. Mart. indicit. Multi ad eum ire offenſionem regis veriti recuſarunt, et ex ſenatorio ordine unus tantum comparuit. Rex ipſe, ne quis ad conventum illum iret, majeſtatem ſuam iis laedi proteſtatus, enixe prohibuit. Contra ſcriptum evulgatur, quo convocati ordines id extrema neceſſitate urgente ad avertenda imminentia pericula factum excuſabant, ſecundum regni leges, per quas ii qui in Suecia regis vice funguntur, cum regni neceſſitas poſtulat, poteſtatem ordines convocandi et comitia celebrandi habent; et ante omnia proteſtabantur, nihil ſe in iis acturos, quod Chriſti religioni et ſuae erga regiam majeſtatem fidei vel patriae commodis adverſetur, nihilque novi molituros, ſed ea tantum quae communibus omnium ſuffragiis in Sudercopienſibus comitiis decreta fuerant executioni demandaturos. Secundum haec decernunt, ut una tantum confeſſio Auguſtana in conventu [c] Upſalenſi ante quadriennium ſancita, et regiae majeſtatis juramento confirmata, ubique in Suecia locum habeat, nec ullius alterius doctrinae publica promulgatio admittatur, niſi in regio ſacello, cum rex in regnum paternum venerit. Regi denuo fidem obſtringunt; Sudercopienſeis conſtitutiones denuo comprobant, et ut recipiantur, ac inviolate ſerventur, adverſus quoſcunque omni ope ſe annixuros promittunt. Dein et legatos ad regem decernunt, rogaturos, ut in regnum quamprimum veniat, et praeſentia ſua res confuſas componat: interim ſe Carolum proregem agnoſcere; ſicque ſtatuunt, nullum alium aut illo ſuperiorem, aut poteſtate aequalem, adminiſtrationi publicae committi oportere; ipſum rogantes, ut ſicut antea, ſic et deinceps gubernationis onus ſuſtineat, donec regi in Sueciam revertendi facultas praebeatur. Ad extremum invitant eos qui non comparuerant, ut intra VI hebdomadas declarent, an Sudercopienſibus conſtitutionibus et decretis in hoc conventu Arbogiae factis ſtare velint: nam non aſſentienteis pro turbulentis et abſciſſis regni membris reputatum iri; et Carolo jus fore in eos animadvertendi, videndique ne regnum ab hujuſmodi diſcordia quid detrimenti capiat. In hoc ſocietatem ipſi, qui conventui interſuhr, ordinum delegati pro univerſis ſanciunt, ut ſe ab injuria et vi aliorum tueantur, non tamen ut propterea in principem conſpirare, vel in fidei, quam ſuperiori magiſtratui conjunctim ſe debere cuncti profitentur, praejudicium, vel contra eam concordiam, qua alter alteri legum et juſtitiae nomine inter ſe colligati ſunt, quidquam facere merito dici poſſint. Id actum III Nonas Martias. Secundum haec dimiſſo conventu interpellati a Carolo conſiliarii qui abfuerant, an decretis Sudercopiae et Arbogiae factis ſubſcribere parati eſſent. Illi inde veriti regis offenſionem, hinc videntes, niſi aſſentirentur, ſe pro publicis regni hoſtibus habitum iri, alii alio diffugiunt ad regni fineis, regis ex Polonia adventum opperituri; pars in Daniam, pars in Norvegiam conceſſit; quidam obviam regi venturo profecti ſunt. Carolus, jurejurando a nobilitate et provincialibus exacto, Stocholmiam regni caput, et [d] Elſeburgum arcem cum portu in occidentali ora ſito, occupat, Erico Guſtavi filio, qui loco praeerat, et praeſidiariis reſiſtere non auſis. Ericus Sparre regni cancellarius cum conjuge ac liberis in [e] Scaniam profugit, gentilis ſui Gabrielis Sparre hoſpitio Swanholmiae uſus. Mox ad primam denunciationem dedita Calmarienſis arx alterum regni propugnaculum, Nicolao Flemingo maris praefecto, qui loco a rege praepoſitus fuerat, ſub id forte vita functo. Ita omnes regni provinciae in verba Caroli adactae, excepta ſola Finlandiae arce, et oppido [f] Abovio, quod praeſidiarii a Flemingo impoſiti tenebant.

Dum

INTERPR. [a] *ceux de Sudercopen.* [b] *Arboge.* [c] *d'Upſal.* [d] *Helſingborg.* [e] *Schonen.* [f] *Abo.*

Dum ad ea caſtra ponit Carolus ad [a] Revalienſeis ſcribit, et Sudercopienſeis conſtitu- CIↃIↃXCVII.
tiones et Arbogiae decreta confirmari et ſe pro prorege agnoſci petit. Literae, nullo HENRICUS IV.
reſponſo dato, ad regem in Poloniam miſſae. Carolus dum haec ageret, ad religionis cauſam et regis obſequium regnique commodum cuncta referebat; et, ut verbis fidem faceret, eodem tempore claſſem VIII navium bellicarum inſtrui et [b] Dantiſcum progredi mandat, ad regem ex Polonia in [c] Sueciam tranſportandum: qui tamen negotiis praepeditus, et haec potius hoſtilis animi indicia interpretatus, non niſi cum inſtructo exercitu in regnum venire voluit, quo non parenteis ad officium cogere, et regiam majeſtatem in Suecia factionibus ſciſſa tueri, poſſet. Itaque in ſequentem annum dilata profectio. Moram expeditioni attulit lues contagioſa, quae toto illo tractu crudeliter graſſata eſt, Lubecae, Hamburgi, Brunſvicae, Magdeburgi, aliiſque inferioris Saxoniae oppidis; ac tandem [d] Roſtochii Sextili et Septembri menſibus: ex qua cum in ea urbe IↃCCC circiter periiſſent, malum raro Dei beneficio prorſus interquievit. His acceſſit et annonae caritas, partim propolarum improbitate ad exteras nationes frumentum avehentium, partim ipſorum magiſtratuum, qui rebus ſuis immane pretium imponebant, ex publica calamitate privatum commodum captantes. Remoram et profectioni regis attuliſſe creditur, quod eo tempore in maritimo Vandalicarum civitatum tractu ob controverſam mercimonii inter Germanos et Anglos rationem turbaretur.

XIII. NAM de Anglis crebrae ad Caeſarem et Imperii comitia antea querimoniae delatae fuerant, quod, maritimae ſocietatis privilegiis aut antiquatis aut valde labefactatis, ipſi in Germania monopolia exercerent, et Emdam primo in Friſia Orientali, dein [e] Stadam [f] Bremenſis ditionis oppidum portu commodiſſimum magno numero migrantes, quae Germanis inſtitoribus antea peculiares erant utilitates, fraude libertati publicae facta, proprias facerent: regina vero, claſſe in Germanicum mare immiſſa, cujus tutela ad Imperium pertinet, Lubeca aliiſque portubus onerarias venienteis, quaſi ad hoſtem bello neceſſaria deferrent, interciperet, et ſaepius monita ſemper oratores ad ſe miſſos tam ſocietatis quam Caeſaris nomine eluſiſſet. His de cauſis, inſtante Mendoza, Caeſar edictum Kalendis Sextilibus Pragae proponit, quo Angli mercatores non tantum ab omni negotiatione abſtinere, verum etiam intra ſemeſtre cum uxoribus, liberis, totaque familia Imperii finibus excedere, atque inprimis Stada, jubentur. In eam rem ad ſeptemviros Imperii mandata miſſa, et fiſci procuratori decretum hoc per omnes Imperio ſubjectas provincias exſequendi poteſtas facta. Quo intellecto regina, quae non tam a Germaniae ordinibus, quam ab Hiſpanis ingenio Caeſaris ad privatam ultionem abutentibus, hoc decretum proficiſci interpretaretur, protinus legatos ad Caeſarem et Imperii ordines mittit. Cumque interventu eorum exulcerato Caeſaris animo convenire non poſſet, regina reverſis legatis ad ſuos Stadae negotianteis, ut ſupellectile convaſata quam primum ſe domum conferrent, mandat, et viciſſim ſeveris admodum edictis contra Germanos Londini negotianteis fulminat. Stadenſis ſenatus initio interceſſit, et edicti Caeſarei mitigationem aut executionis prorogationem petiit. Sed cum nihil impetrari potuiſſet, Angli agmine facto diſcedunt, et [g] Mildeburgum Zelandiae principis inſulae metropolim petunt, ſede negotiationis deinceps in ea urbe exercendae collocata. Aliquanto poſt Chriſtianus IV Daniae rex cum Anna Catharina Joachimi Friderici Brandeburgici primatus Magdeburgici adminiſtratoris filia nuptias [h] Haderſlabiae V Kal. Dec. celebravit, cum ineunte anno [i] Hafniae ritu ſolemni regni inſignia ſumpſiſſet.

XIV. IN

INTERPR. [a] *ceux de Revel.* [b] *Dantzick.* [c] *la Suede.* [d] *Roſtock.* [e] *Staden.* [f] *de Breme.* [g] *Middleburg.* [h] *Haderſleben.* [i] *Copenhague.*

CIↃIↃXCVII. HENRICUS IV.

XIV. In [a] Pannonia minore mole res geſta; pluſque in domeſticis motibus componendis, quam in externo adverſus Turcos bello, laboratum ſuit. In Auſtria, quae Pannoniae ſuperioris pars eſt, plebecula, continuo exercituum tranſitu et licentia praeſidiariorum, ſtipendio non perſoluto in ruſticos ſaevientium, exaſperata, cum jam antea tumultuaſſet, hoc anno, ductore Georgio [b] Brunero vilis conditionis homine, in apertam defectionem potius quam ſeditionem erupit; quippe adhibito temperamento res initio citra injuriam geſta. Ruſtici tripartito ordine vicatim pervagabantur ſingulorum domos, et, adactis in fidem obviis, quicquid in arcibus et locis occupatis reperiebatur, bona fide diſtribuebant, in eos qui quid furto vel vi abſtuliſſe convicti eſſent ſeveriſſime animadvertentes: tantum eſculenta et poculenta in commeatum neceſſarium diſtributa et abſumpta; confectis prius inventariis, ut ſi motus forte ſine bello componi poſſet, dominis earum rerum de damno ſatisfieret. Qui ſacramentum dixiſſent, injurias, quas recepiſſent, edere cogebantur; confectaſque de iis probationes ad ſupremum magiſtratum, hoc eſt ad Caeſarem, mittere decreverant. Praecipuae querimoniae erant, immodica tributa ac ſervitutes a nobilitate imponi, quibus efficeretur, ut neque exactionibus ſatisfacere, neque quidquam ruſtici operis per eas interpellationes facere poſſent: nam trientem omnium proventuum dominis ante omnia perſolvendum; nec interim a militum diſcurrentium vexationibus ceſſationem dari: de cetero ſe uſitata in bellum Turcicum tributa pendere, dominoſque ad bellum ſequi paratos oſtendebant. Haec poſtulata initio, cum ſupplices erant, ut aequitatis in ſpeciem plena videbantur, ita poſtquam armati convenerunt in injuriam publicam vertere: nec enim contenti minas addere, arma oſtentare, metuque injecto dominos ſedibus ſuis pellere, nonnullis etiam ſumma dignitate praeditis viris manus et vincula injecerunt. Id quod alieno maxime tempore cum accidiſſet, Turcis tam vicinis, mature eundum adultae jam ſeditioni Caeſar duxit, ad eoſque confeſtim miſit. Nec illi ſe multum alienos a concordiae rationibus oſtendebant, modo caveretur, miſeris non fraudi fore quod arma ſumpſiſſent, et remedium malis, de quibus querebantur, idoneum adhiberetur. Sed duriore reſponſo quam ſperaverant accepto, vel promiſſis diffiſi, cum jam contra ſe duci viderent, omiſſa pacis ratione ad extrema conſilia deſcenderunt. Neque tamen eadem fuit omnium pertinacia, ſeu furor: nam qui ſupra Bohemicam ſylvam habitant, a Caeſare moniti, quanquam primi in armis fuiſſent, iis poſitis ad ſua reverſi ſunt: qui intra Danubium ſedeis habent, poſt ſpem factam quaſi nihil amplius molituri eſſent, acrioribus quam antea animis ſeditionem redintegrarunt. Contra eos profectus Georgius [c] Colonitius tribunus circiter IↃ juxta [d] Graveneccam cecidit, [e] Straſſam pagum incendit: quo caſu plerique cum liberis et uxoribus periere. His initiis victa in motu perſeverantium pertinacia, qui venia accepta fidem obſtrinxerunt ſe deinceps quieturos: neque tamen diu quievere; ſed mox, ſive ultionem veriti, ſive vexationum recurrentium impatientes, ad ſigna conveniunt; tormenta, et quicquid ad bellicum apparatum pertinet, undique conquirunt; [f] Pulcam Auſtriae oppidum dedi ſibi petunt; [g] Lilefeldam, in qua inſigne religioſorum coenobium eſt, ſpoliant; [h] Sampelkae exercitum admovent; tanquam ab amicis amicos admitti poſtulant: non contra Caeſaream majeſtatem, hoc eſt contra ſupremum magiſtratum, ſumpta arma; tantum petere, ut jure aequo ſecum agatur. Cum oppidani moram, petito ad deliberandum ſpatio, necterent, inſtantibus ruſticis tandem reſpondent, non ſatis convenire inter civeis de re de qua ageretur; itaque melius facturos illos ſi ab armis diſcederent. Quo reſponſo exaſperati ruſtici arcte locum cingunt. Dum ad

defenſionem

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Bruner.* [c] *Colonitz.* [d] *Graveneck.* [e] *Straſſen.* [f] *Pulkha.* [g] *Lilefeldt.* [h] *Sampelka.*

defenſionem ſe parant obſeſſi, [a] Scrinius comes nocte intempeſta, qua majorem terrorem injiceret, cum delectis ſupervenit, et caſtra ruſticorum pavore et tumultu implet; qui, majorem Caeſarianorum multitudinem adeſſe ſibi ex metu perſuadentes, vaſa confeſtim ante lucis ortum colligunt, et fugientibus ſimiles Sampelkam deſerunt, poenitentia cordatioribus ſubeunte; qui, ut errorem mature emendarent, auctores multitudini cum fortuna mutanti fuerunt, ut ſeditionis incentores comprehenſos poenae dederent. Itaque multi capti; inter quos unus fuit, qui, ſupplicii ignominiae ut praeverteret, inani vecordia mortem cultro in ventrem adacto ſibi conſcivit: ceteri variis modis ad mortem cruciati inconſideratae temeritatis poenas luerunt.

XV. COMPOSITO ruſticorum motu [b] Berneſtenius, Palfius, alii belli duces, ne nihil agerent, dum copiae majores convenirent, de [c] Totiſa ante triennium amiſſa aſtu recipienda conſilium ineunt, et ita ordinem componunt. Militem et apparatum bellicum navibus ad [d] Comaram impoſitum ſecundo Danubio devecti ad [e] Almaſiam exponunt; quo in loco, vi ventorum et imbrium frequentia retardati, noctem et diem ſequentem terunt; ante diſpoſitis vigiliis, ne adventus ipſorum fama per exploratores ad hoſtem emanaret. Inde profunda jam nocte profecti treis linguae Turcicae peritos praemittunt, portis adequitare juſſos. Poſt eos ſequebatur machina ignivoma curtui impoſita, cum peritis ignis admovendi artificibus. Scalae etiam comportatae, ut eodem tempore, quo machina diſploſa vis per ruinam ab ea editam fieret, aliis partibus oppugnatio tentaretur. Berneſtenius cum delectis in ultimo agmine incedebat, eventum opperiturus. Propinquanteis noſtros percontati excubitores Turci, cujates eſſent, reſponſum ab inſtructis tulerunt, eos Javarinenſeis eſſe; Buda venire ad Solimanum [f] Javarini praefectum, et annonam ab Achmete coëmptam advehere; ac de via feſſos ad aliquot horas quietem expetere. Tum rogati ut temporius mane diſcedant, antequam praefectum loci convenerint, ita ſe facturos promittunt; nam literas ad eum ſe habere, quas mane in manus ejus ſint daturi. Dum colloquuntur, Berneſtenius ſuperveniens currum, quo machina vehebatur, propelli ad pontem jubet; et rogantibus Turcis, quid currum portae admoverent, reſponſum, hoc Heiducorum circa diſcurrentium metu fieri, ut commodiorem, ſi per noctem petantur, ad defenſionem locum habeant. Admota a peritis machina ignis ſubjicitur, horrendoque cum fragore portae diſſiliunt, ponte penſili diſſipato. Tum noſtri ponte per foſſam ſtrato irrumpunt, aliique eodem tempore per ſcalas enituntur, diverſis partibus tumultum cientes, ut pluribus locis occupati praeſidiarii tanto minus ad ruinam defendendam pares eſſent: qui nec opinato caſu perculſi poſt exiguum certamen huc illuc dilabuntur. Quidam in foſſa praecipitarunt effugium quaerentes, qui ab Huſſaris capti ſunt; pauci ad turrim arcis receptum habuere, qui poſtremo capti aut interfecti ſunt. Praefectus cum uxore et liberis in Berneſtenii poteſtatem venit; qui, valido arci impoſito praeſidio et commeatu neceſſario comportato, poſt actas Deo gratias inde diſceſſit. Id actum VI Eid. Maias. Recepta Totiſa ad [g] Pappam ducitur infra Altenburgum. Ad XXIV CIƆ bellatorum convenerant, quibus univerſis Maximilianus Auſtrius praeerat. Ejus juſſu [h] Naſdaſtius et [i] Colonitius ad itinera exploranda praemiſſi in CC praetorianos inciderunt, eoſque interfectis circiter L fuderunt, captivos ex iis nonnullos ad Maximilianum adduxerunt. Eidibus Sextilibus factum obſidioni initium, factaque acti diſploſione disjectae munitiones; et cum delecti, [k] Morſpurgio et Roſwermio ducibus, vim feciſſent, contraria vi repulſi ſunt. Tandem fama adventantis Turcici exercitus accenſi noſtri oppugnationem redintegrant, et alacritate ſumma

conoixi

INTERPR. [a] *le comte de Zrin.* [b] *Bernſtein, & Palſi.* [c] *Tottis,* al. *Totte* ou *Dotis.* [d] *Comar.* [e] *Almaſie.* [f] *Raab.* [g] *Pappa.* [h] *Nadaſdi.* [i] *Colonicb.* [k] *Morſburg, & Ruſwerm.*

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

connixi oppidum capiunt, coofugientibus in arcem praeſidiariis, in qua cc Chriſtiani in vinculis attinebantur. Horum ut vitae parceretur, obſeſſis permiſſum ut incolumes cum omoi re ſua exirent; ſed Belgae aliique Galli, indignati opimam praedam ante oculos poſitam ſibi eripi, nihilomious irrumpunt, et contra pacta ad rapinas vertuntur. Miſſus ad eos coercendos Ederus tribunus cum II ſignis: verum Turci, jam in praedam effuſi militis injuriam veriti, neque ſe ſatis Ederi cuſtodia tutos exiſtimantes, injuſſi arce egrediuntur; loculiſque eorum excuſſis cum auri aliquid repertum eſſet, occaſiooem inde cepere milites, ut eos ſpoliarent, et renitenteis caederent. Purputatum loci praefectum aegre ſervatum cum CLX vix in tutum Colonitiua deducere potuit. [a] Hofkirchius arci impoſitus cum aliquot militibus; qui dum abdita ſcrutantur, turris pulvere nitrato ſubjecto ignem concipiente convulſa paene univerſos ruina ſua oppreſſit. Quod cum Turcorum fraude, quod illis ſolemne eſt, factum putaretur, miſſi qui eos retraherent: vixque illi, cum multis ſe argumentis et indiciis purgaſſent, ultionem paratam evaſerunt. Hoc caſu non ſolum arx deformata, ſed omnis aonona conſumpta, Hofkirchio ipſo graviter vulnerato. Tanti recepta Pappa cum noſtris cooſtitiſſet, ex belli ducum conſilio ad [b] Javarinum exercitus Eidibus Septembribus deducitur; eodemque poſitu caſtra metatur Maximilianus, quo ſua Sinan ante biennium habuerat. Eruptiooe ad primum occurſum facta, noſtri moenia incantius ſubeuntes caeſi; ipſeque ſummum vitae periculum adiit Vincentius Gonzaga Mantuae dux, qui in Chriſtianorum caſtris pietate et decore invitatus militabat, dum exiguo comitatu moenia adequitat, a circumfuſis hoſtibus paene circumventus, et Colonitii ſupervenientis virtute aegre ſervatus. Obſeſſi rem ſerio agi videntes, totum biduum ſtruendis aggeribus intenti, tumulum iotra oppidum ad eam portam quae Belgradum ducit feſtinatis operibus excitarunt, tanra altitudine, nt ex eo continua tormentorum diſploſione noſtri graviter infeſtarentur; qui minime interim ceſſabaot, vineaſque, turreis, ac alias machinas moliebantur, pontes ſtruebant, vallum ducebant, et omnia ad obſidionem neceſſaria indefeſſo ſtudio procurabant. Dum in opere ſunt aſſidui, Palfius duas cohorteis diverſis itineribus Budam verſus excurrere jubet, aut auxilio venientem militem profligaturas, aut aliquid certi de hoſtium rebus exploraturas. Altera cohors cum in cc Turcos ſomno graveis incidiſſet, ex iis c oppreſſit: alios c fuga elapſos altera cohors ſuperveniens ad internecionem delevit. Victorea praeda onuſti in caſtra redierunt. Inde animus majora audendi noſtris additus; qui majore numero inter Vicegradum et Peſtam profecti, praetorianos Javarinum eunteis nacti, cum impreſſionem facturi eſſent, illi occurſu territi retro pedem referunt, arreptiſque ſcaphis Danubium non ſine tumultu trajiciunt: quos inſecuti noſtri in Tatarorum caſtra compellunt, Tataroſque nihil tale metuenteis caedunt, ac caſtris exuunt, magnaque omnis geoeris praeda abacta, ac multis captivis libertate reſtituta, laeti ad ſuos redeunt. Ex [c] S. Martini monte viciſſim Turci, qui eo loco praeſidium validum habebant, continuis excurſionibus pabolatores et lignatores noſtros intercipiebant. Itaque eo Berneſtenius cum modicis copiis miſſus; dumque ad oppugnandam arcem ſe comparat, praeſidiarii deſperara defenſione per poſticum egreſſi arce deſerta in proximam ſylvam coofugiunt. Haec ultro citroque haud magno operae pretio dum geruntur, exercitus hoſtilis adventare nunciatur; cui impares noſtri, quod praeter ſpem acciderat ut tam cito univerſae Turcorum copiae coire poſſeot, non ſine trepidatione obſidionem ſolvunt, ne diuturniore mora aut neceſſitatem de ſumma decertandi ſibi impooerent, aut hoſtem in interiora Pannoniae atque adeo Germaniae recedentes pertraherent. Eo factum, ut magnam impedimentorum partem, quo expeditiores in receptu eſſent, neve hoſtibus uſui eſſet, incendio conſumpſerint.

Praeſidiarii,

INTERPR. [a] *Hoffkircken.* [b] *Raab.* [c] *Martinſberg.*

Praeſidiarii, diſceſſu noſtrorum cognito, in moratores et aegros tardius incedenteis invecti multos ex iis crudeliter interfecerunt, aut in captivitatem abduxerunt. Huic aliud ex repentino diſceſſu incommodum acceſſit, quod Turci ad [a] Totiſam nuper receptam ſub id caſtra metati ſunt. Arcem tuebatur Chriſtophorus Veida cum circiter CCC praeſidiariis; qui, licet nullum non boni ducis officium impleviſſet, poſt acreis oppugnationes multoties ſumma virtute repreſſas, contra vim majorem impar, cum jam cuniculis actis unum ex arcis propugnaculis diſſiliiſſet, magnamque muri partem ſecum traxiſſet, mature ſibi ſuiſque conſulendum duxit, et inſtantibus jampridem defenſoribus ad extremum obtemperavit, habito prius belli ducum concilio, ex quorum ſententia clanculum per poſticum noctu egreſſi praeſidiarii Danubium verſus iter intendunt. Poſtridie hoſtes rei ignari extremam vim faciunt, locumque vacuum nacti ſero ſe deluſos ſenſerunt, impoſitoque arci praeſidio ac ſartis ruinis Budam reverſi ſunt, dum eminus noſtri quaſi ad [b] Vitzam munitis caſtris ſpectatores ſederent; ubi de induciis aliquandiu, ſed irrito eventu, inter partes actum eſt.

XVI. RES hoc anno ob frequenteis praetorianorum motus Conſtantinopoli confuſas, cur Turci nihil majoris molis tentaverint, in cauſa fuiſſe creditum eſt. Nec minus ſuſpenſum Caeſarem tenuit de Sigiſmundo Bathorio Tranſylvaniae principe injecta ſuſpicio, quaſi leviſſimum adoleſcentem temere inchoati contra procerum ſententiam belli et pactorum cum Auſtriacis initorum ſera poenitentia ſubiiſſet; nam cum XIII Kal. Mart. [c] Pragam cum XL ciſiis veniſſet, et ſolemni ritu velleris aurei torquem nomine Philippi a Caeſare accepiſſet, quippe id ſtudioſe excogitatum ab Hiſpanis ad paſcendam hominis vanitatem illicium, poſt varia agitata in arcano conſilia Maio exeunte domum repetierat, plus promiſſis quam pecunia et milite oneratus. Tamen facta ſpes VICIↃ equitum ac peditum brevi ſummittendorum: quos dum ille fruſtra exſpectat, cunctari primo, ad extremum etiam defectionem a foedere meditari, viſus eſt. Impellente tamen Carillo aliiſque qui circa illum erant, pridie Eid. Sept. in Turcarum fineis delectum militem immiſit, qui vaſtato circum agro pontem [d] Savo ad [e] Albam Graecam impoſitum deſtruerent. Ipſe Lippam profectus eſt; et mox admotis ad Temeſvaram caſtris obſidionem aggreſſus, ab ea aſpera hyemis incommoditatibus victus diſceſſit, receptis aliquot parvi momenti in circuitu locis.

XVII. APUD nos hoc anno Gilbertus Genebrardus patria [f] Arvernus, profeſſione Benedictinus, [g] Semurii in Heduis, ubi opimum ſacerdotium habebat, in vivis eſſe deſiit, ſexagenario major; qui diu literas Hebraicas magna frequentia in regio auditorio Lutetiae docuit, et per has turbas, non interveniente regii nominis auctoritate, [h] Aquenſis archiepiſcopus creatus eſt, ob idque dignitate ea, rebus per pacem ordinatis, ſtatim exutus: in cauſa regni et ſcriptis ſuis, quae complura et multijugae eruditionis plena evulgavit, iniquior et acerbior, et vita quam ſtylo temperatior creditus. Huic comes addetur Suffridus [i] Petreius Leovardiae in Friſia natus; qui cum Lovanii in pueritia literis Graecis gnaviter operam dediſſet, veterum Graecorum ſcriptis in Latinum vertendis animum applicuit, et poſtea a Friſiae ordinibus invitatus origines, colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis ſuae illuſtranda ſuſcepit; in quibus altius repetendis dum admiſtis fabularum figmentis nimium ſtylo indulget, multorum reprehenſiones incurrit, ut Ubboni Emmio, qui eandem provinciam ſumma fide ac admiranda ſimplicitate poſtea executus eſt, potius lampada tradidiſſe, quam ei in ſcribenda hiſtoria patria praeluxiſſe, videatur. Gliſcentibus demum Belgicis tumultibus homo tranquillitatis amans [k] Coloniam Ubiorum conceſſit; ubi, uxore elata ac vitae inſtituto mutato, ſacris initiatus eſt, et in eo otio tandem fere ſeptuagenarius menſe Februario ex

INTERPR. [a] *Dotis.* [b] *Vizze.* [c] *Prague.* [d] *la Save.* [e] *Belgrade.* [f] *Auvergnat.* [g] *Semur en Bourgogne.* [h] *d'Aix.* [i] *Petri de Leeuwarde.* [k] *Cologne.*

ex hydrope deceſſit, a conterraneo ſuo Vibrando [a] Auſekema juriſconſulto ultimo elogio decoratus. Quinquennio ſenior eo Gabriel [b] Palaeotus patria Bononienſis Sextili proximo ad vitae aeternae praemia migravit, juris civilis ſcientia, ac theologicis ſtudiis, vitae ſanctimonia, morum gravitate inſignis; ac tandem, poſt omnes aulae Romanae honores inoffenſa ſama decurſos, in collegium cardinalium a Pio IV cooptatus, et poſt Sixti V mortem, paulum abſuit, ſupremum ſacri ordinis magiſtratum conſecutus; ſcriptis etiam in illa fortuna editis ad poſteritatem egregium nomen promeritus. Paulo poſt itidem Romae haod multum quinquagenario major exeunte Octobri coelebs deceſſit Aldus Manuccius, ſic enim, repetita ad Florentinam familiam geotis ſuae origine, poſtea dici maluit, Pauli filius, Aldi nepos, Aldi Romani abnepos; cujus majores tantum rei literariae contulerunt, quantum ſuperiorum temporum barbaries illi abſtulerat. Ipſe Boooniae literas humaniores magna freqoentia profeſſus eſt, et, editis tam propriis quam paternis ad omnem aeternitatem victuris moouıentis, longe maximam ab omnibus gratiam meruit. Ante eos Romae itidem obiit VIII Eidus Februarias, cum aetatis annum LXVII ageret, Franciſcus [c] Patricius [d] Cliſſae in Iſtriae finibus ditionis Venetae oppido natus, et, ut aiebat, [e] Senis oriundus; qui, literis Graecis et Latinis egregie inſtructus, ad philoſophiae ſtudia animum applicuit: ſed, dum ex ingenio ſuo natas et a communi plerumque ſenſu abhorrenteis ſententias in ſcriptoribus interpretandis conſectatur, a pleriſque reprehenſus, et in Peripateticis diſcuſſionibus ac nova de univerſis philoſophia, cum adhuc Ferrariae eſſet ante ſexennium edita, complures adverſarios habuit: et novam philoſophiam quidem eenſura ootatam paulo ante mortem retractavit. Ferrariae totos XVII annos philoſophiam Platonicam docuit, Alſonſo II perquam familiaris; et a Clemente VIII, qui ejus opera olim uſus fuerat, cum primum pontifex renunciatus eſt, magno ſtipendio Romam evocatus Parallela militaria ſtatim publicavit, multaque alia praeterea ſcripſit, quae in amicorum ſcriniis inedita jacent. Huic comes addetnr Franc Raphelengius, [f] Lanoii ditionis Inſulanae in Pleumoſiis oppido natus, poſtea Chriſtophori Plantini gener; qui in typographica cum egregiam ſub ſocero operam diu oavaſſet, relicta Antuerpia [g] Lugdunum Batavorum conceſſit, et linguarum Orientalium vel teſte Scaligero valde peritus, etiam Arabicam publice magoa cum laude profeſſus eſt, de qua Lexicon poſthumum, ab eo dum viveret ſumma cura et labore compoſitum, prodiit; et tandem non ita ſenex, vix enim annum LVIII exceſſerat, ad alteram vitam migravit XII Kalendas Quintileis. Ultimus referetur Hier. Commelinus, alias [h] Santandreanus dictus, natione Gallus; qui, tranſlato e patria Genevam primum, dein Heidelbergam, domicilio, rem literariam multum juvit, editis tum veterum Graecorum plurimis nunqoam antea editis monumentis, tum Athanaſio inprimis et beati Jo. Chryſoſtomi magna operum parte, in quibus et propria iodustria multum contulit; et, immatura morte hoc anno exeunte oobis ereptus, filiis eandem euram quaſi hereditario jure demandavit.

XVIII. PRAETER virorum literis clarorum mortes etiam aliae principum memorandae hoc anno veniunt. Gunilla Joannis III Sueciae regis altera nxor, vidua, ineunte Octobri Stócholmiae in vivis eſſe deſiit: et Eliſabetha ejuſdem Joannis III ſoror, et Chriſtophori [i] Megalopolenſis ducis itidem vidua, XII Kal. Dec. eam ſecuta eſt. Catharina Hiſpaniae Inſans Caroli Sabaudi conjux, tot liberorum parens, obiit [k] Auguſtae Taurinorum ineunte Novembri. Omnium graviſſima mors fuit Alfonſi II Ferrariae ducis, Herculis II et Renatae Ludovico XII et Anna [l] Britanna prognatae filii; in quo illuſtriſſima [m] Ateſtinorum principum tota Italia gens defecit, aut defeciſſe

Romae

INTERPR. [a] *Auſekema.* [b] *Paleotti Bologneſe.* [c] *Patrici.* [d] *Cliſſa en Dalmatie.* [e] *Siene.* [f] *Lanoy du territoire de Lille en Flandre.* [g] *Leyde.* [h] *de St André.* [i] *le duc de Mecklenburg.* [k] *Turin.* [l] *de Bretagne.* [m] *d'Eſte.*

Romae credita eſt: quippe Caeſar filius Alfonſi alterius (qui Alfonſo I ex contubernio CIƆIƆXCVII.
vilis foeminae natus erat) et Juliae [a] Roboreae, Guidi Ubaldi [b] Urbinatis ducis filiae, HENRICUS IV.
tantae ſucceſſionis incapax pontificis et ſacti cardinalium collegii judicio ſemper ha-
bitus fuit. Et cum ea de re Alfonſus dux ſaepius cum Sixto V et Clemente VIII egiſ-
ſet, et grandi ſe pecunia, omnique alia ratione, principatus beneficiarii, quod tam
diu in ſua familia fuerat, ſnceeſſionem in Caeſarem agnatum ſanctae ſedis conceſſi-
one transferri peteret, fruſtra fuerat; cum conſtitutionem Pii V a pontificibus ſucceſ-
ſoribus ſolemni jurejurando ſtatim in primis inaugurationis ſolemnibus confirmari ſo-
litam obſtare dicerent. Cum nihil impetrare poſſet, de [c] Regio Lepidi, Mutina,
Carporum oppido, aliiſque ad imperialem juriſdictiouem ſpectantibus ditionibus, a
Maximiliano et Rodolfo Caeſaribus ſactam gratiam in Caeſarem Ateſtinum contule-
rat, ac inſuper eum omninm aliorum bonorum mobilium antiquiſſimo in Italia prin-
cipatu congeſtorum nniverſalem heredem teſtamento ſcripſerat, ea ſpe et conſilio, ut
his opibus ſubnixus injurioſe denegatum beneficium vi ac potentia tueretur, et aliquan-
do temporis occaſione uteretur. Cum igitur exeunte Septembri fatis conceſſiſſet, an-
nos natus LXIV, Caeſar initio monitus ſpirituſque generoſos deceſſoris ſui amplecti
viſus, et nobilitas populuſque, qui tamdin Ateſtinorum dominationi inſueverant, et
de novo principe, ut fit, magnam ſpem conceperant, prono in eum favore propen-
debant; quem ut adjuvaret, nullo non comitatis erga nobilitatem, benignitatis erga
plebem, genere utebatur, remiſſis ſponte aliquot vectigalibus, aliis multum imminu-
tis. Solus ordo ſacer in occulto abnuebat, in pontificis gratiam pronior, ex eventu
conſilium capturus. Hoc rerum ſtatu Caeſar ut fortunam periclitaretur, legatos ad
orbis principes Chriſtianos mittit, quibus Ferrarienſium ducis titulos et inſignia ſibi
ſumebat; et [d] Ziliolum comitem dignitate ex ſuis praeſtantem Romam legavit cum
literis: quibus acceptis pontifex, titulos illos ubi legit, ſtatim eas abjecit, et Ziliolum
a conſpectu ſuo juſſit faceſſere, neque ad colloquium poſtea admiſit; quanquam
Caeſarem omni ratione pontifici ſatisfacere paratum oſtenderet; tantum audiretur, et
cum delegatis ab ipſo pontifice et ſacro collegio cauſa principis ſupplicis diſceptaretur.
Dimiſſo Ziliolo cuncta tanquam ad bellum parata, conſcriptis IV legionibus et de-
lecto equitatu; qui in agrum [e] Bononienſem, H. [f] Cajetano duce, praemiſſus eſt.
Interea cenſura in Caeſarem agi placuit; et, trinundina denunciatione, ut ſe judicio
ad pontificis pedes ſiſteret, citatus, cum non compareret, diris devotus eſt; et ad
cunctas urbis regiones ac vicinarum civitatum templa diri fulminis in ipſum a ſpiritu-
ali brachio vibrati affixa programmata. Quibus nihil ille territus contrarias copias in
agrum Bononienſem immiſit, et pontificias primo conflictu male mulctavit: ſed mox,
cum refrigeſcere erga ſe cognatorum principum voluntates cerneret, ab amicis moni-
tus, ut potius quietis conſilia ſectaretur, quam dubiam Martis aleam cum pontifice
tunc opes Gallicas oſtentante experiretur, poſt ultro citroque miſſos ad Petrum Aldo-
brandinum cardinalem, qui [g] Faventiae ſubſtiterat, delegatos, iis conditionibus ine-
unte Januario tranſegit: Caeſar cum uxore, liberis, ac domeſticis, iiſque qui ipſi hoc CIƆIƆXCVIII.
bello militarunt, a diris eccleſiaſticis abſolvuntor: P. Aldobrandinus pontificis lega-
tus ante diem III Kal. Jan. Ferrariam non ingreditor: nulli Ferrarienſium ob praete-
rita negotium aut moleſtia fiat: Caeſar ditiones ad ſanctam ſedem non pertinenteis et
bona propria alodialia, ad XL CIƆ aureorum annui reditus, alia item ab Alfonſo duce
profecta paris reditus, hortos ſuburbanos inſuper ac viridaria, quae Alfonſi fuerant, iis
exceptis quae moenibus urbis cohaerent, ſibi ſervato, cum dimidia parte omnium
armorum et machinarum bellicarum: vectigalia omnia principatus Ferrarienſis ad
exeuntem

INTERPR. [a] *delle Rovere.* [b] *d'Urbino.* [c] *Reggio, Modena, & Carpi.* [d] *il Conte Hieronimo Gilioli.* [e] *de Bologne.* [f] *Gaetano.* [g] *Faenza.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

exeuntem uſque Januarium, pecuniam praeterea omnem ac gemmas Caeſar, et qui eum ſequentur, retinento; inſtrumenta ac documenta omnia, quae ad ſanctam ſedem non pertinebant, ſecum aſportato: quod ut ſine fraude fiat, qui huic negotio intervenient, a cardinali Aldobrandino deliguntor: ad aes creditum a debitoribus exigendum ſibi judicem deligito; in ceteris coram judice ordinario Ferrarienſi litigare teneatur: ex camera apoſtolica quotannis [a] XV CIↃ ſaccorum Cerviani ſalis omni tributi onere libera accipito: hujus tractatus VI [1] Pompoſae et Bondenae coenobia, quae ab Alexandro Caeſaris fratre poſſidentur, XIII CIↃ aureorum annui reditus aeſtimata, retineto: paludes territorii Carpenſis, quae ab eccleſia Bononienſi poſſidentur, et III CIↃ aureorum annui reditus aeſtimantur, reſtituuntor: [b] Carporum oppidum epiſcopali dignitate ornator: Romae eandem ordinis praerogativam, quam Alfonſus dux olim habuit, et nunc habeto: ſancta ſedes ejus patrocinium recipito, et omnes ditiones ipſius imperialeis contra quemlibet defendito: poſſeſſiones ejus, quae juriſdictionem non habent, alodiales declarantor: ipſe viciſſim ſua omnia bona quae in Ferrarienſi ditione habet, aut partem eorum, ſanctae ſedi vendere teneatur juſto pretio, de quo inter partes per delegatos conveniet: qui eum ſequi volet, liberam bonorum diſpoſitionem habeto. Haec capita ad pontificem miſſa; qui vocato cardinalium collegio ea rata habuit, condito diplomate, et gaudium ex ea pace conceptum profuſis lachrimis teſtatus eſt; quippe qui incendium hoc, in media Italia alieno maxime tempore, cum arma potius in Pannoniam verti oportebat, excitatum, quavis alia ratione quam humano ſanguine reſtingui mallet, praeſertim incerto ejus exitu, et iis qui Romanae magnitudini minus aequi ſunt novarum rerum occaſionem undique conſpicientibus. Secundum haec tempore convento Aldobrandinus ad urbem acceſſit cum V CIↃ peditum et CIↃ equitibus. Ferrarienſis nobilitas obviam ad VI milliaria proceſſit egregie inſtructa, cum epiſcopi vicario. Ipſe epiſcopus cum omni ſacri ordinis comitatu publicae ſupplicationis ritu ad portam uſque venit cum XXIV adoleſcentibus ex primaria nobilitate cultu et pompa inſigni, qui uraniſcum cardinali urbem intranti praeferebant. Ante omnia admiſſus peditatus, et per opportuna loca a Cajetano diſtributus: equitatus in duabus majoribus urbis plateis ante templum principale et arcem collocatus eſt. Intrantem ad CCC pueri circundederunt, feſta voce eccleſiae ac pontificis nomen inclamantes, eique vitam longiſſimam comprecantes, addito, ut Hebraei, quos Alphonſus impenſius protexerat, quaſi diris obnoxii et reipublicae detrimentoſi quamprimum pellerentur. Hoc comitatu per arcus triumphaleis tranſiens ad majus templum cum veniſſet Aldobrandinus, poſt ſolemneis preces peractas ad Lucretiam Ateſtinam Franciſci Mariae Urbinatis ducis uxorem, Alfonſi defuncti ſororem, quae ex morbo decumbebat, inviſendam divertit, antequam ad aedeis ſibi deſtinatas pergeret. Tum diſploſae tota urbe machinae pontificiae, et artificioſi ignes ubique in publicae laetitiae ſignum accenſi; et, ut jucundiorem ſuum adventum Ferrariae univerſis ordinibus faceret cardinalis, multa onera magno populi levamento remiſit, aut jam a Caeſare remiſſa confirmavit. Tum decreta ex urbis ordinibus ad pontificem legatio. Admiſſi legati magna pompa Romae et a duobus epiſcopis in conſiſtorium introducti; ubi poſt habitam orationem ſolemne jusjurandum pontifici praeſtiterunt, fidos ſe illis ſubditos in poſterum futuros: viciſſim illi, muneribus et majoribus promiſſis onerati, accepta immunitatum ac privilegiorum confirmatione, domum redierunt, facta ſpe ut brevi pontifex ipſe Ferrariam proficiſceretur.

INTERPR. [a] *quindeci mila di Sale nei magazini di Cervia.* [b] *Carpi.*

NOT. [1] *l'article 7 du Traité eſt ainſi couché:* che rimaneſſero a lui & a ſuoi heredi e ſucceſſori ſolamente il ſuo patronato della prepoſitura di Pompoſa & della pieve di Buondeno con tutte le loro pertinenze. *Put.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS.

EPITOME.

REBUS ad pacem inter regem ac Philippum inclinantibus, Vervinii in limite noſtro delegati ab utraque parte conveniunt. II. *Rex interea in Armoricam cum exercitu venit. Dinamenſes, propinquantibus ex compacto regiis copiis, arma capiunt, et arcem Briſſaci et Coaquini marchionis ope circumſident, et deditione capiunt. Pleſſium-Bertrandi et Seſſonis Turris item recepta.* III. *Mercurianus de regis adventu certior factus mature uxorem cum delegatis praemittit. Cum Petro Cornuto Pleſſio qui Cratumnum, et Santoſangiis fratribus qui Rupifortium in Andibus tenebant, tranſactum. Rex in itinere Aloiſiam reginam officioſe inviſit. Bullionius et Tremollius Eraldi-caſtro Salmuriam regi obviam veniunt.* IV. *Ad Seios pontes Jacobus Auguſtus Thuanus, Soſredus Caligno, Gevreus, in Schombergii aedibus conveniunt, cum Mariae Lucemburgicae Mercuriani uxoris delegatis. Pactae filiolae Mercuriani cum Caeſare Vindocino regis naturali filio nuptiae, et edictum conditum. Mercurianus Andegavum ad regem ſalutandum venit. Conditiones ab Armoricae ordinibus propoſitae et rejectae. Nuptiae fiduciariae inter Franciſcam ſexennem et Caeſarem Vindocinum contractae. Rex Condivicinum proficiſcitur.* V. *Andreas Huraltus Meſſius in Angliam ad Eliſabetham miſſus, qui pacis cum Hiſpano negotii rationes coram explicaret. Juſtinus Naſſovius ab Ordinibus Belgicis in Galliam venit, ut huic negotio interveniret.* VI. *Edictum in gratiam Proteſtantium per biennium agitatum tandem hoc anno Eidibus Aprilibus finem accepit, et Namnetenſe dictum: ejus promulgatio ob cardinalis legati praeſentiam in ſequentem annum dilata.* VII. *Pacis negotium, quod Vervini diſceptabatur, a Lullini marchione, qui Sabaudi nomine interveniebat, paene abruptum. Tandem, ſalvo de Saluciarum principatu utriuſque jure, inter reges conventum, et perſcriptae conditiones* VI *Non. Maias. Iis et Sabaudus comprehenſus. De ceteris regis cum eo controverſiis Clemens* VIII *arbiter delectus, qui intra annum a die pactionis pronunciaret. Diploma de pace a rege miſſum in ſenatu recitatum fuit. Idem Bruxellis factitatum.* VIII. *In Sabaudia interim Aqua-bella arctius cincta. Crequius, dum obſeſſis ſubvenire tentat, caeſus et ipſe captus. Barraliana munitio a Diguierio expugnata.* IX. *Pax ſolemni jurejurando Lutetiae et Bruxellis coram delegatis ab utraque parte miſſis ſancita.* X. *Edictum pridie Non. Sextil. in ſenatu promulgatum, quo promiſcuus ſcloppetorum uſus prohibetur. Inter Catharinam regis ſororem et Henricum Lotharingum Barri ducem nuptiae pactae. Severum judicium contra Gul. Roſam epiſcopum Silvanectenſem latum.* XI. *Sacri ordinis conventus Lutetiae regis permiſſu celebratur.* XII. *Jeſuitae Burdigalae et Toloſae adhuc retenti ex hujus conventus occaſione libellum ſupplicem pro reſtitutione ſua regi offerunt. In eorum cauſa ſeverum ſenatuſconſultum contra Ludovicum Juſtum Turnonium*

Turnonium XV *Kal. Sept. latum. Contrarium Toloſae pro Turnonio et Jeſuitarum ſocietate factum.* XIII. *Rex otioſe cardinalem Florentinum legatum inviſit, et de matrimonii cum Margarita diſſolutione agit, injecta obiter de Gabrielide Eſtraea mentione. Legatus in Italiam diſceſſit.* XIV. *Philippus Eidibus Septembribus ad Laurentii-fanum deceſſit. Morbi genus et concurſus plurium infirmitatum. Ejuſdem ad filium monita. Apparatus funeris ab ipſo ordinatus; et extrema mandata. Chriſtophori Morae fides. Philippi forma, ingenium, mores, cum patre comparantur.* XV. *Vitae ſeries fere proſpera adverſis immiſtis. Corpus funere modico ante majus altare tumulatum.* XVI. *Ante Philippum Anna Auſtriaca Poloni uxor ex puerperio obiit Warſaviae* IV *Eidus Februarias; et ante eam ineunte anno Joan. Georgius Brandeburgicus ſeptemvir; et paulo poſt Richardus Baioarus Simerenſis; et mox ex eadem familia Fridericus Wolfangi filius. Ex altera et tamen eadem familia tunc obiit Philippus Willelmi Baioariae ducis filius, in collegium cardinalium ante biennium cooptatus.* XVII. *Theodori magni Moſcorum imperatoris ſine liberis mors. Boriſſius Gerniae Theodori uxoris frater, profundae et aſtutae diſſimulationis homo, ſub eo rerum ſumma potitus eſt. Teſtamento adminiſtrationem imperii penes Gerniam uxorem et patriarcham reliquit. Illa in monaſterium conceſſit, abdicata a ſe et in Cneſios et Boiaricos auctoritate tranſlata. Cum populus fremeret, et reginae et Boriſſio fratri non Cneſiis et Boiaricis obedire paratum oſtenderet; tandem Boriſſius, cum ſe a tanto munere excuſaſſet, reginae ſororis precibus imperium capeſſit. Inauguratio ſolemni pompa peracta, et praeclare ab eo primis imperii auſpiciis geſta. Tatari generoſe repreſſi.* XVIII. *Viri literis clari qui vivere hoc anno deſierunt, Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis, Abrahamus Ortelius Antuerpianus, Joach. Camerarius Joachimi filius, Dominicus Lampſonius, Henricus Stephanus.*

EX AUCTORIBUS,

Actis pacificationis, Monmartini commentariis, Edictis publicatis, Diguierii militari diario, Actis curiae Pariſienſis, Antonio Errera, Philippi II *teſtamento, D. Chytraeo, Relationibus Moſcicis.*

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS.

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV. CUNCTA inter nos jam aperte ad pacem ſpectabant; et Alexander [a] Medices cardinalis a pontifice ante biennium in Galliam miſſus, cum colloquii inter principes inſtituendi diu occaſionem captaſſet, tandem et Calatagironae interventu et [b] Villaregii cum Jo. Richardoto ultro citroque habitis ſermonibus, poſt receptam [c] Samarobrigam conventui locus et dies indictus eſt ad Januarium menſem [d] Vervinii in Veromanduis, quod in terra Francia ſitum eſt oppidum: quo venerunt primum a rege, cum cardinali, Franciſco Gonzaga quondam ordinis Franciſcanorum miniſtro generali Mantuae epiſcopo pontificis oratore, et Calatagirona, Pomponius Bellevreus jam multis legationibus defunctus, et Nicolaus [e] Brulartus Sillerius ſenatus Pariſienſis praeſes: poſtea

INTERPR. [a] *le cardinal de Florence.* [b] *de Villeroy.* [c] *Amiens.* [d] *Vervins en Vermandois.* [e] *Brulart Sr de Sillery.*

poſtea a Philippo venerunt Joannes Richardotus privati concilii in Belgio primarius praeſes, Joannes Baptiſta Taxis S. Jacobi eques et concilii ſtatus ac belli conſiliarius, et Ludovicus [a] Verrichenus ſecretariorum princeps et chartophylax. Prima de ſedendi praerogativa inter delegatos altercatio fuit, quam nunquam Franciae regibus denegatam aut in dubium olim vocatam primus Philippus controverſam Romae fecit, et in Tridentina ſynodo praecipue; ubi Hiſpani, praevalente eorum in Italia potentia, ne poſt Gallos ſederent, tenuerunt ut ſeorſim ab aliis oratoribus in conſeſſu illo locum haberent: qua de re tunc oratores noſtri proteſtati ſunt. Nunc autem, ne ſolvendi colloquii tantopere ab utraque parte expetiti hinc occaſio praeberetur, haec inventa ratio [α] eſt, ut, cardinali in medio conclavi ſub uraniſco loco editiore locato, ad dextram Gonzaga orator pontificis proxime juxta cardinalem, poſt eum Richardotus, Taxis, Verrichenus, ſederent; ad laevam [b] Bellevreus ex adverſo Gonzagae et uno gradu prior ante Richardotum ſederet; ut quantum dextrae praerogativa Philippicis poſt Gonzagam ſedentibus conceſſa noſtris detrahebatur, tantum, prioris gradus dignitate, quam Bellevreus ad laevam tenebat, attributa, Gallico nomini [β] accederet. Calatagirona extra ordinem poſt omneis, et Gaſpar a Geneva Lullini marchio, qui Caroli Emmanuelis Sabaudiae principis nomine interveniebat, cum in conſeſſum admittebatur, ſedebant. Colloquio totum quadrimeſtre inſumptum eſt, antequam partes convenirent: quo tempore rex a [c] Britanniae ordinibus crebro ſollicitabatur, ut quam primum in provinciam veniret.

II. GASPAR SCHOMBERGIUS [d] Nantolii comes, qui res regias iſtic impigro ſtudio procurabat, omnem operam dabat, ut pecunia ab ordinibus promiſſa repraeſentaretur; qua ſine regem, aerario exhauſto, in provinciam venire non poſſe oſtendebat. Cum vero [e] Mercurianus innata cunctatione tempus incaſſum tereret, et, miſſo ad ipſum a rege Joanne [f] Maſſa Monmartino, alia atque alia ſubinde cauſatus ad poſtulata patrum commode reſponderet, tandem Schombergius ad regem ipſe ire inſtituit, ut coram explicato negotio eum ad profectionem accelerandam incitaret. Qui cum Proteſtantibus ad [g] Eraldi-caſtrum congregatis jam totum biennium agebant, idem apud regem urgebant; et, toties diſceptata cauſa et exagitatis capitibus controverſis, ſupereſſe dicebant, ut rex praeſentia ſua et auctoritate finem protelato huc uſque negotio imponeret. Igitur cum et Mercuriani cauſa, et Proteſtantium, in quorum conciliatione non minus momentum reponebatur, ratione, rex ſagaciſſimus praeſentiam ſuam neceſſariam eſſe judicaret, ex Schombergii conſilio in Britanniam nulla mora interpoſita venire conſtituit, attributis Henrico [h] Monmorantio equitum magiſtro, qui [i] Samarobrigae Ambianorum erat, delectis copiis, quibus ille ſubnixus, dum colloquium inter delegatos celebrabatur, in limite ad omnes caſus praeſto eſſet. Franciſcus Borbonius [k] Contius Lutetiae impoſitus: exercitui, quem mox ſecuturus praemiſerat, praefecit Albertum [l] Gondium Radeſiarum ducem, tunc aetatis praerogativa tribunorum equitum principem. Monmartino a rege in arcano mandatum, ut nihil cum Mercuriani delegatis ad colloquium venturis de induciis promitteret, antequam de [m] Dinamenſium conſilio certius ipſi conſtaret. Urbis arcem tenebat Joannes [n] Avaugurius Sanlaurentius; a quo cum ſe ſumme alienos oſtenderent oppidani, Joannes

VAR. LECT. [α] eſt, ad tempus tolerabilis: ut cardinali *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] accederet: quo facto tamen potius aequatam utriuſque dignitatem, quam noſtris regibus praerogativam ſuam ſervatam, plerique et ipſi Hiſpani interpretati ſunt. Calatagirona *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Verreichen audiencier, premier ſecretaire & treſorier des chartes.* [b] *de Bellievre.* [c] *Bretagne.* [d] *de Nanteuil.* [e] *le duc de Mercœur.* [f] *Du Mas Sr de Montmartin.* [g] *Chatelleraut.* [h] *le conneſtable de Montmorency.* [i] *Amiens.* [k] *le prince de Conti.* [l] *de Gondy duc & mareſchal de Retz.* [m] *ceux de Dinan.* [n] *d'Avaugour Sr de S. Laurent.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV. Joannes [a] Coaquini marchio, Fani-Maelovii, quod inde haud longe abeſt, praefectus, Briſſacum monuerat, ut cum copiis quas habebat quamprimum eo veniret. Praemiſſus [b] Molacus, cui ſtatim cum ſua equitum ala ſe conjunxit Jacobus Mongomerius comes; cum jam oppidani arma cepiſſent, et ſe ſtructo contra arcem aggere muniviſſent. Ubi Briſſaeus venit, per Monmartinum caſtrorum praefectum, quem ſecum adduxerat, regiones ſingulis ducibus diſtribuit, et ſtationibus loca opportuna firmat. Mox advectis Coaquini diligentia Fano-Maclovii tormentis, II colubrinae in turre urbis a [c] Magnano, qui rei tormentariae, [d] Menovio in lecto decumbente, praeerat, diſpoſitae: reliquae V majores machinae ſuis locis directae. [e] Bordagii uterinus frater, qui ſe cum CC in arcem receperat, cum ſe undique arcte cinctum, nullam auxiliorum ſpem videret, mature petito cum Monmartino colloquio deditionem pactus eſt, his conditionibus, ut ipſe cum ſuis vita ac rebus ſalvis dimitteretur, et incolumis [f] Lamballam deduceretur; milites cum ſcloppetis fune extincto exirent; Carolus [g] Argentraeus Condan Rhedonum praeſidialis praefectus et [h] Poëtus captivi manerent; [i] Planeius, qui ſemel atque iterum captus contra fidem datam effugerat, et ſe a fide data liberatum aſſerebat, in manus Briſſaei traderetur, ut de cauſa cognoſceret. Haec acta IV Eidus Februarias. Triduum obſeſſis conceſſum, intra quod niſi ſupervenientibus auxiliaribus obſidio ſolveretur, arcem tradere tenerentur: quo exacto ſecuta deditio. Molacus arci impoſitus, eique cohors [k] Cevalletii ad praeſidium attributa. Briſſacus inde [l] Pleſſium-Bertrandi ducit; quod ad primum armorum conſpectum patuit. In [m] Seſſonis turre, ad quam Pleſſio recepto ſtatim admotae copiae, plus negotii fuit, quod locus firmior eſſet; qui tamen tandem deditus eſt. Interim Monmartinus cum [n] ſecuritatis literis, quas a rege habebat, poſt Dinamum captum in viam ſe dat, cum aliquot a Mercuriano miſſis ſtipatoribus, qui adventum ejus urgebant; et nihilominus a [o] Dolenſi praeſidio in itinere captus eſt, uno ex ſtipatoribus etiam occiſo. Cum a Mercuriano ſe accerſitum diceret, et ſtipatores ejus in teſtimonium adduceret, vix a praefecto habita fides; neque niſi ſacramento adactus, ſi aliter res haberet, ſe ad praefecti mandatum compariturum, dimiſſus eſt; eoque ſerius [p] Condivicinum pervenit.

III. TANDEM, ubi de adventu regis certo conſtitit, Mercurianus, acceptis a Monmartino ſecuritatis literis, Mariam [q] Lucemburgicam uxorem, cum Carolo [r] Burnovio Namnetenſi epiſcopo et Valentino [ſ] Lapardeo Machicolianae arcis, quae in Radeſiarum pago eſt, tota regione munitiſſimae praefecto, [s] Andegavum praecedere jubet; quae injurioſe Andegavi ingreſſu prohibita ad [t] Seios pontes ſe contulit. Rex cum in viam ſe dediſſet, [u] Thorii in Belſia delegati a Petro [v] Cornuto Pleſſio, qui [w] Cratumnum in Andibus et Monjanum in Cenomanis tenebat, adventus ejus fama perterrito, miſſi venerunt IX Kalendas Martias, et feſtinatae reconciliationis grande pretium tulerunt. Nam et rex praeteritorum, ut in aliis edictis, oblivionem ſanxit, et quicquid ab eo factum eſſet, quaſi religionis cauſa factum, ignovit; praefecturam Cratumni ei confirmavit; et quod in Joannis [x] Criquebovii caede ante ſeptennium et Monjani direptione admiſſum fuerat, caedem item Ludovici [y] Huralti Villuiſani, Henrico III rege, ipſo Paſchatis die, in templo municipii immani perfidia patratam, aliaque inſuper homicidia, plene condonavit; earumque rerum ne in jure perſecutio fieret a cognitoribus ſuis enixe prohibuit. Inde facto itinere per [z] Aurelianum, Bloeſas, Amboſiam,

INTERPR. [a] *de Coaſquin gouverneur de S. Malo.* [b] *le baron de Molac.* [c] *de Magnan.* [d] *de Maineuf.* [e] *du Bordage.* [f] *Lamballe.* [g] *Argentré preſident au preſidial de Rennes.* [h] *du Pouet.* [i] *le Sr de la Planche.* [k] *la Chevallerie.* [l] *le Pleſſis Bertrand.* [m] *Tour de Seſſon.* [n] *Paſſeport.* [o] *de Dol.* [p] *Nantes.* [q] *de Luxembourg.* [r] *de Bourneuf evêque de Nantes.* [ſ] *de la Pardieu gouverneur de Macheeoul en Retz.* [s] *Angers.* [t] *Pont de Cé.* [u] *Thoury en Beauſſe.* [v] *le Cornu Sr du Pleſſis le Coſmé.* [w] *Craon en Anjou, & Montejan au Maine.* [x] *le baron de Criquebœuf.* [y] *Hurault de Villeluiſant.* [z] *Orleans, Blois, Amboiſe, & Chenonceaux.*

Amboſiam, et Cenoncellas, ibi Aloiſiam reginam defuncti regis viduam officioſe inviſit, et de benignitate ſua erga Mercurianum fratrem, ſi quidem occaſione ſine tergiverſatione uteretur, prolixe ſpem fecit. Dum Cenoncellis eſſet, Gulielmi [a] Folqueti Varanii interventu tranſegit Kalendis Martiis cum Franciſco [b] Hurtaldo et Almerico Huſſaeo Santoſſangiis fratribus, qui [c] Rupiſortium in [d] Meduanae et Ligeris confluenti munitiſſimum [e] Tremollianae ditionis caſtellum valido praeſidio tenebant, et inde navigiis armatis ſupra infraque flumen continuo excurrebant, et, praedis uſque ſub [f] Andegavi portas quotidie factis, totam provinciam miſerandum in modum totos IX annos infeſtaverant. Cum iis erat Joannes [g] Maſſo, Joannis cognitoris regii in Andibus olim filius; qui ante XXXIV annos criminis capitalis poſtulatus, cum variis ludificationibus judicium protelaſſet, ad extremum rebellionis beneficio uſus carcere emiſſus fuerat: et, quia Santoſſangiis arcta cognatione conjunctus fuerat, ad Rupiſortium receptum habuerat, et multa perperam et cavillatorie contra leges faciendi alioqui vitae ſolutae hominibus auctor fuiſſe credebatur: nam multi odio religionis, perverſo omni juris ordine, nulla auctoritate, cruciatibus prius torti, ejus inſtigatu ad mortem damnati et ſupplicio affecti fuerant. Quorum omnium, edicto in ipſorum gratiam condito, facta gratia: et, ne de Maſſonis ipſius crimine amplius anquireretur, aut de Scipione [h] Sardinio ſumma perfidia initio belli capto, expreſſius cautum: nam tunc Santoſſangii locum regio nomine adhuc tenebant, et ad abolendam facti invidiam ad Henoticorum partes defecerant. Prohibita praeterea in Maſſonis gratiam caedis Samuelis Joannis fratris filii, ad [i] Milonis-fontem ſummo ſcelere per inducias patratae, in jure perſecutio. Tamen poſtea, cum res aliter habere, quam tunc regi expoſitum fuerat, compertum eſſet, manente in ceteris edicto, ejus perſecutio a rege matri defuncti permiſſa eſt: ob idque rurſus diuturno carceri mancipatus Maſſo, nec niſi poſt longas moleſtias, quas ſibi ipſe ingenio ſuo abutens intriverat, et grandem pecuniam exſolutam, libertati reſtitutus fuit. Abolita denique [k] Rabinelli Vitreacenſis, qui privatae tantum ultionis cauſa ad ſupplicium tractus fuerat, et Proteſtantium aliquot, dum ad preces convenirent, [l] Caſtaneti ante triennium crudeliter interfectorum memoria. Cumque peterent Santoſſangii, ut ſibi, iiſque qui ſuas partes ſecuti fuerant, edictorum non ſolum in [m] Meduanii et Boſcodelfinii equitum tribuni gratiam factorum, ſed illius quod pro Mercuriano proxime faciendum eſſet, beneficio uti liceret; de edictis Meduanii et Boſcodelfinii rex aſſenſit: de Mercuriano prorſus abnuit; nam nondum cum eo tranſegiſſe, et velle ut is ſibi tantum, neque alii praeterea, paciſceretur. Dein per [n] Caeſarodunum, ubi Bullionium et Tremollium obvios habuit, facto itinere, [o] Salmuriam venit.

IV. INDE ad [p] Scios pontes conceſſit, dato negotio Gaſpari Schombergio, Jacobo Auguſto Thuano, [q] Sofredo Calignoni, qui [r] Eraldi-caſtro ad eum interim venerant, Ludovico [s] Poterio Gevreo ex quatuorviris a ſecretis epiſtolis, ac Petro [t] Janino ſenatus Divionenſis praeſidi, ut cum Mariae [u] Lucemburgicae delegatis agerent. Igitur in Schombergii diverſorio cum delegati ab utraque parte conveniſſent, primo altum ſilentium fuit; cum regii tanquam victores, alii quaſi victi apparerent. Sed ſtatim moderatione ac comitate regiorum effectum eſt, ut diu illos ſuae conditionis minime poenituerit. Perſcriptae tandem regis arbitrio leges; ad quas illi nihil initio mutire auſi, tantum demiſſo vultu quaſi ſupplices ad omnia dicta annuebant. Igitur conventum, ut Mercurianus praefectura Britanniae omnino cederet, cuncta munita

loca

INTERPR. [a] *Fouquet Sr de la Varane.* [b] *les Srs de Hurtault, & de la Houſſaye de St Offange.* [c] *Rochefort.* [d] *la Mayenne, & la Loire.* [e] *de la Tremoille.* [f] *Angers.* [g] *de Launoy le Maſſon.* [h] *Sardigny.* [i] *Fontaine-Milon.* [k] *Ravenel natif de Vitré.* [l] *Chaſtaigneraie.* [m] *le duc de Mayenne, & le mareſchal de Boiſ-Dauphin.* [n] *Tours.* [o] *Saumur.* [p] *Pont de Cé.* [q] *Sofred de Calignon.* [r] *Chatelleraut.* [s] *de Potier Sr de Geſvres.* [t] *de Jeannin preſident de Dijon.* [u] *de Luxembourg.*

CIↃIↃXCVIII. loca quae in provincia tenebat traderet, et ſancita praeteritorum memoria in gratiam
HENRICUS IV. reciperetur, et x. CIↃ librarum honorificam penſionem ex aerario regio quotannis acciperet. Qua de re ubi ex delegatis rex cognovit, et Lucemburgicam admodum triſtitia conſuſam domi interim ſedere de exitu anxiam, miſeratione tangi coepit; et ſexennis filiae unicae illius nuptias Caeſari filio naturali ſuo conciliare cupiens, quo rem honeſtius conficeret, delegatis ſuis ſtatim imperavit, ut ipſam adirent, eique omnia comitatis et benignitatis officia prolixe deferrent, et ut ad ſe accederet monerent. Igitur poſt prandium illa in arcem perrexit, a rege humaniſſime excepta, jam tunc injecta nuptiarum tantopere expetitarum mentione: a quibus ſupplex Lucemburgica minime ſe alienam oſtendit, ſed rationem dignitatis mariti haberi petebat. Nec aegre rex annuit, Gabrielide [a]Eſtraea Caeſaris parente annitente: cum qua e veſtigio eadem lectica vecta [b]Andegavum, unde paulo ante injurioſe repulſa fuerat, triumphanti ſimilis ingreſſa eſt, ſublatis repagulis, ut a populo ad occurſum regis effuſo undique conſpiceretur. Statim ubi ad urbem ventum eſt, a Mercuriano delegati, mane nihil hiſcere auſi, poſtulata audacter promunt, et ad ea reſponderi petunt. Schombergius, in cujus aedibus conventus habebatur, etſi ſciret ita regem ab Eſtraea perſuaſum velle, tamen primo recuſare, et pacta mane conventa allegare, quibus nihil addi niſi ad interpretationem, nihil detrahi, deberet. Quod eo faciebat, ut illos intra moderationis limites contineret, neque ex particulari edicto generale fieret; quod ab initio vir prudentiſſimus ſumme caverat, quippe qui ad quietem publicam conſtituendam ſummopere pertinere exiſtimabat, ut, compoſitis per pacem diſſidiis, factiones diſſipatentur, et earum capita, ne olim majore cum periculo repullularent, omnino extinguerentur. Itaque denunciatum ſingulis locorum, qui adhuc circa in armis erant, praefectis, ut quamprimum cum rege tranſigerent, omni ſpe de edicto Mercuriani, quo comprehendi ſperabant, praeciſa. In id Jacob. [c]Vinea Baſtida miſſus, [d]Campiniaco qui [e]Tiſſaugium, [f]Villaboſio qui [g]Mirabellum, et [h]Burcanio qui [i]Anceniſium [k]Ellebovii, cui fidem feſellerat, munitiſſimum caſtellum tenebant, regis nomine additis minis deditionem imperavit. Et Villaboſius quidem ſupplex ad aulam venit, Antonii [l]Sillii Rupipotii interventu in gratiam ſine conditione acceptus. Campiniacus, ob violatam toties fidem ſibi metuens, uxorem deſerto loco confeſtim miſit, poenam ab irato rege deprecaturam: quae praegnans, praecipitato equi vectatione partu, in regis conſpectu, cum ad pedes ejus ſe abjeciſſet, paene abortum fecit; vixque in diverſorium relata ſtatim enixa eſt. Burcanius, ab Ellebovio potius quam a rege metuens, tradita arce per amicos veniam accepit, et, ne in occurſum Ellebovii veniret, aula abſtinuit. Tandem edictum conditum Martio exeunte, cujus in prooemio rex excuſat, quod Mercurianus, poſt ipſius cum pontifice reconciliationem et cardinalis legati in Galliam adventum, ſtatim ad obſequium non redierit: nam id juſtis magniſque de cauſis feciſſe, quae Britanniae provinciae ſecuritatem ſpectabant, rege tunc in Belgico limite occupato, et dubio belli exitu res et conſilia ſuſpendente. Tum ipſum Mercurianum, et e ſacro ordine, nobilitate, et plebeio, quicunque ejus partes ſecuti ſunt, ac eos inprimis qui cum ſuprema poteſtate ſenatus provincialis nomine, qui [m]Condati Rhedonum haberi ſolebat, [n]Condivicini Namnetum hujus belli tempore jus dixerunt, in gratiam recipit, ea lege, ut fidem ſacramento in poſterum obligent; eoſque bonis, dignitatibus, ac juribus reſtituit: decreta contra eos facta abrogat: magiſtratus a Mercuriano creatos eadem conditione confirmat; praeteritorum oblivionem ſancit; patratorum ubicunque contra belli leges per inducias memoriam inducit, ac praecipue ad [o]Auratae-caſtrum et [p]Georgii-fanum haud longe

a

INTERPR. [a]*d'Eſtrées.* [b]*Angers.* [c]*la Vigne Sr de Baſtide.* [d]*de Champigny.* [e]*Tiffauges.* [f]*de Villebois.* [g]*Mirebeau.* [h]*Bourcany.* [i]*Ancenis.* [k]*le duc d'Elbeuf.* [l]*de Silly comte de la Rochepot.* [m]*Rennes.* [n]*Nantes.* [o]*Chateau du Doré.* [p]*le fort de S. George.*

a [a] Montaeuto in Pictonibus; ab ea gratia uti in praecedentibus edictis ſemper excepto regis paricidio: decimas in hunc diem ſacro ordini remittit; vectigalium regiorum ubique belli tempore interceptorum exactionem aut in jure perſecutionem inhibet; captivos utrinque, qui de pretio non convenerunt, libertati reſtituit; [b] Guſtum et Rupis marchionem jampridem captivos, qui de pretio convenerant, cum illud immodicum cauſaretur, ſingulos exſolutis IV CIↃ aureorum liberos declarat. Edictum Lutetiae VII Kal. Apr. ac [c] Condati Rhedonum in ſenatu promulgatum fuit. Addita ſeorſim ſecreta pacta minime publicata; quae tamen ut perinde valerent, ac ſi edicto comprehenſa eſſent, ipſius edicti noviſſimo capite cautum erat. Poſtea Mercurianus cum delecto comitatu in aulam venit; cui ad Andegavum ingreſſuro rex, dum ad venationes abeſſet, obviam procedere juſſit non ſolum urbis praeſidium, ſed cunctos aulae [α] proceres. Ultimis comitiis prudentiſſime decretum fuerat, inſtigante Carolo [d] Avaugurio Vertuſii comite primario provinciae regulo, qui conventui praefuerat, ut rex ordinum nomine rogaretur, inter conditiones cum Mercuriano tranſigens [e] Pentevriae familiae bona dotalia, quae in [f] Dolenſi et Briocenſi dioeceſi ampliſſima habebat, vendendi neceſſitatem imponeret; eaque ordines juſto pretio, de quo inter partes conveniret, a Mercuriano emere tenerentur, ea lege, ut principatui unita nunquam deinceps ab eo ulla de cauſa alienarentur: nam ita futurum aiebant, ut, extinctis in Armorica Monfortiae et Pentevriae factionis nominibus, pax alta et ſecura quies in praeſens atque in poſterum conſtitueretur. Id rex ſi voluiſſet, haud multum pugnaturus contra Mercurianus credebatur, quippe qui provinciae praefectura exutus, facile bonis dotalibus, pretio aut compenſatione aliis in regni provinciis accepta, ceſſurus eſſet. Sed [g] Eſtracae, opulentiſſimas filiae ejus nuptias Caeſari filio, cui jam praefectura deſtinata erat, ambientis, ſuaſu conditio remiſſa eſt. Secundum haec dum edictum cum Proteſtantium delegatis in regio conſiſtorio agitatur, ſpe futurarum nuptiarum rex Caeſarem naturalem filium [h] Vindocinenſi principatu cum paris Franciae titulo donat, inſtrumento de ea re confecto III Non. Apriles; quod in ſenatu poſtea promulgatum eſt, conditione addita, ne in exemplum traheretur ad alia patrimonialia bona, quae regni adeptione lege regni coronae Francicae unita intelligebantur. Biduo poſt nuptiales tabulae inter Caeſarem et Franciſcam [i] Mercuriani et Mariae Lucemburgicae filiam conficiuntur, quibus rex CLXVI aureorum CIↃ ad luenda bona antiqua, quae a Vindocinenſi principatu alienata fuerant, certis penſionibus exſolvenda concedit, et inſuper CC aureorum CIↃ, a Mercuriano et uxore ejus in poſſeſſionum emptionem Caeſaris Franciſcaeque commodo impendenda: inſuper [k] hypobolum VI CIↃ aureorum annui reditus conſtitutum. Viciſſim Mercurianus et Maria XVI CIↃ aureorum annui reditus filiae in dotem promittunt, ex Pentevriae familiae in [l] Armorica bonis et [m] Martigiae vicecomitatu, qui in Provincia eſt, provenientia. His actis fiduciariae nuptiae contractae, et in arce magno procerum ac nobilitatis concurſu celebratae, verba faciente Franciſco Jouſa cardinali, qui aderat. CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

Feriis

VAR. LECT. [α] proceres. Heic concurſu lixarum ac pediſſequorum puerorum, quod genus effraenatae malitiae apud nos nulla diſciplina poteſt aut ſolet coerceri, utrinque facto, ſublata per laſciviam vox Henoticam concacaſſe; quae nullo contrario juſſu, nullis dominorum per media agmina diſcurrentium et obvios fuſtibus caedentium minis, reprimi potuit; et cum hac feſcennina acclamatione Mercurianus ſubinde ridens, et in occulto indignans, quaſi funus ultimum factioni duceretur, in aedes ſibi paratas deductus eſt, a rege, cum ad eum ſalutandum admiſſus eſſet, humaniſſime exceptus. Ultimis *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Montaigu en Poičtou.* [b] *le Sr du Gouſt, & le marquis de la Roche.* [c] *Rennes.* [d] *d'Avaugour comte de Vertus.* [e] *Penthievre.* [f] *de Dol, & de S. Brieu.* [g] *la ducheſſe de Beaufort.* [h] *le duché de Vendoſme.* [i] *le duc de Mercœur, & Marie de Luxembourg.* [k] *ſix mille eſcus de revenu annuel de douaire prefix.* [l] *Bretagne.* [m] *Martigues.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

Feriis Paſchalibus [a] Andegavi exactis rex navigiis devectus [b] Condivicinum venit; et, pompa militari urbem ingreſſus, in arce ampliſſima hoſpitium ſumpſit.

V. Dum delegati utriuſque regis Vervinii agerent, rex, ne contra foedus nuper cum Angliae regina et Belgicis Ordinibus quidquam facere videretur, ad Eliſabetham Andream [c] Huraltum Meſſium miſerat, qui negotii rationes explicaret: icto foedere miſſos, ſicuti convenerat, in Germaniam legatos, ut contra communem hoſtem armorum et conſiliorum ſocietas iniretur; nam regem pecunia exhauſtum, et regnum ipſum longis ſuperiorum temporum calamitatibus attenuatum, bello diutius ſuſtinendo per ſe impar, ope aliena ad tempus egere, ut priſtinum vigorem recipiat, et, viribus, quas nunc a foederatis et amicis mutuari cogitur, receptis, aliquando vicinis et bene meritis de ſe principibus, ut olim, vicem reddat: cum nullam ſpem illi auxiliorum faciant, et ipſa in ſuo et Belgio occupatis viribus vix exiguas regi commodare poſſit, aequum eſſe, ut rex ſaluris ſuae, quae ad ipſum foederatoſque omneis pertinet, rationem habeat; nam quicquid ea in re ſaluti ſuae conſulens fecerit, id illorum quoque cauſa hoc rerum ſtatu factum intelligi debere: noluiſſe tamen quidquam ipſa inconſulta agere; ac ſi pace cum Hiſpanis agitata comprehendi velit, curaturum regem omni opera et officio, ut ipſa regi res ejus, tanquam optime de ſe meritae ſororis, aeque ac proprias curae eſſe intelligat: ſin res ejus id nunc minime ferant, ut pace cum Hiſpanis comprehendatur, petere, ut ipſa diſtincte explicet, quid a rege in eo negotio ad conſervandam mutuam inter utrumque regnum amicitiam ac foederationem praeſtari cupiat: nam ita pacatos habere Hiſpanos velle antiquos Gallici nominis hoſteis, ut potiorem amicitiae ipſius, quam fructuoſam rebus ſuis ſemper expertus ſit, rationem habeat. Admiſſo Meſſio, poſt officioſa utrinque honorifice commutata verba, cum res ad concilium remiſſa eſſet, multa ultro citroque dicta objectaque, Anglis haud obſcure minus conſtantem in foedere voluntatem noſtram arguentibus, et quaſi fidem datam oblique repoſcentibus. Quibus uno verbo ſatisfactum, reges non aliter pacem et foedera inter ſe facere, quam cum hac tacita conditione, ut quod rebus ſuis utile eſt ſemper amplectantur, quod pernicioſum eſt caute devitent: itaque a rege exigi non debere, ut bellum periculoſi eventus cum Hiſpanis, quam cum iiſdem pacem rebus ſuis ſalutarem, habere malit: hoc tantum ab ipſo, quod ultro deferat, jure meritoque deſiderari poſſe, ut nihil inconſultis amicis in eo negotio agat, et quod ipſorum interſit, id ex ipſorum voluntate ac conſilio officioſe exſequatur. Cum periculum Ordinum Belgicorum ſemper in medium adduceretur, quod non negligi ad utriuſque regni ſecuritatem ſummopere pertineret, Meſſius regem id unum praecipue ſpectare teſtatus eſt, ut in pace cum Hiſpanis facienda res illorum, quouſque cum Hiſpanis convenerint, occulto favore ſubleventur, et cupere ut communi conſilio belli paciſque tempore eis proſpiciatur. Tandem reſponſum ab Eliſabetha, brevi ſe legatum ad regem miſſuram mandatis et rationibus inſtructum, quibus ſibi et Ordinibus caveri cupiat et aequum putet. Is fuit Robertus Cecilius; qui Andegavi regem nactus eum Condivicinum uſque ſecutus eſt. Venit et diverſo itinere [d] Juſtinus Naſſovius et [e] Joannes Barneveltius, primarius Hollandiae et Occidentalis Friſiae conſiliarius, ab Ordinibus miſſi, ut ex compacto conjunctis cum Eliſabetha conſiliis de eo negotio agerent. Tandem convenit, ut rex grande aes, quod et Eliſabethae et Ordinibus hujus belli ultimi ratione ob ſummiſſa tam opportune auxilia deberet, certis penſionibus exſolveret; et Ordinibus non ſolum ex eo quod ab ipſo eis debebatur, ſed et ex eo quod Eliſabethae debebat, ad ſuſtinenda belli onera in tempore ſatisfaceret; quo facto erga Eliſabetham tantundem liberaretur.

VI. CECILIO

INTERPR. [a] *Angers.* [b] *Nantes.* [c] *Hurault Sr de Meiſſe.* [d] *Juſtin de Naſſau amiral de Zelande.* [e] *Jean d'Olden Barnevelt premier conſeiller & avocat des Eſtats particuliers, & garde Seel du pays & comté d'Hollande & Weſt-Friſe.*

VI. Cecilio et Juſtino Naſſovio dimiſſis, tandem edictum in Proteſtantium CIƆIƆXCVIII.
gratiam factum poſt longas altercationes et repetitas controverſias finem accepit, et Henricus IV.
regio ſigillo firmatum eſt Eidibus Aprilibus, quod a loco [a] Namnetenſe appellatum eſt; ejus promulgatione in tempus, quo legatus pontificius regno exceſſiſſet, poſtea dilata: itaque non niſi anno ſequenti in ſenatum allatum fuit. Obſervatum fuit a curioſis, eadem in urbe, in qua ante XXXIX annos prima coitio Proteſtantium ob religionis cauſam, ſive conjuratio contra Guiſianos facta fuerat, quae bellis civilibus toties infeliciter repetitis principium dedit, pacificatorium edictum, quod iiſdem finem eſſet impoſiturum, a rege conditum eſſe.

VII. Interea pacis negotium [b] Vervinii urgebatur; quod, variis protelationibus hinc inde ſuſpenſum, paene [c] Lullini marchionis, qui Sabaudi nomine aderat, interventu omnino abruptum eſt, cum de [d] Saluciarum principatus tempore belli occupati reſtitutione aſſentiri non poſſet, et aliis atque aliis ludificationibus negotium per ſe perplexum involveret. Tandem a legato pontificio, qui re infecta nollet diſcedere, ratio inventa eſt, qua ſalvis regis Sabaudique juribus pax inter reges conſtitueretur, eaque Sabaudus ipſe comprehenderetur. Igitur perſcriptae conditiones VI Non. Maias, quibus [e] Caſtelli-Cameracenſis pactionis capita ante omnia confirmantur, niſi in iis quibus expreſſe per hanc pactionem derogatur: pax bona, ſecura, ſtabilis inter reges, et amicitia tanquam inter fratres perpetua, ſancitur; cujus beneficio queiſlibet utriuſque regni ſubditis ire, redire, manere, commorari, verſari in alterius ditione, mercaturam exercere, et fluviatili ſive maritima navigatione negotiari ac nundinas frequentare, jus erit, modo conſueta vectigalia jam impoſita et deinceps a regibus imponenda ſine fraude exſolvant. Literae clarigationis, repreſaliarum vulgo vocant, quacunque de cauſa conceſſae ſuſpenduntur; nec poſtea ab alterutro in praejudicium alterius ſubditorum, niſi in caſu denegatae juſtitiae, et juxta juris formam, concedentur. Utriuſque regis ſubditi in alterutrius ditionibus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus, olim a Galliae et Hiſpaniae regibus hinc inde conceſſis, utentur fruentur. Si Philippus Belgicas provincias, Burgundiae comitatum, et [f] Carolotenſem principatum in Infantem filiam transferat, ea pactione illa comprehenſa intelligetur; nec nova pactione ad hoc opus erit. Subditi alterutram partem ſecuti, quorum bona ſoli ab anno CIƆ IƆ LXXXIIX aut ſequeſtrata aut publicata ſunt, iis reſtituentur; ita ut fructus conſumptos repetere non poſſint ante pacis hujus promulgatae diem, ut neque pecuniam quae ante eum diem in aerarium illata fuerit. Hujuſmodi bonorum donationes, conceſſiones, publicationes, et ſententiae per contumaciam aut eremodicium contra abſenteis hujus belli cauſa latae revocabuntur. Idem de eccleſiaſticis dictum intelligatur. Viciſſim reges, quae alterutrius ditionis occupant, bona fide reſtituent. Philippus [g] Caletum, Ardeam, Hullini montem, Durlanium, Capellam, Caſtellum in Veromanduis; illa quidem ſine dilatione; [h] Blavetum autem in Armorica intra duos menſeis: in id vi obſides dabuntur. Rex Carolotenſem principatum, et ſi qua alia ſunt a rege Chriſtianiſſimo aut a ſuis ab anno CIƆ IƆ LIX occupata, bona fide itidem reſtituet. Quantum ad ea quae pactione Caſtello-Cameracenſi conventa ſunt attinet, conditiones in ea appoſitae, quarum executio adhuc deſideratur, bona fide explebuntur; videlicet de [i] Fani-Pauli feudo, de regionum utriuſque principis limitibus et agris, quorum deciſio ſuſpenſa eſt; de immunitate vectigalium et externorum tributorum a [k] Comitatenſibus praetenſa, aliiſque quae ex pactionis formula fieri debent. Ad hoc nominabuntur ab utraque parte arbitri, qui proximo ſemeſtri in limite loco deſignato convenient, et ex jure et aequo controverſas res diriment.

INTERPR. [a] *l'Edict de Nantes.* [b] *Vervins.* [c] *Lullin.* [d] *Marquiſat de Saluces.* [e] *de Chateau-Cambreſis.* [f] *le comté de Charolois.* [g] *Calais, Ardres, Mont-hulin, Dourlans, la Capelle, & le Caſtelet en Vermandois.* [h] *Blavet en Bretagne.* [i] *le comté de S. Pol.* [k] *ceux de la Franche-Comté.*

dirimunt. De confuſis item in diœceſibus [a] Atrebatenſi, Ambianenſi, Santaudomarenſi, et Bononienſi pagis, pro utriuſque tam ditionis quam ipſorum populorum commodo per delegatos intra anni ſpatium permutatione tranſigetur. Bello capti utrinque impenſis exſolutis ſine pretio dimittentur, niſi jam de eo convenerint: quod ſi quis legitimum id modum excedere queratur, princeps regionis, in qua captivus retinebitur, illud moderabitur. Omnes alii utrinque captivi, qui ad triremeis relegati ſunt, ſine mora et tergiverſatione, nullo exſoluto pretio aut expenſis, ſtatim ſolventur. Regi Chriſtianiſſimo Franciae et Navarrae, ejuſque heredibus, et actionem habentibus, ſalva manebunt jura et actiones horum regnorum, provinciarum, et ditionum nomine, quibus nec per ſe nec per majores ipſius diſerte renunciatum fuit, ut de iis amice, non etiam armis, experiri poſſit. Idem de Hiſpanorum rege et Infante majore filia dictum intelligatur. Quantum ad Sabaudiae ducem ſpectat, cujus cauſam non ſecus ac ſuam ſe commendatam habere Philippus per legatos ſuos profitebatur, cum ille per Lullini marchionem ſe pro arcta cognatione, qua regem Chriſtianiſſimum tam ſtemmate paterno quam materno contingit, tanquam ſuae majeſtatis cognatum devotiſſimum, eandem omni cultu, reverentia, et obſervantia demereri ſtatuiſſe declaraſſet, ſeque et actiones ſuas ipſi deinceps melius adprobare, quam per temporis praeteriti occaſiones licuerit, ac viciſſim ſperare ut rex pro bonitate innata ipſum eadem benevolentia et amicitia proſequatur, qua quatuor inclytae memoriae reges poſtremi patrem ſuum ſunt complexi, convenit, ut et ipſe pactione comprehenderetur, et intra bimeſtre [b] Berrenſe caſtrum et oppidum in Provincia reſtitueret, ſine demolitione aut detrimento ullo, et ſine expenſarum in eo muniendo factarum repetitione; machinis, quae tempore quo captum eſt in eo erant, relictis, conceſſa avehendi eas quas Sabaudus in oppidum poſtea advexiſſet facultate. Convenit item, ut [c] Fortunam quendam militarem tribunum, qui [d] Inſubrum pagum in Heduis ejus nomine occupabat, dedereret, neque eum favore aut auxilio juvaret. De aliis vero controverſiis, quarum inpraeſentiarum inter partes convenire non potuit, res ad Clementis VIII arbitrium ex earum conſenſu deferretur; qui intra annum a die pactionis ſententiam interponet juxta regium reſcriptum pridie Nonas Junii ea de re datum. Interea res ſine ulla innovatione aut tributi gravioris exactione eo ſtatu, quo nunc ſunt, manebunt: et hac lege pax inter regem et Sabaudum, ut inter reges eorumque ſubditos iiſdem conditionibus firma et ſtabilis erit; et pactiones omnes, tam quae anno CIƆ IƆ LIX, quam quae inter Carolum IX et Henricum III ac Sabaudi patrem factae ſunt, ratae habebuntur; et dux Sabaudiae, cum ſuis provinciis, civitatibus ac ſubditis, neutrarum deinceps partium erit, et communis regis utriuſque amicus. Pactis a rege comprehenſi pontifex cum ſancta ſede apoſtolica, Caeſar, ſeptemviri Imperii principes, ac nominatim comes Palatinus Rheni, marchio Brandeburgicus, dux Wirtembergicus, Heſſorum princeps, [e] Onosbachii marchio, comites Friſiae Orientalis, [f] civitates maritimae ſecundum pactiones antiquas, rex regnumque Scotorum juxta foederationem quae Gallis IƆ CCC abhinc annis cum Scotis intercedit, Poloniae, Daniae, et Sueciae reges, dux et ſenatus Venetus, XIII pagi Helvetiorum, III [g] Rhaetorum, [h] Valeſiae epiſcopus, abbas et urbs S. Galli, [i] Tukenbergi, Milhauſeni, comes [k] Novi-caſtri, Lotharingiae dux, magnus Etruriae dux, Mantuae dux, [l] Lucenſium reſpublica, epiſcopi et collegia [m] Mediomatricum, Virodunenſium, Tullenſium, [n] Gozae abbas, Sedani dynaſtae, Mirandulae comes. Additum, ut mentione comitum Friſiae Orientalis his pactionibus inſerta nullum praejudicium

INTERPR. [a] *d'Arras, Amiens, S. Omer, & Boulogne.* [b] *Chateau de Berre en Provence.* [c] *le capitaine la Fortune.* [d] *Seurre en Bourgogne.* [e] *d'Anſpach.* [f] *Villes Hanſeatiques.* [g] *Ligues des Griſons.* [h] *Valais.* [i] *Tockenburg, & Mulhauſen.* [k] *Neufchaſtel.* [l] *Lucques.* [m] *Metz, Verdun, & Toul.* [n] *Gorzes.*

praejudicium Philippo factum intelligatur, qui jus ſibi in illorum ditionibus vindicat, ſalvis quoque eorum in jure exceptionibus. A Philippo comprehenſi pontifex, Caeſar, cum archiducibus fratribus et agnatis, ſeptemviri, civitates et ordines Imperii eidem obſequentes, [a] Baioariae et Cliviae duces, epiſcopus [b] Leodicenſis, civitates maritimae, Friſiae orientalis comites, modo ab omni foedere et clandeſtina ſocietate in detrimentum Caeſareae majeſtatis et Imperii ordinum diſcedant, [c] ſuperioris Germaniae domini, Helvetii hoc nomine deſignantur, [d] Rhaetorum civitas, Poloniae, Sueciae, Scotiae, Daniae reges; Venetorum dux ac reſpublica, dux Lotharingiae, magnus Etruriae dux, reſpublica Genuenſium et Lucenſium, dux Parmae et Placentiae, cum Odoardo cardinali ejus fratre; dux Mantuae, dux Urbini, [e] Columnienſium et Urſinorum familiarum principes, dux Sermonetae, [f] Monaci regulus, Finalii et Maſſae marchiones, [g] Plombini regulus, [h] Salae et Colornii comites. Cautum generali clauſula, ne regum alteruter, quos alteruter his pactionibus incluſiſſet, vel per ſe vel per alios bello laceſſeret; ſed ſi quam contra eos actionem haberet, eam non vi ſed in judicio perſequeretur. Poſtremo conventum, ut rex Chriſtianiſſimus has pactiones promulgari, et in acta ſenatus Pariſienſis aliarumque regni curiarum et rationalium camerae Pariſienſis; Philippus in ſanctioris et aliorum regis conciliorum et camerae rationum in provinciis Belgicis, ſicuti anno CIƆ IƆ LIX factum fuerat, itidem acta referri curaret. Cum delegati ſubſcripſiſſent, intra menſem ſe documenta authentica manu et ſigillo regis, archiducis, Sabaudi ſubſcripta ac firmata invicem tradituros polliciti ſunt; et archidux intra trimeſtre approbatorias a Philippo literas traditurum promiſit. Secundum haec pax per univerſum Belgium, cum ingenti provincialium plauſu, uno et eodem die promulgata fuit, VII Eidus Junias; igneſque ut in publica laetitia certatim ubique accenſi. Rex interim, ordinatis in [i] Armorica rebus, cum [k] Maclovii-fanum excurriſſet, inde facto per [l] Condatum Rhedonum, Caeſarodunum Turonum, Bloeſas, Aurelianum itinere, [m] Germani-fanum venit, et diploma de pacis promulgatione IV Eidus Junias emiſit; quod Lutetiae biduo poſt ad tabulam marmoream Palatii, coram inferioris ſubſellii aſſeſſoribus, ab [n] amanuenſi recitatum et publicatum eſt: dein per plateas a [o] feciali Engoliſmenſi, [p] praefecto mercatorum et urbis aedilibus, cum [q] vigilum praefecto, apparitorum [r] ſatellitio, et balliſtariis urbem obequitantibus. Bruxellis idem archiducis juſſu factitatum VII Eidus Junias.

VIII. INEUNTE Martio, cum Sabaudus [ſ] Aquam-bellam, quam Diguierius ſuperiore anno ceperat, arctiore obſidione premeret, Carolus [s] Crequius juvenili calore impulſus, dum laborantibus ſubvenire tentat, in anguſtias delatus, amiſſis quibuſdam ex ſuis, ipſe in hoſtium poteſtatem venit. Id male Diguierium ſocerum habebat, in alia magis ſeria cogitatione interim occupatum, de munitione a Sabaudo haud longe a Monmeliano in terra Francia juxta [t] Barralium inchoata, qua [u] Gratianopoli imminebat, ſive expugnanda ſive aſtu intercipienda. Sabaudus ſucceſſu elatus cum copiis recentibus late victor incedens jam paene totam Mauriennam receperat: quo magis ſibi maturandum ratus Diguierius, antequam hoſtis majores progreſſus faceret, aut ſuis animi conciderent, conſilium dilatum et aliquoties ob difficultates varias omiſſum repetit. Locum tenebat [w] Bellogardius cum VII ſignis, et munitiones coeptas in dies approperabat. Per peritos noctu ad lunae ſplendorem locus luſtratus; compertumque venientibus

INTERPR. [a] *de Baviere, & de Cleves.* [b] *de Liege.* [c] *Meſſieurs les Cantons des ligues des hautes Allemagnes.* [d] *les Ligues Griſes.* [e] *Colonneſi, & Orſini.* [f] *Monaco.* [g] *Piombino.* [h] *Sala, & Colorno.* [i] *Bretagne.* [k] *St Malo.* [l] *Rennes, Tours, Blois, & Orleans.* [m] *S. Germain.* [n] *le Greffier.* [o] *le Herault d'Angouleſme.* [p] *le prevoſt des marchands & les eſchevins.* [q] *le chevalier du guet.* [r] *les ſergens du chaſtelet, & les archers de la ville.* [ſ] *Aiguebelle.* [s] *de Crequi.* [t] *Barraux.* [u] *Greneble.* [w] *de Bellegarde.*

venientibus Gratianopoli ad dextram [a] in angulo forcipem eminere, ab eoque latus ſecundum [b] Iſaram ad imam munitionem porrigi, per quod ſcalis admotis ad pomoerium, quod vix duas orgyias cum ſemiſſe altum eſſet, miles eniti poſſet; foſſam per viam apertam a foſſoribus in exteriore labro ad exportandam terram relictam intrari juxta forcipem, qui ab ea parte muro praegrandi regitur; eoque facilius ſubiri, quod ubi miles ad eum locum ſuperato colle pervenerit, colligendae animae ſpatium in tuto nanciſcatur. Igitur Diguierius, qui Gratianopoli erat, locum tentare certus, cccc equites et CIↃ CC delectos pedites ex vicinioribus praeſidiis evocat, et per mediam urbem ſupra pontem Iſarae impoſitum tranſire jubet, pronnnciato, quo magis falleret, in Mauriennam itinere, ubi Sabaudus bellnm gerebat, de Sanbartholomaea munitione, quam ſibi abunde muniviſſe et rebus omnibus firmaſſe videbatur, ſecurus. xxx ſcalae in eam expeditionem ſummo quam fieri potuit ſecreto fabricatae, atque in [c] pervigilio Ramalium navigio impoſitae cum crepitaculis duobus, atque adverſo flumine ad locum deſignatum tendere juſſae. Tum ſequens nox trajiciendis in adverſam ripam, qua ad hoſtes ibatur, per navigia copiis inſumpta. Quibus actis Diguierius poſtridie, qui in Eid. Mart. incidebat, ſub horam ſextam matutinam in viam ſe dat; et ad nonam cum ſuis ad [d] Lombinum pagum ſe conjungit, et quid ſui conſilii eſſet belli ducibus tunc primum aperuit; productaque munitionis in tabula exacte delineata figura, et rei exequendae rationibus diligenter diſcuſſis, conſilium placuit, et ita ordo compoſitus. Abel [e] Berengarius Morgius primum agmen ducebat, et VIII ſcalas ſecum habebat, quibus ſingulis x loricati attributi. Secundum [f] Hercules equitum alae Diguierii vicarius, cui VI ſcalae datae: [g] Auriacus in III agmine III ſcalas portandas ſuſceperat: [h] Marvius [i] Sanjuliani alae vicarius totidem, qui ultimum agmen claudebat: ſingulis agminibus attributi ſinguli viarum et locorum indices. [k] Bimarto et Sagio ductoribus negotium datum, illi ut ad poſticum, quod Gratianopolim ſpectat, huic ut ad portam principalem, quae Monmelianum reſpicit, crepitacula admoverent; eodemque tempore [l] Favelius cum delecta peditum manu per omneis munitionis partes pugnam ciere juſſus, ut praeſidiarios quo tenderent per tenebras incertos pluribus locis occuparet, et, ubi impetus fiebat, rariores eſſent defenſores. Supra munitionem a tergo [m] Barra cum equitatu miſſus, ut auxiliares, ſi qui [n] Monmeliano aut Camberio ſummitterentur, interceptos caederet. Rebus ita inſtructis ſub horam decimam veſpertinam Diguierius loco propinquat, et, ſcalis ac crepitaculis diſtributis, ex equis deſcendere juſſos, qui iis portandis deſtinati erant, praemittit; ac rivulis aliquot a pedite tranſmiſſis, ubi cuncti convenere, principium oppugnationi factum, jam excitatis praeſidiariis, per ſtationarios monitis procul igneis in hoſtico conſpici: quod a lixis per laſciviam abſentibus dominis factum paene conatum diſturbavit. Luna tunc ſubluſtris erat, eoque admotae minore cum tumultu ſcalae; quarum cum nonnullae confractae eſſent, aliae ſubito erectae; tantaque alacritate res geſta, ut, defenſoribus ubique, quo clamor irrumpentium et fragor armorum vocabat, diſcurrentibus, tandem noſtri per illam partem pomoerii potentes poſt exiguum certamen, in quo ex hoſtibus circiter C cecidere, loco potiti ſint, ceteris per pomoerium in foſſam ſe demittentibus, et effugium, qua commodum videbatur, quaerentibus. Captus Bellogardius cum paucis aliis. Repertae VI murales machinae, III campeſtres, cum magna vi pulveris, pilarum et annonae non exigua copia. Ex noſtris unus centurio deſideratus, et [o] Buiſſo in maxilla ictu ſcloppeti ſauciatus, aliique pauci vulnerati. Haec munitio majore vanitate an imprudentia a Sabaudo exaedificata

*INTERPR. [a] *une tenaille qui fait le coing.* [b] *l'Iſere.* [c] *la Veille des Rameaux.* [d] *Village de Lombin.* [e] *de Berenger Sr de Morges.* [f] *le Sr d'Hercules.* [g] *d'Auriac.* [h] *le Sr de Marvieu.* [i] *de S. Julien.* [k] *les capitaines Bimart, & le Sage.* [l] *le Sr de Favel.* [m] *le Sr du Bar.* [n] *Montmelian, & Chambery.* [o] *le Sr du Buiſſon.*

exaedificata ſit, in incerto reliquit eventus; quippe cum ex Monmeliano, pari fere intervallo a [a] Gratianopoli, cui per eam imminebat, diſtante, inſidias commode poſſet ſtruere, et exſtructa illa minime quieturos noſtros appareret, donec eam caperent, utpote in ditione regia ſitam; eaque capta pedicae, quas Gratianopoli nectebat, Monmeliano imponebantur. Commodum autem accidit, ut ſub id caperetur, cum delegati in pacis negotio laborarent: nam niſi ea reddita noſtros nunquam de pace aſſenſuros conſtabat; et de ea non tradenda obſtinate pugnaturum Sabaudum minime dubitabatur. CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

IX. TRANSACTIS de pace conditionibus Carolus Croius [b] Araſchoti dux, Franciſcus Mendoza Arragoniae maris praefectus, Carolus Ligneus Arenbergii comes, aurei velleris equites, Joannes Richardotus ſanctioris concilii praeſes, Ludovicus Velaſcus rei tormentariae praefectus, et Ludovicus [c] Verrikenus in Galliam miſſi ſunt: et Araſchotius quidem, Mendoza, Arenbergius et Velaſcus tanquam obſides, Richardotus et Verrikenus ut cum rex pacta jurejurando confirmaret adeſſent. A Franciſco [d] Aureliano Fani-Pauli comite Picardiae praeſide honorifice in limite excepti ac Lutetiam deducti ſunt cum CCCC nobilium Belgarum, Hiſpanorum, Italorum comitatu, et ad regem ſalutandum Kal. Julias in arce [e] Luparae admiſſi ſunt. Richardotus pro collegis verba fecit; et, gratulatus regi de pace, eam communi Chriſtiani orbis paene per diſſidia inteſtina collabentis bono inſtauratam dixit, et ut diuturna eſſet comprecatus eſt. Biduo poſt magna pompa in majore urbis baſilica jurisjurandi ceremoniae peractae ſunt. Rex cum IↃC e delecta nobilitate egregie ornatis in equo ad templum perrexit. Praecedebant eum [f] Monpenſerius, Nemoroſius, Nivernius duces, [g] Jonvillae princeps, Sommativae comes, [h] Arvernorum comes, [i] Eſpernonius et Bironus. H. [k] Monmorantius equitum magiſter ſolus ante regem, Rogerius [l] Bellogardius hipparchus proximus poſt regem itidem ſolus incedebat. In templo erant tres uraniſci ante altare ſuſpenſi; in quorum medio rex, poſt ſacrum ab Alexandro Medice [m] cardinali pontificio legato celebratum, hinc legatis ad laevam, inde cardinali ad dextram praeſentibus, pacis pactiones a Villaregio, aſtante Philippo [n] Huralto Cevernio cancellario, recitari juſſit, iiſque poſt interpoſitum tactis ſacroſanctis evangeliis ſolemne jusjurandum confirmatis ſubſcripſit. Inde ſparſa in vulgus miſſilia, et inter feſtas populi acclamationes ad aedeis epiſcopaleis in proximo itum eſt, ubi lautiſſimo convivio legati accepti, et proſperae Philippi valetudini a rege coram iis honorifice propinatum fuit. Poſtea et in Lupara celebratae choreae, et repetitae regales epulae. Etiam in gratiam Araſchotani [o] Croium oppidum, a quo illuſtriſſimae familiae nomen, in noſtro limite ſitum, ducatus titulo inſignitum; eaque de re diploma regium confectum in ſenatu recitatum fuit. Poſtea dimiſſi cum ampliſſimis muneribus legati. Bironus mox dux et par Franciae a rege creatus cum Pomponio [p] Bellevreo et Sillerio Bruxellas mittuntur, ut eodem officio apud archiducem defungerentur; qui pari honorificentia accepti ac remunerati ſunt. Id exeunte Junio actum. Philippus ipſe pactionibus ſubſcripſit IV Eidus Julias; et paulo poſt Gulielmus [q] Vadagnius Boteonus, qui paulo ante in equitum S. Spiritus ordinem allectus fuerat, [r] Camberium miſſus eſt, ut Sabaudum in pacis leges ſacramento adigeret.

X. REX tunc [ſ] Moncelli erat; qui, ut verbis, ſic etiam ut ſe facto quietis ſtudioſum populis ſuis approbaret, et publicam ſecuritatem in regno conſtitueret, ex principum, procerum, aliorumque qui circa ipſum erant, conſilio, edictum condidit pridie

INTERPR. [a] *Grenoble.* [b] *le duc d'Arſchot.* [c] *Verreicken.* [d] *d'Orleans comte de S. Paul.* [e] *le Louvre.* [f] *les ducs de Montpenſier, Nemours, & Nevers.* [g] *de Joinville.* [h] *d'Auvergne.* [i] *le duc d'Eſpernon, & le mareſchal de Biron.* [k] *le conneſtable de Montmorency.* [l] *de Bellegarde grand Eſcuyer.* [m] *le cardinal de Florence.* [n] *Hurault de Cheverny.* [o] *Croy.* [p] *de Bellievre, & de Sillery.* [q] *de Gadagne de Botheon.* [r] *Chambery.* [ſ] *Monceaux.*

pridie Nonas Sextileis, quo uſum promiſcuum ſcloppetorum minorum et majorum cunctis iter facientibus, cujuſcunque conditionis eſſent, interdicebat, data facultate cuivis de populo, ut repugnantes ſiſterent, et in proximos regios carceres traderent, ſcloppetis in arcem proximam regiam illatis, et equis ac ceteris armis ei qui eos cepiſſet pro praemio cedentibus; ſi par non eſſet ad eos ſiſtendos, ad pulſum tintinnabuli plebs vicina convocaretur. Excepti ab edicto [a] CCCC ſatellitii regii equites, quibus cum paludamentis in aulam venientibus per viam publicam his armis uti permiſſum; [b] hoſpitii item regii ſatellitibus, magiſtri equitum et tribunorum equitum praepoſitis, ac ſuccinctorum quaeſitorum ſatellitibus: alae item regiae levis armaturae, quam Gilbertus [c] Cureus ducit; alae [d] Caeſaris Vindocini cui [e] Eureus, ac tertiae cui [f] Loppius praeeſt: permiſſum et nobilibus, ut in praedus ſuis ad venationes his armis utantur. Edictum tam ſalutare obvio favore exceptum, et in ſenatu Eidibus ejuſdem menſis promulgatum fuit, addito, ut tribunorum equitum praepoſiti ac ſuccincti quaeſitores diligenter operam dent, ut res executioni demandetur, eaque de re acta publica confecta in ſenatum mittant; eo tamen temperamento, ut qui contra edictum feciſſe arguetur, ſi domicilium habeat, apud judicem ordinarium cauſam dicat, et damnati ad ſenatum appellare poſſint; errones et vagi ſupremae praeſidialium judicum juriſdictioni ſine appellationis beneficio juxta regias conſtitutiones ſubjaceant. Eodem menſe, dum rex adhuc Moncelli eſſet, matrimonium inter Catharinam regis ſororem et Henricum [g] Lotharingum Barri ducem, poſt multas ſubortas ob religionis cauſam difficultates diu agitatum, tandem contractum eſt, celebratione nuptiarum in proximi anni principium dilata; tabulaeque de eo confectae, quibus ei ex patrimonio tam paterno quam materno aſſignata LX CIƆ librarum annui reditus, ac praeterea in dotem data CCC aureorum CIƆ ſemel exſolvenda, et mundus omnis muliebris, qui Labretanae domus fuerat, ei a matre teſtamento legatus. Dein Nonis Septembribus ſenatuſconſultum contra Gulielmum [h] Roſam Silvanectenſem epiſcopum, Hieronymo [i] Montholono referente, factum, quo ille in principe palatii claſſe, coram ſenatu et treviris aperto capite ſtans declarare jubebatur, ſe temere et inconſiderate, poſtquam in gratiam a rege receptus eſſet, propalam gloriatum fuiſſe, quod ab initio Henoticae factioni nomen dediſſet, et nunc, ſi eadem tempora recurrant, dare paratum eſſe; inſuper deteſtari librum ab Ludovico [k] Aureliano uno ex confoederatis Catholicae expoſtulationis titulo evulgatum, quo multa in Deum impia et contra regiae majeſtatis cultum contumelioſa continebantur; quem tamen librum publice antea laudaſſe et adjectis ad marginem notis approbaſſe convictus fuerat: praeterea C aureis in alimoniam carceribus detentorum mulctatus, et Silvanecti acceſſu ad annum, totoque eo tempore ad populum conciones habere prohibitus eſt. Id graviter decretum cum eſſet, rei ſeu contumacia ſeu pertinacia effectum eſt, ut non minore ſeveritate executioni demandatum ſit. Nam cum Roſa cum pontificia veſte pridie coram judicibus comparuiſſet, tunc cum ad rem ventum eſt, a treviris ex ſenatus mandato, qui hunc honorem dignitati habere voluit, monitus fuit, ut ſacri magiſtratus inſignia deponeret: quod cum ab homine praefractae audaciae non obtinuiſſent, eo in ſenatum, ſicuti amictus venerat, introducto, ſenatuſconſultum recitatum fuit, et ipſe actuario praeeunte declarationem ſenatuſconſulto comprehenſam ignominioſe peregit.

XI. PAULO poſt ſacer ordo, ex omnibus regni provinciis permiſſu regis miſſis delegatis, Lutetiae conventum celebravit; placuitque inter eos, ut ſupplici oratione apud regem intercederetur. Pro univerſis verba fecit Franciſcus [l] Gueſlaeus Turonum archiepiſcopus.

INTERPR. [a] *les 400 archers des 4 compagnies à cheval des gardes du corps quand ils ſerviroient leurs quartiers.* [b] *les archers de la Prevoſté de l'Hoſtel du roy, de la Conneſtablie & de la Mareſchauſſée de France.* [c] *de la Curée.* [d] *Ceſar duc de Vendoſme.* [e] *le Sr d'Eure.* [f] *de Loppes.* [g] *de Lorraine duc de Bar.* [h] *Roze eveſque de Senlis.* [i] *Montholon rapporteur.* [k] *d'Orleans.* [l] *de la Gueſle archeveſque de Tours.*

archiepiſcopus. Praeter ſingularia poſtulata, poſt deploratum multis verbis terum ſtatum et corruptos ubique ob contemptam religionem mores ac diſciplinam, haec a Gueſlaeo palam petita, ut ſanctum concilium Tridentinum promulgetur, iis exceptis quae eccleſiae Gallicanae libertates et immunitates et ſupremarum curiarum privilegia ſpectant: ne ſua majeſtas nominationibus epiſcoporum et coenobitarum, aliorumque ſacerdotiorum, quae curam animarum annexam habent, conſcientiam ſuam oneret: penſiones ex ſacerdotiis delibari ſolitae, ut laicis perſonis attribuantur, revocentur: bona ſua eccleſiaſticis libera maneant, abſque ullo onere alio, quam quo ad munus ſuum accurate peragendum obligantur: templa aliaque ſacra loca in profanos uſus minime convertantur, ruinaeque eorum diligenter ſarciantur, ne illarum praetextu ſacerdotes ad gregem ſuum paſcendum ſint minus aſſidui: gratiae in futurum vacantium beneficiorum, ne votum captandae mortis per eas inducatur, conceſſae revocentur: contractus a ſacro ordine cum rege facti ſerventur. Ad ea brevi oratione a rege reſponſum: de corruptis moribus et malis ob contemptam religionem exortis ſibi admodum dolere; ſed haec non ſe primum rege nata; imo ad ea extinguenda protinus accurriſſe, et in bello armis pace parta nullum non a ſe tentatum remedium: ſcire ſe, pietate et juſtitia tanquam firmiſſimis fundamentis imperia ſtare, quae, etſi abeſſent, ipſe conſtituere in animo habeat: ſed pedetentim in eo negotio, ut aliis in rebus, progrediendum: ſe daturum operam, ut eccleſia priſtinum ſplendorem, et qualem c ante annos habebat, ſe rege tandem reciperet: ipſi exemplo proprio faciant, ut populus ad benefaciendum deinceps tantum incitetur, quantum huc uſque ab officio revocatus eſt: ipſorum hortatus bonam in partem accipere; viciſſim eos hortari, ut officii ſui memores in eo exſequendo ſint aſſidui; ſic enim fore, ut ſi ipſe regiam, illi ſuam inſiſtant viam, concurrentibus utriuſque votis et animis, publicum negotium brevi confectum detur: verba ipſis hactenus data; ſe cum paludamento ſuo pulverulento pro verbis facta repraeſentaturum: foris alios ornatum praeferre; ſe totum intus aureum: de cetero curaturum, ut ad ſingularia eorum poſtulata de conſiſtorii ſententia ſingillatim reſpondeatur. CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

XII. Ex eo conventu occaſionem cepere Jeſuitae ante quadriennium ſenatuſconſulto Pariſienſi regno exacti, ſed in quibuſdam aliis regni curiis, ut [a]Toloſae et Burdigalae, nihilominus retenti, libelli ſupplicis regi offerendi, qui a Ludovico [b]Richomio ex eo ſodalitio ſcriptus, et typis, ut per omnium ac praecipue aulicorum manus volitaret, expreſſus eſt: ab eoque tempore non deſtitere in obſecrationibus ac commendationibus undique quaeſitis aſſidui, legatis pontificiis nihil non in eorum gratiam facientibus, donec tandem, poſt conſtantem quinquennii pertinaciam, voti compotes evaſere. Durum illis et acre initio in aula certamen fuit, et quamdiu Cevernius cancellarius ſuperfuit; quippe qui veteri diſciplinae eccleſiaſticae in Gallia receptae inſiſtendum, neque novos ordines, propter tempora quae inciderunt merito ſuſpectos, temere admittendos cenſeret. Sub id treſviri cum in ſenatu inſtarent, ut ſenatuſconſultum Kalendis Octobribus proximis contra Ludovicum Juſtum [c]Turnonium factum executioni demandaretur, et ipſe in poenas ſenatuſconſulto indictas incurriſſe pronunciaretur, praeterea ut juxta ſenatuſconſultum contra presbyteros et ſcholaſticos de nomine ſocietatis JESU dictos anno exeunte CIↃ IↃ XCIV itidem factum renovaretur; eos quippe in damnata et deteſtanda doctrina, quam pueris inſinuant, perſeverare, et ad eam execranda documenta et voce et libris per regnum ubique publicata quotidie adjicere; ſenatus denuo ſuam auctoritatem interpoſuit, et Turnonium in poenas ſenatuſconſulto indictas incurriſſe pronunciavit, ejus bona annotanda cenſuit, eum ſeneſcalli Arvernorum officio privavit, et indignum declaravit qui

INTERPR. [a] *Toulouſe & Bourdeaux.* [b] *Richeome.* [c] *de Tournon.*

CIↃIↃXCVIII.
HENRICUS IV.

qui alio munere publico deinceps fungeretur: ne qui pueros in eorum ſcholas ſtudiorum gratia mitterent, denuo inhibuit; contra eos qui miſiſſent, cognitori regio ut inquireret mandavit: qui ab eo tempore in illorum ſcholis operam literis dediſſent, omni jure et praerogativa in aliis academiis adipiſcenda indignos cenſuit. Id actum xv Kalendas Septembreis. Quod ubi per Turnonium Toloſae cognitum eſt, nam in ſenatus illius territorio Turnonium ſitum, ſtatim ſenatuſconſultum contrarium inſtante [a] Septimaniae ſyndico factum ix Kalendas Octobreis, quo tam ipſe Turnonius, quam magiſtratus, conſules, aliique quicunque ſenatus juriſdictioni ſubjecti perhibentur, presbyteris ac ſcholaſticis ſocietatis JESU in munere ſuo obeundo impedimentum afferre, aut eos in bonorum, quae tenent, poſſeſſione turbare, et ſenatus Toloſani juriſdictioni ſubjectos, quo minus pueros ad literas perdiſcendas Turnonium mittant, impedire, prohibebantur, poena x CIↃ aureorum in eos qui contra facerent conſtituta. Rex ea decretorum inter ſe pugnantium concertatione, ut quae ad auctoritatem ſuam pertineret, merito offenſus, auctore Cevernio impetum ceperat diplomatis emittendi, quo Toloſanum revocabat, et ſenatuſconſulti Pariſienſis ante quadriennium in [b] Caſtelli paricidae cauſa facti promulgationem Toloſae et Burdigalae curiis imperabat. Verum ab aulicis quibuſdam, qui aliter de republica ſentiebant, in praeſens res dilata; atque poſtremo, uſitata inter nos procraſtinandi ſolertia, omnino eluſa eſt.

XIII. INCLINATA dein tempeſtate cum aeſtus jam deferbuiſſet, Alexander Medices cardinalis, poſt operam adeo feliciter in pace facienda navatam, de commeatu petendo a rege cogitare coepit. Antequam diſcederet, rex eum familiariter in aedibus ſuis inviſit, medio inter eos [c] Sillerio, quem veluti interpretem in ſecreti partem aſciverat; et poſt exquiſita honeſtatis praeconia, ad pacem, quam ſecundum Deum pontifici et ipſius ſolertiae ſe debere profitebatur, in regno firmandam certo ex ſe genito herede opus eſſe oſtendit: tum de matrimonii ſui diſſolutione agit, eamque ut apud pontificem commendatam habeat rogat. Inter hos ſermones cum affectata digreſſione mentionem [d] Eſtracae rex injeciſſet, et puellae mores perſpectamque erga ſe charitatem efflictim ipſum depereuntis exquiſitiſſimis verbis laudaret, exhorruit prudentiſſimus et elati animi ſenex, ut qui plus eo facto periculi, quam bello per pacem compoſito ſublatum eſſet, regno creari provideret: et cum attentum ſe huc uſque praebuiſſet, antequam rex ulterius progrederetur, ſilentio abrupto praefracte reſpondit, ſibi abunde eſſe quod pontificis regiſque in pace facienda deſiderio ſatisfeciſſet: optaſſe ſe saepius, ut qui primus paci tantopere expetitae dies illuceſceret, idem vitae ſuae poſtremus eſſet; nunc cum eam ſe ſuperſtite confectam dederit Deus, nec aliud praeterea mandatum habeat, hoc unum ſupereſſe, ut quam primum Romae ſe ad pontificem ſiſtat, eique legationis ſuae rationem reddat: hoc ut ſibi cum bona regis gratia liceat, loco ſummi beneficii et pro tot exantlatorum laborum unico praemio petere. Ita ſolutum colloquium, poenitentia haud dubie regem ſubeunte, quod tam familiariter de eo matrimonio cum cardinali collocutus eſſet. Cardinalis autem non contentus hoc reſponſo prorſus alienum ſe a regis voluntate oſtendiſſe, cum principes et proceres ſalutaret, primarios monuit, curarent ut rex conſilium ſibi pudendum, regno perniciosum, omitteret; alioqui fore ut eos everſi regni reos poſteritas argueret: ſe pace conſtituta tanti criminis inſontem Francia pedem efferre. Cum igitur poſt ejus digreſſum Silletius Romam orator de matrimonii diſſolutione acturus mitteretur, inter mandata hoc praecipuum habuit, ut regem de ſecreto illo conſilio mutaſſe cardinali Florentino perſuaderet, ceterum ejus opera in eo negotio minime uteretur. Miſſo

Romam

INTERPR. [a] *le ſyndic des Eſtats de Languedoc.* [b] *Chaſtel.* [c] *Brulart de Sillery.* [d] *Gabrielle d'Eſtrées.*

Romam Sillerio rex ad ducem ſenatumque Venetum, optime de ſe regnoque univerſo meritum, Jacobum Auguſtum Thuanum jam pridem huic muneri obeundo deſtinatum mittere decreverat. Sed cum ad explicandas in edicti Namnetenſis, cui totum biennium cum Schombergio, [a] Vico, et Calignone impenderat, promulgatione difficultates ſibi ejus operam neceſſariam judicaret, eum penes ſe retinuit, et Antonium [b] Seguierium praeſidem Pariſienſem Venetias legavit. Paulo poſt rex periculoſiſſime aegrotavit, ſic ut per biduum nulla vitae ſpes ſupereſſet, ingenti omnium luctu ad quos rei fama emanavit; quippe qui tot victoriarum fructum et pacis nuper factae beneficium per ejus mortem, quam tot motus ſecuturi eſſent, ereptum dolebant. Sed brevem luctum mox, cum ex eo morbo convaluit, plena et geminata poſt pacem laetitia ſecuta eſt, actaeque toto regno Deo gratiae, et ſupplicationes celebratae.

XIV. Hoc menſe Septembri, qui ultimus olim Carolo V Caeſari fuit, Philippus in vivis eſſe deſiit; qui et eodem prorſus conſilio, quo parens ejus cum imperio ac regnis renunciaret uſus fuerat, ſibi utendum duxit; et ut ille in Hiſpaniam ob vitam ſolitariam diſcedens inducias, ſic hic moriturus pacem relinquere voluit, veritus ne filius, armorum aeque ac negotiorum ob infirmam aetatem inexpertus, in primis regni auſpiciis contra invictiſſimum principem, eundemque fortiſſimum ducem, belli neceſſitate impingeret. Junio praecedenti [c] Mantuae Carpetanorum, ubi tunc erat, cum feſtis ludis ac ſpectaculis, quae magno concurſu in beati Joannis Baptiſtae pervigilio celebrari ſolent, intereſſe non potuiſſet, arthritidis doloribus admodum vexatus, et Philippo filio praeſente cuncta laetitiae publicae ob factam jam pacem tranſacta fuiſſent, ſenſim ſe debilitari ſentiens, contradicentibus medicis [d] Fanum Laurentii transferri voluit: nam alioqui fore, ut brevi ex eo loco, in quo tunc erat, illuc mortuus eſſet transferendus; at potius velle, ut vivus quam mortuus illuc transferretur. Fanum Laurentii a Mantua VI leucis abeſt; quo, hominibus in lecto aegrum ſuccollantibus, VIII dierum ſpatio vectus eſt: et melius primo habere viſus, quanquam pedibus inſiſtere non poſſet. Sed mox gravioribus chiragrae et podagrae quam antea doloribus oppreſſus, et hemitritaeo ſuperveniente, de ſalute aeterna cogitare coepit; et XI Kal. Sextileis, qui beatae Magdalenae ſacer eſt, ſacra confeſſione ac ſanctiſſimae euchariſtiae viatico procuratus, mandavit, ut quamprimum Garſias Loaiſa Philippi principis praeceptor, poſt renunciatam ab Alberto archiduce dignitatem archiepiſcopus Toletanus deſignatus, a Camillo Cajetano patriarcha Alexandrino, qui tunc oratoris pontificii officio apud ipſum fungebatur, in epiſcopum conſecraretur, ut ſibi in extremis agenti praeſto eſſet. Quae dum ritu ſolemni fiunt, abſceſſus in geniculo dextro quaſi malignum ulcus crevit, adeo dolorificus, ut nullatenus interquieſceret: quo ex [e] Oliae medici Toletani ſententia aperto, dum pus manat, dolor aliquantum mitigatus. Sed quatuor alii ſuperius in pectore ſtatim enati ſunt, quia tam bene ceſſerat itidem aperti; quos, pravo humore ſe per totum corpus diffundente, pediculorum tanta eluvio ſecuta eſt, ut vix induſio exui, et a quatuor hominibus paulum ſuſpenſo in linteo corpore, quantum per infirmitatem licebat, a duobus aliis per vices detergi poſſet. Demum poſt tertianam febre hectica ſemper eum conficiente, et accedentibus ad eam plagoſis in manibus et pedibus ulceribus, dyſenteria, teneſmo, ac hydropiſi jam manifeſta, et verminante ſemper illa pediculorum eluvie, tamen inter tot dolores, quibus afflictus lecto ſe moliri non poterat, ſummam conſtantiam ſervavit, donec Kalendis Septembribus graviſſimo paroxyſmo correptus paene defecit. Itaque Philippum filium et Claram Eugeniam Iſabellam filiam dilectiſſimam, quam ſpeculum et lucem oculorum ſuorum vocare conſueverat, accerſi juſſit, et ab archiepiſcopo

INTERPR. [a] *de Vic, & de Calignon.* [b] *le preſident Seguier.* [c] *Madrid.* [d] *S. Laurent de l'Eſcurial.* [e] *Olias de Tolede.*

CIƆIƆXCVIII. HENRICUS IV.

archiepiſcopo Toletano coram iis aliiſque aulae proceribus poenirentiam accepit; quod eſt genus conſecrationis inter principes magnateſque Hiſpanos jam olim uſurpari ſolitae, cujus beatus Iſidorus in chronico Viſigothorum legibus praefixo, cum de Bamba rege loquitur, mentionem facit; aliud ab extrema unctione, qua paſſim in eccleſia ntimur. Ceremoniis peractis adamantem magni pretii, quem ab Eliſabetha uxore acceperat, ex arcula a Joanne Roderico Velaſco promptum, filiae, tanquam fidei ſuae commiſſum ut ei reſtitueret, exquiſita prius filii voluntate, donavit, eamque enixe ipſi commendavit. Tum monita filio dedit, quae ſibi deſcripſerat et inter arcana ſervabar, eadem videlicet quae Ludovicus IX olim Philippo filio dederat, ſicuti a Joanne [a] Jonvilla ſacri cubiculi ejus praefecto et Roberto [b] Gaguino in ſanctiſſimi illius et prudentiſſimi fortiſſimique regis vita referuntur. Tum qua pompa funerari vellet diſtincte praecepit; etiam arca aerea, qua includendus erat, coram ſiſti juſſa, et corona regia larvae oſſeae deſuper impoſita, ut earum rerum, quae tot doloribus ipſum diſcruciantibus brevi finem allaturae erant, conſpectu ſe ſolaretur. Poſtea [c] Mondejarae marchionem captivum libertati reſtitui juſſit, ea lege, ne in aulam deinceps admitteretur. Uxori item Antonii [d] Pereſii, qui apud nos poſt [e] Caeſaraugustanum tumultum perfugium habuit, permiſit, ut ex carcere, quo attinebatur, in monaſterium ſe conferret, bonaque quae ipſius erant ei reſtituit. Ob venationes vinctos ſolvi juſſit, et damnatis ad mortem vitae gratiam fecit. [f] Chriſtophorum Moram tanquam ſibi ſumme fidum ex omnibus domeſticis praecipue filio commendavit: a quo cum ille clavem repoſceret, Mora, niſi conſulto prius patre, eam reddere recuſavit: tanta fidei, cum nullum ejus praemium ſperaretur, viro optimo cura fuit, ut principi diſplicere quam officio deeſſe maluerit. Ingraveſcente tandem malo quatuor ante mortem diebus imaginem Chriſti cruci affixi Ferdinando Toletano tradente in manus ſumpſit, quam parens ejus tenens ante XL annos eodem menſe exſpiraverat, in hac ſe exſpirare velle dictitans. Flagellum etiam ſanguinolentum depromi juſſit, quo parentem ſuum pro diſciplina uſum eſſe affirmabat. Cavit etiam ut corpus ſtatim atque apertum induceretur, atque aperiendo ſolus Chriſtophorus Mora intereſſet: ac poſt commendatum rurſus Moram, et impertitam filiis benedictionem, dimiſſis illis ad extremum vocem omnino amiſit; et hyacinthini nihilominus liquoris, ad cogendos ſpiritus et aliquandiu poſt defecta nativo calore membra in corpore retinendos excogitati infeliciter remedii, beneficio vitam biduum adhuc produxit, ac denique Eidibus Septembribus, quae in diem Dominicam incidebant, animam Domino ſuo repoſcenti reddidit, cum XL annos regnaſſet, LXXII vixiſſet. Fuit ſtatura brevi, ſed venuſta; vultu gravi, ſed jucundo; bene compactis membris, ſufflavo crine, valetudine [a] firma. Si Fridericum III Caeſarem excipias, cunctos majores ſuos longaevitate ſuperavit. Fuit elato ingenio ac ſagaci; in otio negotii appetens; in rebus gerendis accuratus; ex calamitatibus alienis emolumentum captans: quibus artibus, quae a patre acceperat, tueri et augere potuit; ſed eo patre minor, quod pater, quae ſucceſſio et fortuna detulerant, ſi non habuiſſet, ea virtute quaeſiturus videbatur; filius quae ſucceſſione relicta habuit, ſi non habuiſſet, neque quaeſiturus putatur. Pietatis, quam tota vita praecipuam prae ſe tulit, indicio eſt Laurentii Fanum, quod ſuperbis admodum aedificiis ornatum ampliſſimis vectigalibus locupletavit.

XV. FORTUNAM magnam et tamen variam expertus eſt. Laeta duabus victoriis contra Gallos partis regni initia [g] Gerbenſis clades turbavit, et foeda in Belgium mox incumbens tempeſtas; quam dum ſeveritate ſedare ſperat, majores in opulentiſſimis omnium

VAR. LECT. [a] firma, niſi quod vertiginibus interdum tentabatur, quod familiare in illa gente eſt. Si Fridericum *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le Sr de Jonville.* [b] *Gaguin.* [c] *Mondejar.* [d] *Perez.* [e] *de Saragoce.* [f] *Chriſtoval de Moura.* [g] *deffaite des Iſles des Gerbes.*

CIϽIϽXCVIII

HENRICUS IV.

omnium quas habebat provinciis motus excitavit, ipſi Belgio ac rebus ſuis poſtremo exitiabileis. [a] Granatenſium defectionem dein ſecuti exitus ſecundi, duce Joanne Auſtrio, quo eodem duce parta celeberrima ad [b] Echinadas contra Selimum victoria; quanquam majorem in ea ſibi laudis partem Veneti fortaſſe merito ſuo vindicent. Neque plus gloriae ex eo bello quam invidiae a Philippo reportatum, quippe Cypro florentiſſima totius Mediterranei maris inſula amiſſà, et tergiverſatione Hiſpanorum negatis in tempore ad ejus recuperationem auxiliis: quod pacis citra foederatorum conſenſum maturandae cauſa extitit. Arridebant initio proſperi in Belgio ſucceſſus, Albani duritiem et imperioſam dominationem adjuvante fortuna, et Gallis per mutuam lanienam pro Hiſpani nominis amplificatione certantibus. Sed Albani pertaeſus Philippus, eo revocato, alia atque alia in paeandis illis provinciis ratione deinceps inſtitit, ſemper infelici exitu; quippe poſt fidem toties violatam difficili inter principem et ſubditos concordiae via. Amiſſa interim [c] Goleta in Africa et Tunetanum cum ea regnum, quod ſervari non ſolum ad famam, ſed ad ſecuram toto illo mari navigationem, maxime ſua intererat. Verum haec clades [d] Luſitaniae regni per Sebaſtiani et Henrici regum ſucceſſionem ad ſe delati, et vi armorum nihilominus quaeſiti, adeptione penſata eſt. Sed nulla re magis ſibi placuit Philippus, quam cum, Joanne Auſtrio, a quo ſibi metuebat, vivis exempto, conſilia, quae illi cum Henrico Guiſio communia erant, contradicentibus praecipuis conſiliariis reſumpſit, et, novo foedere anno CIϽ IϽ XXCV inito, bellum civile in Gallia tot edictis ſalutaribus ſopitum, invito Henrico III, renovavit; eo eventu, ut, Henrico ipſo et Guiſio belli incentore miſerabiliter abſumptis, cum votorum ſibi compos videretur, ardente paſſim Gallia, ut oleum incendio adderet, vireis proprias, quae in ſuo melius occupabantur, in alieni regni invaſione incaſſum fatigaverit. Nam ab eo tempore firmatae provinciarum foederatarum opes, et infracta Hiſpanorum in Belgio potentia; ut nulla alia priſtinae in his locis retinendae auctoritatis ratio reperiri potuerit, quam per plenam eorum, quae in terra Francia capta fuerant, reſtitutionem. Hic belli tam ambitioſe adverſus Galliam ſuſcepti finis, hoc pacis inter duos reges principium fuit; quam prudentiſſimus ſenex adoleſcenti filio, quam bellum, relinquere maluit, abdicata a ſe ante Belgii poſſeſſione et in dilectiſſimam filiam tranſlata. Quod, ſive charitate ſive conſilio factum, plerique ſecus interpretati ſunt; cum et exemplo pernicioſum, et opinione ominoſum, re denique detrimentoſum dicerent, ut filio ſuperſtite partem in regnis ditionibuſque hereditariis filia caperet, et florentiſſimae provinciae, a quibus Auſtrii nominis incrementa coeperant, a reliquis imperii ditionibus quaſi caput a corpore avellerentur, et ita ipſum imperium meliore ſui parte mutilaretur. Inter cladeis et recenſeri debet mors Caroli filii, quem ex Maria Luſitana ſuſtulerat, ob ſuſpiciones de turbidis cum Belgii proceribus, atque adeo cum noſtrate Colinio, conſiliis conceptas, per venenum, ut creditur, accelerata; quam Eliſabethae tertiae conjugis mors ſtatim ſecuta eſt, quae Irena vulgo in Hiſpania vocabatur, quod pacis inter Gallos Hiſpanoſque vinculum eſſet. Ex ea Clara Eugenia Iſabella, quae Alberto archiduci, et Catharina, quae Carolo Emmanueli Sabaudiae duci nupſit, ſuſceptae: nam ex Maria Angliae regina, quam ſecundis nuptiis in uxorem duxerat, nulla proles nata. Ex quarta conjuge Anna Auſtria, quae Mariae ſororis et Maximiliani patruelis filia erat, treis filios ſuſcepit; ex quibus ſolus patri ſuperſuit Philippus III. Ante quadriennium, cum [e] Mantuae eſſet, Nonis Martiis teſtamentum condidit, praeceptorum gravitate, ſententiarum pondere, rerum prudentia, nequaquam cum paterno comparandum:

INTERPR. [a] *Maures de Grenade.* [b] *Lepante.* [c] *la Goulette en Barbarie.* [d] *Portugal.* [e] *Madrid.*

CIƆIƆXCVIII. comparandum: nam, quantum ad pietatem, multa in eo erant potius religioſi vitam,
HENRICUS IV. quam vere generoſos patris ſpiritus, referentia. Ante omnia mandat, ut aes omne alienum ſuum bona fide diſſolvatur; de ſylvis et locis ad venatoria oblectamenta toto regno ſepoſitis, venatione proprietariis interdicta, privatis, qui ex eo damna patiebantur, ſatisfiat: x CIƆ ducatorum ad collocandas virgines egenas bonae famae; xxx item ducatorum CIƆ ad redimendos captivos Chriſtianos, qui apud Turcos in vinculis ſunt, ac praecipue eos qui ipſi militantes in manus infidelium devenerunt, ex aerario erogentur: in eleemoſynas item et pia legata eccleſiis certis ſacta aliae ſummae aſſignatae, executoribus ſuis, quos plures nominat, omnium bonorum mobilium conſignata poſſeſſione, ut ex iis diſtractis ultimae ſuae voluntati plene ſatisfiat; quae ſi non ſufficiant, ex regnorum vectigalibus quod deerit ſuppleatur. Praeterea Romanae eccleſiae cultum commendat, ac ante omnia praecipit, ut Inquiſitionis officiales ad pullulanteis paſſim ſectas exſtirpandas praecipuo loco habeantur. Si quae controverſiae de teſtamenti ſui interpretatione oriantur, eae per juriſconſultos et theologos peritos ex aequo bonoque decidantur, ita ut major eorum qui ex teſtamento aliquid petunt, quam liberationis ſuae, ratio habeatur, et exonerandae conſcientiae ſuae cumprimis proſpiciatur. Tum praecipit, ut patrimonium omne regium, jura, privilegia, vectigalia, regnorum, ditionum ac civitatum, diligenter conſerventur, non alienentur, oppignerentur, aut dividantur; ſed unita omnia heredi ſuo ſerventur, quo magnitudinem imperii tueri et ad eccleſiae ac religionis Catholicae defenſionem majora praeſidia conferre poſſit: quod de Luſitaniae regno nuper ſucceſſione legitima ad ſe delato, inſuliſque ad regnum illud in Atlantico mari et Oriente pertinentibus, dictum intelligatur; ita ut a regno Caſtellenſi nulla ex cauſa ac nullo tempore ſeparetur. Dein heredem ſuum univerſalem inſtituit Philippum chariſſimum filium in Caſtellae, Aragoniae, Portugalliae, Navarrae regnis: in Caſtellenſi autem tanquam ei unita comprehendit [a] Legionenſe, Toleti, Galeciae, Hiſpalis, Granatae, Cordubae, Murciae, [b] Jaëni, Algarbii, Gadium regna, Inſulas fortunatas, Indias, inſulas et continentem maris oceani, maris ſeptentrionalis et meridionalis, quae jam exploratae ſunt, aut deinceps explorabuntur: ſub Aragonenſi, Valentiae, Catalauniae, Neapolis, Siciliae, Sardiniae et [c] Gymneſiarum inſularum regna: ſub Portugallenſi Algarbium, ditiones ac civitates in Africa, inſulas aliaſque ditiones in mari orientali. Praeterea eundem Philippum heredem inſtituit in Mediolanenſi principatu et Burgundiae ditionibus, repetita clauſula, ut haec omnia regna primogenito ſuo heredi filio filiaeve integra cedant, neque ullo caſu dividantur, ſeparentur, aut denique oppignerentur, niſi pacto et contractu in regni curiis id fiat, juxta formam a Joanne II [d] Pinciae anno CIƆ CCCC XLII praeſcriptam, et deinde a Ferdinando et Iſabella, ac denique a parente ſuo Pinciae itidem anno CIƆ IƆ XXIII confirmatam. Filio ſine liberis decedenti Iſabellam filiam, et Iſabellae ſine liberis itidem decedenti Catharinam ejuſque liberos eodem ordine ſubſtituit; qui ſi deficiant, Mariam [e] Auguſtam ſororem ſuam ejuſque liberos ordine ſubſtituit, ac deinceps qui lege et jure ad ſucceſſionem vocabitur, modo is vere Catholicus nec Sectaria labe inquinatus aut de ea ſit ſuſpectus. Ab unione exceptae Burgundicae ditiones, quarum nomine [f] Comitatum, Lucemburgicum principatum, Limburgum, Namurcum, Atrebates, Hannonios, Flandriam, Brabantiam, Mechliniam, Zelandiam, Hollandiam, Friſiam, Geldriam intelligit, Infanti filiae in dotem deſtinatas. Poſtremo arcanum a Carolo V ſapientiſſimo rege olim apud nos ad vitanda interregnorum, quae ſub tutoribus et regentibus interveniunt, pericula excogitatum in ſuis regnis renovavit, ſtatuitque, ut quamprimum princeps annum quartumdecimum

INTERPR. [a] *de Leon, Tolede, Gallice, Seville, Grenade, Cordoue, & Murcie.* [b] *Jaen, les Algarbes, Gibraltar, & les Iſles Canaries.* [c] *Majorque, & Minorque.* [d] *Valladolid.* [e] *l'Imperatrice.* [f] *la Franche-Comté.*

quartumdecimum attigiſſet, major haberetur, imperiumqoe per ſe adminiſtraret. Biennio poſt, cum ad Laurentii-fanum eſſet, x Kal. Sept. codicillum fecit, quo prius teſtamentum confirmabat; clauſulamque illam poſtremam praecipue addit, ſi ſe prius decedere contingeret, ut penes Albertum cardinalem, qui tunc Portugalliae praeerat, imperii praefectura, quouſque filius ad eam aetatem perveniſſet, alioſque cooeiliorum praeſides qui tunc eſſent, maneret. Tum de Navarreni regni negotio quaeſtionem toties agitatam retractat, et ſuae fidei eam a patre ſecreto codicillo commendatam dicit; ſed variis occupationibus diſtrictum noo potuiſſe illam diligenter diſcutere: proinde filio mandare, ut momenta cauſae a peritis et probis hominibus examinanda curet; oam non oiſi juſtas occupandi regni cauſas Ferdinandum et Iſabellam habuiſſe patrem et ſe ſemper exiſtimaſſe; et ea tempora poſtea incidiſſe, quae providentia divina id factum arguunt, ne nimirum regnum propter viciniam Aragoniae et Caſtellae ad omoeis caſus opportunum, et alioqui Franciae Sectario veneno ab illa parte contaminatae contiguum, in eorum poteſtate eſſet, qui eo malo infecti totam Galliam eodem inficere non deſinunt: tamen velle et jubere, ut de jure, quod in eo majores ſui habuerunt, amplius conſultetur, et, ſi quid in ea invaſione praeter jus et aequum factum comperiatur, damnum et jactura poſſeſſoribus antiquis, modo ac ratione quae videbitur aequior, ſarciatur; ita ut ante omnià religionis et regnorum ſuorum tranquillitatis ratio habeatur. Nulla re impudentius aut majore cum Numinis contumelia illuſum eſt, quam in Navarreni regni mentione toties repetita, dum pater filiuſque conſcientiae morſum prae ſe ferunt, et ejus exonerandae curam pater ſerio fortaſſe de ea cogitans in filium rejicit, et ille porro in filium, ſemper dilato oec unquam terminato negotio. Idem de [a] Finalio nuper ab ipſo in Liguria occupato, quod ad imperii juriſdictionem ſpectabat, ac praeſidio firmato, praeceptum: nam quamdiu Alexander [b] Carrectus noviſſimus principatus poſſeſſor vixit, aliis atque aliis ludificationibus procraſtinatum negotium fuit: ubi mortuus eſt, cum res omnis ad Scipionem ejus fratrem recidiſſet, Hiſpani, moram illius apud nos diuturnam ac proinde ſibi ſuſpectam cauſati, miſerum hominem ad compenſationem accipiendam adegerunt; de qua tamen ſpes tantum injecta, neque dum illi, cum haec mandaret Philippus, ſatisfactum erat. Extremo codicillo Gregoria Maximiliana Caroli archiducis patruelis filia Philippo filio uxor deſtinatur; ſed cum ea poſt pactas nuptias obiiſſet, Margarita ſoror in ejus locum aſſumpta eſt. Infans itidem Iſabella Alberto uxor deſtinata, et Belgium ei ſeu dotis ſive beneficii nomine attributum; quod ad Dei gloriam, publicae pacis bonum, regnorum levamentum, meliorem eorum atque adeo Belgii adminiſtrationem, et commercium inter Hiſpanos Belgaſque commodius liberiuſque exercendum, ex conſilio filii decretum teſtatur pater. Circumferuntur et alia ſecreta mandata, ex chartis ac brevieulis, quae ille plurima reliquit, atque ut igni poſt mortem ſuam abolerentur eodem codicillo juſſit, exſcripta. Iis ſe v CIƆ IƆ XCIV auri myriadas inutiliter conſumpſiſſe ingenue confeſſus, nullam aliud taotae operae pretium ſupereſſe dicit, praeter Luſitaniae regnum, quod tam facile amitti poſſit, quam cito concepta de Franciae regno ſpes evanuit; ac proinde optare, ot aut ſalutaribus patris monitis potius ipſe ab initio auſcultaſſet, aut filius dictis patris ſui audiens ſit: ante omnia in regna vicina inſpiceret, et ex eorum converſionibus conſilium capiens occaſione uteretur; magnates conſiliis adhibitos caute obſervaret: ad Hiſpaniam regendam haec duo neceſſaria, civilem adminiſtrationem et Indicam navigationem, ſciret: quantum ad prius attinet, aut ſacrum ordinem aut oobilitatem conciliandam; nam ſimul utroſque haberi non poſſe, nec iis totius Indiae opes ſuffecturas: ſi ſacrum ordinem optarit, coercendam intra moderationis fineis nobilitatem; ſi nobilitatem ſibi

INTERPR. [a] *Finale en la coſte de Gennes.* [b] *del Carretto.*

ſibi devincire delegerit, opes eccleſiaſticorum imminuendas, nam eorum magnitudinem cum nobilitatis gratia ſtare non poſſe: magnates et nobilitatem negotiis ac rebus praeficiendos; plebeios et infimae conditionis homines, fere ſuperbos et impotentes, non niſi cum damno reipublicae et regiae dignitatis intertrimento ad praeſecturas admitti poſſe: Belgicas provincias item conciliandas, ſi nobilitatis opera uti velit, ex iiſque primarios viros primariis dignitatibus ornandos et in aula ſua retinendos: nam Belgas cum Francis, Anglis, et Germanis amicitiam colere; plus denique in iis ad imperii ſecuritatem praeſidii eſſe, quam in Italia, Polonia, Suecia, Dania, ac Scotia: Scotorum regem egentem eſſe; Danum externorum opibus diteſcere; Sueciam diſſidiis laborare, procul ab Hiſpania ad ſeptentrionem poſitam: in Polonia proceres regibus auctoritate praepollere: Italiam licet opulentam longe a mari oceano abeſſe, et varia principum in ea ingenia, varios ſenſus eſſe: Belgas navibus abundare, in opere aſſiduos, in explorando ſedulos, in audendo conſtanteis eſſe, ac ſponte animum ac patientiam obfirmare: nec obeſſe, quod Belgium ſeu dotis ſeu beneficii nomine Infanti chariſſimae attribuerit; non enim ita a ſe Belgium abdicatum, quin in filii poteſtate maneat: nam et ipſam Infantem ejuſque liberos in perpetua ejus tutela fore, et religionis Catholicae cauſam eos cum Caſtellae corona ita conſtringere, ut nunquam inter ſe divelli queant: in navigatione Indiarum, tam Orientem verſus quam Occidentem, quibus Hiſpaniae opes, ut hodie res ſunt, fere conſtant, id animadvertendum; Franciae et Angliae potentiam non tam arctis contineri limitibus poſſe, ut ab ea omnino excludantur: utrumque regnum opibus et navigio optimo abundare; et latius oceanum patere, quam ut certa cuſtodia coerceatur: mercaturam copioſiorem, militem praedae his in regnis avidiorem eſſe, quam ut haec moderatio ab iis ſperari poſſit: primum in navigatione illa, qua imperii robur praecipue innititur, id ſervandum eſſe, ut proreges Indiarum Occidentalium crebro mutentur; quique revocabuntur, concilio Indiarum adhibeantur, alterique alteris per vices ſuccedentes quaſi exploratores apponantur: ita futurum, ut nec diuturna abſentia corrumpantur, et potius inter eos de gloria per aemulationem, quam de privato compendio per factiones, ſit certamen, ac denique provinciarum tam longinquarum ſtatus melius cognoſcatur: ad impediendas autem Anglorum navigiis praepotentium excurſiones, nam Gallos ab ea re minus inſtructos, nec niſi cum Anglis conjunctos multum formidabileis eſſe, maxime profuturam Belgarum conjunctam cum Hiſpanis potentiam: nam etſi fere ſint Sectarii pertinaces, his tamen ad ſociandas viteis conditionibus invitari debere, ut res ſuas libere in Hiſpania et Italia diſtrahant, regia jura minime defraudent; navigaturi autem in Indias Occidentaleis et Orientaleis commeatum a rege accipiant, caveantque vadibus datis, et jurejurando adacti, merces, quas ex Indiis advehent, in Hiſpania ſe bona fide exoneraturos; qui ſecus fecerint, corporis poena teneantur: ita Indiarum opes in Hiſpania manſuras, et Indias cum Belgica negotiatione conjunctas fore, Angloſque ac Gallos ſuis ſumptibus ſine praedae ſpe naviganteis brevi ſenſuros laborem in damno eſſe, et ab eo deſtituros. Iiſdem mandatis filio enixe praeceptum, ut cum pontificibus arctam amicitiam colat, munem ſe erga eos exhibeat, et ad omneis occaſiones ſe illis ſubvenire paratum oſtendat: cardinaleis, qui Romae morantur, ſibi conciliet, et per illos in conſiſtorio ac conclavi quaſi dominatum arripiat: Germaniae item epiſcopos, qui in Imperio praepotentes ſunt, ſibi conciliet; ac penſiones iis non per Caeſarem ejuſque miniſtros, ut antea, ſed per ſuos diſtribuendas curet, nec aliena opera in rebus ſuis erga ipſos deinceps utatur. Ad extremum reconciliationem cum Antonio Pereſio, jam pridem apud nos exule, eumque in Italiam revocandum ſuadebat, ea lege, ne unquam in Hiſpaniam aut Belgium pedem inferret. Philippus poſtridie quam deceſſit, funere

modico

modico in [a] Sanlaurentiano templo juxta altare tumulatus eſt, corpore cum Anna uxore ultima, ſicuti mandaverat, compoſito. Quo officio magnates qui aderant de-functi ſunt; in iiſque princeps incedebat Franciſcus Gomeſius [b] Sandovalius Deniae marchio, hodie Lermae dux, cui paulo ante ſacri ſcrinii clavis, a Chriſtophoro Mora reddita, a rege tanquam primariae in principis comitatu auctoritatis pignus conſignata fuerat. Eodem die Philippus III ad pontificem dat literas, quibus eum et de parentis morte certiorem faciebat, et, obſequio prolixe delato, viciſſim in tanto luctu conſolationis beneficium ſibi impertiri petebat. Biduo poſt ſub veſperam cum ſorore [c] Mantuam ſe contulit; et ipſe quidem ad [d] S. Hieronymi, Iſabella ad [e] Nudipedum virginum coenobium conceſſit, dum ad exequias regali pompa celebrandas cuncta apparantur. Principium a veſpertinis precibus factum XV Kalendas Novembreis, qui dies beato Lucae ſacer eſt, theatro funerali in ſacello majore Hieronymitani coenobii exſtructo: quo rex et ſoror lugubri veſte tecti interfuerunt. Praeſules a parte evangelii juxta altare ſedebant; infra altare officiales majores et procêres. Ex adverſo Rodericus a Caſtro [f] Hiſpalenſis cardinalis, et poſt eum principum externorum, nimirum pontificis, Caeſaris, et ſenatus Veneti oratores; et rurſus infra eos domeſtici comitatus ſacerdotes: ac poſtea ordine in ſedilibus praeparatis conciliorum Caſtellae, Aragoniae, Inquiſitionis, Italiae, Indiarum, S. Jacobi, Calatravae, et Alcantarae ordinum, et ultimi ſacri aerarii aſſeſſores. Veſperis peractis rex ſororem ad Nudi-pedes honorifice reduxit. Poſtridie ſacrum eadem pompa peractum. Concionem habuit [g] Terrones Aquilaris; qui defunctum a magnitudine imperii, ſucceſſibus, prudentia, aliiſque virtutibus ac vitae ſanctitate praecipue commendavit, quam quaſi avitam et hereditariam in ejus familia praedicavit: nam octo ex progenitoribus ejus in beatorum numerum relatos; S. Arnulfum [h] Moſellanae regulum, dein [i] Mediomatricum epiſcopum, ac poſtremo vitam ſolitariam profeſſum ſub Dagoberto et Clothario Francorum regibus; [k] S. Beggam Brabantinam Arnulfi nurum et Anſegiſi ipſius filii uxorem, ex quo Pipinus Caroli Martelli parens genitus; Martelli nepotem Carolum magnum; S. Gulielmum Aquitaniae ducem et [l] Pictonum comitem, qui Auguſtiniani ordinis alter conditor et inſtaurator fuit; Ludovicum IX Franciae regem; Iſabellam Portugalliae reginam Dionyſii conjugem; Scotiae regem Milcolumbum III, circa annum Chriſti CIↃ LXX, cui pari vitae ſanctitate foemina Margarita Edvardi et Agathae filia, Salomonis regis Hungariae neptis, denupſit: nam ab eorum filia Mathilde cognomento Bona, quae Henrico Angliae regi elocata eſt, Philippum genus duxiſſe. Cumulati et S. Pelagius et Ferdinandus V Hiſpaniae reges, quorum in regna ſucceſſit Philippus.

XVI. ANTE cum Anna Auſtria Caroli archiducis filia, Sigiſmundi Poloniae et Sueciae regis conjux, Warſaviae IV Eid. Febr. in puerperio obiit, annos nata XXV, relicto Uladiſlao in ſpem tantae ſucceſſionis ſuperſtite filio; nam foetus adhuc vivus ex alvo matris exſectus, cui in ſacro lavacro Chriſtophoro nomen devoverat parens, non amplius horae ſpatio ſuperfuit. Ineunte hoc anno fatis matura morte [m] Coloniae ad Spream amnem annum LXXII ſupergreſſus conceſſit Joannes Georgius Brandeburgicus ſeptemvir, vir miti ingenio, qui pacis tam in eccleſia quam in imperio colendae et conſtituendae ſummum deſiderium tota vita prae ſe tulit, et illuſtriſſimam familiam paene extinctam felici prole ſerius ſuſcepta inſtauravit. Huic in ſeptemviratu ſucceſſit Joachimus Fridericus archiepiſcopatus Magdeburgenſis adminiſtrator, ex prima uxore Sophia Friderici [n] Lignicenſium ducis filia ſuſceptus. Eodem menſe Januario, et eo

ſenior,

INTERPR. [a] *l'Eſcurial.* [b] *de Sandoval.* [c] *Madrid.* [d] *les Hieronymites.* [e] *dechauſſées.* [f] *de Seville.* [g] *Terrones d'Aguilar.* [h] *Roi de Moſellane.* [i] *de Metz.* [k] *Ste Beghe.* [l] *Poictou.* [m] *Cologne ſur la Sprée au marquiſat de Brandebourg.* [n] *de Lignitz.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

ſenior, quippe annos natus LXXVI, Richardus Baioarus Joannis filius comes Palatinus Rheni [a] Simerenſis, qui aliquando camerae Spirenſi ſumma cum aequitatis laude praefuerat, vitam cum morte commutavit, nullis relictis liberis; et principatus Simerenſis ſucceſſorem jure hereditario reliquit Fridericum IV ſeptemvirum. Eum proxime ſecutus eſt ineunte Februario ex eadem familia, multo junior, quippe vix XL annum ingreſſus, Fridericus Wolfangi, qui olim in Gallia militans obiit, filius, comes Palatinus Rheni Sultzbacenſis. Junio proximo ineunte Philippus Baioarus Willelmi ducis et Renatae Lotharingae filius epiſcopus Ratiſponenſis, cum ante biennium in collegium cardinalium perhonorifice ob illuſtriſſimae toto Chriſtiano orbe familiae ſplendorem allectus fuiſſet, [b] Stambergae Romam cogitans ad potioris vitae ſtationem migravit. Corpus [c] Monaci depoſitum eſt, inde in eccleſiam ſuam Ratiſponenſem transferendum.

XVII. SED omnium maxime memorabilis fuit Theodori magni Moſcorum et Ruſſorum imperatoris mors, quae finem familiae per tot annos in potentiſſimo Europae et Aſiae principatu regnanti attulit, ac imperium paene ad interregnum adduxit. Is Joannis Baſilidae a nobis ſaepius commemorati, et cui tot immania facta ſeu vere ſeu ex odio Poloni et vicini affingunt, filius, cum XIV annos a morte patris rerum potitus eſſet, annos tantum XXXVI natus ſine liberis deceſſit, ipſo Epiphaniae die, anno, ſicuti Ruſſi memorant, a mundi conditu VII CIↃ CVI, adminiſtratione imperii penes [d] Gerniam dilectiſſimam conjugem et patriarcham, qui ſummam in religionis rebus auctoritatem habet, relicta. Eam, ut inter illos principes moris eſt, ob ſpeciem et mores cum ſibi Theodorus Joanne patre ſuperſtite in uxorem delegiſſet, ex eaque liberos nullos ſuſtuliſſet, dimittere ſaepius ab illo juſſus erat; quod idem Joannes ejus frater grandior multoties patre cogente fecerat, ad extremum ab ipſo, cum idem ſemper facere detrectaret, irato occiſus, ſicuti ſupra memoravimus. Eandem fortunam veritus Theodorus non aperte recuſare audebat, ſed alia atque alia procraſtinando negotio cauſatus rem ad patris uſque mortem diſtulerat. Igitur Joannes morti proximus teſtamento condito executoribus ultimae voluntatis ſuae enixe mandaverat, niſi intra biennium uxor filii praegnans eſſet, ut eam tanquam ſterilem removerent, aliamque illi notae foecunditatis ſubſtituerent. Tempore elapſo cum executores urgerent, ut princeps dimiſſa priore uxore aliam juxta patris mandatum foecundiorem duceret, Gernia omnem operam dabat, ut virum blanditiis delinitum a divortii, quod illi ſuadebant, conſilio revocaret. Erat ei [e] Boriſſius Gordonova frater homo literarum ignarus, ceterum aſtutia innata et affectata comitate maximam in aula et toto regno auctoritatem conſecutus, et ſub Joanne Baſilide quanquam praecipuus crudelitatum illius miniſter extitiſſet, derivata caute in defunctum invidia ſummam apud populos ex mitigatis ejus decretis manſuetudinis laudem adeptus; defunctoque Joanne, tamen cum principe neceſſitudinis dignitate ſubnixus, primarium in aula locum facile tuebatur. Itaque cum executorum conſilio CCC ex [f] Cneſiis et Bojarico genere, ex quibus imperii ſenatus conſtat, ſubſcripſiſſent, id Boriſſius apud Theodorum ingenii creduli adoleſcentem defectionem atque adeo conjurationem apertam interpretatus, ei auctor fuit, ut eos in cuſtodiam dari juberet. Ex iis decem, quos ſibi infeſtiores putabat, praecipitato judicio per regios miniſtros extrema poena afficiendos clam mandat: ceteris compluribus gratiam a Theodoro impetrat, admodum ſibi dolere ſimulans, quod principis miſericordia nimium tardaſſet, et preces ſuas judicii ſeveritas antevertiſſet. Id ut ſerio ſe dicere populo perſuaderet, bona heredibus damnatorum reſtitui curavit; ab eoque tempore conciliata ſibi omnium ordinum gratia, imperium ſumma cum

prudentiae

INTERPR. [a] *de Simmeren.* [b] *Starnberg.* [c] *Munchen* ou *Munich.* [d] *Gernia.* [e] *Boris fils de Theodore de Gordonova.* [f] *Knez, & Bojars.*

prudentiae et benignitatis laude ſub Theodoro adminiſtravit. Cumque aliquanto poſt, caſu an conſilio incertum, accidiſſet, ut juvenculus principis frater a demente quodam, dum ad templum inter duos Bojarici generis primarios viros medius incederet, novacula jugularetur, interſecto in veſtigio percuſſore, necis auctor inveſtigari non potuit; ceterum ſuſpicio ob invidioſam Boriſſii potentiam omnium animos ſtatim occupavit, affectare eum tyrannidem, et, ſublato altero regio fratre, vitae principis orbi inſidias ſtruere. Quam opinionem ut inſigni aliquo facto ex populorum animis aboleret, dum rationem undique circumſpicit, oblatam a calamitate publica occaſionem homo vafer minime ſibi eripi paſſus eſt: nam ſub id miſerabili caſu pleraeque urbes, quarum domus fere e materia conſtant, incendio fortuito flagravere; totaque regione ob tantam jacturam diu comploratio fuit, donec Boriſſius, evocatis in aulam urbium decurionibus, et inquiſitione damni accepti diligenter facta, eos ſolatus eſt, et ex publico id reſarciri, affectata ut ſemper benignitate, curavit: atque ita invidioſam alioqui potentiam retinuit ad Theodori uſque mortem; quam veneno acceleratam non defuere qui, ducta ex Boriſſii ingenio ſerieque rerum ab eo in civili adminiſtratione geſtarum conjectura, putaverint. Defuncti corpus in arcis templo, quod S. Michaëli archangelo dicatum eſt, depoſitum fuit, in quo et complurium prioris aevi principum monumenta viſuntur. Continuo miſſi ad limitem milites, qui quenquam ingredi egredive regno prohiberent, ne quis motus tempore interregni oriretur. Apertis dein tabulis, cum de Theodori voluntate regni adminiſtrationem uxori viduae commendantis publice conſtitiſſet, praefecti, ſenatores, proceres, aliique miniſtri [a] Moſcam conveniunt, et oſculo cruci affixo fidem obſequioſe reginae obligant: nam perinde id apud Ruſſos religioſum, atque ſi ſublatis tribus digitis ſacramentum dicerent. His actis regina in [b] monaſterium virginum ſacrarum, quod extra arcem eſt, ſed intra Moſcae muros, conceſſit, ut XL dies luctui publico deſtinatos exigeret. In eo dum eſſet, ſponte an ex compacto, ut fratri ad imperium ſimulate graſſanti opitularetur, dolorem ingentem ex regis morte conceptum et nunquam ex animo ſuo abolendum teſtata, mundo ſe renunciare dixit, ac proinde imperii adminiſtrationem ſibi a viro demandatam in Cneſios et Bojaricos proceres transferre, qui eam pro ſua prudentia et innata in patriam charitate porro ſuſciperent. Quod factum fratris ſuaſu, ut populorum animos tentaret, qui immane quantum commoti ſunt illa reginae declaratione, ad monaſterii portas agminatim progreſſi, et lamentabili voce orantes ne ipſos tam neceſſario tempore desereret: ſpem et praeſidium imperii in ea repoſitum; ſolam eam eſſe, cui obedire, cui ſervire parati ſunt. Cum regina eos ad Cneſios et Bojaricos remitteret, illi Cneſiorum et Bojaricorum auctoritatem deprecari: tantum ipſius, cui jam fidem obligaverunt, et fratris ejus Boriſſii Theodori filii dictis audientes fore. Quibus intellectis Boriſſius ad populum exit, et, ut tumultum ſeditioni propiorem ſedaret, ultro ſe paratum oſtendit quadrageſimalis luctus tempore publicam adminiſtrationem ſuſcipere, modo Cneſii et Bojarici ſecum in partem ſolicitudinis venirent. Ita ad aliquot dies quies inter eos fuit. Quo ſpatio regina, omni auctoritate et rerum humanarum cura a ſe abdicata, monaſticam profeſſa eſt, mutato etiam nomine, et pro Gernia deinceps Alexandrina dicta eſt. Luctu finito in arcem populus convocatus eſt, ubi [c] Baſilius Salo Calſius Jacobi filius regni cancellarius, deplorata imperii Ruſſici principe orbati conditione, univerſos ac ſingulos hortatus eſt, ut fidem Cneſiis et Bojaricis addicerent. Illis alta voce recuſantibus, et ſe reginae ac Boriſſio fratri ejus, non Cneſiis et Bojaricis, obedientiam praeſtare paratos profitentibus, cancellarius cum ſenatu receſſit; conſilioque habito ſtatim ad populum redit, et rurſus ut ſacramentum Cneſiis et Bojaricis dicerent

INTERPR. [a] *Moſcau.* [b] *il s'appelle Tinilſchemonſtra*, c'eſt à dire, *Monaſtere des Vierges.* [c] *Baſilic Jacoblenitz Salo Calſ.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

dicerent praecepit; reginam viduam, cujus nomen imploraverunt, ante pleroſque dies in monaſterium ſe contuliſſe, in eoque vitae quod ſupereſt exigere decreviſſe: proinde ne ſenatus auctoritatem deſugerent, ſed in fidem adacti oſculum cruci infigerent. Tum extrema neceſſitate victi concordi voto Boriſſium reginae fratrem nominant; eum eſſe quem principatu dignum exiſtimarent, cui fidem addicere parati eſſent. Quas ad voces Boriſſius, qui aderat, conſurgens ſe modeſte excuſavit, et ignoſci mediocritati ſuae petiit, his inſuper additis: Theodorus magnus Ruſſiae imperator meum veſtrumque lumen fuit; men' domini mei veſtigiis inſiſtere? abſit ut ſceptrum, quod ille ſuis manibus geſtavit, manibus meis contrectare auſim: alium vobis dominum quaerite: habetis toto imperio magnos et excellenteis viros, ſplendore familiae et virtute praeſtanteis, quibus vos conveniat potius ſceptrum et adminiſtrationem regni quam mihi deferre. Quibus dictis cum in templum proximum ſe reciperet, a populo manum injiciente quaſi per vim retractus eſt, comploratione ſtatim tanquam in novo funere aſtantium exorta, ſuppliciter rogantium ne ſe desereret. Et ille quidem ipſe illachrimavit, et nihilominus ſe excuſare inſtitit, indignum ſe ſuprema dignitate imparemque tanto oneri dictitans. Et, inſtante ſemper populo ut adminiſtationem delatam ſuſciperet, quo ſe invidiae ſubduceret, et per abſentiam majus ſui deſiderium non ſolum in populi animis ſed etiam apud Cneſios et Bojaricos excitaret, in monaſterium virginum ſe cum ſorore totum menſem abdidit. Quo tempore populus locum undique fugam metuens cingit, et continuis clamoribus nomine reginae vocato inſtat, urget, orat, quando ipſa adminiſtrationem imperii a ſe abdicaverit, fratri bene de ſe merito ac digniſſimo perſuadeat, ut imperium ſuſcipiat. Illa rurſus eos, ex fratris ſeu modeſtia ſeu metu adhuc haerentis conſilio, ad Cneſios et Bojaricos remittit; quorum nomen quoties citabatur, toties quaſi efferati circumſtantes ad ſeditionem ſtatim evehebantur. Itaque Boriſſius ipſe ad eos exit, et, oneri tanto ferendo ſe imparem praefatus, monet, niſi a tumultu deſiſtant, ſe quoque in monaſterium ſumpto cilicio ſororis exemplo conceſſurum. Ad has voces major quam antea comploratio exorta, minis etiam deſperationi propioribus additis, ex interregno diſſolutionem imperii proculdubio ſecuturam, et ſingulos, quando de republica conclamatum eſt, ſaluti ſuae privatim conſulturos: proinde videret regina, quo in periculo res eſſet, et mature auctoritatem ſuam apud fratrem interponeret. Igitur illa lachrimis populi exorata ad preces erga fratrem revolvitur, et deliberationi amplius locum nôn eſſe oſtendit: nam ſumma omnia facta, ut a tanta tamque invidioſa adminiſtratione ſe excuſaret: cum nihilominus videat ſumma conſtantia populum in propoſito perſtare, non amplius Dei voluntati, qui eam mentem populo dederit, obluctandum eſſe: itaque, quod felix fauſtumque eſſet, imperium non prenſationibus aut violentia quaeſitum, ſed renuenti concordi ſuffragiorum conſenſione delatum, quaſi Deo mandante capeſſeret, et bonam ſibi mentem ac prudentiam ab eo qui illud dederat precaretur. Cum frater poſt novas excuſationes tandem, ſeu precibus ſororis victus, ſeu quod conſtanti huc uſque modeſtia abunde invidiae litatum putaret, annuiſſet, regina foras exit, et fratrem exoratum regni adminiſtrationem tandem ſuſcepiſſe renunciat, eumque ſtatim e monaſterio eductum coram populo ſiſtit, hac oratione addita: Deus omnipotens, trinus et unus, qui magiſtratus et ſupremas toto terrarum orbe poteſtates conſtituit, preces meas exaudivit, et gemitus lachrimaſque veſtras miſeratus eſt: ecce fratrem meum, quem tantopere conſentientibus votis exoptaſtis, dignumque judicaſtis qui Ruſſiae imperaret; ipſum tenete, ne a vobis rurſus diſcedat, aut propoſitum mutet: viciſſim videte, ut ipſi fidem ſervetis, et ad omnia dictis ejus ſitis audientes. Brevem reginae orationem haud longiore ad populum converſus Boriſſius proſecutus eſt: Quandó divinae gratiae ac providentiae, qua omnia reguntur,

reguntur, ita viſum eſt, ut communi conſenſu et precibus continuis exoratus in vos et univerſas Ruſſiae provincias principatum ſumam, nolo amplius obniti, quanquam grave humeris onus hoc ſenriam, ſed patrocinium veſtrum ſumma fide ſuſcipere decrevi, ſceptrum et Ruſſicas ditiones nieri, quanrum per Dei grariam licebit, paratus: viciſſim vos mihi er imperio fideles eſtote; ſic vos Deus adjuver: ego clementiſſimus rex veſter ſum. Acclamationibus laetis populi noviſſima dicentis verba excepta; Tu dignus rempublicam adminiſtrare; nos concordibus ſtudiis ribi fidem, tibi obſequium, nunc et deinceps obſtringimus. Inter quas ille monaſterium denuo ingreditur, et poſt peractas preces primam benedictionem accepit. Populus voti compos in urbem regreditur, plauſu et feſtis vocibus paſſim civitare reſonanre, quibus acceſſit et tintinnabulorum, quae ad III CIϽ Moſcae numeranrur, pulſus. Mox magiſtratus omnes ac regii miniſtri, aliique exteri ex omni natione, qui a principe ſtipendium accipiunr, riru inter eos ſolemni ad monaſterium adeunt, aurum, argentum, lapillos pretioſos, uniones, ſalem et panem deſerentes, et longiſſimam vitam, fauſta omnia, prudens conſilium, de hoſtibus victoriam, et ut munera ac vota in bonam partem acciperet, comprecanres. Ille actis gratiis ſalem et panem accepit, ſua haec eſſe dicens; cetera ſibi haberenr. Tum ad convivium eos vocat; continuoque cum Maria uxore, Theodoro filio decenni, et Arſenica filia XVI annos nata, monaſterio exir; et, ſacro ordine pompa ſacerdotali praeeunte, et effuſo utrinque per vias populo, in arcem perrexit. Uxori Auguſtae filiiſque cum eadem munera oblata fuiſſent, paucm tantum et ſalem tanquam ſua acceperunt, cetera offerentibus benigne remiſerunt. Ubi ad arcem venrum, princeps cum uxore liberiſque, quos manu ducebat, hoſpitium ſibi in reginae ſororis diverſorio elegit; nam principis defuncti cubiculum quaſi morte ejus piaculare ſtatim deſtructum et denuo inſtauratum eſt. Tum menſae inſtructae, et innumerabili populo, qui arcem ingreſſus erat, convivium paratum. Quibus peractis, ſenatores, praefecti provinciarum et arcium, aliique imperii ordines, a novo principe ritu ſolemni in fidem adacti ſunt. Et haec uſque ad Maium menſem acta: quo ineunte paulo ante Pentecoſtes ferias nuncius a limitis praefectis venit, [a] Tataros Crimiſcos, fama de interregno ſparſa, cum res in imperio Ruſſico turbaras crederenr, immani agmine ad praedas excurrenteis in limitem ingredi paratos. Quibus, re alia omni poſthabita, ad exiſtimationem primis imperii auſpiciis tuendam eundum obviam cum ſibi novus princeps exiſtimaret, ex provinciarum militia ſtatim ad CCC armatorum CIϽ cogit, et ad [b] Ziebotham, XXXVI a Moſca metropoli milliaribus, conſedit, oppidum ad Arcam amnem ſitum, munitis in ejus ripa caſtris hoſtem opperiturus. Sed falſi ſpe ſua Tatari, cum interregnum amplius in Ruſſia non eſſe, et imperatorem cum numeroſo exercitu adventare cognoviſſenr, mutato conſilio domum reverſi ſunt, miſſis oratoribus; qui armata pompa cum in caſtra Ruſſica veniſſenr, ad eos feſta ſalutatione excipiendos tormenta ſecundum flumen ſpatio milliaris diſpoſita immani fragore diſploſa ſunr. Inde imperaror, adductis ſecum Tataris, Moſcam rediit; ubi Septembri proximo, hoc eſt anno ineunte, nam apud eos novi anni, qui apud nos a Januario ſequenti incipir, is menſis principium eſt, benedictione publice a patriarcha crucem auream manu praeferente ſignatus eſt, populo undique circumfuſo, et laetis acclamationibus ac votis ceremonias adjuvante. Poſtridie, Eidibus Septembribus, in arce coram Cneſiis, Bojaricis, epiſcopis et ceteris ordinibus, primum ad S. Michaelis, dein [c] beatae Virginis, ac poſtremo ad Annunciationis beatae Virginis, quod eſt [d] majus urbis templum, ſacris ceremoniis peractis, a patriarcha coronam

INTERPR. [a] *Tartares de Crim.* [b] *Ziebotb.* [c] *Noſtre Dame nommée Braciſebta.* [d] *la cathedrale nommée Blaſeſſemi.*

coronam in capite et imperii ſceptrum in manu ſumpſit: inde in arcem ſacerdotali pompa et regio comitatu rediit, per purpuram ſubſtratam panno auro interjecto incedens: quod populo gratulabundo, ubi tranſiit, ceſſit, miſſis in vulgus interim pleriſque aureis nummis. Dein congiarium populo datum, et totos XII continuos dies cuncti ordines feſtis epulis in arce excepti. Regni magiſtratibus, praefectis, ac ceteris miniſtris, unius anni ſtipendia addita. Moſcae negotiatoribus, aliiſque toto regno, ac praecipue in Caſani et Aſtracani longe porrectis ſupra Maeotidem paludem ad Caſpium uſque mare atque adeo Perſiae fineis provinciis, ex quibus ad C florenorum CIↃ annua in aerarium inferuntur, mercaturam exercentibus, immunitas ab omnibus tributis principali largitate in biennium conceſſa. Praeterea jura, onera, ac penſitationes, quas ruſtici aliique pagorum incolae ſub Bojaricis et nobilibus diram antea ſervitutem ſervientes pendebant, ad legitimum modum redactae, ut non ſolum bona ſed etiam corpora liberius deinceps haberent. Denique exteri, ac praecipue Germani, qui certas ob cauſas in longinquas ſolitudines ſuperioribus temporibus relegati fuerant, libertati reſtituti, facultate ipſis data aut in patriam redeundi, aut in Ruſſia commorandi: et amplius Germanis negotiandi peritis ad exercendam mercaturam grandis pecunia ſecundum cujuſque conditionem et induſtriam ex aerario erogata, quam non niſi poſt ſeptennium ac ſine uſuris reddere tenerentur. In egenos, viduas, orphanos, veſtis et pecunia large ac benigniſſime diſtributa. Ad extremum, ut fauſtius anni initia in religioſo officio deſinerent, anniverſariae exſequiae Theodoro defuncto magna pompa in arce celebratae, tota civitate tintinnabulis pulſantibus reſonante; et ſacer ordo convivio lautiſſimo exceptus, ac grandi pecunia, antequam dimitteretur, muneratus. Ingentis atque adeo vel Turcorum judicio tota Europa atque Aſia ſimul potentiſſimi imperii paene ultimi imperatoris morte extincti, et nunc citra tumultum et ſeditionem concordibus populi votis evecto ad ſolium Boriſſio redivivi, hoc fatum fuit; in quo mutatio, quo periculoſior metuebatur ob ſuperiorum principum ſaevitiam, ita ob aſtrictam et ſeveram, qua Ruſſi continentur, diſciplinam minore cum motu ſecuta eſt, ſive veris virtutibus ſe dignum tanta fortuna praebuit qui ſucceſſit, ſive ſimulata manſuetudine apud populos dominationi durae inſuetos meruit, ut dignitate ac nobilitate praecellentioribus praeferretur, et regnum, quod in occulto impotenter ambiebat, ei tanquam invito deferretur. Boriſſius porro eadem ratione ac exemplo Theodoro ſucceſſit, quo Ataulfus olim Alarico Gothorum regi, qui Romam Kal. Apr. anno Chriſti CCCCX, a conditu urbis CIↃ CLXI, Varane et Tertullo conſulibus, noctu ceperat, ac ſequenti [a] Coſentiae in Calabria repente extinctus eſt, ſucceſſit, Alarici uxoris nimirum frater.

XVIII. UT viri literis clari memorentur: Benedictus Arias Montanus, linguae ſanctae apprime peritus ac ſumme pius, Bibliis Complutenſibus elegantiore forma recudendis a Philippo deſtinatus, egregiam admodum operam in eorum editione cum [b] Fabritiis Boderianis fratribus [c] Falezianis Antuerpiae navavit, unde ſibi aemulos tanto odio accendit, et in iis [d] Leonem Caſtrenſem, qui de LXX Interpretibus commentarium ſcripſit, ut ad cauſam dicendam citatus Romam, vix venia impetrata, pro tantorum laborum praemio ſeceſſum in [e] Baetica ſua, in quo ſe bona conſcientia fretus ſacrorum librorum lectione ac lucubratione ſolaretur, acceperit; ubi et hoc anno deceſſit, aetatis LXXI, [f] Hiſpali proxima ad S. Jacobi, cujus collegii ipſe ſodalis erat, ſepultus. Huic ut amicitia ſic fato conjunctus fuit Abrahamus Ortelius, Antuerpia nobiliſſimo orbis aliquando emporio natus; qui, rei geographicae ab ineunte aetate ſtudioſus, maxime eam partem nulli labori aut ſumptui parcens illuſtravit; neque ob

INTERPR. [a] *Coſenza.* [b] *le Fevre de la Boderie.* [c] *de Falaiſe.* [d] *Leon de Caſtro.* [e] *Andalouſie.* [f] *Seville.*

ob id peregrinationes longinquas ſuſcipere ac multoties tota vita repetere recuſavit, CIↃIↃXCVIII.
edito pulcherrimo Orbis terrarum Theatro, et renovata antiquorum locorum per tabu- HENRICUS IV.
las propria induſtria eleganter depictas memoria, ſynonymorumque ingenti opere edito: ac tandem ſeptuagenario major in patria coelebs deceſſit IV Kalendas Quintileis, ad beati Michaelis monumento inſigni ſepultus. Paulo poſt Joachimus Camerarius, Joachimi a nobis ſemper honorifice appellati filius, cum patris ſcriptis colligendis et edendis, et arte ſua et conſilio, non ſolum principes viros ſed et amicos et probitatis ac eruditionis nomine ſibi commendatos pleroſque tota vita demeruiſſet, [a] Norimbergae, quo familiam tranſtulerat, annos LXIV natus IV Eid. Oct. obiit. Nec ſilentio praetereundus Dominicus [b] Lampſonius, qui in pictura et poëtica ſe pari felicitate exercuit, et ut vicem Lamberto Lombardo praeſtantiſſimo pictori, quo magiſtro in ea arte uſus erat, redderet, ejus vitam accuratiſſime deſcripſit; ob idque Erneſto [c] Baioaro Leodicenſium epiſcopo et poſtea [d] Colonienſi ſeptemviro chariſſimus, demum ſenex Leodicum conceſſit, eaque in urbe placide ad Deum hoc anno migravit. Majore praeconio dicendus Henricus Stephanus, Roberti, cui tantum res literaria debet, filius, Lutetiae Pariſiorum natus; qui patris aemulatione cum ſcriptoribus Graecis edendis et caſtigandis ſedulam operam navaſſet, tandem et penum ampliſſimam linguae Graecae dedit, de ſua poſteraque aetate ob id optime meritus. Poſtea variis peregrinationibus diu in Germania vagus, cum patriam oblivisci non poſſet, [e] Lugdunum ſe contulit, et hoc anno fere ſeptuagenarius ineunte Martio vitae et tot exantlatis pro republica literaria laboribus finem [α] fecit.

VAR. LECT. [α] fecit. Quo eodem menſe Theodoricus Bri Leodicenſis coelator eximius, qui navigationibus Indicis conquirendis et illuſtrandis non mediocrem gratiam a ſtudioſis meruit, Francofurti ad Moenum, ubi larem fixerat, ſeptuagenarius itidem deceſſit. *MSS. Reg. & Samm.*

INTERPR. [a] *Nuremberg.* [b] *Lampſon.* [c] *de Baviere evêque de Liege.* [d] *de Cologne.* [e] *Lyon.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

PUBLICATAE *Alberti et Infantis per Belgium ritu ſolemni nuptiae, et ceſſionis Belgii in Infantem a Philippo parente factae inſtrumentum.* II. *Albertus in Hiſpaniam ad nuptias peragendas diſcedit, Andrea Auſtrio cardinali in Belgium cum ſumma poteſtate conſtituto.* III. *Albertus ad Ordines ſoederatos ſcribit, qui nihil reſpondent.* IV. *Inter Margaritam Auſtriam Philippo deſtinatam uxorem et Albertum Infanti Hiſpanae virum deſtinatum Ferrariae a pontifice fiduciariae nuptiae ſolemni pompa celebratae* XVII *Kal. Dec.* V. *Quinto poſt die diſceſſum et Mantuam ventum. Mediolanum Margarita et Albertus intrant. Bimeſtre Mediolani conſumptum. Pontifex ineunte Decembri Romam redit. Inſolita Tiberis inundatio.* VI. *Penſiones ſuperiore anno a Philippo revocatae reſtituuntur. Sanctius Leva ad Caletum naufragium patitur, nave a Batavis capta. De claſſe Indica veniente cognitum. Balthazar Mocheronus hinc capta occaſione* V *naves inſtruit. Aliae et tunc a Batavis in Indias et in Mediterraneum mare navigationes ſuſceptae.* VII. *Nierus ad navigationem faciliorem a Frid. Wirtembergico purgatus. Petrus Panna percuſſor in Mauritii perniciem ſubornatus captus ad mortem damnatur.* VIII. *Ordines ad Eliſabetham ad foedus ineundum contra communem hoſtem honorificam legationem decernunt.* IX. *F. Mendoza Orſoium in Clivenſi ditione occupat. Walſonum in propinquo munitum. Alpena arx et Meurſina ditio occupata. Huic ſe Mauritius opponit. Clivenſis de Orſoio occupato expoſtulat. Berka a Mendoza obſeſſa deditione traditur. Falkenſtenius comes contra fidem datam ſpoliatus et interfectus. Tolhuſiana munitio aſtu a Mauritio intercepta. Dotecomium et Schulenburgium caſtrum a Mendoza captum.* X. *In Dormontenſi conventu de Hiſpanorum graſſationibus per Imperii limites querimoniae. Caeſar de iis ad Andream cardinalem ac Mendozam expoſtulatorias dat literas.* XI. *Emdae conjuratio detecta. Lud. Naſſovius loca munita in Ezardi comitis ditione occupat. Caeſaris ſententia contra Aquiſgranenſeis lata. Balaena ingens inter Catvicum et Schevelingam capta: quod prodigii loco acceptum.* XII. *In comitiis Ratiſponenſibus de ſtipendio ab Imperii ordinibus penſitando et ſubſidiis deliberatum.* XIII. *Adol. Schuartzenburgus Javarinum aſtu intercipit.* XIV. *Sigiſmundus Bathorius Tranſylvanus Daciae principatu, accepta compenſatione, in gratiam Maximiliani Auſtrii cedit, ſuoſque ſacramento ſolvit. Andreas Bathorius cardinalis, aegre ferens principatum patrimonialem in alienam familiam transferri, protinus in Poloni aulam evolat, et Sigiſmundum regem contra Maximilianum aemulum Polonici regni titulos ſibi ſumentem accendit. Bathorius, qui in aulam Caeſaream veniebat, ut renunciationem temere factam confirmaret, cum ſe turpiſſime deluſum ſero ſentiret, necopinato retro in patriam abit.*

Inde

Inde res inter eum et Maximilianum hoſtiliter geri coepta. XV. *Irrita purpurati Budenſis in Vaciam inſulam expeditio. Totis a Sultzio comite expugnata. Omar purpuratus cum* LX CIↃ *bellatorum exercitu ad Varadinum caſtra ponit. Tandem, cum Turci ſumma omnia feciſſent, ab obſidione ſaepius cum damno repulſi diſceſſerunt.* XVI. *Buda interim a Schuartzenburgo obſeſſa. Irrito conatu Peſtum tentatum. Noſtri a Budae obſidione diſcedunt. Mercurianus regis permiſſu operam ſuam Caeſari ad bellum in Pannonia gerendum defert.* XVII. *In Polonia ſeu Suecia res turbant. Comitia Warſaviae celebrata.* XVIII. *Samuelis Laſci a Sigiſmundo rege in Sueciam miſſi in ordinum conventu Upſaliae habito graves de Carolo querimoniae. Carolus, tradito ſibi a legato mandatorum regiorum exemplo, ad ſingula reſpondit. Reverſo in Poloniam Laſco, iter regis in Sueciae avitum regnum acclamatione publica pronunciatur.* XIX. *Polonus Lincopiam verſus iter ingreditur, et bellum Carolo denunciat. Primo conflictu ſuperiores Poloni ad extremum numero impares ceſſere. Varia hinc inde de proelio Lincopienſi fama. Poſt victoriam Carolus moderatior regem ad pacis conſilia invitantem audit. Tantum exules non ad ſupplicium, ſed ut ſe in judicio ſiſterent, dedi poſtulavit: quod ſumma imprudentia a rege conceſſum. Mox poenitentia ſubeunte pudendum de fuga a rege conſilium captum.* XX. *Stocholmia a Carolo poſt regis diſceſſum recepta. Calmaria longa obſidione preſſa, et tandem arbitrio Caroli dedita. Inde Jenocopiae et Stocholmiae comitia ab eo indicta. In Finnonia geſta. Aboia et Narva Livonica recepta. Joachimus Schelius et ejus fortuna. Severum adverſus deditos judicium.*

Ex auctoribus,

Joanne Parvo, Caeſare Campana, Abrahamo Ortelio, Actis publicatis, F. Coſtero, Georgii Carew Anglici legati relatione, Davide Chytraeo, Jacobo Typotio.

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS PRIMUS.

POST publicatas Infantis Philippi juſſu nuptias, et pacem publico omnium plauſu factam, Albertus, de profectione in Hiſpaniam cogitans, de ceſſione Belgicarum et Burgundicarum provinciarum favore matrimonii a Philippo eidem Infanti pridie Nonas Maii facta ante omnia ſibi agendum duxit; et per Joannem [a] Vingenam primum conſiliarium et ſigillorum regiorum Brabantiae cuſtodem regias literas ad ordines ſcriptas tradendas curat, cum mandatis, ut ipſi ordines ad XIX Kal. Sept. delegatos mittant, quid Philippi voluntatis ſit plenius intellecturi, et ſecundum eam jusjurandum Alberto tanquam Philippi ipſiuſque Infantis procuratori dicturi. Cum igitur ad diem condictum delegati Bruxellas conveniſſent, Matthias [b] Hovius archiepiſcopus Mechlinienſis cauſam conventus Latina oratione breviter expoſuit; moxque prolata ceſſionis a Philippo factae, et conſenſus in eam rem a Philippo filio adhibiti, tum inſtrumenti quo Inſans ceſſionem memoratam ac donationem ratam habuit, ac denique mandati

CIↃIↃXCVIII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Vingene premier conſeiller & chancelier de Brabant. Meteren & Petit le nomment Nicolas Damant.* [b] *Hovius archevêque de Malines.*

CIƆIƆXCVIII. HENRICUS IV.

mandati quo eadem Infans archiducem ad capiendam provinciarum poſſeſſionem procuratorem conſtituit, diplomata, et publice recitata. Subortis denique aliquot altercationibus, tandem Joannis Richardoti praeſidis interventu quatriduo poſt Brabantiae ordines per amanuenſem ſuum reſponderunt, ſe Alberto archiduci Infantis nomine, tanquam legitimae harum provinciarum principis, jusjurandum dicere paratos, modo et ipſis mutuum jusjurandum praeſtetur, et de ſervandis patriae privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conſuetudinibus, et laeti ingreſſus obſervantia, iiſque quae contra majorum inſtituta innovata aut abrogata ſunt, juxta formulam quae ſcripto exhibebitur, ſarciendis, idonee caveatur. In hanc ſententiam cum ceterarum provinciarum ordines aſſenſiſſent, poſtridie in majore palatii aula cuncti convenerunt; factoque ſilentio Richardotus praeſes ad eos orationem habuit, qua memoriam illius temporis repetit, qua Carolus Philippi parens ante XLIII annos eodem ipſo in loco, quo nunc ſunt, regnis ſuis renunciavit; et divino inſtigatu factum dicit, ut ad Belgii tranquillitatem, in qua procuranda nihil per tot annos reliqui Philippus fecerit, provincias illas in ſereniſſimam Infantem ceſſione ac donatione transtulerit: ex hac mutatione moerorem conceptum eo minorem eſſe debere, quod exemplo minime careat: nec dubitandum eſſe, quin Infans, quae XVIII ab hinc annis a patris latere nunquam diſceſſit, quae arduis de republica conſiliis ac deliberationibus ſemper ab eo tempore interfuit, et ſententiam interdum ipſa dixit, Belgium tanti imperii tantam partem ſumma cum aequitatis et prudentiae laude ſit adminiſtratura: praeterea ſolatii loco eſſe, quod, ſi parens filium Belgii heredem reliquiſſet, ob graviſſimas in longinquioribus regnis occupationes adflictae hae provinciae, abſentiam principum ſuorum per tot annos moerentes, fruſtra ejus conſpectum deſideraſſent; cum contra coram Infante et in poſterum ſemper fruiturae ſint, ~~cujus aſpectus~~ bonis pro fiducia, pro terrore malis erit. Perorantem excepit Philippus [a] Maſius, cui erant reſpondendi delatae omnium ordinum nomine partes: nec mirum eſſe dicit, ſi ad primum ceſſionis illius nuncium popularium animi ſtatim commoti ſint: verum poſt tot labores pro ſalute Belgii ſuſceptos, tot immaneis ſumptus factos, eſſe quod Philippo gratias denuo agant, qui dilectiſſimam filiam ad inſtaurandam tranquillitatem publicam provinciis donaverit, eique virum ex eadem familia, quam majores ipſorum maxima ſemper obſervantia coluerunt, deſtinaverit: igitur ſe paratos, iis quae propoſitae ſunt conditionibus, ſacramentum Alberto Infantis principis ſuae legitimae nomine dicere. Res poſtridie eodem loco ſolemni ritu peracta; biniſque jurisjurandi formulis lingua Latina et Flandrica ſcriptis ab amanuenſi propoſitis, Albertus a Mechlinienſi archiepiſcopo in fidem adactus eſt. Viciſſim delegati ordinum Iſabellae Clarae Eugeniae obſequium et fidem ordine deferunt. Albertus ſingulos accedenteis, ac cultu quo conveniebat gratulanteis, benigne compellavit, tubarum ad ſingulos actus clangore perſonante. Maſius ad extremum, cum finem actioni daturus eſſet, non mediocriter dolere ordinibus dixit, quod celſitudo ſua tam alieno tempore Belgium deſerere et in Hiſpaniam proficiſci conſtituerit: nam multa intervenire per ejus abſentiam poſſe, quae praeſentia ejuſdem haud facile corrigi poſſint: ea propter demiſſe, quantum poſſunt, orare, ut conſilium mutet, neque tam cito devotos Iſabellae ſubditos et mox ſuos ipſius futuros tam periculoſis temporibus relinquat. Ad ea Richardotus reſpondit, Albertum pro tam propenſa erga Infantem ac ſe voluntate agere gratias, ac fore dixit, ut conceptam de Iſabella ſpem ipſa adventu ſuo ſuperet: ad profectionem in Hiſpaniam quod attinet, eam et certo conſilio et juſſu regis, cui parere neceſſe habeat Albertus, ſuſceptam eſſe, nec proinde ea in re votis ordinum obſecundare poſſe: porro hunc ultimum actum eſſe, quo rex Belgis ſuis vale dixit,

INTERPR. [a] *Maes.*

nam craſtina die in omnibus inſtrumentis Iſabella non Philippus loquetur: ſed nec CIↃIↃXCVIII.
propterea vos exiſtimare debere ab eo aut a principe ejus filio deſertos, quippe qui HENRICUS IV.
filiam vobis praepoſuerit, et conſilio, pecunia, milite eam ſemper adjuvare paratus erit.

II. DIMISSO conventu per fecialium principem univerſis edictum, ut ſequenti die ad feſtas epulas adeſſent; cunctique moniti, ut Andreae Auſtrio cardinali, quem vices ſuas obiturum Albertus diſcedens in Belgio relinquebat, dicto audientes eſſent, eumque et conſilio et opera ſua ſedulo juvarent. Philippo [a] Croio Soltei comiti cum Alberto profecturo ab ordinibus data mandata ad Philippum, principem filium, ac sereniſſimam Infantem, ut ipſorum nomine gratias pro ceſſione ſeu donatione ageret, et ſubſidium in belli ſumptus continuari peteret, ac ſpeciatim Infantem rogaret, ut optatiſſimum ſuum in Belgium adventum maturaret. Ceterum hae leges a Philippo ſive in occulto dictae, ſive delegatis communicatae, mentione tamen earum in publicum ſuppreſſa, Ut ſereniſſima Infans aut ab ea progeniti de provinciis Belgicis tanquam regni Caſtellenſis beneficiariis, quoties aliqua mutatio interveniret, formula concepta jusjurandum praeſtarent: ante omnia in Catholica religione perſeveranto; et ſi, quod Deus non ſinat, accidat, ut aliquis eorum a ſancta fide Catholica Romana deficiat, ipſo facto omni jure in iis tanquam ſucceſſione indignus excidito: amplius juranto, ſe Caſtellae regibus, tanquam beneficiarios, fidos et obſequenteis fore: ſi vir ſit aut foemina, qui in has provincias ſuccedet, niſi conſentiente et approbante ſua majeſtate, aut eo qui ei in haec regna ſuccedet, matrimonium non contrahito; et, ſi quidem foemina ſit, cum horum regnorum principe, qui tunc erit, ſi velit, et nondum uxorem duxerit, matrimonio jungitor; nec, niſi eo recuſante, cum quo velit nubito: inter haec regna et provincias Belgicas perpetua foederatio eſto, eoſdemque amicos et hoſteis habento; et ſi quod aliud cum aliis principibus aut provinciis foedus inibit, id ſalva ſemper priore illa foederatione factum intelligatur: provinciae in Indias ſive Occidentaleis ſive Orientaleis non naviganto, nullumque commercium in illis exercento, libera ac ſecura navigatione et commercio in ceteris omnibus regnis, provinciis, et portubus regi Hiſpaniarum ſubditis permiſſo: in Antuerpiana arce, Gandenſi, Cameracenſi, aliiſque praeſidium, prout opportunum videbitur, a rege mittendum recipitor; et ex regis pecunia ſtipendium accipito; quique ei imperabunt praefecti ac tribuni tam regi quam harum provinciarum principi fidem obſtringunto.

III. ANTEQUAM Albertus e Belgio diſcederet, ad Ordines foederatos XV Kal. Sept. literas dederat, quibus de ſuo cum Infante matrimonio et Belgicarum provinciarum ceſſione eos certiores faciebat, monebatque ut ex ſeparatione Belgii ab Hiſpaniis, qua belli ob ſuſpiciones accenſi fomes omnino extinctus videbatur, mature reconciliationis conſilium inirent, et ſecum tanquam cum legitimo principe ſuo, Brabantiae et Flandriae ordinum exemplo, aequis conditionibus quamprimum paciſcerentur. Ejuſdem argumenti literae a Philippo Naſſovio Arauſionis principe, Araſchotano duce, et [b] Havreci marchione Araſchotani patruele ad Mauritium ſcriptae, quibus oſtendere nitebantur, ſeparatione illa omnem diffidentiae cauſam ſublatam eſſe, et decus familiae ob oculos ponentes eum hortabantur, ut pacis faciendae et obſequii archiduci deferendi auctor eſſet: ad quas nihil prorſus reſponſum ab Ordinibus. Paulo poſt cum Daniel [c] Mulenus Antuerpianus, qui Ordinibus fidelem hactenus operam navaverat, ſororii in extremis agentis viſendi ſpecie Antuerpiam Ordinum permiſſu veniſſet, inde Bruxellas ab archiduce evocatus eſt; ubi rurſus de pace mentio injecta a Joanne Richardoto, Chriſtophoro Aſſonvillio, [d] Marollii abbate, Havreci marchione; additaeque conditiones, ut religio et publicae adminiſtrationis ratio, quam ſequuntur, unitis provinciis integra ac ſalva maneat; ii, qui tunc ſummae

rerum

INTERPR. [a] *de Croy comte de Solré.* [b] *Haureck.* [c] *Vander Meulen.* [d] *l'abbé de Marolles.*

rerum praeeſſent, dignitatem et magiſtratus ſuos ſervarent, et ad filios, ſi reipublicae capaces reperirentur, archidueum beneficio tranſmitterent. Praeterea ad purgandas praeteriti temporis ſuſpiciones regem bene velle Mauritio aiebant; et, ut generoſum adoleſcentem ad pacem amplectendam proprio decore magis inflammarent, affirmabant, unice ipſum expetere, pacato Belgio, ne gloria tanti viri armis parta in otio torpeſceret, ut bello adverſus Turcos in Hungaria praeficiatur. Quae omnia ex ore ipſius Alberti excepta cum ad Ordines retuliſſet Mulenus, ſuſpiciones, quas minui poſſe tam ſpecioſis promiſſis ſpes erat, magis auctae ex eo quod de Mauritio in [a] Pannoniam ablegando additum erat: quippe prudentioribus fabula Aeſopica in mentem veniebat, qua lupi cum ovibus paciſcentes petebant, ut canem a ſe abigerent; ſic enim fore, ut, viro, cui tantum debent, et in quo tantum praeſidii repoſitum habent, longe remoto, et fide Alberto ſemel data, turbis, quas vitatas cupiebant, periculoſius involverentur. Itaque nihil ab iis propterea impetrari potuit. Interea Bruxellis CIↃ equitum comitatu diſceſſum eſt XVIII Kal. Octobreis, et III abhinc milliaribus ad beatae [b] Mariae Hallenſis fanum devotis peregrinationibus celeberrimum illis regionibus locum itum, ubi Albertus galerum et purpuram ſacerdotalem depoſuit, et poſt vota nuncupata per [c] Nivellam et Namurcum facto itinere [d] Lucemburgum venit, [e] Macheramque tranſgreſſus ad pagum pervenit ubi [f] Sura in [g] Moſellam exoneratur. Haud hinc longe inſigne illud maxime antiquitatis venerandae monumentum conſpicitur, quod ex baſi XII pedes alta paulatim ad LXXIV pedum altitudinem aſſurgit, in quaternis lateribus variis e marmore ſemiplenis imaginibus inſculptum. Inde per [h] Auguſtam Trevirorum in [i] ditionem Palatinam deſcenſum, per quam hoſpitia et ſumptus a ſeptemviro univerſo comitatui praebitus. Per [k] Wormatiam Vangionum et Spiram Nemetum in ~~Wirtembergicam ditionem dein~~ itum, ubi pari munificentia exceptus Albertus. Inde, a tergo [l] Ulma et Auguſta Vindelicorum relictis, per [m] Noricum, ubi a Baioaro tot adfinitatum vinculis ſeeum conſtricto amanter et perquam honorifice exceptus, in [n] Tirolenſem Auſtriae domus principatum deſcendit; [o] Oenipontemque provinciae caput praetervectus, haud longe ab illo loco ubi Carolus V Caeſar fratrem Ferdinandum Romanorum regem ſibi occurrentem complexus, tabula aenea tam optati congreſſus memoriam teſtatam voluit, Margaritam, quae cum Maria matre et CIↃ equitum comitatu veniebat, obviam habuit, cum jam de Philippi morte eſſet cognitum: itaque cuncti lugubria ſumpſerant. Ad [p] Sterzingam, Fortiacaſtra olim loco nomen, in omen tunc acceptum, occurſus factus. Inde per [q] Bolzam [r] Tridentum Kalendis Novembribus ſimul venerunt; atque inde digreſſi [s] Atheſim ad [t] Dulcem-pagum Venetae ditionis per pontem ex navigiis ſubitario opere ſtratum tranſierunt, a Paulo [u] Paruta et aliis a ſenatu miſſis honorifice ſalutati, et per portas et arcus triumphaleis in proximum hoſpitium deducti armata pompa: nam bis mille pedites egregie inſtructi ad pontis cuſtodiam, XIII equitum turmae, armorum nitore ac beati Marci tutelaris vexillo conſpicui, ſtabant. Demum Veronam praetervecti ad [v] Oſtiam oppidum in [w] Padi ripa ſitum ditionis Mantuanae hoc comitatu venerunt; quo ad eos officioſe cum veredariis equis approperavit Vincentius Mantuae dux cum XXX primariae nobilitatis viris. Heic ad fluminis trajectum parata erant navigia, ad quae inter cetera regali apparatu ſtructa thalamegus atriis et tricliniis diſtincta, et peripetaſmatis argenteis [1] diſtincta, qua Margarita cum Maria matre et Alberto archiduce et ſexus utriuſque delecta nobilitate vehi debebant. In navigio paratae epulae; et ad levandum navigationis taedium ſymphoniaci cum omni muſici concentus

genere

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Noſtre Dame de Halle.* [c] *Nivelle, & Namur.* [d] *Luxembourg.* [e] *Macbern.* [f] *Saur r.* [g] *la Moſelle.* [h] *Treves.* [i] *le Palatinat.* [k] *Worms, & Spire.* [l] *Ulm, & Augſburg.* [m] *Baviere.* [n] *Tirol.* [o] *Inſpruck.* [p] *Sterzingen.* [q] *Bolzen.* [r] *Trente.* [s] *l'Adige.* [t] *le village nommé Dolce.* [u] *Paruta procurateur de S. Marc.* [v] *Oſtia.* [w] *le Po.*

NOT. [1] *potius* ornata.

genere et choreis adhibiti. Tribus pontonibus in ulteriorem ripam ad Roboreum trajectus reliquus comitatus.

IV. HINC ſecundo Pado Ferrariam delati ſunt, quo pontifex jam venerat: nam, compoſitis cum Caeſare [a] Areſtino rebus, et urbe ab Aldobrandino recepta, V Non. Mart. XIII cardinales una cooptatione creavit, et in iis Alexandrum Ateſtinum Caeſaris fratrem, Arnoldum Oſſatum Gallum a nobis ſemper honorifice appellatum, et Robertum Bellarminum e ſodalitio Jeſuitico, opere de religionis controverſiis cumprimis clarum. Inde Eid. April. Roma diſceſſit, et, facto per [b] Narniam, Interamnium, Fulginium, Camerinum, Maceratam, Calderolam itinere, die poſt decimo [c] Lauretum venit, locum concurſu peregrinantium tota Italia celeberrimum, quem et donariis ornavit. Biduo poſt Anconam divertit; et poſtea, continuato per [d] Senogalliam, Fanum, Piſaurum, Ariminum, Ceſenam itinere, III Nonas Maias ſub veſperam Ravennam intravit, ac biduo poſt ad S. Georgii coenobium acceſſit, quod haud longe a Ferraria abeſt, praemiſſo ad urbem reliquo comitatu. Poſtridie ſolemni et ſupra quam dici poteſt exquiſita pompa in ſella ſedens ſub uraniſco per arcus triumphaleis, ubique cum inſcriptionibus in ipſius gentiſque Aldobrandinae gloriam erectos, ingreſſus eſt; in eaque poſt res ordinatas commoratus eſt, quouſque Margarita Philippo III Hiſpaniarum regi uxor deſtinata, et Albertus archidux vir Infanti itidem deſtinatus adveniſſent, ut de gradibus conſanguinitatis eis gratiam faceret, et fiduciariis utriuſque nuptiis ſacerdotalem benedictionem imponeret. Igitur cum Eidibus Novembribus, quae in Veneris diem incidebant, Margarita et Albertus urbi propinquarent, Aldobrandinus et S. Clementis cardinales obviam miſſi ad [e] Inſulam, id loco III ab urbe lapide nomen, occurrerunt, et rheda regie ornata, quae a ſex candidis equis trahebatur, cum matre et archiduce reginam accipiunt. Ad portam urbis Conſalvus Ferdinandus Cardona [f] Sueſſae dux, Philippi apud pontificem orator, lecticam egregie ornatam ſponſi nomine obtulit. Ibi in materiata domo ad id cum ſolio regaliter exſtructa aliquantula mora facta, dum XVIII cardinales ad eam excipiendam venirent. Aderat et Jo. Ferdinandus Velaſcus Caſtellae conneſtabilis [g] Mediolanenſis principatus praeſes; qui, relicto Mediolani [h] Haronis comite filio, cum uxore et [i] Gandiae principe ipſius ſorore, quae reginae gynaeceo primaria cum dignitate praepoſita erat, Gandiae duce, Blaſco Arragonio, Jo. Mendoza, Inico Borgia, Roderico [k] Bivero, aliiſque ex nobilitate Hiſpana et aliquot cataphractis equitibus ac ſclopetariis, officioſe occurrerat. Heic regina candidum gradarium argenteo panno inſtratum conſcendit, et alterum parens, pontificis dona; et, praecedentibus militaribus turmis et cardinalium coetu, ipſa media inter Franc. Sfortiam et Alexandrum Montaltum cardinaleis, ſuo ſtipante Germanorum ſatellitio, per [l] Angelicam portam ingreſſa eſt. Inde per regii oratoris aedeis triumphalibus arcubus et inſcriptionibus magnifice ornatas ad palatium deducta, poſt habitam a Bernardino Scoto ad pontificem et cardinaleis quaſi in conſiſtorio ſedenteis de Auſtriae domus laudibus orationem, ad pedum oſculum cum matre et Alberto admiſſa eſt. Inde ad hoſpitium ſuum in palatio regaliter paratum divertit. Poſtridie eos pontifex convivio excepit. Demum Dominica, quae ſponſalibus dies dicta erat, cum cuncti lugubria poſuiſſent, et ad priſtinam laetitiam veſtibus ſolitis ſumptis rediiſſent, ingens ſplendor ubique conſpectus. Margarita candido amictu, unionum et gemmarum immanis pretii ornatu radians, ut tota gemmea videretur, coram pontifice cum diademate ac reliquo cultu pontificio ac cardinalium coetu in majore urbis templo ſedente ſiſtitur, inter

Odoardum

INTERPR. [a] *d'Eſte.* [b] *Narni, Terni, Foligno, Camerino, & Macerata.* [c] *Loretto.* [d] *Sinigaglia, Fano, Peſaro, Rimini, & Ceſena.* [e] *Iſola.* [f] *de Seſſa.* [g] *le gouverneur du duché de Milan.* [h] *Haro.* [i] *la ducheſſe de Gandia.* [k] Campana le nomme *Ribera.* [l] *la porta de gli Angeli.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

Odoardum Farneſium et Antonium Fachinetum cardinaleis media; et inde ſub uraniſcum ſibi cum matre paratum, Albertus item ſub ſuum conceſſit. Poſt apoſtolicum ſymbolum decantatum regina a cardinalibus ad pontificem ſacra peragentem ducitur, frequenti illuſtrium matronatum coetu. Albertus eum ſuo comitatu ad alteram partem acceſſit. Tum, recitato publice mandati a Philippo Hiſpaniarum rege dati inſtrumento, pontifex matrimonium inter Philippum regem abſentem per Albertum avunculum ac legatum ipſius nomine comparentem et reginam Margaritam praeſentem celebravit: cui ad ſolium reductae auſpicatiſſimas nuptias cuncti aſtantes gratulati ſunt. Albertus coram pontifice ſubſtitit, dum Sueſſae dux cum ſimili Infantis mandato accederet. Quo lecto Iſabella Clara Eugenia per legatum ſuum Alberto archiduci, verba faciente pontifice, deſponſatur. Peracta re divina pontifex reginae ad altare reductae roſam conſecratam ſolemni ritu donavit, quae inter dona ſacra eodem apud principes foeminei ſexus loco eſt, quo enſis et galerus qui ad primarios orbis Chriſtiani principes ac regulos a pontificibus mitti ſolent. Donatam roſam e manibus reginae [a] Florentius Barlaimontius comes aurei velleris torque redimitus accepit, et egredienti ad palatium praetulit. Inde omnia ob celebratas uno die maximas totius orbis principum binas nuptias, plauſu, luſu, in publico, privatim, perſtrepere, perſonatis utriuſque ſexus hominibus cum jocis ludicriſque choreis per urbem diſcurſantibus. Inter alia ſpectacula inſigne fuit XXX mulierum [b] Novocomenſium, quae perſonatae in ſex celoces totidem factiones coloribus diſtinctas aequaliter diſtributae, meta conſtituta, Trojanae naumachiae ſpeciem praebebant, ad ludicri voluptatem accedente remigum hujus ſexus tam perite celoces impellentium novitate, aliiſque oblectamentis, quae cymbalis, fidibus, ac ſaltationibus victrices ciebant.

V. NEQUE diutius morata regina, cum matre, Alberto, et omni comitatu, ſalutato pontifice Ferraria diſceſſit XII Kal. Dec. et [c] Gubernium venit, caſtellum in [d] Mincii ripa ſitum Mantuanae ditionis, a IV equitum turmis excepta; conſcenſaque nave regia prope Mantuam eſt delata, ubi nullum exquiſitae in ſpectaculis adhiberi ſolitae elegantiae genus omiſſum. Nam, poſt Helionorae Auſtriae Vincentii matris et Margaritae Alfonſi Ferrariae ducis viduae occurſum rhedae impoſita, ſub quartam noctis horam ad funalium lucem urbem eſt ingreſſa. Portae ad ingreſſum hinc Manto Tireſiae Thebani vatis filia, inde Oenus Mantus filius, urbis, ut perhibetur, fundator, ſtatuis egregie fabrefactis obverſabantur, qui adventum reginae gratulabantur. Moxque Jo. Baptiſta [e] Guerrerius urbis praefectus cum pedeſtri milite obviam proceſſit, et claveis civitatis principis ſui nomine in pollubro argenteo obtulit. Tum ſacer ordo, praeeunte Franciſco Gonzaga urbis epiſcopo, ſupervenit, et crucem ad oſculum porrexit. Inde regina lecticam panno argenteo intus foriſque tectam, a duabus mulis candidis geſtatam, uraniſco deſuper ſuſpenſo, conſcendit, quam juvenes ex nobilitate L amictu argenteo gemmiſque ornati ſtipabant. Hac pompa ad majus templum perrexit, per feneſtras aedium taedis paſſim accenſis, et flammis noctem vincentibus. Ad pontem Mincio impoſitum IV coloſſi muliebres admirandi operis ſtabant, quatuor orbis terrarum partes ſpecie referentes; quae, terrae globum montibus, inſulis, mari, et urbibus diſtinctum geſtantes, inſtar portae tranſitum venienti aperiebant; alia et IV tempeſtatum ſimulacra in foro S. Andreae: quae ubi regina pertranſiit, omnes carceres aperti ſunt, captivique ſoluti ob publicam laetitiam. Pro porta majoris templi Auſtriae gentis imagines viſebantur. In aditu arcis IV ſtatuae ſtabant, prima Pacis, ſecunda Fortunae, Aeternitatis tertia, quarta Hilaritatis. In limine ab Helionora [f] Medicea ducis uxore cum C nobiliſſimis ac lectiſſimis matronis ſalutata eſt.

Aderant

INTERPR. [a] *Floris comte de Berlaymont.* [b] *di Como.* [c] *Governolo.* [d] *Il Mincio.* [e] *Guerrieri.* [f] *de Medicis.*

Aderant Caeſar [a] Areſtinus Mutinae dux, Galeotus [b] Picus Mirandulae princeps, Novelarae comes, aliique generis claritate inſignes tota Italia viri. Biduum dein variis oblectamentis exactum; quorum praecipuum fuit fabula paſtoralis Mercurii et Philologiae ad auſpicatiſſimas regis reginaeque nuptias comparata, theatro, verſatilique machina, muſici concentus vocumque et organorum vario artificio admiſto, cumprimis ſpectabilis: qua re dux Mantuae aedilium aliorumque magiſtratuum florente republica muneribus publicis populo exhibendis ſumptum et munificentiam non ſolum aequaſſe ſed ſuperaſſe viſus eſt. Poſtridie Mantua diſceſſum, et Cremonam altero poſt die itum, et ad [c] Affaitadi marchionis aedeis hoſpitium ſumptum; acceptiſque a ſenatu muneribus in ciſtella argentea allatis, poſtridie facto per [d] Picoleonis caſtrum munitiſſimum et [e] Laudem Pompeii itinere, S. Andreae die feſto [f] Mediolanum ingreſſa eſt regina. Ante portam loco portae, non ex materitio opere, quod poſt ſpectaculum fere ſtatim perit, ſed ad perpetuam rei memoriam ex marmore ingenti ſumptu arcus erectus fuerat, LX pedum altitudine, latitudine dimidio major, in quo variae effigies et inſcriptiones erant, ut et in ſex aliis, per quos CIƆ IƆ paſſuum ſpatio per viam triumphalem incedentibus ad majus templum itum eſt. His acceſſit et octavus ad palatu, in quo regina divertit, gradus poſitus, variis trophaeis et inſignibus decoratus; et poſtremo theatrum proregis juſſu in area ſtructum forma triangulari, CXL pedes longum, latum XXCVII, columnis XI grandioribus ſuffultum; quibus . ſpatio deſuper imponitur. Quae omnia curioſis, quibus ab re ſua plus otii eſt, ex ſingulari [g] Vidi Mazentae deſcriptione petere licet. Mediolani regina inter varia ſpectacula totum bimeſtre contrivit, quouſque hyems deſaeviret. Miſſus interim [h] Solraeus comes per diſpoſitos equos in Hiſpaniam, qui et mandata, quae ab Ordinibus Belgii habebat, ad regem perferret, et eum de proſpera reginae valetudine ejuſque brevi adventu certiorem faceret. Pontifex, rebus Ferrariae ordinatis, Romam cogitans, ineunte Decembri cum toto aulico comitatu in viam ſe dedit: quo ſtatim atque incolumis pervenit, ſubita inundatione Tiberis alveo ſuo erumpentis ingens ſtrages in vicino agro edita, et longe maximum damnum in urbe acceptum eſt, pleriſque eum caſum non ſine numine eveniſſe interpretantibus, ut efferens ſe de felice Ferrariae ad Romanas opes acceſſione gaudium aliqua triſtitiae temperatione coerceretur. Nam ventorum meridionalium vi fluvius tota nocte ſequenti ita intumuit, ut, reſtagnante per omnem civitatem aqua, treis amplius palmos, quam CIƆ IƆ XXX anno, quo maxima omnium Clemente VII ſedem tenente diluvio fuit, ſuperaverit, ita ut ſoli VII montes et aliqua paulo editiora in urbe loca extarent. Pontis S. Mariae a Gregorio XIII inſtaurati duo arcus deſtructi: pars [i] Milvii pontis, et officinae quae in [k] S. Angeli ponte ſunt, vi aquarum raptatae; cum quibus et XL captivi, qui [l] Nonenſi turre aſſervabantur, ſummerſi ſunt. In agro et in urbe plus CIƆ homines periiſſe affirmant qui rem in majus non exaggerant; pluſque adeo damni urbem accepiſſe, quam ſi direpta ab hoſtibus fuiſſet; miſerabili paſſim ſpectaculo hominum, foeminarum pueros inter ulnas geſtantium, qui ſupernatabant fruſtra opem implorantes, ac plerumque undis hauriebantur. Magna et annona corrupta, et infinitus pecorum armentorumque numerus periit: ex eaque occaſione palatia et aedes a gerulis et bajulis, qui per naviculas audacter in eas quaſi officii ſpecie intrabant, male habitae ſunt.

VI. DUM Albertus e Belgio abſens variis ſpectaculorum ludicris occuparetur, utrinque minime ceſſabatur. Toto eo anno, etiam ante Alberti diſceſſum, cum diverſis in locis ob militis laſciviam turbatum eſſet, Philippus, qui videret penuriam ſtipendii his tumultibus cauſam dediſſe, errorem revocatis tam alieno tempore

INTERPR. [a] *d'Eſte duc de Modene.* [b] *Pico comte de la Mirandole.* [c] *il marcheſe Ottavio Affaitati.* [d] *Pizzighitone.* [e] *Lodi.* [f] *Milan.* [g] *Guido Mazente.* [h] *le comte de Solre.* [i] *le pont Molle.* [k] *le pont S. Angelo.* [l] *Tour de Nonne.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

penſionibus admiſſum diplomate XVI Kal. Mart. emiſſo emendavit; et, contractu cum Hectore Pocamillo, Ambroſio Somola, Franc. Malvenda, et Jo. Jacobo Grimaldo, qui aliorum nomine interveniebant, facto, poſtquam ſe excuſavit quod ſuperiore anno extrema neceſſitate victus penſiones revocaſſet, eas denuo reſtituit, ea lege, ut ipſi VII auri myriadas et CC ducatorum CIↃ mutua darent, ex eaque ſumma in proximos XVIII menſes Alberto binas auri myriadas ac CCL ducatorum CIↃ numerarent; quod ſupererat ipſe retineret. Poſtea IV CIↃ peditum Hiſpanorum duce Sanctio Leva in Belgium miſit, ut non tantum pecunia ſed et milite Albertum Infanti filiae maritum deſtinatum juvaret. Ii XL omnis generis navibus portabantur, quarum aliquot tempeſtate ſuborta ad [a] Caletum naufragium fecere, majorque navis a Batavicis illac excurrentibus intercepta eſt, in qua CL erant duce Alfonſo [b] Sanchio Villaregali. Ex iis [c] Vliſſingam abductis cognitum XII myoparones ad [d] Caſſiteridas praemiſſos, ut claſſi ex India venienti auro argentoque ac pretioſis mercibus onuſtae praeſto eſſent. Id navigandi ad eas partes pleriſque occaſionem eo anno praebuit, ſed exiguo ſucceſſu. Baltazar [e] Mocheronus, qui ſeptentrionem verſus navigationis tentandae auctor fuerat, Mauritii permiſſu V naveis inſtruxit, eiſque CL delectos milites, CC claſſiarios impoſuit, ac univerſis Julianum [f] Clerangium et Gerardum [g] Striboſium praefecit. Ii ad inſulam Principis navigarunt, ad quam Cornelius Mocheronus Baltazaris fratris filius jam appulerat, ob frequens in ea commercium inſulanis jam notus. Ejus interventu, nulla vi hoſtili adhibita, Clerangius inſula potitus eſt, praefecto, ejuſque vicario, aliiſque reipublicae praepoſitis ultro ſe imperata facere paratos demonſtrantibus. Sed ubi mandatum Mauritii inſpexere, et per illud belli ſibi cum Hiſpanis neceſſitatem impoſitam cognoverunt, facilitatis nimiae ſeu credulitatis ſuae poenituit, et in arcano ſocietatem cum Luſitanis inierunt, ut conjunctis viribus advenarum jugum excuterent. Facta vi repentina, cum Batavi gnaviter eos repuliſſent, Clerangius advocato concilio conſultat, et optimum factu judicat, ut oblivione res ſepeliretur, et inſulani unaque Luſitani denuo in fidem adigerentur. Sed non diu manſit inter eos concordia; noviſque ſubinde conjurationibus exacerbato odio, tamen aliquandiu diſſimulatum, quouſque placuit [h] vicarium rebellandi auctorem creditum in vincula conjici. Verum ad eum comprehendendum miſſi cum a mancipiis ipſius interfecti eſſent, ipſe vicarius captus, et poſt latam ſententiam laqueo injecto ſtrangulatus eſt. Accerſiti mox ab amicis vicarii ex beati Thomae inſula auxiliares, cujus praefectus Antonius Meneſes poſt menſem IↃ ad inſulam miſit, qui contra Batavos arma ſumendi inſulanis animos fecere; Clerangio inter haec ſolute et ſecure agente, nec incepta opera, ſicuti poterat, ſolicitante. Poſtea cum ſuis in ſuſpicionem veniſſet, quaſi caedis eorum, qui a vicarii ſervis interfecti fuerant, ob occultas ſimultates auctor fuiſſet, inde moerore contracto in lethalem morbum incidit, ex quo aliquot poſt diebus periit. Ejus in locum Striboſius ſuffectus cum ſolicitandis operibus intentior nullam valetudinis rationem habet, praeſertim coelo tam maligno, haud multo poſt et ipſe morbo abſumptus eſt, decreſcente in dies militum, quos adduxerat, numero. Itaque ex quatuorvirorum, qui poſt Clerangii et Striboſii mortem rerum ſummae praeerant, ſententia, arce et munitionibus prius deſtructis et incenſis, iter in patriam, militibus et claſſiariis jam tumultuantibus, pronunciatur XV die antequam auxiliares IↃ a Baltazare Mocherono ſummiſſi in inſulam appuliſſent. Locus eſt portu IↃ navium capaci ad res in locis illis gerendas peropportunus; quo a Batavis occupato multum Hiſpanis in Indias navigantibus incommodabatur. Eodem tempore aliae navigationes non ſolum in Indias, Braſiliam,

Caſtellum

INTERPR. [a] *Calais.* [b] *Sancho de Villa-real.* [c] *Fleſſingue.* [d] *les Açores.* [e] *de Moucheron.* [f] *de Cleerhaghen.* [g] *Stribos.* [h] *le Vicaire du lieu.* La Relation le nomme *Padre Vicario.*

CIↃIↃXCVIII.
HENRICUS IV.

[a] Caſtellum metallorum,[a] alioſque maritimos [b] occidentales Africae tractus ſuſceptae, quo miſſas xxc amplius naveis couſtat; ſed etiam per mare Mediterraneum in Graeciam, Syriam, Alexandriam, commeatu a ſultano Turcorum impetrato, ut ſub vexillo Franciae navigantes negotiarentur.

VII. Aprili proximo Fridericus Wirtembergicus oratorem ad Ordines legavit, a quo poſtulatum, ut ſuis per [c] Nicrum in Rhenum deſcendentibus in ditionibus Ordinum imperio ſubditis libere negotiari liceret; quod ſi aequum et commodum utriſque videretur, Ordines hominem purgandorum fluminum peritum ad ſe mitterent, qui Nicrum navigabiliorem redderet. Utrumque Wittembergico conceſſum; et miſſus ad eum Jo. [d] Bradleius harum rerum experientiſſimus, qui Nicri alveo purgato multum ad expeditiorem fluminis navigationem contulit. Sub id percuſſor ad interficiendum Mauritium aut ſubornatus, aut veſano ſpiritu incitatus, ex indicio [e] Lugduni Batavorum captus eſt. Is fuit Petrus [f] Panna Hipris in Flandria natus; qui ut Cantaber ille [g] Jaureguius anno CIↃ IↃ XXCII ex taedio lapſarum facultatum Gulielmum Arauſionenſem Mauritii patrem ſcloppeto petierat, ſic is et in ejus filium conjuravit. A Melchiore [h] Wala cognato ſuo, qui in Jeſuitica ſchola [i] Duaci vilia miniſteria obibat, cum Hipris eſſet, primum de caede mentionem injectam aiebat, uxore prius ab eodem ſollicitata, ut facinoris patrandi marito auctor eſſet: itaque inopia urgente Duacum ad Jeſuitas veniſſe, et a [k] provinciali, qui in eam rem concionem coram ipſo habuit, merita erga Deum hominesque illius, qui tale quid faciendum ſuſcepiſſet, ultra modum commendans, et ſcholae rectore poſtremo perſuaſum, ac multis promiſſis oneratum, accepta pecunia et ad uxorem miſſa, in Hollandiam eo conſilio diſceſſiſſe. Haec autem ſibi ab illis, ſicuti ſententia mortis in eum lata praeferebat, ſaepius inculcata fatebatur: magnum in unius caede, qui tot animas quotidie jugularet, ad Dei gloriam lucrum fieri: qua patrata, aut ipſe divino miraculo ex perſequentium manibus eriperetur; ſi ſecus accideret, in coelum ad vitam aeternam raperetur: poſt hortatus ſacra confeſſione procuratum, et ſacroſancto viatico ſumpto ad caedem auctoratum, in viam ſe dediſſe, et Lugdunum veniſſe; moxque atrocitate facinoris apud ſe perpenſa poenituiſſe. Igitur captus cum haec inter et extra tormenta confeſſus eſſet, et, quaſi poenitentia, antequam captus eſſet, ſubeunte, veniam facti, quod ſe deteſtari aiebat, infecti fruſtra petiiſſet, poſt exquiſitam Hollandiae et Friſiae occidentalis ordinum ſententiam, re cum majore concilio communicata, a ſupremo Hollandiae, Zelandiae, Friſiae magiſtratu ad mortem damnatus eſt, et extremo ſupplicio affectus x Kalendas Quintileis, publicata ubique ſententia. Ad eam apologia a Franciſco [l] Coſtero ex illo ſodalitio Germanice ſcripta reſponſum menſe inſequenti, qua auctor calumnioſe haec in ſocietatem ſuam a Calviniſtis conficta, et Pannam ad has confeſſiones ſycophantico aſtu adactum multis verbis oſtendere conatur; ut et quae in Chriſtianiſſimum regem et Angliae reginam a percuſſoribus ab eadem ſocietate ſubornatis tentata memorantur. Apologiae, cum eam Latine verteret, nomen ab Aegidio [m] Schondoncho ex eodem ſodalitio ſacerdote praefixum, *Sica tragica comiti Mauritio a Jeſuitis, ut aiunt Calviniſtae, Leidae intentata.*

VIII. Pace inter Gallos et Hiſpanos facta cum Ordines ſe bello aperto et inſidiis undique peti viderent, ex Mauritii conſilio arctiorem cum Anglorum regina ſocietatem inire decreverunt: et cum paulo ante ipſa ad eos Franciſcum Veerum equitem bellis Belgicis famoſum ducem miſiſſet, ut quid voluntatis ipſorum eſſet in bello adverſus

communem

INTERPR. [a] *Caſtel de Mines ou Mina.* [b] *Coſtes d'Afrique, & de la Guinée vers l'Oüeſt.* [c] *le Necre.* [d] *Bradley.* [e] *Leyde.* [f] *Panne natif d'Ypres.* [g] *Jaureguy Biſcayen.* [h] *Vandenwalle.* [i] *Douay.* [k] *le pere provincial.* [l] *Coſter.* [m] *Schondonck.*

communem hoſtem perſequendo coram cognoſceret, illi honorificam ad eam legationem decernunt; quam obierunt Joannes [a] Duivenvordus Warmontius eques et praefecti maris vicarius, Joannes [b] Barneveltius Tempellius protoſymbulus Ordinum Hollandiae et Frisiae occidentalis, Joannes [c] Werkus Mildeburgi ſyndicus, Joannes [d] Hottinga, et Andreas Heſſellius primarius Brabantici concilii Hagae inſtituti aſſeſſor, ab Ordinum conſeſſu delegati. Hi in Angliam profecti rem confecerunt: et, quanquam regina tunc Hibernico bello, in quo aliquam cladem acceperat, valde occuparetur, auxilia promiſſa ſuppeditavit, et ſe rei Belgicae praecipuam curam habere facto demonſtravit. Nec [e] Buſenvallius regius orator officio defuit, et a rege, ad quem dum pax agitaretur profectus fuerat, tam opportune ſuppetiarum olim miſſarum non immemori, omnia ſecunda retulit: ſe, quanquam pace inter reges facta, apud eos manere juſſum; et regem citra aperti contra Hiſpanos belli neceſſitatem cuncta in eorum gratiam facere paratum, et pecuniam, quam ab iis ad neceſſarios ſumptus mutuam acceperat, in tempore repraeſentaturum.

IX. HAUD multo poſt exeunte Septembri Franciſcus Mendoza Aragoniae maris praefectus, cui ſumma armorum per Alberti abſentiam ſub Andrea cardinali demandata fuerat, Moſa tranſmiſſo exercitum juxta Ruremondam ducit. In eo erant CXVIII peditum ſigna, [f] Belgarum, [g] Sequanorum, Italorum, Germanorum, Hiſpanorum, Hibernorum, quae ad XX CIↃ efficiebant, et XII alae equitum; nam totidem in [h] Atuaticis reliquerat. His copiis ſubnixus, per [i] Eburones et Menapios facto itinere, inter [k] Coloniam et Bonnam, praemiſſo Claudio [l] Burlota cum ſua legione, Rhenum traduxit [m] Orſoii, quod eſt [n] Cliviae ditionis oppidum in ripa fluminis, a Willelmo duce muniri coeptum, oppidanis partim minis, partim blanditiis, portas venienti aperientibus; copiaſque introductas ſtatim ad arcem admover, quae a paucis praeſidiariis ducis nomine tenebatur; et adducto in conſpectum cum laqueis carnifice, et Capucinis patribus, qui ad mortem damnatos in arcano confeſſionis audire ſolent, deditionem imperat, per hos quaſi fecialeis extremam poenam, ni parerent, interminatus. Quo ſpectaculo territi illi ſe dediderunt. Inde feſtinatis operibus locus muniri coeptus; et haud hinc longe ad [o] Walſomum exſtructa nova munitio, ut ab utraque ripa Rhenus fraenaretur. Tum emiſſae in Weſtfaliam III Hiſpanorum legiones, cum Caroli [p] Longavalli comitis Buquoii legione, et XII equitum alis; quae longe lateque hinc inde excurrentes per [q] Clivenſem, Juliacenſem, Colonienſem agrum, Montenſem principatum, et Monaſterienſem dioeceſim, omni libidinis et licentiae genere impune graſſatae ſunt. Ad hunc ſtrepitum excitati Ordines, qui totam aeſtatem nihil moliti copias in praeſidiis tenuerant, eas educunt, ad [r] Arnhemium in Sicambris, quo univerſae convenirent, loco condicto. Tum traducti pontones ac pontes et tormenta juſſu Mauritii; qui VI Eid. Sept. ad [s] Schenkianam munitionem venit, ut hoſtium diſcurſationes impediret. Primus Hiſpanorum impetus contra [t] Alpenam fuit, ditionis Aemiliae Nuenarae Friderici III Palatini ſeptemviri viduae arcem; quae, licet ſe neutris partibus addictam profiteretur, eoque nomine ab Ordinibus et Alberto acceptis publicae ſecuritatis literis ſibi idonee cautum putaret, locum tradere coacta eſt. [u] Meurſii item comitatus domina, quae ſe pariter publica fide tutam arbitrabatur, hoſtem intra moenia accipere, et commenſaleis pluris quam volebat habere, compulſa eſt. Mauritius, ut ſe conatibus Hiſpanorum ſemper ulterius progredientium opponeret, Friſiae, Tranſiſelanae regioni, et

Zutfaniae

INTERPR. [a] *Duyvenwoorde Sr de Warmont.* [b] *d'Olden Barnevelt Sr de Tempel premier conſeiller.* [c] *Vaadenwercke penſionaire de Middelburg.* [d] *de Hottinga, & de Heſſels.* [e] *Chouart de Buzenval.* [f] *Wallons.* [g] *Franc-Comtois.* [h] *Brabant.* [i] *Liege, & Flandre.* [k] *Cologne, & Bona.* [l] *la Bourlote.* [m] *Orſoy.* [n] *Cleves.* [o] *Walſom.* [p] *de Longueval comte de Bucquoy.* [q] *Pays de Cleves, Juliers, & Cologne, duché de Berg, & eveſché de Munſter.* [r] *Arnheim en Gueldre.* [s] *le fort de Schenck.* [t] *Alpen.* [u] *Meurs.*

[a] Zutfaniae metuens, praeſidia idoneis locis diſpoſuerat; et ipſe [b] Duisburgum ad Iſalam et Doteeomium cum delecto equitatu profectus eſt, ut limitem ab ea parte firmaret. Ibi Bergenſium marchionum matrem ſibi arcta conjunctam cognatione obviam habuit; eique indulſit, ut [c] Serenbergam ſuam in Geldria arcem, quam praeſidio Ordines tenebant, praeſidio amoto moenibus nudaret, fide data, filios, qui Philippo militabant, eam non inſtauraturos; ſi contra facerent, omni jure proprietatis, quam in ea habebant, tanquam foedifragi exciderent: [d] Anholtium et Bronchorſtum itidem munita illis regionibus loca deinceps neutra haberentur. Sub id cum ex literis [e] Henrici Chalonii nothi interceptis cognoviſſet, Mendozam, munitis ad [f] Orſoium caſtris, [g] Berkae ad Rhenum imminere, ex ducum conſilio ad [h] Seventriam veterem, pagum haud longe a [i] Seventrio oppido in ripa Rheni poſitum, caſtra metatur, cui praetenditur inſula, cui [k] Geldriae nomen, amoena admodum; ex qua ad utramque ripam ex navigiis et abiegnis tabulis ſuperſtratis pontes ſtruxerat, ut [l] Betuviam ſuperiorem et inferiorem et [m] Veluviam ab hoſtium incurſionibus defenderet; per alterum, qui XLIV navigiis junctis conſtabat, equitatu in Betuviam emiſſo, et per vicinos pagos commodis hoſpitiis diſtributo, ut ad eum invadendum Hiſpani niſi Rheno aut Wahali tranſmiſſo penetrare non poſſent. Ipſe inſulam locis, ubi humilius vadum erat, egregie munivcrat, X muralibus tormentis impoſitis, V dimidiis, et X campeſtribus. Inde Philippum Hohenloum comitem ſororium ſuum, qui ad ipſum cum delectis ſupervenerat, Zutfaniam vaſtam urbem mittit, additis ad peditatum, quem penes ſe habebat, XIV equitum alis et IV ferreis machinis, datoque negotio ut [n] Grollam et Brefortium novo praeſidio firmaret. Tum, cognito copioſum commeatum cum tormentis et apparatu bellico ad caſtra Hiſpanorum Geldria urbe advehi, quem CIↃ IↃ delecti et II equitum alae ſequebantur, Mauritius cum Hohenloo, Naſſovio, et Solmenſi comitibus, et robore equitatus in viam ſe dat, relicto ad caſtrorum cuſtodiam [o] Sideniskio primario centurione; tranſmiſſoque per pontones Wahali juxta Bommelam, dum inter Venloam et Orſoium incedentem hoſtem nanciſci ſperat, jam praetervectis Hiſpanis fruſtra fuit. Nec multo poſt claſſiarii, qui ad Bommelam ſtabant, ad Hiſpanos transfugientes, juxta [p] Reſam oppidum triremem Ordinum necopinato aggreſſi, Simone [q] Janſonio vix elapſo et aliquot defenſoribus oppreſſis, ceperunt, deductiſque aliquot tormentis ac reliquo apparatu bellico eam jam vetuſtate exeſam ac paene inutilem igne injecto abſumpſerunt. Id actum XII Kalendas Octobreis. Quinto poſt die [r] Cliviae ditionis ordines [s] Juliaci convenerunt, ut de injuriis a Mendoza et Hiſpanis in Orſoii occupatione aliorumque locorum vaſtatione acceptis in commune conſultarent. Sciſſa erant delegatorum ſtudia; nonnullis in Philippi partes propendentibus, et odio adverſae partis factum Hiſpanorum excuſantibus. Verum Sibylla Joannis Willelmi ducis ſoror, generoſi animi foemina, tenuit, ut ad Mendozam mitterentur qui Orſoium reſtitui peterent; ſi recuſaret, [t] Lippenſis comes Weſtfalici circuli praefectus rogaretur, partes ſuas interponeret, et impediret ne per ditiones praefecturae ſuae ſubjectas delectus ad [u] bellum Pannonicum haberetur, aut pecunia imperata colligeretur; ſed miles ad limitis defenſionem et pecunia ad belli ob id neceſſarii ſumptus in provincia retineretur: inſuper, ut V circulorum inferiorum conventum [w] Dormontii indiceret; Duſſeldorpium interea validiore praeſidio firmaretur: Cliviae princeps ad Caeſarem ſcriberet, principes ac Imperii civitates, ac nominatim ad ſeptemviros, Brunſvicum ducem, et Heſſiae principem; et de injuriis

ab

INTERPR. [a] *Zutphen.* [b] *Duyſbourg ſur Yſſel, & Deutecom.* [c] *Serenberg.* [d] *Anholt, & Bronckhorſt.* [e] *le capitaine Henry de Chalons fils de Palamede de Chalons fils batard de René de Chalons & de Naſſau prince d'Orange.* [f] *Orſoy.* [g] *Rheinbergen.* [h] *le vieux Zevenaer.* [i] *Zevenaer.* [k] *Gelderſchen-weerd, i. e. Iſle de Gueldre.* [l] *le Betuwe.* [m] *la Veluwe.* [n] *Groll, & Brefort.* [o] *Sidenifki.* [p] *Rees.* [q] *Janſſen.* [r] *Cleves.* [s] *Juliers.* [t] *le comte de Lippe chef du Cercle de Weſtphalie.* [u] *Guerre de Hongrie.* [w] *Dormont.*

ab Hiſpano illatis expoſtularet, obviamque iis iri et remedia idonea communi ope adhiberi peteret. Delegati et ex ordinum ſententia qui v circulorum conventui intereſſent, et ad Colonienſeis item proficiſcerentur, ac communi in periculo virium et conſiliorum conjunctionem implorarent. Sibylla ad Albertum, cum jam in via eſſet, literas dat, expoſtulationum et querimoniarum plenas, et [a] Orſoium reſtitui, [b] Walſomam munitionem dirui, petit: ad quas Albertus reſpondit, nihil ſibi minus in animo fuiſſe, quam ut ditionem alienam invaderet, aut Cliviae principi injuriam faceret; ſed, neceſſitate belli adverſus rebellanteis Belgas ſuſcepti coactum, ad tranſitum Rheni Orſoium occupaſſe; quod neque pro tempore reſtituere, nec munitionem coeptam intermittere queat, donec bellum confectum ſit; ſed daturum operam, ut miles diſciplinam ſervet, et ab omni maleficio per Clivenſem ditionem abſtineat. His literis cum ſibi fratrique illuſum videret Sibylla, et Hiſpanos tota Clivenſi ditione effuſos nihilominus cuncta licenter agere, Clivia etiam urbe, in qua princeps erat, ſemel atque iterum tentata, ad Mauritium ſcribit; et poſt actas pro tanta moderatione, qua in alieno utebatur, militem a praedis abſtinendo, gratias, datum per Clivenſem ditionem Hiſpanis liberum tranſitum excuſat; rogatque ne propterea fratri ſuccenſeat: nam violentiae parendum fuiſſe, et ordines ad Lippenſem comitem ſcripſiſſe, ut Orſoium a Mendoza repoſcat, et opera ad Walſomum interturbet. Verum tantum jam ad altitudinem munitione perducta, Lippenſis, qui longe aberat, interceſſio fruſtra fuit. Mendoza interim [c] Berkam ad Rhenum miſſo feciali tradi petit; cui [d] Scaëfius loci praefectus, ex lue peſtilenti, quae toto oppido tunc maxime ſaeviebat, decumbens, nihil aliud reſpondit, quam inſtitutum cum Colonienſi ſeptemviro, cujus in ditione Berka erat, colloquium, et, antequam de ejus exitu cognoſcat, nihil ſe poſſe ſtatuere. Mauritius per Scaëfium monitus ſtatim III ſigna in inſulam loco oppoſitam mittit, qui vallo ducto in ea ſe munirent. Sed cum citra periculum in loco conſiſtere non poſſent, tam humili plerumque vado ut ad eos undique aditus pateret, in oppidum licet lue infectum penetrarunt, in quo non plus CCCC praeſidiarii erant. Cum poſt Scaëfii ſolicitatam uxorem etiam minas adderet Mendoza, Mauritius de exitu veritus ſubito Lucam [e] Heddineum ſtrenuum virum, ut loco praeeſſet, miſit, qui ad obſidionem ſuſtinendam militem obfirmavit. Sparſo late Hiſpani nominis trans Rhenum ad vanitatem terrore, [f] Wirikus Daunius Falcenſtenii comes, [g] Broëcae arci ſuae in Montenſi principatu metuens, ad Mendozam miſerat, ſecuritatem loco et familiae ſuae quaerens, et ſcripto ſibi caveri petens: verum ejus ſupplicationem verbis ambiguis eluſit Hiſpanus, cum diceret, Philippo cum [h] Clivenſi foedus intercedere religionis tuendae cauſa; cujus ad leges ſi ſe ipſe familiamque ſuam componeret Falcenſtenius, non opus eſſe ut illi ſcripto caveat. Senſit comes, qui Auguſtanae confeſſioni addictus erat, ſuas fortunas non extra periculum eſſe. Itaque mature uxorem liberoſque pridie Nonas Octobreis ſub veſperam alio amandat, cum parte pretioſioris ſupellectilis: dumque ipſe in eo eſſet poſtridie ut convaſatis rebus ſuis eam ſequeretur, nec-opinato hoſtium adventu opprimitur, qui arcem cinctam eodem die tormentis admotis pulſant. Impar ſuſtinendae obſidioni comes incolumitatem ac libertatem ſibi ſuiſque pactus locum tradit, ſummam victoris perfidiam mox expertus: nam dum arce exit, a ſupervenientibus ſiſtitur captivus, ſpoliatis ad XL ex ſuis in ipſius conſpectu, et a rixante de praeda milite interfectis. Ipſe vix interventu [i] Hardembergi cognatione conjuncti in tumultu ſalvus evaſit, a quodam ex tribunis in ſecretius conclave deductus, cum puero nobili, qui ſolus ex omni comitatu ſupererat. Sed quinto poſt die, cum ſpatiandi cauſa, permiſſu, imo et hortatu

INTERPR. [a] *Orſoy.* [b] *le fort de Walſom.* [c] *Rheinbergen.* [d] *le capitaine Schaef.* [e] *le capitaine Heddinck.* [f] *Wirick van Daun comte de Falckenſtein.* [g] *Broeck au duché de Berg.* [h] *le duc de Cleves.* [i] *le Sr de Hardemberghe.*

hortatu ejus, cujus cuſtodiae commiſſus erat, ad molatrinam vicinam proceſſiſſet, et ad recentem adhuc ſuorum cruorem in terra ſparſum exhorreſcens ulterius ſemper procederet, ab immiſſo milite occaſionem quaerente, quaſi aufugeret, retractus, et multis ictibus crudeliter confoſſus eſt. Addunt, qui rem in majus extollunt, cadaver toto biduo humi relictum, et poſtea flammis, Sectariae, ut ab Hiſpanis jactabatur, peſtis odio, conſumptum fuiſſe. Eodem victoriae curſu capta vicina oppida, [a] Burikum, Dinſlakena, Holta, et Reſa, caeſis praeſidiis aut male mulctatis oppidanis. [b] Weſaliae jampridem inhiabant Hiſpani, quod ea urbs, et opibus et civium multitudine ampliſſima, Proteſtantibus in illa ditione, quae alioqui majorum religioni addicta erat, receptum daret; conſuleſque urbis periculum veriti ad Mendozam miſerant, magnam pecuniae vim offerentes, ſi ab injuria temperaretur. Sed Mendoza, pecuniam faſtu Hiſpano averſatus, unum id ſe petere reſpondit, ut in urbe majorum religio inſtauraretur, ſacerdotes in priſtinam dignitatem reſtituerentur, et Sectarii paſtores, qui eos dejecerant, pellerentur: id ſe quovis munere et theſauro potius habere, abundeque opum ſibi futurum, ſi tot animas ſub Sectaria tyrannide laboranteis in libertatem Catholicam afferat. Quibus verbis tanquam claſſico excitati qui in urbe erant Catholici, Proteſtanteis adeunt, et per commune periculum hortantur, ut ad vitandam obſidionem et ſecuturam proculdubio direptionem neceſſitati cederent, et ſe ad tempus accommodarent. Tandem ſciſſa ſtudiis urbe, quippe in qua CCC praeſidiarii a Cliviae duce impoſiti erant, placuit, ut legati ad Mendozam mitterentur, qui oppidanos imperata facturos oſtenderent, modo ab injuria abſtineretur. Itaque Mendoza, qui ad famam, ad quam tota ea expeditione magis quam ad rerum Alberti amplificationem ſpectavit, maxime facere videret, ſi urbem Proteſtantium ſectae addictam ad religionis Catholicae obſequium inflecteret, exeunte anno Coriolanum [c] Garziadorum, qui Coloniae pontificii oratoris munere fungebatur, evocat, ut per eum religio antiqua Weſaliae inſtauraretur, et templa ſolemni ritu reconciliarentur. Verum non diu cultus priſtinus apud eos viguit: nam recedente Mendoza revocati ſtatim in urbem Proteſtantium paſtores; et impetu in ſacerdotes facto parum ab injuria pontificis orator abfuit, quam non niſi feſtinato diſceſſu vitare potuit. Jamque omnia ad [d] Berkae obſidionem parata, et tam pedites quam equites in inſulam oppoſitam immiſſi munitionem a Berkae praeſidiariis in ea ſtructam occupaverant, defenſoribus citra damnum intra oppidum acceptis, cum in ima inſula tribus locis verberatio inſtituitur, et in ſingulis IV tormenta diriguntur. Tum ex adverſo [e] Caſſellae portae II [f] majores machinae et totidem mediocres collocantur. Demum pridie Eid. Oct. nebuloſo coelo propius Hiſpani ſucceſſere, ad cataractam Rhenanae portae vicinam, extra munimentum, quod ſemilunae ſpecie oppido ab ea parte praetenditur. Rebus ita diſpoſitis ab Alfonſo [g] Davalo legionis tribuno, nulla Mendozae mentione facta, per tympaniſtam deditio imperatur. Magiſtratus in urbe, ut Colonienſis ſeptemviri auctoritatem tueretur, apud praeſidiarios inſtabat, liceret ſibi ad Mendozam mittere, et Colonienſis nomine petere, ut oppidum tanquam neutrarum partium ſequeſtraretur. Sed praeſidiarii magiſtratus poſtulata tanquam intempeſtiva rejecerunt; et, tympaniſta ſine reſponſo remiſſo, ſe ad defenſionem paratos oſtendunt, perniciem ei interminati, ſi a privatis tribunis miſſus denuo ad oppidum accederet. Itaque cum eodem die ad nonam uſque horam continuata eſſet verberatio, accidit ut pila ignita in turrem arci propinquam juxta Rhenanam portam penetraverit, qua parte murus pedis craſſitiem non excedebat, ubi CL pulveris nitrati dolia

tecondita

INTERPR. [a] *Burick, Dinſlaken, Holt, & Rees.* [b] *Weſel.* [c] *Garzadoro* [d] *Rheinbergen.* [e] *Caſſel-porte.* [f] *double canons & demi-canons.* [g] *Davalos.*

CIϽIϽXCVIII. recondita erant; quae igne concepto et turrem ſubverterunt, et cum turre majorem
HENRICUS IV. aedium partem et proximum portae pomoerium immani cum fragore quaſſaverunt. In eo caſu [a] Heddincus loci praefectus et aliquot defenſores, qui in ſemiluna erant, abſumpti ſunt: continuoque ad portam ignis ab Hiſpanis accenſus, qui mox recenti milite ſummiſſo reſtinctus eſt. Sed cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, et, conſumpto omni pulvere et peſte in dies magis ſaeviente, deinceps in defenſione fruſtra laborari praeſidiariis videretur, magiſtratu urgente ut matura deditione et oppidanis aliiſque defenſoribus conſuleretur, colloquium per tympaniſtam [b] Sanporta emiſſum petitur. Datis utrinque obſidibus, a Davalo, Marcello [c] Judice et Franciſco Nellio, a praeſidiariis [d] Loono et Favillano ordinum ductoribus, tandem conventum, ut oppidum traderetur, miles cum armis et impedimentis incolumis, complicato ſigno, ſine tympanis et fune non accenſo, [e] Zatenam deduceretur, fide data, intra quadrimeſtre contra Philippum et Albertum non militaturos; qui vellent ex oppidanis cum milite vita ſalva dimitterentur. XL commodati carri a Davalo, cum quo, non cum Mendoza, res tranſacta; qui ſumma humanitate erga deditos uſus eſt, ut parem gratiam a Mauritio, cum juxta [f] Neomagum in [g] Betuvia caeſo Hiſpano equitatu captus fuerat, acceptam remuneraret. Dum haec agerentur, [h] Dormontii circulorum inferiorum Weſtfaliae conventus habebatur, quo Mauritius exeunte menſe proximo delegatos miſerat, ut ſe paratum Berkam Colonienſi ſeptemviro reſtituere oſtenderet, modo Hiſpani alia oppida Imperio ſubjecta a ſe occupata reſtituerent, et ab injuria vicinorum temperarent. Sed cum inter haec Berka capta fuiſſet, ut hoſtium conatibus praeverteret, [i] Tolhuiſanam munitionem juxta Sgravenverdam aſtu intercipit, Hiſpanis [k] Doësburgum in Zutfanienſi comitatu petituris impedimentum allaturus, et [l] Seventriae arcem vi captam praeſidio firmat. Mendoza contra, numerato ex pecunia [m] Weſaliae accepta militi ſtipendio, concilium belli ducum advocat, et quo ducendum placeret in commune conſultat. [n] Fridericus Bergae comes cenſebat, ad ſedandas vicinorum et Imperii civitatum ac principum querimonias, ut in hoſticum copiae revocarentur, et in [o] Tranſiſelanam ac Friſiam bellum juſtius transferretur: ſed Ludovicus Velaſcus contra diſputabat, et, inclinata jam tempeſtate, periculoſum aiebat copias jam feſſas contra recenteis hoſtium locis infeſtis opponere. In eamque ſententiam non ſine Belgarum murmure itum eſt, qui bellum oſtentari inermibus populis, armatorum hoſtium occurſum vitari, nullo fructu tantum exercitum conſumi, fremebant. Igitur Bocholtium verſus iter intendit Mendoza, datis ad circumpoſita oppida in [p] Monaſterienſi dioeceſi literis minacibus, quibus commeatus, pecunia, et bellicus apparatus imperabatur: quod illi tamen facere recuſarunt. Mauritius, quid in Hiſpanorum caſtris ageretur non ignarus, ex diſſidio ducum conſilium capit, et Seventriam diligentius munire conſtituit, circa templum exſtructis aliquot ſemilunae ſpecie propugnaculis, ut Doësburgum et [q] Veluviam petituris aditum ab illa parte intercluderet. Ipſe Doësburgum cum exercitu profectus, partem ejus in inſula [r] Iſalae oppoſita, partem a tergo oppidi collocat, ducto vallo et egregie tormentis diſpoſitis firmato. Intumeſcentibus dein Rheno, Iſala, et [s] Wahali, cum aqua ad VIII pedum altitudinem ſubito crevisset, navigium armatum per Iſalam immittit [t] Reſam verſus cum delectis, qui aggerem [u] Hettae amni impoſitum ſupra [w] Emericum aperirent. Quod illi totam noctem in opere aſſidui fecere, aqua ſtatim in Hiſpanorum caſtra reſtagnante; qui infeſta interim diſploſione Hohenloum comitem, foſſoribus cum CIϽ equitibus praeſto eſſe juſſum, infeſtabant: ſed diſpoſitis in aggere tormentis

INTERPR. [a] *Heddinck.* [b] *la Sant-porte.* [c] *del Giudice, & Fr. Nelli.* [d] *les capitaines Loon & Favillan.* Meteren le nomme *Fouilleau.* [e] *Santen.* [f] *Nimegue.* [g] *le Betuwe.* [h] *Dormont.* [i] *le fort de Talbuys près de Gravenweerdt.* [k] *Doesburg.* [l] *Zevenar.* [m] *Wesel.* [n] *le comte Fred. Vanden Berghe.* [o] *Over-Yſſel.* [p] *de Munſter.* [q] *la Veluwe.* [r] *Yſſel r.* [s] *le Wahal.* [t] *Rees.* [u] *Hette.* [w] *Emerick.*

tormentis Hiſpani Hohenloum cum navigio recedere coegerunt, et nocte inſequenti CIↃIↃXCVIII.
aggerem ruptum farciverunt. Emerico immunitatem a praeſidio ſacrum oppidi col- HENRICUS IV.
legium et Jeſuitae a Mendoza impetraverunt. Nihilominus oppidani juſſi tranſitum
copiis praebere cum Hiſpanos admiſiſſent, illi loco potiti praeſidium imponunt, de-
cano collegii fidem Mendozae, etiam exhibitis ipſius literis, fruſtra appellante, et non
immerito [a] Gueuſios, ita Ordines vocabant, Hiſpanorum promiſſis diffidere atteſtante,
qui fidem datam magno amicorum et vicinorum cum detrimento fallerent. Quas ex-
poſtulationes Mendoza eum eluſiſſet, rejecta in belli toties in horas variantis neceſ-
ſitatem invidia, gratiae loco conceſſit, ut Germanorum tantum praeſidium accipe-
rent. Cum Reſenſibus durius actum, quibus Hiſpani et Itali praeſidiarii impoſiti. Iſ-
ſelburgi vero, cum oppidani aliquandiu altercati eſſent, poſtremo vi victi et male
mulctati ſunt, pleriſque ex iis occiſis. Inde Mendoza ad [b] Eltenae montis radices ca-
ſtra ponit, unde Nonis Novembribus IV legiones mittit [c] Dotecomium in [d] Zutfani-
enſi comitatu obſidione cincturas; quas in itinere obvias declinavit Hohenlous co-
mes, ratus totum exercitum hoſtilem ſubſequi; et cum Erneſto Naſſovio, ac equi-
tatu quem ducebat, et Scotico, in [e] Betuviam ire perrexit; et, [f] Tolhuſiana munitione
tormentis firmata, etiam [g] Huſſenum oppidum amplius munivit. Ipſe Mauritius
Doësburgi cum reliquis copiis ſubſtitit, ut ab ea parte Veluviam defenderet; quo et
pontones ex [h] Geldria inſula egregie prius munita advehi curavit. Ubi Dotecomi-
um venit Mendoza, ſine ulla denunciatione oppidum, quod a IV tantum ſignis tue-
batur, IV admotis machinis pulſat, ut terror ex eo major circumpoſitis oppidis inji-
ceretur; et continuata verberatione in diem inſequentem, cum nihilominus praeſi-
diarii ad defenſionem ſe pararent, nocte proxima XIV alias admovet, quae hinc inde
in Doësburgenſem portam feriebant. Diruta porta cum nulla ſalutis ſpes eſſet, ſi
diutius animos obfirmarent, inſtantibus conſulibus per tympaniſtam colloquium pe-
titur. Conditiones ab obſeſſis propoſitas cum ſuperbe recuſaſſet Mendoza, et arbi-
trio ſuo oppidum dedi poſtularet, praeſidiarii, extrema quaeque perpeti certi, pri-
us quam vitam et decus Hiſpanorum arbitrio permitterent, LX pulveris cados qui ſu-
perabant ex armamentario depromi jubent, et ante ruinam ſtatuunt, ac totum oppi-
dum cum apparatu bellico et annona incendere paratos oſtendunt, niſi aequis ſecum
et cum oppidanis conditionibus ageretur. Igitur Mendoza deſperationem veritus in
has conditiones aſſenſit, ut miles cum armis et impedimentis ſalvus dimitteretur;
ſigna victori traderet, inſuperque fidem obſtringeret, intra ſex menſeis contra Phi-
lippum et Albertum non militaturum. De oppidanis nihil perſcriptum; ſed fidei
ſuae Mendoza, qui incolumitatem eorum pollicitus erat, id relinqui voluit. Ita
Dotecomium, quod XX annis in Ordinum poteſtate fuerat, VIII Eid. Nov. ſub Hiſ-
panorum imperium rediit. Sculenburgium poſtea caſtrum obſeſſum, cui Ordinum
nomine cum cohorte ſua praeerat [i] Dortus ſtrenuus belli dux, loco paludoſo ſitum.
Denunciatione prius praefecto facta, niſi ſe protinus dederet, et tormenta admoveri
pateretur, fore, ut capto loco in furcam ageretur; nihilominus pulſationem a meri-
die ad noctem paſſus, eum videret poſtridie cuncta ad oppugnationem parari, jamque
naviculas, crateis, tabulas, per quas miles incederet, inſtrui, ſcalaſque admoveri,
colloquio petito vitam ſalvam pactus cum puro ſcipione cum ſuis dimiſſus eſt. Interea
Mauritius ſe caſtris ad [k] Doësburgum munitis continebat eventum opperiens, et per vi-
cina praeſidia hoſtilem exercitum ſenſim carpens, ita ut magna omnium rerum penu-
ria in caſtris Hiſpanorum laboraretur. Frid. Bergenſis, qui antea armorum in
Tranſiſelanam ac Friſiam inferendorum auctor fuerat, ne potius bellum cauponari
quam

INTERPR. [a] *les Gueux.* [b] *Mont Elten.* [c] *Doetecom.* [d] *de Zutphen.* [e] *la Betuwe.* [f] *le fort de Tolhuys.* [g] *Huſſen.* [h] *Gelderſchenweerd.* [i] *le capitaine Dort.* [k] *Doeſburg.*

quam ſerio agere viderentur, appetente hyeme, et valde imminnto exercitu, ſententiam mutavit; et non niſi periculoſe cum cognato, ſic Mauritium vocabat, ac certo cum damno manus conſeri poſſe, ac proinde in hyberna concedendum cenſuit. Itaque per [a] Monaſterienſem dioeceſim, [b] Montenſem ac Clivenſem ditionem diſtributae copiae, magno provincialium detrimento. Mauritius [c] Lochemum, cujus praecipuam curam ut haberet Ordines praeceperant, novo peditatu firmavit, aliquot tormentariis eo miſſis. Ipſe Zutſaniam profectus cum egregie omnia in urbe ad defenſionem ordinata reperiſſet, eodem die Doësburgum revertit.

X. Sub id in [d] Dormontenſi conventu decretum fuit, ut ad Caeſarem, IV Rheni ſeptemviros, Mendozam, et Andream Auſtrium cardinalem, qui Bruxellis erat, inſuperque ad Ordines Belgicos ſcriberetur, ut quae illi in aliena ditione loca per vim occupaverant, iis quorum erant ea confeſtim reſtituerent. De Mendoza querebantur, quod [e] Orſoium occupaſſet, ad [f] Walſomum munitionem exſtruxiſſet. Dein crimini Hiſpanis vertebant, Falcenſtenium comitem Montenſis ditionis beneficiarium, quamvis neutris partibus addictus eſſet, et a Mendoza ſecuritatis literas petiiſſet, [g] Broëka arce primum capta et direpta, crudeliter contra datam fidem trucidatum: multa dein oppida in ditione Clivenſi hoſtiliter capta: a [h] Weſalienſibus C talerorum CIↃ, et CIↃ frumenti modios exactos: inde verſam in Monaſterienſem dioeceſim rabiem; [i] Schauvenburgi et Benthemii comitum ditiones vaſtatas, templa foedata, et monaſteria ubique direpta, et ruſticos omni re ſpoliatos et ad deſperationem adactos: denique Gaſtonem Spinolam Limburgi praefectum, captata ſententiae contra [k] Aquiſgranenſeis exſequendae occaſione, nobilium domos in itinere depraedaſſe. Ac, ne de Hiſpanis ſolis queri viderentur, addebant, eorum exemplo incitatos Ordines Belgicos [l] Seventriam et Tolhuiſanam munitionem in Clivenſi ditione captaſſe. Secundum haec et IV Rheni ſeptemviri in eandem ſententiam literas ad Caeſarem dedere, quibus petebant, ut auctoritatem ſuam interponeret, et juxta decretum Ratiſponenſibus comitiis hoc anno celebratis factum delegatos ad Andream cardinalem, Mendozam, et Ordines foederatos mitteret. Jam a Caeſare initio hujus motus Carolus [m] Nutzelius Cliviam miſſus fuerat, ut Joannem Willelmum principem morbo ſontico diu vexatum ab injuria externorum militum auctoritate Caeſarea defenderet, et de matrimonio Antoniae Caroli Lotharingiae ducis filiae cum eo ageret. Is, accepta Mendozae fide, cum ſuam Joanni Willelmo dediſſet, eam minime ſervari videns, graviter literis pridie Kal. Nov. ad ipſum miſſis expoſtulabat, et multa crudeliter, avare, et libidinoſe ab Hiſpanis perpetrata criminoſe objectabat. Confectus et libellus querimoniae titulo, cum atteſtationibus provincialium, quo literarum ordine ſcelera ab Hiſpanis perpetrata explicabantur. Praeter jam memorata in eo addebatur, inter Iſalam et Lippam amneis, [n] Dieſfortiam, Bellingoſiam, Oberenbergam, Aſſeldiam, Granam, Hakenhuiſiam, Roſſaviam, Vengam, Dornicum, Hindam, alias arces captas ac direptas; [o] Schlenhorſtio nobilium puellarum coenobio expilato, ipſas puellas in acervum coactas, et veſtibus ſpoliatas, et partim ſtupratas, partim immaniter habitas: in ditione Colonienſi Dortſenam ad Lippam in Weſtſalia ſitum oppidum, a Franciſco Velaſco rei tormentariae praefecto dedi juſſum, cum ſe conſules excuſarent, et tempus conſulendi ſeptemviri principis ſui peterent, admotis tormentis pulſatum, et ad deditionem tandem exeunte Novembri compulſum: etiam [p] Oſnabrugam epiſcopalem civitatem per fecialem tentatam, et [q] Paterbornam itidem epiſcopali dignitate ornatam CC auri

libras

INTERPR. [a] *de Munſter.* [b] *les duchés de Berghe & de Cleves.* [c] *Lochem.* [d] *Aſſemblée de Dortmont.* [e] *Orſoy.* [f] *Walſom.* [g] *Broeck.* [h] *ceux de Weſel.* [i] *les comtes de Schauemburg, & de Bentheim.* [k] *ceux d'Aix la Chapelle.* [l] *Zevenar, & le fort de Tolhuys.* [m] *Nutzel commiſſaire imperial.* [n] *Dieſfort, Bellinghoff, Oberenberg, Aſfeldt, Gran, Hackenhuys, Roſſaw, Wenge, Dorniek,* ou *Tournay, & Hinde.* [o] *Cloiſtre de Schlenhorſt.* Meteren met *Schelnhorſt.* [p] *Oſnabrug.* [q] *Paderborn.*

libras pendere juſſam, denunciatione conſulibus facta, ut paſtores Proteſtantium doctrinae addictos urbe pellerent: [a] Oldenburgico denique comiti per Carolum [b] Longovallum Buquoii comitem et [c] Hachicurium regulum denunciatum, ut pecuniam ad exſolvendum militi ſtipendium commodaret; alioqui fore, ut miles in ejus ditione hybernaret: inter haec miſſos tam a circulis quam a vicinis principibus delegatos, ut vim a ditionibus Imperii ſubditis deprecarentur, ab Hiſpanis ſubſannatos et injurioſe cluſos fuiſſe. Exempla libidinis cum crudelitate conjunctae et plura cumulata. [d] Duſlemontii judicem in ſede alligatum, et in conſpectu ejus uxorem a ſeptem Hiſpanis compreſſam: ad [e] Giſlicum pagum foeminam praegnantem, cum diu contta vim reſtitiſſet, gladio in vulvam adacto cum foetu interfectam: multis extractos ex utero infantes; et in unius ſanguine anniculum capite in uterum conjecto immerſum et ſuffocatum: [f] Bocholtiae cum ad [g] conſulis filiam comprimendam ruerent, patrem ad filiae clamores properantem interfectum, et ſtatim ad filiae corpus alligato patris cadavere ipſam per vim ſtupratam. His aliiſque immanitatis, avaritiae, et libidinis ad hoc aevum in Germania inauditae exemplis irritati principes expoſtulationem acerbam apud Caeſarem inſtituunt; qui in occulto quamvis Hiſpanis, Philippo, ac Alberto fratri militantibus faveret, tamen Imperii majeſtatem non mediocriter ea re labefactari videns, datis ad Albertum, qui tunc Mediolani erat, literis exeunte Decembri, graviter conqueſtus, quod, ſpretis, quas jam ad cardinalem Andream pluries, IX Kalendas Novembreis, XVIII, XIII, III Kalendas Decembreis dederat, literis, Menduza in Imperio ſubjectas ditiones hoſtiliter invaſiſſet, et, nullo alio operae pretio adverſus eos, contra quos expeditionem ſuſceperat, facto, amicos et foederatos Auſtriis ac familiae principes et ordines injuriis ultro illatis provocaſſet, inſtabat, ut damna illata ſarcirentur, occupata oppida et arces iis quorum erant reſtituerentur, captivi ſine pretio dimitterentur, et miles ex ditionibus Imperio ſubjectis ſine dilatione deduceretur. Eodem argumento ad Mendozam et ipſum cardinalem Andream ſcripſerat. Jam ante Colonienſis ſeptemvir, quamvis Auſtriis addictus, ad Mauritium Heſſum V Eidus Decembris, quaſi ipſum conſulens, ſcripſerat; et tertio poſt die ſeptemvir copioſas ad Caeſarem dederat literas. Brunſvicus vero XIV Kalendas Januarias publicato ſcripto cunctos Imperii ordines ad neceſſariam tot injuriarum invidioſe repetitarum ultionem hortabatur. Verum tot hinc inde literarum et legationum miſſarum, totque expoſtulationum, is exitus fuit, ut, cum Albertus factum excuſaret, et Falcenſtenii comitis invidioſam caedem in ipſius temeritatem rejiceret, Mendoza etiam publicata apologia objecta omnia dilueret, et Caeſar in publica libertatis Germanicae cauſa in gratiam gentilium ſuorum praevaricans, re procraſtinata, negotium diſſimulatione tranſigeret, principes exercitum tumultuatio coegerint, et, dum injurias acceptas ultum eunt, incertis ducibus et conſiliis diu vagati novam ſibi ipſi injuriam fecerint, tanto conatu ſine ullo operae pretio evaneſcente.

XI. [h] EMDAE in proximo tumultuatum eodem tempore ex hac occaſione. Conſules et ordines civitatis ob graveis cum Friſiae Orientalis comitibus controverſias cum ſe grandi aere alieno merſiſſent, ut ex eo emergerent, et penſionem [i] Delfeziclae conventam ipſis patrocinii cauſa exſolverent, novum tributum imponunt: cujus onus plerique e plebe cum deprecarentur, Ezardus per Joannem [k] Kempenſem aerarium hominem turbulentum ſeditionem excitandam curat, ea ſpe, ut urbe turbata ipſe arbiter interveniret, et auctoritatem, quam Delfeziclae pactione imminutam dolebat, denuo arriperet. Sub id et Joannem et Chriſtophorum filios in arcem ire juſſerat, ut

INTERPR. [a] *de Oldenburg.* [b] *de Longueval comte de Bucquoy.* [c] *de Hachicour.* [d] *le Juge de Duſlemont.* Meteren met *Dulman.* [e] *le village de Gizlick.* [f] *Bocholt.* [g] *du Bourgmaiſtre.* [h] *Embden.* [i] *Delfziel.* [k] *Kemps officier.*

CIϽIϽXCVIII. HENRICUS IV.

ut ad omneis caſus praeſto eſſent, et ſuae factioni addictis ex proximo paratam operi oſtentarent. Sciſſa erat ob religionem in duas factiones civitas. Alii Calviniſtae pro magiſtratu ſtabant; alii, Flacciani dicti a Matthia Flaccio illo Illyrico, qui Antuerpiae ante XXXIV annos paſtoris munere functus fuerat, Lutheri doctrinam atque adeo Auguſtanam confeſſionem in Imperio receptam tuebantur, iique comitibus favebant. Arcarius cum iis agit, et pleroſque in ſuas partes facile pellicit. Sed res ab uno ex iis, qui initio Flaccianus poſtea mutaverat, magiſtratui detecta; ejuſque indicio arcarius eum mandato, quod ab Ezardo habebat, captus ac tormentis ſubjectus eſt; in quibus faſſus eſt, Joannem [a] Groënum, [b] Funkii cujuſdam, qui Bruxellis in Alberti aula erat, ſororium, conſilii non ſolum participem, ſed conjurationis ducem et auctorem eſſe: qui cum aliis pleriſque conſciis ſtatim in vincula traditus eſt, captis etiam eorum literis, quae ſuſpicionibus ac confeſſionibus fidem aſtruebant. E veſtigio a conſulibus miſſi in arcem ad comitis filios, qui probationum contra conſcios factarum eos certiores facerent, monerentque ne prava ſuadentibus aures in poſterum praeberent, aut pacta cum civitate inita et a Caeſare confirmata ſibi violanda ducerent. Illi eorum quae acciderent cum ſe ignaros affirmarent, tamen ab urbe vicina ſibi metuentes continuo diſceſſerunt. Repertae inter Groeni ſcrinia literae Funkii ad comitem, quibus monebatur, quando nullum in Caeſare et Imperii principibus repoſitum ſibi praeſidium videbat, (nam paulo ante Emdenſes ſententiam contra comitem in [c] Spirenſi camera obtinuerant) mature ad Philippi patrocinium, quod illi offerebatur, confugeret, et Emdae potens paratum ab eo ad cauſam ipſius defendendam exercitum ſibi polliceretur, qui in circumpoſito territorio, et qua [d] Amaſus et Dollardus porrigitur, bellum gereret. His aliiſque probationibus convicti, qui comprehenſi fuerant, variis poenis affecti; in iiſque Kempenſis et Groënus Maio ineunte capite plexi ſunt. Mox a Ludovico Naſſovio Friſiae Occidentalis praeſide accerſitae auxiliares copiae; et, ne ab Ordinibus contra comitem contra pacta peti viderentur, Naſſovius ex vicinis praeſidiis pleroſque milites dimiſit, qui ſtatim Emdenſium ſtipendiis meruerunt; et eorum ope [e] Marienhova, Viſcardum, Poſthumbium, loca ditionis comitis ob viciniam ſuſpecta, in poteſtatem redacta. Eapropter Ezardus Spirenſi camerae ſupplicem libellum obtulit, quo violata pacta ab Emdenſibus querebatur; et mandatum ab ea XVII Kal. Sept. acceperat, quo citati ad querimonias ejus reſpondere jubebantur. Eodem tempore ſententia contra [f] Aquiſgranenſeis tanquam contumaces atque adeo perduelleis, Gulielmi Sanclementis Philippici oratoris et Mendozae inſtigatu, pronunciata eſt; et illi igni et aqua interdicti, dato negotio Erneſto [g] Baioaro Colonienſi ſeptemviro ac Leodicenſi epiſcopo, Trevirenſi archiepiſcopo ſeptemviro, Cliviae duci, ut ſententiam executioni demandarent. Diſſidium in urbe coeperat à Proteſtantibus, qui, Catholicis omni auctoritate exutis, ſummum imperium ſibi ſumpſerant, et concionatores ſuae doctrinae addictos induxerant. Tandem conſules, qui tunc erant, Colonienſis ſeptemviri interventu ſeveritate judicii exempti ſunt, ea lege, ut concionatores Auguſtanae confeſſionis urbe faceſſerent; majorum religio ſola admitteretur; Catholici magiſtratus priſtinae dignitati, Proteſtantibus amotis, reſtituerentur. Qui magiſtratum ab illo tempore geſſerunt, ad ſumptum et damnum alteri parti ſarciendum damnati. Prodigii loco illis locis acceptum, quod balaena, licet olim in mari Britannico frequens, tamen poſt tormentorum uſum in anguſtiore illac freto rarior, ſub initium anni capta eſt inter [h] Catvicum et Schevelingam Batavici tractus municipia, LXX pedes longa: a cervice ad roſtrum uſque XIX pedes intercedebant; in inferiori maxilla XLII dentes eboris

candorem

INTERPR. [a] *Groenen.* [b] *Fonck.* [c] *de Spire.* [d] *l'Ems, & le Dollard r.* [e] *Marienhove, Viſcuart, & Proſthumb.* [f] *ceux d'Aix la Chapelle.* [g] *de Baviere.* [h] *Catwick, & Scheveling.*

candorem referentes habebat, qui in tot foramina in palato excavata, nam nulli in ſuperiori maxilla dentes erant, ore clauſo reconduntur; cauda XIV pedes longa.

XII. Interea res in Pannonia calebant. Caeſar exeunte anno proximo in comitiis Ratiſponae Imperii principes communis periculi ſedulo per Matthiam fratrem admonuerat; matriculam Imperii, quam vocant, valde imminutam, et promiſſa auxilia parce ac maligne a nonnullis conferri; eo factum, ut exiguo profectu res hactenus ob tantam rei pecuniariae anguſtiam ceſſerit: hancque acceſſiſſe ad ſuperiores hoſtium victorias praecipuam cauſam: nam minime Caeſari copias ſuppetere aperti certaminis cum potentiſſimo hoſte aleae pares; et tantum ſtipendium conferri ad bellum aeſtivis menſibus gerendum: ita pleraſque rei bene gerendae occaſiones amitti; ſiquidem aeſtate, ut in locis impeditis ac paludoſis, frequenti tunc in hoſtium caſtris ad ſigna milite, nihil grande conari Chriſtianos poſſe: contra hyeme, ubi paludes gelu concreverunt, Turcis pabuli inopia aut ad interiora recedentibus aut in hyberna compulſis, pleraſque feliciter expeditiones a noſtris ſuſcipi: tum vero illud maximo eſſe incommodo, militem toties ſcribi et dimitti, qui et iis quibus militat fere gravis, quacunque iter facit, itu redituque magna damna dat; inexercitatum primo, mox, ubi locorum gnarus diſciplinae et contubernio adſueverit, exauctorari; atque ita pro veteranis exercitum ex tironibus tantum conſtare: diſpicerent ergo delegati, num potius videretur, aliquam rationem iniri, qua ſtipendia continuarentur, et tot ſumptibus, qui in conducendo novo ſemper ac plerumque inutili ac damnoſo milite fiunt, parceretur; nam eodem milite adverſus tantum hoſtem melius bellum geri: nec exemplis rem carere; modo memoria repeterent, quid Matthias Corvinus, parva quidem ſed lectiſſima et ſub ſignis aſſidua fortiſſimorum militum manu, quae ab armorum colore nigra vocabatur, geſſerit; quam ſaepe ingenteis Turcorum exercitus fuderit, et Pannoniae ſecuritatem, quoad vixit, pepererit: proinde expeditum videri, ut non in paucos menſeis, ut antea, ſed ad minimum in quinquennium exercitus alatur; ſic enim futurum, ut, temporum momenta captando, facile hoſtis nec-opinato opprimatur, et, copiis in omnem eventum paratis, undique laceſſatur et urgeatur. Igitur ſumma petitionis fuit, ut ſingulis IV proximis annis ordines Imperii XXV menſium ſtipendium penderent; et XII CIↃ peditum, IV CIↃ equitum parata haberent: qua velut ſubſidiaria cohorte exercitus ſuppleri, et, ſi victoriam Deus annuiſſet, ſucceſſibus inſiſti ac latius bellum ſpargi, poſſet. Tum oſtentatum vicinis provinciis Viennae periculum: et cum Martinus epiſcopus [a] Seccauvienſis ubertim Stiriae, Carinthiae, ac Carniolae miſerabilem ſtatum demonſtraſſet, et ad ſuppetias ferendas opem Imperii ordinum imploraſſet, poſt aliquot dierum conſultationem Caeſarianis provinciis circa Danubium laborantibus XX menſium decreta ſtipendia intra triennium penſitanda; ac poſtremo ad id, quod de ſubſidiis petitum fuerat, aſſenſere ordines. Id exeunte Februario actum.

XIII. Paulo poſt ineunte Martio Adolfus Schwartzenburgus ex Colonienſi ditione regulus de [b] Javarino intercipiendo conſilium init, adhibitis in conſcientiam ſuſcepti facinoris lectiſſimis ac rei militaris peritiſſimis: ſummoque ſilentio intra paucos dies pontonibus, ſcalis, pytobolis, aliiſque ad expeditionem neceſſariis rebus comparatis, [c] Comara profectus, Danubium, ſtrato prius in eo ponte, cum univerſis copiis tranſmittit, praemiſſa parte equitum ad iter explorandum; quibus datum negotium, ut obvios interciperent, ne qua de ſuo adventu fama ad hoſteis emanaret. Ubi Javarino propinquavit, de rei conficiendae ratione iterum belli duces conſulit. Tum [d] Vobecurtio ex nobilitate noſtra viro manu prompto, qui, cum his bellis regi aſſiduam operam navaſſet, pace facta cum manu Gallorum otii pertaeſorum in Pannoniam

INTERPR. [a] *de Seckaw ſuffragant de Saltzbourg.* [b] *Raab.* [c] *Comar.* [d] *de Vaubecourt.*

Pannoniam profectus fuerat, mandat, ut, crepitaculo, cujuſmodi machinarum uſus nondum in iis regionibus neque inter Turcos cognitus erat, admoto, clathros ligneos ante portam objectos effringeret: tum [a] Caviacus, qui ſequebatur, juſſus alterum crepitaculum admovere, et portae foribus disjectis aditum militi irrumpenti patefacere. Ita autem compoſitus ordo, ut aditu patefacto binae Gallorum, totidem Belgarum, cohortes vim facerent, et intra urbem receptae ad dextram interioris plateae partem diverterent; dum aliae quatuor ad laevam deflectentes, interclufis et inſeſſis quae ad arcem tendunt viis, recipientes ſe praeſidiarios averterent. Ad vallum et portam, quae [b] Albam-regalem ducit, Hungarici peditatus pars ire juſſa. Poſtremo [c] Schwartzenburgus cum reliquis copiis incedebat, relicto extra urbem idoneo numero, Palſio duce, qui Huſſaros equites ducebat, et circumiens, ne ſe uſpiam catervatim colligeret hoſtis, cavebat. Inter omnia ſevere edictum, ne quis ante plenam victoriam partam ad praedam diſcurreret; nam ea parta communem eam fore pro meritis inter milites diſtribuendam. Tum aſtus adhibitus. Ex Huſſaris quinque linguae Turcicae gnari primo diluculo ad moenia accedunt: cumque cujates eſſent ex more diſciplinae a Turcis rogarentur, illi ſe Buda miſſos lingua Turcica reſpondent, nuncium commeatus a purpurato ſummiſſi et jam propinquantis ferentes; literas etiam ad Aaronis [d] Budenſis agae ſponſam habere, quam importato commeatu domum ad ſponſum deducere in mandatis habeant; ſed metum ſubeſſe, ne Chriſtianis huc illuc ſparſis auxiliares damnum ab iis patiantur; pontem ergo ad accipiendum commeatum ante lucem dimitterent. Fidem Huſſarorum dictis Turci tribuere, pontemque demiſere. Sed cum venientibus noſtris ingens fragor fieret, ita ut a vigilibus exaudiri poſſet, et, appetente luce ac coelo alias ſereno, cuncta ex ſuperiore loco ſpeculantibus paterent, exortus ſtatim vehemens ventus et nubes a Danubio aſcendens ita coelum texit, ut aurium et oculorum ſenſum hoſtibus ademerit: ex eoque metu in ſpem certam proſperi eventus erecti noſtri moenia ſubeunt, repertoque ponte demiſſo machinas admovent. Conatus ex voto ſucceſſit: nam, refractis clathris et ſubito porta aperta, noſtri introducti ordinem praeſcriptum ſervarunt. Neque vero Turci ſe in tanto periculo deſeruerunt. Acriter utrinque certatum; et praefectus loci gladium utraque manu vibrans obſtinatiſſime multis ex noſtris caeſis diu reſtitit, ac tandem numero obrutus occubuit. Caput mox ejus ad ſuorum terrorem haſtae impoſitum ad propugnaculum Hungaricum ſublime fixum eſt. Interea puerorum ejulatibus, foeminarum lamentis, morientium gemitibus, armorum ſtrepitu, cuncta ubique circumſonare; et victores ſuorum caedibus acrius ad vindictam exacerbati: nam minime incruenta victoria fuit, pertinacia defenſorum diu noſtrorum virtutem aequante. Tandem cum cederet, nec ſpes in defenſione ſupereſſet, foeminae vim a noſtris metuentes animoſe in foſſas ex muris ſe praecipites dedere, lapſuque aut enectae aut vulneribus confractae, vel denique aquis hauſtae, periere. Praetoriani circiter CCC, qui ex clade ſe collegerunt, ad interiorem munitionem, in qua pulvis tormentarius aſſervabatur, ſe receperunt; continuoque accurrentes noſtri, veſanone conſilio an fortuito incertum, cum pulvis ignem concepiſſet, cum Turcis in altum raptati ſunt. [e] Javarino capto Schwartzenburgus, ut praedixerat, praedam omnem comportari jubet; exceptiſque tormentis ac bellico apparatu, quicquid auri, argenti, veſtium, ac pretioſae ſupellectilis repertum eſt, inter milites ſumma liberalitate diſtribuit. Id incidit in XIII Kalendas Aprileis. Nuncio tantae victoriae accepto Caeſar non mediocriter laetus publice gratias Deo egit, ſupplicationibus ad omnia templa indictis; et X CIƆ praeſidio locum firmandum mandavit, praefectura ejus

Schwartzenburgo

INTERPR. [a] *Caviac.* [b] *Stul-Weiſſenburg.* [c] *le baron de Schwartzenburg.* [d] *Aga ou gouverneur de Bude.* [e] *Raab.*

Schwartzenburgo commiſſa; qui ruinas ſarciri, loca debilia inſtaurari et foſſam amplius purgari, muro valido ad Albanam portam, a qua periculum imminebat, ducto, curavit. Palſius et Vobecurtius in aulam Caeſaream per diſpoſitos equos profecti, magna gratulatiooe accepti ſunt; et Vobecurtius, qui cum ſua Gallorum manu egregiam adeo operam navaverat, magnis honoribus et muneribus affectus fuit. Nec minorem ex eo laetitiam rex ſenſit, dum [a] Condivicini in Namnetibus eſſet nuncio accepto; quippe qui homioi in militia Gallica ſuis auſpiciis educato praecipuum rei decus vel Germanorum confeſſione deberi gaudebat. Inde in [b] Pannonia, ob proſperum adeo ſucceſſum laſcivientibus noſtris, et Turcis contra ultionis occaſionem quaerentibus, vario eventu certatum. [c] Sigethi praetor XV Kalendas Maias circa [d] Baboſcam cum exiguo praedatorum numero obequitans CCC circiter praeſidiarios ad pugnam pellexit, et cedendo in inſidias haud longe ſtructas induxit, a quibus fere caeſi ſunt. Quo caſu perculſus Schwartzenburgus, cum vereretur ne hoſtis ex eo Baboſcam ipſam aut Caniſam tentandi occaſionem arriperet, ſtatim copias educit, et palanteis Turcos in ſua praeſidia compulit. Paulo poſt Huſſari Pappa egreſſi inter [e] Albam-regalem et [f] Copanum XXXII currus commeatu onuſtos caeſis cuſtodibus ceperunt, nec non et XL bellatores equos et ipſum Albae praefecti filium. Eodem ſucceſſu III Nonas Maias Elias [g] Erdenrichus Toccaiae praefectus, vir ſtrenuus, CCC Turcos in praedam effuſos male mulctavit; quinto poſt die in ſuo praeſidio male acceptus, tormentario pulvere caſu fortuito ignem concipiente, quo parum abſuit quin tota urbs conflagraverit. Circa Budam et [h] Agrum et feliciter a noſtris pugnatum a [i] Comarae et Strigonii praeſidiariis; et [k] Sexardum caſtellum, quod infra Budam eſt, ſcalis admotis aggreſſi noſtri occuparunt, praeſidiariis caeſis, et capto praefecto immanibus in Chriſtianos ſuppliciis infami, ac ingenti praeda parta. Tentata et a Schwartzenburgo Alba-regalis, ſed irrito conatu; caeſi et eodem tempore a Georgio [l] Barbelo Tatari circa [m] Albam-Juliam, qui Bulgariae fineis continuis excurſionibus citra Danubium infeſtabant.

XIV. SUB id Sigiſmundus Bathorius [n] Javarinum magno comitatu venit; cui obviam extra urbem Schwartzenburgus, Palſius, et Naſdaſtus occurrentes, juvenem haud ſatis conſilii ſuſcepti certum honorificentiſſime exceperunt, nullo ſplendoris ornatu aut vanitatis officio praetermiſſo, ne poenitentia facti leviſſimum ingenium ſubiret. Is ab Alſonſo Carillo ex ſodalitio Jeſuitico, et poſtea a Silvio Picolomineo, ab Hiſpanis, ut creditur, inducto, perſuaſus, quod ſe tollendae proli inhabilem agnoſceret, etiam Tranſylvaniae principatu ac Walachiae ceſſerat, idque juxta pacta conventa magno rei Chriſtianae booo ſe facturum putabat; quippe ditionibus illis ad Turcorum impetus oppoſitis in potentiſſimam Chriſtiani orbis familiam, et quae ſola hodie non ſolum contra Turcos, ſed etiam Sectarios, haud Turcis minus formidabileis, ita inter eos jactabatur, bellum gerit, tranſlatis. Itaque ineunte anno monitus Caeſar [o] Vacienſem epiſcopum et [p] Peczium juriſconſultum legatos in [q] Daciam miſerat, perhonorifice a Sigiſmundo exceptos: et cum de conditionibus in arcano conveniſſet, eae autem erant ut [r] Oppoliae et Ratiſporii in Sileſia principatus cum L CIƆ Joachimicorum annui reditus a Caeſare compenſatioois loco traderentur, Bornemiſſa verba faciente pacta ab initio cooventa confirmantur; et, quaſi ex iis ſequeretur ut Sigiſmundus paterno principatu cederet, VIII Eid. Apr. [ſ] Claudiopoli proceres ac ceteros provinciae ordines coovocat, ac coram Caeſaris legatis quid inter ſe ac Caeſarem actum ſit exponit, eoſque jurejurando, quo ſibi obſtricti erant, ſolvit, ac porro Caeſari, eive quem

INTERPR. [a] *Nantes.* [b] *Hongrie.* [c] *Zighet.* [d] *Babotzka.* [e] *Stul-Weiſſenburg.* [f] *Koppan.* [g] *Erdenrick gouverneur de Tockay.* [h] *Erla.* [i] *Comar, & Gran.* [k] *Sexar.* [l] *Barbely.* [m] *Weiſſenburg en Tranſylvanie.* [n] *Raab.* [o] *de Vacia.* [p] *le docteur Petzen.* [q] *Tranſylvanie.* [r] *Oppeln, & Ratibor.* [ſ] *Clauſenburg,* al. *Coloſwar.*

quem ille ipſis praeeſſe velit, parere jubet. Haec non ſine occulto procerum ac multorum aliorum fremitu feſtinata. Omnium id indigniſſime tulit Andreas cardinalis Bathorius Sigiſmundi gentilis, principatum familiae veluti patrimonialem, et alioqui ex comitiorum auctoritate potius quam hominis male conſulti arbitrio pendentem, renunciatione temere facta in alienam familiam transferri. Et cum ſciret eum a Rodolpho Caeſare fratri Maximiliano, qui regni Polonici titulos adhuc retinebat, deſtinari, protinus in illam aulam evolat; et, communis injuriae periculo oſtentato, Sigiſmundum regem contra aemulum ſive hoſtem accendit: non ſatis eſſe Auſtriis, dum omnia ſibi licere putant, alienos titulos violatis pactis uſurpare, niſi et vicinos principes ac Polonici regni foederatos re ſua, non armis, ſed fraude, ſpolient: eorum ambitione jam totam Pannoniam, proh dolor! Turcici juris effectam: idem Tranſylvaniae eventurum, niſi mature conatibus hominum nullum cupiditatibus iniquis modum facientium juſta arma opponantur. Andreae ſubita in Poloniam profectio, et quo pertinerent hominis irritati conſilia, non latuit oratorem pontificium, qui in aula Caeſarea erat. Itaque cum videret, de regno Polonico, in quo adipiſcendo egregiam adeo operam Auſtriis pontificii legati navaverant, jampridem actum eſſe, et vanitate illorum titulorum, quos adhuc ſibi arrogabat Maximilianus, plus invidiae in praeſens ad Auſtrios quam emolumenti in poſterum redundare, ut Poloniae regem ac regni proceres hoc officio pontifici devinciret, Caeſari auctor fuit, ut Maximilianus regni, cujus habendi ſpes omnino evanuerat, titulos omitteret, et Polonis ſincere reconciliaretur: ſic enim fore, ut rex natura quietis cupidus facile conſilia ab Andrea ſepararet, et Andreas tanto praeſidio deſtitutus a rebus in Dacia novandis abſtineret. Tranſylvanus interea his tranſactis protinus ad iter in Sileſiam ſe parat, relicta domi conjuge M. Chriſtierna, quae per emiſſarios miſerum maritum in fraudem induxerat, et aliquam imperii ſpeciem retinebat; Vacienſi epiſcopo homine faſtuoſo, et Nicolao [a]Iſtuanfio moderatioris ingenii viro, res Caeſareo nomine adminiſtrantibus. Igitur cum is [b]Javarinum veniſſet XVI Kalendas Junias, poſtridie Matthias ad eum magno ſtipatu acceſſit; triduoque inter haſtiludia et militarium certaminum ſpectacula ad paſcendum ſtolide ferocis hominis ingenium extracto, ambo Viennam, et inde [c]Wratiſlaviam tendunt, ubique honorificentiſſime, ſic enim a Caeſare mandatum erat, excepti. Tandem, Matthia dimiſſo, XIII Kal. Jul. [d]Oppoliam et Ratiſporium venit Sigiſmundus; ubi ex compacto Caeſarei legati adfuere, qui ſubditos ſcenica ceremonia fidei ſacramento ſolverunt, et in verba Sigiſmundi adegerunt. Verum miſer juvenis amiſſa ſero moerens, cum miram ſolitudinem ubique circa ſe videret, turpiſſime deceptum ſe ſenſit; fruſtraque incuſatis permutationis ignominioſae juxta ac detrimentoſae auctoribus, eadem levitate qua venerat, de repetenda patria conſilium cepit, et, aſſumptis tantum duobus itineris comitibus, ut magis falleret, Sextili menſe ex Sileſia profugit, atque, ut quidam ſcripſere, monachi habitu: pauloque poſt [e]Claudiopolim appulſus conjugi, cum ſacris intereſſet, nec-opinato adfuit; eaque amicis verbis ſalutata, oppidaniſque in fidem receptis, in omnes provinciae partes nuncios miſit, qui populos de adventu ſuo certiores facerent. Tum XI Kal. Sept. ad Maximilianum Auſtrium, cui Caeſar frater Daciae adminiſtrationem commiſerat, in provinciam venientem dat literas; et, quando Oppolienſem et Ratiſporienſem principatus relictarum pro compenſatione a ſe provinciarum traditos longe inferiores eſſe, quam promiſſum fuerat, coram cognoverit, graveis ſibi ac magnas patriam repetendi cauſas fuiſſe oſtendit, jamque Claudiopolim Daciae metropolim tenere; nec ceteris locis, quae vel in poteſtate etiam abſentis manſerint aut reverſi imperio ſe rurſus ſubjecerint, velle aut poſſe cedere; ſed omneis potius apud ſe

INTERPR. [a] *Iſthuanſi.* [b] *Raab.* [c] *Breſlau.* [d] *Oppeln, & Ratibor.* [e] *Clauſenburg en Tranſylvanie.*

ſe rationes inire ſtatuiſſe, quibus ſe ſuaſque res ab externa vi, ſi qua undecunque ingruat, tueri queat. Proinde rogat, ut iter inceptum omittat, nec ſibi, dum ſe ſuaque defendere cogitur, minus bene de iis, quibus optime velit, promerendi neceſſitatem imponat: de cetero ſe Caeſaris et univerſae Auſtriacae familiae ac ſacri Imperii majeſtatem, ut hactenus fecerit, comiter colere, eorumque commodis pro virili conſulere decreviſſe. Dum locis amiſſis recipiendis et populis in fidem adigendis Sigiſmundus occupatur, Maximilianus, qui jam Caſſoviam venerat, currus Tranſylvani aliquot auro facto et infecto atque id genus magni pretii ſupellectile onuſtos, cum nonnullis ex ejus aulico comitatu interceptos, in proximam urbem duci imperat. Viciſſim Sigiſmundus, id ubi reſcivit, Caeſareis procuratoribus, qui in Tranſylvania adhuc commorabantur, manus injecit, tantiſper eos ſe retenturum interminatus, quoad de rebus ſuis hominibuſque a Maximiliano ſatisfactum eſſet. Haec initia belli funeſtiſſimi fuere, quod ut Chriſtianorum vireis diſtraxit, ita Turcis ad majora audenda gradum et fiduciam fecit; hinc Bathorio per credulitatem ſuam ab Auſtriacis illuſum ſibi querente, hinc Auſtriacis temeritati perfidiam cumulatam accuſantibus. Diffidebant in caſtris Saxones a ceteris; et adventu Sigiſmundi turbati cum fidem ei jurare juberentur, antea a juramento Caeſari ipſius conſenſu et juſſu praeſtito ſolvi petebant. Itaque tandem, annitente procerum factione, quae ab Auſtriacis aliena erat, legatio ad Caeſarem decernitur; cui obeundae deſtinati Demetrius [a] Napragius cancellarius Albanus epiſcopus, et Stephanus Boſtkaius principis avunculus, qui Tranſylvaniae renunciationi ſemper ab initio adverſatus fuerat, cum Bathoriorum perilluſtrem familiam, penes quam tamdiu tamque feliciter imperium illud fuiſſet, in ordinem cogi, et ad privatam fortunam ex tam ſublimi faſtigio deprimi, indignaretur. Summa orationis legatorum erat, ut apud ſacram Caeſaream majeſtatem excuſarent Sigiſmundi in Daciam reditum, ab ordinibus provinciae ad id ſolicitati; quorum unicum votum ſit, ut cum bona ipſius gratia pax in ea et Bathorium nomen cum pace conſervetur. Admiſſis vix tandem legatis ſevere reſponſum, pactis rei Chriſtianae bono, nec vi, ſed magno conſenſu, conventis ſtandum eſſe; ſi per factiones contra tendant, provincialeis, qui pacem tantopere expetere credi volunt, pro pace bellum habituros. Interea Sigiſmundus cum Chriſtierna uxore, quae ſub id Albam-Juliam principum ſedem venerat, conjunctius et ſine querela viſus vivere. Evocatus et ex Polonia Andreas cardinalis, quo poſt renunciationem temere factam profugerat, cujuſdam Jeſuitae nomine [b] Haboſii ſuaſu, qui fidei inter patrueleis antea infeſtos datae arbiter dicebatur: iſque [c] Cibinium ubi venit, a Sigiſmundo peramice exceptus eſt, lachrimis ad primum complexum obortis; quibus ille praeteritorum memoriam aboleri debere et putabat et ſperabat, ſubinde obſecrans furori ignoſceret, quo male conſultus, pravis annitentibus conſiliariis, in proprium ſanguinem ſaeviiſſet; pro ſatisfactione tam ingenuam confeſſionem acciperet, et omnem ejus ſenſum deponeret. Quoque majorem ſui fiduciam in patruelis animo imprimeret, eodem hoſpitio uti, quamdiu ſimul fuere, eodem curru vehi voluit; mirantibus tam ſubitam mutationem proceribus, et tacite in ſinu gaudentibus, duos principes ex ea familia ſuperſtites in gratiam rediiſſe, et ſublatis diſcordiarum ſeminibus de communi ſalute tam neceſſario tempore cogitare. Inde indicta ad [d] Medutium oppidum in proximum Martium comiiia.

XV. Interea Budae purpuratus irritam in [e] Vitziam inſulam expeditionem ſuſcepit, re a duobus Hungaris ab hoſte profugientibus detecta. Mox ineunte Sextili cum copiae a [f] Sultzio comite et [g] Roſvormio in Belgio conſcriptae adveniſſent, hoc enim a Philippo Caeſar impetraverat, dum Matthias in caſtra propediem venturus exſpectatur,

INTERPR. [a] *Napragi evêque d'Albe Julle ou Weiſſenburg en Tranſylvanie.* [b] *Haboſy.* [c] *Hermanſtadt.* [d] *Medwiſch.* [e] *Iſle de Vizza.* [f] *le comte de Sultz.* [g] *Rufworm.*

CIↃIↃXCVIII. HENRICUS IV.

exſpectatur, Schwartzenburgus ad [a] Totim exercitum admovet, praemiſſis IↃC equitibus, qui aditus explorarent, et certiora de hoſtibus adferrent. Traductis tandem tormentis ac bellico apparatu, ex colle oppoſito verberationem XIV machinarum inchoat; eaque majus oppidi propugnaculum, quod in ſtagnum ſubjectum deſpicit, ita quaſſatum fuit, ut circa veſperam corruerit, et aditus irrumpenti militi etiam non admotis ſcalis patuerit. Itaque ſtatim vis facta a Sultzianis IV cohortibus, quibus id ſorte obvenerat; ac poſt obſtinatum certamen locus caeſis cuſtodibus in noſtrorum poteſtatem devenit, paucis, qui ad propugnaculum aliquod ſepoſitum confugerant, ſubito ad deditionem compulſis. Deſiderati CC Turci cum ipſorum praetore: ex noſtris circiter XL. Eodem ſucceſſu Geſtes tentata, arx in arduo ſita et vaſto muro circumſepta; et, diffugiente ad primum conſpectum praeſidio, occupata. Palotta item, quae e Sultzianorum praeſidio firmata eſt: [b] Veſprinium, Sambuca, aliaque caſtella a Chriſtianis toto Sextili capta. Menſe proximo exeunte [c] Omat purpuratus cum numeroſo LX CIↃ armatorum exercitu Belgradum venit, luſtratiſque copiis ad Varadinum grande caſtra ponit; cum jam noſtri, tentata fruſtra [d] Albae-regalis obſidione, et cognito militem Caniſiae ob ſtipendii defectum tumultuare, retro Pappam conceſſiſſent. Erat Varadini Melchior [e] Rederus ex Quadorum nobilitate vir primarius, belli expertus et literis non mediocriter tinctus, a Maximiliano Caeſaris juſſu impoſitus; qui, cognito jam Turcos ad [f] Biſpacam pagum proceſſiſſe, quanquam nullum a Caeſare mandatum ſe habere diceret, tamen civibus, quos de Turcorum adventu jam Sigiſmundus monuerat, ac praeſidiariis rogantibus, manſurum ſe recepit, quod aliter eos retinere non poſſet. Igitur ſuſtinendae obſidioni cuncta ſedulo parata. Tum ipſe militum animos, qua erat facundia, ad pericula quaevis ſubeunda inflammat. Cum vero vaſtam urbem, nec ſitu aut arte ſatis munitam, aegre retineri poſſe provideret, eam incendere decrevit, comportata prius in arcem annona, et monitis oppidanis ut ſe una reciperent, eandem cum praeſidiariis fortunam ſubituri. Sed, quanquam et minis et gladio ſtricto inſtaret, nihil obtinere potuit: nam cum pauci duce Godofredo [g] Rubitio remanſiſſent, flamma circum omnia paſcente, quod reliquum ignis fecit a Turcis direptum eſt; e quibus tamen plerique ab Heiducis in medio conatu oppreſſi perierunt. Ineunte demum Octobri munitiones excitari ab hoſtibus coepere, aqua e foſſis derivata, et diſpoſita ad verberationem tormenta. Rederus viciſſim Germanos ad ſe vocatos ſacramento adegit, ne cum Turcis colloqui aut conſilia communicare, aut ullam denique deditionis mentionem facerent; qui contra faceret, quique in conſcientiam aſſumptus non ſtatim rem ad ſuum detulerit tribunum, ei capitale eſſet: adacti et eodem ſacramento Hungari. V arcis propugnacula ſunt. I, quod ad palatium ſpectat, et [h] Kiralivanum dicitur; cuſtodiendum ſuſcepit [i] Niarus Paulinus. II, [k] Ligneum dictum, quod e lignis et terra aggeſta ſtructum ſit, [l] Kirali Georgio arcis praefecto ſervandum obvenit. Reliquis, [m] Tſcheucae videlicet, [n] Aureo, Vencio, Rubitius cum ſuis praefectus fuit. Prima oppugnatio ad Ligneum facta, quod ſemel atque iterum a Turcis incenſum reſtincto incendio a noſtris ſervatum eſt, et foſſa intra ſepimentum, quod ambitu ſuo propugnaculum complectebatur, ducta, ac valida militum ſtatione firmata. Pridie Nonas Octobreis a molattina, quae ſupra arcem eſt, aqua influens alio derivata eſt; et nocte proxima cuniculi ad Kiralivanum acti, non deprehenſo a noſtris, dum vigilias obeunt, hoſtium conatu, qui incuriae poenas capite luerunt. Ac poſtridie ex Heiducis quatuor promptae audaciae juvenes inchoatam ſubſtructionem ingreſſi, hoſtem ex ea pepulerunt, inſtrumentis in arcem ſecum aſportatis. Nec propterea abſtitere Turci; vixque digreſſis noſtris,

INTERPR. [a] *Detis.* [b] *Veſprin, & Sambok.* [c] *Omar Baſſa.* [d] *Stul-Weiſſenburg.* [e] *Reder ſeigneur Sileſien.* [f] *Biſpaka.* [g] *Rubitz.* [h] *Kiraſivan.* [i] *Niari Paul.* [k] *de Bois.* [l] *Kiral George.* [m] *la Theuche.* [n] *le fort d'Or, & de Vence.*

noſtris, poſthabito omni vitae periculo, majore quam antea conatu opus continuarunt, ad Tſcheucam itidem ſpecum ſubterraneum moliti, tanto ardore, ut collo tenus aquis merſi et erebris telis petiti nihil de labore intermiſerint, aliis atque aliis in caeſorum locum ſuccedentibus. Nec prius ceſſatum, quam murum ſubtergreſſi extra teli jactum ſe muniverunt. Biduo poſt Hungati xxv in foſſa Lignei propugnaculi excubias incurioſius agentes ac ſomno ſopiti circa meridiem a Turcis, qui lintribus foſſam trajecerant, oppreſſi ſunt: quo ſucceſſu elati lintreis ad loricam ligneam appellunt, longurios ac palos recidunt, terra foſſam complent. Tum arboribus ad ligneam propugnaculi partem ſuccisis, ac valli materia ligonibus egeſta, tutum xxx foſſoribus locum faciunt: ad extremum Kiralivano et Tſcheucano ſpecubus ignis, obſtructis ſpiraculis, iv Eidus inditur. Cumque hoſtis in procinctu ad arcem invadendam poſt ruinam editam ſtaret, mirum dictu, ignis per os ſpecus, quod obſtructum putabatur, magna cum violentia erupit, et nihil praeterea munitioni nocuit; contra multos Turcarum aut afflavit, aut penitus exuſſit: qui tamen, ne nihil eo die egiſſe viderentur, Ligneum propugnaculum invaſerunt, cum damno ab oppugnatione tandem repulſi. Sequentibus diebus in eo a Turcis laboratum, ut aggerem terra in ſubjectam foſſam egeſta complanarent. Cuniculi item per totum quatriduum acti; ac demum xvi Kalendas Novembreis igne injecto Tſcheucanum extremum cum duobus aliis, quorum interſtitium xxii paſſus amplectebatur, a fundamentis convellitur, et ruina muro ſubjecta foſſa impletur; per quam continuo Turci irrumpunt. Idem ad Ligneum tentatum, quo pluribus locis defenſores fatigatos diſtinerent: ſed virtute noſtrorum conatus irritus fuit. Capta hoſtium viii ſigna; qui tandem proelio abſceſſere. Praecipua in eo conflictu virtus Hungarae cujuſdam mulieris memoratur, quae inter primos acinacem altera manu tenens, ſaxa ac tegulas altera in confertum hoſtium agmen jaciens, obſtinato ſupra ſexum animo pugnare conſpecta eſt, nec prius quam graviter vulnerata a pugna diſceſſit. Triſtem ejus eventum fecit lethaliter ictus Kiralis Georgius arcis praefectus; qui, per Rederum commendata Caeſari uxore ac liberis, quinto poſt die deceſſit. Hujus praefectura a Caeſare [a] Caeleſto Jano commiſſa, qui dignum ſe ea poſtea praebuit. Poſtridie redintegrata a Turcis oppugnatio, ſed eodem exitu. Fatiſcentibus interim noſtris, veritus Rederus, ne, numero in dies decreſcente, loco periculum crearetur, per fidum nuncium monet Caeſarem quo in ſtatu res eſſent, et ad ſolvendam obſidionem ſuppetias petit. xiii Kalendas majore vi quam antea pugnatum, everſo ad Kiralivanum per cuniculum muro, tanta vi, ut xxix cubitorum latus aditus pateret. Sed foſſa xxxvi paſſus lata ac mediocriter alta ſuberat, quae impreſſionem molienteis remorabatur. Itaque dolia, utres, ſacci, alia ſupernatantia injecta; quibus crates, tigna, gerrae ſuper imponuntur. Inde tripartita oppugnatione res geſta. Tandem pulſi hoſtes cum damno, infractis ad vim ſuſtinendam noſtris; qui, licet etiam proeliis ſecundis valde attriti ac debilitati, nullas de ſucceſſu deſperantium aut male ominantium voces emiſere, cum turpe eſſe dicerent, impios hoſteis majorem animi conſtantiam ad Chriſtianam fidem oppugnandam, quam ipſos ad eandem defendendam adferre. Poſtridie Tſcheucani ſecundum jam ſuffoſſi pars multo maxima cuniculis actis concidit: ſubitoque impreſſio tribus locis facta, ſed eodem ſucceſſu; quanquam tormentarii cujuſdam incuria pulveri illapſus ignis longe lateque incendium toto propugnaculo ſparſiſſet; in quo reſtinguendo fatigatis noſtris, facilem ad illud ſibi aſcenſum deinceps fore Turci perſuaſerunt. Tentata ſequenti die ac biduo poſt eadem ab hoſte fortuna, paribus animis noſtri reſtitere. Obſeſſis tandem continuo labore conſectis Deus praeſto

INTERPR. [a] *Jean Celeſte.*

praeſto fuit, [a] Caĉreſio, id flumini nomen eſt, quod arcem praeterlabitur, extra alveum per munitiones hoſtileis ad Kiralivanum ſtructas erumpente, et pontibus ruptis omnem ſtationibus ad ea loca defendenda collocatis ad caſtra commeatum intercludente. In magno tunc diſcrimine Turcos verſatos conſtat, ſi praeſidiarii erupiſſent: ſed jam pauciores erant, quam ut ſe incerto eventu proelii aleae exponerent. VII Kalendas Novembreis, aqua jam reſidente, Turci vallum majore quam antea vi tranſcendere conati cum fortiſſime repulſi eſſent, vimque non ſuccedere viderent, rurſus ſubterraneos ſpecus agunt. Quod ut opportune obſeſſis accidit, ceſſationem ab aſſidua armorum tractatione quaerentibus, ita majoris in futurum periculi metu ſolicitos habuit. Tandem tertio poſt die paratis cuniculis, dum caprinis utribus incluſum ſulfureum pulverem inferre incipiunt, igne in praetereunteis a ſtationariis injecto, flamma dejectis bajulis proxima quaeque allambens momento temporis ad ceteros utreis pervaſit, tantumque incendium excitavit, ut et fornicem ſubterraneum diſſipaverit et exitum nacta etiam opera omnino corruperit. Multi caſu illo abſumpti Turci. Haud felicius in aliis duobus cuniculis res ſucceſſit; qui concepto igne plus terroris quam incommodi noſtris intulere, quanquam hoſtes omnia ſumma feciſſent, ut, tribus locis oppugnatione tentata, voti compotes extremo hoc conatu evaderent. Sed ſpe falſi omnem quoque arcis in poſterum capiendae ſpem amiſerunt: ac III Non. Nov. vaſis conclamatis ab obſidione [b] Omar diſceſſit, parte copiarum Zolnocum, parte Budam reducta. Ad XIII CIↃ hoſtium periiſſe aiunt: ex noſtris CIↃ CCC tantum deſiderati. Gratiae Deo actae, hortatore Melchiore Redero, ac militi ad pietatis officia exemplo ſuo praeeunte; qui cum vexillis, equis captivis, aliaque praeda Caſſoviam profectus magna omnium gratulatione exceptus eſt. Arx, dum de ea Caeſar ſtatueret, [c] Niaro Paulino interim commiſſa.

XVI. DUM Turci ad [d] Varadinum haererent, Schwartzenburgus, ut hoſtem averteret, ad Budam Pannoniae metropolim, quae IV CIↃ praeſidio tenebatur, caſtra poſuerat. Initio Turci ab omni eruptione abſtinuerunt, et metu quieſcere viſi; quod aſtu factum, ut noſtros ob id ſecuros in inſidias pellicerent: nam ubi propius ventum eſt, effuſo ſcloppetorum et ſagittarum imbre noſtros infeſtarunt, nulla tamen inſigni clade. III Non. Oct. ſuburbium, quod urbi a tergo eſt, poſt obſtinatum utrinque certamen expugnatum fuit: ac triduo poſt Matthias in caſtra venit, ut univerſis copiis cum ſummo imperio praeeſſet. Cujus mox ductu alterum fronti urbis praetenſum ſuburbium magna vi adoriuntur noſtri, acriter ſe defendentibus Turcis; tandemque poſt trium horarum certamen, in quo ex hoſtibus CIↃ amplius ceciderunt, et non exiguus ex Belgis numerus, loco, omni inſtrumento bellico, magnaque praeda, camelis, equis potiuntur. Urbi collis imminet, quem caſtello ſtructo Turci muniverant, et XXX praeſidiariis firmaverant. Ad illud cum noſtros eodem impetu ruenteis videret hoſtis, ignem injicit, et propere ſe in urbem recipit. Alteram paulo infra Budam ad Danubii ripam excitaverant munitionem vulgo [e] Potentianam dictam, quae [f] Palfio ductore in noſtrorum poteſtatem devenit, praeſidiariis CCC, tot enim in ea fuiſſe perhibentur, ad unum caeſis. Captae et duae Turcicae naves infra Budam; et ex remigibus captivis cognitum, pontones a Turcis colligi et inſtaurari. III Eidus propugnaculum ab hoſte deſertum occupatur, in quo diſpoſitis tormentis verberatio in urbem dirigitur. Ea cum maxime infeſtarentur obſeſſi, et intercluſo exitu noſtri ex civitate inferiori per cuniculos aditum ad ſuperiorem partem molirentur, magna in urbe trepidatio fuit; juſſique ſe dedere defenſores, periculo uxorum ac liberorum ſi animum obfirmarent oſtentato, et honorificis contra ſi urbem dederent conditionibus oblatis, nihilominus generoſe reſponderunt, mortem ſibi ignominioſa deditione

INTERPR. [a] *Keres r.* [b] *Omar Baſſa.* [c] *Niari Paul.* [d] *Waradin.* [e] *Potentiane.* [f] *Palſi.*

deditione potiorem eſſe. Itaque oppugnatio redintegrata; ſed imbribus foedis ſu- CIↃIↃXCVIII.
pervenientibus parum profectum: et quanquam foeminarum ac puerorum de exitu HENRICUS IV.
verentium crebrae exaudirentur in urbe querimoniae, purpurati tamen animus nunquam inflecti potuit; quippe homo natura ferox, qui [a] Ciliciae et Illyrici et Bithyniae purpuratos ut periculi ſocios, ira virtutis ac fidei ſuae reſteis habebat, nolnit committere, ut potius tor periclitantium capitum miſeratione tangi, quam magnitudinis Othomanici imperii rationem habuiſſe, videretur. Nuſquam ceſſantibus imbribus tentarum irrito conatu Peſtum. Reliqua in cuniculis ſpes erat; in quos ignis injectus VIII Kalendas Novembreis, haud magno profectu; quippe alter, ad interiora urbis longius porrectus, tantum domos quaſdam convulſit, neque magnum ad oppugnaoonem aditum patefecir; in altero reſiliens ignis anteriora tantum labefactavir, pluſque iis qui foris erant qnam defenſoribus damni dedit. Hac ſpe amiſſa noſtri ab obſidione diſceſſerunr Kalendis Novembribus, incenſis ſuburbiis, ac machinis in tutum magno cum labore tranſlatis, ope ruſticorum, qui ad VII CIↃ cum liberis et uxoribus in caſtra venerant. Recedentibus cum inſtarent Turci, acriter in itinere certatum, pari utrinque damno; et noſtri Varadinum, illi Budam ſe contulere, pari virtute ab utriſque defenſas urbes. Sub id Philippus Emmanuel [b] Lotharingus Mercurianus, poſt uſurpatum roto decennio in [c] Armorica ſupremum imperium, in ordinem ſe redactum moerens, vir elati animi ultro ſe Chriſtianum militem profeſſus eſt; petitoque a rege, dum [d] Moncelli Octobri menſe eſſet, commeatu in Lotharingiam ſuam conceſſit. Inde Caeſare per Carolum Lotharingiae ducem gentilem ſuum monito quid ſui conſilii eſſet, ab ipſo accitur, et honorificis admodum condirionibus bello per [e] Pannoniam gerendo praeficitur; de quo, cum ad annum ſequentem venerimus, erit plura dicendi locus.

XVII. DUM haec in Pannonia gererentur, in proxima Polonia res paulum turbavere. Menſe Martio celebrata ſunt Warſaviae comitia, in quibus relatum fuir de foedere cum Moſcis et Turcis renovando, de ſtipendiis militaribus, et finibus regni praeſidio firmandis, de Livoniae republica ordinanda et judiciis in ea conſtituendis, de penſione Tataris penſitari ſolita, ac praecipue de regni Succiae motibus. Decreta in Moſcoviam legatio, eamque obire juſſus Leo [f] Sapieha Lithuanus; ſed, Theodoro ſub id mortuo, dilatum et interturbatum negotium. Interfuit comitiis legatus Turcicus, pacis ac foederis nuper cum Polonico legato [g] Byzantii conventi confirmationem a rege et regni ordinibus petens. Sed cum deprehenſum eſſet, in quibuſdam capitibus Turcum ab antiqua formula receſſiſſe, quaedam etiam omiſiſſe, denuo ad Portam miſſus eſt Felix [h] Herbertus, vir feliciſſimae ſolertiae, tanto negotio diſceptando par creditus. Livoniae gubernatio in his comitiis ita conſtituta, ut [i] Transdunana regio in III Palatinatus, [k] Wendenſem, Parnovianum, et Torpatenſem diſtribueretur: Georgius [l] Farensbachius Livoniae equitum magiſter, celeberrimus belli toto Arctoo tractu dux, Wendenſi praeficeretur. Ad jus reddendum provinciae ſupremum tribunal inſtitutum, a quo, ut ſumptibus ob longinquitatem itineris parcatur, niſi raro et gravioribus in cauſis provocare non liceat. Ad dignitates et praefecturas Livoni cum Polonis ac Lithuanis promiſcue admiſſi, a quibus Livoni antea quaſi in patria ſua peregrini omnino excludebantur. Major in Succiae negotio difficultas et altercatio fuit; cum multi, indignum in modum a Carolo patruo regem haberi indignati, injuriam ad ſe pertinere exiſtimarent, et ſuppetias ei ex opibus regni Polonici, quod et ipſe jure legitimo obtineret, ſuppeditari debere cenſerent; alii Polonicas res a Succicis ſeparatas haberi ſatius ducerent, moraſque profectioni in regnum avitum, quam rex
adeo

INTERPR. [a] *Baſſas de Caramanie, Boſnie, & Natolie:* ſelon les hiſtoriens qui ont eſcrit cecl. [b] *de Lorraine duc de Mercaur.* [c] *Bretagne.* [d] *Monceaux.* [e] *Hongrie.* [f] *Sapieha de Lithuanie.* [g] *Conſtantinople.* [h] *Herburt.* [i] *delà la Dwina r.* [k] *de Wenden, Pernaw, & Derpt.* [l] *Ferenſback.*

CIƆIƆXCVIII. HENRICUS IV.

adeo urgebat, tantiſper injicerent, dum Samuel Laſcus, anno ſuperiore exeunte in Sueciam miſſus, in Poloniam reverſus eſſet.

XVIII. Is Upſaliae, quo ordines regni ad juſta Gunillae reginae perſolvenda convenerant, auditus IV Eid. Feb. longam expoſtulationem de Carolo inſtituit: eum, ſpretis in regni adminiſtratione delectis ſenatoribus ac regiis mandatis et edictis, cuncta ad libidinem gerere, nihilque in adventum regis, de quo praemonitus fuit, paraſſe, nec legationem ad regem, cujus praetextu comitia [a] Arbogae privata auctoritate indixit, adornaſſe; ne claſſem regi deducendo obviam miſiſſe, ſed ad [b] Calmariam occupandam amandaſſe, ad oſtium Viſtulae primo velut ad explorandum regis adventum miſſam; deinde converſo itinere, antequam rex quidquam de ejus appulſu cognoviſſet, ſubito in Sueciam revocatam: interea famam artificioſe ſparſam ab ordinibus Poloniae, nunquam regi Sueciam veniendi facultatem conceſſum iri; quin et ſubornatos qui regem obiiſſe affirmarent; et nuncios regios ac literas pari audacia interceptas, ne in regni ordinum notitiam pervenirent: atqui regem vivere ac valere, et hac aeſtate in regnum venturum: verum ex Carolo ac regni ordinibus primum reſcire cupere, an, cum volet, claſſem inſtructam ex Suecia habiturus ſit, et tutum ac pacificum in eam ingreſſum ſibi polliceri debeat. Tum quaedam ſingularia Carolo objecta, quod praefectos ac officialeis a rege ordinatos removerit, arbitrio ſuo alios in eorum locum non conſulto rege ſubſtituerit; nam id [c] Sudercopienſi decreto, ad quod ſemper ille provocat, manifeſte pugnare: quod Steeburgum Annae ſororis regiae arcem hoſtiliter ea abſente ingreſſus, ſcripta apud eam depoſita vi rapuerit; quae ante omnia reſtitui petit: conſiliariis regni pleriſque praedia et arces ademerit; Stokolmiae quoſdam nuper ſenatu moverit; regias arces amotis regiis praefectis invaſerit; Erico Sparre cancellario, eum ſub id rex in Daniam ablegaverat, deſerendae Sueciae neceſſitatem impoſuerit; ex Erici [d] Brahe Wiſſingburgi comitis bonis hereditariis portionem magnam decerpſerit; cancellarium, alioſque qui ejus imperium peroſi ad regem venerint, inique et injurioſe citaverit: quas citationes rex irritas pronunciat, et, quouſque in regnum venerit, ulterius in eo negotio procedi vetat. Tum de expeditione in Finnoniam a Carolo ſuſcepta, et [e] Aboia arce in primo [f] Finnoniae portu inter ſcopulos poſita hoſtiliter occupata, queritur legatus; ac Finnones captivos, nobileis matronas, virgines dimitti, et machinas in arces, unde ablatae ſunt, reduci praecipit. Ad extremum de comitiis deinceps ſine regis mandato indicendis denuo proteſtatur; et Sudercopienſis conventus anno CIƆ IƆ XXCV celebrati decreta, quibus regiae majeſtati ac dignitati multum derogabatur, revocari petit. Ad haec Carolus reſpondet, his, quae a legato regio nominis ſui dignitatem et exiſtimationem non mediocriter laedentia dicantur, talia multa anno ſuperiore a Suecicis et Polonicis legatis objecta; quae cum nullis probationibus niterentur, nec refutatione eguiſſe: ad cetera tunc edita apologia ſatisfactum eſſe: de conventibus regni abſente rege non celebrandis itidem prolixe tunc reſponſum: proinde de jure ſuo in comitiis, ubi neceſſitas flagitabit, indicendis minime ceſſurum eſſe. Cum nihilominus Laſcus ad ſingula diſtincte ut reſponderet urgeret, Carolus exemplum mandatorum regiorum ſibi tradi petiit; traditoque reſpondit, claſſem, ſi de tempore profectionis, et loco ad quem adpellere rex debeat, doceatur, ſe miſſurum, ſed regni ordinibus primum conſultis, ſine quorum conſenſu nihil agere neque velit neque poſſit: vicarios regios ſe non depoſuiſſe, verum eos partim contra jusjurandum a rege dictum conſtitutos, partim publico ordinum decreto remotos, partim ſponte loco ceſſiſſe: quod Annae ex Steeburgi arce ablata reſtituere jubeatur, injurioſum eſſe; nam nihil illi ablatum, tantum arcam Erici Sparre repetitam: ubi ergo Ericus coram regia majeſtate

INTERPR. [a] *Arboge.* [b] *Calmar.* [c] *de Sudercopen.* [d] *Brahe comte de Wiſſinbourg.* [e] *Abo.* [f] *Finlande.*

majeſtate et ordinibus regni adminiſtrationis ſuae rationem redditurus ſe ſtiterit, tunc de reſtitutione actum iri: ſenatores regni ſe ſingulari benevolentia et honore ſemper proſecutum eſſe, nihilque niſi ex eorum ſententia in publica gubernatione feciſſe; ſed multos ex iis de ſe ſecus meritos eſſe, rege Joanne ſparſis inter fratres diſſidiis, et alienato ab ſe nunc regis animo: ad citationes quod attinet, orare regem, ut intra ſex menſes diem judicii partibus conſtituat, quo tandem hae controverſiae regni legibus decidantur: de Finnonica expeditione, ſe ab omnibus regni ordinibus mandatum habuiſſe, ut latrones ac publicae pacis perturbatores armis perſequeretur: mandato ſumma fide ac diligentia paruiſſe; machinas in Sueciam revexiſſe; captivos arbitrio ſenatus reliquiſſe, qui de eorum libertate ac bonorum reſtitutione cauſa cognita ſit decreturus. Hoc reſponſo cum ſua poſtulata eludi quereretur Laſcus, et ad ordinum regni conſenſum cuncta a Carolo referri, poſtridie eoſdem ordines regni de reſponſo regi dando deliberanteis hortatur, ut decreta ſua ad regis mandata accommodent, Caroli, in cujus unius poteſtate ac manu bellum paxque ſit, animum ad juſta, aequa, ac quieta conſilia inflectant: ita quae inter ipſum regemque offenſiones inciderint mitigari, ac paulatim omnino tolli, et totius Sueciae tranquillitati ac ſaluti conſuli poſſe. Poſtremum fuit, cum aliud obtineri non poſſet, de captivis dimittendis poſtulatum: quos cum non aliter ſe dimiſſurum Carolus oſtenderet, niſi ſententia lata libertate digni judicarentur, Laſcus, regia nomine ſeveriſſima interminatione addita, ejus rei cognitionem ſibi ſervaſſe regem, eamque Carolo patruo regnique ordinibus interdixiſſe, declaravit. Interim, ut ſuſpenſa in regis adventum deliberatione illi dimitterentur, enixe ab iiſdem petiit. Aequum petere cum videretur legatus, multi ex proceribus in arcano apud legatum ſe excuſabant, Caroli obfirmata pertinacia id agi oſtendentes, ut Sudercopienſis decreti colore regiam auctoritatem labefactet, ſuam conſtituat, ac novis ſemper turbis cauſam praebeat. Actum poſtremo de nuptiis Annae regis ſororis cum Jo. Georgio Brandeburgico, et illa per Guſtavum [a] Bannerum et [b] Turonem Bielkem in Poloniam deducenda. Tum Joanni Joannis regis juniori filio, quem ex Gunilla ſuſceperat, pueritiae moderator Nicolaus Bielke Turonis frater attributus eſt: quod illis tantam invidiam apud Carolum et conjunctos ordines creavit, ut re indeciſa paulo poſt Laſci diſceſſum, quo ſaluti privatae conſulerent, in [c] Hallandiam proximam Daniae provinciam confugere coacti ſint, unde poſtea ad regem in Poloniam tranſmigrarunt. Haec uſque ad XIV Kal. Mart. inter Laſcum et Carolum regnique Suecici ordines acta. Revertit ſub id in Poloniam Laſcus, cum comitiorum tempus propediem exiturum eſſet: qui ubi quid in Suecia actum eſſet coram proceribus renunciavit, protinus commotis rei indignitate animis a cunctis unanimiter acclamatum, juſtae regis petitioni morem gerendum, et neceſſariae in regnum avitum ad res ejus ordinandas profectioni cuncta ſedulo paranda: tantum et praeſcriptum, ut S. Bartholomaei die anni ſequentis iterum ſe in Polonia ſiſtat. Itaque Sigiſmundus Warſavia iter ſecundo Viſtula in [d] Boruſſiam ingreſſus XVII Kal. Jun. [e] Mariaburgum appulit, cum pridie Samuel Laſcus iterum in Sueciam remiſſus ex [f] Gedanenſi portu ſolviſſet, ut Caroli animum de admittendo rege denuo pertentaret, et aditum regi totum ac ſecurum in Sueciam pararet. Exeunte Maio rex, pertranſito Gedano, ad Olivam monaſterium unico ab urbe milliari conceſſit; ubi legati reditum opperiens claſſem lente admodum inſtruxit, majorem partem ex navibus Anglicis in eo portu repertis et in trimeſtre conductis, et milites in eam imponendos VIII Eid. Julias luſtravit. Erant omnino V CIↃ ex Hungaris, Heiducis, Germanis, ac Scotis collecti; quibus praefectus eſt cum ſummo imperio Georgius Farensbachius equitum

INTERPR. [a] *Banner.* [b] *Turone Bielke.* [c] *Halland.* [d] *la Pruſſe.* [e] *Marienbourg.* [f] *Dantzick.*

equitum Livoniae magiſter. Ipſe Scotica nave, cui Aquilae nomen, tanquam praetoria vehebatur. Quo bellicus is apparatus pertineret cum minime ignorarent vicini principes, id quod erat veriti, protinus legationem adornant. Miſſi protinus a Joachimo Friderico Brandeburgico ſeptemviro, Georgio Friderico Boruſſiae duce, [a] Megalopolenſi duce oratores in Sueciam exeunte Quintili, qui de pacis rationibus ineundis inter regem ac Carolum patruum Sueciae proregem partes ſuas interponerent.

XIX. TANDEM rex, cum Laſcus ſine idoneo reſponſo remeaſſet, praecipiti jam aeſtate ex Viſtulae aeſtuario ſolvit, et ad Calmariam maritimum Sueciae oppidum appellit. Cauſa profectionis in regno jactabatur, non ſolum ad auctoritatem regiam recuperandam, quam Carolus mentito gubernatoris nomine propriam fecerat, ſed etiam ad Catholicam religionem reſtituendam, cujus inſtautationem in facili fore perſuaſerant Sigiſmundo Jeſuitae. Id eos, qui majorum religioni addicti in eo ſuperabant, in magnam ſpem erexerat; ſed plures contra regem exciverat, qui Auguſtanae confeſſioni, quam Carolus propugnabat, jam a tot annis inſueverant: quotus enim quiſque non ſolum ex plebe ſed ex proceribus erat, qui Catholicam religionem in Suecia vidiſſet? Itaque multi ad Carolum ſe aggregare; pauci ad regem officii cauſa contendere. Primus error fuit, quod mari in Sueciam venit rex, cum terra Finlandiam modico trajectu peti ſatius fuiſſet, quae praeter [b] Aboiam tota regia erat. Sed exules Ericus Sparre cancellarius, Ericus Brahe Wiſingburgi comes, Georgius [c] Poſenus, Steno Bannerus, Turo Bielke ſenatores, Guſtavus Bannerus praefectus praetorio, feſtinato patriae repetendae deſiderio apud regem pervicerunt, ne ſanioribus conſiliis auſcultaret; eoque magis, quod Poloni proceres, qui cum rege erant, tantum de Suecis contemptum, tantam de ſe fiduciam animo conceperant, ut cuncta ſibi proclivia exiſtimarent. Certe initio regii, quocunque appulerunt, cuncta citra certamen receperunt. A regiis partibus qui alieni erant, pars Stokolmiam regni caput, alii Calmariam, quod eſt adverſus Danos et Germanos primarium regni propugnaculum, conceſſerunt. Maris Baltici ea natura eſt, ut non, ſicuti in oceano noſtro, aeſtu accedente et recedente agitetur, neque undas univerſas et longo tractu glomeret, ſed pigrum et iners breveis et in cumuli modum ventis intumeſcentibus attollat; neque adeo aqua in eo ſalſa, quin et jumenta et homines eam aliquando non incommode potent. Ora autem maritima Sueciae ſyrtibus et brevibus abundat, aſpectu ob id terribilis. Eminus cautes horrorem propinquantibus incutiunt, neque perviae niſi juxta poſitis apparent: quin et ſcopuli ex imo aſſurgunt, quidam aequore tenus, alii exſurgentes deſidenteſve ad cubitum unum alterumve, navigantibus formidabiles. Cautes autem illae ſunt inſulae, quas indigenae [d] Scharenas nuncupant, et univerſo litori Suecico praetenduntur, atque a Calmaria et Hallandia incipientes in [e] Boddium ſinum per cc amplius Germanica milliaria porriguntur, quatuor aut ſex milliarium latitudine. Numerus earum iniri non poteſt, quippe ambitu vix ſtadium unum aut alterum, aut, quae maximae, milliare Italicum excedentes; paucae leucas aliquot continent. Inde difficile rectum curſum tenere inter tot inſulas confuſa ſimilitudine fallenteis, ubi e pelago aperto in eas penetratur adempto proſpectu: nulli maeandri, nulli inextricabiles labyrinthi, qui aeque errore implicent. Itaque indigenae crucibus, arborum ſtrue, lapidum cumulis, aliiſque notis vias et aditus diſtinguunt. Quae interius recedunt inſulae gramine veſtiuntur, et picearum adeo ſunt feraces, ut iis impune ſuccisis ad ignem luculentum excitandum affatim nemine prohibente navigantibus uti liceat. Ex nudis ſaxis nullum gramen producentibus, dictu mirabile, grandes arbores medio mari enaſcuntur. Stephanus Bannerus, qui Suecici maris praefecti munere fungebatur, ſeu temeritate ſive imprudentia, canalem, qui inter illas inſulas aſpirante vento ad

Stecburgi

INTERPR. [a] *de Mecklenburg.* [b] *Abo.* [c] *Poſen.* [d] *Scharen.* [e] *Golfe de Boden ou Bodnerſee.*

CIƆIƆXCVIII.
HENRICUS IV.

Steeburgi arcem ducebat, feſtinanter praetervectus eſt. Et ſi in errore perſeveraſſet et Stocholmiam verſus perrexiſſet, conſultius facturus putatur, quippe abſente tunc Carolo et ad omnia imparato, et obvio favore oppidanis regis adventum praeſtolantibus. Sed rex, ad ſororem Steeburgi commorantem divertere certus, tantundem temporis elabi paſſus eſt, quo et ſecundus ventus mutavit, et Carolus res confuſas inſtruere potuit, et oppidanorum priſtinus ardor multum deferbuit. Carolus in [a] Lincopienſi agro regi cum exercitu occurrit, concordiae deſiderium prae ſe ferens, ſive quod imparatus, ut ab aemulis jactabatur, ſive quod ita ab initio animatus eſſet; nam plerique, etiam ii qui alioqui minus aequi, ſic de eo exiſtimabant, a regni occupandi deſiderio ejus animum initio abhorruiſſe, ſed hoſtili ſive adventu ſive conatu regis male conſulti exacerbatum ex ſucceſſibus proſperis conſilium cepiſſe. Igitur, re levibus excurſionibus, ut fit tam vicinis copiis, tentata, ad regem legatos mittit, nuncianteis, ſi regnum pacifice ingreſſurus veniret, patruum ei praeſto futurum; interim rogare, ne arma experiri mallet, et a fundendo non Chriſtianorum ſolum ſed ſubditorum ſanguine manus abſtineret. Re infecta cum dimiſſi eſſent, et interim novae copiae Carolo acceſſiſſent, rurſus miſſi legati VI Eidus Septembreis, cum iiſdem Caroli et procerum regni, qui cum eo erant, mandatis. In eo ſpatio inter Hungaros et Suecos tam vicinos, ducibus inſciis, certamen conſertum eſt, tanto ardore ſive virtute Hungarorum, ut, niſi a Sigiſmundo revocati fuiſſent, exercitum hoſtilem eo die profligaturi credantur. Sed non eadem poſt conflictum moderatio, quae in pugna virtus, Hungarorum fuit; qui aegre a victoria retracti eam in mortuorum cadavera feritate belluina exercuerunt, capita, brachia, tibias amputantes, et corpora nihil ſentientia mucronibus perforantes ac plagis horrendis nequicquam conſcindentes: quod adeo Suecorum animos exaſperavit, etiam eos qui regi in occulto favebant, ut non pauci ab eo ex illa occaſione prorſus alienati ſint, plures ad ultionem inflammati. Steeburgi arx ſita eſt in iſthmo ex auſtrali amnis parte, qui illuc Sudercopia labitur, marique ſupra arcem abſorbetur, quod ibi ſeptem fere ſtadiorum ſpatio patet, et e regione arcis in fretum anguſtum objectu montium ab aquilone impendentium ad dimidium ſtadium contrahitur; deinde infra arcem rurſum in amplitudinem fere XII ſtadiorum diffunditur. Illic ſtationem habebant naves quae regem advexerant, L fere numero, quarum XXIII Anglicae, XX Belgicae erant. Ab arcis tergo auſtrum verſus rex caſtra habebat. Steeburgo Stocholmiam tendentibus iter eſt boream verſus per fretum illud, quod rex ponte jungere inceperat; quem quo minus perficeret, adventus Caroli in cauſa fuit, qui ex adverſo caſtra metatus eſt, quo pons regius pertingere debebat. Sub id Stocholmia Steeburgum ab Eliſabetha Anglorum regina venit Georgius Carew, adoleſcens ſummi animi et prudentiae, ut de commercio per bella inter Anglos et Hiſpanos intermiſſo cum Sigiſmundo ageret, et conditiones aequas proponeret. Ante annum Paulus [b] Dzialinius ab epiſtolis ob id ad reginam miſſus fuerat; qui minacibus verbis cum ipſa uſus non commodum reſponſum ab ea tulerat, ſicuti ſupra demonſtravimus. Anglicus orator [c] Gedanum appulerat quarto die poſtquam Sigiſmundus inde ſolverat; unde eum in Sueciam ſecutus, et ſperans Calmariae haerentem aſſequi, cum ſe mari commiſiſſet, tempeſtate eadem, quae regis claſſem disjecerat, jactatus, Stocholmiam vi ventorum delatus fuerat, quo Sigiſmundus iturus exſpectabatur; ubi et eum decem dies fruſtra praeſtolatus eſt, ac poſtremo Steeburgum proficiſcitur lembo regio vectus, in itinere a Carolinis ad [d] Oskoſondas anguſtias indigne habitus, et tormentorum ictibus navigio, paulum abfuit, perforato. Admiſſus ad regem Anglus eo ſe miſſum dixit, ut Hanſeaticae ſocietatis conſpirationem Hiſpano aſtu ſuſcitatam diſſolveret, et regem ac Poloniae civitates, atque adeo

Prutenicas,

INTERPR. [a] *de Lineoping.* [b] *Dzialinſki.* [c] *Dantzick.* [d] *Oſkoſund.*

CIƆIƆXCVIII.
HENRICUS IV.

[a] Prutenicas, quid ex eorum uſu eſſet plenius edoceret, et benigniora mandata ab herâ ſua afferret; nimirum permittere ipſam, ut triticum omneque aliud frumenti genus libere in Hiſpaniam poſſint mittere, modo arma et alia inſtrumenta bellica una non mittantur; Hanſeatici vero antiquis, prout rite et recte iis uſi eſſent, immunitatibus in Anglia fruerentur, lege addita, ut illa privilegia agnoſcerent regum gratia conceſſa, non tanquam jura pacto debita repoſcerent, eouſque ut paribus immunitatibus et oneribus cum ipſis inſtitoribus Anglis uterentur. Porrectas literas ab Eliſabetha allatas [b] Thelitzkius epiſcopus Culmenſis et Pomezanienſis vicecancellarius, qui regi aſtabat, accepit, et coram rege recitavit, et quae mandata ore peregerat legatus, ea ut ſcripto traderet, regis nomine poſtulavit. Heic comites eum de contumelia Dzialinio Polonico legato, de quo dixi, facta fremerent, et tempus veniſſe dicerent quo par pari redderetur, Anglus id ſubveritus eo ſibi cautius agendum putabat. Itaque ſcriptum ad vicecancellarium dedit; eodemque tempore literas a Carolo accepit, quibus rogabatur partes ſuas interponeret ad procurandam regis cum Carolo reconciliationem, facta ſpe ut de injuria, quam in itinere a ſtipatoribus ſuis acceperat, ei ante omnia ſatisfieret. Petebat praeterea Carolus, ut legatus Anglicus denunciaret Anglis vectoribus ut inde diſcederent, neque pacem Sueciae turbarent; ratus, ſi id facerent, Belgas eorum exemplum ſecuturos, et ita Sigiſmundo aut fugae aut pacificationis neceſſitatem impoſitum iri; neque vero audituros id aegre Anglos, qui exiguo pretio conducti regem advexerant, et ultra tempus conventum inviti detinebantur, pretio, quod pacti erant, minime perſoluto: interim commercii ceſſantis grave damnum patiebantur. Ad haec Anglus, nulla ſe de rebus Suecicis ab Eliſabetha mandata habere reſpondit, tantum de Polonicis acturum veniſſe: Anglos vero nihil peccaſſe, qui regem in regnum ſuum venientem tranſvexiſſent. Dum haec ultro citroque inter regem et Carolum, et rurſus inter utrumque et Anglicum oratorem, agerentur, rex ad capita propoſita ſcripto reſpondet: ea ad regnum Poloniae ſpectare; a cujus finibus cum longe abſit, non habere quid inpraeſentiarum reſpondere poſſit, ceterum de iis quam primum poſſet, cum regni ſenatu communicaturum. Traditae et legato aliae regis ad reginam literae obſignatae; quas ille accipere recuſavit, veritus ne quid in illis eſſet verborum, quibus Eliſabetha offendi poſſet. Poſtridie quam reſponſum datum eſt, rex adventu claſſis Carolinae, quae minime tamen ſua ſuperior erat, ſuam male conſultus deſeruit; et nocte concubia, quae XII Kal. Oct. praeceſſit, cum ſorore, maris praefecto, cancellario aufugit, et claſſem arbitrio patrui cum aegris et ſauciis reliquit; qui mox freto tranſmiſſo caſtris potitus eſt, et [c] Emdanos comites fratres, qui in regio comitatu erant, cepit: arcem item, in qua rex ſororque ejus pretioſam ſupellectilem et arcas pecunia plenas reliquerant, ſui juris fecit, et ad regem perſequendum copias inſtruxit, quem [d] Lincopiae iter ingreſſum eſſe cognoverat. Inter caſtra et oppidum amnis fluebat non exiguus, qui duobus pontibus jungitur: quo cum veniſſent Caroli praecurſores, acri pugna certatur, et Carolini cum clade repelluntur. Inde regiis animi additi; qui tamen, rege ſe intra oppidum tenente, mox remiſere; et cum ſe citra pontes reciperent, incumbentibus Carolinis, et detonantibus ex ſuperiore loco tormentis infeſtati, in fugam vertuntur, ad bis mille caeſi. Alii paulo aliter narrant: cum totum diem regia acies in armis ſtetiſſet, neque Carolus compareret, Polonos, bellum non ex hoſtium voluntate ſed arbitrio ſuo gerere certos, quaſi extorta metus confeſſione ſuperbe exultanteis in caſtra revertiſſe; jamque armis poſitis et equis religatis eum ſe ad quietem componerent, de Suecorum adventu praeter exſpectationem allato, in caſtris regiis trepidatum, trepidatione ex eo aucta, quod aër eo die maxime nebuloſus eſſet: dein traductis per pontem copiis aciem inſtructam, et Polonos

primo

INTERPR [a] *de Pruſſe.* [b] *Thelitzki evêque de Culm & de Pomeſanie.* [c] *les Comtes d'Emb-den.* [d] *Lincoping.*

primo Suecorum impetum fortiſſime excepiſſe, ſed numero impares tandem in fugam verſos: regem ſuis laborantibus aliquot equites ſubſidio miſiſſe, qui eminus conſpecto hoſte, metu an proditione incertum, dilapſi ſunt. Ut quomodocunque ſe res habeat, rex inſtantibus Carolinis pontes rumpi jubet; quod ut hoſtem trans flumen cohibuit, ita Polonis omnem ad ſuos reditum intercluſit. Itaque multi ex regiis, praeter eos qui in pugna deſiderati, aqua hauſti ſunt; pauci mature amnem tranſgreſſi in tutum evaſere. Haec ita vulgo referuntur. Alii regem initio ſuperiorem fuiſſe memorant, ſed tantam regis fortunam unius perfidia everſam: Nicolaus is erat Fabii ſcribae filius,[a] Raſchius a rege Joanne appellatus et ex ignobili inter patricios relatus, ob Lorichium [b] Holſatum regi ſumme inviſum [c] Gedani forte comprehenſum et navi in Sueciam propere avectum ut poenae dederetur. Raſchius ergo, quem Lorichii calamitas nobilitaverat, inclinata Caroli acie parci civibus jubens, victores compeſcuiſſe dicitur, id juſſu regis fieri exiſtimanteis: Carolum interim ſupervenientibus viribus proelium reſtituiſſe, et regios, a Scotis deſertos, a ſuis deſtitutos, fudiſſe. Tanta clade accepta rex legatos ad pactuum de pace mittit, et colloquium petit; nec ille abnuit, et ultro ad regem Lincopiam venit, ſummamque moderationem poſt tantum ſucceſſum ſervavit, nulla acerbiore in regem voce emiſſa, eumque ſolito cultu proſecutus eſt, ita ut comitatem in victoria adſectaſſe videretur: tantum exules, quorum culpa bellum accenſum dicebat, dedi petiit, non ad ſupplicium, ſed ad judicium; cui ut ipſe ſeſe ſummiſſurus eſſet, ita aequum fore ut rex interveniret; tribunal fore Stokolmiae. Inde, ne vim regi afferre videretur, copias longe hinc ad domum privatam ſuam, cui a Regio ponte nomen, reduxit, et praeter ſuas naves ei Suecicas attribuit, quo comitatior Stocholmiam veniret: et eodem tempore Steeburgenſem arcem, et omnia quae in ea erant ad regem et ſororem ſpectantia, bona fide reſtituit. Rex, ſeu pavore conſternatus, ſive male conſultus, exules ſtatim dedidit, Ericum Sparrem, Turonem Bielkem, Guſtavum et Stenonem Banneros fratres, ac Georgium Poſenum: ipſe ſe cum claſſe Stokolmiam venturum promiſit. Lachrimabile utique fuit cernere viros clariſſimos, qui regis cauſa patriam deſeruerant, irato victori dedi. Triſte per ſe ſpectaculum funeſtabat muliebre agmen: ſua quemque uxor liberique ſequebantur, mortuis quam vivis propiores. Carolus deditos prius proditionis increpitos in cuſtodiam dedit. Rex tanto errore admiſſo poenitentia duci coepit, ſed ſerius quam ut eum emendare poſſet. Majore errore cumulatus prior, feramque poenitentiam pudendum ſugae ſecutum eſt conſilium; quod rex ex deſperatione rerum ſuarum protinus iiſdem conſultoribus cepit, quibus auctoribus in Sueciam cum hoſtili claſſe venerat. Itaque cum [d] Steeburgum poſt aliquot dies [e] Lincopiae exactos conceſſiſſet, inde [f] Calmariam repetit; ibique tumultuario, quaſi hoſte inſequente, conſcenſis navibus, quarum aliquae mari hauſtae, ceterae disjectae aut quaſſatae ſunt, ad Gedanum ejicitur magis quam exponitur, conatibus ubique adverſam expertus fortunam. Qua re cognita Carolus ſubito nuncios et literas ad regem mittit, ex fuga eum in regnum revocans. Tum ad loca quae defecerant recuperanda animum intendit.

XX. STOKOLMIA et Calmaria ad primum regis adventum in poteſtatem ejus conceſſerant. Regiorum dux erat Ladiſlaus Bekes Pannonius, qui Stokolmiam invectus ſtatim in arcem intromiſſus eſt, quae pari facultate poſt cladem Lincopienſem recepta quam amiſſa fuerat. Calmariam, quam praeſidio tenebant Joannes Sparre Erici cancellarii frater et [g] Bekius Penno, operibus et machinis fruſtra tentatam, Carolus ab oppugnatione ad lentam obſidionem verſus poſtremo fame ad deditionem compulit;

INTERPR. [a] *Raſke.* [b] *d'Holſtein.* [c] *Dantzick.* [d] *Stekeborg.* [e] *Lincoping.* [f] *Calmar.* [g] *Beck Panno.*

CIƆIƆXCVIII.
HENRICUS IV.

compulit; ſeraeque venere fortibus viris et bene meritis a rege ſummiſſae ſuppetiae, cum praeſidiarii poſt ſemeſtrem obſidionem arbitrio victoris ſe permiſiſſent. Ille ſevere admodum victoria uſus eſt: nam Joannem Sparrem, licet ſanguine et affinitate conjunctum, quod fidem ſibi ad Lincopiam datam violaſſe diceret, ſecuri percuſſit; Laurentium Andreae filium virum ſtrenuum cum fratre Chriſtophoro, et Olaum Magnum archiepiſcopi Upſalenſis, qui patriam hiſtoriam ſcripſit, ex ſorore nepotem, ſuſpendio necavit: Pennoni ſupplici vitae gratiam fecit. Heiduci et Poloni, qui in ea erant, quatriduum cibo et potu poſt diuturnam famem refecti humaniter dimiſſi et incolumes in Pomeraniam ſunt tranſportati, fide prius data, ſe nunquam in vita contra Sueciae regnum militaturos: Germani ſacramento adacti operam ſuam Carolo addixerunt. Dum ad Calmariae obſidionem ſederet Carolus, [a] Jenocopiae menſe Februario comitia indixerat; in quibus [b] Arbogae et poſtea [c] Sudercopiae facta decreta, de quibus tantopere altercatum fuerat, denuo confirmata ſunt. Conſtituta et dies Sigiſmundo regi, qua ſe in Suecia ſiſteret; ſi venire non poſſet, Uladiſlaum filium mitteret, aut Joannem ex ultimis cum Gunilla nuptiis natum fratrem Sueciae regem deſignaret. Capta Calmaria denuo Stokolmiam indicta comitia: in quibus Carolus, de Lubecenſium injuria, qui naveis Suecicas et homines contra foedera detinuiſſent, inſtituta querimonia, hoſtiliter adverſus eos, donec ſatisfecerint, agi; in Finlandiam bellum decerni; quod Calmariae actum eſſet, ratum haberi; exulum, niſi intra praeſcriptum diem ſe judicio ſiſtant, bona in fiſcum redigi petit. Tum gravem de regni ſucceſſione relationem proponit: et eum ad componendas regni turbas praeſentia regis opus eſſe oſtenderet, Sigiſmundus autem literis et nunciis fruſtra vocatus non reſponderet, in ſuffragia itum; et proceres aliique regni ordines, eadem ſpe metuve, quo Carolus, animati, cum a rege victo ad regnum ab exilio veniente ultionem metuerent, a novo gratiam ſperarent, in id facile cum victore conſenſerunt, ut regi victo ac fugitivo regnum abrogaretur. Sed ne regnum ſibi ambitioſe parare videretur Carolus, Uladiſlao regis filio delata in regnum ſucceſſio, ſi praefinito tempore in Sueciam e Polonia mitteretur, moribus ac ritu Suecorum imbuendus. Aliquot Anglicanas nec non et Batavas naveis, quae mercimonii cauſa in Dantiſcano portu diverſabantur, in hujus belli uſum Sigiſmundus pro jure ſuo a naucleris ſeu vi ſeu ſponte conduxerat. Qua ex re Carolus non mediocrem offenſionem contraxit; veritusque ne ſecreta foederatione ex Ordinum Belgicorum conſenſu id fieret, ut occaſionem jungendae arctius amicitiae per expoſtulationem captaret, nondum regiis aſſumptis titulis, hoc ineunte anno oratores Hagam miſit; qui bellum in Suecia pro communi cauſa, hoc eſt pro religione, quam conjunctis conſiliis ac viribus Hiſpaniae rex et pontifex ubique oppugnabant, et pro regni libertate ſuſceptum multis verbis cum oſtendiſſent, ab Ordinibus petebant, ne opibus ſuis aut navibus male conſultum Sigiſmundum adjuvarent, et Caroli amicitiam prolixe deferebant. Iis XVIII Kal. Quintil. ſenatus datus, et poſt actas pro tam propenſa voluntate gratias reſponſum, nihil de navibus Batavis cum Sigiſmundo in Sueciam profectis Ordines cognoviſſe; ſed fieri potuiſſe, ut eas in portubus ſuis nactus ſecum vel invitas, ut fit, ad eam expeditionem duxerit: ſed ſperare ut ipſe, quo pernicioſa belli hujus incentorum conſilia ſpectent, Deo menti ejus praelucente, tandem melius cognoſcat, et ſua ab iis ſeparet, religione et libertatibus regni ſalvis; quarum defenſionem cum Carolus huc uſque feliciter ſumpſerit, hortari, ut in tam laudabili propoſito deinceps perſeveret, et ab Ordinibus mutuam amicitiam et fidam conſiliorum in communi cauſa conſenſionem ſibi polliceatur. Solutis Stokolmienſibus comitiis et pacata Suecia exercitum in Finnones navibus traducit Carolus, ut [d] Aboiam, quae regis adventu defecerat, intentato e propinquo

INTERPR. [a] *Jencoping.* [b] *Arboge.* [c] *Sudercoping.* [d] *Abo.*

propinquo metu in fidem reciperet. Neque heic res citra diſcrimen geſta: nam cum Carolus pervia ſibi omnia confiſus eum praetorianis praegreſſus reliquas copias a tergo reliquiſſet, [a] Axillus Corke regii exercitus praefectus, vir nobilitate et rei militaris uſu clarus, progreſſum magno animo adoritur, et ſingulari certamine cum eo congreſſus jam lethale telum intendebat, cum Joannes [b] Bakius principis periculo territus provolat vim averſurus, et ſuo cum agmine in tempore laboranti ſubvenit, regioſque profligat. Axillus ex ſtrage ſe Wiburgum recepit; quod primo victoris adventu captum, et Gaſpar Tiſenacus Germanorum tribunus et Georgius Ferensbakius, qui in eo erant, in cuſtodiam dati. Dedita Aboia mox Finlandia in provinciae formam redacta eſt; reliquis arcibus, ducibus [c] Tanaſtaſienſi et Neoſladia, aliarum fortunam ſecutis: nam [d] Kexholmiam, quae nec ipſa Finlandiae eſt, ſed Careliae in Livonia provinciae, jam ante Moſco reddiderat Carolus; et, quamvis regii traditioni intervenißent, gratiam omnem tulerat. Victa ſuperataque Finlandia Petrus [e] Stolpes [f] Narvam Livonicam x Kal. Nov. miſſus; quem Sueci, qui in praeſidio erant, magna alacritate exceperunt, et in adverſa Narva Moſei gratum ejus adventum feſta tormentorum diſploſione teſtati ſunt. Heic quoque ſeveritas in captivos ſeu deditos exercita. Joannes Flemingus, Nicolai, qui Finlandiae magna cum virtutis bellicae laude praefuerat, nuper vita functi filius, xxi annos tantum natus, cum ad Carolum tranſire aut mortem ſubire juberetur, mortem optavit, eamque ſumma conſtantia, vel cum hoſtium admiratione ſimul et miſeratione, pertulit. Recepta Narva Carolus legatos ad [g] Revalienſeis iv Non. Nov. mittit, qui ambiguo reſponſo hactenus ſpem ejus ſuſpenderant. Revalienſes a Suecia avelli nolebant, ſed regi Poloniae ac Sueciae, cui ſacramentum dixerant, velle fidem ſervare aiebant. Itaque Carolus tantae urbi expugnandae impar, relicto in provincia Joachimo [h] Schelio, qui cum ſummo praeeſſet imperio, in Sueciam exeunte Novembri rediit. Schelius is aut [i] Gedani natus, aut in officina educatus, Scotum quendam aere alieno merſum in Sueciam ſecutus fuerat, rei navalis non imperitus. Dein flagrante bello inter naviganteis piraticam magna ſolertiae opinione in Finnonico ſinu fecit; et Joanni regi primum, poſtea Sigiſmundo regi filio, ſuam adprobavit induſtriam: a cujus gratia excidens ad Carolum tranſiit, et rei maritimae praefecturam ab eo obtinuit; haud ſatis aequo animo ferente nobilitate, advenam, nullis majorum imaginibus clarum, non ſolum ad ſummas dignitates evectum, ſed in iis etiam indigenis praeferri. Reverſo in Sueciam Carolo in deditos legibus agi coeptum, qui Stokolmiae ex vinculis cauſam dixere. Sedebant pro tribunali xii patricii, totidem ex concionatorum ſeu miniſtrorum ordine. Hi ad extremum capitis damnarunt viros regni primarios, Ericum Sparrem cancellarium, Guſtavum Bannerum, et Turonem Bielkem, genere Sigiſmundo regi Caroloque propinquos, et alios virtute ſpectabileis. Georgius Poſenus, Ericus Abrahami filius, et Nicol. Bielke cum damnati eſſent, ad vitandam invidiam, ſatiata jam ultione, ut creditur, aut quod exemplo ſatis conſultum putaret Carolus, ejus juſſu a carnifice in carcerem reducti ſunt; nec non et Chriſtiernus Nicolai Bielke ex ſorore nepos, Catholicos, quos pontificios vocabant, in patriam adduxiſſe, et in comitialia pacta commiſiſſe, accuſatus. Sed haec inſequenti anno ineunte acta, non ſine fremitu multorum, qui Carolum, etiam a ſontium ſanguine plerumque abhorrentem, in hac cauſa repente mutato ingenio ſeveritatem induiſſe mirabantur.

INTERPR. [a] *Axille Corcke.* [b] *Back.* [c] *Tanaſtaſie, & Neoſladie.* [d] *Kexholm.* [e] *Stolpes.* [f] *Nerva de Livonie.* [g] *ceux de Revel.* [h] *Schele.* [i] *Dantzick.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

IN Tranſylvania Bathorii levitate denuo res turbant. Bathorius, evocato Andrea cardinali gentili, cum eo reconciliatur; comitiiſque tumultuario habitis eum ſucceſſorem deſignat. II. Georgius Baſta cum exercitu Caſſoviam mittitur, qui hoſtiliter cum Bathoriis agat. Contra eos et ſolicitatus Michaël Walachiae deſpota a Caeſarianis. Cardinalis ad obteſtationes deſcendit. III. Baſta Walacho negotium dat, ut cum numeroſo exercitu rem gerat. Stephanopolis ab eo occupatur, et Ciculi in fidem accipiuntur. Tandem cum Michaele Walacho cardinalis v Kal. Nov. animoſe congreſſus, poſt obſtinatum certamen profligatus eſt; cumque in montana cum paucis confugiſſet, proditus, immani paricidio ab Auſtriacis trucidatur. Alba-Julia et aliae urbes in victoris poteſtatem deveniunt. Michaël poſt tot victorias in aula Caeſarea ſuſpectus, Baſta, qui ſummam Daciae praefecturam ambiebat, crimina intentante. IV. Turci annonae penuria preſſi per haec noſtrorum diſſidia nihil aggrediuntur. Tatari ab iis evocati immaniter praedis abactis graſſantur. Vali arx a noſtris capitur. Alba-regalis tentata. Suburbia incenſa. Heiduci praetorem Turcicum miris modis excarnificatum necant. V. Claſſis Turcica in Danubio paene tota in Palfii poteſtatem venit. Damnoſa et irrita ad Formarum caſtellum oppugnatio. Zarcardum expugnatum. Peſta a Schwartzenburgo irrito conatu tentata. Serdar purpuratus cum magno exercitu Belgradum venit. De induciis actum. Serdar, interrupto de induciis negotio, a Sultano revocatur. Tatari excurſionibus graſſantur. Ceſnoca, Lacca, et Palanca a Schwartzenburgo occupatae. VI. Ob Mendozae per Imperialem ditionem ſuperiore anno excurſiones indictus a circuli Rhenani principibus et Weſtfaliae ordinibus conventus, et Confluentia Monaſterium tranſlatus. Tandem conſcriptus exercitus, Lippenſi et Hohenloo comite ducibus, haud magno profectu. Mendoza copias ad Reſam et Emmericum contrahit. Buquoii comes ab equitatu Batavo caeſus et captus. Emmericum a Mendoza deſertum, qui ſubito ad Bommelam deflectit. Crepacordium munimentum captum. Bommela obſeſſa. Cameracum fruſtra a Balagnio tentatum. VII. Conventus Monaſterio Huxaram tranſlatus. VIII. Antonia Caroli Lotharingiae ducis filia Clivenſi duci elocatur, et Sibylla Clivenſis ſoror Burgovii marchioni. IX. Exercitus a Bommela deductus. Juxta Havardenam deproperatum a Mauritio vallum. Orſoium ab Hiſpanis deſertum, et in Friſia Dotecomum. Lippenſis ab obſidione Reſae turpiter diſcedit. Lippenſis et comitis Hohenloi mutuae exprobrationes. Reſa et Genepa ab Hiſpanis deducto praeſidio relictae. X. Iter Margaritae et Alberti in Hiſpaniam. Valentiae celebratae utrimque nuptiae XIV Kal. Maias. XI. Albertus cum Infante uxore VI Eid. Jun. claſſem conſcendit in Belgium rediturus. Andreas cardinalis poteſtate

ſe

ſe abdicat. Ob non perſolutum ſtipendium Herentali in Eburonibus et juxta Moſae Trajectum copiae tumultum excitant. XII. *Legati a Caeſare de pace ad Ordines Batavos miſſi fruſtra fuere.* XIII. *Claſſis* xxc *navium ad infeſtandas res Hiſpanorum in Oceanum ab Ordinibus emiſſa, cui Petrus Does praeerat.* XIV. *Petri Eſpinaci archiepiſcopi Lugdunenſis obitus. Nuptiae inter Catharinam regis ſororem et Henricum Lotharingum Barrenſem ducem. Caroli Gonzagae Clivenſis Nivernii ducis cum Catharina Meduanii filia, et Henrici Meduanii filii cum Henrica Nivernii ſorore peractae nuptiae. H. Jouſa rurſus mundi curarum pertaeſus cilicium ſumit. Antonia item Aureliana Longovillani ducis ſoror, viro mortuo, in virginum Foliacenarum coenobio Toloſae monaſticam profitetur.* XV. *Sillerius Romam miſſus, ut inter alia de Saluciarum principatu controverſiam coram pontifice arbitro diſceptaret.* XVI. *Edicti Namnetenſis promulgatio a rege urgetur.* XVII. *Evocati ab eo in Luparam ſenatores et gravi oratione compellati.* XVIII. *Edicto in curiam allato Lazarus Coqueleius luculenta admodum oratione edictum ſuaſit. Tandem promulgatio facta. De executione dein actum.* XIX. *Gaſparis Schombergii obitus. Ejus genus, ingenium, mores, res praeclare domi et foris geſtae. Huic cognominis et gentilis menſe Maio ſequenti Jo. Trevirenſis archiepiſcopus ſeptemvir debitum naturae perſolvit.* XX. *Gabrielidis Eſtraeae ex praematuro ac perdifficili puerperio mors. Joannes Vivonus Piſanii marchio Nonis Septembribus decedit. Ejus elogium.* XXI. *Literis clarorum virorum mortes, Pauli Parutae patritii Veneti, Joſephi Zarlini Clodienſis, Alfonſi Ciaconi Dominicani, Garſiae Loaiſae archiepiſcopi Toletani, Joannis Levinelli Gandenſis.*

EX AUCTORIBUS,

Hungaricis relationibus, Caeſare Campana, Joanne Parvo, Joanne Bochio, Juſto Lipſio, Navigationum relationibus, Actis curiae Pariſienſis.

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SECUNDUS.

TURBATIS in [a] Suecia ob regni ſucceſſionem, nec non in Polonia ob reditum regis fugae ſimilem, rebus, non minus in [b] Dacia ob eandem cauſam turbabatur. Sigiſmundus Bathorius, quem iniquae cum Caeſare pactionis, atque amicitiae cum Auſtriacis per eos quos memoravi contractae, ſera ſubierat poenitentia, omnem operam dabat, ut in patriam reverſus res credulitate nimia ſua collapſas reſtitueret, et cum gentilibus ſuis, quos male conſultus tam graviter injuriis affecerat, reconciliaretur. Nec deerant apud illum in gratia praepotentes, qui a pactis cum Caeſare initis minime omnino recedendum eſſe ſuaderent, ſed id agendum, ut, prioris tranſactionis iniquitate demonſtrata, ampliores conditiones ab eo acciperet. Itaque miſſi ſuperiore anno [d] Albae Tranſylvanicae epiſcopus, Stephanus [e] Boſkaius, et Demetrius cancellarius ad Caeſarem, qui, ſi nihil aliud impetrare poſſent, quo pacem cum Auſtriacis haberent,

CIƆ IƆXCIX.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *la Suede.* [b] *Tranſylvanie.* [c] *l'evêque d'Alba Julia* al. *Weiſſenburg.* [d] *Boſkay.*

CIϽ IϽ XCIX. haberent, ad [a] Oppoliae et Rariſporii in Quadis principatus jam conceſſos [b] Crebin-
HENRICUS IV. ſiam in Marcomannis ditionem adjungi, ac praeterea L aureorum CIϽ ex camera imperiali quotannis adnumerari, tum ordinibus Tranſylvaniae recentem a fide Caeſari data defectionem condonari, peterent. Eodem, dum haec Pragae agitantur, tempore, alii, qui Sigiſmundi mobile ad cunctos rumuſculos ingenium in diverſa raptabant, injuriam per illam ignominioſam adeo pactionem nomini Bathorio et gentilibus ſuis illatam multis verbis extollunt; et ipſum ex principe clientem familiae Auſtriacae fieri, neque ad vitam tutum, et ad famam probroſum, ad provinciae vero ſecuritatem, quam ab Auſtriacis poſſideri nunquam Turci paſſuri ſint, periculoſum eſſe oſtendunt. Igitur juvenem tam privato periculo quam certa patriae calamitate accendunt, ut gentileis ſuos potius amicos quam Caeſarem dominum habere vellet. Cumque ſe adminiſtrando imperio, praeſertim adverſus Caeſarem et Auſtriacos, imparem ſentiret, Andream Bathorium cardinalem, cujus Baltaſarem fratrem ante quinquennium praecipitato judicio ſecuri percuſſerat, ex ultima [c] Boruſſia, in qua [d] Warmienſem epiſcopatum poſſidebat, per communeis amicos evocat, comitiaque Martio menſe [e] Medutii, ignobili in finibus Poloniae proximis ſito oppido, celebrat. Ante omnia revocatum et abrogatum caput de proſcriptis, quo illis aqua et igni interdictum erat, et cardinalis cum ſuis ſequacibus patriae, famae, bonis, dignitati priſtinae honorifice reſtitutus eſt; eaque de re edictum conditum, quo cavetur, ut exemplaria omnia illorum capitum, quaecunque uſpiam reperientur, igni aboleantur; ſi quis ea retineat, CC aureorum poena mulctetur. Poſtea de cardinali principe declarando actum, quod Hungarica nobilitas praecipue urgebat. In eam rem Sigiſmundus vernacula lingua orationem in templo prolixam habuit, qua Bathoriorum repetitis in rem Chriſtianam meritis, rebus praeclare a Stephano patruo pace et bello geſtis, ad extremum etiam de ſuis multa praefatus, quae pericula Tranſylvaniam circumſtent aperit; iiſque dum undique reſpiciens remedium quaerit, non aliud opportunius et quaſi domi natum ſe reperire ait, quam ſi cardinalis vice ſua ſubſtituatur, et onus, quod diu ipſe impar ſuſtinuerit, cervicibus ſuis impoſitum viriliter ſubeat: ſcire omneis, ipſum ſe periculo ſuo expertum quanta ſit duorum imperatorum, hinc ad ortum, inde ad occaſum, quibuſcum ſaepius manus et conſilia conſeruerit, potentia: ut pacem in patria habeant, ambos placatos habeant neceſſe eſt: id ſibi a patruo prudentiſſimo et fortiſſimo principe ſaepe puero inſinuatum, quod tamen imprudentia lapſus non ſervaverit; nunc tempus veniſſe, ut errorem magno publicae tranquillitatis detrimento admiſſum emendet, et opera patruelis melius conſulti ad communem ſalutem utatur: ipſi ſuppetere animos et firmam valetudinem, et conſtare integra omnia cum utroque imperatore officia, ac praeterea cum vicino rege Poloniae potentiſſimo arctam colere amicitiam; utrocunque res modo cadat ſub hoc principe ſalva fore omnia: [f] Daciam omni re exhauſtam poſt tot clades pace et quiete egere; eam melius neminem ab utroque impetrare poſſe: de Turcis rem expeditam eſſe, et omnia ad foedus inſtaurandum parata, Polono et Moldavo amicis, quorum apud Portam Othomanicam praecipua auctoritas: cum Caeſare haud majorem fore difficultatem, quem cardinalis nunquam laeſerit; qui alioqui de pontificis favore certus nihil ab ea parte metuere debeat; nam, pontificia auctoritate ad novam cardinalis dignitatem accedente, proculdubio non auſurum hiſcere Caeſarem: ſe vero infirma valetudine, canis ante annos aſperſum et magnis incommoditatibus conflictantem, ultro oneri cedere patriae bono, quae viro integris ingenii et corporis viribus ſubnixo opus habeat: neque rem carere exemplo; idem feciſſe Carolum V et alios laudatiſſimos reges,

INTERPR. [a] *Oppeln, & Ratibor en Silefie.* [b] *Kremſier en Moravie.* [c] *la Pruſſe.* [d] *de Warmie.* [e] *Medwiſch.* [f] *Tranſilvanie.*

reges, qui, poſt egregie navatam pro lege et grege operam, patriae ſalutem privatis commodis praetulerunt, et relicta adminiſtrationis cura ſponte ſe in latebras abdiderunt. Quibus dictis praeteritorum oblivionem ſancivit, et in cardinalis verba cunctos Daciae proceres adigit. Cardinalis viciſſim, poſt gratias Sigiſmundo et ordinibus actas, nulla mora interpoſita e ſuis domeſticis familiarem ad Portam Othomanicam mittit, qui legatis ſuis cum Turco tranſacturis ſecuritatem impetraret. Remiſſus ille, veſte, ut fit, ſerica et auro illita donatus, cum mandatis, ut intra IV menſeis legationem ſolemnem cum muneribus mitteret. Id ad Caeſarem perlatum, cum jam Sigiſmundi legati Praga diſceſſiſſent, ignari quid interim per ſuam abſentiam in Dacia geſtum eſſet; qui tanta ſibi ſive levitate ſive aſtu illuſum aegerrime tulit, et [a] Peczium, qui cum legatis egerat, continuo mittit, cum mandatis, ut ubicunque eos nactus eſſet, e via retractos in cuſtodiam daret. Illi jam [b] Thorunam pervenerant, cum quid in Dacia actum erat primo intellexerunt; ultroque tamdiu ibi conſiſtere decreverunt, quouſque de Caeſaris voluntate certius cognoviſſent. Qui vero alterius conſilii Sigiſmundo auctores fuerant, eos rebus ſuis minus idoneos rati, tanquam moleſtos arbitros ab aula ſpecie alterius legationis protinus amandarunt, donec nova conata eo proceſſiſſent, ut leviſſimo alioqui Sigiſmundo amplius poenitentiae locus non eſſet. Peczius inde in Tranſylvaniam pergit, et rerum in ea plus quam putabat mutatam faciem reperit, alienatis ab Auſtriaco nomine procerum et populorum animis, qui indigenam principem cum pace et bona Sultani gratia, ſine qua pacem habere non poterant, quam externum belli neceſſitate adjuncta malebant.

II. INTERIM cardinalis, ut tempus duceret, literis ad Georgium Baſtam, qui jam cum copiis Caeſareis Caſſoviam venerat, datis, vim hoſtilem deprecabatur; quippe ſe, quidquid a Sigiſmundo per delegatos cum Caeſare actum eſſet, ratum habiturum; nec quidquam aliud in eo negotio ſpectare, quam ut rei Chriſtianae et tranquillitati provinciae conſulatur: viciſſim ſperare, ut ipſe, quod eo actum ſit, in bonam partem interpretetur, nec interim vi aperta quidquam adverſus amicos et confoederatos principes moliatur. Peczius ſub id Pragam reverſus eſt exeunte Aprili, et literas a cardinali ad Caeſarem attulit, quibus perſcriptum erat, cupere ſe, quacunque in re poſſet, Caeſari gratificari, praeſertim in iis quae ad pacem ſpectant, et communem reipublicae Chriſtianae cauſam: itaque ut controverſiae nuper exortae amice componantur, unice expetere; ea de re legatos propediem cum Caeſare acturos cum ampliſſimis mandatis miſſurum. Lectis literis dilato ad eas reſponſo protinus ad Baſtam ſcribit, et copias quantas poſſet maximas conſcribere et in Daciam ducere jubet: Michaëlem item Walachiae [c] deſpotam Bathoriis infeſtum, quem ſpe praefecturae utriuſque Daciae ſub Auſtriacis regendae impletum ſibi devinxerat, contra ipſos concitat. Cardinalis diverſa parte ſpe citius ſe armis undique petitum videns, periculo territus, ut moram aliquam interponeret, iterum ad Baſtam datis literis fiduciariis Gaſparem [d] Corniſium mittit. Ejus mandata erant; quando de diſſidio amice componendo, quod ab initio ſemper exoptaverit, minime auditus ſit, providere ſibi patrono opus eſſe, cujus ope ſe ſuaſque ditiones tueatur: proinde Caeſarem rogare, ut ſuam ea in re voluntatem diſerte declaret, amici ac foederati clientis an hoſtis loco ſit ipſum habiturus: Turcicum apud ſe jam legatum eſſe, opes et amicitiam Sultani ultro offerentem, nec amplius X CIↃ aureorum pro penſione annua repoſcentem: malle tamen ſe, et Chriſtiani nominis et conditionis ſuae memorem, Caeſari adverſus communem hoſtem operam navare, quam privatum ob commodum committere, ut ſi non religionis cauſam prodidiſſe, at certe patriae libertatis defenſionem omnino deſeruiſſe videatur: non deeſſe concordiae ineundae rationes, et per renovatam adfinitatem,

INTERPR. [a] *le docteur Petzen.* [b] *Th.rn.* [c] *Vaivode.* [d] *Cornis.*

adfinitatem, quae nuper divortio publico diſſoluta eſt, arctius conſtringendae, Bathoriis tanto honore jam a ſereniſſima Auſtriorum familia affectis: ex eadem domo ſe Sigiſmundi patruelem ſupereſſe, qui parem fidem et animum ad eam adfinitatem ſit allaturus: votum ſibi eſſe, ſi non indignus a Caeſare habeatur, ut Mariam Chriſtiernam, quae Sigiſmundo nupſerat, in uxorem ducat; tanta acceſſione ad dignitatem ſuam facta, non ſolum deinceps Turcum immaniſſimum Chriſtiani ſanguinis ſititorem, ſed etiam omnes principes qui cum Auſtriacis bellum gerunt, in poſterum ſemper pro hoſtibus habiturus. Hac oratione Baſta nihil commotus, cum aſtu rem geri putaret, contrario ſibi aſtu utendum duxit, et verba pro verbis reddidit. Itaque legatum bene ſperare jubet de clementia Caeſaris, ad quem ſe quamprimum relaturum dicit, ac fore, ut ad poſtulata, ſi quidem aequa videantur, minus difficilem ſe praebeat; ea vero, quantum in ſe erit, commendatione ſua apud Caeſarem adjuturum.

III. Dum haec ultro citroque ſimulate inter eos per literas et nuncios agitantur, Baſta per Michaëlem Walachiae deſpotam, qui jam in armis cum XXX CIↃ erat, ſerio rem agi curat. Is ergo in provinciam hoſtiliter ingreſſus [a] Stephanopolim primo adventu XV Kal. Nov. occupat, ut ab ea parte Poloniſ, quos auxiliareis cardinalem habiturum metus erat, aditum intercluderet. Verum is metus paulo poſt evanuit, edicto per regnum promulgato, ne quis Sigiſmundo Bathorio aut cardinali patrueli in hoc bello adverſus Caeſarem et Auſtrios militaret. Stephanopoli praeſidio firmata [b] Ciculi confirmatis privilegiis ac immunitatibus in fidem accepti, et in Caeſaris verba adacti. Inde [1] Hermenſtadium cum XVIII machinis contendit. Diverſa parte cardinalis Cibinium Saxonum, in quibus praecipuam fiduciam habebat, ampliſſimam civitatem venit, copiis ita circum diſpoſitis, ut exiguo ſpatio abeſſent, quamprimum occaſio ſe offerret ~~decernere paratis; nam cardinalis~~, qui Hieremiam Moldaviae deſpotam ſibi conciliaverat, in caſtris haud minus XXV CIↃ hominum habebat, ſed magnam partem provincialium et exarmatorum. Orator pontificius cum Gogare [c] Monbarſio et Moyſe inter Ciculos primario viro intervenit, a cardinali, qui [d] Daciam ſi pontificis patrocinio retinere poſſet, beneficiarium ſe ſedis Romanae futurum in arcano receperat, appoſitus; et, quaſi a Caeſare veniret, ejus nomine Michaëli denunciavit, ut Tranſylvaniae finibus omnino excederet, et vim ac maleficium a provincia abſtineret. Michaële mandatum Caeſareum exhiberi ſibi petente, cum orator id penes Bathorium eſſe diceret, tempuſque interponi poſtularet, tantiſper dum ad cardinalem adiens ipſum ad ſaniora conſilia inflecteret, contrarium mandatum prolatum, quo nulla mora interpoſita cum cardinali hoſtiliter agere jubebatur. Itaque minime auditae oratoris preces. Michaël, cum orator per caſtra Caeſariana diſcurrens a pugna cunctos dehortaretur, ipſum honorifice cuſtodiendum filio dedit, caſtriſque ad Cibinium promotis mittit fecialem cardinali renunciaturum, non ſe ad Chriſtianorum ſanguinem, cui libenter ſit parſurus, fundendum veniſſe: ſed quando ipſe ſacramentum Caeſari dederit, et injuſte arrepto dominatu cedere recuſet, nulla etiam neceſſitate coactus Turcarum opem imploraverit; his de cauſis, niſi quamprimum ab armis diſcedat, et ſe Caeſaris voluntati permittat, eum bello ad perniciem perſecuturum. Superbam adeo denunciationem non tulit cardinalis, vir magni animi, remiſſoque feciali protinus copias inſtruit, quippe Michaëlem, paſcendis potius pecoribus quam exercitui ordinando idoneum, ſemper aſpernatus, ac proinde cum eo certamen detrectare turpe exiſtimabat. Antequam manus conſererent, Michaël voce praeconis edixerat, ut tranſituris ad ſe parceretur, quod ita ſperaret fore, ut multi

INTERPR. [a] *Kronſtadt*, Hung. *Braſſovia*. [b] *Zekel*. [c] *Monbarſy*. [d] *Tranſylvanie*.

NOT. [1] *Hermanſtadt* vulgo, *Cibinium* Latine ab amne Cibino. Ce n'eſt qu'une ville. Il faut qu'il y ait faute, M. de Thou en faiſant deux villes differentes. *Put.*

Digitized by Google

multi a cardinale transfugerent; quod ſi non ſuccederet, ſaltem egregiae ſuae voluntatis impreſſam in Dacorum animis opinionem relinqueret. Majoribus animis uttinque quam peritia certatum; et, poſt quinque horarum obſtinatam pugnam, cardinalis tandem profligatus eſt. III CIϽ ex ejus exercitu deſiderata, praeter vulneratos captoſque; reliqui in ſugam cum miſero imperatore ſuo ſe conjecere: direpta caſtra, et magna praeda in iis inventa Walachis in praedam ceſſit: XLV machinas victor Michaël ſibi ſumpſit. Id incidit in V Kalendas Novembteis. Mox [a] Albae-Juliae Walachi magna gratulatione civium ſortunae cedentium accepti. Stephanus Boſtkaius ex ſuga cum paucis ſe recepit, et, aſportatis ſecum rebus quas potuit pretioſiſſimis, [b] Claudiopolim venit: indeque [c] Huſtam contendit in Polonorum finibus; ubi cum ſperata Polonorum ſubſidia non comparerent, nam panlo ante edictum, quod dixi, regis juſſu propoſitum fuerat, [d] Somlium, inde familiae ſuae originem Bathorii repetunt, conceſſit. Stephano digreſſo Huſta et Claudiopolis Michaëli advenienti Kalendis Novembribus patuit. Sola reſtabat [e] Wivaria, praecipuum provinciae munimentum, quod valido praeſidio defendebatur. Sed cum ſub id Somlii Stephanus Boſtkaius a Georgio Baſta, qui interim cum Davide [f] Hugnadio et Paulo Niaro allata in ſtipendium pecunia in Tranſylvaniam venerat; interceptus eſſet, metu mortis intentato, non aliter libertatem impetrare potuit, quam Wivaria dedita. Quibus actis viae inſideri ubique juſſae, miſſique qui cardinalem fugitivum infeſtis armis proſequerentur. Eum nono poſt die inter montana eum ſeptem ſolis familiaribus latitantem nacti, non ſine ſecreto mandato trucidarunt; quippe cum Auſtriacis perſuaſum eſſet, nunquam illum quieturum, et, quamdiu in vivis eſſet, nunquam pacatam [g] Daciae poſſeſſionem penes ipſos fore. Mortuo a cervice caput reciſum, et ad Michaëlem allatum; qui corpus mox diligenter perquiri, et repertum Albae-Juliae monumento inſigni, qnod ipſe cardinalis Baltaſari fratri ſtruxerat, inferri, curavit. Hujus, nt olim Georgii Martinuſii cardinalis juſſu Ferdinandi in eadem Dacia interfecti, caedis haud magna ratio Romae habita eſt; ubi tamen nuper Sixto V pontifice tot tragoediae, magno regni Gallici detrimento, ac paene exitio, ob conſimilem cauſam excitatae fuerant. Hoc nuncio turbatus Sigiſmundus cum omnia tuta metueret, fugam undique circumſpiciens, clade ad cladem addita, haud mediocriter angebatur: nam dum ad diſceſſum ſe parat, eqnos paratos magnam partem fortuito incendio amiſit; quo et CC currus, in quos pretioſiorem ſupellectilem impoſuerat, una cremati ſunt. Michaël, re feliciter geſta, confeſtim ad Caeſatem literas dat; quibus pacatam Daciam ductu ſuo, et cunctos provinciae ordines in verba ejus adactos, ſignificabat, et meritorum ſuorum rationem haberi petebat, praefecti per provinciam titulos ubique uſurpans. Sed mox in aula Caeſarea per Baſtae, qui eandem praefecturam ambiebat, emiſſarios delatus eſt, quaſi per praefecturam ad principatum adſpiraret. Auxit ſuſpicionem inſolita hominis barbari comitas et adfectatus in populos in fidem acceptos amor, atque ambitioſae pro eorum libertate, privilegiis, et a praeſidiis externis immunitate apud Caeſarem preces. Itaque cum Baſta inſtaret Caeſaris nomine, ut Germani per praeſidia diſtribuerentur, ſaltem ad tempus, quouſque a recentibus motibus et externa vi pacata eſſet provincia, diu altercatum inter ipſos fuit; Baſta publicam ſecuritatem, Michaële contra patriam libertatem obtendentibus. Tandem ad diſſidium componendum propere cum ampliſſimis mandatis Peczius miſſus; qui ita ſummum imperium per Daciam ſibi ſumpſit, ut illud Michaëli ablatum in Georgium transferre videretur. Quod rurſus novis motibus per Daciam occaſionem praebuit; cum Michaël ſe

INTERPR. [a] *Weiſſenburg.* [b] *Clauſenburg.* [c] *Huſte.* Les Hiſt. Hung. mettent *Samoſvivar.* [d] *Somlyi.* [e] *Wivar.* [f] *Ugnadi, & Niari Paul.* [g] *Tranſylvanie.*

ſe deluſum videns ingratitudinem ac perfidiam Caeſarianorum palam deteſtaretur, et provinciae proceres mutato dominio non tam quaeſitum adverſus Turcos patrocinium, quam ſe in diriſſimam ſub potentiori hero ſervitutem redactos, dicerent.

IV. Occupatis in Dacia Caeſaris viribus, et Turcis, quibus ſolemne eſt ex diſſidiis Chriſtianorum rebus ſuis conſilium capere, ad eventum intentis, bellum haud magna mole hoc anno in ſubjecta Pannonia geſtum. Cum propter annonae penuriam res tota Graecia in ſumma anguſtia eſſent, et ad famam pertineret interea ab armis non ceſſari, Tatari [a] Praecopienſes evocati; qui, Turcica imperia exſequi minime ſegnes, illico turmatim advolarunt, et belli terrore cuncta compleverunt. Hi praedae cupidi cum per Chriſtianae ditionis pagos ferro flammaque graſſati eſſent, ulterius progreſſi a Turcica ditione minime ſe abſtinuerunt, omni regione circa Haruanam, Peſtam, et Zolnocum pari immanitate vaſtata. Tandem illi ipſi, ut tempus duceretur, de pace internuncii Kalendis Februarii Viennam venerunt, et ad Matthiam archiducem literas a ſuo principe attulerunt. Sed cum interim minime a maleficio temperarent, nequaquam Pragam deducti IX Kal. Mart. dimiſſi ſunt, et per [b] Vaciam iter Budam verſus intendere, ut ſe cum imperatore ſuo conjungerent; qui, multis equitum millibus ſtipatus, incenſa Tolna oppido cuncta virilis aetatis capita trucidavit, impuberes et foeminas in miſeram ſervitutem adduxit, terrore late ſui ad montana uſque ſparſo; ac majora auſurus, niſi mature Nic. Palfius cum delectis copiis occurriſſet, qui et palanteis repreſſit, et captivos omneis cum cetera praeda recepit. Caeſi et a Vacienſibus praeſidiariis Tatari circa Palancam et Novigradum, qui inde per ſuperiorem Pannoniam evagati [c] Calonem paene occuparunt, et circa [d] Zatmaram cuncta late incendio populati ſunt. Caeſi pariter a [e] Strigonienſibus, et cameli capti cum multa pretioſa ſupellectile, quae ad Mahometem purpuratum propediem cum magno exercitu venturum deferri dicebatur. Hoc ſucceſſu erecti noſtri, cognito [f] Vali arcis, quae a Strigonio quinto milliari abeſt, propugnaculum corruiſſe, ex Strigonio [g] Orſipetri, qui per praefecti abſentiam praeſidio praeerat, juſſu profecti numero CL delecti locum oppugnatione capiunt, praeſidiarios caedunt, XI machinas bellicas et XC captivos, cum praefecto, liberis, et uxoribus Strigonium ſecum ducunt. Arcem, quod Budae adeo vicina retineri non poſſet, diruunt et incendunt. In itinere [h] Biſchirenſium armenta abigunt, et Heiduci a ſociis longius evagati magnam ex Budenſium gregibus praedam avehunt. Id actum V Kalendas Aprileis. Ineunte menſe contrario aſtu paene noſtri intercepti ſunt. Ex Turcis CLX circiter equites, Germanico veſtitu Sigetho profecti, in paucos ex Strigonienſi praeſidio incidunt. Illi amicos rati ulterius ſemper progrediuntur, donec ex diſſono clamore eos hoſteis eſſe cognoſcunt. Heic undique circumventis et in hoſtico deprehenſis cum nihil aliud quam mors oculis obverſaretur, ex deſperatione animus rediit, et haud procul a Dravo flumine ſenſim cedendo in ſylvam ſervatis ordinibus evadunt, ubi loci opportunitate pauci contra majorem numerum ſe facile tuentur. Equitatu adverſus ſylva defenſos cum ſe impares Turci viderent, peditatum Sigetho evocant. Dum venit, noſtri ſucciſis arboribus ratem conficiunt, et trajecto flumine in tutum elabuntur. Eodem tempore cum itidem noſtros Caniſa et [i] Baboſca pabulatum egreſſos Sigethani praeſidiarii inſequerentur, tandem de via feſſi ad Copanum pagum interquieſcunt. Qua re cognita noſtri curſum ſiſtunt, et veſtigia relegentes nec-opinato adventu ſopitos oppreſſere, magnaque parte eorum caeſa ſpoliis onuſti Caniſam VI Eid. April. reverſi ſunt. Budam ſuperiore anno nequicquam vi oppugnatam hoc anno Adolſus Schwartzenburgus aſtu tentavit, eoque conſilio XIV Kalendas Maias cum Nicolao Palfio,

INTERPR. [a] *Petits Tartares.* [b] *Vatia.* [c] *Calo.* [d] *Zatmar.* [e] *ceux de Gran.* [f] *le fort de Wall.* [g] *Orſipetre.* [h] *ceux de Bitzki.* [i] *Bobotzka.*

Palſio, Naſdaſtio, aſſumptis VIII CIϽ expeditis Strigonio exit, idoneo adverſus urbem exiguo praeſidio pro tanta magnitudine firmatam, et ob Tatarorum vaſtationes annonae penuria laborantem, numero, niſi Turci ab exploratoribus de noſtrorum conſilio certiores facti ſtatim ad arma conclamaſſent, et diſploſis tormentis et artificioſos igneis ejaculati ſe ad defenſionem paratos oſtendiſſent. Noſtri, rei proſpere ad Budam gerendae ſpe amiſſa, copias reducunt; et, ne nihil egiſſe viderentur, [a] Schambocum caſtellum ex itinere adoriuntur, captumque, praeſidio ad internecionem caeſo, a fundamentis deſtruunt. Inde ſucceſſum urgent, et exeunte Maio novis copiis Comara evocatis ad [b] Albam-regalem, unde paulo ante equitatum ſubſidio Budenſibus miſſum intellexerant, magna cum celeritate iter intendunt; primoque impetu clathros ligneos, quibus ſuburbia praecingebantur, effringunt, et admotis crepitaculis portas dejiciunt, ac ſemiſomneis ſtationes trucidant. Ad ſtrepitum excitati qui in urbe erant protinus ad arma diſcurrunt, et noſtros jam portam magno conatu molienteis repellunt: qui ex ſtrage ſuperfuerunt, et in urbem receptum non habuerunt, captivi cum praeda ſunt abducti. Tum ignis utrique ſuburbio injectus, qui tam ſubito late cuncta pervaſit, ut ex Chriſtianis aliquot, dum praedae avidi abdita ſcrutantur, vix flammam evaſerint, et crepitaculum, ut erat jam portae admotum, feſtinata fuga reliquerint. Cognito ſub id copioſum commeatum cum pecunia ad ſtipendium deſtinata Belgrado Budam advehi, tumultuariam Heiducorum manum Palſius coëgerat, qui praetorem a claſſe cum XX navibus praemiſſum interciperet. Is compertus in Heiducos captivos exquiſitis ſaevire ſuppliciis, parem gratiam ab iis retulit: nam ad palum alligato cuncti dentes prius excuſſi; tum ſinguli barbae pili ad unum carpti et evulſi, ac poſtremo membra minutatim contuſa ac confracta, antequam moreretur. Inviſi hominis cruciatibus efferati Heiduci ultra progrediuntur, et, quo tranſitum hoſti intercluderent, pontem ad [c] Sexardum dejiciunt, parte equitatus Budam verſus praemiſſa, ut ab ea parte tecti tutius incederent. Obvios aliquot praetorianos, qui ad deducendum commeatum egreſſi fuerant, poſt leve certamen in fugam vertunt. Claſſis adverſo flumine navigans ſequebatur, fiducia Budenſis praeſidii obviam proceſſuri ab inſidiis ſecura: et XII Kalendas Quintileis [d] Faſtiſocum appulit. Tum ad paludoſum quendam locum anchoris jactis, ne quid terra detrimenti acciperent, claſſiarii navem ſpeculatoriam emittunt.

V. HEIDUCI contra naveis paratas ſummo ſilentio ingreſſi ſecundo Danubio, poſitis remis, ne ſtrepitu proderentur, labuntur, et expedita arma in manus ſumunt; nec niſi jam hoſtibus vicini a ſpeculatoria nave deprehendi potuerunt. Igitur vix dato a ſpeculatoria ſigno in claſſem in anchoris ſtantem magna vi feruntur, primoque impetu II triremeis et III naveis praeſidiarias expugnant. Inde onerarias ſociarum caſu attonitas paribus animis adoriuntur, et poſt exiguum certamen eas in poteſtatem redigunt, hoſtibus vel caeſis, vel in aquam, dum fugam potius quam pugnam reſpiciunt, praecipitatis. Captae in eo conflictu, praeter II triremeis et III praeſidiarias naveis, aliae XLVI naves, ſingulae XC tritici medimnis oneratae; praeterea L minores, aliis atque aliis rebus onuſtae. Quarta praeſidiaria, qua pecunia portabatur, aquis hauſta eſt, et Heiducis in praedam ceſſit. Tum, demerſis quae abduci non potuerunt navibus, frumenti pars inter ruſticos diviſa, ut pacatiores eos deinceps haberent; pars cum IX majoribus et XI minoribus machinis avecta. Ad VI CIϽ Turcorum periiſſe memorant, cum Palfiani vix bis mille numerum explerent. Tantum caſum ſecuta circumpoſitorum aliquot caſtellorum deditio, et amplius CCCC captivi recepti. Pontes et duo his locis magno labore ab hoſtibus exaedificati deſtruuntur. Cum omnia ſibi ceſſura confiderent, ad [e] Formarum caſtellum copias admovent; praetoremque ad

INTERPR. [a] *Sambock.* [b] *Stul-Weiſſenburg.* [c] *Zegzard.* [d] *Faſtizok.* [e] *Formes.*

CIↃ IↃ XC IX. Henricus IV.

ad colloquium evocatum eum ad deditionem inducere non poſſent, magna vi locum oppugnant; ſed majore vi a defenſoribus repulſi, plus IↃ ex ſuis amiſſis, ab obſidione diſcedunt. Poſtea [a] Strigonio ſumptis recentibus copiis recreati Tolnam, non ignobilem vicum, qui ab hoſtibus praeſidio tenebatur, eo fugato diripiunt; pontem, qui Dravum jungebat, demoliuntur; pontones in fluvio ad tranſitus commoditatem paratos demergunt, lateque vaſtato agro Chriſtiani nominis terrorem ſpargunt. Eodem ſucceſſu a Paulo Niaro [b] Varadini praefecto et [c] Zarcardum haud hinc longe caſtellum, quod Turci praeſidio tenebant, expugnatum, LX Turcis occiſis ac reliquis captis, cum non parva praeda. Inde res a Schwartzenburgo rurſus ad Budam geſta, Orſipetro cum delecta manu praemiſſo; qui, re a praeſidiariis detecta, impetum ſuſtinuit, et locis idoneis ſuos abdidit. Ad rei famam egreſſus purpuratus Budenſis, dum incautius inter anguſtias verſatur, a noſtris in inſidiis latentibus captus eſt. Haec ineunte Sextili acta. Demum XVII Kal. Sept. Peſta denuo a Schwartzenburgo tentata eſt, irrito conatu, in quo ipſe in pede ſiniſtro graviter ictu ſcloppeti ſauciatus eſt. Poſt haec affertur, [d] Serdarem purpuratum magno cum exercitu Belgradum veniſſe, Caniſam tentaturum, et poſtea ad Strigonium venturum. Eodem tempore de pace ſive induciis actum; et, miſſis ultro citroque internunciis, tandem conventum, ut ad inſulam, quae Strigonium et [e] Vicegradum medio fere itinere interjacet, ab utraque parte delegati venirent. Poſt obſides utrinque datos III Non. Oct. a Caeſare miſſi archiepiſcopus Strigonienſis, [f] Palfius, Naſdaſtius, Peczius, a Turcis Murates purpuratus Tatarorum Chani ſupremus militiae magiſter, Amethes Aga, ad locum condictum venere. Dum colloquuntur, Tatari ſolita immanitate in praedas effuſi late cuncta circumferebant agebantque: noſtriſque ea de re conquerentibus, a Turcis reſponſum, id citra ipſorum voluntatem fieri; Tataros genus hominum eſſe vagum et praedabundum, quibus vita potius quam rapiendi animus eripi poſſit. Tum propoſitae ab iis conditiones, ut omnia loca a noſtris ſuperiori quinquennio occupata, inferius Strigonium, reſtituerentur. De ceteris aſſentiebantur noſtri, Strigonio exceptò; cujus cum reſtitutionem nihilominus Turci impenſius urgerent, pro eoque Agriam offerrent, ne colloquium omnino abrumperetur, placuit, ut ad Serdarem purpuratum, qui jam Budam venerat, et Danubium trajiciendis copiis ponte junxerat, Turci mitterent, et ad eum quid actum eſſet referrent. Sed diuturniore mora, quam promiſſum erat, cum tempus de induſtria duci viderent noſtri, multiſque indiciis jam cognoviſſent, id agere Turcos ut inſulam ſoluto conventu invaderent, reditum eorum, qui ad purpuratum miſſi erant, minime ſibi exſpectandum duxere, ſed, impoſitis in naveis Turcicis obſidibus, donec ii quos ipſi dederant redderentur, Strigonium reverſi ſunt; Palfioque datum negotium ut inſulam cum delecta manu ei attributam ſervaret. Diſceſſum noſtrorum continuo ſecuta Tatarorum per circumpoſitum Strigonio agrum in praedas effuſorum rabies, pluſque VIII CIↃ omnis generis et ſexus in miſeram captivitatem abducta; et excurſione longius provecti, dum per [g] Marcomannos ſolutius evagantur, carpti ac pleriſque locis caeſi; multi recepti. Demum repetita pacis mentio; et, quaſi novus interim a Porta Othomana nuncius veniſſet, a Serdare literae ad Palfium ſcriptae, quibus ſignificabat, cupere ſe ſcire quae ſpes pacis eſſet: nam ſi ab ea noſtri abhorrerent, paratas ſibi copias eſſe, quibus regionem omnem uſque ſub Viennae portas vaſtaret ac popularetur: milites tanto Chriſtianos perſequendi ardore flagrare, ut pontem ad Budam ſtructum dejicere ſit coactus: proinde, niſi noſtri quid ſuae voluntatis ſit quamprimum declarent, continere ſe amplius militem non poſſe. Ad haec a Palfio reſponſum, Chriſtianos pacem minime abnuere,

INTERPR. [a] *Gran.* [b] *Waradin.* [c] *Zarcarda.* [d] *Sardar Baſſa.* [e] *Vizzegrad.* [f] *Palſi, Nadaſdi, & Petzen.* [g] *Moravie.*

abnuere, ſi modo Turci captivos omneis redderent, et quotidianas Tatarorum excurſiones prohiberent. Cum Serdar, denuo miſſis literis et internunciis, captivos, quos in ſua haberet poteſtate, paratum ſe reddere oſtenderet, ſed ut de Tataris idem ſpondeat, fruſtra ſibi neceſſitatem imponi; omnino abjecta pacis ſpe, bellum per excurſiones denuo recruduit. Noſtri, ductore Schwartzenburgo, qui jam ex vulnere convaluerat, Ceſnocam prius fuga praeſidiariorum deſertam, mox Laccam metu ad deditionem coactas, poſtremo Palancam vi expugnatam, occuparunt. Ad [a] Capozvivaram diſpar ſucceſſus fuit, a cujus obſidione fruſtra tentata multis ex ſuis amiſſis tandem diſceſſerunt. Interea ad Strigonium nova quinque propugnacula a Carolo Mansfeldio comite olim inſtituta in monte refici ac firmari placuit, urbis defenſione Palſio commiſſa, (nam Schwartzenburgus jampridem a Caeſare miſſionem petierat) qui IƆCC Turcorum turmam forte obviam ſub id cecidit, magna parte in captivitatem abducta. Pari damno noſtri haud hinc longe affecti. Tatari vero cum per ſuperiorem Pannoniam late excurriſſent, et Davidis [b] Hugnadii impedimenta omnia diripuiſſent, incumbentibus Huſſaris prope Filecum caeſi ſunt, multique captivi denuo recepti. Serdar, ſpe pacis abjecta, cum omnium rerum inopia premeretur, pejora veritus de diſceſſu quamprimum cogitare coepit, et XIV Kalendas Novembreis vaſa conclamari juſſit. Multum damni abeo circa Veſprinium et Pappam datum. Noſtri recedentem et per plana fere et aperta incedentem Belgradum uſque inſecuti haud viciſſim magnum damnum intulere: tantum ex transfugis duobus cognovere, a Sultano revocatum Serdarem, propter novos Georgianorum exortos in Aſia motus, ad quos reprimendos ejus opera uti decreverat.

VI. AB externis ad interiora mala veniendum. Superiore anno inter querimonias de Hiſpani exercitus, duce Franciſco Mendoza Arragoniae thalaſſiarcha, in Weſtfaliam invaſione, diriſque in ditione Imperiali graſſationibus, inutiliter exacto, conventus a principibus Rhenani circuli et ordinibus Weſtfaliae indictus fuerat; quorum delegati cum Coloniam exeunte Januario veniſſent, magna contentione res agitata fuit. Nam ſub id Rodolfus Caeſar ad Andream cardinalem, qui Belgio per Alberti archiducis abſentiam praeerat, Praga literas dederat, quibus inſtabat, ut copias externas ex Imperiali ditione quamprimum deduceret; et Mendoza delegatum miſerat, per quem factum neceſſitate excuſabat: Philippo cum Imperio foederato, et cui tantum et Burgundicae familiae debeat Germania, ad perdomandos rebellanteis jam tot annis Belgii populos neceſſe fuiſſe per Imperii terras militem deducere, non ut quidquam hoſtile in eo tentaret, cujus ipſe ac majores ſui, inprimiſque Carolus parens, ſemper amici ac defenſores fuiſſent; amicorum autem ac foederatorum eſſe, in tali occaſione patientiam ſuam accommodare: de cetero ſe paratum, quamprimum per hoſtium conatus licebit, exercitum deducere, damna, ſi quae illata ſunt, ſarcire, loca ad ſecuritatem itus redituſque occupata reſtituere. Cum nihilominus urgeret Lippae comes, inferioris Weſtfaliae circuli copiarum bellicarum ex Imperii diſciplina dux, ut bellum adverſus Hiſpanos contumaces et majora in dies audenteis communi conſenſu decerneretur; qui in occulto Auſtriis favebant, quanquam aperte non contradicerent, tamen, ut decreto moram interponerent, Ordines Belgii eandem in poenam incurriſſe cauſarentur, occupatis pleriſque Imperii locis et excurſionibus crebris vaſtato limite; tandem ad V Eid. Mart. conventus remiſſus, quo die delegati [c] Confluentiam venirent. Interim Andreas cardinalis Ferdinandum [d] Lupum Villanovanum Carpiniae praefectum ad Caeſarem mittit, non tam ut Hiſpanorum deſcenſum in Weſtfaliam

INTERPR. [a] *Capezvivar.* [b] *Ugnadi.* [c] *Coblentz.* [d] *Lopez de Villanueva gouverneur de Carpen.*

CIↃ IↃ XC IX. HENRICUS IV.

Weſtfaliam excuſaret, quam ut eum, qoi Philippi et Alberti fratris cauſae haud dubie favebat, plenius de re tota inſtrueret, ut haberet quod principum et ordinum legatis apud ipſum aſſidue quiritantibus reſponderet. Is vero cum poſt conventum Caeſareum [a] Moguntiam ad archiepiſcopum ſeptemvirum ſe contuliſſet, ille ſic praeteritorum excuſationes accepit, ut diuturniore in terra Imperiali Hiſpanorum mora omnem excuſandae etiam praecedentis injuriae rationem Philippi et Alberti amicis ademptam oſtenderet. Eodem tempore inſtabant iidem circulorum delegati, ut Ordines foederati viciſſim [b] Toluſiam et in Gravia inſula munitionem a ſe exſtructam praeſidio deducto reſtituerent. At Ordines, habita [c] Hagae deliberatione proximo Maio, prolixe reſponderunt, injuriis Hiſpanorum ſe coactos, ut in limite loca opportuna non tam occuparent, quam adverſus infeſtiſſimorum non ſolum Belgis ſed Germanis ipſis hominum immanitatem munirent: ea ſe, ubi illi ab limite abſceſſiſſent, protinus relinquere paratos: ſed Gravenſis munitionis reſtitutionem ſive deſtructionem deprecari; quippe cum non in terra Imperii, ſed in Geldrenſi ſolo, exſtructa eſſet: nam anno CIↃ IↃ XLIV ita inter Carolum V et Willelmum Cliviae ducem, cum ea de re controverteretur, conveniſſe, ut negotium indeciſum ad praeſens ſuſpenderetur: ſe vero eum Geldriae et Zotfanienſis comitatus ordinibus ſecum unitis acturos, ut controverſiae hucuſque ex partium conſenſu indeciſae libera diſceptatio ipſis delegatis permittatur. Dum haec hinc inde agitantur, conventus [d] Confluentia [e] Monaſterium tranſlatus fuerat. At principes Proteſtantes, licet in eo negotio inter Belgii Ordines et Philippum Albertumque medii pro Germaniae libertate et Imperii defenſione videri volebant, tamen occulto in Ordines Belgicos ob religionis communem cauſam favore et veteri adverſus Hiſpanos odio facile ferebant, ut plus recentibus horum injuriis quam occupatis ab illis locis commoverentur. Itaque cum Hiſpani prius ab Ordinibus Belgicis, qui loca in Imperio a circulis repetita occupabant, ſatisfieri debere contenderent, interea a limite Germanico ſe diſceſſuros negarent, Henricus Julius Brunſvicus epiſcopus Halberſtatenſis deſignatus, et Mauritius [f] Heſſus, ſuam ea in re et Imperii totius cauſam verti exiſtimantes, injuriam tantam diutius ferendam minime cenſuerunt; conſcriptoque X CIↃ peditum et III CIↃ equitum exercitu mature conatibus Hiſpanorum obviam ire decreverunt. Simon Lippiae comes univerſis, Philippus Hohenloi comes Brunſvicanis, Georgius Eberardus [g] Solmenſis Heſſicis praepoſiti. Olivarius [h] Templius, qui Ordinibus militabat, quaſi ab iis dimiſſus rei tormentariae praeficitur. Ad rei famam protinus Mendoza exeunte Aprili copias ex Monaſterienſi dioeceſi reducit, et ad [i] Emmericum et Reſam juxta Rheni ripas caſtra ponit. Paulo ante XI Kalendas Martias Carolus [k] Longovallus Buquoii comes, qui Emmerico cum CIↃ delectorum praeſidio impoſitus fuerat, a Batavo equitatu excurrente armenta in conſpectu ſuo abduci ad injuriam revocans eruperat, conſertoque felici initio certamine ardentius provectus in inſidias praecipitaverat, graviter vulneratus ac tandem captus, cum in eodem conflictu [l] Cabilonius, P. Erneſti Mansfeldii comitis filius, cum aliis e nobilitate fortiter pugnando occubuiſſent. Germani Mendoza recedente propiores facti [m] Walſomam munitionem ex adverſo [n] Berkae-rhenanae ſtructam corona cingunt, et exiguo negotio in poteſtatem redigunt: ab eoque tempore totum bimeſtre nullo operae pretio facto conſumptum, magnoque circumpoſitae regionis incommodo; quae ab Hiſpanis populata, ab auxiliaribus qood reliquum illi fecerant carpentibus vaſtata, inter extremae deſperationis ſuſpiria opem divinam implorabat. Tandem, Lippenſi comite inſtante, inferius in eadem Rheni ripa deductus exercitus.

INTERPR. [a] *Mayence.* [b] *les forts de Tolhuys, & Gravenweerd.* [c] *la Haye.* [d] *Coblentz.* [e] *Munſter.* [f] *le Landgrave de Heſſe.* [g] *le comte de Solms.* [h] *de Tempel.* [i] *Emerick, & Rees.* [k] *de Longueval comte de Bucquoy.* [l] *Henry de Chalons petit fils de Pierre Erneſt comte de Mansfeld.* [m] *Walſem.* [n] *Rheinbergen.*

exercitus. Quo conſpecto Mendoza Emmericum Nonis Maiis deſerit, ponte, quem in flumine juxta oppidum ſtraverat, attracto, et ante Reſam oppidum iterum ſtrato. Tum, loco apprime munito et valido impoſito praeſidio, copias cis Rhenum reducit, et, fama late ſparſa quaſi [a] Schenkianam munitionem adoriturus eſſet, per pontem portatilem in Moſa ſtratum inter [b] Roſſemium et Drielam in Bommelam inſulam penetrat, in utraque fluminis ripa vallo ducto et exſtructis munitionibus. Diſceſſu Hiſpanorum cognito Germani Emmericum deſertum occupant, ejuſque commoditate freti caſtra ad Reſam ponunt. At Mauritius inopinato Hiſpanorum in inſulam deſcenſu veritus ne Bommelenſes animo deficerent, propere eo advolat cum parte equitatus et peditatus, cum jam magna pars oppidanorum huc illuc pretioſiore ſupellectile aſportata diffugiſſent. Ejus praeſentia confirmati qui remanſerant, gnaviter ſe ad defenſionem parant. Mendoza, qui conſternationis oppidanorum ignarus ſubitae oppugnationis ſtatim in ingreſſu conſilium a pleriſque datum omiſerat, contra [c] Crepacordium propugnaculum, quod [d] Spronkius ſtrenuus ordinum ductor praeſidio tenebat, vim vertit. Locus pulſatus, ac poſt aliquot oppugnationes, Andrea cardinali poſt placatos Antuerpiae praeſidiarios ob non repraeſentatum ſtipendium tumultuanteis ſuperveniente, tandem Claudio Burlotae deditur. In inſulam [e] Fridericus Bergenſis comes caſtrorum praefectus cum Carolo [f] Columna legionis Italae et Alfonſo [g] Davalo Hiſpanae tribunis, [h] Burlota et [1] Stanlcio, tranſierat. Aggerem oppoſitum, qui Wahalim ſpectat, tenebat Mauritius cum robore exercitus, in quo ex auxiliaribus Odetus [i] Lanovius Franciſci filius et Franciſcus [k] Veerus erant, et [l] Hueſdenam verſus vallum profundum ante urbem duxerant, ex quo continua diſploſione Albertinos infeſtabant, et difficiliorem quam ab initio ſperabatur obſidionem reddebant. Id Itali XIV Kal. Jun. oppugnare aggreſſi tandem poſt acre certamen, Davalo egregiam operam navante, occuparunt. Sed mox eruptione a praeſidiariis facta cum magno Philippicorum damno receptum eſt, eoque in certamine Davalus graviter ſauciatus fuit. Biduo poſt haud minore damno obſeſſi affecti cum eruptionem tentaſſent, et valli Hiſpanorum partem primo impetu occupaſſent: occiſus et [m] Moravius Scotorum auxiliarium tribunus ictu tormenti, dum e pomoerio in hoſtium caſtra attentius inſpicit. Pontem in Wahali ſtraverat Mauritius, per quem ad urbem obſeſſam commeabatur, quem continua in latus diſploſione tormentorum ex altera ripa Hiſpani infeſtabant. Nec Mauritius ſibi deerat, ex adverſa ripa crebris tormentorum ictibus vallum hoſtium pulſans, ita ut illi ſenſim cedere et loco tutiore ſe munire, relicto propiore vallo, coacti ſint. Sub id cum cognitum eſſet de ſecreto Bredae intercipiendae Hiſpanorum conſilio, Mauritius loco metuens protinus eo evolat; tranſmiſſoque Moſa cum XVI equitum alis et delecto peditatu in Brabantiam tendit, ac juxta [n] Vandricomium, paulum abſuit, hoſteis aſſecutus eſt; qui, adventu Mauritii mature cognito, [o] Herentalium propere ſe receperunt, veriti ne ſimili ad [p] Turnohutum accepta clade afficerentur. Tentatum et eodem tempore a Joanne [q] Monlucio Balagnio [r] Cameracum, cujus principatu ſuperbe juxta ac temere affectato paulo ante exciderat, conſciique ex ſuſpicione capti et variis ſuppliciis affecti ſunt. Quorum ex confeſſionibus cum de conſilio conſtare Andreas cardinalis diceret, per oratorem Philippicum apud regem, quaſi pacificatio [ſ] Vervinienſis per ea violaretur, querimoniam inſtituit; cui ſola inficiatione tam regis quam Balagnii ipſius ſatisfactum fuit.

VII. MONASTERIO

INTERPR [a] *le fort de Schenck.* [b] *Roſſum, & Driel.* [c] *le fort de Crevecœur.* [d] *le capitaine Spronck.* [e] *le comte Frederic Vanden Berghe mareſchal de camp.* [f] *Colonna.* [g] *Davalos.* [h] *la Bourlote.* [i] *de la Nouë.* [k] *Vere.* [l] *Heuſden.* [m] *Murray colonel des Eſcoſſois.* [n] *Wandricom* al. *Wonckhum.* [o] *Herentals.* [p] *Turnhout.* [q] *de Montluc de Balagny.* [r] *Cambray.* [ſ] *de Vervins.*

NOT. [1] Campana le nomme *Stangle*; mais Meteren *Stanley*, dont eſt parlé cy-deſſus. *Put.*

CIↃIↃXCIX.
HENRICUS IV.

VII. [a] MONASTERIO interim tranſlatus xv Kal. Jun. [b] Huxaram delegatorum Imperii conventus, in quo cardinalis inſtigatu nova adverſus Ordines foederatos inſtituta expoſtulatio; quod in [c] Emdae, quae civitas Imperialis eſſet, ſuburbio praeſidiarios haberent, et a comitis [d] Meurſiae et Nuenarae ditionibus, quae ad Imperium ſpectabant, quaeſito viduae ejus adjuvandae colore, vim non abſtinerent. Cui ab Ordinibus reſponſum vi Eidus Quintileis, Emdenſium rogatu, qui cum Ordinibus foederati erant, miſſa auxilia, quibus ipſi in ſuburbio, nam id eorum voluntate fieri, hoſpitium aſſignaſſent, ut ſe adverſus occultos Hiſpanorum conatus tuerentur: ad Meurſii comitis ditiones quod attinet, quoniam is Ordinibus militans vitam amiſiſſet, noluiſſe committere, ut erga viri optime de ſe meriti viduam ingrati eſſe videantur, praeſertim in tam juſta cauſa; nam ſumma injuria quorundam ſacri Coloniae collegii ſodalium factum fuiſſe, ut ipſa omni dote ſua et ſponſalitia largitate ſpoliata fuerit; eaque de re ſaepius cum archiepiſcopo Colonienſi ſeptemviro et collegio egiſſe, et litem tandem tranſactione finitam: cui cum ſtare adverſa pars negaret, non potuiſſe foeminae illuſtri aequum petenti tam neceſſario tempore deeſſe. Poſtea cum delegati ab Ordinibus Nic. [e] Bruninkius et Daniel Mulenus in caſtra ad [f] Reſam proximo menſe veniſſent, res magna contentione utrinque agitata fuit, cum damnum occaſione hujus belli Imperio datum ſarciri Imperiales peterent, Ordines belli juſti neceſſitate factum defenderent. Tandem [g] Tolhuſia et Seventria reſtituta, cum Hiſpani paulo ante [h] Genepa praeſidium deduxiſſent. Cum vero Germanus exercitus ad trimeſtre tantum conſcriptus eſſet, quod tempus propediem exiturum erat, Ordinum delegati in arcano apud Hohenloum et Solmenſem, nec non Thomam [i] Crekingium regulum, qui G. Friderici Brandeburgici [k] Onosbachii marchionis nomine aderat, egerunt, ut trimeſtri exacto copias cum Mauritio conjungerent: ſic enim fore, ut Germania, compulſis in Belgii interiora Hiſpanis, ab omni vi hoſtili eximeretur. Sed nihil Impetrari potuit, comite Lippenſi, qui exercitui cum ſummo imperio praeerat, ab ea re alieno. Et vero ille tanto oneri impar creditus ſic ſe toto eo bello geſſit, ut nec proprio conſilio ſatis valeret, nec alieno uti ſciret: eoque fiebat, ut ceteros belli duces minus dicto audienteis haberet. Diſſidium augebat, quod [l] Frentzio caſtrorum praefecto multis nominibus ſuſpecto, cum alios ſperneret, ſoli ſe morigerum praeberet. Interea, ut ad Reſam, ita ad [m] Bommelam res lente et cum Hiſpanorum damno gerebatur, diſſidentibus Mendoza thalaſſiarcha, et Ludovicò Velaſco rei tormentariae praefecto, ac Burlota, cum ceteris Hiſpanis tribunis. Jamque ſeu morbis, ſeu vulneribus, plus bis mille in illa obſidione deſiderati numerabantur, cum cardinalis ſupplendarum novis delectibus legionum Carolo [n] Croio Araſchotano duci et [o] Ezardo Emdae comiti negotium dedit, miſſo Reſam [p] Friderico Bergenſi. Ipſe cum bis mille delectis peditibus et xvii alis equitum, quos [q] Melſius ducebat, [r] Sylvam-ducis excurrit, adducto ſecum Carolo [s] Burgovii marchione fratre.

VIII. HUJUS cum Sibylla Clivenſis principis ſorore de nuptiis jam convenerat; cum paulo ante Antonia Caroli ducis Lotharingiae filia cum ipſo Clivenſi, licet dementia correpto, matrimonio juncta eſſet, a Franciſco [t] Valdemontio fratre Coloniam deducta, ubi a ſenatu urbis perhonorifice excepta eſt, et inde Duſſeldorpium, ubi nuptiae celebratae ſunt, prono flumine deſcendit. [u] Andreas, cum de annona, pecunia, aliiſque rebus ad bellum neceſſariis pro temporis anguſtiis ſatis proſpexiſſe videretur, ad exercitum redit; et, de Bommelae obſidione deſperans, ab architecto quodam Germano,

INTERPR. [a] *Munſter.* [b] *Hexer dans l'eveſché de Paderborn.* [c] *Embden.* [d] *Meurs, & Newenar.* [e] *Brunninck, & Vander Mulen.* [f] *Rees.* [g] *Tolhuys, & Zevenar.* [h] *Gennep.* [i] *le baron de Creange.* [k] *d'Anſpach.* [l] *Frentz mareſchal de Camp.* [m] *Bommel.* [n] *de Croy duc d'Arſchot.* [o] *Ezard comte d'Embden.* [p] *le comte Frederic Vanden Berghe.* [q] *Melzi.* [r] *Boiſleduc.* [s] *Burgau.* [t] *de Vaudemont.* [u] *le cardinal André.*

Germano, qui ab hoſtibus ad ipſum transfugerat, monetur, locum urbi ſubeſſe anguſtum, in quo [a] Moſa et Wahalis juncti inſulam efficiunt, extruendae munitioni valde opportunum, qua fabricata navigatio omnino impediebatur. CIↃ IↃ XC IX. HENRICUS IV.

IX. JAM ante commercium omne inter ditioni Hiſpanae ſubjectos populos et Batavos ab Andrea prohibitum fuerat; et viciſſim Batavi idem fecerant, ne Hiſpanis aliqua in re cedere viderentur. Verum plus propugnaculi illius ſubſtructione ſe profectuturn ratus Andreas, ex conſilio belli ducum a Bommela copias Roſſemum reducit, et in propinquo quinquangulari munitioni deſignatae principium facit. Opus ſumma celeritate et arte perſectum, ſalicetis et cunctis arboribus inſulae in eam rem refectis, et [b] Santandreana de cardinalis nomine dicta munitio. Dum feſtinatis operibus in eo laboratur, Mauritius in [c] Voornam inſulam proximam deſcendit, in qua munitionem ovali ſpecie habebat, ad res gerendas valde opportunam: et cum videret Hiſpanos operi intentos minime ſe loco movere aut ad ipſum tranſire, Moſam et Wahalim confuſos cum III CIↃ delectorum noctu tranſmittit V Nonas Quintileis, et juxta [d] Havardenam, ubi Albertini caſtra muniverant, conſedit, tanta celeritate vallo ſemilunae ſpecie ducto, ut cum poſtridie Fridericus Bergenſis comes, Lud. Velaſcus cum Corn. [e] Marino, Blaſco Conſalvi filio, Ferrando Pardo, cum bis mille delectis vim feciſſent, fruſtra fuerint, Odeto [f] Lanovio, [g] Franciſco Veero, et [h] Edmondo tribunis ſtrenue admodum ſe defendentibus. Magna clades in eo conflictu ab Hiſpanis accepta, cui cauſam praecipue dedit ex Voorna munitione et [i] Varikenſi et Heſſello aggere infeſta in latus verberatio. Plus CCCC deſiderati, in iiſque aliquot emeritorum ſtipendiorum ductores, Martinus [k] Agaravia, Paciotus eques, Vidi Ubaldi qui in [l] Caleti obſidione occubuit frater, Iſidori, qui arcem Antuerpianam olim Albani juſſu deſignavit, filius. Magnam inter ſuperſtites laudem meruit Bergenſis comes, et Alfonſus Caraſa [m] Montis-nigri marchionis frater. Ex Mauritianis primarius centurio legionis Veeri et XX circiter milites perierunt; totidem vulnerati. Aliquot poſt diebus rurſus magna vi pugnatum. Ambroſius Landrianus, qui levi armaturae praeerat, haud longe a vallo hoſtili hoſpitium habebat, et aſſiduus in opere militem quaſi regebat; qui vim in ſe facturos Mauritianos ad diſturbanda opera cum provideret, monuerat cardinalem et Mendozam, qui ad [n] Sylvam-ducis haerebant, periculum ſubeſſe ab hoſte tam propinquo, niſi peditatu delecto juvetur, et latera loci, quem tuendum ſuſceperat, tumultuariis aliquot munitionibus firmentur. Itaque miſſus Didacus [o] Durangus primarius centurio legionis Hiſpanae, qui per tribuni abſentiam, nocte quae III Eid. Jul. praeceſſit, in viam ſe dedit, et CCCC delectos ad Landrianum ſub auroram adduxit. Dum loca munienda deſignat, dies effluxit. Poſtridie dum opera ferverent, Hieronymo [p] Abuſtino, qui tribus ſignis praeerat, urgente, cardinalis atque una cum eo Carolus marchio frater ſupervenit, et loco luſtrato ad prandium in hoſpitium Friderici Bergenſis comitis conceſſere. Vix menſae aſſederant, cum Mauritianos magno numero in armis eſſe nunciatur, et Landrianum cum equitatu in periculo verſari. Quo audito Bergenſis ſtatim cum CIↃ delectis peditibus eo accurrit, juſſis bis mille ſubſequi. Ludovico Velaſco datum negotium, ut CIↃ delectos in Santandreanam munitionem introductos ad praeſidiarios adjungeret. Mendoza cum reliquis copiis in aperto campo ſtabat, ad fortuita praeſto futurus. Incumbentibus magna vi Mauritianis et aditus cingentibus, in munitione vix coepta interceptus Abuſtinus, paucis e ſuis occiſis. Cumque in equitatum, qui poſt munitionem

INTERPR. [a] *la Meuſe, & le Wahal.* [b] *le fort de St André.* [c] *Voorne.* [d] *Herwaerden.* [e] *Marini.* [f] *de la Nouë.* [g] *le chevalier François Vere.* [h] *le colonel Edmonds.* [i] *les trenchées de Wariſck & de Heſſel.* [k] *d'Agaravia, & Paciotto.* [l] *Calais.* [m] *Monte-Negro.* [n] *Boiſleduc.* [o] *Durango.* [p] *Abuſtino.*

CIↃ IↃ XCIX.
HENRICUS IV.

munitionem latebat, inclinaret ſcloppetariorum procella, Landrianus licet imparatus minime ſe deſeruit; ſed, receptis ad ſe Hiſpanis peditibus cum III alis equitum et aliquot ſcloppetariis equitibus, hortatus ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam in hoſtem vadit, et vim ejus acri conſerta pugna inhibuit, dum Hiſpani, qui in altera munitione ſtabant, ſe ad reſiſtendum parant. Heic Durangus cum IↃCC circiter ex deſperatione conſilium capit, et voce ac exemplo animos ſuis faciens totas duas hôras in veſtigio pugnans hoſtem diſtinuit. Quod cum praeter opinionem accidiſſet, Mauritius, qui primo impetu Hiſpanos numero impares fugituros ſperabat, ne auxiliares interim undique confluerent, receptui cani juſſit, aliquot ex Lanoviana legione amiſſis. Poſtremum inter eos certamen XIII Kal. Sextil. commiſſum fuit, tam vicinis ſtationibus ut inter ſe colloqui poſſent. Ludovici Melzii equitis vicarius in èo deſideratus, et plures ex Mauritianis occiſi. Inde deductus ex inſula exercitus, ita ut per pontem in Moſa ſtratum in munitionem libere commearetur; praeſidioque III CIↃ peditum et alae unius equitum impoſito, et firmatis propugnaculis quae Landriani hoſpitium defendebant, cardinalis ad munitionem venit, et ſolemni ceremonia locum conſecravit, XII majoribus tormentis, quae trans Wahalim ictus ejaculabantur, diſpoſitis, et poſtea VI aliis additis. Quibus actis et annona copioſa comportata, Bruxellas, quo mox adventurum Albertum ex literis ipſius cognoverat, cum marchione fratre conceſſit, deducente cum Joanne [a] Bracamontio cum CCC delectis equitibus. Inde [b] Ludovicum Lodronium comitem ad Vincentium Mantuae ducem, qui valetudinis cauſa ad [c] Tungrenſeis âquas venerat, ſalutandum miſit, et Ferdinandum [d] Madrucium ad Lippae comitem, qui in [e] Reſae obſidione cum Germanico exercitu haerebat, belli cum Imperii principibus neceſſitatem deprecaturum. A Lippenſi Madrucius aliquandiu diſtentus, dum reſponſum a foederatis principibus veniret. Interim poſt [f] Genepam deditam, qui [g] Orſoium tenebant, cardinalis juſſu locum reliquere: a quo et mandatum [h] Doteeomi in Friſia praeſidiatiis, qui CCCC circiter ex Friderici Bergenſis legione erant, ut, ſi hoſtes copias admoverent, protinus vitam et res ſalvas pacti diſcederent. Solicitabatur a Mauritio Lippenſis, ut copias ſecum conjongeret. Nec abnuebat Philippus Hohenloi comes. Recuſante Lippenſi nihilominus Gulielmus Naſſovius miſſus cum pontonibus, tormentis, apparatu bellico, X equitum alis, et IↃC peditibus Friſiis; ad cujus adventum Doteeomum patuit. Diſcedente praeſidio Ludovicus Naſſovius, qui equitatui Batavo cum ſummo imperio praeerat, recedenteis inſequitur, ſpe eos caedendi, antequam in tutum perveniſſent, et exeunte Sextili cum IX alis equitum cataphractorum et V ſcloppetariorum inter [i] Batenburgum et Ravenſtenium haud longe ab hoſpitio Joannis [k] Contrerae, qui V alas penes ſe habebat, Moſam tranſmittit. Quo cognito ex Contrera Landrianus equitatum inſtruit, aſſumptoque ſecum Ludovico Melzio, et una et altera ſcloppetariorum ala, [l] Megam verſus iter intendit. Ibi juſſus Contrera praecedere; et juxta Graviam cum Naſſovianos aſſecuti eſſent, qui nihil minus quam de hoſtium inſequentium conſilio cogitabant, ultimum agmen, in quo III equitum alae erant, et in iis una Scotorum, carpſerunt, dum per anguſtam viam incederent: qua pertranſita cum Naſſoviani campo patente ſuos expoſuiſſent, Hiſpani vim inhibuerunt, et ſenſim ſe recepere. Naſſoviani ad Genepam et [m] Offelam a Germanis nuper impoſitis defenſi Moſam rurſus tranſvadarunt. Interea Lippenſis ad [n] Berkam Rhenanam deſcenderat, ſpe ex Germanorum, qui in praeſidio erant, tumultu ob ſtipendii defectum concepta, ut loco citra certamen potiretur. Itaque in inſulam oppoſitam, quam ex tumultuantibus C circiter tuebantur, copias expoſuerat, quae cum damno repulſae

conatum

INTERPR. [a] *de Bracamonte.* [b] *il Conte Ludovico di Lodrone.* [c] *eaux de Spa.* [d] *Madrucci.* [e] *Rees.* [f] *Genep.* [g] *Orſoy.* [h] *Doetocum.* [i] *Battenbourg, & Ravenſtein.* [k] *de Contreras.* [l] *Meghem.* [m] *Oeſſel.* [n] *Rheinbergen.*

conatum ambiguum fecere. Cumque Hohenlous urgeret ut obſidio ſerio tentaretur, Lippenſis, ex Clivenſi ditione Hiſpanos pellere certus, ſemper recuſavit; diſſidioque illo effectum ut tantus exercitus nullo operae pretio tandem diſſipatus fuerit. Tunc vero Reſam reditum. Lippenſis milliari ſpatio ab oppido conſedit, ad eam partem quae Emmericum ſpectat, cum II legionibus et CIↃ IↃ equitibus in XXII vexilla diſtributis; eoque in loco ſe vallo munivit, fronte ad Rhenum verſa: Hohenlous medius inter [a] Reſam et Weſaliam, ut ab oppido obſeſſo non amplius quam tormenti jactu abeſſet. Brunſvicanam legionem IV CIↃ peditum conſtantem, ex legione Gulielmi Naſſovii IↃC Friſios et X equitum alas ab eodem Naſſovio ſummiſſas penes ſe habebat, cum quibus ſe egregie munivit, exſtructo in aggere, qui ad Weſalienſem portam pertingit, propugnaculo. Promoto vallo ad CCC paſſus Lippenſis, et excitato tumulo ac firmato, duas colubrinas imponit, et mediam machinam, quibus et prominentia oppidi munimenta et propugnaculum ab Hiſpanis juxta flumen ſtructum infeſtabat, ſed exiguo profectu; quippe tam diſſitis copiis, ut, medio plerumque hoſte, non niſi noctu capita conferre duces, interdiu omnino comunicare non poſſent. Promota et poſtea IV majora tormenta pluteis cooperta. Et Hohenlous circa fluminis eo in loco ſe incurvantis cubitum IV machinas in aggere diſpoſuerat, quibus in oppoſitum lapideum oppidi munimentum et navigia in anchoris ſtantia ictus dirigebat; et ulterius CCC paſſus progreſſus IX rurſus alias ſtatuit. Oppido praeerat Ramires Guſmanus cum III Hiſpanorum ſignis, II [b] Sequanorum, I [c] Belgarum, II Germanorum, et vexillo equitum [d] Botergi. In arce erant CCCC praeſidiarii contra tantam vim impares. Itaque de exitu veritus Guſmanus VIII Eid. Sept. Mendozam, miſſo ad eum Franciſco [e] Blumo centurione, monuerat, mature auxilia ſummitteret, eaque tuto deducendi rationem per eum oſtenderat. Is vero, quanquam locum ſervare diutius in animo non habebat, tamen non ſolum ad famam in praeſens, ſed ad ſucceſſus futuros ſummopere pertinere exiſtimans, Germanorum exercitum huc uſque formidabilem creditum obfirmata ad aliquot dies defenſione remorari, et conatus ejus per illam moram in poſterum infringere, ex omnibus belli ducibus Andream [f] Oarticum ſeligit virtutis ſpectatae tribunum, cui et CC Hiſpanos et CCC Belgas delectos attribuit, traditis mandatis, quae non prius quam ubi [g] Graviam veniſſet aperire juſſus erat. Summo ſilentio profectus ubi Graviam venit, apertis mandatis, ad [h] Medeletum infra Genepam [i] Moſam tranſmittit; et, ſervatis ordinibus ſemper incedens, ubi Reſae propinquavit, ſuos humi jacere jubet, dataque teſſera mox per navigia parata in arcem evadit, antequam de ejus adventu Germani quidquam cognoſcerent. Tum, loco luſtrato et Mendozae literis praefecto traditis, eruptionis poſtridie in Lippenſis caſtra tentandae auctor fuit. Igitur III Eidus Septembreis, qui in Saturni diem incidebat, cum IↃC in III agmina diviſis egreditur, quorum duo prima CL delectis conſtabant: CCC in ultimo agmine conſiſtere juſſi, quibus Botergus cum L equitibus praeſto futurus erat; ab eaque parte majores ſcloppetarii in pomoerio ſtatui, qui recedenteis ſuos tegerent, et inſequentem hoſtem infeſtarent. Eo ordine Oarticus, hortatus ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam, ad Lippenſis vallum ducit, imparatoſque aggreſſus L ex iis caedit, tormenta occupat, et magnam partem clavis configit, atque unum poſtremo, reductis in tutum ſuis, in oppidum victor traxit. Quo minus idem ad Hohenloi vallum tentaretur, Lippenſis caſus obſtitit; quo edocti Germani palis aditus muniverunt, et ſtationes duplicaverunt. Triduo poſt, cum ob continua ducum inter ſe diſſidia res in caſtris Germanorum ſemper in pejus ruerent, tandem ab obſidione diſcedi placuit; primuſque Lippenſis, pontonibus ac viminalibus

pluteis

INTERPR. [a] *Rees, & Weſel.* [b] *Franc-Comtois.* [c] *Wallons.* [d] *le Ritmaiſtre Botberg.* [e] *Blumo.* [f] *Ortiz.* [g] *Grave.* [h] *Middelar.* [i] *la Meuſe.*

CIↃ IↃ XC IX. pluteis in flumen demerſis, ſe recepit, quem Oarticus inſecutus ultimum agmen aliquantum inſeſtavit. Hohenlous eodem tempore ſe in tutum ad Emmericum recepit; ubi quatriduo inter jurgia et exprobrationes mutuas cum Lippenſi exacto, quod conſilio de jungendis cum Mauritio viribus ſemper ab initio adverſatus eſſet, et tot ſiniſtris ſucceſſibus, qui in Germani nominis ignominiam redundabant, pervicacia ſua cauſam dediſſet, tandem diviſae copiae; parſque [a] Dotecomum, pars [b] Duisburgum miſſa, deductis Genepa et Orſoio, atque etiam Emmerico, praeſidiis. Diſceſſu Germanorum firmata novo praeſidio ab Hiſpanis Genepa; quam tamen ſubito deſeruere, ut et Reſam: quem locum adverſus tantum exercitum defendiſſe contenti non tanti ducebant, ut ejus cauſa totius Germaniae jam irritatae vireis in ſe concitarent. Et Rodolfus Caeſar gentilibus ſuis ſavens ſub id Maximilianum fratrem ad Fridericum Wirtembergicum et Palatinum ſeptemvirum legaverat, belli alioqui in magnum incendium evaſuri prima initia reſtingui quamprimum petens, et de damnis Weſtfaliae datis ſarciendis fidem interponens, quorum aeſtimandorum Salentino Iſemburgico comiti, et Hermanno Manderſchiti item comiti, ac Carolo Nutzelo poteſtatem fecerat.

HENRICUS IV.

X. JAM in Belgium redierat Albertus cum Infante, de cujus itinere ac ejus ſucceſſu nunc ordine dicemus. Cum poſt celebratas ſuperiore anno Ferrariae nuptias totam hyemem inter varia oblectamenta cum regina Hiſpaniae et ejus matre Mediolani exegiſſet, ineunte Februario ab Alſonſo [c] Idiaco certior factus, claſſem [d] Genuae inſtructam, et Jo. Andream [e] Auriam ad reginam ipſumque in Hiſpaniam portandos comparaſſe omnia, profectioni dies pronunciatur, indictis prius ſupplicationibus publicis, ut Deus iter inſtitutum proſperaret. Joan. Ferdinandus Velaſcus regnorum [f] Caſtellae et Legionis comes ſtabuli cum uxore ampliſſimo comitatu eos deduxit per [g] Papiam, Dertonam, et Alexandriam. [h] Novii, quae prima ditionis Genuenſis terra occurrit, VI Eid. Feb. obvios a republica miſſos habuit regina Paulum Baptiſtam [i] Cataneum, Franciſcum [k] Ferrarium, [l] Bendinellum Nigronium, et Ambroſium [m] Lomellinum. Biduo poſt ad [n] Petri-fanum venere ad eam ſalutandam Auria cum Ferdinando Gonzaga genero, Carolo [o] Turriliae marchione filio, et Petro [p] Toletano triremium Sicularum praefecto. Poſtridie Genuam per arcus triumphaleis ſumma magnificentia a Jacobo [q] Mancino nobili architecto ſtructos, inter plauſus et feſtas bene ipſi totique Auſtriacae familiae comprecantium voces, in lectica, Alberto et Lazaro Grimaldo reipublicae principe proxime eam ſequentibus, ingreſſa eſt: dumque per portum tranſit, XL triremium paratam claſſem conſpexit; et tandem ad Auriae aedeis, in quibus olim Carolus V, Philippus II filius, Maximilianus Caeſar ab Andrea accepti fuerant, quaſi ſamiliares divertit. Heic ultimus laetitiae principi dies fuit, paucis poſt diebus ſubita infirmitate extincto; in cujus locum eodem quo regina claſſem conſcendit die, hoc eſt XII Kalendas Martias, Laurentius [r] Saulius Antonii cardinalis frater communibus votis dux reipublicae renunciatus fuit. Subortis ventis navigatio minus initio proſpera fuit; et cum aliquot diebus jactata claſſis ad [s] Nicaeam, ubi [t] Eſtenſis marchio Sabaudi juſſu reginam opperiebatur, appellere non potuiſſet, tandem ad [u] Tolonium ſubſtitit, quo Carolus Lotharingus Guiſiae dux Provinciae praeſes regis mandatu ſubito comparuit, reginae matrique ejus et Alberto receptum, ſi in terram vellent exſcendere, regis nomine offerens, et Carolum Aumaliae ducem gentilem ſuum in eo comitatu ſalutavit. Praeter reginam, Albertum, et Auriam, reliqui proceres exſcenſionem fecere, ut ſe ex nauſea recrearent, a Guiſio

perhonorifice

INTERPR. [a] *Doetecom.* [b] *Doeſburg.* [c] *de Idiaquez.* [d] *Gennes.* [e] *Doria.* [f] *le conneſtable de Caſtille & de Leon.* [g] *Pavie, Tortona, & Aleſſandria della paglia.* [h] *Novi.* [i] *Cataneo.* [k] *Ferrari.* [l] *Bendinello Negroni.* [m] *Lomellino.* [n] *San Pietro da Arena.* [o] *Turiglia.* [p] *de Tolede.* [q] *Mancini.* [r] *Sauli.* [s] *Nizza.* [t] *le marquis d'Eſte.* [u] *Toulon.*

perhonorifice excepti. Tandem ad Hiſpaniae litus claſſis appulit; et [a] Roſato Carolus [b] Auria per equos diſpoſitos praemiſſus Valentiam, quo jam Philippus cum omni aulico comitatu venerat, qui regem de reginae Albertique felici appulſu certiorem faceret. VI Kal. Apr. ad [c] Bimarum regina exſcendit, a Jacobo Sandovallio Deniae marchione apud regem gratia praepollente excepta. Poſt aliquot dierum moram reficiendis viribus inſumptam, inde [d] Saguntum itum IV a Valentia leucis: et, quia jam ſancta Hebdomas inierat, in ea urbe manſit, Alberto ad ſalutandum regem et novam nuptam Valentiam profecto: ubi cum ſolum trihorium fuiſſet, ulterius progreſſus ad Mariam Auguſtam parentem, quae [e] Mantuae Carpetanorum erat, divertit, cum eaque ferias Paſchaleis exegit. Tandem nuptiis celebrandis dies XIV Kalendas Maias deſtinatus; quo regina ex monaſterio proximo cum Alberto ingenti pompa et illuſtrium matronarum ſtipatu Valentiam venit, et ad [f] Serranam portam, ubi triumphalis arcus exſtructus erat, equo conſcenſo admirandi pretii gemmis ornato ſub uraniſco ad ſummum urbis templum acceſſit; quo rex per [g] pergulam ex proximo palatio ſub idem tempus advenit; ambo ab archiepiſcopo et oratore pontificio, et Roderico a [h] Caſtro cardinali Hiſpalenſi archiepiſcopo, excepti. Heic nuptiae a pontifice per regis et [i] Infantis abſentiam celebratae, iis praeſentibus ab oratore pontificia auctoritate denuo confirmatae ſunt; ſacroque peracto in proximum palatium, ubi prandium paratum erat, jam inclinata die conceſſerunt. Septem Valentiae dies inter ſpectacula, luſus, haſtiludia exacti; cumque reditum in Belgium, unde anxii in dies de rerum ſucceſſu nuncii afferebantur, urgeret Albertus, ad VIII Eidus Maias profectio pronunciatur; quo die [k] Barcinonae ipſe et Infans claſſem conſcenſuri erant. Interim eo venit Philippus cum regina, ut jusjurandum a regni illius ordinibus acciperet, claſſe tardius ſubſecuta, ob adverſam tempeſtatem.

XI. DEMUM VI Eid. Jun. parata XXXV triremium claſſe, cui Carolus Auria a rege praepoſitus fuit, Albertus, Infans, et reginae parens praetoriam conſcenderunt: nam ceterae ad Luſitaniae litora ab excurſionibus Anglorum et Batavorum defendenda remanſerant, duce Jo. Andrea patre. Feliciorem nacti tempeſtatem, quam in itu habuerant, ad [l] Vintimigliam locum ditionis Genuenſis appulſi, obvios a republica miſſos habuerunt Danielem Spinolam, Gregorium Barbarinum, Michaëlem Juſtinianum, Jo. Paulum [m] Eporedienſem, [n] Julium Roboreum, Jacobum [o] Saluſſium, Jo. Thomam et Jo. Stephanum Aurias. XIV Kal. Quintil. exſcenſione in portu facta ad Joannis Andreae Auriae aedeis denuo hoſpitium habuerunt, per arcus triumphaleis itidem adducti. Poſt duodecimum diem, quo tempore Genuae commorati ſunt, et poſt actas pro tanto a republica delato honore gratias, in viam ſe dedere, et Mediolanum III Non. Quintil. venerunt, a comite-ſtabuli rurſus honorificentiſſime excepti, et per IV arcus coloſſis et trophaeis exquiſiti operis ornatos deducti. Ad ſpectacula nova acceſſit ſtupendus matronarum et juventutis in veſtitu luxus. Miſſi mox ad eos ſalutandos a principibus Italiae legati. Venetae reipublicae nomine functus eſt eo munere Angelus [p] Badoarus; a pontifice venit Franc. [q] Diatriſtanus cardinalis, in tanta laetitia haud mediocri dolore ictus, quod honores dignitati, quam ſuſtinebat, debiti minime ipſi redderentur: nam petenti, ut ſub uraniſco urbem ingredi liceret, praefracte a comite-ſtabuli negatum, non convenire dictitante, ut Albertus, cui, ſicuti et Infanti, tantum honorem deferre a rege vetabatur, legatum ſub uraniſco incedentem ipſe extra uraniſcum ſequeretur; nam eum honorem nemini, ne quidem cardinalibus a latere legatis, ſed ſolis regibus in Hiſpania gentis conſuetudine tribui.

Cum

INTERPR. [a] *Roxas.* [b] *Doria.* [c] *Bimaros.* [d] *Morviedro.* [e] *Madrid.* [f] *le portal de Serrano.* [g] *Galerie.* [h] *de Caſtro cardinal de Seville.* [i] *l'Infante.* [k] *Barcelone.* [l] *Vintimiglia.* [m] *d'Ivrea.* [n] *Giulo Rouere.* [o] *Saluzzo.* [p] *Badoaro.* [q] *le cardinal Diechtrichſtein.*

CIↃ IↃ XC IX. Cum comitem-ſtabuli in propoſito obfirmatum videret Diatriſtanus, et archiduces HENRICUS IV. in eo eſſe ut propediem ad iter ſe accingerent, quanquam aegre, ad extremum aſſenſit ut ſine uraniſco urbem iniret. Hoc dempto cetera ſolemni pompa peracta XVII Kalendas Sextileis, deducentibus medium legatum hinc Alberto ad dextram, inde ad laevam comite-ſtabuli. Poſtridie, uſurpata his in rebus ceremonia, enſis et galerus Alberto, roſa benedicta pontificis nomine Infanti oblata. Archiduces dein die S. Mariae Magdalenae feſto, hoc eſt XI Kalendas Sextileis, Mediolano profecti ſunt, Barlaimontii comite ablegato, ut pontificem et ceteros Italiae principes ſuo nomine ſalutaret. Maria reginae parens heic iter cum Alberto et Infante diviſit, et, antequam Italia excederet, [a] Lauretanum ſacellum in Picenis locum peregrinationibus religioſis frequentem adivit, votiſque nuncupatis [b] Graecium in patriam rediit. Archiduces, vitata [c] Subalpina regione, quae peſte eo anno infeſtabatur, ſuperatis Alpibus et [d] Juraſſo monte, in [e] Sequanos ac Lucemburgicum agrum ineunte Sextili deſcenderunt; Brabantiamque ingreſſi pro felici itinere confecto [f] Divae Virgini Hallenſi, quo loco profecturus in Hiſpaniam Albertus preces ſolemneis conceperat, vota exſolverunt. Andreas cardinalis, ob Alberti et Infantis adventum poteſtate a ſe abdicata et petito ab iis commeatu, e Belgio diſceſſit; comitatuque per viam compendioſiorem praemiſſo, ipſe diſſimulato habitu per Galliam iter fecit, regionis videndae cupidus, et [g] Aureliani regem nihilominus convenit; a quo nequicquam rogatus ut longiorem moram in aula faceret, poſt familiare repetitum ſemel atque iterum colloquium iter inceptum perſequitur, et [h] Mersburgum [i] Conſtantienſium epiſcoporum domicilium circa medium Octobrem pervenit. Magna et incredibili pompa Infans et Albertus Bruxellis et ubique accepti. Sed publicam laetitiam tumultuantes ubique ob non perſoluta ſtipendia milites aliquantum perturbarunt: nam [k] Herentalii [l] Slegi Germana legio, et Epirotarum equitum ala, cui Nic. Baſta praeerat, cum ſeditionem excitaſſent, vix Joan. Jacobo [m] Bellijoci comite ad eos ab Alberto miſſo placati ſunt. Tum exemplo graſſante ex legionibus emanſores ad III CIↃ vicinas provincias ingreſſi omni licentiae ac libidinis genere in ruſticos ſaeviebant, in [n] Eburonibus praecipue graſſati, loco, in quo municipes aliquandiu cum damno graſſatorum reſtiterunt, tandem expugnato et crudeliſſime direpto. Qua de re cum Colonienſis ſeptemvir conquereretur, Albertus rem acerbiſſime ad animum revocavit: et ex ſingulis legionibus quatuor milites, ex ſingulis equitum alis ſinguli equites, a tribunis et ducibus ſorte ducti, qui ſanguine ſcelus expiarunt. Mendoza interim adhuc in Bommelenſi inſula haerebat, coeptae munitioni ſtruendae intentus: qua jam ad defenſionem perducta, cum equiti pabulum deeſſet, et pedites multa gravia paſſi variis morbis conflictarentur, in [o] Campiniam exeunte Novembri deſcendit, et inter [p] Graviam, Ruremondam, et Moſae Trajectum hoſpitia copiis diſtribuit; quae ubi a vicini hoſtis metu quieverunt, tumultuare coepere, Electo e ſuo numero creato: et cum Gaſpar [q] Zapena ad eos placandos ab Alberto miſſus eſſet, infeſta ſcloppetorum diſploſione injurioſe repulſus eſt.

XII. ISENBURGICUS autem et [r] Manderſchirius comites et [s] Nutzelius, qui in Belgium a Rodolfo Caeſare venerant, et commeatum ad Ordines foederatos proficiſcendi petebant, de pace aut induciis cum ipſis acturi, nec admiſſi ſunt, et injurioſum reſponſum pro excuſatione per literas tulerunt: quo repetita eorum, quae Caeſaris, Erneſti archiducis, Moguntini, Saxonis, Palatini ſeptemvirorum, [t] Neoburgi, Coloniae, et Norimbergae civitatum, Daniae et Poloniae regum legatis olim reſponderant, memoria, majores ſibi diffidentiae cum Alberto et Infante, qui omnino ex

nutu

INTERPR. [a] *di Loretto nella Marca d'Ancona.* [b] *Gratz.* [c] *Piedmont.* [d] *Mont Jura.* [e] *la Franche Comté.* [f] *Noſtre Dame de Halle.* [g] *Orleans.* [h] *Merſbourg.* [i] *de Conſtance.* [k] *Herentals.* [l] *Slegel.* [m] *Belgiojoſo.* [n] *de Liege.* [o] *Campigne*, al. *Kempenland.* [p] *Grave, Ruremonde, & Maeſtricht.* [q] *Zapena.* [r] *Manderſcheit.* [s] *Nutzel.* [t] *le duc de Neubourg.*

nutu Hiſpanorum pendeant, quam antea, cauſas ſubeſſe aiebant, ex donatione dotali conditionibuſque in ea appoſitis auctas, et certam conjurationis ad evertendam religionem et libertatem publicam opprimendam initae fidem facienteis. Itaque re infecta legati ad Caeſarem reverſi ſunt. Interim archiduces Bruxellis [a] Lovanium VIII Kal. Dec. profecti ſunt, ut in ea urbe Brabantiae vetuſtiſſima et academia toto orbe celebri more recepto inaugurarentur. Die S. Catharinae feſto Ordinibus ab iis praeſtitum et viciſſim acceptum juramentum. In ritu peragendo Jacobus [b] Baius theologus orationem ad eos habuit, gentemque Auſtriacam a pietate et ob religionem majorum a ſectario veneno aſſertam plurimum laudavit: Ipſi, ut ſe literarum ſtudioſos et fautores eximios toti academiae approbarent, Juſtum Lipſium Plinii panegyricum Trajano dictum publice interpretantem audire voluerunt. Lovanio Mechliniam itum, quae ſeparatam ab aliis Brabantiae civitatibus ditionem Philippi Burgundionis Boni cognominati beneficio habet. Nuſquam major ſpectaculorum et publicae laetitiae apparatus quam Antuerpiae fuit; quae urbs provinciae florentiſſima, quanquam multum imminutis per bella civilia opibus, nihil de priſtina magnificentia remittere voluit. Munia dein publica inter proceres benevole diviſa. Carolus [c] Ligneus Arembergae comes maris praefectus, [d] Barlemontius comes Atrebatum praeſes creati, et [e] Carolus Philippus Croius Havreci marchio aerario praepoſitus eſt; cui, ut et Carolo Croio [f] Araſchoti duci agnato, et [g] Philippo Naſſovio Arauſionis principi et [h] Carolo Ecmondano comiti, torquis aurei velleris juſſu et auctoritate Philippi collegii equitum principis publica ceremonia attributus eſt.

XIII. AD varios hujus anni in Belgio eventus acceſſit et ex Ordinum decreto ad infeſtandas ditionis Hiſpanae in Atlantico mari inſulas ſuſcepta expeditio. Claſſis XXC navium instructa, cui cum ſummo imperio Petrus [i] Doës praeerat. Primarii ſecundum eum duces Willelmus [k] Cloierus Theodorici filius, Jo. [l] Geerbrantzius, Corn. [m] Geilenifenius Vliſſingenſis, et [n] Sturmius ſtrenuus ordinum ductor. Cum VIII Kal. Jun. ſolviſſent, cognito [o] Vaſcones de conſilio Ordinum certos per [p] Cantabricum litus in armis paratos eſſe, ad [q] S. Vincentii promontorium deflexere; et, unam atque alteram Fortunatarum inſularum praetervecti, ad [r] majorem Canariam appulere VI Kalendas Julias. Aliquandiu in exſcenſione certatum pari utrinque primum damno. Sed tandem, Batavis pollentibus, ad arcem, cui Gratioſae nomen, verſa vis. Erant omnino XXVI ſigna; quae in ordinem instructa conſpicati praeſidiarii intermiſſa pulſatione vitam pacti deditionem fecere. Repertae in arce IX machinae aeneae, VI ferreae, cum bellico apparatu et copioſa annona. Inſignibus Philippi regis ſublatis mox Mauritiana erecta. Poſtridie ad [ſ] urbem Allagoniam copias ducit Doës tripartito agmine: ſed cum a caſtello urbi vicino rurſus Batavi magnopere infeſtarentur, munitis circum caſtris, V tormenta ex arce nuper capta adducta in caſtellum diriguntur, et montem oppoſitum, ex quo inſulani falconibus et campeſtribus tormentis rem gerebant. IV Kal. Quintil. albeſcente die pulſatio inchoata, et per IV horas continuata; et poſt praeruptas munitiones, quas obſeſſi caſtello circumpoſuerant, ex ſaccis lana plenis et doliis ſaxis oppletis tumultuario opere structas, cum Batavi, miſſis in proximum montem III ſignis, et igne ad urbis portam eodem tempore accenſo, extremam vim facturi eſſent, inſulani rebus ſuis deſperantes, convaſatis quae aſportari poterant, urbem, caſtellum, et montem fuga deſerunt, et per avia in montana et confragoſa notaſque ipſis ſpeluncas dilapſi ſunt. Mox admotis ſcalis capta urbs, cuneo,

INTERPR. [a] *Louvain.* [b] *de Bay.* [c] *de Ligne comte d'Aremberg.* [d] *le comte de Berlaymont gouverneur d'Artois.* [e] *Charles Philippe de Croy marquis d'Havreck.* [f] *d'Arſchot.* [g] *Philippe Guillaume de Naſſau prince d'Orange.* [h] *Charles comte d'Egmond.* [i] *Vander Does general de la flotte.* [k] *Cloier Dirickſen.* [l] *Gheerbrantſen.* [m] *Galein de Fleſſingue.* [n] *le capitaine Sturm.* [o] *Baſques.* [p] *Coſte de Biſcaye.* [q] *Cap St Vincent.* [r] *la grande Canarie.* [ſ] *Allegonia.*

cuneo, quem obſeſſi fugientes cum igne lento de induſtria reliquerant, antequam Batavi irrumperent diſploſo, ut nullum ex eo damnum ſenſerint. Capta in oppido v tormenta cum omni bellico apparatu; et ut in priore arce Philippi adempta, et eorum loco Mauritii repoſita pro porta inſignia. Plerique captivi Belgae recepti, qui in carceribus paedore et ſqualore confecti vitam miſerabiliter tolerabant. Ex iis cognitum, inſulanos, cum in montana confugerent, Anglum et Germanum captivos ſecum abduxiſſe, diu ab Inquiſitione tortos, et ad ignis ſupplicium damnatos. Secundum haec urbs direpta; tormenta, campanae, annona, et apparatus bellicus ſervatus et claſſi impoſitus. Captum et vicinum caſtellum poſtridie, in quo III tormenta reperta. Dum ad diſceſſum thalaſſiarchae juſſu ſe parant, ſemel atque iterum in montana vim fecere, a gnaris locorum cum inſigni damno repulſi. Tandem, poſt concionem in majore urbis templo a paſtore, quem Doës ſecum duxerat, habitam, IV Non. Quintil. ignis in cuneos arci ſubjectos immiſſus, quo ſtatim ſubverſa eſt. Tum incendio populata templa, et ipſa urbs. Ad Gratioſam inde in aciem inſtructi rurſus convenere, ad quam cuneos ſtruxerunt; quibus igne cum diſcederent immiſſo, arx pariter diſſiliit. Cum rurſus claſſem conſcendiſſent, captivos Gratioſae deditos pretio ab inſulanis accepto libertati reſtituerunt. Quarto poſt die vento adverſo jactati ad Tenariſam delati ſunt; in quam exſcenſione a naviculariis facta, qui aquatum miſſi erant, cum neminem obvium haberent, pyras ingenteis lignorum in litore ſparſas incenderunt. Receptis in claſſem naviculariis claſſis ad [a] Gomeram appulit IV Eidus menſis; cumque oppiduli in ea ſiti portum ſubiiſſet, ab oppidanis infeſta diſploſione petita longius extra tormentorum jactum receſſit. Et cum ceterae naves vento huc illuc antea ſparſae ſigno dato conveniſſent, expoſitis in terram tribus ſignis ad oppidum vadunt, quod vacuum nacti ſunt, inſulanis in montana ad ipſorum conſpectum ſubito dilapſis: quos dum ardentius inſequuntur, IV ſignis a tergo emiſſis, qui aufugienteis increiperent, ipſi in inſidias praecipitarunt, et poſt obſtinatum certamen, in quo plerique inſulanorum cecidere, vix ſe manibus eorum extricarunt, ex ſuis C amplius amiſſis. Nihil paene in oppido repertum, quantumvis abdita ſcrutante diligenter milite; qui praedae avidus dum huc illuc palando per inſulam diſcurrit, plerumque male mulctatus fuit. III tormenta, campanae, vinum, aliaque id genus in claſſem impoſita; et, incendio non ſolum in urbem ſed per totam inſulam ſparſo, claſſis Gomera XVII Kal. Sextil. ſolvit. Inſulani, qui alienae culpae poenas luebant, ad incendium reſtinguendum ſtatim accurrerunt. Doës his actis cum amplius per mare illud diſcurrere in animum induxiſſet, neque ad id tanta claſſe ſibi opus eſſe judicaret, XXXV naveis cum apparatu bellico et praeda duce Jo. [b] Geerbrantzio domum remittit; qui varia tempeſtate jactatus exeunte Septembri in Bataviam appulit. Ipſe cum reliqua claſſe integra longius provectus ad S. Thomae inſulam, ſub linea aequinoctiali ſitam, et Guineae litori praetenſam, haud longe a Principis inſula defertur; quam parvo negotio occupavit. Ea a Luſitanis habitatur, quorum ex ſaccharo praecipuus proventus. Captus Franciſcus [c] Meneſes urbis cognominis praefectus. Proſpera initia diſpar ſucceſſus mox excepit, morbis, ſive ex aëris inſolentis intemperie, ſive ex ſoluto militum coelum hoc non ferentium victu, exortis fere contagioſis; quo correpti, ſub dio cubantes et aquas ab inſulanis corruptas bibentes, fere omnes perierunt; ulteriuſque ne ſerperet malum veritus [d] Doës protinus militem in claſſem reduxit. Sed nec propterea ſiſti contagio potuit, qua et ipſe et cuncti fere belli duces, [e] Regnerio Campenſi et [f] Calvartio exceptis, abſumpti ſunt: vixque ex omni numero quarta pars incolumis in patriam reverſa eſt.

XIV. ANNUS

INTERPR. [a] *la Gomera iſle des Canaries.* [b] *Gheerbrantzen.* [c] *de Meneſes gouverneur de la ville de S. Thomas.* [d] *Vander Does.* [e] *Regnier Camp.* [f] *Calwart.*

CIↃIↃXCIX.
HENRICUS IV.

XIV. ANNUS apud nos incepit a morte Petri [a] Eſpinaci archiepiſcopi Lugdunenſis, viri et nobilitate et eruditione et vehementi eloquentia [α] clari, ſed qui praeclaras animi dotes paene perdidit impotenti ambitione, turbas et aulicum aeſtum tota vita conſectatus; cumque res ex voto non ſuccederet, injuriis, ut aiebat, Eſpernonii in regis gratia tunc florentis exacerbatus, ad Guiſianorum partes ſe applicuit, atque adeo Henoticam factionem toto pectore amplexus eſt, ſpe purpurei galeri adipiſcendi; quam ex Henrici III commendatione olim conceptam, poſtea, praepollente in aula Romana principum Catholicorum, quos vocabant, gratia, ſibi tanquam certiſſimam ſemper pollicebatur. Dum in factione ſua obfirmatus omneis reconciliationis ſibi privatim utileis conditiones reſpuit, neque vaſtis cupiditatibus modum facit, Lugduno interim recepto et pace facta cum ſingulis regulis, ipſe ſolus in obſtinatione ſua conſenuit, et inter graviſſimos arthriridis dolores ex moerore non ita ſenex deceſſit V Eidus Jannarias. Exeunte demum menſe nuptiae jam pactae inter Henricum Lotharingum [b] Barrenſium ducem et Catharinam regis ſororem celebratae ſunt. Aliquot poſt diebus Carolus Gonzaga [c] Nivernenſium dux Catharinam Caroli Lotharingi Meduaniae ducis filiam in uxorem duxit; et Henricus Meduanii grandior natu filius, ſic enim convenerat, Henricam Nivernii ſororem in uxorem accepit. Nec multo poſt Henricus Jouſa, qui, Catharina uxore Eſpernonii ſorore defuncta, monaſticam in Capucinorum coenobio ante XII annos profeſſus fuerat, et poſt Antonii Scipionis fratris ad [d] Villamurium extincti mortem ſummum armorum imperium a [e] Septimaniae nobilitate et ordinibus honorifice delatum ſuſceperat, ac poſt pacificationem, reſumpto S. Spiritus torque, etiam tribuni equitum dignitate a rege fuerat ornatus, rurſus mundi curarum pertaeſus cilicium Lutetiae VIII Eid. Mart. ſumpſit, et concionibus publice habitis magnam ſui admirationem concitavit, ſtupentibus pleriſque hominem in aula longe a libris educatum tam cito felicitate ingenii, et accendente ſtudium pietatis ardore, et doctum et eloquentem eccleſiaſtem evaſiſſe. Eodem inſtinctu Antonia [f] Aureliana Henrici Longavillani ducis ſoror, quae Carolo [g] Gondio Bellae-inſulae marchioni ad [h] Michaelis-fanum in maris periculo ante triennium interfecto nupſerat, praeſtanti ingenio ac forma foemina, in Virginum [i] Foliacenarum coenobium Toloſae nuper inſtitutum, clam Franciſco Fani-Pauli comite fratre ac ſororibus, conceſſit.

XV. PACE inter reges facta, reſtabat, ut controverſia de Saluciarum principatu inter regem et Sabaudum componeretur, de qua uterque in pontificem compromiſerat. Eapropter praecipue miſſus Romam a rege Nicolaus [k] Brulartus Sillerius fuerat; a Sabaudo Franciſcus [l] Arconatus Tuzanae comes, cum numeroſis documentis et juris ſui atteſtationibus. Rex petebat, ut poſſeſſioni, qua dejectus a Sabaudo fuerat, tempore captato, cum rex Henricus III bello internecino ab Henoticis ubique excitato diſtinebatur, ante omnia reſtitueretur: tum ſi quid juris Sabaudus in eo ſibi vindicaret, ſe arbitrio pontificis ſtare paratum oſtendebat. Contra Sabaudus aiebat, juris regulam, ſpoliatum ante omnia reſtitui debere praecipientem, non ut in privatorum cauſis, ſic inter principes obſervari ſolere, qui poſſeſſionem juris potiſſimam partem reputant. Itaque ad jus ipſum deventum. Sillerius his maxime teſtimoniis nitebatur: Adeleidis [m] Pedemontis principis, quae [n] Saluciarum marchionatum Hugoni Delfino Viennenſi avunculo ſuo tanquam beneficiarium acceptum retulit, anno

CIↃ CCX;

VAR. LECT. [α] clari; verum has praeclaras animi dotes nonnihil obſcuravit impotens ambitio, et in homine ſacris addicto nimia ex alieno profuſio; qui quia ſuus non erat ſatis turbas et aulicum aeſtum tota vita conſectatus eſt; cumque *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *d'Eſpinac archevêque de Lyon.* [b] *Bar.* [c] *Nevers.* [d] *Villemur.* [e] *Languedoc.* [f] *d'Orleans.* [g] *de Gondy marquis de Belle-Iſle.* [h] *Mont S. Michel au peril de la mer.* [i] *Feuillantines.* [k] *Brulart Sr de Sillery.* [l] *Arconat comte de Touſaine.* [m] *Piedmont.* [n] *Saluces.*

CIↃ IↃXCIX.
HENRICUS IV.

CIↃ CCX; Thomae Sabaudiae comitis, qui [a] Adeleidi et Manfredo nepoti omnia jura, quae ipſi adverſus eos competebant, publico inſtrumento VI poſt anno remiſit: Manfredi ejuſdem, qui ab Amadeo Sabaudiae comite de fide ob [b] Burgum, Buſcam, Bernazanum, et Scarnaſigium principatus oppida praeſtanda interpellatus, reſpondit, anno CIↃ CCXC, nulla ſe loca poſſidere, ob quae ad fidem ei praeſtandam obligaretur: altero poſt anno Thomam Adeleidis atteſtationem confirmaſſe, et ratam habuiſſe, et fidem Delfino Viennenſi tanquam ſupremo domino marchionatus ratione addixiſſe: anno demum CIↃ CCC XLIII Thomam Humberto Delfino, atque undecimo poſt anno Ludovico grandiori regis filio, ſacramentum fidei dixiſſe: ſecundum haec Fridericum Thomae filium rata omnia, quae parens ipſius ea in re fecerat, nono poſt anno publico inſtrumento habuiſſe: denique XXVII poſt anno Carolum VII, delectum inter partes judicem, excluſo Sabaudo Saluciarum marchionatum Delfino addixiſſe. Ad haec Arconatus, Adeleidis profeſſionem nihil ad rem facere, quippe cum ad Manfredum, non ad eam, marchionatus pertineret: et in Amadei apocha nullam de juribus, quae in marchionatu competebant, mentionem fieri: IV oppidorum expreſſionem factam non inducere, ut non in reliquo marchionatu jus haberint Sabaudiae comites: verum id ob tranſactionem et ſententiam anno CIↃ CLXIX latam nominatim additum fuiſſe: marchionis autem filium ſive ignorantia ſive metu, ne quid in praejudicium ſuum novaretur, fidem Sabaudo praeſtare recuſaſſe: Thomae ratihabitionem non plus valere quam Adeleidis declarationem; neque fidei a Thoma praeſtitae rationem habendam eſſe, quippe cum is nunquam marchionatus poſſeſſor fuerit: Thomam autem, cum jam fidem Sabaudo addixiſſet, fruſtra eam poſtea Delfino juraſſe: denique Carolum regem nulla poteſtate praeditum inter partes pronunciaſſe, ~~et jus in propria cauſa dicere minime~~ potuiſſe: et poſt latam a rege ſententiam Galeacium marchionem per procuratorem rurſus fidem Sabaudo addixiſſe. Addebat et domeſtica teſtimonia: ſententiam a Bonifacio [c] Montis-ferrati marchione a partibus delecto arbitro anno CIↃCLXIX pronunciatam, qua Manfredum Saluciarum marchionem ad fidem Sabaudo praeſtandam condemnabat, ac viciſſim comitem ad oppidorum aliquot reſtitutionem: tum fidei Amadeo III a Manfredo praeſtitae anno CIↃ CC XXXV, ac rurſus Amadeo IV a Thoma anno CIↃ CC XCI, et IV oppidorum ratione anno CIↃ CCC: Fridericum Salucianum anno XXIV poſt Philippo Sabaudo Achaïae principi [d] Ravelium, Carmaniolam, et Raconiſium donaſſe; quae mox oppida Philippus Friderico ac Thomae ejus filio beneficii titulo attribuit: dein aliquot controverſiis inter Amadeum VI ac Jacobum Achaïae principem et Fridericum Salucianum ſubortis, a IV arbitris ſecundum Sabaudos anno CIↃ CCC LXIII pronunciatum fuiſſe, et ſententiam tranſactione inter parteis, ac denique a Carolo IV Caeſare biennio poſt confirmatam: cum vero ſub id cognitum eſſet, Salucianos Luchino ac Barnabae [e] Vicecomitibus fidem juraſſe, Caeſarem pronunciaſſe, ob id marchiones poenam perduellionis commiſiſſe, et principatum ad ſe tanquam Imperii beneficium devolutum Sabaudiae comiti attribuiſſe: verum Sabaudum ſummo jure cum Salucianis agere noluiſſe, et Thomam Manfredi filium in fidem accepiſſe ſatis habuiſſe: in eadem fide poſtea Galeacium, Manfredum, Joannem et Thomam Salucianos erga Sabaudiae comites ordine ſucceſſivo perſeveraſſe: et Thomam poſtremo fidem Amadeo VII addixiſſe, revocatis omnibus actis in contrarium factis; ac nominatim ſententiae a Carolo rege anno CIↃ CCC XC latae renunciaſſe; et, ut inſigni aliquo facto fidem datam obſignaret, Ant. [f] Torneſio praecepiſſe, ut vexillum Sabaudiae in ſublimi Ravelii turre ſtatueret: Margaritam deinde, Lud. Saluciani parentem ac tutricem, per procuratores

principatum

INTERPR. [a] *Alis, & Mainfroy.* [b] *Burgo, Buſca, Bernazam, & Scarnaſigi.* [c] *Montferrat.* [d] *Revel, Carmagnolle, & Raconis.* [e] *Viſconti.* [f] *Torneſi.*

principatum ab Amadeo VIII tanquam beneficiarium anno CIↃ CCCC XVII accepiſſe: poſtea Amadeum IX, cum inter Manfredum, Joannem, Galeacium, Hugolinum Salucianos judex ſederet, ſententia ſua ſibi jus anno CIↃ CCCC XXIX ſupremi judicii inter eos reſervaſſe: XXXVII poſt anno Ludovicum Salucianum Amadeo fidem juraſſe, et Thomae filio ſeptimo poſt anno mandatum dediſſe ut idem faceret: ipſum Thomam deinde, cum Gratianopolitanus ſenatus inſtaret ut fidem Ludovico XI juraret, reſpondiſſe, nullius in verba, praeterquam Sabaudiae ducis, ſe jurare addictum eſſe; et mox Iolandae Philiberti ducis matri fidem, ac poſtea Carolo duci, addixiſſe: ſed Carolum VIII, cum in Italiam deſcendiſſet, Ludovicum in verba ſua jurare coëgiſſe, et poſt regis digreſſum ob id a Carolo Sabaudo vi armata ditione expulſum: quapropter eum ad regis patrocinium confugiſſet, pactione inter regem et Sabaudum ad [a] Bellovaci-pontem inita, principatum in manus Ludovici [b] Marraſini equitis Galli ſequeſtratum eſſe; et poſtea rurſus a Lud. [c] Sfortia Mauro occupatum fuiſſe. Nec deerant noſtris rationes, quibus Sabaudi argumenta convellerent; et apparebat ſeu levitatem, ſeu Saluciancorum metum, probationum conflictui cauſam dediſſe. Sed Sillerius hoc unum urgebat, ut rex ante omnia reſtitueretur; nam poſt reſtitutionem integrum fore partibus jus ſuum diſceptare; idque tam inter principes quam inter privatos locum habere: nam ita Caſtello-Cameracenſi pacificatione anno CIↃ IↃ LIX conventum, ut rex oppida Sabaudae ditionis bello occupata ante omnia reſtitueret, ſalvis partium juribus; quorum libera eſſet, pace facta, in jure perſecutio. Sabaudus contra ſe quoque ante C annos a regibus Franciae ſpoliatum aiebat, neque ex fide bona eſſe, ut dominus rem ſuam violento poſſeſſori, atque adeo, ut juris conditores loquuntur, praedoni, reſtituere compellatur. Tandem a Sillerio media ratio propoſita, de qua Vervinii ultima pacificatione tacito conſenſu, quod tamen ſcriptis mandatum non eſſet, conventum affirmabat, ut Sabaudus, dum cauſa diſceptaretur, ſe Saluciarum principatum tanquam regis beneficiarium poſſidere profiteretur. Cum nec eam admitteret Arconatus, et conſenſum memoratum aliter interpretaretur, alia ratio in medium adducta, ut principatus in pontificis manus, qui a partibus arbiter cauſae delectus eſſet, dum ea finem acciperet, deponeretur. Ea de cauſa a pontifice ex Sillerii et Arconati conſenſu Bonaventura Calatagirona [d] ordinis Franciſcanorum princeps, qui jam egregiam operam in pacis negotio navaverat, nominatus, ut ad conditionem aequam delegatis viſam utriuſque principis animos inflecteret, et, ſi quidem ea placeret, quia compromiſſi tempus propediem exiturum erat, prorogari illud in treis proximos menſeis peteret. Rex, in concilio re agitata, praeter multorum ſententiam cum aſſenſiſſet, inde injecta Sabaudo ſuſpicio, quaſi regi in occulto cum pontifice conveniret; ſuſpectamque ejus fidem ex eo habere coepit: et quia Arconatus conditionem probaverat, eum captata occaſione revocat, et alios delegatos in ejus locum ad cauſam Romae diſceptandam ſubſtituit. Auxit ſuſpicionem ſparſus in aula Romana rumor, quaſi rex de principatu in pontificis tanquam ſequeſtri manibus deponendo tam facile aſſentiretur, ut poſſeſſionem ejus Sabaudo citra belli neceſſitatem auferret, eamque uni ex fratrum pontificis filiis tanquam regni Franciae beneficiario, poſt latam a pontifice gratioſam ſententiam, attribueret. Ambitionem pontificum, dum ſe alienis principum negotiis ultro immiſcent, arbitrium rerum ad ſe trahentium, ſuſpectam habuerat ab initio Sillerius: ſed invidiam recuſatae conditionis in adverſarium rejicere cupiens, eam ſe probare ſimulaverat, regique auctor per literas fuerat, ut eam quoque propenſa voluntate ſe amplecti oſtenderet; nam non defuturas in perplexi adeo negotii explicatione occaſiones, quarum beneficio citra

levitatis

INTERPR. [a] *le pont de Beauvoiſin.* [b] *Marraſino.* [c] *Sforza detto il Moro.* [d] *general des Cordeliers.*

levitatis aut cavillationis notam fidem liberare poſſet; ſed maxime ad famam intereſſe, ut cunctis innoteſceret, per Sabaudum potius quam per ipſum ſtetiſſe, quo minus coeptum negotium exitum ſortiretur. His ſuſpicionibus praeoccupato Sabaudi animo, haud facile ejus orator de deponendo Saluciaoo principatu ut aſſentiretur adduci poterat; qui tamen odium poblicum veritus, ut herum ſuum excuſaret, et, injecta potiuris cooditionis ſpe, alterius repudiatae invidiam molliret, pontificem adit, et Sabaudum ſemper ab ejus aequitate ſperaſſe dicit, ut in poſſeſſione principatus Saluciani, a qua majores ſui praeter jus vi armorum dejecti fuerant, et quam ipſe opportunitate uſus recuperaſſet, ſacroſancti arbitrii jodicio conſervaretur. Ad quae verba pontifex nihil aliud reſpondit, quam ſe ooo paſſurum, ut per diſſidii incertum inter contendenteis principes ſimultates alantur, aut ipſorum populi rantopere expetitae pacis beneficio diutius careant. Gravitatem reſponſi, qua ſibi haud plene ſatisfactum putabat, orator non ferens, ut aliud a moderatiſſimo viro extorqueretur, praecipiti impatientia ſubjecit; ſi ſecundum herum ſuum in ea cauſa pronunciaretur, pontificem ſibi certo polliceri poſſe, et Sabaudum et Salucianum principatum in ipſius poteſtate fore, ut de eo in gratiam alicujus ex fratris filiis arbitrio ſuo poſſet ſtatuere. Quibus verbis integritatem et aequitatem ſuam in dubium revocati ſentiens pontifex, et patientiam ſuam indignis modis tentari, ſine ulteriore deliberatione ſtatim omnem delati arbitrii auctoritatem a ſe abdicavit; agerent facerent partes ea in re, quod ipſis aequum ac juſtum videretur; ſe de cauſa amplius nolle cognoſcere. Hic exitus fuit negotii de Saluciano principatu in aula Romana agitati; ob quem cum ſumma ſe invidia apud omneis laborare minime ignoraret Sabaudus, ſe denuo apud pontificem excuſavit, et, ut a pacis conſiliis ſe non alienum oſtenderet, de profectione in Franciam ſpem fecit, ut coram cum bona regis gratia de omni controverſia tranſigeret.

XVI. Dum haec Romae agitarentur, edicti [a] Namnetenſis in Proteſtantium gratiam facti dilata huc uſque ob Alexandri Medicis [b] cardinalis reverentiam promulgatio, quae maxime ad quietem publicam pertinebat, a delegatis, qui adhuc ad [c] Heraldi-caſtrum in Pictooibus haerebant, urgebatur. Antequam in ſenatum afferretur, re in regio conſiſtorio diſcuſſa, cum proceribus doctrinae ei addictis convenit, ut quaedam io eo mollireotur, et adhibita interpretatione mitigareotur. Caput ad juriſdictionem claſſium edictalium, ſic eas vocabant, quae in aliis curiis olim tripartitae, tunc bipartitae conſtitutae ſunt, multos male habebat. In ſenatu Pariſienſi, ubi moderatius ſe ſemper habitos Proteſtantes fatebantur, claſſis, quae de cauſis eorum jus dicebat, ex ſolis Catholicis conſtabat. In eam ut infererentur VI ex doctrinae illi addictis, qui ob id io ſenatum cooptarentur, initio convenerat. Re cognita facer ordo per ſyndicum ſuum interceſſit, et, licet antea civiles Proteſtantium cum eccleſiaſticis controverſiae in ea claſſe ſingulari privilegio agitarentur, tenuerunt, ut, quando ei doctrinae addicti judices plerumque pares numero in eo tribunali ſederent, eorum joriſdictioni eximerentur. Poſtea, cum invidioſum videretur ut VI illi ſimul in ea claſſe jus dicerent, placuit ut unus tantum quotannis aſſumeretur, ceteri per reliquas inquiſitorias claſſes diſtribuerentur. Quo conceſſo oon tamen impetrari potuit, ut gratia ſemel eccleſiaſticis facta, quamvis ceſſante cauſa, revocaretur: idqoe illi hac ratione conſecuti ſunt, ut a juriſdictione edicto conſtituta, cui antea ſubjecti erant, in poſterum eximerentur, noo ſine Proteſtantium murmure, qui cavillatoria eorum qui circa regem erant vafritie illuſum ſibi querebantur. Proxima fuit de Proteſtantibus ad hoores, dignitates, magiſtratus promiſcue admittendis controverſia. Nam etſi id cautum eſſet edicto anni CIↃ IↃ LXXVI capite XVII, et edicto anni ſubſequentis capite XIX, quod in edicto ordine XXVII eſt, tamen id religioſe ab Henrico III

rege

INTERPR. [a] *de Nantes.* [b] *le cardinal de Florence.* [c] *Chatelleraud en Poičtou.*

rege in occulto Proteſtantibus ſumme infeſto ſervatum fuerat, ut nulli ex ei doctrinae addictis ad dignitates et magiſtratus admitterentur. Neque tamen jure conqueri poterant illi fraudem edicto fieri, quippe cum in regis arbitrio ſit, cui velit praefecturas et magiſtratus attribuere: quod non perinde ſervaturum regem plerique verebantur. Itaque metus inceſſerat pontificem et in regno eccleſiaſticos, ne, porta Proteſtantibus per edictum ad honores aperta, illi et potentia et auctoritate creſcerent, et majorum religionem colenteis numero ad extremum vincerent.

XVII. Rex, qui pace foris parta ad conſtituendam tranquillitatem intus edicti promulgationem ut neceſſariam judicabat, et rumores, qui a factionum reliquiis ubique in ſuam invidiam artificioſe ſpargebantur, ſedandos ducebat, omnem operam dabat, ut pontifici, ſacro ordini, aliiſque Catholicis perſuaderet, id religionis bono aliquando verſurum, modo ejus liberam executionem prudentiae ſuae relinquerent, neque difficultatibus injectis antiquas ſuſpiciones renovarent. In eam rem, convocatis in [a] Luparam regiam ex ſingulis claſſibus curiae delectis, graviſſimam orationem habuit, ducto artificioſe initio a repetita mirabilis oſtenti memoria. Ante XXVI annos cum in aula Caroli IX eſſem, inquit, et ego ac Henricus Lotharingus Guiſae dux, ſumma ut ſanguinis ſic etiam tunc amicitiae neceſſitudine conjuncti, feriaremur, ad aleae luſum factam inter nos provocationem memini. Deterſa menſa cum in eo eſſemus ut talos mitteremus, magna procerum corona, inter quos Claudius Caſtracus, (is tunc et aderat a rege teſtis appellatus) conſpectae ſanguinis guttae; quae cum ſemel atque iterum certatim abſterſae eſſent, novae ſemper conſpectae, unde manarent incertum. Tandem cum nemini aſtantium fluere aut ex naribus aut aliunde ſanguinem viderent, triſte concepi mente augurium; et, ludo ſtatim omiſſo, ad familiareis clam Guiſio converſus, Provideo, inquam, fore ut inter nos olim multum ſanguinis effundatur. Eventus id incredibili meo cum dolore, nec minore regni jactura, comprobavit. Nunc tempus eſt, ut ex calamitate praeterita ſalutare praeſentibus malis conſilium capiamus. Sat ſanguinis effuſum, ſat laboris his calamitoſis bellis exhauſtum: ſatis fuit critque unde belli decus aliquando pariatur. Nunc pax petenda eſt, et, cum eam vobis Deus me rege et auctore conceſſerit, concordibus votis colenda eſt. Quid non dirum et deteſtandum, bello in patria ardente, vidimus? Horret animus ad praeteritorum memoriam. Neque id magis cauſa mea dico, quam communi veſtrum omnium; nam ſi cui majeſtas, ſi cui ſua virtus, ſi cui honores ſubdere ſpiritus potuerunt, ego et domo principali natus, et felix a puero imperator, et nunc legitimus regni ſucceſſor, et tot injuriarum majoribus meis ac mihi ipſi inflictarum ultor, bellum, quod in patria coactus tot annos feci, in hoſticum transferri optare debui. Sed fatigatis populis opus quiete eſſe duxi; maluique gloriae meae ex eo ſperatae aliquid detrahi, quam committere ut publicae ſalutis negligentem me poſteritas criminetur. Me videtis non cultu regio et pompa ad vos prodeuntem, et quo ornatu reges principum legatos ad colloquium admittunt; ſed familiari habitu, diſcalceatum, ac ſine gladio vobiſcum ſermones conferentem. Credite vos patrem cum filiis verba facientem audire. Ego belli paciſque arbiter, ſic Deus voluit, alterius cum periculo meo experientiam feci, ut alteram eo magis cum veſtro commodo amplecterer. Eam non cum Hiſpanis aliiſque antiquis regni hoſtibus, ſed cum concivibus veſtris, ſuadeo. An cum illis pacem feci, ut bellum domi habeam? Nec ſeditioſorum voces vos moveant, pacem humanam a divina ſeparantes: qui haec blaterant, factionibus excuſandis et diſcordiis colorem quaerunt. Nos quotidianis precibus a Deo in diebus noſtris pacem dari expoſcimus. Pace ſtat religio, pace vigent

leges;

INTERPR. [a] *le Louvre.*

CIƆ IƆ XC IX.
HENRICUS IV.

leges: qui bellum internecinum deſiderat, impius, injuſtus, exlex eſt. Sunt etiam, ſcio, qui pontificis auctoritatem et reverentiam obtendant: at illi ſciant tanta aequitate et prudentia pontificem eſſe, mihi tam bene cum illo convenire, tamque arctam conſiliorum conjunctionem inter nos intercedere, ut nihil ille niſi ſumma ratione a me fieri putet, nihil illum de me niſi in bonam partem accepturum exiſtimem. Religionis diſſidia armis accenduntur; ut extinguantur, concordia inter conciveis opus eſt. Atqui non bellum bello, ſed pace diſcordia ſedatur. Qui a nobis deſciverunt, cum ſupplicia et poenae metus intentatur, non a Numine caſtigationem, ſed ab odio ultionem, proficiſci putant. Si hoc nondum vobis conſtat, quid tot annorum calamitatibus profecimus? At enim jus patriae poteſtatis in vos tanquam filios mihi arrogo. Patris eſt conſulere filiis; patris eſt furore abreptos, imprudentia lapſos, ignorantia erranteis ad frugem revocare, monitis ſalutaribus inſtruere, in viam reducere. Quem bello feliciſſimum ſemper imperatorem experti eſtis, nunc in pace regem conſultiſſimum audite: id rogo obteſtorque vos. Vitam fortunaſque ac dignitates ſalvas mihi debetis, laribus paternis virtute mea reſtituti: eadem ſi vobis liberiſque ſalva cupitis, pacem a me datam colite. Precibus ac monitis imperium addo, quo non parenteis coërcere poſſe mihi a Deo tributum eſt. Concionatores et hujuſmodi ſeditionum tubas ad inſanienteis plebeculae auriculas in urbibus perſonanteis nihil moror. Qui ſemper in prima acie ſteti, inter ferrum flammaſque aſſidue verſatus ſum, in obſidionibus ad tormentorum ictus toties impavidum pectus objeci; in templis rabulas, in compitis turbones, aut doliaria ſepimenta per plateas erecta extimeam? Triſtis et cum Gallici nominis infamia conjuncti nolite quaeſo illius diei meminiſſe, quo in hac urbe majeſtas regia, impune verbis contumelioſis antea laceſſita, etiam vi aperta tandem oppugnata eſt; niſi pariter et memineritis, me in procliis ſemper invictum, ſi in ea tempora incidiſſem, haud facile furenti plebeculae alioqui imbelli ceſſurum, et ſepimenta illa aut non paſſurum intempeſtiva cunctatione in conſpectu meo exſtrui, aut exſtructa confeſtim ſuperaturum fuiſſe. Valeant ergo importunae factioſorum, concionatorum, ac muliercularum voces; quas cum ſciam generoſe juxta ac prudenter contempſiſſe illuſtriſſimum cardinalem pontificium legatum, neque magni facere me debere exiſtimo. Ille pacem regno conciliaturus venerat; in qua foris paranda cum egregiam operam navaſſet, et ad eandem firmiore vinculo conſtringendam pertinere arbitraretur ut domi quoque quies conſtitueretur, anileis querimonias a malignis aut imperitis ad eum delatas ſemper conſtantiſſime eluſit; regis eſſe inquiens, cui tantum Francia deberet, ut de iis cognoſceret, et periculis, quae religioni ex eo impendere vanis terroribus decepti ſibi fingebant, pro ſapientia ſua ac pietate praeverteret. Edictum, quod nunc proponitur, deceſſor meus fecit, et peculiari nomine ſuum appellare gaudebat. In eo partem quoque mihi meo jure vindico, et ut meum illud, quia mecum factum eſt, merito vocare poſſum. Neque id novum, ſed potius iiſdem auctoribus et conſultoribus, quibus ab initio factum fuerat, nunc recentatum eſt; et quod additum aut detractum in eo, non gratiae ſed temporum conditioni, quae in horas mutant, a prudentibus condonari debet. Reliquum eſt, ut quod jubeo, quod deceſſorum meorum veſtigiis inſiſtendo feci, quod maturo conſilio decrevi, id ut juſtum aequumque amplectamini; in eoque exemplum Caroli Lotharingi [a] Meduanae ducis vobis ante oculos proponatis. Is factionis Henoticae nuper princeps in gratiam meam cum receptus eſſet, a ſeditioſis ſolicitatus, ut ex edicti hujus occaſione novam rebus turbandis materiam quaereret, ſumma conſtantia recuſavit; tantum ſe mihi debere dictitans, ut niſi magno cum ſcelere ſe partibus denuo in regno fovendis impiare non poſſet: illum nimirum e vorticoſo factionum gurgite,

quo

INTERPR. [a] *de Mayenne.*

quo mergebatur, elementia et benignitate mea eripui, ut fidem, quam aliis temere ac coactus obligaverat, liberaliter mihi patriaeque addiceret. Quid vos, quorum fidem nunquam fluxam accenſo nuper bello expertus ſum, nunc in pace faecre decet? An detrectabitis nune ſalutare imperium, qui incertis rebus tanta fide obſequium coluiſtis? Si quis ſerupulus, ſi quis periculi metus haeret, id totum pietati et prudentiae meae permittite; ſicque vobis perſuadete, edictum boc, quod tantopere exagitarur, non tam pacis Proteſtantibus dandae cauſa ſactum eſſe, quam ne bellum inter nos habere cogeremur fieri debuiſſe. Hac oratione nimium quam commoti ſunt, non ſolum aſtantium, ſed eorum ad quos fama emanavit, animi; eoque magis, quod in arcano conventum conſtaret, ut quanquam caput de dignitatibus inter eonciveis nullo religionis diſerimine diſtribuendis generaliter ut erat conceptum maneret, nulli tamen in provinciis juridici praetores, criminalium cauſarum aſſeſſores, aut cognitores regii crearentur, qui non majorum ſacra colerent.

CIƆ IƆ XCIX.
HENRICUS IV.

XVIII. SECUNDUM haec edictum in [a] curiam allatum eſt: et cum nihilominus alieni ab eo eſſent permulti, Lazarus [b] Coqueleius ſenator, qui turbatis temporibus Henoticorum partes ſecutus fuerat, et errorem palam confeſſus ante quadtiennium, cum edictum anni CIƆ IƆ LXXVII reponeretur, generoſe recantaverat, ſumma libertate in eam rem diſſeruit. Pace paulo ante Henrici II exceſſum cum Philippo Catholico rege facta, patres conſcripti, cum Galliae quies parta erederetur, repente praeter omnium opinionem crudeliſſimum civile bellum enatum eſt, quod incendio paſſim excitato totum regnum paene in cineres redegit: exemploque inſigni, ac, paulum abfuit, cum exitio noſtro patuit, magna imperia haud diu quieſcere; ſi foris hoſtem non habeant, domi confeſtim turbari: nimirum civili bello nullum praeſentius ad regna evertenda, quae alias immortalia eſſent, venenum, nulla pernicioſior peſtis: perindeque nobis accidit atque adamanti, qui adhuc ut nomen ſic et naturam conſervaret, niſi in adamantem artificum ſolertia adamantem ipſum exacuiſſet; quo invento indomita illa vis ferri et ignis contemptrix ſuis viribus exciſa eſt. Ut invicti foris ſimus, pace domeſtica opus eſt. Id cum prudentiſſime et acris judicii innata vi et experientia videret rex, et ad concordiam firmandam aequabile jus inter ejuſdem ut civitatis ſic regni et imperii civeis ſtatuendum eſſe cerneret, edictum denuo ſanxit, ſopitiſque odiis otium nobilitati ac juventuti bellicoſae fecit, per quod ei licet felicioribus auſpiciis virtutem domi alioqui deſidem contra communeis Chriſtiani orbis hoſteis exercere. Hoc illud bellum juſtum et glorioſum eſt, quod non contra cognatae religionis homines geritur; ex quo Chriſtiani principes aliam gloriam quam ex vicinis Chriſtianis ſubactis reportare, alia ſpolia quam lachrimas et inopiam ſuorum ſperare, poſſint. Bellum vere Chriſtianum, quod pro vera fide aſſerenda ſuſcipitur, et in quo plerique mali, atque adeo irae et peccati tota vita filii, per mortem, quod melius martyrium ſanguine obſignatum dici debet, filii Dei efficiuntur, et in vitae aeternae hereditatem quaſi adoptione cooptantur. Hanc optimi et ſapientiſſimi principis prudentiam aequitate noſtra adjuvare debemus, patres conſcripti, neque committere ut, dum religioni conſultum cupimus, religionis cauſam praepoſtero pietatis aeſtu, qui multos his noviſſimis temporibus tranſverſos egit, et ipſi raptati in periculum vocemus. Charitatem potius induamus, et conciveis noſtros eadem ut civitate, ſic iiſdem honoribus, privilegiis, dignitatibus nobiſcum frui aequo animo patiamur. Hoc illis citra injuriam et ingrati crimen negari non poteſt: nam cum a potentiſſima factione Hiſpanorum viribus ſubnixa regnum oppugnaretur, Proteſtanteis in ejus defenſione egregiam ac fortem operam pernavaſſe nemo tam iniquus eſt qui non meminerit, nemo eſt qui bene de republica meritis praemia deberi inficias

INTERPR. [a] *le Parlement.* [b] *Coqueley.*

ioficias ierit, qui, ſi praemia oegcotur, non ſumma injuria affici fateatur. Poſt tot bella civilia, toties reſumpta in mutuam perniciem arma, factiones ex iis natas, ocque dum extinctas, quin ſeſſo regno quiete opus ſit, non ambigitur. Qui autem eam diuturnam ſperare poſſumus, rejectis iis qui in regno conſervando tam utilirer laborarunt? Abſit ut illi juſta ultione incitati arma pro ſalure communi ſumpta ad perditionem ſtringant, indignabundique dicant, Servare potuimus, perdere ao poſſimus rogatis? At pravas religiones ferre erga Deum contumelioſum, et propter contagionem inter homines pernicioſum. Quis ſcit, an Deus ipſe hanc ſciſſuram inter nos fieri permiſerit, ut qui bonae caoſae fiducia paulatim inſoleſcentes faſtu gliſcente extra legitimae diſciplinae limites ſe effuderunt, adverſariorum metu ad officium redeant, et intra tranſgreſſos limites olim coerceantur? Alioqui vetus malum eſt, alteque impreſſum, quod tanquam deſperatum ulcus potius ſoveri quam ſanari inpraeſentiarum debet. Fruſtra tentata huc uſque remedia juſto bello, ſi modo ullum bellum civile juſtum eſſe poteſt, etiam in pace caedium cumulata licentia. Jacuit immenſa ſtrages; omnis ſexus, omnis aetas, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggregati. Neque propinquis aut amicis aſſiſtere, illachrimare, neque hiſcere quidem licebat: ſed circumjecti cuſtodes et in moerorem cujuſque intenti, quem novandae religionis arguere oon poterant, ob lachrimas incuſabant. Interciderat ſortis humanae commercium vi, metu; quantumque ſaevitia gliſceret, tantum miſeratio arcebatur. Quid vero tandem armis, inſidiis, caedibus profectum, niſi ut odia inter nos ſopita ad mutuam perniciem reoovarentur, et illuſtre antea Fraoco-gallorum inter cunctas nationes nomen ob tantam perfidiam perpetua infamia traduceretur? O nos caecos ac credulos, ſi tam recenti periculo defuncti rurſus ad eundem ſcopulum externis fraudibus decepti naufragium faciamus. Una ſalus eſt hinc erumpere atque abire. Infeliciter toties ſumpta arma ſemel deponamus, et in hujuſmodi malis, quae humanam prudentiam ſuperant, Joſaphati exemplo ad Deum converſi eadem qua ille oratione utamur: Cum ignoramus quid agendum ſit, hoc ſolum nobis reſtat, ut oculos ad te dirigamus. Ille malis, quae inter nos ſerpunt, viam et exitum inveniet. Nos interim pacem colamus, et regis prudentiae cetera permittamus; quam ille ejus ſervandae rationem praeſcribit, ſequamur: nam eo loco res noſtrae ſunt, ut magis oobis noſtrae neceſſitatis judex quam conſilii auctor ſit. Huic imprudens adeo quiſquam eſt, qui ſe opponere audeat; aut qui recta ſuadenti ac jubeoti non obtemperet? Cui vitam, cui libertatem, cui bona debemus, ejus aequitatem, moderationem, et exactam in rebus cenſendis peritiam in dubium vocabimus? Reges legitima ſucceſſione datos tanquam coelo demiſſos Franco-galli ſemper coluerunt. Hunc divina providentia in haec tempora ſervatum, ut regnum familiare contra tot conjuratos intus foriſque hoſteis ſervaret, non proxima ſecundum Deum veneratione, abſit verbo invidia, colemus? Quem coojunctae utriuſque Heſperiae vires minime fregerunt, hujus decreta et maturi judicii in condendo hoc edicto elogium contrario judicio evertemus? Hujus laureas cum inter otia noſtra meminimus, ſic apud nos ſtatuere debemus, eas noo hominum manu partas, ſed aeterno Dei rebus a ſe conditis aſſidue invigilantis decreto diſpenſatas fuiſſe; ac proinde eos, qui ſpecioſo religionis nomine ſe munientes juſtam cauſam toentem hactenus oppugnaverunt, quamdiu contra eum ſteterunt, tamdiu Dei, qui ſapientes in ſapientia eorum comprehendere amat, voluntati reluctatos eſſe, et gigantum more in coelum temerario auſu manos intendiſſe. Id inſigoi et ad omnem aeternitatem memorabili exemplo eventus comprobavit: nam ſi divina regum conditioni, quae proxime ad Deum accedit, cum veniae praefatione applicare fas eſt, lapis ille, quem aedificantes reprobaverunt, tandem factus eſt in caput anguli: et terrae filii illi Pelio Oſſam oequicquam imponentes,

hoc

CIↃ IↃ XC IX.
Henricus IV.

hoc eſt, arcana Dei humanae prudentiae legibus metientes, quem regno deturbare conati fuerant, eundem in ſolio a Deo collocatum volentes nolentes venerati ſunt. Hujus ut armis Numen propitium antea ſemper aſpiraſſe, ſic nunc conſiliis praeeſſe, nobis perſuadere debemus, eaque prono obſequio ſine murmure venerari, ne quod bello ardente in apertis hoſtibus temporum conditio excuſavit, nobis, qui principis a Deo in legitimi imperii poſſeſſione conſervati beneficio pace ſruimur, crimini vertat; neque tantum regis, ſed Dei conſilia ejus dirigentis voluntati et ipſi reluctari videamur. Igitur pacem a Deo per regem nobis datam colamus; et quod unicum ac neceſſarium ejus ſervandae remedium per hoc edictum propoſitum eſt, depoſita omni animorum contentione, amplectamur; ejuſdemque regni ac prope civitatis civis iiſdem privilegiis, libertatibus, immunitatibus aequo animo nobiſcum frui patiamur: ſic fiet, ut pax tantopere expetita indiſſolubili concordiae nodo conſtricta ſanciatur. Et optimo principi tanti beneficii ſecundum Deum auctori in hac vita bene precemur; quodque ſub Auguſto quietis per univerſum orbem inſtauratore olim contigiſſe memoratur, ut multi, cum efferrentur, publico elogio non invitos e vivis abire teſtarentur, idem nunc morti proximi faciamus, et abunde nos divinis beneficiis in hac vita cumulatos, neque ingratiis ex ea excedere profiteamur, quod Henricum Auguſtum maximum hujus regni et aevi rectorem patriae ſaepius a ſe ſervatae ſuperſtitem reliquerimus. Cum peroraſſet Coqueleius, ad ſingula edicti capita dictae ſunt ſingulorum ſententiae. Cumque de Sectariis ad dignitates admittendis difficultas invidioſe a multis nihilominus reponeretur, et exemplo in antiquitate carere diceretur, quod in edicto in Proteſtantium gratiam ea de re conſtitutum erat, ab aliis quietiora conſilia amplectentibus contra diſputatum fuit: In hujuſmodi cauſis multa tranquillitati publicae ſemper a prudentioribus fuiſſe condonata: nam cum Manichaei, qui ad imam uſque ſcelerum nequitiam pervenerant, Theodoſii et Valentiniani Caeſarum conſtitutione civitatibus pellendi et ultimo ſupplicio tradendi eſſent; alii autem haeretici prohiberentur magiſtratum gerere, et habere dignitates, aut fieri cauſarum patroni vel defenſores, aut patres civitatum; et Juſtinianus etiam ſanxiſſet, neminem errore conſtrictum haereticorum hereditatem vel legatum ſive fidei commiſſum accipere, idque ad ultimas militum, ſive communi jure ſive militari teſtarentur, voluntates porrexiſſet, ſeveritati tot legum exemptos fuiſſe Gothos, quanquam Ariana peſte eſſent infecti, quippe foederatos, ſicuti et eos vocat Olympiodorus, qui, prout imperatoriae majeſtati viſum fuerit, quoſlibet honores et dignitates ab ea conſequuntur: id ex conſtitutione Graeca ad Titulum Codicis de Haereticis et Manichaeis et Samaritanis ab Antonio Auguſtino viro optimo et doctiſſimo juriſconſulto addita conſtare, et amplius hiſtoriae certitudine confirmari: nam cum Juſtinus Caeſar ad abolendam Arianorum luem, quae paſſim tunc temporis in Orientis partibus vigebat, ſexto imperii ſui anno conſtituiſſet, ut haereticorum eccleſiae Catholica religione conſecrarentur, Theodoricus, qui tunc Italiae regnum tenebat, ea peſte pollutus, Joannem pontificem, ſimulque cum eo Theodorum, Hypatium atque Agapitum conſulares viros, et Agapitum patricium Conſtantinopolitanum ad ipſum miſit, mandavitque ſuo nomine apud Auguſtum inſtaret, ut Arianis eccleſias ſuas redderet, eoſque in pace degere ſineret; alioqui fore, ut univerſos Italiae populos gladio ad internecionem deleret. Admiſſi legati cum, ut dignum erat, a Juſtino honorifice accepti eſſent, ſerie legationis ſuae, quamvis injuſtae, ut ipſi aiebant, uberibus cum lachrimis expoſita, ab eo impetrarunt, ut Italiae periturae conſuleret. Itaque Juſtino ipſorum poſtulatis annuente Ariani ſui juris relicti ſunt: quod a Paulo Aquileienſi Miſcellae hiſtoriae auctore libro xv perſcriptum eſt, nec non et Cedreno. In eamque ſententiam tandem itum, ut caput ita conceptum arbitrio regis, qui de eo pro prudentia

ſua ſtatueret, ſine modo aut conditione integrum relinqueretur. Ad edictum alia ſecreta capita numero LVI, dum rex [a] Condivicini Namnetum eſſet, in Proteſtantium gratiam ex conſiſtorii ſententia VI Nonas Maias adjuncta, quibus inter alia iis permiſſum eſt, ut [b] Pimpolii in Britannia noſtra, et in [c] Neuſtria [d] Dieppae ſuburbio, quod [e] Paulletum vulgo appellant, circa Toloſam non propius quam [f] Carmanii, Villemurii et Inſulae-Jordani, publice conveniendi facultatem habeant. Sententiae item contra Franciſcum [g] Lanovium ſuperioribus temporibus, cum bellum in Gallia et Belgio gereret, et carcere diuturno tam ipſe quam Odetus filius attineretur, iiſdem capitibus revocatae: idque virtuti tanti viri datum, per bella, ex quibus alii ad ampliſſimas opes pervenerunt, ad extremam inopiam redacti. Neque vero principis gratia tanto patre dignus filius abuſus eſt, qui avita bona, ut creditoribus ſatisfaceret, patientiſſime poſtea vennndari paſſus eſt, et patris fidem liberare, quam temporis beneficio, qnod plerique impune fecerunt, uti maluit. Tandem edictum et ſecreta illa capita promnlgata ſunt in ſenatu V Kalendas Martias. Singulari inſuper diplomate anno ſuperiore Kalendis Maiis cautum fuerat, ut [h] obſidionales urbes, quae Proteſtantibus ſecuritatis cauſa attributae fuerant, quaſque illi praeſidio tenebant, ante octennium a promulgationis die reſtituere non tenerentur, et de ſtipendio praeſidiariis idoneo abunde proſpiciebatur. Publicato edicto proxima cura fuit, ut de executione ejus ageretur. Itaque rex ſolemne concilium ea de re aliiſque graviſſimis negotiis ad [i] Confluentiam altero ab urbe lapide vicum, ubi [k] Matrona Sequanae miſcetur, in aedibus [l] Villaregii XVI Kal. Apr. habuit.

XIX. Eo regis mandatu accerſitus fuerat Jacobus Auguſtus Thuanus, qui cum Gaſpare Schombergio [m] Nantolii comite edicti negotio per totum biennium et Emerico Vico et Sofredo Calignone operam navaverat. Bini delegati in ſingulas regni provincias a rege nominati, ~~ex equeſtri ordine et ſenatorio~~ ſinguli, qui edictum executioni mandarent, ac praecipue iis in locis, (nam hoc ad famam pertinebat) ubi per haec bella antiquae religionis cultus omnino intermiſſus fuerat; ut [n] Rupellae in Santonibus, in [o] Cadurcis Montalbani, [p] Nemauſi in Septimania. Dum a Confluentia inclinata jam die reditur, res nec-opinato intervenit ſummopere triſtis: ad [q] Santantonianam urbis portam Schombergius, qnieum Thuanus mane Confluentiam venerat, in curru ſno, antequam in proximum diverſorium deduci poſſet, animam Deo reddidit, intercepto ſpiritu ſtatim enectus. Is jam a longo tempore difficultate reſpirandi laborabat, ad quam per intervalla accedebat acutiſſimus circa praecordia dolor; quo cum corripiebatur, ſudore per totum corpus diffluebat, adeoque debilitabatur, ut prope anima linqui videretur. Verum, ut erat moderata et patienti natura, cum nihilominus quotidiana aulae officia minime intermitteret, longa aſſuetudine et morbum ſibi familiarem et ſuis minus ſuſpectum fecerat. Secto corpore, quod praevalidum ac vaſtum vivus habuerat, admiratione dignum chirurgis ac medicis fuit, quod membrana et carnea omnis pars quae ſiniſtram cordis regionem tegit, et ad flabellationis aſſiduae uſum dilatatur ac comprimitur, ex immodico calore et liberaliore victu tota oſſea reperta eſt, ita nt reſpirandi facultatem impediret; idque tandem repentinae ſuffocationi cauſam dediſſe creditum eſt: nam alioqui ſaluberrimo temperamento nullaqne pars in eo non maxime ſana erat, niſi quatenus crebra ſpirituum ſtrangulatione vexabatur. Fuit vir admirabili ingenio ac prudentia praeditus, rei militaris ſcientia comprimis clarus, in tractandis negotiis longo uſu ſolers, maſculaque ad perſnadendum facundia efficax; ad haec probus, comis, affabilis, humanus, ſupra

INTERPR. [a] *Nantes.* [b] *Pimpol en Bretagne.* [c] *Normandie.* [d] *Dieppe.* [e] *Fauxbourg du Paulet.* [f] *Carmain, Villemur, & l'Iſle en Jourdain.* [g] *de la Noüe.* [h] *Villes d'Oſtages.* [i] *Conflant.* [k] *la Marne, & la Seine.* [l] *de Villeroy.* [m] *de Nanteuil.* [n] *la Rochelle en Saintonge.* [o] *Montauban en Quercy.* [p] *Niſmes en Languedoc.* [q] *la porte S. Antoine.*

ſupra vireis libetalis, ut porius magnificus dici debuerit: et cum aulicus ſummus haberetut, quod pauci aulici hodie ſaciunt, erga omneis innata bonitate officioſus. His virtutibus et praecipua in regium Francicumque nomen charitate meruerat, ut regi gratus, aulae proceribus in ſummo pretio haberetur; inferioribuſque ac tenuibus, atque adeo ignotis, praeſertim literatis hominibus, ejus domus et menſa in aula patebat, quos praecipuo amore complectebatur, commendatione ſua apud regem adjuvans, et omni officiorum genere inter magna negotia, quibus occupabatur, eorum neceſſitatibus ſubveniens. Per XXXVI annos aſſiduam operam regibus tribus navavit. Magnis Germanorum exercitibus cum ſupremi caſtrorum tribuni dignitate praefuit, ſummis de republica negotiis ſemper praepoſitus, totaque vita magnos honores et pace et bello habuit; in quibus ſic ſe plus aliis quam ſibi vir natus geſſit, ut potius decori ac verae gloriae, amicorumque commodis, quam propriae utilitati ſtuduiſſe videatur: nam grandi aere merſus obiit; quod tam ipſe, hoc eſt, ſuo nomine, pro republica, quam pro amicis fidejubendo contraxerat; cui diſſolvendo vix multorum annorum parſimonia Joannae [a] Caſtaneae Rupipozaeae conjugis lectiſſimae ſatis eſſe potuit: nam ſaeculi ſive calamitas ſive ingratitudo non tulit, ut quod reipublicae expenſum erat, ex aerario ſarciretur. Ex ea pulcherrimam ſobolem ſuſcepit; Henricum, qui nunc familiae atque patris optimi nomen tuetur, paternis virtutibus, quantum per aetatem licet, minime inferior; Hannibalem, qui in Bohemia periit; Catharinam, quae Ludovico [b] Barbanſono Canio nupſit, et nullis ſuſceptis liberis ante patrem deceſſit; et Franciſcam, quae Franciſco [c] Dallonio Ludenſi comiti elocata eſt. Arctiſſima mihi cum tanto viro duodecim, antequam moreretur, annis neceſſitudo interceſſit; ab eoque tempore ille me ſummo amore complexus, in legationibus, expeditionibus, negotiis adminiſtrandis, conſiliis capiendis ſemper comitem habuit; nec, quamdiu in aula fuit, a latere ejus fere diſceſſi. Menſe Maio inſequenti Joannes Schombergius [d] Trevirorum archiepiſcopus ſeptemvir Gaſparis gentilis diem ultimum clauſit, in cujus locum Lotharius ex praenobili [e] Meterniciorum familia ortus concordibus ſodalium ſacri collegii ſuffragiis electus fuit.

XX. Haud multo poſt ante Gabrielis [f] Eſtraea, quae ſibi benevolentiam regis adeo devinxerat, ex ipſo praegnans et partui proxima, repentinis convulſionibus Lutetiae periit IV Eid. Apr. ipſo paſſionis Dominicae die, tam ſubito, ut regem ad eam ultimum viſendam [g] Fonte bellaqueo properantem nuncius mortis ad [h] Judaeorum villam oppreſſerit. Triſtitia ingens ex eo in ſpeciem, cunctique proceres in aula lugubria ſumpſerunt, non ſine tacito tamen gaudio; quippe qui per illius mortem regi de nuptiis et prole in ſpem tantae ſucceſſionis et firmandi regni ſuſcipienda ſerio cogitandi a Deo oblatam occaſionem laetabantur; quod ſuperſtite Eſtraea aut nunquam rex feciſſet, aut minus digne, quam praeſens rerum ſtatus poſtulabat, feciſſet. Nonis Octobribus dein apud nos in [i] Sammauriana arce ſeu Foſſatenſi caſtro, tertio ab urbe lapide, fatis conceſſit Joannes [k] Vivonius Piſanii marchio, domi foriſque eques clariſſimus; ut priſca generis nobilitate toto regno perilluſtri, ſic pietate, morum integritate atque elegantia, totiuſque vitae ſplendore, inſuper fortitudinis, militaris gloriae, rerumque ac regionum exterarum, quas et per peregrinationes in prima adoleſcentia, et poſtea perhonorificis legationibus ſub IV regibus ſumma fidei et ſolertiae laude obitis, luſtraverat, peritia cum paucis comparandus: demumque pueritiae Condaei principis a rege appoſitus eſt; quo in munere aſſiduus, tandem in ea qua vixerat pietate ac conſtantia defecit aetatis anno LXIX, ſuperſtite Julia [l] Sabella patricia Romana virilis animi et virtutis foemina, ex qua Catharinam filiam ſuſcepit.

Condito

INTERPR. [a] *de Chaſteigner de la Rochepozay.* [b] *de Barbanſon de Cani.* [c] *de Daillon comte du Lude.* [d] *Treves.* [e] *Meternitz.* [f] *d'Eſtrées ducheſſe de Beaufort.* [g] *Fontainebleau.* [h] *Villejuifve.* [i] *Chateau de S. Maur des Foſſez.* [k] *de Vivone marquis de Piſany.* [l] *Savelli.*

Condito aliquot annis ante mortem teſtamento, quia me cum illuſtriſſimo cardinali Gondio ultimi elogii executorem nominaverat, arcta ab eo tempore cum illius vidua familiaritate vixi; a qua et multa de rebus Italiae, quarum erat etiam ſupra ſexum peritiſſima, accepi, et commentarios mariti inſpicere mihi licuit: inde rerum multarum, quae incertis rumoribus jactabantur, certam notitiam habui; ut de Davidis illius advocati Pariſienſis clancularia legatione, quae ab ipſo primum detecta fuit, ſicuti mihi vivens ſaepius dixerat, et poſt mortem ex ejus commentariis amplius cognovi.

XXI. Hoc anno Februarius morte virorum literis illuſtrium funeſtus fuit: nam XIII Kal. Mart. Paulus Paruta patricius Venetus, cum in Hiſpaniam, ut apud Philippum novum regem in parentis morte et ipſius ad regnum inauguratione ſolemni officio defungeretur, legatus a ſenatu ordinatus eſſet, ad meliorem vitam tranſiit, anno aetatis LVIII; vir rara in explicandis negotiis ſolertia et eloquentia; quas virtutes variis legationibus in Italia ac praecipue apud Clementem VIII, cum Ferrariam venit, et Margaritam Auſtriam, cum ad virum deduceretur, exercuit, et ſcriptis, quae magno in pretio inter prudentiae civilis ſectatores merito habentur, conſignavit. Teſtantur hoc de perfectione politica libri, et commentarii politici vernaculo ſermone exarati, quos ſoliloquio pietatem et veram animi magnitudinem ſpirante clauſit; et de bello Cyprio hiſtoria, qua meruit, ut ipſi patriae hiſtoriae ſcribendae cura a republica demandaretur. Triduo ante in eadem urbe anno aetatis LIX Joſephus [a] Zarlinus Clodienſis, muſicae artis ſcientia, quam doctiſſimis illuſtravit commentariis, clariſſimus, fatis conceſſit, ad D. Laurentii ſepultus. Eodem die et aetatis anno [b] Alfonſus Ciaconus profeſſione Dominicanus, [c] Jaëna in Baetica Hiſpaniae, quam Oningin apud Livium et Plinium fuiſſe putat Ambroſius Morales, natus, rei antiquariae peritiſſimus, et, ſecundum Petrum Ciaconum [d] Toletanum cognominem potius quam gentilem ſuum, ~~ſuae Hiſpaniae magnum lumen,~~ poſt edita pleraque ingenii ſui monumenta Romae, ubi jampridem domicilium fixerat, ad meliorem vitam migravit, et ad [e] D. Sabinae honorifice tumulatus eſt. Octavo poſt die dignitate major nec doctrina inferior Garſias Loaiſa, in ſacrae hiſtoriae veritate indaganda admodum diligens, et conciliorum Hiſpaniae collectione edita magnam inter ſuos laudem conſecutus, et ut pueritiae Philippi III erudiendae apponeretur ob id promeritus, cum ante annum archiepiſcopus Toletanus poſt renunciatam ab Alberto archiduce dignitatem creatus eſſet, [f] Compluti ex moerore animi, ut creditum fuit, quod poſt cumulatos a Philippo II honores indignam a ſuis ſub novo principe gratiam rependi videret, vir omnis injuriae impatiens defecit, LXV aetatis anno. Ultimus dicetur Joannes [g] Levineius Gandenſis, Clara [h] Levini Torrentii digniſſimi Antuerpiae epiſcopi ſorore natus; qui veſtigiis avunculi inſiſtens rem literariam non mediocriter diligentia ſua adjuvit; et cum in Plantiniana Bibliorum editione Graeca cum Guil. [i] Cantero ſedulam operam navaſſet, poſtea ſuam induſtriam Gul. Sirleto et Antonio Carafae cardinalibus in eodem opere Romae adprobavit. Multa praeterea patrum Graecorum Latina fecit; etdum Gregorium Nyſſenum Graece integrum publico dare meditatur, haud quinquagenario major ad Deum migravit Eidibus Januariis, juxta Torrentii avunculi corpus in majore urbis baſilica conditus.

INTERPR. [a] *Zarlino da Chioggia.* [b] *Alonſo Chacon.* [c] *Jaën en Andalouſie.* [d] *de Tolede.* [e] *Ste Sabine.* [f] *Alcala de Henarez.* [g] *Liewin de Gand.* [h] *Liewin Torrentin ou Vander Beken, evêque d'Anvers.* [i] *Canter.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

MARTHAE Broſſeriae a maligno ſpiritu, ut prae ſe ferebat, poſſeſſae ſcena et fabula. II. *Fr. Troviluvius ex montanis Cenomanorum adductus, cum cornu, quod illi poſt ſeptimum annum in ſincipite erupit.* III. *Rarum inediae in virgine Confluentana in Pictonibus exemplum. Ejuſdem in aliis hoc aevo exempla.* IV. *Morbus novus creditus, qui in regni Polonici et Hungarici finibus hoc anno graſſari coepit. Ejus ſymptomata et horrenda natura. Corporum prodigiis ad animorum monſtra tranſitum.* V. *Conjuratio Caroli Ridicovii e Dominicano ſodalitio ex confeſſionibus ejus detecta.* VI. *Caroli Crequii cum Philippino Sabaudi naturali fratre de decore controverſia poſt crebras hinc inde miſſitationes et provocationes ad duellum tandem conducta, in quo Philippinus vulneribus cadit, ex quibus paulo poſt obiit.* VII. *Edicto vetitum ne qui in Belgium militaturi contra Albertum tranſirent.* VIII. *Philippus Huraltus cancellarius Cevernii* III *Kal. Sextil. decedit. In ejus locum ſuffectus Pomponius Bellevreus.* IX. *De matrimonio regis cum Margarita diſſolvendo agitur. Delegati a pontifice judices matrimonium ab initio nullum pronunciarunt. Claudius Tremollius Franciae par creatur.* X. *Serici panni ex Italia et ceteris nationibus in Galliam importatio vetita.* XI. *Sabaudi in Galliam adventus, et honorificus Lugduni ingreſſus. Eccleſiae Lugdunenſis apud nos praerogativa et ritus puriores. Sabaudo a ſacri collegii comitibus negata canonici honorarii dignitas. Sabaudus Bironi ex regis verbis irritati per Jacobum Laſinium fidem ſolicitat. Profuſa Sabaudi liberalitas Kalendis Januariis. De Saluciani principatus reſtitutione agitata controverſia in aedibus Henrici Momorantii equitum magiſtri.* XII. *Poſtremo perſcriptae a rege conditiones* IV *Kalendas Martias. Sabaudus per Sebuſianos in Taurinos tranſit. Henricus Lotharingus Meduanis filius Aquillionis in Aginnenſi agro dux et par Franciae creatur, diplomate ea de re in ſenatu* VI *Non. Mart. promulgato.* XIII. *Collatio inter Jacobum Perronum epiſcopum Ebroicenſem et Philippum Mornaeum Pleſſium ad Fontembl audi coram rege. Actum et jam tum de concilii Tridentini promulgatione.* XIV. *Reginaldo Belnenſi archiepiſcopo Bituricenſi et magno Franciae eleemoſynario diſciplinae in academia Pariſienſi inſtaurandae commiſſum cum aliis delegatis a rege negotium. Nova ſtatuta ac leges ex eorum ſententia conditae, et in ſenatu* VII *Kal. Sept. adprobatae.* XV. *Virorum literis illuſtrium mortes, Fulvii Urſini Romani, Antonii Ricoboni Rhodigini, Conradi Daſypodii, Caroli Utenhovii, Petri Fabri Sanjorii curiae Toloſanae primarii praeſidis.*

Ex auctoribus,

Medicorum Pariſienſium relationibus publicatis, Mich. Mareſcoti libello, Oſſati cardinalis literis, Actis curiae Pariſienſis, Simone Portio, Gerardo Bucoldiano, Jo. Langio, Fabritio Paterniaco, Laurentio Juberto, Fr. Citeſio, Iſraele Harveto, Martino Delrio, Gallicis annalibus, Paulo Lentulo, Laurentio Staringelio, Hercule Saxonia, Lucio Laelio, Andrea Poſthumo a Craſemberg, Actis probatoriis et confeſſionibus Ridicovii, Actis controverſiae inter Philippinum et Crequium utrinque publicatis, Edictis regiis, Martino Cromero, Colloquii ad Fontem-blaudi celebrati actis, Statutis academiae Pariſienſis.

LIBER CENTESIMUS VICESIMUS TERTIUS.

CIↃIↃXCIX.
Henricus IV.

PUBLICATO Namnetenſi edicto res incidit, quae non mediocrem regi moleſtiam, rebus compoſitis ſummam perturbationem, attulit: nam recenti edicti promulgatioe plerique factioſi in occulto maxime offendebantur, occaſionemque quaerebant res miſcendi; quam ex levi cauſa tunc oblatam avidiſſime arripueruot. Jacobus [a] Broſſerius Romorantino in Sequalonia oppido natus, pannificii ac laboris ruſtici, quo fere illis locis victitant, pertaeſus, circulatorum conditionem per praeſtigias plebeculae vulgo illudentium potiorem duxit; et, Martha, quam ſpiritu maligno vexari fingebat, Silvina et Maria filiabus ſecum aſſumptis, relicto lare urbes ac oppida Ligeri vicino circumpoſita circumire coepit, magno hominum ad rei novae ſpectaculum concurſu. Sed poſtremo, ubi fraus patuit, [b] Aureliani et Cleriaci ſacri collegii ſodales conciliari decreto XVI Kal. Apr. et XIV et XIII Kal. Oct. anoo ſuperiore prohibuerunt, ne quis ſacerdos ex illa dioeceſi ad excantandum commentitium illum ſpiritum ritus ab eccleſia praeſcriptos uſurparet; qui aliter faceret, ſacris interdiceretur. Inde cum Andegavum veniſſet eadem ſimulatione Martha, Carolus [c] Miro urbis epiſcopus eam, antequam ad ſacras ceremonias accederet, obſervare voluit; menſaeque adhibitam, cum aqua conſecrata pro vulgari propinata nihil commoveri, vulgari, quam conſecratam eſſe dicebat, porrecta convulſionibus ac membrorum diſtorſionibus ſtatim exagitari cerneret, in fraudis ſuſpicionem venit: quam ut magis convinceret, alta voce ceremonialem exorciſmorum librum afferri juſſit. Tum recitato primo Aeneidos verſu, illa ad id inſtructa, quae exorciſmi principium per ea verba fieri crederet, affectato membrorum motu a ſpiritu torqueri ſe finxit, ob idque ab epiſcopo mox dimiſſa eſt; monito in arcano patre, ut filiam domum reduceret, neque plebi impoſturis hujuſmodi amplius fucum faceret. Verum is Lutetiam verſus iter intendit, urbem factionibus ſciſſam, et in qua permultos, ſeu credulitate, ſive ut ex eo motus occaſionem quaererent, conſiliis ſuis fraudulentis propitios fore ſperabat; et ad beatae Genovefae coenobium, populi ob praecipuum cultum concurſu frequens, divertit. Ibi ſacri remedii ope implorata, antequam de obſeſſae vita, conditione, fama, valetudine anquiſitum eſſet, quod ad vitandas fallacias fieri ab eccleſia praecipitur, patres Capucini occupant, et, coram ignara plebe ad exorciſmos Martha contortis membris ſubſiliente, facile aſtantibus perſuadent, vere eam a ſpiritu torqueri. Jamque

is

INTERPR. [a] *Broſſier de Romorantin en Sologne.* [b] *Orleans, & Clery.* [c] *Miron evêque d'Angers.*

is rumor tota urbe percrebuerat, cum Henricus Gondius urbis epiſcopus partes ſuas interpoſuit; et, ut negotium ordine procederet, Michaëlem [a] Mareſcotum, Nicolaum [b] Ellanium, Joannem [c] Altinum, Jo. [d] Riolanum, Joannem [e] Duretum celeberrimos academiae Pariſienſis medicos acceſſi juſſit: et poſt editas a Martha ſolitas geſticulationes, cum Latine et Graece interrogata neutram ſe linguam intelligere oſtenderet, unanimi ab iis conſenſu, epiſcopo rogante, reſponſum eſt, nihil a ſpiritu, multa ficta, pauca a morbo eſſe: tantum reperta lingua rubra et inflammata, et in ſiniſtro hypochondrio obſcurum aliquod murmur exauditum. Poſtridie Ellanius et Duretus eodem conveniunt; et Duretus, infixa inter pollicem et indicem acu, an ſenſu doloris tangeretur tentare voluit. Cum ad ictum non tremiſceret, poſt peractas ceremonias rogati ab epiſcopo ſententiam medici, collegas accerſiri et in craſtinum rem differri petierunt. Igitur Kalendis Aprilibus magna omnium exſpectatione a [f] Serafino patre exorciſmi repetuntur; ad quos Martha oculos rotans, lingua exerta, et contortis membris ac toto corpore exhorreſcebat: tum ad haec verba, *Et homo factus eſt*, ſupina deſultatione veluti exoſſato corpore fluctuans, ab altari ad valvas ſacelli, in quo erant, crepſit. Qua re perculſis aſtantibus P. Serafinus commotior exclamavit, Si quis ſit adhuc incredulus, hic ſpiritum intus agentem ſiſtat, et vitae periculo cum eo luctetur. Heic Mareſcotus, nihil niſi fictum videns et impoſturam non ferens, Ego vero, inquit, periculum in me recipiam; ſpiritus, ſi poteſt, me validior ferat. Quibus dictis ſtatim contra obluctanti manus in cervicem injicit, eamque conſiſtere jubet. Illa, ubi ſe captam vidit, cum ſe amplius commovere non poſſet, ut impoſturam tegeret, ſpiritum abiiſſe ſeque reliquiſſe reſpondit: et exorciſta, ut mendacium auctoritate ſua adjuvaret, Martham nunc eſſe et ſpiritum diſceſſiſſe confirmavit. Ad haec cum Mareſcotus diceret, Spiritus ergo a me fugatus eſt; epiſcopus, veritatis indagandae cupidus, rurſus exorciſmos repeti imperat. Illa primo nihil moveri, et, cum Mareſcotum cervici ſuae imminentem videret, ut ipſe, Riolanus, Altinus, medicinam ſuam curarent, inclamare; ceterum ab omni geſticulatione abſtinere: mox, ubi eos ſeceſſiſſe credidit, in tergum prolapſa ad notas artes confugere. Tum medici rurſus comparent, et in vacuo luctantem nullo negotio comprenſam tenent. Cumque Serafinus ut ſe erigeret juberet, Mareſcotus per jocum ſpiritum in pedes ſe poſſe erigere negavit; ſe nimirum Jeſu Chriſti, qui malignorum ſpirituum terror eſt, fiducia fretos nihil eorum aſtus minaſve expaveſcere; neque vero heic ſpiritum latere, ac nihil praeter naturam eſſe. Mareſcotum dicentem excepit Riolanus, et ad Martham converſus, Miſera, inquit, quouſque perges nobis illudere? Nunquamne plebeculam ludificare deſines? Agnoſce culpam; patent tuae fraudes, et, niſi mature veniam depoſcas, brevi tradetis in manus judicis, qui quaeſtione veritatem extorquebit. Haec omnia Graece Latineque dicta cum Martha interrogata ſe non intelligere faſſa eſſet, habita medicorum, qui aderant, deliberatione, et ſex ex iis in priore ſententia perſeverantibus, Duretus ſpiritu maligno correptam virginem affirmavit, iis praecipue indiciis, quod linguam praeter naturam exeruiſſet, et acum alte infixam nullo doloris ſenſu pertuliſſet. Altinus vero multa in ea impoſturae ſigna non inficiatus eſt; ceterum trimeſtre, intra quod diligentius obſervaretur, exſpectandum: nam Joannem Fernelium ſic cenſere, qui non niſi poſt trimeſtre de quodam magnae dignitatis viro, qui ſpiritu vexabatur, cognoſcere potuiſſe, in libris de abditis rerum cauſis ſcripſit. Ita eo die diſceſſum eſt: cumque de negotio omnino actum crederetur, [α] poſtridie alii medici arceſſuntur, Mareſcoto, aliiſque, qui ab initio vocati fuerant, non admiſſis; et coram Serafino ac patre

Benedicto

VAR. LECT. [α] poſtridie cum Dureto alii *MSS. Reg & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Mareſcot.* [b] *Ellain.* [c] *Haultin.* [d] *Riolan.* [e] *Duret.* [f] *le Pere Serafin.*

[a]Benedicto ex eodem Capucinotum ordine, natione Anglo, Martha praeter corporis motus conſuetos etiam ad verba Graeca, quae ignorare ſe antea dixerat, atque adeo ad Anglicana diſerte reſpondiſſe dicitur: demumque atteſtatio ab iis conficirur coram epiſcopo et Joſepho [b]Fullone S. Genovefae coenobiarcha III Nonas Aprileis, quo Martha vere a ſpiritu vexari pronunciatur. Cauſae ſcripto additae, quod eum motus illi ſine pulſus, reſpirationis, et coloris mutatione violenti et horrendi, oris rictus, ſpuma tenuis, linguae exertio, morbo minime attribui poſſint, quod in confeſſo univerſis erat, et acus in collum et manus infixae ſine doloris manifeſti ſenſu et nullo cruore emiſſo omnem fictionis ſuſpicionem tollerent, reliquum eſſe, ut haec omnia praeter et ſupra naturam ſymptomata, ac inprimis linguarum, quas ipſa non didicerat, intelligentia, a maligno ſpiritu virginem inhabitante proveniant. Eodem ſcripto continebatur, praeter ea quae coram medicis ſigna edita fuerant, Fullonem affirmare, Martham, cum a ſex robuſtis hominibus teneretur, in ſublime quatuor pedes ſupra ipſorum capita ſublatam magna aſtantium admiratione aliquandiu conſtitiſſe. Quae omnia argumenta ſcripto contrario poſtea Mareſcotus confutavit. Nam quod acus collo infixas non ſenſerit, id coram ſe factum non eſſe; et cum ipſe coram ceteris collegis idem feciſſet, ſenſiſſe Martham: ſed P. Seraſinum ſtatim inclamaſſe, Martham eſſe, et ſpiritum ab ea diſceſſiſſe: et vero diſſimulari ſenſum hujuſmodi laeſurae in parte carnoſa, indicio eſſe non ſolum praeſtigiatores pleroſque, ſed ipſos pueros aulicos ac lixas, qui in cruribus et brachiis acus admittunt, neque propterea a ſpiritu obſideri creduntur: Stoicos olim idem factitaſſe, atque adeo cenſuiſſe, dolorem in opinione conſiſtere; et multos ad mortem virgis caeſos, nullo doloris ſenſu: eandem conſtantiam in Spartana republica quaſi lege ſancitam, et exemplis permultis confirmatam: multos tanquam ſortilegos eo argumento a judicibus ad mortem damnatos, qui poſtea ſupremi ſenatus judicio abſoluti ſunt: et, ſi ſubtilius in naturae ſecreta penetrandum eſt, certiſſimum eſſe, quod Galenus contra Ariſtotelem rectiſſime diſputat, ſenſum non eſſe mutationem quae fit in inſtrumento, ſed a mutationis cognitione provenire: inde fieri, ut qui profunda cogitatione defixi meditantur, oculis objecta plerumque non videant, aut quae coram dicuntur non capiant; quippe viſus ſpiritu cum ſua facultate in fonte ipſo retento, ac ſenſu communi ab anima minime ad oculos aut aures tranſmiſſo, et anima ipſa alio divertente: inde eſſe ut inter pugnandum plerique ictus ſcloppetotum in partibus carnoſis non ſentiant: ſic Archimedem olim pulveri ſuo intentum Syracuſarum direptarum fragorem auribus non percepiſſe. Quod vero ſanguinem non emiſerit, ad rem non plus facere: nam quotidie evenire, ut quibus vena ſecatur, ſi ad ictum exhorreſcant, ſanguis ſiſtatur. Omnino ridiculum eſſe quod de ſpuma adducitur: nam cui dictum viſumve, aut quem fando accepiſſe, ſpiritus malignos ſpumam emittere, tenuem, ſpiſſam, albam, nigram? Nam nigra omnia iis affingi; et ſcitum eſſe anile commentum, daemonem in oculo tunicam albam non habere. Quod ad motus violentos et rapidos, ſine pulſus, reſpirationis, aut coloris mutatione attinet, eos non tales fuiſſe quin facile ab aſtantibus medicis reprimi potuerint; et quae poſtea iis abſentibus facta memorantur, ea jannis obſeratis acta: nimirum non patuiſſe fores, ne pateret veritas. Et, ut haec quae ad miraculum in majus extolluntur vera ſint, medicae rei peritis conſtare, in melancholicis, lunaticis, et hujuſmodi morbis praepeditis, ſpiſſum et terreſtrem ſanguinem, et qui facile non accenditur, ac praeterea rarum pulſum eſſe; pleroſque ex iis viſos, qui noctu interdiuque curſitant, cum horrendis clamoribus canum inſtar ululantes, ſine ulla pulſus, reſpirationis, et coloris itidem mutatione; et multum in ea valere conſuetudinem: Martham jam totos XV menſeis Andegavi,

INTERPR. [a] *le Pere Benoiſt.* [b] *Feullon abbé de Ste Genevieve.*

[a] Andegavi, Salmuriae, Cleriaci, Aureliani, et in hac urbe tanquam ſimiam aut urſum traduci, et geſticulationibus illis aſſuevisſe, eoque minus illis affici: multa in natura quotidie admiranda et fidem captumque humanum ſuperantia deprehendi, quae tamen minime ſpiritibus, ſed occultis ejuſdem naturae arcanis, aſſignantur: a cane rabioſo morſos tanquam canes latrare; lycanthropos ululare, et humana carne veſci; quippe laeſa phantaſtica facultate cum ſe lupos putent eſſe: immo argumentum reflecti poſſe, ut oſtendatur Martham a ſpiritu minime obſideri: nam S. Marci teſtimonio convinci poſſe, eos qui a ſpiritu exercentur, poſt membrorum agitationes ac violentas convulſiones abſcedente eo, attonitos et membris quaſi confractos remanere: idem et [b] Fernelium in libris de abditis rerum cauſis confirmare multis exemplis: atqui Martham nullam pulſus, reſpirationis, coloris mutationem pati; nulla membrorum fatigatione vexari; igitur minime a ſpiritu obſideri. Ultimum quod a medicis contra ſentientibus affertur, ſi utique probaretur, magis urgere; Martham, cum Graece et Anglice interrogaretur, diſerte, quaſi intelligeret, reſpondiſſe: ſed neque id ſatis idonee probari, et, quod in eam rem dicitur, ſuſpicione fraudis non carere: et apparere praemonitam virginem ad interrogata illa hujuſmodi reſponſum dediſſe; nam, ſi Graece intelligit, cur cum Latine, quae lingua toto Occidente adeo communis eſt, interrogatur, ſe minime intelligere dixit? Cur, cum poſtea Graece interrogata eſt, nihil reſpondit? An ſemper audiendos, qui Martham tunc eſſe cum nihil intelligit, et ſpiritum ab ea receſſiſſe, mendacio tam ſoedo patrocinantes blaterant? Quod vero ab aliis additur, eam, ſupra eorum, qui captam tenebant, ſe capita efferentem, in vacuo aliquandiu conſtitiſſe, praeter naturam non eſſe: nam quicquid recta linea movetur, antequam in contrarium moveatur, ut quieſcat neceſſe habere: ſic pilam in parietem ejaculatam, antequam reflectatur, ad parietem quieſcere: ſic arteriam poſt dilatationem, antequam contrahatur, pariter interquieſcere: et vero notandum id a prandio viſum; nam mane impoſturam iidem, qui nunc contrarium aſſerunt, concorditer clamitabant; cum videlicet vapores in cerebrum ſublati idem quod ſuffuſiones, quae extra locum ſuum res ob oculos referunt, operantur: ſic potuiſſe fieri, ut nonnulli duplicem Martham, alteram humi, alteram in ſublimi viderint. Quid quod quidam viſam eam palpitare intus, et, quod equi deficientes faciunt, ilia ducere, miraculi loco retulerunt? alii denique ex imo ventre, clauſo ore et compreſſis labiis, loqui? An engaſtrimythos et ſternomanteis, Hippocrati non indictos, ipſis ignotos eſſe? At cui bono, inquiunt poſtremo nonnulli inter eos cordatiores crediti? Nimirum ad emendicandam ſtipem, et lucrum ex otioſa et inerti vita per praeſtigias captandum: quis ſcit an et ad ciendos populi animos, ac denique ſeditionem in principe regni urbe, exemplo ad alias tranſituro, excitandam? Inter hos contentionum aeſtus immane quantum diſtracta concordia, et ſciſſa omnium ſtudia, adeo ut metus inceſſerit ne res in apertum motum erumperet. Nam prudentiores tam ardens quorundam in ea cauſa ſtudium ſic interpretabantur, quaſi occaſio edicti nuper facti cum regis invidia convellendi quaereretur. Et rex, qui tunc ad [c] Fontem-bellaqueum erat, a fidis monitus, veritusque ne per ſcrupuloſas ac vagas, quae in hujuſmodi ceremoniis interrogationes vulgo fiunt, antiqua odia vix ſopita renovarentur, et nova factionum ſemina inter populum ſererentur, ſenatui mandavit, ut auctoritatem ſuam interponeret, et coitiones illas, quae paulum jam a ſeditione aberant, mature impediret. Itaque decretum, ut Martha magiſtratui traderetur, qui eam diligenter obſervaret, adhibitis medicis ac peritis, et poſt menſem ad ſenatum referret.

INTERPR. [a] *Angers, Saumur, Clery, & Orleans.* [b] *Fernel.* [c] *Fontainebleau.*

referret. Petro [a] Lugolio criminalium cauſarum aſſeſſori, et Franciſco [b] Villamontano cognitoris regii vicario, id negotii datum; qui eam totos XL dies ſub libera cuſtodia habuerunt. Quo tempore ad eam viſendam admiſſi N. [c] Riverius regis archiatros, Andreas [d] Laurentius reginae item archiatros, Petrus [e] Laſilaeus medici collegii decanus, Albertus [f] Faber, Mareſcotus, Ellanius, Altinus, Luſſonus, Petreius, Renardus, Heruardus, Cuſinotus, Amboſius, Palmerius, Marceſius ex eodem ordine: qui omnes nihil praeter naturam in ea puella animadvertiſſe ſcripto teſtati ſunt. Ipſa feriis paſchalibus peccata coram ſacerdote confeſſa ſacrum viaticum placide ſumpſit, ceſſantibus poſt mutatam cuſtodiam paulatim horrendis illis, de quibus tantus rumor paſſim percrebuerat, geſticulationibus. Sed non propterea plebis jam commotae fremitus aut concionatorum ex ambone licentioſae voces ceſſarunt, libertatem eccleſiaſticam a magiſtratu regio eripi quiritantium: id ſuggeſtu et in gratiam novorum Evangelicorum fieri, qui, tam praeclaram a Deo gloriae ſuae manifeſtandae occaſionem oblatam veriti, id unum agunt, ut obſtinata miraculorum inficiatione oculos fidelium perſtringant, et Catholicae ac verae eccleſiae cum Dei ac generis humani hoſte tantae exſpectationis certamen impediant; quodque ipſi falſae doctrinae addicti praeſtare ſe poſſe deſperant, id efficacia verbi divini in vera eccleſia a legitimis miniſtris diſpenſati fieri, eoque facto ſe falſitatis ſuae palam convinci impatienter ferunt. Magna id verborum acerbitate ab Andrea [g] Valla ex ſodalitio Sorbonico theologo, alioqui viro docto, et ab [h] Archangelo Puteano ex Capucinorum ordine jactatum, cum ad regis ac ſenatus contumeliam maxime pertinere videretur, Valla in curiam vocatus, et partim rem confeſſus, partim probationibus a cognitore regio confectis convictus, poſtquam erroris admonitus et conceptis verbis a primario praeſide increpitus eſt, ~~dimittitur, ac porro modeſtiam ſervare~~ et ſemper honorifice de rege ac magiſtratibus regiis loqui in concionibus jubetur. Contra Archangelum, quo difficilius, eo ſeverius actum: nam cum citatus non compareret, et coram a curia delegatis reſpondere detrectaret, [i] Alſonſus quidam ex eodem ordine, qui denunciationi per oſtiarium factae praefracte reſponderat, citatur: et cum declaratio quaedam ſcripto comprehenſa a Joanne [k] Brularto curatore provinciali et [l] Benedicto Anglo definitore ſubſcripta reſponſi loco exhibita fuiſſet, qua Bullae in coena Domini interdicto prohiberi ſe dicebant, ne coram magiſtratu regio in jure ſe ſiſterent, ſenatus tam Archangelo et Alfonſo quam Brularto et Benedicto, quo comparerent, diem dixit, praeſenteiſque culpae admonitos graviter increpuit, et decreto ſuo Archangelum concionandi libertate intra proximum ſemeſtre adempta mulctavit; memorque ante aliquot annos Bullae in coena Domini promulgationem gravi poena addita prohibitam, declarationem coram Brularto et Benedicto, qui ei ſubſcripſerant, lacerari juſſit, et, ut decretum in coenobio Capucinorum vocatis univerſis fratribus recitaretur, Gulielmo Benardo et Joanni [m] Vivario ſenatoribus ac cognitori regio negotium dedit. Id actum et executioni demandatum pridie Nonas Maias. Ita compreſſa concionatorum audacia, non tamen murmura omnino quieverunt; multaque in vulgus incerto rumore jactata, donec ſenatus rurſus, Lugolio et Villamontano auditis, viſiſque Aureliani et Cleriaci actis capitularibus ac cognitoris regii poſtulatis, poſtremo IX Kal. Jun. decrevit, ut Martha, [n] Silvina, et Maria Broſſeriae ſorores, nec non Jacobus Broſſerius per Nic. [o] Rapinum ſuccinctum in Pariſienſi praefectura quaeſitorem Romorantinum, in quo domicilium habebant, reducerentur, ibique Martha Jacobi patris

INTERPR. [a] *Lugoli lieutenant criminel.* [b] *de Villemonte procureur du roy.* [c] *de la Riviere.* [d] *du Laurent.* [e] *Laſilé.* [f] *le Fevre, Mareſcot, Ellain, Haultin, Luſſon, Pietre, Renard, Herouard, Couſinot, d'Amboiſe, Palmier, & Marcés.* [g] *Du Val.* [h] *Archange Dupuy.* [i] *le Pere Alfonſe.* [k] *Brulart provincial.* [l] *le Pere Benoiſt Anglois.* [m] *Du Vivier.* [n] *Silvine & Marie Broſſier.* [o] *Rapin lieutenant criminel de robbe courte en la Prevoſté de Paris.*

patris cuſtodiae committeretur; cui injunctum, ne eam vagari aut extra oppidum egredi ſineret, niſi Pauli [a] Galli oppidi judicis permiſſu, corporis addita poena, ni parerent. Judici pariter mandatum, ut Martham diligenter obſervaret, acta de ea re conficeret, eaque ad curiam ſingulis xv diebus mitteret, et quid facto opus eſſet porro certiorem faceret. Martha domum reducta ſedatus aliquantum in urbe motus: ſed non propterea negotium illud accepit finem. Nam aliquot poſt menſibus Alexander [b] Rupifulcaudius Sammartinus ex Randani comitum familia, communicato, ut putatur, cum Franciſco [c] Claromontano epiſcopo fratre conſilio, dum ex [d] Pictonibus, quo ad viſendam ſororem diverterat, rediens illac iter faceret, Broſſerium patrem cum Martha et Silvina filiabus ſecum in [e] Arvernos et inde [f] Avenionem abduxit; duobus edictis a ſenatu, qui de re interim a Paulo Gallo certior factus fuerat, nequicquam citatus. Ad quae cum non compareret, poſtremo decreto tam ipſius quam epiſcopi fratris ſacerdotiorum fructus ob contumaciam ſequeſtrati ſunt. Rex vero, tantam injuriam ſibi ſenatuique factam ad animum revocans, confeſtim ad [g] Sillerium oratorem apud pontificem ſuum, et ad Arnoldum [h] Oſſatum cardinalem, nam eo proficiſci Sammartinum intellexerat, dat literas; mandatque antequam Sammartinus cum comitatu ſuo adveniret, et ſecuam, quam initio Avenione deſtinaverat, Romae inſtrueret, occuparent, et pontificem de re omni edocerent: quod illi non ſegniter fecere. Et Oſſatus, qua erat prudentia, Jacobum Sirmondum virum doctum et cumprimis ſolertem, Claudio Aquavivae ſodalitii Jeſuitici generali ab epiſtolis, quod in eo praecipuum cauſae ſuae praeſidium repoſuiſſe Sammartinum inaudiviſſet, ſevocat, et quid ſibi a rege mandatum ſit oſtendit; nimirum ut apud pontificem expoſtularet, quod homo ſibi ſubditus privata auctoritate contra ſenatus decretum, nec petita a ſe venia, foeminam ſibi pariter ſubditam, quaſi raptam, extra regnum abduxiſſet: id tanquam erga ſe ſenatumque ſumme injurioſum regem merito ad animum revocare, ac verendum eſſe, ne, quia regi conſtat tam Sammartinum quam Claromontanum epiſcopum in Jeſuitici ſodalitii ſchola educatos et in literis inſtitutos fuiſſe, hoc ſperatae adverſus ſenatus decretum in ipſos latum reſtitutioni, quam a clementia regia exſpectant, impedimentum afferat. His dictis cum attonitum Sirmondum videret Oſſatus, poſt verba excuſationis et honeſtatis ab illo commutata ſermonem perſequitur, et hactenus quae in mandatis haberet expoſuiſſe, ipſumque amice monuiſſe, dicit; nunc cum eodem, tanquam cum patre Jeſuita theologo juris decretalis ac diſciplinae ſacrae civiliſque perito, agere velle; atque inprimis ab eo quaerere, an ulla vel theologiae, vel juris ſacri, aliave auctoritate aut ratione defendi poſſit, quod Sammartinus ea in re fecit: nimio amore ſui peccaſſe illum videri, qui plus ſe unum ſapere quam ſenatum totum, ac nominatim Pariſienſem, praeſumpſiſſet: ſtandum eſſe rebus judicatis; ac prudenter ſenatum decreviſſe, ut Martha reduceretur, et patris cuſtodiae traderetur; nam a ſpiritu obſideri creditos, poſtquam eccleſiaſtica remedia adhibita ſunt, non eſſe deſerendos et extremis miſeriis ac periculis exponendos; nec fraudibus eorum indulgendum, qui miſerorum hominum calamitate diabolique calumniis abutentes in famam et exiſtimationem bonorum maligne invehuntur, et publicam tranquillitatem turbant: nunc inſperato Dei beneficio et virtute ac clementia regis cuncta in Francia pacata eſſe, ac publicam ſecuritatem ubique conſpici: ſed regem, qui praeterita tam facile oblivione tranſegiſſet, nolle ut in poſterum quiſquam clementia ſua abutatur, auctoritatemque convellat: nolle regem ut deceſſoris ſui patientia nimia a turbulentis in exemplum trahatur, qua effectum eſt, ut totum regnum ac cum eo religio ipſa Catholica paene everſa et in extremum periculum nulla ſalutis ſpe adducta ſit: offenſione principum

et

INTERPR. [a] *Gallus juge chaſtelain de Romorantin.* [b] *de la Rochefoucaud S. Martin.* [c] *de Clermont.* [d] *Poictou.* [e] *Auvergne.* [f] *Avignon.* [g] *Brulart Sr de Sillery.* [h] *le cardinal d'Oſſat.*

Digitized by Google

CIↃ IↃ XC IX.
HENRICUS IV.

et magiſtratuum ſupremorum exacerbatis animis, nihil ad promovendam religionis Catholicae cauſam profici: potius eſſe, ut ſummae poteſtates, quique earum vice funguntur, obedientia, demiſſione et humanitate concilientur: hoc ſe ſcire, pontificem nihil magis vitatum cupere, quam ne cum regni Franciae curiis committatur, et cum rege ipſo, praeſertim in tam levis et incerti eventus cauſa, in qua ne quidem medici inter ſe conveniunt: nam eam eſſe humoris melancholici et praeſtigiorum a maligno ſpiritu profectorum ſimilitudinem, ut plerumque pernicioſo errore peccetur; fallique ſaepius credulos, et fallere exorciſtam non raro melancholicos, lunaticos, et hujuſmodi morbis vexatos, dum ſe a ſpiritu torqueri dicunt, cum tamen medicorum remedio potius quam exorciſtarum miniſterio indigeant: intra modum ſapere unumquemque debere, neque tantum ſibi tribuere, ut, dum fervido prae aliis ſe pietatis ardore accenſum putat, regium nomen ac magiſtratuum auctoritatem contemnat, et turbis occaſionem praebeat: pontificem totamque Romanam curiam ſatis periculo ſuo didiciſſe, quam pernicioſi ſint inconſiderati iſtinſmodi zelotae, quantaſque calamitates religioni Catholicae, regibus eorumque magiſtratibus per injurias temere illatas irritatis, importaverint: earum memoriam toto hujus ſaeculi curriculo nunquam depoſituram Franciam; nec proinde pontificem talium concertationum mentione gaudere: neque vero laturum regem, principes, nobilitatem, regnique curias, ipſoſque qui ad bonam mentem redierunt eccleſiaſticos, ut amplius ſibi hoc praetextu illudatur. His rationibus cum nihil haberet quod contra reſponderet Sirmondus, Sammartinum, qui jam Romam advenerat, ſe moniturum recepit, ut regi aliqua excuſatione ſatisfaceret, neque ea in re quidquam faceret, cujus occaſione pontifex cum rege regnique curiis committi cogeretur. Interim ſodalitii ſui nomine promiſit, nihil factum iri, quod regis benevolentiam, de qua bene ſperabat, a ſe alienaret: Sammartinum ejuſque fratrem epiſcopum Claromontanum de ſuo quidem ſodalitio optime meritos eſſe, iiſque in officiis privatis, quae ad rempublicam non pertinerent, honeſte deeſſe non poſſe: ceterum homines eſſe, qui potius ſuo quam amicorum conſilio regerentur. Pontifex, re ab Oſſato intellecta, prudentiam ſenatus Pariſienſis et aequitatem laudavit; de cetero ſibi dolere reſpondit, quod non maturius de ea re cognoviſſet, cum Sammartinus adhuc Avenione eſſet: nam ſtatim ad illum perſcripturum fuiſſe, ne ulterius pergeret, ſed ſe regi morigerum praeberet: nunc, cum jam Romam venerit, integrum amplius negotium non eſſe; nec rationi conſentaneum videri, ut ei ſtatim in urbis ingreſſu in Galliam redeundi neceſſitatem imponat. Dein roganti quid interim facto opus eſſet, prudenter ab Oſſato reſponſum, optime facturum eum, ſi nihil ſiniſtri de rege ac ſenatu Pariſienſi ſibi perſuaderi fineret; et, dum de re tota plenius cognoviſſet, nihil diceret faceretve, quod regem aut ſenatum Pariſienſem laederet, aut majores denique animos iis faceret, qui praepoſtera ſuperbia inflati in regii nominis ac publicae quietis detrimentum nihil non audent. Cum pontifex nihil niſi conſulto Oſſato in eo negotio ſe facturum dixiſſet, Sammartinus, a Jeſuitis plus de reſtitutione ſua quam de amici cauſa adjuvanda ſolicitis ſe deſertum videns, et praeoccupatum ab Oſſato pontificem ac cardinalem Aldobrandinum minime ignorans, priſtina conſilia omiſit, et ad miſeras preces vertitur; ac, re apud Oſſatum excuſata, etiam literas ad regem dat ſupplices, quibus ſibi fratrique veniam deprecabatur, culpamque imprudentiae et anticipatae in religionis cauſa opinioni condonari petebat. Ita fabula de Martha a ſpiritu obſeſſa omnino evanuit, ipſo Sammartino, qui ſpe ſua falſus in illa aula deſpectus eſſe coeperat, ex moerore mox mortuo, et Martha patreque ejus ex xenodochiorum ſtipe miſeram vitam vix tolerantibus. Rex acceptas ea de re ab Oſſato literas, quibus ſeries negotii copioſe explicabatur, et magna cum animi voluptate legit, et ad faciendam fidem pontificis ac totius aulae

de

de eo judicii, et removendam invidiam, qua apud populum a factioſis ob id onerabatur, in ſenatu recitari ac publicari juſſit.

II. An praeſtigiatricis puellae fabulam nova naturae miracula addentur. Adductus eſt hoc anno ad regem homo cornutus, nomine Franciſcus [a] Troviluvius, ex montanis [b] Cenomanorum, a Joanne [c] Bellomanerio Lavardino equitum tribuno provinciae praeſide; qui dum venaretur, in operas carbonarias incidens, operarios ad ſtrepitum diffugienteis eo uſque perſecutus eſt, latrones ratus, donec eos in poteſtate habuit, inter quos erat Troviluvius; qui, de vitio tegendo ſolicitus, cum caput, ut ſocii reliqui, non aperiret, tandem ab uno ex Lavardini domeſticis adempto galero monſtrum ſumma circumſtantium admiratione patuit. Digna res viſa, cujus aſpectu rex frueretur. Poſtea ſpectaculo omnium Lutetiae expoſitus, nobis, aliiſque qui eum viderunt, de re ſcitantibus reſpondit, nulla ſibi naſcenti cornu indicia fuiſſe: circa ſeptimum aetatis annum coepiſſe ſinciput erumpente cornu exaſperari; quod cum aetate auctum, et initio leviter vervecini modo inflexum, ſenſim crevit uſque ad annum XXXV, quem agebat cum captus eſt. toto eo tempore, [d] pago S. Fredi natali prae pudore relicto, inter ſylvas latuiſſe, nihilque pari ſtudio caviſſe ac ne cui caput aperiret; quod metuebat, ne, ſi res palam fieret, pro monſtro haberetur, et, adempta diuturni laboris libertate, quae tandem fortuna miſero evenit, paſſim circumduceretur. Huic, ſi cornu exciperes, nihil quicquam fuit a communi lege animi corporiſve diverſum. Cornu vero plane inſigne et prodigioſum, duritie et craſſitie eadem quae vervecinis et caprinis eſſe ſolet; ſed illud non ſpiralibus lineis ſed porrectis ſtriatum erat: color fulvus, qualis barbae et comae; nam, excepto ſincipite, poſtica parte capitis comatus more aliorum fuit, et glomos pilorum pro barba in mento et ſupra labia habebat, eadem prorſus ſpecie qua ſatyri vulgo pinguntur. Sinciput vero totum glabritie renidebat, materia omni pilorum in cornu abſumpta: quod in dextra bregmatis parte enatum, non extra caput, more vervecinorum, ſed verſus ſiniſtram reflectebatur; unde fiebat, ut extremum cornu in cranium incideret, penetraturum haud dubie et perniciem allaturum niſi aliquoties praeciſum fuiſſet. Qua ex re maximos et continuos fere dolores, nec non etiam ex contactu inſpectantium, percipere ſe homo miſer affirmabat: qui deformitatem ſuam a circulatoribus, ipſum per urbem traducentibus, in occaſionem aeruſcationis verſam aegerrime ferens, contumeliam illam ferocia innata pati amplius non potuit, brevique ex moerore et indignatione inde concepta periit.

III. Eodem tempore rarum inediae in virgine decenni exemplum patuit; cujus tamen alia exempla hoc ſaeculo fuerant. Nam [e] Spirenſis quaedam puella nomine Margarita duodecennis ante LIX annos memoratur, quae totum biennium ſine cibo vixit. De qua Simo [f] Portius Neapolitanus ſummus ſua aetate philoſophus conſultus, libello ad Paulum III edito reſpondit, videri ſibi, cum mulieres frigidiores ſint, craſſioribuſque humoribus abundent, puellam hanc Germanicam natura refertam eſſe plurima pituita, non modo ſexus ſed etiam proprii temperamenti ratione; atque ex hac crudorum humorum copia ac frigiditate incidiſſe in ſpaſmum univerſalem, ita ut ventriculus ſtupefactus et nihil ſentiens appetitu deſiderioque cibi caruerit: nam appetitum a medicis definiti triſtem alimenti deſiderati ſenſum: proinde cum ſtupeat non appetere, et cum phlegma humectet non ſitire, cumque fiat continui attractio naturam id concoquentem ſubſtituere in locum deperditi: hujus rei argumento eſſe, quod aliquando cibum ſumere coacta, cum evomens, una quoque putridum

INTERPR. [a] *Trov'llu.* [b] *le Maine.* [c] *de Beaumanoir de Lavardin.* [d] *Village de S. Fray.* [e] *de Spire.* [f] *Portio.*

CIϽ IϽ XC IX. HENRICUS IV.

putridum pituitoſumque humorem ejeciſſe dicatur: nihilominus durare vitam, quoniam calidum remiſſum eſt, et ſufficiens nutrimento; et quia parum deperdat, eo fieri ut pauco indigeat alimento: putare tamen non diu fore ſuperſtitem, ſed citiſſime e vivis abolendam, ſi perpetuo inediam ſervaret. De eadem et exſtat narratio Gerardi Bucoldiani, qui Ferdinandi Romanorum regis medicus fuit. Joannes autem Langius [a] Leobergus, celeberrimus v Palatinorum ſeptemvirorum medicus, in epiſtolis ſuis hanc appetitus proſtrationem accidere dicit, cum, relaxatis in ventris orificio nervis, ſuctionis ſenſus omnino perit: quod in hac puella ob crurum brachiorumque ſolutionem contigiſſe ait: porro multa eſſe, quae, per hanc longam inediam et a cibo potuque abſtinentiam, loco cibi potuſque eſſe poſſunt; extra corpus, aërem et odorem; intra, adipem, pituitam, humoremque a cerebro defluentem: idque pluribus diſputat. Alia et Catharina [b] Bindera nomine, in Joannis Caſimiri Palatini ditione nata, anno hujus ſaeculi LXXXV, a vigeſimo anno ſeptennium totum inediam toleraſſe dicitur, cum antea jam calidorum ciborum uſum toto quinquennio amiſiſſet, et frigidis tantum veſceretur. Gulielmus item Fabritius [c] Paterniaci [d] Aventicorum chirurgus ſcribit, decimo poſt anno puellam XIV circiter annos natam e [e] Juliacenſi ditione Coloniam adductam, quam ſine cibo potuque ullo parentes jam totum triennium vixiſſe affirmabant: eam facie triſti ac melancholica fuiſſe; ceterum toto corpore carnoſam, ventre excepto, qui ad ſpinam dorſi plane depreſſus vergebat: hepar reliquaque viſcera tractatione quaſi ſcirrhoſa deprehenſa; excrementa nulla ejeciſſe toto eo tempore, adeoque a cibo abhorruiſſe, ut cum quidam ſacchari fruſtulum in os immiſiſſet, ſubito in ſyncopen inciderit: nihilominus corpus in ea naturali calore praeditum fuiſſe, adeo ut ambularet, cum aliis puellis luderet, ſaltaret, et puerilia negotia obiret, ſine ulla reſpirandi, loquendi, et vociferandi difficultate. In eam rem et multa ~~Laurentius [f] Jubertus Valentinus, magni~~ apud nos nominis philoſophus ac medicus, ſcripſit; ac multis rationibus et exemplis oſtendit, quoſdam ſine cibo non ſolum complures dies, ſed et annos poſſe vivere: idque Cl. Galeni et Avicennae auctoritate ac teſtimonio copioſe diſputat in paradoxis. Ceterum ea de qua hoc anno agitur, patre Joanne [g] Balano fabro ferrario ad [h] Vigennae et Goverae [i] Confluentem, id municipio nomen eſt, in [k] Pictonum et Lemovicum finibus nata, cum ſub XI aetatis annum XIII Kalendas Martias febre continua tentata eſſet, ad alia ſymptomata acceſſit vomitus vehemens, quo per XX dies aſſiduo vexata eſt: febre demum remittente obmutuit, et totos XXIV dies ſine voce fuit: dein reddita voce delirium ſucceſſit, omnium infra caput partium motu et ſenſu torpente et hebeſcente, adeo ut oeſophagus reſolutus vim attractivam amiſerit, neque ab eo tempore induci potuerit ut cibum ſumeret. Nihilominus reſtitutus ac confirmatus artuum motus poſt ſex circiter menſeis, praeterquam in altera coxendice, a qua adhuc inter incedendum paulum claudicabat: ſola deglutiendi impotentia remanſit, unde ſummum eſculentorum et poculentorum in puella odium. Ex abſtinentia vero illa abdomen univerſum ſenſim emarceſcere et tabeſcere coepit, ita ut ab imis coſtis ad pubem uſque nihil priſtini aqualiculi ſuperfuerit; reliqua tantum mucronata cartilagine pendula, quae ſupra anticam ventris regionem extat, et ſuggrundae inſtar extra perpendiculum ſtillicidia ejicit. Ab ea et notharum coſtarum appendicibus ſuperna cutis non mediocrem tenſionis ac divulſionis ſenſum patiebatur; idque conquerebatur puella, quippe muſculis, inteſtinis, viſceribus, ac reliquis ventris partibus atrophia ita conſumptis ac contractis, quaſi detractae eſſent. Solae illarum fibrae ac ſtamina ſuperabant, carnoſa omni, quae ſpatia earum infarcit, deperdita ſubſtantia. Ceterae partes

non

INTERPR. [a] *Lowenberg.* [b] *Binder.* [c] *Payerne*, Germ. *Petterlingben.* [d] *Pays de Wiffiſbourg en Suiſſe.* [e] *de Juliers.* [f] *Joubert de Valence en Dauphiné.* [g] *Balane mareſchal.* [h] *la Vienne, & Goere r.* [i] *Confolant.* [k] *Poictou, & Limouſin.*

non ita exhauſtae: nam pectus amplum, ubera turgidula, labia rubella, brachia et crura modice toroſa; facies rotundula, ſed paulum fuſca; lingua contractior, ſed expeditus ſermo; caput pilis longiſſimis tectum, qui in dies, ſicuti et ungues, propterea creſcere non deſinebant. Nulla excrementa; non alvo faeces, non veſica lotium, non utero menſtruum egerebatur; non item caput ſorde ſua obſitum erat: quod ut in externa cute, ſic in ipſis ſenſuum organis, integritatis indicium eſt. Neque praeter tenuem ſputationem et nonnullas lachrimas ullum aut auribus cerumen, aut naribus mucus, aut cetero corpore ſudor erumpebat: univerſa paene corporis cute, ſi alas et vicinas cordi parteis excipias, tangentibus frigida et arida, neque motu ullo incaleſcente, licet munia domeſtica obiret, colum teneret, ſtamen pollice duceret, pavimentum everreret, obſonium e foro peteret. In eoque ſtatu jam totum triennium fuerat, cum Franciſcus [a]Citeſius Pictavienſis medicus eam inviſit, et ſingula, quae memoravi, diligenter notavit, libro ex ea occaſione edito; quo id, licet raro, tamen ſecundum naturam in quibuſdam corporibus, praecipue in mulieribus, quae plus pituita abundant, et, quia nimis intenſum calorem habent, minore alimento indigent, poſſe contingere oſtendit, et Laurentii Juberti ſententiam contra Iſraëlem [b]Harvetum Aurelianenſem medicum tuetur, qui contra naturam id omnino eſſe, neque citra miraculum aut maligni ſpiritus, quod et Martinus Delrio e ſodalitio Jeſuitico ſenſit, praeſtigia poſſe fieri contendebat. Augurium deinde addebat Harvetus, puellam illam brevi, niſi jam actum eſſet, morituram: prudentius Simo Portius de puella Germanica adjecta clauſula, ſi inediam ſervat: nam ſi poſtea cibo ſumendo inſueſcant, haud dubium eſſe, quin iſtiuſmodi abſtinentes priſtinas vireis reſumant, et vitales reddantur. Idque Citeſius exemplo puellae, cujus Annales Gallici mentionem faciunt, confirmat, [c]Commerciaci in Tullenſi agro natae, quae, imperante Lothario, ab anno ıɔccccxxii ad ıɔccccxxv uſque ſine cibo vixit, ac dein, ceterorum more, cibo et potu corporis vireis reficere coepit; quod et [d]Confluentanae ex hac occaſione accidit. Fama rei evulgata, cum rei diligentius noſcendae cupidiores medici, impetrato, ſicuti jactabant, regio diplomate, puellam in vicinam arcem, in quam divertere ſolita erat, vocatam per triduum attentiſſime obſervaſſent, et ipſius longinquius abducendae ſuſpicionem feciſſent, illa, cui de occulto conſilio ſuboluerat, in lachrimas verſa, patrios lares repetere ſe velle dixit, matre ſaepius inclamata. Domum tandem reducta cum aſſiduos ſemper circa ſe medicos tanquam cuſtodes appoſitos haberet, ut ſe hac moleſtia liberaret, et conſilium eorundem eluderet, a parentibus perſuaſa juſculum ſibi parati imperat, paratique unum et alterum hauſtum exſorbet. Quo effectum, ut, benigno juſculi fluentis tepore laxata antiqua cibi potuſque via, ſenſim dehiſceret, et veteris atque adeo naturalis officii memor ventriculus, quantum erat, exciperet. Dein irritato appetitus ſenſu firmioribus cibis paulatim aſſuevit, et priſtinas edendi bibendique vices non ingratiis repetiit; indeque prior vultus jam vividus ac liberalior ac toto habitu ſpecioſior redditus. Qua de re alterum commentarium edidit Citeſius; quo et eandem diſputationem, quam prius habuerat, contra Harvetum repetit, ac multis denuo rationibus confirmat. Biennio ante de Apollonia virgine xviii annos nata in [e]agro Bernenſi loco non admodum ſalubri, quippe paludoſo, inter [f]Iverdunenſem, Moratenſem, et Biellenſem lacus, quae jam annum in omnium eſculentorum ac poculentorum inedia conſumpſerat, in ſenatum cum allatum eſſet, decreto ad eam viſendam miſſi Paulus Lentulus reipublicae medicus et Daniel Epiſcopius chirurgus primarius: qui iii Kalendas Februarias anni CIↃ IↃC eo profecti, puellam mediocris ſtaturae, colore per totum vultum fuſco, in hypocauſto reperiunt,

INTERPR. [a] *Citoys de Poictiers.* [b] *Harvet medecin d'Orleans.* [c] *Commercy prés Toule* [d] *de Confolant.* [e] *le Canton de Berne.* [f] *d'Iverdun, de Morat, & de Biel.*

CIↃIↃXCIX. HENRICUS IV.

reperiunt, in plumeo lecto ſupinam ac quaſi immobilem: brachia nihilóminus ad pectus adducere ac reducere poterat; crura ac tibias difficilius movebat. Capillus ſimul toto inediae tempore reſectus rurſus ſuccreſcebat: reſectus autem fuerat, ne puella, quae propter imbecillitatem pectinem, quo ſe fricaret ac ſordibus caput purgaret, tractare non poterat, pediculis infeſtaretur: de cetero genae aliquo rubore tinctae; labia corallina, lingua mollis et colore ac humore temperato: nares ut non omnino ſiccae, ita nec mucoſae. Dormire interim ſe aiebat, ſed ex ſomno tam levi excitata valde dolebat, et debilitationem non exiguam ſentiebat. Reſpiratio non erat difficilis: ſed obſervatum plus eam aëris attrahere quam remittere; ut aliquantum aëre pro alimento refici appareret. Vox languida et qualis moribundorum; pura tamen, facilis, ac ſine ſtertore ullo: verba exprimebat integra; conſtans ſermo ac memoria, et ad interrogata apte ac prudenter pro aetate ac ſexu reſpondebat. Senſus, tactus, motus toto corpore hebetior. Excrementa per alvum et veſicam nulla. Muſculi in facie carnoſi non tumidi et inflati, ſicuti nec in reliquo corpore. Membra apte conformata, nullaque in iis macies, niſi circa pectus, quod coſtis extantibus in intima cum abdomine receſſerat: umbilicus quoque ad dorſum quaſi vergebat. In pectore per intervalla ſummos dolores, quaſi ferro aperiretur, ſentire ſe dicebat. De cetero nulla per totum corpus ſcabies; nullae puſtulae. Cutis non arida aut rugoſa, ſed aequalis ac tactu mollis; nullus circa hypochondria, hepar, lienem, ventriculum palpantibus humor; nullus ſcirrhus deprehenſus. Cibum pejus morte abhorrebat; quam cum ſe expetere plus vita oſtenderet, nihilominus in illo languore dolorifico totum biennium vixit, adhucque vivebat, cum Lentulus rei ſeriem ſcriptis mandavit.

IV. AB inediae tam raris exemplis ad novum in [a] Sarmatia hoc anno exortum morbum tranſeamus. Inter Hungariam et [b] Pocutium regni Poloniae provinciam, quae compluribus fluviis ex montibus erumpentibus inter ſe diſtinctae ſunt, is primum graſſari coepit. Unus et alter cirrus cum vicinis ſibi crinibus in ſe introrſum complicatus ac denſus exereſcebat, ſine moleſtia initio: poſtea, ubi totum Poloniae regnum pervaſit, majore cum cruciatu oſſa infringebat, laxabat artus, vertebras eorum infeſtabat, membra conglobans ac retorquens ac gibbos poſtremo efficiens. Tum pediculos fundebat, caputque verminante ubique peſte ita opplebat, ut purgari non poſſet. Cincinnis illis deraſis humor et virus in corpus relabebatur, et affectos torquebat, caput, pedes, manus, juncturaſque omnes exagitans. Oculorum uſum adimebat, aut defluxiones ciebat. Remediis uſitatis aegreſcebat malum, et in foeminas, praecipue eas quae ſtatis temporibus non purgabantur, ſaeviebat; inter viros maxime eos qui Neapolitano morbo infecti fuerant, aut in liberos ab iis procreatos; eos item qui capitis porriginem medicamentis repercutientibus repreſſerant. Cauſam et naturam mali quaerentibus apparebat, adfinitatem id habere cum exhalatione fuliginoſa, ex qua naſcuntur crines; cum tinea et lue Neapolitana in officium cruciatu; cum phthiriaſi, ob redundationem vermium; cum arthritide ob artuum dolorem; cum ſpaſmo, contractione miſerabili membrorum. Ita de novo morbo cum Laurentius [c] Starnigelius, academiae [d] Samoſcienſis, quae in Ruſſia Poloniae VII a [e] Leontopoli milliaribus a Jo. [f] Samoſcio de nomine ſuo inſtituta eſt, rector, ad [g] Patavinae academiae medicos profeſſores ipſius Samoſcii juſſu ſcripſiſſet, Hercules [h] Saxonia, cui id munus delegatum fuit, reſpondit, et non tunc primo natum morbum oſtendit; nam Jo. Georgii [i] Schenkii Graſenbergi teſtimonio conſtare, hunc morbum non novum aut Polonis peculiarem eſſe, ſed diu ante inter Helvetios per [k] Alſatiam, [l] Briſgoiam, Belglique regiones ad Rhenum poſitas

graſſatum

INTERPR. [a] *Pologne.* [b] *Pokuce.* [c] *Starnigel.* [d] *de Zamoſcie.* [e] *Leopoli de Ruſſie.* [f] *Zamoyſki.* [g] *de Padouë.* [h] *Saſſonia.* [i] *Schenck de Graffenberg.* [k] *Alſace.* [l] *Briſgau.*

graſſatum eſſe, et in Germania ipſa et Hungaria, ſed rarius, conſpectum; et anno quidem CIↃ IↃ LXIV ita notum fuiſſe in Germania, ut jam antiquior exiſtimaretur: amplius confirmari Jo. [a] Statleri obſervatione, qui Gaſparem ab Horneſtein Sigiſmundi commendatoris Alſatiae ac Briſgoiae fratrem, cum ob impexam et inexplicabili pilorum contorſione horrificam planeque Gorgoneam barbam vitaretur, refert, quidvis tamen ſe potius paſſurum reſpondiſſe quam ſua illa barba careret; ſiquidem iis, qui eo malo tentarentur, perſuaſum fuiſſe, graviſſima capitis morborum fomenta, veluti apoplexiae, paralyſeos, maniae ac pertinacis cephalalgiae materiam ſeu capillitio ſeu barba hujuſmodi intricata alenda abſumi; itaque ſumma religione cirros illos prorſus incultos ſervare, nec ferro praeſcindere aut pectere: morbo autem jam tum aliud atque aliud nomen factum; nam alios e vulgo pilorum contorſiones, ſive incuborum tricas, vel cincinnos vocare, quod putent Incubos et Faunos noctu eoſdem ſugendo tractare; alios ſcrofarum plicas: apud Polonos clavum, ſive ambiguo nomine Hoſpitem diei, quod in Poloniam ex [b] Roxolania venerit; ſed Plicam aut Cirragram rectius appellari poſſe. Ejus porro cauſas, affectus, conditiones, effectus, remedia, copioſe atque ex propoſito Saxonia commentario explicat, quem Samoſcio magno Poloniae cancellario et generali exercituum regni duci inſcripſit. Contra Saxoniam diſputavit, et Plicam eandem cum lue venerea eſſe ingenioſius quam verius libro peculiari probavit, quidam, qui diſſimulato vero nomine Lucius [c] Laelius Fulginas dici voluit. Cui contrario dialogo ſane feſtivo, cui titulus SEPTEM AO SARMATAS, reſponſum, ab homine Herculis Saxoniae ſtudioſo; qui, diſſimulata item perſona, Andreae poſthumi a Craſemberg nomen ſibi ſumpſit. Non tantum in corpora novi morbi, monſtris ob raritatem haud abſimiles, ſed etiam hoc foecundo vitiorum ſaeculo in animos invaſerunt: cujus inſigne exemplum monſtroſa percuſſoris in regem conſpiratio erit, quam ducto altius initio nunc explicabimus.

V. ANTE ſexennium N. [d] Malavicinus, pontificis apud archiducem orator, qui antea Lutetiae Pariſiorum foederatorum factionem in Meduanii comitatu promoverat, cum regis cum eccleſia jam reconciliati, ſed nondum in gratiam cum pontifice reverſi, res in dies proſperare moereret, ut felicium ſucceſſuum curſum ſiſteret, per emiſſarios ubicunque poterat veſtigans, ſi quem forte veſano ſpiritu incitatum reperiret, qui cum propriae ſalutis periculo regem de medio tollendum ſuſciperet, in Dominicanum quendam incidit; cujus opera eo ſibi magis utendum putabat, quod ex eodem ordine nuper exſtitiſſet unus, qui pari ſcelere et audacia deceſſorem ipſius interfecerat. Huic Carolo [e] Ridicovio nomen, qui ſe poſtea Avenarium mentito nomine appellavit, [f] monaſticam Gandavi ante ſex annos profeſſo, et tunc annos XXVIII circiter nato: quem cum Malavicinus inaudiviſſet frequenti cum amicis ſermone rem Chriſtianam deplorare, ab haeretica peſte ubique fere laceratam, ac praecipue in Gallia, optaſſeque ſaepius, ſiquidem hoc ſacrificium Deo eſſet placiturum, occaſionem et commoditatem dari, qua ei, qui regium nomen in eo regno contra fas ac leges uſurparet, et lupi rapacis inſtar oviculas Chriſtianiſſimi regni Francici devoraret, vitam vel cum certa pernicie ſua eriperet, ordinis provinciali mandat, ut hominem ad ſe mitteret. Ridicovius ubi Bruxellas venit, tria, antequam rem exſequendam ſuſciperet, a Malavicino petit, ut pontificis ac ſacri cardinalium collegii ſactum probantium auctoritas accedat, de ſumptibus faciendis idoneus fidejuſſor interveniat, et facilis in Galliam et ad aulam acceſſus detur. Malavicino pro pontifice et cardinalibus ſpondente, in ſumptus item pecuniam ſe exſoluturum promittente, modo

INTERPR. [a] *Statler.* [b] *Ruſſie.* [c] *Lelio de Foligno.* [d] *Malvezzi.* [e] *Ridicowe, dit d'Aveſnes.* [f] *Jacobin à Gand.*

CIↃIↃXCIX. Henricus IV. modo de reddenda ea, ſi Ridicovius mutaret, caveretur; de ſecuto in Galliam aditu et rei exſequendae ratione conſulitur Nic. Baſta, qui Antuerpia, ubi in praeſidio erat, propterea arceſſitur: et placuit, ut ſcloppeto pilis ramalibus oppleto, aut acinace, res peragеretur: tandemque inter partes ſcripto coram matre et Juſtino fratre ipſius Ridicovii contrahitur, quo [a] Malavicinus pontificis et cardinalium nomine ſe patrocinium Ridicovii ſuſcipere, reique ab eo patrandae ſeu periculum ſive eventum in ſe recipere, profitebatur. Pactione facta, cum Cornelia Avenaria Ridicovii parens Jeſuitae, cui [b] Hodumae nomen, inter confitendum peccata quid inter Ridicovium filium et Malavicinum actum eſſet aperuiſſet, ille hominem, qui tantum facinus auderet, videre voluit. Tum Ridicovium a parente adductum puſilli corporis conſpicatus, nihil aliud reſpondit, quam robuſtiore homine opus eſſe. Id poſtea ultro confeſſus eſt Ridicovius; qui tunc, accepto a Malavicino commeatu, crucis etiam impertito ſigno, dimittitur; eique facultas ab eodem Malavicino auctoritate pontificia data, ut libere et citra conſcientiae morſum, quo magis lateret, habitu militari ubique comparere, equitare, ſaltare, choreas ducere, gladiatoriam facere liceret. Inde [c] Auguſtam Veromanduorum venit, cujus praeſidio Euſtochius [d] Confluentius Auxii vicecomes praeerat: ibique cum de rerum noſtrarum ſtatu, de regis reconciliatione, de legitimo in regni ſucceſſione jure penitius ex notorum colloquiis cognoviſſet, ad [e] Fanum uſque Dionyſii ire pergit; ubi ſeu poenitentia ductus, ſeu rei difficultate ac periculo territus, facto per [f] Marlam, Cametacum, Valencianas, Montes itinere, [g] Gandavum repetit, indeque Bruxellas ad Malavicinum contendit: a quo cum rogaretur, cur rem ſuſceptam non peregiſſet; et ille, regem in eccleſiae gremium receptum, et qui mortuus erat modo vivere pro excuſatione diceret; Malavicinus, concuſſo capite, Atqui Benearnenſis, inquit, a pontifice diris devotus, et omnes qui ejus partes ſequuntur proſcripti ſunt: denuoque Ridicovium rogavit, an in propoſito perſeveraret. Ad quae verba ille retulit, Si pontificis mandatum viderem, tunc maturius de conſilio ageretur. Poſtea a [h] Julio quodam homine militari et Malavicini domeſtico in arcanum ſeducitur, et in Galliam ſine mora proficiſci jubetur lixae habitu, quaſi a Nicolao Baſta miſſus, qui de [i] Bapalma regi tradenda ſpem faciat; hoc colore ad regem facile ipſum introductum iri, et rem ſuſceptam confecturum. Eodem tempore Petrus [k] Argerius ex eodem Dominicano Gandavi ſodalitio, cum prius Bruxellis cum Malavicino egiſſet, Romam profectus et inde reverſus, regis itidem interficiendi conſilium ceperat. Inde aliquo tempore elapſo, cum interim Ridicovius ſacris initiatus eſſet, Romam itidem profectus eſt, quo jam Malavicinus redierat; ubi ab eodem in propoſito confirmatus, facto per Mediolanum itinere, reque cum Hiſpanis [α] miniſtris communicata, [l] Samarobrigam Ambianorum venit, et, quaſi Capucinorum ordini nomen daturus, in ea urbe aliquandiu haeſit. Sub id tempus cardinalis Florentinus pontificis legatus poſt regis cum pontifice reconciliationem in Galliam appulit. Nihilominus conſilium de rege interficiendo durabat; et Ridicovius Lutetiam profectus, ut commoditatem rei [β] peragendae captaret. Inde in Ambianos propere revolat; atque, ut magis falleret, maternum Avenarii nomen mentitus, cum Vincentio [m] Regio urbis praetore colloquium habuit de Ridicovio, quem a Malavicino tentatum, ut regem interficiendum ſuſciperet, rem exequi noluiſſe affirmabat. De Petro etiam Argerio in regis perniciem percuſſore ſubornato, oris ac vultus

VAR. LECT. [α] miniſtris, ac praecipue cum cardinali Aldobrandino, communicata, *MSS.* Inde *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.* [β] peragendae ex Jacobi Clementis ſociis diſceret. *Reg. & Samm. Put & Rig.*

INTERPR. [a] *Malvezzi.* [b] *Hodum.* [c] *S. Quintin.* [d] *de Conflant vicomte d'Auxy.* [e] *S. Denis.* [f] *Marle, Cambray, Valenciennes, & Mons.* [g] *Gand.* [h] *Jules.* [i] *Bapaume.* [k] *Argier.* [l] *Amiens.* [m] *le Roi.*

vultus forma deſignata, ſermonem injecit. Quod cum Regius ad regem detuliſſet, accidit, ut eodem tempore quidam, qui ſe Italum jactabat, [a] Moncelli, ubi nunc rex erat, ex indicio Regii caperetur, qui a Nic. Baſta ſe miſſum dicebat, non de Bapalma ſed de [b] Ardea regi tradenda ſpem faciens. Ex eo aucta ſuſpicio; ſtatimque mandatum Regio, ut [c] Ridicovium in aulam adduceret. Is omneis, quos Ridicovius cum Malavicino habuerat ab eoque audiverat, tam Bruxellis quam Romae, ſermones regi aperit, eoſque ſe ex Ridicovio tanquam intimo didiciſſe aiebat, Avenarii nomen ſemper mentitus. Rex, tot detectis ac raro Dei beneficio revictis conjurationibus, cum videret de re amplius in jure inquiri citra [d] Malavicini ſummam infamiam non poſſe, idque ad injuriam pontificis, cum quo nuper reconciliatus fuerat, quamvis rei minime conſcii, aliquo modo pertinere, inſuper vereretur ne archidux in ſuſpicionem veniret, quaſi conſilio participaſſe argueretur, idque pacis, de qua cardinalis Florentinus mentionem injecerat, negotium diſturbaret, diſſimulatione ſibi utendum duxit, ſatiſque habuit Ridicovium in libera cuſtodia ad beati Martini coenobium primo relegare ad Februarium uſque inſequentem: quo cum novis ſuſpicionibus oneraretur, placuit ut arctius in epiſcopi foro cuſtodiretur, ubi totos XX menſeis retentus eſt; tandemque rex, ſine ampliore cognitione aut alio publico decreto, eum dimittere ſtatuit, eaque de re [e] breviculum a Nic. [f] Neovillo Villaregio ſubſcriptum confici juſſit, quo jubebatur regno excedere, ejuſque ingreſſu in perpetuum interdicebatur, addita poena, ni pareret, ut tanquam perduellis plecteretur. Verum regia gratia Ridicovius, de qua per Franc. [g] Vallam magnum hoſpitii regii praefectum cognoverat, minime uti voluit: et cum Car. [h] Viardoto oſtiario, quem, dum in carcere erat, ſeduxerat, eo effracto profugit IX Kal. Sept. anni CIƆ IƆ XCVIII; et, ſtipe aliquot mulicreularum, quae plus aliis religioſae in urbe videri volunt, muneratus, per [i] Tricaſſeis, Lingones, et Divionem iter in [k] Sequanos habuit, eremum, ut aiebat, quaerens. Cum in Sequanis aliquandiu haeſiſſet, inde per Lotharingiam, ubi cum Jo. [l] Caſtelli paricidae patre relegato ejuſque matre ad [m] Nicolai-fanum aliquoties collocutus eſt, ac per [n] Eburones facto itinere [o] Gandavum mutato habitu venit; ubi repetitum de rege interficiendo conſilium. Nam mox inde in Sequanos ditionis Philippicae abiit, habitoque ad S. Vincentii coenobium juxta [p] Veſontionem ſecreto colloquio, Divionem rediit: ubi accepta pecunia, et cum Dominicano quodam, cui Clementi [q] Odino nomen, habito ſecreto colloquio, ad Lingonum civitatem venit, et [r] Grancaei tandem ſubſtitit; ubi uterque eremitae habitum ſumpſit, arcta cum Petro [ſ] Morello loci curione contracta familiaritate, ita ut arcana cuncta ſua ei revelaverit: ab oratore pontificio ſe Bruxellis perſuaſum de rege interficiendo cum ipſo conveniſſe, et ob id Fanum ad uſque Dionyſii profectum eſſe; ſed cum conatus non ſucceſſiſſet, poſtea in Italiam abiiſſe, unde ad rem exſequendam confirmatior redierit. Id cum Morellus ſtatim Deſiderio [t] Pariſoto loci domino detexiſſet, ille ad rem exhorruit, et citatis equis in aulam properans quod intellexerat aperit, dato prius negotio ne novi eremitae interim profugerent. Igitur denuo regis juſſu captus Ridicovius, et cum eo Viardotus: cauſamque fugae interrogatus, poſtea non aliam dicebat, quam quod metueret, ne, ſi gratia regis uſus fuiſſet, Gandavum reductus in ſui ordinis ſodalium et Jeſuitarum poteſtatem veniret, quos ſciebat in perniciem ſuam conſpiraſſe, quod colloquia cum oratore pontificio de rege interficiendo habita revelaſſet. Sed haec potius pro excuſatione cum acciperentur, de cetero conſtaret, et indiciis et teſtimoniis, non ſolum ab initio, quod ipſe ingenue fatebatur, ſed ſemper

poſtea

INTERPR. [a] *Monceaux.* [b] *Ardres.* [c] *Ridicowe,* dit *d'Aveſnes.* [d] *Malvezzi.* [e] *Brevet.* [f] *de Neufville Sr de Villeroy.* [g] *du Val prevoſt de l'Hoſtel.* [h] *Viardot geolier.* [i] *Troyes, Langres, & Dijon.* [k] *la Franche Comté.* [l] *Chaſtel.* [m] *S. Nicholas.* [n] *Liege.* [o] *Gand.* [p] *Beſançon.* [q] *Oudin.* [r] *Grancé.* [ſ] *Merel.* [t] *Pariſot.*

poſtea in eodem deteſtando regis interficiendi propoſito perſeveraſſe, eaque mente ex Italia reverſum ad regem introduci voluiſſe, et regia benignitate dimiſſum, ea lege, ne in regnum deinceps pedem inferret, nihilominus in [a] Lingonas deſcendiſſe, et conſilium ſuum Petto Murello curioni nulla re ſuſpecto aperuiſſe; tandem uterque ſenatui traditus, ut in eos legibus ageretur. Interrogatus autem Ridicovius, quomodo in animum induxiſſet regem interficere, reſpondebat, frequentibus ex ambone concionibus et aſſiduis in ſchola diſputationibus, ad haec ubique perſonantibus non ſolum ad templa, ſed fora, compita, convivia, Jacobi Clementis, qui ſe pro Francorum libertate devoviſſet, tanquam glorioſi martyris laudibus, facile ſibi perſuaſum, rem cum Deo gratam et acceptam facturum, qui diriſſimum uſurpatorem, et nullo jure Chriſtianiſſimum regnum cum tot animarum diſpendio lacerantem, de medio tolleret: itaque cum idem [b] Malavicinus in eam rem Dei ac pontificis auctoritatem praetexeret, deteſtandae audaciae facinus paribus animis patrandum ſuſcepiſſe: ſed ubi primum conatus non ſucceſſit, et ſacris initiatus fuit, mox poenituiſſe, et ab eo conſilio omnino deſtitiſſe; Romamque non aliam ob cauſam profectum eſſe, quam ut ſumptus inutiliter Malavicino inſtigatore factos ex conventione repoſceret: cumque ille ad rem peragendam ipſum denuo hortaretur, Catolum [c] Servium, qui magni poenitentiarii vices pro natione Belgica Romae gerebat, a ſe ſuper facto conſultum, non ſolum illud deteſtatum eſſe, ſed Malavicinum temeritatis incuſaſſe, qui eccleſiaſticam auctoritatem in re, a qua pontifex maxime alienus eſſet, interpoſuiſſet. Poſtea variavit, et Servium, cum adhuc incertus eſſet an ipſe in propoſito regis interficiendi perſeveraret, minime conſilium improbaſſe dixit; ſed poſtquam cognovit poenitere eum, tum mutato quaſi vultu deteſtatum eſſe: de cetero enixe vetuiſſe, ne cuiquam, quod ex Malavicino audiverat, retegeret. Haec in ſui excuſationem allegabat reus: ſed cum nec reditum in regnum poſt factam a rege gratiam contra ipſius interdictum excuſare poſſet, nec Morelli recentem accuſationem dilueret, aut indicia ac ſuſpiciones ex re naſcenteis ſatis idoneis rationibus purgaret, ad mortem damnatus eſt; et cum prius quaeſtioni extraordinariae ſubjectus eſſet, nec quidquam aliud quam quae initio confeſſus fuiſſet, membris confractis rotae impoſitus fuit. Viardutus, qui carcere effracto cum eo profugerat, relegatus, bonis ejus in fiſcum redactis. Captus eodem tempore ob eandem ſuſpicionem fuerat Nicolaus [d] Anglus ex ſervorum Capucinorum numero, monaſticam in [e] S. Michaëlis oppido, quod ad [f] Tullenſem dioeceſim pertinet, profeſſus; qui, cucullo abjecto, lixae habitu in aulam venerat: interrogatuſque cur monaſterium reliquiſſet, rem tacendam, cujus horrore ex eo profugiſſet, fruſtra praetexebat; tandemque aliis indiciis ac teſtimoniis convictus iisdem confractis membris rotae impoſitus fuit. Id eodem die actum, III Nonas Aprileis.

VI. REX interim [g] Fonte-bellaqueo [h] Bloeſas conceſſerat; ubi dum eſſet, duellum diu ante agitatum inter Philippinum Sabaudi naturalem fratrem et Catolum [i] Crequium [k] Diguierii generum accepit finem. Origo diſſidii ex eo nata, quod in memorabili [l] Chaumuſſetae munitionis ante triennium a Diguierio expugnatione, [m] Chauvireo loci praefecto forte interfecto, faſcia ejus inſignis a Crequio capta fuerat, quae Philippini tamen fuiſſe ferebatur. Itaque, tubicine a Sabaudo miſſo, ut Chauvirei corpus ad ſepulturam poſceret, Crequius eum diligenter interrogavit, an faſciam agnoſceret; nam ſi Philippini eſſet, ſicuti ferebatur, eam ſe libenter ipſi redditurum. Re a tubicine relata Philippinus hac Crequii comitate decori ſuo illudi ratus, injuriam militari facinore ulciſci apud animum ſuum conſtituit; et dum exercitus utrinque ad [n] Moletas in conſpectu ſtarent, ſpatioſo prato interjecto, poſt

crebras

INTERPR. [a] *Pays de Langres.* [b] *Malvezzi.* [c] *Servio.* [d] *l'Anglois.* [e] *S. Michel en Lorraine.* [f] *de Toul.* [g] *Fontainebleau.* [h] *Blois.* [i] *de Crequy.* [k] *le Sr de Leſdiguieres.* [l] *le fort de Chamouſſet.* [m] *le baron de Chavirieu.* [n] *les Molettes.*

crebras velitationes per tubicinem ad certamen equeſtre Crequium provocat, non addita cauſa. Crequius confeſtim adducto ſecum tubicine ad locum deſignatum contendit, ubi eum minime compareret adverſarius, ipſe ad Sanctium [a] Salinam Hiſpanarum copiarum ſummum tribunum et [b] Evangeliſtam miſſo ſuo tubicine denunciat, ſe adeſſe, petitque ut per eos Philippinus id reſciſcat. Aliqua mora interjecta reſponſum a Salina, fruſtra Philippinum exſpectari; nam Sabaudi mandato ipſi interdictum ne veniat. Mox tenebris ſubortis inde diſceſſum, non ſine juſta Crequii indignatione Philippini tergiverſationem incuſantis, et teſtem Evangeliſtam ipſum appellantis. Poſtea in [c] Carbonariae munitionis oppugnatione capto Crequio et [d] Auguſtam Taurinorum ducto annus elapſus eſt: et cum Philippinus interim Crequium captivum officioſe inviſiſſet, nihil cauſae intercedere putabatur, cur amplius ad extrema deveniretur. Tandem Sextili ineunte, poſt libertatem a Crequio pacificationis beneficio recuperatam, Philippinus [e] Camberio ad ipſum, qui Diguieriae erat, ſcribit, et ut ad [f] Barraliam munitionem veniat rogat. Eam duelli repetendi cauſa denunciationem fieri interpretatus Crequius, per tubicinem a Philippino miſſum reſcribit, et pridie Eidus Sextileis loco deſignato ſe compariturum promittit: quod et ſedulo fecit, adductis ſecum [g] Fontano, Hercule, et Claudio Auguſtoduno Balmio; allatis item duobus enſibus, ac totidem pugionibus, ut eorum optionem Philippinus faceret. Heic biduum ultro citroque commeando inſumptum, cum Crequius certaminis cauſa ſe veniſſe diceret, ad idque ſaepius adverſarium provocaret; Philippinus colloquium cum Crequio tantum ſe expetiiſſe per literas ſuas reſponderet. In colloquio cum rurſus Crequius coram ad duellum adverſarium invitaret, et parata arma oſtenderet, Philippinus ad extremum ſibi per colloquium abunde ſatisfactum reſpondit; et fruſtra Crequio et Fontano Philippinum, ac eum qui cum ipſo venerat, interpellantibus, ut ſermonum inter ſe habitorum et conditionis a Crequio oblatae memores eſſent, utrinque diſceſſum eſt. Sed mox Fontanus cum ſcripto Camberium ad Philippinum mittitur, quo facti ſeries narrabatur, petiturus, ut ei, ſicuti Crequius fecerat, Philippinus quoque ſubſcriberet. Quod cum facere recuſaſſet, ad duellum ab eodem Fontano Crequii nomine vocatur: ad quod tandem poſt multas tergiverſationes deventum loco condicto inter [h] Gieram et Gratianopolim. Eo cum [i] Pingono equite Camberio venerat Philippinus XIII Kalendas Septembreis: mox et adfuit Crequius cum [k] Buiſſa ſolo. Conſerto certamine ictus in mamilla Philippinus, ubi ſanguinem manantem vidit, ſemel atque iterum ſe vulneratum inclamavit. Heic an haberet percunctante Crequio, et ut reſponderet inſtante, Pingonus, qui aderat, Philippini nomine habere reſpondit. Tum ut arma abjiceret imperante Crequio, Pingonus arma Philippino erepta in terram abjecit, quae pediſſequus ſubito collegit. Crequius adverſarium exarmatum videns et ipſe arma abjecit, et Philippinum amice complexus Gierae curando vulneri intentum reliquit. Id cum reſciviſſet Sabaudus aegerrime tulit, parum pudori Philippini conſultum exiſtimans, ſi prior ille arma abjeciſſet; ideoque ipſum a conſpectu ſuo abſtinere juſſit, donec maculam tantam Sabaudo nomini inflictam aliqua ratione eluiſſet. Itaque ille, qui a gratia principis ſui eo facto excidiſſet, ut culpam emendaret, Camberio literas per tubicinem ad Crequium, qui tunc [l] Lugduni cum [m] Birono erat, mittit Februario inſequenti: quas Crequius tot tergiverſationum impatiens accipere noluit, ac minime reſeratas tubicini reddidit, facto non verbis opus eſſe dictitans, et fore promittens, ut quarto poſt die ad [n] Kiracium ſe ſiſteret, quod praeſidio regio a [o] Lancino tenebatur, et a [p] Santandreana arce,

INTERPR. [a] *de Salinas.* [b] *Evangeliſta.* [c] *le fort de Charbonniere.* [d] *Turin.* [e] *Chambery.* [f] *le fort des Barraux.* [g] *les Srs de Fontaine, d'Hercule, & d'Autun la Baume.* [h] *Gieres, & Greneble.* [i] *le chevalier de Pingon.* [k] *le Sr de la Buiſſe.* [l] *Lyon.* [m] *le mareſchal de Biron.* [n] *Kirieu.* [o] *le Sr de Lancin.* [p] *le fort de St André.*

CIↃ IↃ XCIX.

HENRICUS IV.

CIƆ IƆ XC IX. HENRICUS IV.

arce, quae Sabaudicae ditionis eſt, exiguo ſpatio, et a Camberio non plus unius diei itinere, abeſt. Eo venit XIV Kal. Mart. Crequius; ad quem Pingonus et [a] Sarranus a Philippino biduo poſt venerunt: cumque Pingonus poſt aliquot altercationes Philippinum arma priorem ultimo certamine abjeciſſe pernegare diceret, et Crequius contra Pingonum ipſum, qui interſuerat, teſtem appellaret, tandem Philippinum in campo ſubjecto adeſſe Pingonus renunciavit. Inde [b] Fontanus a Crequio miſſus cum Pingono Rhodanum tranſmittit, duos enſcis et totidem pugiones ad Philippinum, ut quem vellet ex iis deligeret, deferens, et locum certaminis luſtraturus, ac Philippinum ipſum pertractaturus. Superiora corporis ille paſſus tractari, inferiora non tulit; et caligas ut certamini minime aptas, quippe diſſectas, prius permutare voluit. Tum tempus nimboſum cauſatus, et poſtremo ſine ſocio, is [c] Orangius deſtinabatur, ſe pugnaturum negavit. Ita die extracta diſceſſum eſt: a qua ſcriptis utrinque pugnatum eſt, publicato a Philippino ſcripto V Nonas Martias, quo decori ſuo ſe abunde ſatisfeciſſe, neque ullam inter militareis viros uſurpari ſolitam rationem praetermiſiſſe, aiebat, et contrario a Crequio pridie publicato ſcripto, quo ſeries facti ſimpliciter explicabatur, reſpondebat. Huic rurſus a Crequio reſponſum XIII Kalendas Aprileis, quo ſine fuco, ſine arte, ſine colore ullo oratorio ſcriptum IV Nonas Martias a ſe publicatum oſtendebat; et pluma ferrea, non atramentaria, haec inter ipſos verba vulgo uſurpabantur, utendum ipſi eſſe, ſi maculam pudori inuſtam delere cuperet, contendebat. Hoc ſcripto typis excuſo, quod ad Sabaudi notitiam pervenerat, cum ſibi certandi neceſſitatem impoſitam videret Philippinus, nec ullum amplius locum gratiae apud Sabaudum recuperandae, quam ſi morte aut victoria dedecus elueret, XIV Kal. Jun. ad Crequium dat literas, et tempus ac locum certamini Crequio condicit, ſibique amplius ad ultimum Crequii ſcriptum reſpondendi facultatem ſervat: quod quatriduo poſt ſcripto prolixo fecit. Interea conditione certaminis accepta Crequius Kalendis Junii ad [d] Kyriacum venit; et cum nullus tergiverſationi locus eſſet, cautionibus utrinque datis et acceptis, poſtridie tranſmiſſo Rhodano hinc Crequius cum [e] Attiniaco, et hinc Philippinus cum [f] Buiſſa, qui toto itinere laudata Crequii virtute terrorem adverſarii animo injicere conabatur, ad locum certaminis convenere, [g] Paſſagio, Morgio, Auriaco, Dizemio, qui Crequium ſecuti fuerant, in ulteriore ripa remanentibus: tantum Sarranus, [h] Gieſus, Seiſſellius, Lucingus Allimius, qui, quia certaturi in terra Sabaudia erant, fidem interpoſuerant nihil fraudis interventum iri, juxta ſtetere, ceteris qui cum Philippino venerant longius ſecedentibus. [i] Patrini, qui vulgo vocantur, Attiniacus nimirum et Buiſſa, initio certandi copiam ſibi quoque fieri petebant, ne ignavi ſpectatores potius ſedere quam periculi partem capeſſere velle viderentur: ſed placuit, ut, quando veluti certaminis moderatores adeſſent, extra ejus aleam manerent. Tandem ad manus ventum; iſque poſt exiguam moram duelli exitus fuit, ut Philippinus tribus enſis, duobus pugionis ictibus confoſſus conciderit. Tum ſuperincumbente Crequio, et vitam ut ſibi condonari Philippinus peteret inſtante, ille non ſolum recuſavit, ſed etiam, ſi ſibi condonaretur, eam minime ſe adverſario debituram declaravit. Igitur Attiniacus eam non Philippino ſed ſibi condonari petiit. Ad quae verba conſurgens ſtatim Crequius et Buiſſa accurrens utrinque Philippinum, quantum in ipſis fuit, perhumaniter in pedes erexerunt. Verum illo ob vulnerum gravitatem ſtatim concidente, ſalutatis qui aderant, Rhodanum tranſmiſerunt. Philippinus ex vulneribus paulo poſt deceſſit, cum prius a chirurgo a Crequio miſſo curatus eſſet. Magnam ea res Sabaudo triſtitiam attulit, ex eo infauſta omnia rebus ſuis ominanti; parumque abſuit,

INTERPR. [a] *de la Sarra.* [b] *de Fontaines.* [c] *l'Oranges.* [d] *Kirieu.* [e] *d'Attigny.* [f] *de la Buiſſe.* [g] *du Paſſage, de Morges, d'Auriac, & de Dizemieu.* [h] *les Srs de Guy, de Seyſſel, & de Luſinges Sr des Alimes.* [i] *Parrins.*

abſuit, quin captum de profectione ad regem conſilium omnino omitteret. Crequius, qui illaeſus a certamine victor diſceſſerat, ante omnia de ſucceſſu gratias Deo egit; de cetero amicos ob id effuſe laetanteis a gratulatione ut abſtinerent monuit, ſatis ſibi eſſe dictitans, quod in juſta cauſa pro Gallici nominis gloria ipſi victoriam Deus annuiſſet.

VII. REX diu exſpectatione ſuſpenſus ſumma laetitia nuncium accepit, id contrarium in omen vertens: totuſque in pacis cogitationem intentus, ne qua intus foriſve novi motus materia ſuboriretur, diligenter curabat. Itaque cum crebrae a Philippo et Alberto archiduce querimoniae venirent, pacem verbo in ſpeciem factam, re vero bellum diriſſimum inter ipſos geri, ſummiſſa pecunia et milite perduelleis juvari, nec occulta in eos gratia regem propendere; quantum ad pecuniam ſpectabat, ſic reſponſum, quamdiu Franciae regnum et rex ipſe ab Hiſpanis, ac Belgicis viribus, aliiſque externis copiis oppugnatus eſt, foederatos Ordines nec pecuniae nec militi peperciſſe, ut rem Gallicam juvarent: proinde aequum eſſe, ut rex tanti beneficii memor amicis populis pecuniam, quam ab iis tam neceſſario tempore accepit, repoſcentibus bona fide reddat: id nullis pacis conditionibus prohiberi, neque concordiae et amicitiae nuper ſolemni jurejurando ſancitae adverſari: porro optare regem, pro jure amicitiae, ut Albertus aequis rationibus cum illis conveniat: neque interim commiſſurum, ut fidem ea in re ſuam aut officium amici aut foederati principis deſiderare poſſit. Secundum haec edicto vetitum, ne qui milites, aliive, cujuſcunque conditionis eſſent, in Belgium abirent, contra Albertum militaturi; ſi qui contra facerent, in eos tanquam perduelleis legibus ageretur.

VIII. DUM rex Bloeſis eſſet, Philippus Huraltus cancellarius ad [a] Ceverniam arcem ſuam, in qua natus erat, divertit, moxque confluente ad ipſum innumera nobilium gratulantium multitudine veniſſe ſe dixit, ut ingenui leporis inſtar in cubili ſuo moreretur: quod ominoſe dictum exitus comprobavit; nam, cum optime valere crederetur, nec-opinata inteſtini convulſione correptus, paucis poſt diebus ibidem deceſſit III Kalendas Quintileis, annum aetatis ſeptuageſimum ſecundum aliquot menſibus ſupergreſſus. Fuit vir ingenio, prudentia, admirabilique in negotiis explicandis ſolertia ac diligentia praeditus; tum praecipue comitate et humanitate inſignis; qua fiebat, ut nemo a conſpectu ejus triſtis [α] diſcederet: in regni arcanis priſci moris, quem in ſenatu olim imbiberat, retinens; quibus per novas leges ac inſtituta, tam in civili quam ſacra diſciplina, quidquam derogari aut praejudicari, quantum in ipſo fuit, toto magiſtratu ſuo paſſus non eſt. Eum XX annis tenuit, et per XXX amplius in flagrantiſſima trium regum gratia floruit, ab iiſdem ad ampliſſimos honores et opes evectus. Ex Anna Thuana Chriſtophori Thuani filia plures liberos ſuſtulit; Henricum Cevernii comitem, qui Franciſcam [b] Cabotiam Helionori comitis [c] Carnii filiam duxit; Philippum [d] Carnutum epiſcopum deſignatum, et Ludovicum [e] Limoroſii comitem: tres item filias ſplendidiſſimis auctas matrimoniis; Margaritam, quae Vido [f] Lavallo Nigellae marchioni ad [g] Euriacam pugnam fortiter pugnando interfecto primis nuptiis elocata eſt, dein Annae [h] Anglurio Givrio ad [i] Laodunum Clavatum itidem caeſo nupſit; Annam, quae Gilberto [k] Tremollio Roiani marchioni; et Catharinam, quae primum Virginali [l] Eſcublaco Capellae comiti, dein, eo in flore aetatis mortuo, Antonio Aumontio famoſi illius Joannis equitum tribuni filio ac praecipuo heredi nupſit. Invaluerat [β] jam multis abhinc annis, ut non ex

regni

VAR. LECT. [α] diſcederet, ſed interdum nonnihil obnoxius: de cetero in regni *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.* [β] jam pravo in aula more multis *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Chiverny.* [b] *de Chabot.* [c] *Charny.* [d] *Chartres.* [e] *Limours.* [f] *de Laval marquis de Neſle.* [g] *d'Ivry.* [h] *d'Anglure de Givry.* [i] *Laon.* [k] *de la Tremoille marquis de Royan.* [l] *d'Eſcoubleau comte de la Chapelle.*

regni curiis, ſicut olim [α] fiebat, ſed ex iis qui in comitatu principis gratiſſimi vixiſſent et maxima diu negotia tractaſſent, ad ſummum togae magiſtratum aſſumerentur. Itaque quaerenti ſucceſſorem ſtatim occurrit Pomponius [a] Bellevreus, multis publicis muneribus ac crebris legationibus cum prudentiae fama defunctus, qui aſſiduo obſequio et longo aevo meruit, ne quis alius ex aulicis ipſi [β] praeferretur.

IX. PROXIMA ac maxime ſeria de regis matrimonio cum Margarita diſſolvendo conſultatio fuit: qua de re ut cum pontifice ageret Nic. [b] Brulartus Sillerius Romam a rege miſſus fuerat. Senatus Pariſienſis cunctique regni ordines enixe inſtabant, ut rex, ducta uxore ac ſuſceptis liberis, imperio munimenta ac ſubſidia pararet: non deeſſe quidem legitimos regni heredes, tot ex illuſtriſſima omnium, quae unquam ſceptra tenuerant, familia Francica ſuperſtitibus principibus: ſed ad firmandas res in regno factionibus ſciſſo multum intereſſe, ut cui publicam ſecuritatem poſt tantas turbas debet Francia, ex eodem prolem regnaturam habeat. Obſtabat impedimentum prioris matrimonii cum Margarita deceſſorum ſuorum ſorore ante XXVII annos contracti: ſed nec deerant exempla domeſtica hujuſmodi matrimoniorum ob ſterilitatem, cognationem, mores, aliaſque juſtas cauſas publicam tranquillitatem ſpectanteis ſummo regni bono diſſolutorum. Inter Merovingos, qui primi regnum Francogallorum fundarunt, Clotarium I Radegundam, Aribertum Aquitaniae regem Ingobergam, Dagobertum I Cometrudem repudiaſſe: ſic Carolum magnum Theodota dimiſſa Irmengardim Deſiderii Longobardorum regis ſororem in uxorem duxiſſe; ſic Ludovicum Balbum Anſgardam dimiſiſſe; ſic Ludovicum VII, Juniorem vulgo dictum, poſt reditum ex Syria Helionoram Aquitanam repudiaſſe, et Conſtantiam Alphonſi Hiſpaniarum regis filiam in conjugem aſciviſſe, ex qua Philippus Auguſtus natus: ſic Carolum IV, dimiſſa Blanca Othelini Burgundiae comitis filia, Mariam Lucemburgicam Henrici VII imperatoris filiam duxiſſe; et Ludovicum XII, patrem patriae apud ſuos, apud externos Juſti cognomentum promeritum, Joannam Ludovici XI filiam et Caroli VIII ſororem dimiſiſſe, ut Annam Britannam aſciſceret. In matrimonio inter regem et Margaritam conſanguinitatis gradus arguebatur: Margarita quippe [c] Joannae Labretanae regis matris parens Franciſci I ſoror erat, et ita tertio gradu invicem ſe contingebant; de quo pontifex ante contractum matrimonium minime gratiam fecerat, quippe rege tunc Proteſtantium doctrinae addicto, et gratiam illam ac clavium poteſtatem ſpernente: quam licet poſt tumultum Pariſienſem a Gregorio XIII, quaſi prava doctrina tunc ejerata, adeptus ſit, tamen gratiam a pontifice factam minime valere; quippe Margarita minime poſtulante, atque adeo contra ipſius voluntatem conceſſam: nam illam reverentia materna, et ut Carolo fratri, qui ipſi loco patris et regis erat, morem gereret, coactam, nec ſponte ab initio nupſiſſe; et pontificem rei ignarum, illi ut conſentienti, atque regi Navarrae tanquam ad gremium eccleſiae verae reverſo, prohibiti gradus gratiam feciſſe: atqui quantum ad regem ſpectat, ſubito patuiſſe, quicquid poſt tumultum fecit, id metu, qui in conſtantiſſimum virum cadere poteſt, coactum feciſſe, proteſtatione, ubi ex aula poſt profugit, edita, qua Calvini doctrinam ſe ſemper retinuiſſe profeſſus eſt, ab eoque tempore ſemper in eodem errore perſeveraſſe: Margaritam vero ſemper metum et reverentiam poſtea obtendiſſe, neque de diſpenſatione poſt conſummatas nuptias conceſſa quidquam

VAR. LECT. [α] fiebat, meritiſſimi, ſed ex iis qui in comitatu principis vixiſſent gratioſiores, ad ſummum togae *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

[β] praeferretur: ſed ſpei de ſe conceptae magiſtratus minime reſpondit, fere obſcurus, neque ulla re praeclare ab eo geſta memorabilis, extrema etiam clauſula minus anteacta vita dignus; quippe ſe reſpicere in decrepita ſenectute juſſus, dignitatis, quam ſaltem non tanti facere tot decurſis honoribus didiciſſe debuerat, retinendae impotens deſiderium prae ſe tulit, et honeſtam, quam rex et aetas dabant, a ſeipſo miſſionem impetrare non potuit. Proxima *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Bellievre.* [b] *Brulart Sr de Sillery.* [c] *Jeanne d'Albret.*

quidquam reſciviſſe; et XIV annos continuos ab Henrico ſeorſim manſiſſe: quae cum ita ſint, pontificem cum neutro diſpenſare aut voluiſſe aut potuiſſe: nam diſpenſationem, quae contra jus eſt, ſtricte intelligendam et interpretandam eſſe, ſicuti ab Alexandro reſcriptum eſt; et juxta concilium Tridentinum diſpenſationes gratioſe conceſſas nullum ſortiri effectum, niſi prius ab ordinariis tanquam delegatis apoſtolicis de iis cognoſcatur: nullum antem novum partium conſenſum, nullam parochi epiſcopive cognitionem ad diſpenſationem acceſſiſſe; nullum proinde matrimonium ab initio fuiſſe, neque ex poſt facto convaluiſſe: aliud et impedimentum ſubeſſe, quod quo minus legitimae nuptiae coierint obſtitit, nempe cognationem ſpiritualem; nam Henricum II Francorum regem, Margaritae patrem, Henricum, qui nunc feliciſſime regnat, de ſacro ſonte anno CIƆ IƆ LIV levaſſe. Antequam res in aula Romana agitaretur, ex compacto Margarita, quae tam diu jam a viro abfuerat, publico [a] Uſſoni in Arvernis inſtrumento confecto pridie Nonas Februarias procuratores ſuos conſtituerat, Martinum [b] Anglum libellorum ſupplicum magiſtrum et Edvardum [c] Molaeum in ſenatu digniſſimum aſſeſſorem; per quos apud regem petebat, quandoquidem propter prohibitum conſanguinitatis gradum, religionis diſſidium, neque adhibitum ea in re neceſſarium conſenſum, aliaque impedimenta, nuptiae legitimae inter regem et ipſam coire ab initio non potuiſſent, neque proinde cum rege, a quo tam diu jam abfuerat, tanquam cum marito ſalva conſcientia manere poſſet, inſuper ad eam jam aetatem perveniſſet, qua de prole ſuſcipienda deſperaret, quod unice non ſolum a rege ſed a cunctis regni ordinibus exoptabatur, rex in bonam partem acciperet, ſi apud pontificem alioſve quoſvis eccleſiaſticos judices inſtaret, ut matrimonium illud nullum declararetur, liceretque regi libere ac legitime aliam uxorem, ad ſperatam prolem ſummo regni bono ſuſcipiendam, ducere. Secundum haec, Sillerio et Oſſato cardinali Romae inſtantibus, pontifex cardinalem Jouſam, Gaſparem [d] Mutinenſem epiſcopum ſuum apud regem oratorem, et Horatium [e] Montanum archiepiſcopum Arelatenſem delegavit, qui de cauſa cognoſcerent, diplomate ad eos VIII Kalendas Octobreis directo: quo accepto literas ad pontificem et cardinalium collegium rex dedit, gratiaſque tam ſuo quam regni, cujus ſe ſtudioſos hac gratia conceſſa oſtenderent, nomine prolixe agebat. Cum igitur aliquoties delegati in aedibus Henrici [f] Gondii epiſcopi Pariſienſis conveniſſent, et, quoniam in cauſae cognitione res verſabatur, diligenter eam, adhibitis probationibus et interrogationibus, ac declarationibus inſpectis, examinaſſent, tandem matrimonium ob conſanguinitatis gradum, erroris in fide vitium, cognationem ſpiritualem, alterius partis metum ac diſſenſum ab initio, nullum pronunciarunt, libertatemque utrique parti fecerunt conjugii cum alia parte contrahendi. Sententia mox Romam miſſa, ut a pontifice, a quo judices dati erant, confirmaretur. Paulo ante, VII Eidus Decembreis, [g] Claudius Tremollius familiae perilluſtris et longe maximis adfinitatibus toto regno ſubnixae princeps, cujus parens Ludovicus olim Carolo IX rege [h] Thoartii dux creatus fuerat, paris Franciae ſacramentum in ſenatu dixit. Inter decora gentis recenſita Ludovici Tremollii, qui Gabrielidem Borboniam in uxorem duxerat, felix ad [i] Albini-fanum in Armorica Caroli VIII auſpiciis commiſſa pugna, et in [k] Papienſi clade mors glorioſa; Caroli item ejus filii [l] Talmondi principis in [m] Mariniana victoria, cujus ille pars magna fuerat, deploranda mors; ipſius Claudii egregia merita, qui ad latus regis toties fortiter pugnans, ac [n] Cutracenſi, et ultima Euriaca pugna praecipue, tanto honore dignus judicatus eſt.

INTERPR. [a] *Uſſon en Auvergne.* [b] *l'Anglois.* [c] *Molé.* [d] *de Modene.* [e] *del Monte archevêque d'Arles.* [f] *de Gondy evêque de Paris.* [g] *de la Tremoille.* [h] *Thouars.* [i] *S. Aubin du Cormier en Bretagne.* [k] *de Pavie.* [l] *Talmond.* [m] *de Marignan.* [n] *de Coutras, & d'Ivry.*

CIↃIↃXC IX. HENRICUS IV.

X. Hoc et anno rex ſericum pannum in regnum importari edicto prohibuit, quod immenſam pecuniam ex eo in Italiam exportari comperiſſet, et a quibuſdam inſtitoribus ſpes facta eſſet, in Gallia ſericum tanta copia confici poſſe, ut non ſolum regni uſibus, ſed etiam vicinis provinciis externis ad ſeptentrionem poſitis ſatis eſſet. Itaque [a] leucomori paſſim ſeri coeptae; quod feliciter jam in [b] Turonibus, dein in Lugdunenſi agro, in Provincia et Septimania factum fuerat; ex quarum arborum foliis vermiculi ſericum gignentes aluntur.

XI. Manebat adhuc indeciſum Saluciae marchionatus negotium, quod nequicquam Romae agitatum fuerat. Hujus cognitionem partium conſenſu delatam cum a ſe abdicaſſet pontifex, et Sabaudus nullas aequas conditiones admitteret, novas ſemper proponeret, quanquam pace facta, nihilominus minime quieturum regem apparebat, donec ei plene de ejus reſtitutione ſatisfactum eſſet. Itaque Sabaudus, ubi triſtem naturalis fratris caſum tandem eluxit, per [c] Britonem equitem et Roncaſium oratores ſuos tentat, an adventu in Galliam ſuo, de quo jam ante ſpem fecerat, res confici poſſet. Quod cum ſive ingenii proprii ac ſolertiae fiducia, ſive ab oratoribus ſuis confirmatus, ſibi perſuaſiſſet, acceptis [d] Altae-combae a Roncaſio regis literis, quibus gratum ſibi ejus adventum fore ſignificabat, iter ingreſſus eſt exeunte Novembri, magnum comitatum ſecum trahens, quem, ubi Lugduno propinquavit, ſumptis citatis equis praeceſſit. Ibi obviam habuit Philibertum [e] Guichium urbis praefectum cum provinciali nobilitate. Praetor Lugdunenſis cum conſulibus ad portam juſſu regis opperiebatur, ut ei denunciarent, regem eoſdem ipſi quos ſibi honores deferri mandaſſe. Ita praelato uraniſco, quem ille modeſtia adfectata ſubire noluit, ad aedeis epiſcopaleis deductus eſt. Lugdunenſis eccleſia inter ceteras Galliae civitates venerandae antiquitatis praerogativam ſervat, a qua et multa integra retinuit, quae in aliis in pejus mutata ſunt; adeo ut ad ejus ritus pleraeque non ſolum apud nos, ſed etiam apud longinquas nationes, ſuos conformaverint. Itaque multi principes etiam externi cum eam ob cultum et reverentiam decoraſſent, mutuis honoribus ab eadem affecti ſunt. Et Philibertus Emmanuel quidem Caroli parens, cum aliquando Lugdunum veniſſet, a ſacri collegii ſodalibus, qui comites vocantur, canonici honorarii dignitate delata ſalutatus fuerat, tanquam [f] Villarii marchio, qui [g] Monlueli juriſdictioni in Sebuſianis ſubeſt. Eoſdem honores tanquam ſibi jure hereditario debitos ad ſe repoſcentem Carolum filium cum illi providerent, Guichium et ex ejus conſilio regem per literas antea monuerant; a quo id reſponſi tulerant, cum adhuc res in incerto belli paciſque eventu inter principes eſſent, et Monluelium, ad cujus juriſdictionem Villarium pertinet, regio praeſidio occuparetur, non videre regem cur honorem patri Monluelium tenenti et pacem cum deceſſoribus ſuis colenti delatum filius ſibi deferri peteret; itaque placere, ut res ſuſpenderetur in Sabaudi reditum; quo ſi inter ipſos conveniret, ei ſimiles majoreſve honores ultro deferrentur; ſin pertinacia illius res ad belli neceſſitatem deduceretur, nihil interim ageretur, quo in demerenda externi principis benevolentia fruſtra laboraſſe dici poſſent. Hanc quaſi repulſam aegerrime tulit homo ambitioſus, harum rerum minime incurioſus; ſed, ut erat diſſimulandi egregius artifex, cum videret ſibi laeto vultu regem adeundum eſſe, noluit committere, ut intempeſtiva de re levi querimonia acrioris in animo regis reſidentis injuriae ſenſum acuiſſe videretur: tantum ab ingreſſu majoris templi abſtinuit, et ad Caeleſtinorum coenobium a majoribus ſuis, ut aiebat, conſtructum, quamdiu in urbe fuit, ad ſacrum audiendum navigio, quod ſecum per [h] Ararim adduxerat, vectus divertit. Poſt triduum per diſpoſitos equos ſuperatis interjectis montibus

INTERPR. [a] *Meuriers blancs.* [b] *Touraine, Lyonnois, Provence, & Languedoc.* [c] *le chevalier Breton, & Roncas.* [d] *Haultecombe.* [e] *de la Guiche.* [f] *de Villars.* [g] *Monluel en Breſſe.* [h] *la Saone.*

montibus [a]Rodamnam venit, et inde cum toto comitatu, dum [b]Lugdoni eſſet prae- CIↃ IↃ XCIX.
miſſo, [c]Aurelianum ſecundo Ligeri delatus eſt; ubique, qua iter fecit, honorifice ex- HENRICUS IV.
ceptus. Tum ſumptis equis citatis [d]Fontem-bellaqueum, quo rex [e]Bloeſis diſcedens
redierat, pervenit, affectata celeritate, ut regem obvium cum toto aulico ſtipatu pro-
diturum et jam equos paratos conſcenſurum anteverteret. Carolus [f]Guntaldus Biro-
nus et poſtea Henricus Borbonius [g]Monpenſerius ad eum Aureliano venicotem prae-
miſſi fuerunt. Poſt ſalutationem ac complexus, ubi primum de re inter eos ſermo
iocidit, uterque ſenſit, congreſſus amice coepti diſparem fore exitum; cum Sabaudus
omnia retinere cuperet, rex ot aliquid de jure ſuo cederet in animum inducere non
poſſet. Inde luſtrandae arci, aedificiis aut inſtauratis aut denuo a rege exſtructis,
porticibus, hortis, viridariis, aviariis, piſcinis, toti ſex dies inſumpti. Poſtea ambo
ad urbem venerunt XIV Kal. Jan. inſigni comitatu. Sabaudo ad [h]Luparam hoſpiti-
um aſſignatum erat, a quo tamen, negotia cum ſuis communicanda cauſatus, ple-
rumque trans [i]Sequanam ad [k]Nemoroſii gentilis ſui aedeis juxta Auguſtinianorum
coenobium divertit. Ita in victus ratione coosueverat, ut non ſtatis horis, quod fere
alii principes faciunt, ſed quandocunque cibi appetitus ſubiret, ad menſam accede-
ret. Iraque pletumque media nocte coenabat; et ut cibi ſumendi, ſic negotiorum
tractandorum, incertis momentis domeſticos mirum in modum fatigabat. Eo fiebat,
ut eum ad aliorum mores accommodare ſuos non poſſet, ſeorſim quoque ab aliis degere
cogeretur. Inter ferias Natalis Dominici extracto tempore, oihil fere actum uſque ad
menſem inſequentem: tantum haſtiludia, choreae, nocturoae pompae, decurſiooes,
ludi thymelici, aliaque hujuſmodi ad novi hoſpitis oblectamentum ſpectacula ſecuta.
Magnam in [l]Eſtraea fiduciam repoſuerat ab initio Sabaudus, cum primum de pro-
fectione in Galliam cogitare coepit. Ea contra ſpem votumque extincta, eum Hen-
ricam [m]Balſacam Franciſci Eotraguii a nobis ſaepius memorati filiam in gratia regis
florere ſciret, magnis eam muneribus devinxit; et, captata ex Kalendis Jaouariis, CIↃ IↃ C.
quibus munera inter amicos commutari ſolent, occaſione, liberalitatis ſive innatae
ſive affectatae raris tunc in aula exemplis aulicorum oculos in ſe convertit: et, ne
quam res noſtras conturbandi homo ambitioſos rationem non tentaret, cum provi-
deret negotium coeptum per amica colloquia eum quem ſperaverat ab initio exitum
non habiturum, aulicorum ingenia in nonnullis proceribus, ut poſt bella civilia fere
accidit, ab officio alienata tentare coepit: ad idque miniſterio uſus eſt Jacobi [n]Laſi-
nii, praenobili quidem in [o]Heduis familia orti, ceterum fidei et pudoris proſtituti, et
ferendis diſſidiis et factionibus per regnum alendis jampridem famoſi, ob idque multis
nominibus regi ſuſpecti. Is clam in urbem venerat, et ſe in familiaritatem Bironi ad-
finitatis ſpecie inſinuaverat, viri, ut de rege et nomine Gallico optime meriti, ſic
egregie et ſupra modum de ſe ac virtute ſua ſentientis, et ſaepius, ut erat iracundo in-
genio, et in ira linguae habenas laxabat, regis ingratitudinem accuſantis. Itaque
cum de motibus praeteritis ac proſperis ſucceſſibus ſermo incidiſſet, Sabaudo tot
regiorum belli ducum praeſtantiam et ſolertiam adulatorie extollente, rex libere
multos de rebus ſuis perperam exiſtimare reſpondit; nam plus ſibi in concordia inter
ſuos ſarcienda, quam in hoſtibus debellandis negotii fuiſſe, pluſque damni plerum-
que ab iis a quibus juvari putabatur, quam ab iis a quibus bello petebatur, accepiſſe;
duro et intractabili tam Bironi patris quam filii ingenio non ſine verborum acerbitate
exagitato. Quod ſtatim per Laſinium Birono renunciandum curavit Sabaudus, ut in
delationibus fit, nova verborum amaritie in majus aucta; ita ut Bironus, tanta injuria,
ſicuti poſtea confeſſus eſt, irritatus, ilicet verbis ad thraſonicam inſolentiam compoſitis
reſpoonderit,

INTERPR. [a] *Roanne.* [b] *Lyon.* [c] *Orleans.* [d] *Fontainebleau.* [e] *Blois.* [f] *de Gontaud mareſchal de Biron.* [g] *le duc de Montpenſier.* [h] *le Louvre.* [i] *la Seine.* [k] *le duc de Nemours.* [l] *la ducheſſe de Beaufort.* [m] *de Balſac fille du Sr d'Entragues.* [n] *de la Fin.* [o] *Bourgogne.*

reſponderit, ſe, ſi quidem dictis interfuiſſet, circum omnia ſeque ipſum totum cruore conſperſurum fuiſſe. Poſtea per Laſinium dein et ipſe [a] Confluentiae in [b] Villaregiano praetorio, cum rex ibi eſſet, cum Ipſo Sabaudo familiariter colloquutus, fidem ei addixiſſe dicitur. Ab eo certe tempore occultae conjurationes cum Sabaudo et Hiſpanis initae, parario ſemper Laſinio; quae biennio poſt ab eodem Laſinio detectae poſtremo perniciem Birono attulerunt. Rex interim, harum tunc rerum ignarus, ut Sabaudi oculos novis ſpectaeulis paſceret, ad [c] Fanum-Germani eum duxit, arcem pulcherrimi proſpectus juxta veterem nuper a ſe extructam, et hortos in colle declivi exeiſos, vaſtiſque srcuum et ſornicum molibus ſuſpenſos, oſtentaturus. Poſtea et ipſum, ampliſſimi ordinis fama olim et nunc toto orbe Chriſtiano celeberrimi conſpectu frui cupidum, in ſenatum duxit; amboque interjecto velo ex podio publicae cauſarum diſceptationi interfuerunt. In eo conſeſſu cauſa sgitata, qoae ut commiſerationis plena, ſie aequitate ſumma deciſa eſt. Joannes [d] Proſtus homo locuples ex [e] Novempopulonia negotiorum caoſa Lutetiam venerat, et in diverſorio Henrici Bellengeri piſtoris hoſpitium ſumpſerat; poſt aliquot menſeis ineunre Februario, dum domum ſub veſperam redir, a graſſatoribus interfectus. Cum non compareret, nam corpus ejus ſicarii occultaverant, Catharina [f] Corderia Bellengeri uxor, ot eſt avarum genus foeminarum, marito perſuadet, conclave et arculas hoſpitis reſeret, et beneficio ſortunae utatur. Ita pecunia averſa, parte ejus exigua coram judice ordinario, qui ad crimen purgandum deinde evocatus eſt, repraeſentata: quin et veſtimenta defuncti in Corderiae arca poſtea reperta. Interim mater occiſi cum ad rei famam advolaſſet, his indiciis et pietate naturali inducta, piſtorem, ejuſque conjugem, ancillam ac reliquam familiam caedis accuſat. Capti illi cum indicia non ſatis purgarent, Henricus quaeſtioni ſubjectus eſt, oxori metu tantum intentato, ut et ancillae. Cum nihil confeſſi eſſent rei dimittuntur, inquiſitione ampliore in eos decreta. Poſtea latrones duo capti ob alia crimina; qui ad mortem damnati, cum ad ſupplicium ducerentur, ultro ſe Proſtum occidiſſe confeſſi ſunt, loco, in quo caeſi corpus abdiderant, deſignato. Quo reperto Henricus matrem calumniae poſtulat, et libello ſupplici abſolvi a crimine objecto petit, judicia contra ipſum lata induci, et damna ac impenſas a parente defuncti ſarciri. Pro piſtore egit Annas Robertus oratione ad commiſeratiouem compoſita; hominem innocentem induſtria ſua aegre vitam tolerantem, criminis deteſtandi calumnioſe accuſatum, tortum, et cum nihil probaretur publicac infamiae expoſitum, quaſi hoſpites, tanquam alter Buſiris aut Diomedes, necare ſit ſolitus. Pro matre dixit Antonius [g] Arnaldus; non calumniandi aoimo, ſed neceſſitate officii ac charitate materna accuſationem inſtitutam; et indicia adeo violenta fuiſſe, ut non ſolum matrem juſta ultione incenſam impellere, ſed judiees ipſos procul ab odio et gratia poſitos ſallere potuerint: neque tamen quidquam in tam atroci crimine durius decretum; nam poſt quaeſtionem dimiſſos reos: nunc re detecta quid aliud ſupereſſe, oiſi ut rei ſupplices Deo, qui diutius veritatem in occulto latere minime paſſus ſit, et judicibus, qui ſeverius in eos ſi non homicidii ſaltem furti convictos non animadverterint, gratias agant, ſicque ſibi perſuadeant, Deum non tam novum ſcelus quam praeterita delicta judicibus fortaſſe incognita in falſa accuſatione vindicare per eos voluiſſe. Cum Annas et Arnaldus peroraſſent, Ludovicus Servinus cognitoris regii vice momenta cauſae utrinque diſcuſſit; ſicque juſtae piſtoris querimoniae et juſtiori matris dolori ſatisfieri poſſe cenſuit, ſi ille a crimine objecto abſolveretur, et haec a mulcta et impenſis, quas commiſiſſe arguebatur, immunis ſententia ſenatus abiret. Et ita ab Achille Harlaeo,

INTERPR. [a] *Conſtans.* [b] *la maiſon du Sr de Villeroy.* [c] *S. Germain.* [d] *Proſt.* [e] *Gaſcogne.* [f] *Cordier.* [g] *Arnauld.*

[a] Harlaeo, qui judicio praefuit, pronunciatum eſt. Dimiſſo coetu, poſtquam patres ſurrexere, Harlaeus regem Sabaudumque, cum principibus, et aulae proceribus, lautiſſimo convivio in aedibus palatio ſubjectis excepit. Id actum XVII Januarii. Tandem res controverſa, propter quam Sabaudus in aulam venerat, in concilium deducta, quod aliquoties in Henrici Momorantii magiſtri equitum aedibus habitum fuit; cui praeter Sabaudi delegatos tanquam medius interfuit pontificis nomine Bonaventura Calatagirona, ordinis Franciſcani nuper generalis, nunc patriarcha Conſtantinopolitanus, quem egregiam operam in pace ante biennium procuranda navaſſe diximus. Sabaudus ante omnia petebat, ut rex Genevae patrocinium desereret; quod ſi negaret, id magna ipſum apud pontificem invidia oneraturum, ſe vero a [b] Saluciarum marchionatus reſtitutione excuſaturum, ſperabat. In ea petitione cum adſtipulatorem non haberet Calatagironam, quippe qui nullum ea de re ſe a pontifice mandatum habere diceret, et rem alioqui exitu carituram provideret, per epiſcopum [c] Mutinenſem pontificis oratorem inſtitit: qui cum regem urgeret, hoc reſponſum tulit; a deceſſore ſuo Genevae patrocinium ſuſceptum regni bono et Helvetiorum rogatu, qui non niſi per Genevam [d] Cluſuras ſervari poſſe, et Cluſuris amiſſis facilem in Galliam tranſitum copiis auxiliaribus intercludi, oſtendebant; proinde illud deſerere non poſſe nec velle, ne, quod ad neceſſariam regni tutelam conſulto factum eſt, temere neglexiſſe videatur. Ubi petitionem per ſe invidioſam fruſtra fuiſſe vidit Sabaudus, et regem ea exacerbatum ſenſit, ad alias artes confugit, quibus alienatum ipſius animum placaret, de Imperio et Mediolanenſis principatus, qui ad regnum pertineat, recuperatione mentione injecta; ad quam ſe conſilia, opes, vires ſociare paratum oſtendebat, virtutem regis ac fortunam ſupra modum extollens. Sed cum ne ſic quidem aſtum procedere animadverteret, et adverſus adulationes ac vanitates infractum regis animum experiretur, poſtremo ad miſeras preces deſcendit, et beneficiarium marchionatum uni ex filiis benignitate regia concedi petiit, ſuis non aliam meliorem fortunam optare ſe dictitans, quam ſi qui jam regi lege naturae proxime conjuncti ſunt, eidem fortunarum ſuarum amplificationem debeant. Tum promiſſa et ſpes inanes de Imperio et [e] Mediolano repetit, ad eaſque plurimum ſuas et ſuorum opes ac voluntates profuturas multis et ad vanitatem compoſitis verbis demonſtrat. Verum ubi poſtremo parum preces, nihil prorſus ſpes et blanditias valere intellexit, ex nimia fiducia in deſperationem rerum ſuarum incidit, et, profectionem ſuam ejuſque ſuaſores incuſans, impetum cepit conſilii juxta probroſi et periculoſi ex tempore capiendi, parumque abfuit quin inſalutato rege per equos locis certis ante diſpoſitos e Gallia diſcederet: nam inceſſerat eum metus poſt tot repulſas, ne vis in aliena poteſtate conſtituto adhiberetur. Quod ubi rex praeſenſit, ab iis qui circa illum erant monitus, in dubio conſiliorum ſalo fluctuanti ſignificandum curat, gratiſſimum ſibi ab initio ejus adventum fuiſſe, quod putaret ipſum in Galliam ea mente veniſſe, ut de marchionatu Saluciae ſatisfaceret; nunc cum nullas conditiones aequas aut admittat aut proponat, dolere ſibi quod re infecta utrinque diſcedendum ſit: ceterum ſcire illum velle, Francorum reges non aſtu doliſve graſſari, ſed aperto bello jus ſuum perſequi conſueviſſe: Franciſcum I jura hoſpitalitatis erga Carolum V religioſe ſervaſſe; ſe pari religione cum ipſo uti decreviſſe: ſicuti liberum ei fuit in Galliam venire, ita liberum patere diſceſſuro exitum: interim licere ipſi, utram conditionum propoſitarum velit optare, aut marchionatum reſtituere, aut compenſationis loco [f] Sebuſianorum principatum tradere; et ad deliberandum trimeſtre totum, poſtquam domum redierit, ſumere.

XII. Id

INTERPR. [a] *de Harlay.* [b] *Saluces.* [c] *de Modene.* [d] *Pas de la Cluſe.* [e] *Milan.* [f] *Breſſe.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

XII. Id ubi ad Sabaudum perlatum fuit, paulum ex metu concepto recreatus colloquium aliquot dies intermiſſum repetit; tandemque perſcriptae leges Kalendis Junii proximis. Marchionatus bona fide ſine ulla tergiverſatione aut excuſatione reſtituatur, cui is praefectus a rege imponatur, qui inimicitiarum privatarum ratione (id propter Crequium additum) minime Sabaudo ſit ſuſpectus: Helvetii in urbibus et oppidis, in arcibus Galli praeſidiarii imponantur; neque tamen rex obligetur diutius Helvetios in iis retinere, quam quouſque compromiſſum in pontificis perſona factum durabit; ſi reſtituere marchionatum nolit Sabaudus, compenſationis titulo totum cum tractum qui inter [a] Ararim et Dubim jacet, Breſſae comitatum vulgo indigitatum, intra idem tempus tradat, in eo comprehenſis [b] Burgo cum arce, [c] Barcellonetta cum vicariatu ſuo uſque ad [d] Argenteriam montem, [e] Sturae et Peroſiae vallibus et omni illarum territorio, nec non et [f] Pinarolio cum omni ejus juriſdictione: rex, traditione ſecuta, jura omnia, actiones cunctas, quas marchionatus ratione habet, in Sabaudum transferat: ſubditi utriuſque ditionis, qui alterutri militarunt, in gratiam recipiantur, et in antiquorum bonorum poſſeſſione conſerventur: [g] Beco-delfinum propugnaculum his bellis ſtructum deſtruatur: tormentorum, pilarum, pulveris nitrati, ceterique apparatus bellici in marchionatus urbibus et arcibus a Sabaudo occupatis inventaria repetantur et diſcutiantur; et, ſi quidem marchionatus reſtitutionem optet Sabaudus, de eorum reſtitutione idonee caveat: utrum optaturus ſit, intra Kalendas Junii proximas declaret, idque ſe facturum bona fide nunc promittat: ſi marchionatum reſtituat, de ceteris inter partes controverſiis pontifex arbiter delectus pronunciet, ſicuti ultima [h] Vervinii pacificatione convenit, cui ſtare utraque pars ſe denuo obligat. Ita conventum IV Kalendas Martias. Poſt triduum Sabaudus, praemiſſo jam comitatu, commeatum a rege petiit, laeto in ſpeciem vultu. ceterum rem protelationibus et repetito ad deliberationem ampliore ſemper ſpatio in longum extrahere certus; perque Briam et Campaniam diverſo quam venerat itinere, ac poſtremo per [i] Heduos, deducente eum Edmondo [k] Malanio Luxio ipſi a rege attributo, in Sebuſianos contendit. Cum arcem Burgo impoſitam ingreſſus eſt, lachrimas non tenuiſſe dicitur, quod animo jam tum provideret, haud diu fore ut ea carere cogeretur. Poſtquam Burgo [l] Camberium venit, ad regem literas dedit, quibus poſt honeſta ia uſitata inter principes verba ſignificabat ſe Taurinos cogitare, ut de optione, ſicuti convenerat, mature deliberaret. Ibi cum conſilia ſua cum Gallis praemeditata ex voto omnino non ſucceſſiſſe cognoſceret, antiqua cum Hiſpanis repetiit, a Petro Henrice [m] Acebedio Fontano Mediolani prorege ſolicitatus ac confirmatus; facta etiam ſpe, ſi pactis cum rege initis ſtare nollet, ut opibus Hiſpanis contra ipſum juvaretur. Dicterium de ſe in aula jactatum, quaſi nihil ex Gallia praeter lutum reportaſſet, ubi intellexit Sabaudus, ſic non inurbane eluſit, cum contra diceret, non eo conſilio ſe veniſſe ut quidquam reportaret, ſed potius ut acrem ſui memoriam in Gallorum ingeniis relinqueret: lutum, quod reportaſſet, ubi aruit, facile deterſum; veſtigium, quod tam alte in regno infixiſſet, non niſi ferro deleri poſſe; factiones in eo renovatas innuens, et corruptum Bironi ingenium, quem et filiae ſuae nuptiarum ſpe impleverat. Paulo poſt VI Non. Mart. recitatum in ſenatu diploma, quo rex Henricum [n] Lotharingum Meduanii filium [o] Aquillionis in Aginnenſi agro ad Olgam oppidi ducem ac Franciae parem creabat: quod facile ſplendori ac magnitudini familiae, quae tot jam conſimilibus dignitatibus ornata fuerat, condonatum fuit, clauſula adjecta, ut deficientibus maſculis Aquillio, [p] Liberatae fanum, Monpeſatum, Madallianum, Olmeraca,

INTERPR. [a] *la Saone, & le Dain.* [b] *Bourg & la citadelle.* [c] *Barcelonette & ſon vicariat.* [d] *Mont de l'Argentiere.* [e] *Vallées de Sture & de Perouſe.* [f] *Pignerol.* [g] *le fort de Beche-Dauſin.* [h] *de Vervins.* [i] *Bourgogne.* [k] *de Malain Sr de Lux.* [l] *Chambery.* [m] *d'Acevedo comte de Fuentes gouverneur de Milan.* [n] *de Lorraine fils du duc de Mayenne.* [o] *Aiguillon en Agenois ſur Lot.* [p] *Ste Livrade, Montpezat, Madaillan, & Olmerac.*

Olmeraca, quae ſub eadem dignitate comprehenſa fuerant, non regio patrimonio, ſicuti lege regni cautum eſt, unirentur, ſed ad familiae heredes proximos, extincto paris Franciae titulo, pervenirent: quod ne in aliis obtineret, et ne tanta dignitas pluribus communicata vileſceret, placuit, regem ſuppliciter rogari, ut legem antiquam regni nova lege confirmaret.

XIII. POST Sabandi diſceſſum rex [a] Fontem-bellaqueum petit, ubi collatio inter Jacobum [b] Davidem Perronum epiſcopum Ebroicenſem et Philippum [c] Mornaeum Pleſſium, qui primarium olim familiaritatis locum in regis aula et belli et pacis artibus clarus tenuerat. Controverſiae origo inde fuit. Pleſſius librum de ſacra eucharistia et in vetere eccleſia ſacrificio Gallice ediderat, iſque propter ſtyli elegantiam paſſim per omnium manus volitabat, avideque legebatur; eoque magis quod patrum tam Graecorum quam Latinorum, nec non etiam aliquot ſcholaſticorum, auctoritate ac teſtimoniis ſuam ſententiam in eo tueretur. Itaque periculum veriti theologi noſtri paſſim in concionibus libri auctorem tanquam falſarium exagitant, ut ab ejus lectione incautos deterrerent. Quidam etiam repertorium locorum non bona fide citatorum confecere; nonnulli et libris editis eum confutare ſunt aggreſſi. Dum [d] Burdigalae, ubi Jeſuitarum ſchola celebris erat, nec non Lutetiae inter concionatores negotium caleret, Ebroicenſis epiſcopus itidem ſe demonſtraturum recepit, ID amplius locos ex patribus antiquis ac ſcholaſticis in eo libro falſo citatos eſſe. Quod cum ad Pleſſium relatum eſſet, ille ſcripto Lutetiae publicato petit, ut tam epiſcopus quam alii, qui ipſius librum falſi inſimularent, libello ſupplici, quem regi porrecturus eſſet, ſubſcriberent. Eo petebat, ut probitatis et doctrinae perſpectae delegati a rege nominarentur, qui librum diligenter examinent, et verene an calumnioſe haec ab adverſariis objiciantur dijudicent. Id actum XIII Kalendas Apriles. Perronus, qui [e] Condati erat primaria Ebroicenſis dioeceſis arce, ſcripto contrario reſpondet quinto poſt die, et conditionem accipit; amboque a rege petunt, ut delegati nominentur, qui coram ipſo, ſi intereſſe non gravabitur et per occupationes liceat, de re cognoſcant. Interceſſit initio orator pontificius, qui religionis controverſias per diſputationes in dubium revocari periculoſum eſſe, idque ſine pontificis auctoritate licere minime putabat. Verum cum rex et ipſe Perronus hanc concertationem nihil ad ratas eccleſiae de fide deciſiones ſpectare oſtendiſſent, tantumque de Pleſſii libro agi, verene an falſo loci in eo ex antiquis adducti referantur; et, ſi quidem probetur locos illos falſo citatos eſſe, fidem non ſolum libro derogari, ſed multos ex Proteſtantibus, qui nimium quam illi tribuunt, ab errore ſuo diſceſſuros; facile apud eum pervicerunt, ut ſilentio rem tranſigeret. Igitur delegati nominati pro Catholicorum parte Jacobus Auguſtus Thuanus ſenatus Pariſienſis praeſes, qui ſe ab initio excuſavit, Franciſcus [f] Pithoeus, Nicolaus [g] Faber; pro Proteſtantibus [h] Soſredus Calligno Navarrae cancellarius, in cujus locum, quod morbo praepeditus venire non poterat, Philippus [i] Canaius Septimaniae curiae praeſes ſucceſſit, Iſaacus Caſaubonus. Sed cum Nicolaus Faber intereſſe non poſſet, Joannes Martinus profeſſione medicus a rege evocatus eſt. De forma collationis primo altercatum; parumque abfuit, Pleſſio regem a ſe alienatum cauſante, quin omnino colloquium abrumperetur. Tandem poſt crebras contentiones, Pleſſio locos, qui falſi arguebantur, deſignari ſimul univerſos petente, et Perrono LX tantum initio proponente, IV Nonas Maias in rem ventum eſt; et cum Pomponius [k] Bellevreus cancellarius, qui actioni coram rege praeerat, praefatus eſſet, nihil heic agi, quod auctoritati eccleſiae et doctrinae in ea inter Catholicos receptae, aut edictis in Proteſtantium gratiam factis, praejudicium

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *Davy du Perron evêque d'Evreux.* [c] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [d] *Bourdeaux.* [e] *Condé.* [f] *Pithou.* [g] *le Fevre.* [h] *Sofred de Calignon.* [i] *de Canaye preſident en la Chambre de Languedoc.* [k] *de Bellievre.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

praejudicium ullum afferre poſſet, ad moderationem utrinque ſervandam partes hortatus eſt; ſic enim regem velle ac jubere. Tum prolixiore oratione Perronus eundem ſermonem perſequitur, et modeſtiam regis laudat, qui non ut Judaeorum ille rex, qui thuribulum quod ſumpſiſſet lepra percuſſus eſt, hoc eſt, auctoritatem ſacerdotalem et in res ſacras poteſtatem ullam ſibi arrogavit; ſed potius, Conſtantini, Valentiniani, Theodoſii I et II exemplum ſecutus, integrum ac liberum de fidei controverſiis ac rebus eccleſiaſticis judicium paſtoribus a Deo ordinatis reliquit. Pauca item pro ſe prolocuto Pleſſio, non ad ambitionem aut vanitatem librum a ſe factum, aut diſputationem hanc inſtitutam, ſed ut ex ea aliquis ad Dei gloriam et eccleſiae emendationem tam diu ſperatam regis optimi auſpiciis fructus rediret; promuntur libri. Cancellarius et delegati ad dextram ſedebant, rex in medio, et poſt eum archiepiſcopus [a] Lugdunenſis, [b] Nivernenſis, Caſtrenſis et Bellovacenſis epiſcopi; et rurſus poſt eos quatuorviri a ſecretis epiſtolis: ad laevam [c] Valdemontanus, [d] Nemoroſius, Mercurianus, Meduanius, Nivernius, Ellebovius, Aquillonius duces, Jonvillae princeps, aliique proceres, menſae, ad quam hinc inde Perronus et Pleſſius ſtabant, circumfuſi: paſſim a tergo turba. Excuſſi primo Jo. Scoti et Durandi de praeſentia et tranſubſtantiatione corporis Dominici in ſacra coena loci; et rogatis delegatorum ſententiis pronunciatum, Pleſſium, ratione inter ſcholaſticos uſitata deceptum, objecta pro deciſionibus in utroque ſumpſiſſe. Tum S. Chryſoſtomi unum et alterum, nec non et beati Hieronymi de invocatione ſanctorum locos non integros, quod fieri debuit, citatos eſſe; beati Cyrilli locum de ſanctae crucis adoratione productum nuſquam apud eum reperiri; conſtitutionem vero Theodoſii et Valentiniani aliquot verbis truncatam; nec ex Petro Crinito auctore [α] recenti, nec magni nominis, produci debuiſſe, a cancellario itidem pronunciatum. Dein confuſa duo ex S. Bernardo loca de beata Virgine, quaſi non mediatrix pro hominibus apud Deum intercedat, a Pleſſio citata arguit Perronus; et ſecundum ejus cenſuram a cancellario ex delegatorum ſententia pronunciatum fuit. Ultimus locus ex beato Theodoreto diſcuſſus eſt ex commentario in Pſalmum CXIII de imaginibus; et idola non imagines verti debuiſſe contendebat Perronus. Tandem, poſt longam de imaginum uſu concertationem, pronunciatum a cancellario, locum de ſimulachris Gentilium, non de imaginibus Chriſtianorum intelligendum eſſe: et ita, cum jam adveſperaſceret, ſolutus eo die conventus: quem, ut poſtridie continuaretur, cum urgeret Perronus, morbo ex vigilia praecedentis diei contracto Pleſſius adeſſe non potuit; tandemque, aliis atque aliis ſubortis difficultatibus, delegati dilapſi, et Pleſſius, ut valetudinem curaret, Lutetiam venit VIII Eid. Maias; ac poſtridie cancellarius cum Perrono, triduoque poſt rex ipſe cum omni aulico comitatu. Tandem, interjectis aliquot diebus, inſalutato rege Pleſſius [e] Salmuriam [β] diſceſſit. Aliquot poſt menſibus pro Pleſſii defenſione libellus editur, quo et locorum adductorum auctoritas interpretatione defenditur, et nova contra imagines ex loci Theodoreti occaſione diſputatio inſtituitur. Quem contrario ſcripto cum actis collationis regia auctoritate editis refutavit Perronus, longamque ac diffuſam pro imaginibus ad extremum apologiam adjecit. Actum et tunc de concilii Tridentini promulgatione, et Jeſuitarum contra ſenatuſconſultum Pariſienſe

reſtitutione:

VAR. LECT. [α] neoterico nulliuſque nominis, *MSS. Reg. Samm. & Put.*
[β] diſceſſit. Hic exitus fuit collationis majore fama quam ſucceſſu celebratae; cum Proteſtantes dicerent, librum ab homine privato conſcriptum, neque propter doctrinam, de qua omnino actum non eſt, damnatum eſſe; neque proinde fidei confeſſioni, quam univerſi in regno Proteſtantes amplectuntur, libri per collationem illam impugnati praejudicio praejudicari potuiſſe. Aliquot poſt *MSS. Reg. & Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Lyon.* [b] *les evêques de Nevers, Caſtres, & Beauvais.* [c] *le comte de Vaudemont.* [d] *les ducs de Nemours, Mercœur, Mayenne, Nevers, Elbeuf, & Aiguillon.* [e] *Saumur.*

reſtitutione: ſed res, cum adhuc ambigeretur pacem necne rex cum Sabaudo habiturus eſſet, dilata, et, quanquam cancellarius et [a] Villaregius utrinque maxime urgerent, in quietiora tempora reſervata.

XIV. REX, ut primum Lutetiam recepit, poſt res in urbe ordinatas ac reſtitutum ſenatum, academiae Pariſienſis per bella civilia collapſae diſciplinam inſtaurare in animum induxit; idque negotii Reginaldo [b] Belnenſi archiepiſcopo Bituricenſi magno Franciae eleemoſynario, doctrina et longo rerum uſu praeſtanti, datum, cum aliis a rege delegatis; qui gnaviter ea in re laborarunt, vocatiſque ac conſultis artium, medicinae, juris canonici, et ſacrae theologiae decanis ac profeſſoribus primariis, nationum procuratoribus ac gymnaſiarchis, atque adeo academiae rectore, inſpectis a Gulielmo [c] Tutavilla cardinali ante CL annos ad ejuſdem academiae inſtaurationem Carolo VII rege conditis legibus ac ſtatutis, cum ea ſuppleri, interpretari, et in melius mutari, rei literariae intereſſe comperiſſent, novas leges et ſtatuta ex eorundem ſententia condiderunt; quae regio diplomate adprobatae in ſenatu ante biennium promulgatae ſunt III Nonas Septembreis. Senatuſconſulto additum, ut per Jacobum Auguſtum Thuanum praeſidem, Lazarum [d] Coqueleium, Edvardum [e] Molaeum ſenatores executioni demandaretur. Igitur hoc anno XIV Kalendas Octobreis academiae conventu ad Mathurinorum a Marco [f] Gigoreo rectore indicto, cui omnium ordinum decani, procuratores nationum, et gymnaſiarchae magno numero interfuerunt, in iiſque ſacrae theologiae decanus [g] Renatus Benedictus epiſcopus Trecenſis deſignatus regi a ſacris confeſſionibus, Thuanus cum Coqueleio et Molaeo loco ſublimiori ſedens infit: Regem poſt foedam XL annorum tempeſtatem, ut fortiſſimum bellatorem, ſic et optimum principem, qui munus ſciat regis eſſe non ſolum pro finibus pugnare, ſed etiam jus aequabile inter ſuos dicere, omne ſtudium poſuiſſe, ut pace parta tranquillitatem in regno bellis civilibus feſſo conſtitueret, a religione principio facto: ob id edictum conditum, cujus beneficio jam pleriſque locis divini cultus intermiſſa per hos motus celebratio reſtituta eſt: dein juſtitiae proſpectum, priſtina legibus dignitate, magiſtratibus auctoritate, et ſecuritate publice univerſis reddita: quin et aerarium, de cujus inſtauratione deſperabant omnes, ſartum et a rapinis vindicatum: quo facto non ſolum robur regno tot cladibus labefactato quaeſitum, nervo belli paciſque potentiſſimo reſtituto, ſed etiam plebem levatam, quae exhauſto aerario quotidie novis oneribus vexabatur: poſtremo prudentiſſimum principem in academiam Pariſienſem oculos conjeciſſe, olim toto orbe Chriſtiano florentiſſimam, verum nunc ipſam, ut ceteras magni hujus corporis partes, laceram; atque ſic exiſtimaſſe, ſeminarium eſſe illud, ex quo qui in domo Dei miniſtrant, qui ad honores, magiſtratus, praefecturas ac publica munera toto regno provehuntur, prodeunt: idque optimorum imperatorum Chriſtianorum exemplo feciſſe, quorum conſtitutiones de profeſſoribus medicis, magiſtris, ac grammaticae, rhetoricae, philoſophiaeque praeceptoribus, privilegiis ac praerogativis eorum, hodie tam in Juſtinianeo quam Theodoſiano codice leguntur: reges Francorum ab initio hujus potentiſſimi imperii eorundem imperatorum exemplo etiam diſciplinam eccleſiaſticam, cujus partem non minimam inſtitutio juventutis facit, ordinaſſe, quippe qui imperatoribus ſucceſſerunt, et imperatoria poteſtate in regno ſuo praeeſſe cenſentur, eoque magis quod et ipſi unguntur ac conſecrantur, et quodammodo ſacerdotio participant: inde eſſe, quod tot ſanctiones Caroli Magni, Ludovici Pii, aliorum, ad res ſacras pertinentes hodie habentur, quarum nonnullae in Gratiani decretum tranſcriptae ſunt: horum

INTERPR. [a] *de Villeroy.* [b] *de Beaune archevêque de Bourges.* [c] *le cardinal d'Eſtouteville.* [d] *Coquelay.* [e] *Molé.* [f] *Gigour.* [g] *René Benoiſt evêque de Troyes.*

horum aemulatione Ludovicum IX, qui pietate ſua meruit ut in Divorum numerum referretur, pragmaticam de diſciplina eccleſiaſtica promulgaſſe: ſecuta dein Carolo VI rege, magno piorum cum dolore, in eccleſia ſciſſura, ex ordinum academiae Pariſienſis ſententia diſciplinam eccleſiaſticam, quae tunc Romae in incerto erat, ad tempus conſtitutam: hujus filium Carolum VII aliquot poſt annis Pragmaticam adeo paſſim decantatam, et, quamdiu more majorum tam in ſacra quam civili diſciplina res apud nos ſine fuco et fallaciis geſta eſt, ab omnibus regni curiis et ordinibus ac praecipue a Pariſienſium theologorum collegio ſumma veneratione cultam, promulgaſſe: denique recenti memoria Ludovicum XII, qui Parentis patriae a ſuis, ab exteris Juſti cognomentum, quo nullum honorificentius principi contingere poteſt, promeruit, eodem laudabili eccleſiae tam in capite quam in membris reformandae deſiderio flagraſſe: hoc jure recte et utiliter uſos ſemper Francorum reges, non ut de doctrina aliquid ſtatuerent, quam ex ſanctis conciliis, ſanctorum patrum ſcitis, ac venerandis eccleſiae decretis conſtitui debere cenſuerunt, ſed ut ſartam tectam eccleſiae diſciplinam conſervarent: eo conſilio inſtitutum ſenatum, ex totidem conſiliariis clericis, quot ab initio laici in eo erant, conſtantem, ut corpore illo ita temperato citra ſuſpicionem et offenſiones jus aequabile inter cunctos regni ſubditos redderetur: horum a virtute ac propenſo in ſuos ſtudio haud degenerantem regem praecipuam academiae Pariſienſis curam habuiſſe, et viris doctrina et prudentia praeſtantibus eam delegaſſe, qui ex ordinum ipſius ſententia leges et ſtatuta ab ea deinceps ſervanda perſcripſerunt, eaque ad ſenatum miſiſſe; qui et decreto ſuo promulganda illa decrevit, et nos ad ejus executionem delegavit: reliquum eſſe, ut pace parta, artium et diſciplinae tam ſacrae quam civilis, ſine qua nullum regnum ſtare diu poteſt, magiſtra et alumna, conjunctis votis univerſi Deo omnipotenti immortaleis agant gratias, ~~et ſecundum Deum cuncti academiae ordines~~ Chriſtianiſſimo regi, gratiamque ab eo factam demiſſis animis qua par eſt reverentia ſuſcipiant: ad id ſe ab ſenatu delegatos vehementer eos hortari, ut ſtatuta ipſius juſſu ac feliciſſimis auſpiciis perſcripta religioſe ſervanda curent, neque committant, ut, cum nihil ipſis a rege et ampliſſimo ſenatu deſit, ſi quid in eorum obſervatione perperam admittatur, ipſi ſibi defuiſſe videantur. Tum ſenatuſconſultum recitatum, ac deinceps ordine ſtatuta tam artium facultatis, quam vocant, ac medicinae, quam juris canonici et ſacrae theologiae. Et, quia rebellionis ac defectionis exempla ſive documenta a corruptis academiae ſeu moribus ſeu doctoribus inceperunt, inprimis cautum, ut pueri juveneſque, qui inſtituuntur, regi Chriſtianiſſimo bene precari et obedire et magiſtratibus parere doceantur. Cautum item inter ſtatuta facultatis theologicae, quod ab ea praecipue malum propagatum conſtaret, ut omnes exteri, qui theologiae ceteriſve diſciplinis operam darent, antequam ad gradum aliquem in academia admitterentur, jurarent, ſe Galliae legibus victuros, regi Chriſtianiſſimo et magiſtratibus morem geſturos, nihilque contra rempublicam ac magiſtratum molituros: praeterea, ut nihil in ſcholis alienum a Chriſtiana doctrina contra orthodoxorum patrum ſcita, nihil contra regis regnique jura ac dignitatem, diſputaretur; ſi ſecus fiat, et ſyndicus et praeſes et candidatus extra ordinem puniantur. Additum ad extremum pro ſanctione, ut ſi quae his contraria ſint, ea abrogata et antiquata; ſi quae conſentanea, rata cenſeantur, et ita ſerventur, ut ab his in poſterum non diſcedatur, eaque vel regis vel ſupremi ſenatus Pariſienſis tantum auctoritate abrogentur aut immutentur. Recitatis ſtatutis Ludovicus Servinus pro cognitore regio dixit, et univerſos ordines hortatus eſt ad munus ſuum gnaviter capeſſendum; ac primum theologos, ut ſacra Biblia aſſidue evolvant et interpretentur: nam licet hodie polemica ſcripta et ſcholaſticorum tela ad debellandam Sectariorum pertinaciam maxime

idonea

idonea cenſeantur, ſic tamen illos exiſtimare debere, veteris et novi Teſtamenti accuratam lectionem gemellas veluti eccleſiae magnae patentis mamillas eſſe, quibus animae theologorum praecipue ali et lactari debent; alioqui rejectionem Bibliorum, quod praedixit olim Joannes Gerſo academiae cancellarius, antichriſti admiſſionem eſſe: juris canonici interpretes, ſic in ſcholis jus canonicum doceant, ut proxime ad theologorum, quorum ipſi partem faciunt, normam accedant; nihil dicant quod juribus regni ac libertatibus eccleſiae Gallicanae pugnet, quae omnia eccleſiae Catholicae jura ſapientiſſimus rex Carolus v olim recte appellavit; ac denique, memores iniquae et unanimi eccleſiae Gallicanae conſenſu damnatae Bonifacii VIII cenſurae, a publica VI decretalium libri, quem ille edidit, praelectione abſtineant: medicos, ut leges ſibi praeſcriptas teneant; divinum Hippocratem diligenter legant, praecepta ejus religioſe ſervent; empiricam caveant, neque ea ullo modo utantur: denique artium profeſſores, ut pueritiam ſibi commiſſam et bonis moribus et literis imbuendam curent; philoſophiae principia non ex rivulis vel reſtagnantibus aquis, hoc eſt, aut ex epitomis aut vaſtis barbarorum praeceptorum commentariis, ſed ex limpidis fontibus hauriant, et auctorum ipſorum verba ac ſententias explicandas ſuſcipiant. Cum peroraſſet, Marcus [a] Gigoreus rector academiae nomine, Deo, beneficentiſſimo regi, ac ſenatui gratias egit, et ad omne obſequium ac cultum tam ſe quam ceteros ejus ordines paratos oſtendit. Alia deinde ſtatuta ad artium, medicinae, ac juris canonici praecipue profeſſiones addita, et in ſenatus acta quinto poſt die redacta: et altero poſt anno, cum ad diſciplinam juxta ſtatuta exigendam cenſura poſt tantam licentiam opus eſſet, idque ſtatutis ipſis comprehenſum fuiſſet, XVII Kal. Oct. poſtulante cognitore regio cenſores ſenatuſconſulto creati ſunt Edmondus [b] Richerius ſacrae theologiae doctor, Claudius [c] Minos juris canonici profeſſor, Nic. [d] Ellainius medicinae doctor, Jo. [e] Gallandius Becodianae ſcholae moderator, viri ex omni academia primarii, qui eodem die Gul. [f] Pullario ejus rectori ſacramentum dixerunt.

XV. Haec ut bono literarum acta et decreta, ita magna cum earum jactura viri eruditione inſignes hoc anno obierunt. Fulvius Urſinus patria Romanus, vir Graece Latineque doctiſſimus, ac purioris antiquitatis indagator diligentiſſimus, qui complura veterum utriuſque linguae ſcriptorum monumenta aut primus edidit, aut edita dedit meliora; arcta cum Octaviano [g] Pantagatho, Gabriele [h] Faerno, Latino [i] Latinio, Paulo [k] Manutio ſtudiorum conſenſione conjunctus, ac praecipue cum Antonio Auguſtino, quamdiu Romae fuit; cujus, poſtquam in Hiſpaniam diſceſſit, plurimas lucubrationes ſua induſtria illuſtratas publicavit: in familia Alexandri Farneſii cardinalis eximii literatorum fautoris diu vixit, et ſeptuagenarius ineunte Maio obiit, ad D. Joannis Lateranenſis, cujus ſacri collegii erat ſodalis, ſepultus. Paulo poſt Antonius [l] Riccobonus Rhodigino Venetae ditionis oppido natus, Patavii diu humanarum literarum et rhetoricae praecipue profeſſor, qui multa in eo genere ſcripſit, et, [m] Patavini gymnaſii hiſtoria diligenter collecta, non mediocrem a ſui collegii ſodalibus gratiam meruit, ex calculo ingenti in veſica enato in eadem urbe, ubi profitebatur, deceſſit. Eos praeceſſit Conradus Daſypodius patre Helvetio natus, nobilis artium mathematicarum profeſſor, quas editis Graecis pleriſque nondum vulgaris auctoribus illuſtravit: cumque integrum harum praeclariſſimarum diſciplinarum ac omnibus ſuis partibus abſolutum ex priſcis illis ſcriptoribus Graecis corpus publicare meditaretur, [n] Argentinae, ubi natus erat, Eidibus Aprilibus anno aetatis LXVIII in vivis eſſe deſiit. Carolus [o] Utenhovius [p] Gandavi patricia familia natus,

INTERPR. [a] *Gigour.* [b] *Richer.* [c] *Minot.* [d] *Ellain.* [e] *Galland principal du college de Boncourt.* [f] *Poullet.* [g] *Pantagato.* [h] *Faerno.* [i] *Latini.* [k] *Manucci.* [l] *Riccobono da Rovigo.* [m] *de Padoue.* [n] *Straſbourg.* [o] *Utenhove.* [p] *Gand.*

CIϽ IϽ C.
HENRICUS IV.

natus, et tota fere vita vagus, ſed in literis et poetica conſtans, cum olim in familia viri illuſtris Pauli [a] Foxii, dum oratoris regii apud Eliſabetham Angliae reginam munere fungeretur, diu fuiſſet, poſtremo uxore ducta [b] Coloniae in Ubiis ſedem fixit: in Dionyſiaca Nonni, in quibus multum laboravit, quae habebat, aut pertaeſus operis, aut ab aliis praeventus, cum magnam de iis ſpem concitaſſet, non abſolvit. Tandem Kal. Sextil. vitam hoc anno finivit, aetatis LXIV. Ante eum menſe Maio apud nos Petrus [c] Faber, Vidi Pibtacii a nobis ſaepius honorifice commemorati gentilis, qui ad clarum familiae in [d] Novempopulonia decus probiſſimos mores et ſingularem antiquitatis omniſque divini et humani juris cognitionem attulit, et doctiſſimis ſcriptis praeceptoris ſui Jacobi Cujacii veſtigiis inſiſtens teſtatam ad poſteritatem fecit, poſtquam ampliſſimis togae honoribus defunctus eſt, et principem in ſenatu Toloſano locum poſtremo totum triennium tenuit, ſexagenario major ad Deum migravit.

INTERPR. [a] *de Foix.* [b] *Cologne.* [c] *Du Faur.* [d] *Gaſcogne.*

FINIS TOMI QUINTI.



LONDINI, Imprimebat THOMAS WOOD.

Digitized by Google

KALENDARIVM ROMANVM,

Quod ſtylo utrique in adverſa TABVLA *pariter accommodari poteſt.*

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.	MARTIVS.	APRILIS.	MAIVS.	IVNIVS.
1 *Kalendae* Jan	1 *Kalendae* Febr.	1 *Kalendae* Mart.	1 *Kalendae* Apriles	1 *Kalendae* Maiae	1 *Kalendae* Juniae
2 IV Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas
3 III Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas
4 pridie Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas
5 *Nonae* Januariae	5 *Nonae* Febr.	5 III Nonas	5 *Nonae* Apriles	5 III Nonas	5 *Nonae* Juniae
6 VIII Idus	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus
7 VII Idus	7 VII Idus	7 *Nonae* Martiae	7 VII Idus	7 *Nonae* Maiae	7 VII Idus
8 VI Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus
9 V Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus
10 IV Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus
11 III Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus
12 pridie Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus
13 *Idus* Januariae	13 *Idus* Februariae	13 III Idus	13 *Idus* Apriles	13 III Idus	13 *Idus* Juniae
14 XIX Kal. Febr.	14 XVI Kal. Mart.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Mai.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Quint.
15 XVIII Kal. Feb	15 XV Kal. Mart.	15 *Idus* Martiae	15 XVII Kal. Mai.	15 *Idus* Maiae	15 XVII Kal. Quint
16 XVII Kal. Febr.	16 XIV Kal. Mart	16 XVII Kal. April.	16 XVI Kal. Mai.	16 XVII Kal. Jun.	16 XVI Kal. Quint.
17 XVI Kal. Febr.	17 XIII Kal. Mart	17 XVI Kal. April.	17 XV Kal. Mai	17 XVI Kal. Jun.	17 XV Kal. Quint.
18 XV Kal. Febr.	18 XII Kal. Mart.	18 XV Kal. April	18 XIV Kal. Mai.	18 XV Kal. Jun.	18 XIV Kal. Quint.
19 XIV Kal. Febr.	19 XI Kal. Mart.	19 XIV Kal. April	19 XIII Kal. Mai.	19 XIV Kal. Jun.	19 XIII Kal. Quint.
20 XIII Kal. Febr.	20 X Kal. Mart.	20 XIII Kal. April	20 XII Kal. Mai.	20 XIII Kal. Jun.	20 XII Kal. Quint.
21 XII Kal. Febr.	21 IX Kal. Mart.	21 XII Kal. April.	21 XI Kal. Mai	21 XII Kal. Jun.	21 XI Kal. Quint.
22 XI Kal. Febr.	22 VIII Kal. Mart.	22 XI Kal. April.	22 X Kal. Mai.	22 XI Kal. Jun.	22 X Kal. Quint.
23 X Kal. Febr.	23 VII Kal. Mart.	23 X Kal. April.	23 IX Kal. Mai	23 X Kal. Jun.	23 IX Kal. Quint.
24 IX Kal. Febr.	24 VI Kal. Mart.	24 IX Kal. April.	24 VIII Kal. Mai.	24 IX Kal. Jun.	24 VIII Kal. Quint.
25 VIII Kal. Febr.	*Ann. communi,*	25 VIII Kal. April.	25 VII Kal. Mai.	25 VIII Kal. Jun.	25 VII Kal. Quint.
26 VII Kal. Febr.	25 V Kal. Mart.	26 VII Kal. April.	26 VI Kal. Mai.	26 VII Kal Jun.	26 VI Kal. Quiot.
27 VI Kal Febr	26 IV Kal. Mart.	27 VI Kal. April.	27 V Kal. Mai.	27 VI Kal Jun.	27 V Kal Quint.
28 V Kal Febr.	27 III Kal. Mart.	28 V Kal. April.	28 IV Kal. Mai.	28 V Kal. Jun.	28 IV Kal. Quint.
29 IV Kal. Febr.	28 pridie Kal Mart	29 IV Kal. April.	29 III Kal. Mai.	29 IV Kal Jun.	29 III Kal. Quint.
30 III Kal. Febr.	*Ann. biſſextili,*	30 III Kal. April.	30 pridie Kal. Mai.	30 III Kal Jun.	30 pridie Kal Quint.
31 pridie Kal. Febr.	25 *bis* VI Kal Mart.	31 pridie Kal. April		31 pridie Kal. Jun.	
	26 V Kal. Mart.				
	27 IV Kal. Mart.				
	28 III Kal Mart.				
	29 pridie Kal. Mart.				

QVINTILIS, *qui et* IVLIVS.	SEXTILIS, *qui et* AVGVSTVS.	SEPTEMBER.	OCTOBER.	NOVEMBER.	DECEMBER.
1 *Kalendae* Quint.	1 *Kalendae* Sext.	1 *Kalendae* Sept.	1 *Kalendae* Oct.	1 *Kalendae* Nov.	1 *Kalendae* Dec.
2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 IV Nonas
3 V Nonas	3 III Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas	3 III Nonas
4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 pridie Nonas
5 III Nonas	5 *Nonae* Sext.	5 *Nonae* Sept.	5 III Nonas	5 *Nonae* Nov.	5 *Nonae* Dec.
6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 VIII Idus
7 *Nonae* Quint.	7 VII Idus	7 VII Idus	7 *Nonae* Octobres	7 VII Idus	7 VII Idus
8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VI Idus
9 VII Idus	9 V Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus	9 V Idus
10 VI Idus	10 IV Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus	10 IV Idus
11 V Idus	11 III Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus	11 III Idus
12 IV Idus	12 pridie Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus	12 pridie Idus
13 III Idus	13 *Idus* Sext.	13 *Idus* Septembres	13 III Idus	13 *Idus* Nov.	13 *Idus* Decembres
14 pridie Idus	14 XIX Kal. Sept.	14 XVIII Kal. Oct.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Dec.	14 XIX Kal Jan.
15 *Idus* Quint.	15 XVIII Kal. Sept.	15 XVII Kal. Oct.	15 *Idus* Octobres	15 XVII Kal. Dec.	15 XVIII Kal. Jan.
16 XVII Kal. Sext.	16 XVII Kal. Sept.	16 XVI Kal. Oct.	16 XVII Kal. Nov.	16 XVI Kal. Dec	16 XVII Kal. Jan.
17 XVI Kal. Sext.	17 XVI Kal. Sept.	17 XV Kal. Oct.	17 XVI Kal. Nov.	17 XV Kal. Dec.	17 XVI Kal. Jan.
18 XV Kal. Sext.	18 XV Kal. Sept.	18 XIV Kal. Oct.	18 XV Kal. Nov.	18 XIV Kal. Dec.	18 XV Kal. Jan.
19 XIV Kal. Sext.	19 XIV Kal. Sept.	19 XIII Kal. Oct.	19 XIV Kal. Nov.	19 XIII Kal. Dec.	19 XIV Kal. Jan.
20 XIII Kal. Sext.	20 XIII Kal. Sept.	20 XII Kal. Oct.	20 XIII Kal. Nov.	20 XII Kal Dec.	20 XIII Kal. Jan.
21 XII Kal. Sext.	21 XII Kal. Sept.	21 XI Kal. Oct.	21 XII Kal. Nov.	21 XI Kal. Dec.	21 XII Kal. Jan.
22 XI Kal. Sext.	22 XI Kal. Sept.	22 X Kal. Oct.	22 XI Kal. Nov.	22 X Kal. Dec.	22 XI Kal Jan.
23 X Kal. Sext.	23 X Kal. Sept.	23 IX Kal. Oct.	23 X Kal. Nov.	23 IX Kal. Dec.	23 X Kal Jan.
24 IX Kal Sext.	24 IX Kal. Sept.	24 VIII Kal. Oct.	24 IX Kal. Nov.	24 VIII Kal. Dec.	24 IX Kal. Jan.
25 VIII Kal. Sext.	25 VIII Kal. Sept.	25 VII Kal. Oct.	25 VIII Kal. Nov.	25 VII Kal. Dec.	25 VIII Kal. Jan.
26 VII Kal. Sext.	26 VII Kal. Sept.	26 VI Kal. Oct.	26 VII Kal Nov.	26 VI Kal. Dec.	26 VII Kal. Jan.
27 VI Kal Sext.	27 VI Kal. Sept.	27 V Kal. Oct.	27 VI Kal. Nov.	27 V Kal. Dec.	27 VI Kal Jan.
28 V Kal Sext	28 V Kal. Sept.	28 IV Kal. Oct.	28 V Kal. Nov.	28 IV Kal. Dec.	28 V Kal. Jan.
29 IV Kal Sext.	29 IV Kal. Sept.	29 III Kal. Oct.	29 IV Kal. Nov.	29 III Kal Dec.	29 IV Kal. Jan.
30 III Kal Sext.	30 III Kal. Sept.	30 pridie Kal. Oct.	30 III Kal Nov.	30 pridie Kal. Dec.	30 III Kal Jan.
31 pridie Kal. Sext.	31 pridie Kal. Sept.		31 pridie Kal Nov.		31 pridie Kal. Jan

TABVLA,

Qua collatio ſtyli novi ſive Gregoriani cum vetere ſive Juliano uſque ad annum MDCC exhibetur.

Computatio Gregoriana anno MDLXXXII *Romae quinto die Octobris, in Gallia autem die decimo Decembris, ſtylo vetere, primum recepta fuit.*

IANVARIVS.		FEBRVARIVS.		MARTIVS.			APRILIS.		MAIVS.		IVNIVS.	
St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian. Ann. comm.	Ann. biſſ.	St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.
1	Decemb. 22	1	Januar. 22	1	Februar. 19	Feb. 20	1	Martii 22	1	Aprilis 21	1	Maii 22
2	23	2	23	2	20	21	2	23	2	22	2	23
3	24	3	24	3	21	22	3	24	3	23	3	24
4	25	4	25	4	22	23	4	25	4	24	4	25
5	26	5	26	5	23	24	5	26	5	25	5	26
6	27	6	27	6	24	25	6	27	6	26	6	27
7	28	7	28	7	25	26	7	28	7	27	7	28
8	29	8	29	8	26	27	8	29	8	28	8	29
9	30	9	30	9	27	28	9	30	9	29	9	30
10	31	10	31	10	28	29	10	31	10	30	10	31
11	Januar. 1	11	Februar. 1	11	Martii 1	1	11	Aprilis 1	11	Maii 1	11	Junii 1
12	2	12	2	12	2	2	12	2	12	2	12	2
13	3	13	3	13	3	3	13	3	13	3	13	3
14	4	14	4	14	4	4	14	4	14	4	14	4
15	5	15	5	15	5	5	15	5	15	5	15	5
16	6	16	6	16	6	6	16	6	16	6	16	6
17	7	17	7	17	7	7	17	7	17	7	17	7
18	8	18	8	18	8	8	18	8	18	8	18	8
19	9	19	9	19	9	9	19	9	19	9	19	9
20	10	20	10	20	10	10	20	10	20	10	20	10
21	11	21	11	21	11	11	21	11	21	11	21	11
22	12	22	12	22	12	12	22	12	22	12	22	12
23	13	23	13	23	13	13	23	13	23	13	23	13
24	14	24	14	24	14	14	24	14	24	14	24	14
25	15	25	15	25	15	15	25	15	25	15	25	15
26	16	26	16	26	16	16	26	16	26	16	26	16
27	17	27	17	27	17	17	27	17	27	17	27	17
28	18	28	18	28	18	18	28	18	28	18	28	18
29	19	29	*Ann biſſ.* 19	29	19	19	29	19	29	19	29	19
30	20			30	20	20	30	20	30	20	30	20
31	21			31	21	21			31	21		

IVLIVS.		AVGVSTVS.		SEPTEMBER.		OCTOBER.		NOVEMBER.		DECEMBER.	
St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.
1	Junii 21	1	Julii 22	1	Auguſt. 22	1	Septemb. 21	1	Octob. 22	1	Novemb. 21
2	22	2	23	2	23	2	22	2	23	2	22
3	23	3	24	3	24	3	23	3	24	3	23
4	24	4	25	4	25	4	24	4	25	4	24
5	25	5	26	5	26	5	25	5	26	5	25
6	26	6	27	6	27	6	26	6	27	6	26
7	27	7	28	7	28	7	27	7	28	7	27
8	28	8	29	8	29	8	28	8	29	8	28
9	29	9	30	9	30	9	29	9	30	9	29
10	30	10	31	10	31	10	30	10	31	10	30
11	Julii 1	11	Auguſt. 1	11	Septemb. 1	11	Octob. 1	11	Novemb. 1	11	Decemb. 1
12	2	12	2	12	2	12	2	12	2	12	2
13	3	13	3	13	3	13	3	13	3	13	3
14	4	14	4	14	4	14	4	14	4	14	4
15	5	15	5	15	5	15	5	15	5	15	5
16	6	16	6	16	6	16	6	16	6	16	6
17	7	17	7	17	7	17	7	17	7	17	7
18	8	18	8	18	8	18	8	18	8	18	8
19	9	19	9	19	9	19	9	19	9	19	9
20	10	20	10	20	10	20	10	20	10	20	10
21	11	21	11	21	11	21	11	21	11	21	11
22	12	22	12	22	12	22	12	22	12	22	12
23	13	23	13	23	13	23	13	23	13	23	13
24	14	24	14	24	14	24	14	24	14	24	14
25	15	25	15	25	15	25	15	25	15	25	15
26	16	26	16	26	16	26	16	26	16	26	16
27	17	27	17	27	17	27	17	27	17	27	17
28	18	28	18	28	18	28	18	28	18	28	18
29	19	29	19	29	19	29	19	29	19	29	19
30	20	30	20	30	20	30	20	30	20	30	20
31	21	31	21			31	21			31	21

+01 1469543

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google